NAZIONALE
8
31 — C
16
VITT. EMANUELE
ROMA

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III. 13. b

Digitized by Google

8.31.C.15

Pseudo-Rotherhi.

Digitized by Google

Digitized by Google

DE POTESTATE PAPÆ IN REBVS TEMPORALIBVS, SIVE IN REGIBVS DEPONENDIS VSURPATA;

Adversus ROBERTVM Cardinalem BELLARMINVM,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

LIBRI DVO.

In quibus respondetur Authoribus, Scripturis, Rationibus, Exemplis, contra GVLIELMVM BARCLAIVM allatis.

Necnon sex, vel verius quinque exemplis: quibus, morte praeventus, non responderat G. B.

Authore IOANNE, *Episcopo* ROFFENSI.

LVC. 22. 26.
Vos autem non sic.

Distinct. 40. C. Multi. ex Chrysost.
Quicunq; desideraverit Primatum in terra, *inveniet confusionem in cœlo, nec inter servos* Christi *computabitur, qui de primatu tractaverit.*

LONDINI,
Ex Officina NORTONIANA *apud* IOANNEM BILLIVM,
cIↃ. IↃ. C. XIIII.

Cum Privilegio Regis.

Digitized by Google

Digitized by Google

SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE,

Principi, ac Domino noſtro, IACOBO,

Dei Gratia, Magnæ BRITANNIÆ, FRANCIÆ,

ET HIBERNIÆ REGI, FIDEI

DEFENSORI, &c.

EGit olim cauſam *Domini Dei ſui Pontificis*, Cardinalis *Robertus Bellarminus*, perſonatus ſub larua *Matthæi Torti Sacellani* : & hoc decorè : Larva actor eſt, cauſa itidem larva : cauſa vere tortuoſa, ſub larva *Torti:* poteſtas Pontificis, in temporalibus, *hoc proprie*, temporalis, *hoc improprie : Poteſtas, ſed quædam: temporalis, ſed non meræ : in Papa, ſed non vt Papa : aliquo modo, non abſolutè : indirectè & impropriè, non directè, non propriè : caſualitèr, non perpetuò* : Larvam hanc eſſe perſonam, & tortuoſam hanc eſſe cauſam, vel ſanus iurabit *Oreſtes.* Larvam & Sacellanum poſtea exuit, Cardinalatum reinduit, Apologiam contra *Præfationem monitoriam M. veſtræ, Rex Sereniſſime*, quodq; *vobis* peculiare & ſingulare, *Regum doctiſſime*, parat. In eâ, apices verborum venatur, comparationes Regum cum Pontificibus, Cardinalium cum Regibus inſtituit *(dicens ſe eſſe aliquem magnum, non ſi teruperis, inquit, par eris.)* De ſanctorum invoca-

Digitized by Google

tione, de Miſſæ ſacrificio, de re quavis potius quam de obedientia ciuili diſputat, cauſa ipſa deſeritur, friget poteſtas Papæ. Noverat quocum cominus pugnaret, vires *M. veſtræ* ſenſerat, plagas & vulnera ſua difficulter tegere, nedum curare poterat. Et cauſa & patrono inferior, *Aſaele* cautior, *Abnerum* relinquit, *Barclaium* mortuum, forte quia mortui non mordent, non reſpondent, quem in arenam provocet, invenit. Quæ ſcripſerat iuvenis iuveniliter, ſenex ſeniliter, vltimo conatu naturæ, ſed irrito, defendit: Quia à *vivo* & *valente*, qui cum authoritate vere regiâ docet, victus & confoſſus, adverſarium perſtringit mortuum; ſed valentem, cuius rationes non moriuntur, cuius vires ad *Bellarm.* proſternendum, etiam nunc valent. Et vivit ille famâ apud omnes celebris; quotidiéq; celebrior, *Monarchomachorum*, & *Pontificiorum malleus*: cui plurimum debent Reges, & Principes, quorum libertates, & iura regalia, ab illorum furore, ab horum ambitione vindicavit. In hoc opere contra *Barclaium*, omnes vires ſuas recollegit, omnia teſtimonia Scriptorum, & Scripturarum, omnia aliorum argumenta, quæ ipſi pungentia viſa ſunt, omnia exempla, & facta congeſſit, vt libri menſuram adimpleret, & ſaltem mole reſponderet, qui reipſa nihil reſpondet. Quid enim in hoc opere, aut authore, aut cauſâ dignum? Duæ allegoriæ, *Ligandi*, & *paſcendi*, male intellectæ, ſine explicito verbo Dei; Septuaginta Neoterici, & Decem Conciliabula, poſt mille annos, poſt hanc controverſiam, & argumentis, & armis ventilatam, qui omnes, & poſt nati, & partes ſunt, & ſine ratione loquuntur: *Gregorium 7. in C. Alius:* potius quam *Dominum Ieſum* in Evangelio vrgent. Quinq; rationes naturales, ſcopæ diſſolutæ, quæ & in materia, & in forma peccant; & aut petunt principium, aut falſo principio innituntur, aut plus concludunt, quam probant; & quid poteſt ratio naturalis, in cauſâ ſupernaturali? Duodecim etiam exempla, aut à ſcopo aliena, aut conficta, aut iniuſta: An hæc *Bellarmino* digna? an hæc digna plenitudinis Pontificiæ fulcra? Quid enim poſſunt quatuor hæc argumenta contra infinitam multitudinem Patrum, Scriptorum, ſubditorum fidelium? Quid poſſunt contra ius divinum naturale, quo tenentur ſubditi, fidelitatem, obedientiam,

honorem

Digitized by Google

honorem omnibus parentibus naturæ, patriæ, gratiæ præſtare? An poteſt ſervus principalis legem *Domini* ſui refigere, aut cuiquam gratiam eius facere? In legibus poſitivis diſpenſat homo, qui eaſdem ſancivit: In ſecunda tabula diſpenſat Deus, & non homo: in prima tabula, nec Deus ipſe diſpenſat. Si ergo in ſecundâ tabulâ diſpenſat Pontifex, Deus eſt, non homo: ſi homo ſit, non Deus, in mandatis obedientiæ, & ſubiectionis non diſpenſat. Specioſa forte hæc ſunt, imperitos capiunt, quibus *Pontifex* Deus quidam terreſtris videtur, ponderoſa non ſunt, viros cordatos non movent. An hæc digna ſunt calamo *Ma. veſtræ?* An decorum eſt, vt ad hæc frivola & trivialia, millies decocta, & retorta, deſcendat *Ma. veſtra*, & ad arma conclamet, *Davidis* fundam, & lapides de torrente limpidiſſimos arripiat, vt argumenta hæc incircumciſa, arma carnis & ſanguinis, quæ ſapientiam cœleſtem non redolent, enervet, & diſſolvat? Beati proculdubio, qui quotidiè *Ma. veſtram* circumſtantes, ſapientiam veſtram audiunt. Beati & illi, qui quandoq; dictata, & ſcripta veſtra legunt: Da veniam tamen: Imperatores cum Imperatoribus, cum Regibus Reges, in certamen prodeant. *Fortuna Principum à nullo periculo longius abeſt, quam ab humilitate.* In hoc vno, humilitatis verè Chriſtianiſſimæ obliuiſcaris, Regem *voſmet* maximum agnoſce, cum Pontifice ipſo, cum Regibus in hanc arenam literariam deſcendat *Ma. veſtra*, interim *vobis* parcas, vt nobis non parcas. Habes in hoc Regno, in hac Eccleſia, *(fortium fortiſſime)* multos *fortes*, doctos, *Comites*, *Epiſcopos*, *Doctores*, qui cum *Cardinalibus* & *Ieſuitis*, æquo Marte, ſingulari certamine congredi & poſſunt, & parati ſunt. Quid opus eſt, vt *Lux Iſraelis* venenatis linguarum peſtilentiſſimarum, maledicta, opprobria, convitia, mendacia, ore limivomo, addo etiam & ſimivomo eructantium, aculeis tanquam nebulis obſcuretur & obnubiletur? proſcindant & lancinent (quod ſuum eſt quotidie aliis: at *M. veſtra* ſacra & ſacrata ſemper ſit, *hanc* violet nemo, nedum violare poteſt; *verè enim oratio virtutes veſtras prædicet neceſſe eſt: falſam vitam moreſq; veſtri ſuperant. Tu facies* (inquit Ambroſius) *quod eſt ſpadonis, ego patior quod eſt Epiſcopi.* Faciant illi quod ſcurræ, & rabulæ maledicentiſſimi, qui nunquam didice-

Bernard. Benavent.

Sebioppius.

Digitized by Google

runt bene loqui: nos patiemur quod Epiſcopi patientiſſimi, maledicta referre neſcij. Et qualis illa religio, quæ hos fructus convitiorum, conſpirationum, proditionum, cultrorum, pulveris producit? Qualis ille Paſtor, qui tales permittit, approbat, laudat, præmiat, pene dixeram, canonizat? Satius multo eſt, vt nos inglorij ſimus, imo bonum nobis eſt, ſi nobis vt clypeis vtaris, potius quam in gloriam *veſtram* irruatur. Quod ergo Imperatoris & Regis maximi, & *veſtrum* eſt, hoc age: vnicuiq; ſtationem ſuam, partem civitatis defendendam, hoſtem hunc, vel illum proſternendum, deſigna: oſtende modo *te* velle, cupient alij, & current alacres. *Exemplo præijſti*, imperio præcipe; *præeuntem* quis eſt qui non ſequitur? *præcipientem* quis eſt qui non audit? *Veſtro exemplo* eductus, *veſtro Imperio* deſignatus, hanc Provinciam, hanc Spartam nactus, ad poteſtatem Pontificis *mixtam*, *heterogeneam*, *linolaneam*, *Spirituali-Temporalem* demoliendam; Iura vero regalia, & Imperialia vindicanda, memet accinxi. Quis enim eſt, qui tali *Duce*, tali *Imperatore*, in numerum militum *tuorum* aſcribi, alacriter non contenderet? *Rege & Duce noſtro*, ſpinis convitiorum & maledictorum coronato, an cuiquam noſtrum otium erit, roſis coronari, & in muſæo, otio & voluptati, vel etiam contemplationi indulgere? Iuſſa ducum nec ſciſcitari, nec interpretari, ſed peragere didici. *Vnde punitur, ſi fecerit iniuſſus, inde puniatur, ſi non fecerit iuſſus:* ſic. Si quid in hac palæſtra profecerim; quærenti, *quid mihi profuerit* jus Regium, reſpondeo cum *Ariſtippo*; *vt Reſponſio, quam pro hac cauſa habui, veraeſſet*; cauſa enim ipſa, & ſeipſam, & Patronum defendit. Ingratiſſimus omnium eſſem, ſi ego, qui meipſum meaq; omnia *veſtræ munificentiæ* vere *Regiæ* accepta debeo, hoc debitum, hoc officium detrectarem. Dabit *veſtra Maieſtas* hanc veniam: malo liberalitatem *veſtram vobis* jucundam, quam alijs claram reddere. *Liberalitatem iucundiorem debitor gratus, clariorem ingratus facit.* Malo cuivis periculo memet exponere, quam beneficia *Maieſtatis veſtræ* vento ingratitudinis aut inobedientiæ exiccare. In hoc opere quid perfecerim aliorum ſit iudicium, *veſtrum* præcipuè, accuratiſſimum, exactiſſimum: alijs naturæ, ingenij, ſcientiæ dotibus, alijs

c. Miles 23. q. 5.

præ-

Digitized by Google

præluces; Iudicij acumine, & perfectione, teipſum ſuperas: *Nemo militans implicatur vitæ negotijs, vt ei placeat, cui ſe probauit. Chriſto Domino* auſpice, *Chriſto Domini* Duce, hoc opus aggreſſus ſum; in vtriuſq; militiam aſcriptus, vtriq; placere, vtriq; me, meaq; ſcripta qualiacunq; probare conor. Quid dico vtriq;? Idem in hac cauſa *Chriſto Domino Ieſu*, & *Chriſto Domini* placet IACOBO, cui ſemper & inprimis placet, quod docuit, fecit, probavit IESVS. Sereniſſimæ ergo *Ma. Veſtræ*, vtpote Duci & Imperatori debitum, hoc qualecunq; opus dico, dedicoq;. Subditi & ſerui tui omnem tibi obedientiam, fidelitatem, honorem, debent. *Ma. veſtra* ſubditis & ſervis tuis, patrocinium & protectionem, & debet, & præſtat. Hoc patrocinio tutus, modò *Tu* Cenſor benignus faveas, oblatrantium *Romanenſium* & *Ieſuitarum* calumnias non moror reſponſiones non pertimeſco. Ad aſylum hoc potentiæ *veſtræ*, quam nemo bonus vnquam ſenſit, niſi aut levatione periculi, aut acceſſione dignitatis, confugio. *Te* Duce, cauſâ cadere non poſſum. Cauſa hæc, cauſa *Dei* & *Chriſti* eſt, cuius *Vos* in Regnis tuis *Vicarius* & *Prorex*. Quod ſupereſt ergo, & cauſam ſuam, & Regem ſuum, *Deo* & *Chriſto* commendemus. Beneficijs ſuis, quæ per *veſtrum* regimen affluenter percipimus faveat, muneribus ſuis addat perpetuitatem: non pacem, non concordiam, non ſecuritatem, non opes, non honores oramus: ſimplex, cunctaq; iſta complexum, vnum omnium eſt votum: *Salus Regis*. Tranquilliſſimus *Regni* ſtatus eſt, cum boni provehuntur, mali timent, nec timentur. Fœliciſſimus *Rex* ille, non quem timent, ſed cui timent ſubditi; hunc ſtatum, hunc *Regem* diù & ſemper ſervet *Deus:* Det *Deus* ætatem quam mereris, & animum ſervet, quem dederit, iterum repeto, vnum omnium votum eſt, *Salus Regis*, quæ huius ſeculi, quæq; huius *Eccleſiæ Militantis*, quæq; alterius ſeculi, alterius *Eccleſiæ Triumphantis*, æternùm futura eſt. AMEN.

Sereniſſimæ Maieſtati veſtræ à ſacris,

ſubditus ſervuſq; devotiſſimus.

IOANNES ROPPENSIS.

Ad Lectorem.

SCripſit *de poteſtate Pontificis* in temporalibus, *hoc* propriè, *ſiue* temporali, *hoc* impropriè, Robertus *Cardinalis* Bellarminus *Catheàralium DD. huius ſeculi (ſi Pontificijs credimus) facile Princeps, & eorum, qui in Controverſijs explicandis inſudarunt, merito ſuo doctiſsimus; ſed tamen in adverſarium ſuum* Gulielmum Barclaium, *hominem vndiquaq́ itidem doctiſsimum parum acerbior. In hac poteſtate Pontificis aſſerenda, quatuor argumentorum, ſiue probationum generibus vſus eſt. In Prolegomenis*, primum *adhibet* genus probationis, *ab authoritate ſeptuaginta circiter Scriptorum Illuſtrium, quinq́ nationum*, Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Germanorum, & Anglorum: *qui tanquam togata mancipia, hinc poteſtati directe, illinc indirecte aſtipulantur. In quibus caput eſt* Gregorius 7. *pſeudopropheta ille, qui Regem magnum illo anno moriturum prædixit: Cauda eſt* Nicolaus Sanderus *mendaciorum concinnator maximus: atq́ hij omnes nouitij*; Gregorius *annis abhinc quingentis & triginta, & coætaneus eius* Stephanus Albeſtatenſis, *ſubditus, & hoſtis* Henrici 4. *capitalis, ab eodem incarceratus, qui eundem conuitijs, & maledictis plurimis oneravit: reliqui iuniores ſunt; ex quibus, qui antiquiores ſunt annis abhinc trecentis & quadraginta floruerunt; qui Iuniores*, Lutherum *viderunt. Nam* Bernardus, & Hugo *noſtri ſunt: & hij duo, cum ſex alijs noſtras partes agunt, vt* cap. 8. l. 1. *videre eſt: quibus nonum adijcimus*, Ægidium Romanum, *cuius Tractatum, non niſi poſt partem cap. 8. lib. 1. excuſam, vidimus. Atq́ hi quidem, dum Babel ædificant, linguâ & prænijſus diuiſi ſunt, etſi caudâ, & concluſione coniuncti; quos omnes ſiue Monarchiam temporalem, ſiue ſpiritualem cum poteſtate temporali, ſiue in temporalibus annexam aſtruentes; etſi ſibi invicem diſſidentes, in aciem produxit, vt exercitum ducere videatur: Quibus, ſexaginta, aut forte quinquaginta, & decem Conciliis, nos cap. 8. lib. 1. tres cohortes, ſiue* Claſſes, *omnium ætatum, & nationum; necnon totidem Concilia & Conventus plurimos oppoſuimus; vt & numero, & pondere contenderemus: & vt* Barclaius, *ſolus, & ſingularis, contra omnes Theologos, & Ca-*

nonum

nonum ſacrorum, & legum ciuilium profeſſores ſtare non videatur. In ipſo Libro, ſecundum genus probationis, *allegorijs Scripturæ duabus, ſc.* ligandi & paſcendi, à Gregorio 7. & Innocentio 4. *male detortis, deducitur: quæ loca ex antiquitatis teſtimonijs, iuxta verum & genuinum ſenſum expoſuimus, & Theologiam ſymbolicam argumentatiuã non eſſe, niſi alijs perſpicuis ſcripturis nitatur, aſſeruimus.*

3 In tertio genere *militant* quinq; rationes, *à lumine, ſiue ratione naturali deductæ: quæ quia in natura falſæ & infirmæ ſunt, in gratia &*

4 *regno* Chriſti *nihil valent. Quarto loco prodeunt* duodecim exempla, *quæ à facto ad ius arguunt, eaq; partim falſa, partim aliena, partim ſuperbiæ & ambitionis pleniſſima.* Exempla fiunt quæ ſcelera eſſe deſtiterunt, *vti Cyp. lib. 2. Epiſt. 2. ad Donatum. Atq; hæc ſunt firmamenta huius poteſtatis temporalis, & fulcra fidei, vel opinionis Pontificiæ, quibus miſeri Romanenſes fidem adhibentes,* in infidelitate fideles, in inobedientia obedientes, *mandatum Dei, de patribus patria honorandis violant.*

In hanc arenam contra Bellarminum, *veteranum, ducem exercitatiſſimum, deſcendi; confiſus cauſa, non patrono: Pontificiorum* melior eſt Orator, *at Imperialiſtarum* cauſa melior. *Et armis proprijs, authoritatibus, ſcilicet & argumentis Pontificiorum, eundem aggreſſus ſum. Vnuſquiſq; enim, armis & argumentis ſuis confodiendus eſt,* Ethnicus *rationibus à lumine naturæ petitis, quas ſolas agnoſcit, conuincendus;* Iudæus *qui ſolum Vetus Teſtamentum agnoſcit, ex Moſe & Prophetis refellendus eſt;* Hæretici *qui integras Scripturas admittunt, per eaſdem Scripturas docendi: in principijs communibus conuenire neceſſe eſt, aliàs concertatio nulla futura eſt. Prouocant Pontificij in alijs controuerſijs, ad* Patres, *ad* Vniuerſalitatẽ, *ad* Antiquitatem, *ad* Conſenſionẽ. *In hac cauſa, quia,* vniuerſalitate, antiquitate, conſenſione *deſtituũtur, ad* Scriptores Neotericos, *ad* Scholaſticos, *&* Hiſtoricos *confugiunt.* Concilia, *vel verius Conciliabula, & conſpirationes factioſas, in præiudiciũ Imperij & Regni congregatas, producunt, quia in antiquis, vox Eccleſiæ in hac cauſa, aut nulla eſt, & ſilentio ſuo cauſam hanc peſſundat; aut parum propitia, quæ & obedientiæ perfectæ præcepta tradidit, & fidelitatis iuramenta exegit, & illuſtre exemplum fuit. In his diluendis neceſſitate coactus, multa principia, multas propoſitiones, de Primatu Pontificis ſpirituali, de Regum*

&

& Imperatorum excommunicatione, ſiue excluſione ex Eccleſia, & exuls, & ſimilibus, admittere coactus ſum, ne eminus cum aduerſario congredi, & ab inſtituta quæſtione declinare videar: quæ prudens lector, inter data *potius quam* conceſſa *reponat. Quod eo conſilio feci, vt authores cum authoribus, cum Scripturis Scripturæ, rationes cum rationibus, exempla cum exemplis confligerent. In hac ergo cauſa* Catholicum *me aſſero,* Pontificium *pernego; neque vero deſerui caſtra noſtra, Eccleſiæ Anglicanæ per omnia ciuem, & membrum, & filium memet profiteor. In caſtra aliena, caſtra Pontificiorum deſcendi, non tanquam* transfuga, *ſed tanquam* explorator. Quicquid ibi verum eſt, hoc noſtrum eſt, veritas commune eſt bonum omnium, non res cuiuſquam priuata. Scriptura non eſt priuatę interpretationis. *In publica diſciplina, in Collegio diſcipulorum inuenitur* Ieſus: *in conuenticulis non latet. Id vero qua confidentia fecerim, videte. Vetus Romana Ciuitas, Caput & Domina mũdi, quæ foris apud exteros omnes gentes debellauit, Imperioq; & dominio ſuo totum orbem, tanquam Bellona potentiſſima vinci neſcia, ſubiugauit, domi facile vincitur: quæq; inter exteros, fines ſuos facile propagare ſolet, in Italia vix fines ſuos propugnat. Id olim inſigni tropheo docuerunt Galli, Duce* Brenno, *qui poſt, Dictatore Camillo, fugati ſunt: id agnoſcit Princeps ille Oratorum, apud quem vox eſt notiſſima:* Hannibal credo ad Portas erat, aut de Pyrrhi pace agebatur. *Quid* Hunnos, Gothos, Vandalos *memorem, aut* Longobardos, *qui longa ſerie, per ducentos annos in Italia regnarunt, vſque ad* Pipinum & Carolum; *qui* Italiam *dum à tyrannide aliena liberant, ſub iugum mittunt ſuum? Mitto poſteriora tempora, in quibus vt olim* Italia *Imperatorum ferax, ſic iam ſeruitutis patiens, niſi quod Pontificatus, Imperij plagam, nonnihil curauerit. Quid Romana Eccleſia? An non dum alienum dogmata fortiter armis* antiquitatis, vniuerſalitatis, conſenſionis *conuellere videtur, ſuis armis, ſuis Principijs, ipſa, in ſuis nouis dogmatibus confoditur? acſi* gladium haberet *quo dies feriret,* Clypeum *quo ſe defenderet, non haberet. Nam vt vno aut altero Romanæ fidei capite inſtem. Ac primum,* in plenitudine poteſtatis in ſpiritualibus tantùm: *Omiſſo* Primatu ordinis, *qui in omni ordinata ſocietate propter confuſionem vitandam neceſſarius eſt: Prætermiſſa etiam poteſtate executionis*

executionis, quæ vnicuiq; Archiepiſcopo, Primati, Metropolitano, & Patriarchæ competit; per quam appellationes ab inferioribus ordinarijs recipiunt, & inferiorum ſententias, aut approbant, aut improbãt: quo iure Pontifex tanquam Patriarcha Occidentis, appellationes Occidentalium, nec non propter ſedis illius eminentiã, & antiquã fidei integritatem, aliarum etiam nationum tranſmarinarum, etſi cum iniuria aliorum Patriarcharum, & audiuit, & dijudicauit. At vaſta illa & illimitata poteſtas ſpiritualis, qua ſe fidei & controuerſiarum omniũ iudicem & omnium Canonum et Conſtitutionũ Eccleſiaſticarum legiſlatorem facit Pontifex, acſi ad ipſum ſolum ſpectaret declarare quid credendum ſit de fide, & quid faciendum ſit in vita & moribus, de cuius iudicio nemini licitum ſit dubitare. Hæc inquam poteſtas & Scriptura, & traditione Eccleſiaſtica, et ſenſu Scripturæ, & teſtimonio vniuerſalitatis, antiquitatis, & conſenſionis *caret. In hoc dogmate infirma eſt Eccleſia Romana; nullus è Patribus per ſexcentos primos annos, huic amplitudini, ſiue plenitudini poteſtatis Pontificiæ, vel verbo quidem patrocinatur: plus ſemper in concluſione Romanenſium, quam in præmiſſis Patrum: nulla fidei deciſio per hæc tempora, nullus Canon ſub nomine ſolius Pontificis extat: omnia hæc in Concilijs generalibus decreta ſunt.*

In magna illa contentione, de ſacrificio Chriſtianorum: *de ſacrificio cordis contriti in oratione & pœnitentia; & cordis grati in laudibus & orationibus; & cordis deuoti in Eleemoſyna, & reſtitutione; quæ interna cum ſint, in externis ſemper deſiderantur, quæque præ ſacrificijs, vel pro ſacrificio, ſemper Deo offerenda ſunt, conſtat inter omnes. De ſacrificijs item corporis* Chriſti *myſtici, non naturalis, in quo noſmet Deo offerimus, ſatis conuenit, ſicut Auguſtinus de Ciuitate Dei, Lib. decimo, Cap. ſexto.* Hoc eſt Sacrificium Chriſtianorum, multi vnum corpus ſumus in Chriſto - Quod etiam Sacramento altaris fidelibus noto, frequentat Eccleſia, vbi ei demonſtratur, quod in ea oblatione, quam offert, ipſa offeratur: *Et Cap. Decimo ſexto:* Cui ſeruiunt Angeli boni, qui non ſibi, ſed illi iubent vt Sacrificio ſeruiamus, cui nos ipſi ſacrificium eſſe debeamus. *De ſacrificio item commemorativo, ſiue repræſentativo, quo* Chriſtus *ipſe, qui in cruce pro nobis immolatus eſt,*

per

per viam repræſentationis & commemorationis, a nobis etiam quodammodo offerri dicitur, lis non magna eſt: In baptiſmo enim offertur ſacrificium Chriſti *vti Auguſtinus.* Quod eo tempore offert quiſque pro peccatis ſuis, quo eiuſdem paſſionis fide dedicatur: *& iterum.* Quod tunc pro vnoquoq; offertur quodammodo, cum eius nomine in baptizando ſignatur. *Quodammodo: non ergo eodem modo, quo in cruce oblatum eſt: ſed alio, id eſt per commemorationem vel repræſentationem. Idem de ſacramento Euchariſtiæ dicendum eſt, quod varijs de cauſis, varia ſortitur nomina:* vt eſt dominicę paſſionis commemoratiuum, ſic ſacrificium nominatur, vt vnitatem eccleſiaſticam denotat, communio vel Synaxis; vt beatę, & æternæ fruitionis figuratiuum eſt, Euchariſtia ſiue viaticum dicitur. *Sic Thomas. Et iterum:* Dicitur ſacrificium in quantum repręſentat ipſam paſſionem Chriſti; *& iterum.* Sacramentum Euchariſtiæ, tum quia huius ſacramenti celebratio, imago quædam eſt paſſionis Chriſti, tum quia per hoc ſacramentum participes efficimur fructus Dominicę paſſionis, conuenienter dicitur Chriſti immolatio. *Id quod probat, ſicut ante eum* Magiſter: quia Imagines earum rerum nominibus appellari ſolent, quarum ſunt imagines: *tum etiam ex verbis Chryſoſtomi,* In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem ſempiternam potens. Quid ergo nos? nonne per ſingulos dies offerimus? ſed ad recordationem mortis eius. *Sit ergo, vt tantum largiamur aduerſarijs,* hoc facitè, *idem quod hoc* ſacrificatè: *Sed* in mei commemorationem *Et licet Bell. lib. 1 de Miſſa. Cap. 1. idem ſit res ipſa vel actio ipſa, & repræſentatio rei, ſiue actionis, (quæ in re vllam dare potuit inſtantiam in vniuerſa totius mundi machina, niſi in hoc ipſo ſacramento: & peccat contra omnes regulas Dialecticorum, qui inſtat in eodem) omnibus tamen doctis, & bonis, alia, & plane diuerſa ſunt, res, & eiuſdem rei actio, & actionis eiuſdem repræſentatio; vnde recte ibidem Chryſoſtomus.* Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius *Et Auguſtinus quæſt. 61. inter* 83. Et Holocauſti eius imaginem a memoriam paſſionis ſuæ in Eccleſia celebrandam dedit; vt eſſet Sacerdos in æternum, non ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Ipſe eſt ſacerdos noſter in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, qui ſeipſum obtulit holocauſtum pro

In Expoſitione Epiſtolæ ad Rom.

P. 3. q. 73. Art. 4 in Concl. & ad. 3 P. 3 q 83. Art. 1.

In 4. Diſt. 12. lit. G.

In Hebræos 10. Hom. 17.

peccatis noſtris,& eius ſacrificij ſimilitudinem celebrandam, in ſuę paſſionis memoriam commendauit. *Et Epiſt. 23. ad Bonifacium, Commentum Bell. de re & repræſentatione refutat:* Nonne ſemel immolatus eſt Chriſtus in ſeipſo? & tamen in ſacramento, non ſolum per omnes Paſchæ ſolennitates, ſed omni die, populis immolatur: nec vtiq; mentitur qui interrogatus, eum reſponderit immolari: *rationem aſſignat:* quia ſacramenta earum rerum ſimilitudinem & nomina habent, quarum ſunt ſacramenta. *Idem ergo in ſacramento Euchariſtiæ eſt ſacrificatum, quod in ſacrificio Chriſti in Cruce peracto, in qua per vnicam ſui ipſius oblationem redemptionem noſtram perfecit; ſed non eſt idem ſacrificium, ſicut actionem ipſam ſacrificandi denotat, vti aſſerit Bellarminus;* hoc loco ſacrificium accipimus, pro actione ſacrificandi, non ipſa victima, quæ ſacrificatur, tametſi ipſa etiam ſacrificium dici ſolet: *De Miſſa lib. 1. Cap. 2. & ex Patribus probare conatur ſed frigidè, Commentum hoc, de Iugi ſacrificio externo proprie dicto, & propitiatorio pro viuis & defunctis, acſi vna & vnica eſſet actio Chriſti in cruce, & ſacrificuli in miſſa; Antiquitate, vniuerſalitate, conſenſione deſtituitur. In hoc principio infirmi ſunt Romanenſes: nec ſcripturæ ſic loquuntur, nec patres ſic intelligunt.*

Vt tertium addam: multi, in hac ipſa Anglia, veri Martyres Chriſti; *non Pſeudomartyres Pontificis, & poteſtatis huius temporalis aſſertores, proditionum patroni perfidi, quales vt plurimum ſunt Ieſuitæ aquinoci; Igni traditi ſunt, quod tranſſubſtantiationem, id eſt, modum præſentiæ non agnouerint; qui præſentiam ipſam non negarunt. Tranſſubſtantiatio hæc, vel verius annihilatio, (elementa enim in* Chriſti *ſubſtantiam non tranſelementantur, nec augetur ex nouis haſtijs caro & ſanguis* Chriſti *in immenſum, pene dixeram infinitum) pars eſt fidei Romanæ, ſed infirma: vtpote quæ, & ſcripturarum, & antiquorum teſtimonijs deſtituitur.* Hoc eſt corpus meum: *Sic* Chriſtus: *Hoc eſt, hoc modo, corpus meum, ſiue* trans, *ſiue* ſub, *ſiue* con, *hoc nouum & antiquitati inauditum.* Quomodo: De Deo non ſine magna impietate conclamant, nec in mentem venit, nihil eſſe impoſſibile apud Deum, nam cum animales eſſent (vt ait Paulus) ſpiritualia intelligere non poterant. Sed fatuitas quædam, tam magnum ſibi videtur myſterium. Sed nos magnum quæſo

à peccatis aliorum profectum faciamus, & firmam fidem myſterijs adhibentes, nunquam in tam ſublimibus rebus, illud Quomodo, aut cogitemus, aut proferamus. Iudaicum enim hoc verbum eſt, & extremi ſupplicij cauſa: Ideo Nicodemus etiam cum diceret, quomodo hæc fieri poſſunt, merito audiuit; Tu es magiſter in Iſrael, & hæc ignoras? Aliorum igitur, vt diximus, culpa perdocti, cum Deus operetur, non quæramus Quomodo, ſed operis ſui viam, atque ſcientiam illi ſoli concedamus. *Sic Cyrillus. Nouit Deus* Quomodo, *at tuum non eſt noſſe: ſicut artifex nouit* Quomodo *opus ſuum perficiat, at tu ignoras. De Capernaitis dicit Theophylactus.* Ideo & verbum incredulitatis dicunt, Quomodo, nam quando cogitationes incredulitatis ingrediuntur in animum, dicunt, Quomodo. *Id probat ex quæſtione Nicodemi, deinde addit.* Oportet ergo nos cum audiuerimus, niſi ederitis carnem meam, non habebitis vitam, in ſumptionibus diuinorum myſteriorum indubitatã retinere fidem, & non quærere, Quo pacto. *Reprehendit gloſſa verba Berengarij: Sacerdotum manibus tractatur, & fidelium dentibus atteritur.* Caue, ſanè intelligas verba Berengarij, ne in maiorem incidas hæreſin, quam ipſe tenuit. *Nota eſt vox Durandi Speculatoris.* *In Ioan. l. 4. c. 13*

In Ioan. 6.

Verbum audimus. Motum ſentimus.
Præſentiam credimus. Modum neſcimus.

Noti ſunt verſus

Corpore de Chriſti lis eſt: de ſanguine lis eſt.
Lis eſt de modo, non habitura modum.

Et declaratio illa de ineffabili modo præſentiæ, infinitas quæſtiones ſpinoſas in Eccleſiam invexit.

Quid Bellarminus *ipſe, qui de modo præſentiæ, & tranſſubſtantiationis commento tantopere inſudat?* Adverbia, quæ dicunt modũ exiſtendi corporalem, non dicuntur de Chriſto in Euchariſtia, licet dicantur de ipſo vt in cœlo reſidet, alia vero nihil prohibet dici; & ratio eſt quia non habet Chriſtus in Euchariſtia modum corporum, ſed potius ſpirituum. Imo contra dici poteſt eſſe ſpiritualiter, vt Bernardus in ſermone de S. Martino, ſed hæc vox non eſt multum frequentanda, &c. *Quid opus erat tam longa diſputatione de modo, ſi adverbia quæ dicunt modum præſentiæ, dicuntur de Chriſto in Cælo, non in ſacramento?* Bernar- *De Sacr. Euchariſt. lib. 1. cap. 28. Tertia Regula.*

Bernardi ſententia hæc eſt. Quod videlicet vſque hodie, eadem caro nobis, ſed ſpiritualiter, vtique non carnaliter exhibetur. *Huic conſona eſt per omnia doctrina Eccleſiæ Anglicanæ, quæ corpus & ſanguinem Chriſti in cœna Domini, vere & realiter exhiberi, & fide recipi, aſſerit, modum autem ſpiritualem (& proinde ineffabilem & incognitum) tradit.*

In Catechiſmo nuper auctо.

Quin & Hardingus *in reſponſione ad articulos doctiſſimi illius, nunquam ſatis laudati Epiſcopi* Ioannis Iuelli, modum præſentiæ iuxta omnes Catholicos verum & realem, ſed longe ſublimiorem & excellentiorem, ſupernaturalem, ſuperſubſtantialem, inuiſibilem, (*& tamen vidit Ignatius Loiola*) inenarrabilem, huius Sacramenti propriam, non tantùm ſpiritualem, & tamen ſpiritualem agnoſcit, *tandem vero concludit*, Modum præſentiæ talẽ eſſe, qualem Deus vnus nouit. *Et tamen modum hunc norunt Pontificij, etiam narrant, per viam ſcilicet tranſubſtantiationis, quem ignorant antiqui. In hoc ergo principio infirmi ſunt Romanenſes, armis ſuis, hoc eſt antiquitate, vniuerſalitate, conſenſione facile vincuntur. In hac ergo cauſa, ſumma cum ratione, authoritatibus & rationibus Catholicorũ tantum, poteſtatem hanc temporalem Pontificis aggreſſus ſum: ſi teſtimonijs ſcriptorum ſuorum, infra hos quingentos vltimos annos obruantur, nunquam audebunt ad Scripturas & Patres Primitiuæ Eccleſiæ prouocare. Imo lucem eorum formidabunt: ideo eiſdem calumniæ notam inurunt peſſimam:* de facto loquuntur, non de iure, blandiuntur regibus, donec vires ſuppetant. *An hoc æquo animo ferent Patres? An audet* Bellarminus *cum omnibus ſuis Ieſuitis (qui vt de ijs Papyrius Maſſouius in vita Pauli 4.* in eo nimium ſapientes, quod ſe putant cœlo vel ipſi aliquando imperaturos) *in conſpectu* Chriſti *& Apoſtolorum, Martyrum, Confeſſorum, Pontificum antiquorum, Patrum & ſanctorum prodire, & ipſis exprobrare, quod circa fidelitatem, & obedientiam Principibus etiam Infidelibus, Apoſtatis, & hæreticis debitam*, de facto loquantur non de iure, *id eſt.* blandiuntur, adulantur, ęquiuocant? Subijcimur Principibus mundi propter ordinem; *Sic S. Gregor. Nazianz.* Regia dignitas non habet ſupra ſe vllam tyrannidem; ac regni proprium eſt, merum Imperium, ſummaq; plena nullius alterius arbitrio atq; dominio obnoxia poteſtas. Sic Gregor. Nyſſenus de Beatitudinibus:

De Reali præſentia Art. 5 ſect. vlt.

De Epiſc. vrbis.

Orat ad præſid. iratum, &c.

Non

Ad Lectorem.

Non adulaturi vos hoc ſcripto, neq; ad gratiam quicquã dicturi acceſſimus. *Sic Iuſtinus Martyr.* Omnipotenti Deo reus eſt, qui ſereniſſimis Dominis in omni quod agit & loquitur, purus non eſt: *ſic Gregorius, & iterum*: bonis quid eſt meum retribuere, niſi eorum veſtigia purè amare? *Quid hic* Bellarminus? *non es purus, O* Gregori; *loqueris de facto, non de iure, adularis* Mauritio, *dicis* Chriſtum ſacerdotes curę Mauritij *de facto non de iure* cõmiſiſſe; *dicis* Chriſtum Mauritio conceſſiſſe vt dominaretur non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotibus, *de facto, non de iure*; *Aut ergo impurus* Gregorius *cum reliquis Patribus, aut impuro ore hanc calumniam in omnes Patres, omnemq; antiquitatem euomuit* Bellarminus: Reges dicuntur a regendo, & non regit, qui non corrigit. *Sic Auguſtinus.* Subditus a ſuperiori exigit cuſtodiam et diſciplinam. *Sic Bernardus, non fert iſta patienter* Bellarminus: *Pontifices, Epiſcopos, Sacerdotes, Clericos regi vult legibus ciuilibus, ſed non corrigi*, vi rationis, ſed non vi legum: *Cuſtodiam & protectionem Eccleſiæ & Eccleſiaſticis debent Reges vtpote aduocati Eccleſiæ: diſciplinam non debent. In hac poteſtate temporali, nouatores ſunt Pontificij, antiquam doctrinam Patrum, antiquam fidelitatem ſubditorum deſerunt.* Qui male agit, odit lucem: *Lucem Scripturarum, & Patrum refugit in hâc cauſa* Bell. *ideo poſteriora Concilia, primis illis quatuor generalibus Conciliis, (quæ* tanquam quatuor Euangelia veneratur *Sanctus Gregorius) adequat. Hic Candorem tuum, Lector, appello, an pari fide patres Nicænos, & Paterculos Lateranenſes, ſiue Tridentinos, recipis? An fides de poteſtate hac temporali Pontificia, fidei Patrum Nicænorum de ὁμοουσίῳ ſiue deitate & Conſubſtantialitate* Chriſti *filij Dei conferenda eſt? ſicut bis in hoc opere, non ſine blaſphemia confert* Bell. *Hæc te noſſe volui, lector Romano-Catholice, vt videas, ſciaſq; patronos poteſtatis huius temporalis armaturâ illâ,* antiquitatis, vniuerſalitatis & conſenſionis, in qua tantopere confidunt & gloriantur *ſpoliatos, ſolis paucorum Neotericorum inter ſe & à veritate diſſidentium opinionibus innixi, te vero vento quouis doctrinæ nouellæ circumferri: Hæc te volui lector Chriſtiano-Catholice intelligere, vt non ſolum gladio tuo, gladio ſpiritus, lapidibus Dauidicis, è fontibus ſaluatoris petitis, hoc eſt verbo Dei ſcripto; ſed etiam Gladio Goliæ, armis ſcilicet aduerſariorum, teſtimonijs ſcili-*

Ad Antonin. Pium. *Lib. 2. Epiſt. 61. Indict. 12. Epiſt. 64.*

In Pſal. 44. Serm. 3. de Aduentu.

c. 1. & 8.

cet

cet hominum Doctorum, omnium etatum, qnin & Pontificiorum ipſorum, qui hanc ambitionem papalem tanquam diſsidiorum & malorum omnium in Eccleſia & regno fontem, et Eccleſiæ et Imperij ruinam deteſtati ſunt; poteſtatem hanc temporalem proſternere poſsis. Quod ad nos attinet: dicimus cum S. Hieronymo. In Templo Dei, offert vnuſquiſq; quod poteſt, alij aurum, argentum, et lapides precioſos, alij byſſum et purpurã et Coccum offerunt, et hyacinthũ; nobiſcum bene agitur, ſi pelles & caprarũ pilos obtulerimus. *Si vel lapides & ligna congeſſerimus, ex quibus architecti periti, Bezelieles à Domino edocti, domum Dei adificare poſsint. Si vel infra infimos, in loco nouiſsimo, conſiſtere poſsimus, bene imo abunde nobiſcum agitur. Tu vero, & me, & meis hiſce laboribus, ad Eccleſiæ, & regni vnitatem, & vtriuſq; exaltationèm, vt nimirum ſint tanquam ciuitas edificata in iaipſum, benigne vtere & fruere.*

Vale.

Elenchus

ELENCHVS CAPITVM

LIBRI PRIMI.

POteſtas Papæ in temporalibus non eſt de Fide. Cap. 1.

Examinantur Scriptores Illuſtres Nationis Italicæ. Cap. 2.

Examinantur Scriptores Illuſtres Nationis Gallicæ. Cap. 3.

Examinantur Scriptores Illuſtres Nationis Hiſpanicæ. Cap. 4.

Examinantur Scriptores Illuſtres Nationis Germanicæ. Cap. 5.

Examinantur Scriptores Nationis Anglicæ, 2. Indicium de omnibus authoribus à Bellarmino allatis. Cap. 6.

1 Examinantur decem Concilia à Bellarmino citata. Cap. 7.

Authores Catholici, qui poteſtatem temporalem regum deponendorum reijcinnt. Cap. 8.

LIBRI SECVNDI.

DEfenditur Barclaius quod contra poteſtatem Papæ in Regibus deponendis ſcripſerit. Cap. 1.

Firmum eſt fundamentum Barclaij: Duæ ſunt poteſtates, à Deo, Eccleſiaſtica & politica, diſtincta dignitatibus, officijs, actibus. Cap. 2.

Poteſtas Papæ in Regum depoſitione res dubia eſt, & opinionibus Scriptorum, non ſcripturarum authoritate nititur. Cap. 3.

Veræ cauſæ poteſtatis temporalis Papæ tres. Honor ſedis: timor excommunicationis: & ambitio Romanenſium. Cap. 4.

Papa non habet poteſtatem Regum deponendorum indirectè. Cap. 5.

Primis 700. annis, ſummi Pontifices non depoſuerunt Reges hæreticos, & tyrannos: non quia deerant vires, ſed quia illicitum putabant. Cap. 6.

Eccleſia Conſtantium hæreticum, & Iulianum Apoſtatam non depoſuit, & tamen non deerant vires. Cap. 7.

Eccleſia Valentinianum Iuniorem Arianum non depoſuit, etſi vires non deſent: ſententia antiquorum de puniendis Regibus. Cap. 8.

Reges ſine Regni & Eccleſiæ detrimento deponi non poſſunt: & Henricus quartus iniuſtè à Gregorio ſeptimo depoſitus eſt. Cap. 9.

Henricus 4. primus à Gregorio 7. depoſitus eſt, idq; iniuſtè, iuxta ſententiam Othonis Friſingenſis. Cap. 10.

Pietas Clementis 8. pacifici, loricatis furoribus Iulij 2. præferenda eſt. Cap. 11.

Confirmantur rationes contra poteſtatem Papæ temporalem in Regibus deponendis propoſitæ. Cap. 12.

Refellitur 1. Ratio Bell. Poteſtas Ciuilis, poteſtati ſpirituali non eſt ſubiecta, quando vtraq; pars eſt eiuſdem Reſpublicæ Chriſtianæ. Cap. 13.

Confutatio confirmationum primæ rationis Bellarmini: Fines harum poteſtatum, aut non ſubordinantur, aut tantum quoad directionem, non quoad coactionem temporalem. Cap. 14.

Exemptio Clericorum non eſt de Iure naturali, Moſaico aut Euangelico, ſed ex gratia Principum. Digreſſio. 1. Cap. 15.

Clerici

LIBER PRIMVS:
IN QVO RESPONDETVR
AD PROLEGOMENA, SIVE AVTORES BELLARMINI QVI POTESTATEM *Papæ in temporalibus aſtruunt.*

CAP. I.
Poteſtas Papæ in temporalibus non eſt de Fide.

1. *In Symbolo Apoſtolorum continetur omnis fides, ad ſalutem neceſſaria, quoad materiam.* 2. *Fides iſta tempore non augetur quoad ſubſtantiam: etſi quoad explicationem.* 3. *Poteſtas Papæ in temporalibus non eſt de fide, nec quoad materiam, nec quoad formam.*

PAucis abhinc annis edidit *Paulus Quintus* duo Breuia contra juramentum fidelitatis, quo & ſuæ & ſucceſſorum ſuorum ſaluti conſulit IACOBVS, Regum Angliæ, adeoque totius orbis facile doctiſsimus ſanctiſſimuſque, contra quorundam Pontificiorum aſſertiones proditorias. In ijs Pontifex Catholicos ſuos deterret ab illo iuramento, quod ſcilicet ſalua fide Catholica, & animarum ſuarum ſalute præſtari non poſſit, cum multa contineat, quæ fidei & ſaluti aperte aduerſentur. Sic *Paulus* in genere, in ſcrinio pectoris *In Breui 1.*

recondens, quid hoc ſit, quod fidei & ſaluti aduerſatur. *Robertus Cardinalis Bellarminus*, ſuccenturiatus à ſecretis *Pauli Quinti* ſcrinium hoc recluſit, id eſt, aperuit: & quid hoc ſit quod fidei aduerſatur docet, in literis ad *Blackwellum Archipresbyterum*. *Scis* (inquit) *modificationes eiuſmodi nihil eſſe aliud, quàm Satanæ dolos & verſutias, vt fides Catholica de Primatu ſedis Apoſtolicæ vel apertè, vel occultè petatur, pro quâ fide, tot inclyti Martyres, in iſtâ ipſâ Angliâ ad ſanguinem vſq; pugnarunt.* Primatus ſedis Apoſtolicæ articulus eſt fidei *Bellarminiana*, iſq; præcipuus. Credo equidem; ſic enim definit Eccleſiam: *Eccleſia eſt cœtus hominum eiuſdem Chriſtianæ fidei profeſſione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus ſub regimine legitimorum Paſtorum, ac præcipuè vnius Chriſti in terris Vicarij, Romani Pontificis.* Quare non præcipuè ſub Chriſto? An quiſquam præcipuus coràm Chriſto, vel præter Chriſtum? Egregia proculdubio definitio, quæ Paſtores legitimos, præcipuè verò (obſeruetur hoc præcipuè) vnicum Chriſti Vicarium Pontificem Romanum ab Eccleſiâ excludit: Pontifex enim Romanus non poteſt eſſe ſub regimine Pontificis Romani: quià nemo ſubeſt ſibijpſi. Hæc eſt illa perfecta & abſoluta definitio Eccleſiæ, quæ *Paulum Quintum* ab Eccleſiâ excluſit: aut, quod verius eſt, definitio eſt partis, non totius; Laicorum, non Paſtorum; eorum qui ſubſunt, non qui regunt, corporis, non capitis, ne quidem miniſterialis: niſi forſan, vt *Chriſti & Papæ vnum eſt tribunal*, vt Canoniſtæ: ſic Chriſtus & Papa vnum caput. Primatus ergò ſedis Apoſtolicæ in temporalibus, articulus eſt, & caput fidei: ſed in quo capite? Nec enim diſertis verbis, habetur in terminis, in ſymbolo Apoſtolorum, fonte & matrice totius fidei: nec in Nicæno aut Conſtantinopolitano, nec in Athanaſiano.

Lib. 3. de Eccleſ. milit. c. 2. § Noſtra autem.

2. In ſymbolo Apoſtolico, omnis fides ad ſalutem neceſſaria ineſt quoad materiam: Hæc eſt enim fortè *ratio illa fidei* dirigens *prophetiam* cuius meminit Apoſtolus: *Rom.* 12. 6. Et *forma doctrinæ, in quam traditi ſunt* Chriſtiani: *Rom.* 6. 17. Hanc enim ab Apoſtolis compoſitam tradunt antiqui, tanquam regulam & veritatis, & vnitatis, in qua, qui locis diſiuncti erant, profeſſione cõiunctiſſimi eſſent. *Symbolum &c. comprehenſio eſt fidei noſtræ & perfectio, ſimplex, breue, plenum, vt ſimplicitas conſulat audientium ruſticitati, breuitas memoriæ, plenitudo doctrinæ.* Sic Auguſtinus: Si ſymbolum plenum, ſi in eo doctrinæ plenitudo, quid nouis articulis opus eſt? *Hoc attendentes Apoſtoli, certam fidei regulam tradiderunt, quam ſecundum numerum Apoſtolicum duodecim ſententijs comprehenſam ſymbolum vocauerunt, per quam credentes Catholicam tenerent vnitatem, & per quam hæreticam conuincerent prauitatem.* Et infrà. *Symbolum breue eſt verbis, ſed magnum eſt Sacramentis. Quicquid enim præfiguratum eſt in Patriarchis, quicquid denuntiatum in Scripturis, quicquid prædictum eſt in Prophetis, vel de Deo ingenito, vel ex Deo in Deum nato, vel*

De Tempore. Serm. 115.

Serm. 181. in Præfat.

de

de Spiritu Sancto, vel de ſuſcipiendo omni Sacramento, vel de morte Domini reſurrectioniſq; eius myſterio, totum breuiter hoc ſymbolum continet, & continendo habet, & confitendo. Diſcat ergo, quiſq; fidem Apoſtolicam profeſſus, per ora geſtantium in baptiſmo, cum ad annos intelligibiles venerit. In quibus multa ſunt obſeruatu digniſſima: Summa eſt & Epitome totius Scripturæ, certa eſt regula fidei, vinculum eſt vnitatis Catholicæ: hæreticæ prauitatis eſt confuſio: acſi diceret, quotquot in ſymbolo conueniunt, in vnitate fidei conſpirant, quotquot in hæreſim labuntur, in hoc ſymbolum peccant: Reliqua quæ ad fraudes & impoſturas hæreticorum detegendas à Concilijs & Patribus ſuperaddita ſunt ſymbola, Commentaria ſunt & declarationes ſiue explicationes huius ſymboli; eadem quoad materiam, licet quoad verborum formam diuerſa. Atque hæc eſt fides, ſuper quam ædificata eſt Eccleſia, quæ habet promiſſionem illam: *Mat. 16. Portæ inferorum non præualebunt aduerſus eam.* De quâ fide ſic declaratâ ſiuè explicatâ, in Concilijs Nicæno & Conſtantinopol. ne vlterius progrediar, ſic Tridentini Patres. *Quare ſymbolum fidei, quo Sancta Romana Eccleſia vtitur, tanquam principium illud, in quo omnes, qui fidem Chriſti profitentur, neceſſariò conueniunt, ac fundamentum firmum & vnicum contra quod portæ Inferi non præualebunt, totidem verbis, quibus in omnibus Eccleſijs legitur, exprimendum eſſe cenſuit, quod quidem eiuſmodi eſt,* &c. Vnicum eſt: quis tu qui ſuperaddis aliud fundamẽtum, præter id quod poſitum eſt? firmum eſt: quid aurum, argentum, lapides, lignum, fœnum, ſtipulam quæ in ædificio viſuntur, in fundamento collocas? In hâc fide omnes neceſſariò conueniunt, quid nouos neceſsitatis articulos cuditis? Annon hæc verba Concilij alios omnes neceſſarios articulos excludunt?

Concil. Trident. Seſſ. 3.

3.

Hæc eſt vnica & ſola fides, quam omnes initiati in lauacro regenerationis profitentur, & in quâ ſpondent ſe victuros & morituros: hæc eſt fides Martyrum & Sanctorum omnium, quâ vicerunt mundum, & coronam adepti ſunt: huic fidei aliquid aut nouum, aut noſtrum ſuperaddere, quid eſt aliud quàm os ponere in cœlum, Spiritum ſanctum, & Apoſtolos Chriſti imperfectionis, & fraudis arguere, ſi aut fidem imperfectam & inſufficientem ediderunt, aut aliquid neceſſarium ad ſalutem æternam omiſerunt? Quorum ego breuitatem & ſimplicitatem imitari malim, quàm eorum obſcuram diligentiam, qui vt nouos articulos populo Chriſtiano imponant, ſeipſos Apoſtolis Chriſti ſapientiores, pluraq; de fide ſalutiferâ nôſſe, quàm ſpiritus ſancti ſcribę & emanuenſes, aut docuerunt, aut collegerunt, aut ediderunt, venditent neceſſe eſt. *Vnus Dominus, vna Fides, vnum Baptiſma*: Sic *Paulus. Epheſ. 4. Cum ſecundum vnum Deum, et vnum Dominum, & vnum baptiſma, etiam fides vna ſit, excidimus ab eâ fide quæ ſola eſt, & dum plures ſiunt, ad id caperunt eſſe, nè vlla ſit.* Conſulat qui velit Concilia omnia generalia & approbata, inueniet hanc fidem ſic explicatam,

Hilar. ad Conſtant.

plicatam, ſic declaratam, ab omnibus vnanimi conſenſu admiſſam ſine additione, mutatione, alteratione, acceſsione, idq; ſub pœna anathematis, depoſitionis & ſimilium. Conſulat qui velit Catechiſmos Romanenſium ex decretis Concilij Tridentini editos: in illis hoc obſeruabit, fidem in ſymbolo Apoſtolico contineri: acſi fides & ſymbolum æquipollentia eſſent, acſi ſymbolum menſura eſſet fidei, quam omnes attingere neceſſe ſit. *Hoc ſymbolum illuſtris velut nota eſt, qua Chriſtiani ab impijs, qui vel nullam, vel non rectam Chriſti fidem profitentur, diſcernendi & internoſcendi ſunt.*

Caniſius c. 1. De Fide & Symbolo q. 5.

4. Non hic agitur de fide hiſtorica eorum, quæ generaliter per totam Scripturam ſacram ſparguntur; non hic agitur de faciendis, quæ in Decalogo legis & præceptis Euangelicis, de Sacramentis, alijſq; ab homine Chriſtiano perficiendis continentur: quę quia inter facienda numerantur, & diſcurſu luminéq; rationis naturalis, etiam ab Infidelibus & Ethnicis apprehendi poſſunt, inter credenda cenſeri nulla ratione poſſunt; in numero intelligendorum vel ſcitorum ſunt, non credendorum: Quod ſi doctrina hæc de Regum depoſitione inter articulos fidei reponatur, non ſolum lex Moſaïca, ſed etiam natura ipſa gratia eſt: (quod ab *Auguſtino* abundè refellitur: *Lib. de Correptione & gratia*: fides enim gratia eſt, natura non eſt:) & *animalis homo non percipit ea quæ ſunt Dei*, vti docet Apoſtolus, & infideles fidem habent, quod à ratione alieniſsimum eſt. Non hic agitur de ſperandis, quæ plerumq; in oratione Dominica petuntur. *Thomas* quæ it, & aſſerit *conuenienter in ſymbolo articulos fidei poni, Accedentem ad Deum oportet credere*: Heb. 11. *credere autem non poteſt aliquis, niſi ei veritas, quam credit proponatur: Et ideo neceſſarium fuit, fidei veritatem in vnum colligi, vt facilius poſſet omnibus proponi: nè aliquis per ignorantiam fidei à veritate deficeret: & ab huiuſmodi ſententiarum collectione nomen ſymboli eſt acceptum*: Fides ergò non eſt præceptorum vel Decalogi, ſed credendorum: & obedientia inter præcepta eſt: præcepta ad cognitionem & ſcientiam ſpectant, non ad fidem.

1. Cor. 2. 14.

Thom. 2. 2 quæſt. 1. art. 9.

5. Et horum articulorum fidei non eſt factum augmentum per ſucceſſionem temporum quoad ſubſtantiam, ſed quantum ad explicationem creuit numerus articulorum: *Art. 7. in Corp.* Quod etiam & commentatores in *Thomam* vnanimi conſenſu aſſerunt; vt *Bannes*; qui ſymbolum *ſummam fidei* appellat: *& ex Auguſt. ſerm. 115. de Temp. definit ſymbolum, comprehenſionem fidei noſtræ, & Serm. 119. Symbolum eſt breuiter cõplexa regula fidei, quæ mentem inſtruat, neq; memoriam oneret, paucis verbis dicatur, vndè multum acquiratur: Eſt itaq; ſymbolum iuxta ſententiam Auguſtini, ſumma articulorum fidei*: citat *Ambroſium*, qui ſymbolum *clauem fidei* vocat: Verba ſunt: *Arbitror Apoſtolicam fidem duodecim artificum operatione conflatam: duodecim enim Apoſtolorum ſymbolo fides ſancta concepta eſt, qui velut periti artifices in vnum conuenientes, clauem ſuo conſi-*

Bannes ibid. art. 9, in Comment.

Aml. roſ. Serm. 38 De Ieiunijs & Quad.

lio conflauerunt. Clauem enim quandam ipſum ſymbolum dixerim, per quod reſerantur Diaboli tenebræ, vt lux Chriſti adueniat; aperiuntur conſcientiæ clauſa peccata, vt inſtitiæ opera fulgeant manifeſta: Igitur hæc clauis oſtendenda eſt fratribus noſtris, vt & ipſi tanquam diſcipuli Petri inferna ſibi reſerare, cœlos aperire conſueſcant. Idem docet *Porrect*: ibidem: Idem etiam *Gregorius de Valentia*; & addit duas rationes à Sanctis Patribus ſeditas, cur oportuerit præcipuos articulos fidei in ſymbolo comprehendi, id eſt, *vt eſſet vbiq; fidei vniformitas apud omnes gentes*: id quod probat ex *Irenæo*: vbi loquens de fide in ſymbolo ab Apoſtolis expoſita, in hunc modum: *Hanc fidem Eccleſia in vniuerſum mundum diſſeminata, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans; & ſimiliter credit ijs quaſi vnam animam habens & vnum cor: & conſonanter hæc prædicat & docet, & tradit, quaſi vnum poſſidens os: Nam etſi in mundo diſſimiles loquelæ ſunt, tamen virtus traditionis vna & eadem eſt.* 2. *ex Auguſtino de Fide & Symbolo, c. 1. Vt quemadmodum ineipientibus atq; lactentibus, ijs qui in Chriſto renati ſunt, nondum Scripturarum diuinarum diligentiſsimâ tractatione atq; cognitione corroboratis, paucis verbis credendum conſtitueretur: proficientibus & ad diuinam doctrinam certa humilitatis & charitatis firmitate ſurgentibus, quod multis verbis exponendo eſſet perficiendum.* Citat etiam Cyrillum Hieroſolymitanum, in hæc verba: *Cum enim non omnes poſſint Scripturas legere, & alios quidem inſcitia, alios vero occupatio impediat à cognitione, in paucis verſibus vniuerſam fidei doctrinam comprehendimus. Poſt confeſſionem Trinitatis & vnitatem Eccleſiæ omne Chriſtiani dogmatis Sacramentum carnis reſurrectione comprehenditur*: Sic Hieronymus. Ruffinus ſymbolum appellat *Normam prædicationis, & indicium vel ſignum, quaſi teſſera eſſet verorum militum.* Maximus Taurinenſis ſymbolum quaſi alterum Shiboleth vel *ſignaculum facit: vt quos vna armorum facies confundebat, ſecretioris verbi diſtingueret Sacramentum.* Et infrà. *Myſterium ſymboli tradiderunt, vt quia ſub vno Chriſti nomine credentium erat futura diuerſitas, ſignaculum ſymboli inter fideles & perfidos ſecerneret, & alienus atq; hoſtis Eccleſiæ appareret, aut tanquam baptizatus neſciſſet, aut tanquam hoſtis corrupiſſet.* Quid pluribus opus? Vnum Papam *Leonem* ſuperaddo, in cuius judicio acquieſcere debent omnes Papicolæ. Eius verba ad Pulcheriam Auguſtam hæc ſunt. *Siquidem ipſa Catholici ſymboli breuis & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententijs, tam inſtructa ſit munitione cœleſti, vt omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari. Cuius ſymboli plenitudinem ſi Eutyches puro & ſimplici voluiſſet corde concipere, in nullo à decretis Sanctiſsimi Nicæni Concilij deuiaret, & hoc à Sanctis Patribus intelligeret conſtitutum, vt contra Apoſtolicam fidem, quæ non niſi vna eſt, nullum ſe ingenium, nullum eleuaret eloquium.* Ex his Patrum Pontificiorumq; authoritatibus, aliſq; multis quos breuitatis

Valent. Tom. 3. Diſp. 1. quæſt. 1. punct. 5.

Iren. lib. 1. c. 3.

Auguſtinus.

Catechеſ. 5.

Hieron. Epiſt. 61 cap. 9.

Ruffin. in Expoſit. Symboli.

In Homil. de Symbolo.

Leo Epiſt. 13.

cautâ omitto, confidenter concludo, omnia credenda ad ſalutem neceſſaria breuiter, ſummatim & perfectè, quoad materiam, in ſymbolo Apoſtolorum contineri.

6. Sed quæritur de declaratione ſiue explicatione: De additione enim conſtat; quòd ſicut ſanctis Scripturis nemini licet quicquam addere, ita nec Symbolo huic Apoſtolico, quod ſumma & epitome eſt Scripturarum, certa regula, comprehenſio, clauis, indicium, ſignum, teſſera & perfectio fidei, & norma prædicationis, quo deniq; & Chriſtianorum vnitas conſeruatur, & hæreticorum prauitas conuincitur & detruncatur, quicquam addendum vel apponendum eſt. Fides non creſcit temporum ſucceſſione quoad ſubſtantiam, ſed quantum ad explicationem & expreſſam profeſſionem creſcere poteſt. Quærit *Thomas* an articuli fidei ſucceſſione temporum creuerint. De tempore naturæ, legis, & gratiæ, quæſtionem inſtituit, & concludit ex *Gregorio*. *Secundum incrementum temporum, creuit ſcientia ſpiritualium Patrum, & quantò viciniores aduentui ſaluatoris fuerunt, tantò ſacramenta ſalutis plenius perceperunt.* Sed de tempore gratiæ, poſt datum Spiritum Sanctum, & ſymbolum editum & Scripturam conſignatam, non eſt quæſtio, an fides creſcat quoad materiam, vel numerum Articulorum, quia de nouo ſymbolo conferendo, aut nouis articulis cudendis nemo somniauit. *Hic eſt qui venturus eſt*, poſt quem venit nemo: Antichriſtus ſit, oportet, non Chriſtus, qui novum Euangelium promulgare velit. *Sed licet nos aut Angelus de cœlo Euangelizet vobis, præterquam quod Euangelizauimus vobis, Anathema ſit.* Sic Paulus, *Vas electionis, Magiſter gentium, Apoſtolorum tuba, terrarum præco, cœlorum conſcius. Quid eſt quod ait, ſed licet nos? Cur non potius; ſed licet ego? Hoc eſt, etiamſi* Petrus, (etiamſi Papa nec enim *Petro* maior) *Etiamſi* Andreas, *etiamſi* Ioannes, *etiamſi deniq; omnis Apoſtolorum chorus euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, Anathema ſit: Tremenda diſtrictio, propter adſerendam primæ fidei tenacitatem, nec ſibi, nec cæteris co-apoſtolis pepercisse: Parum eſt: etiamſi Angelus (inquit) de cœlo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus, anathema ſit. Non ſufficerat ad cuſtodiam traditæ ſemel fidei, humana conditionis commemoraſſe naturam, niſi Angelicam quoque excellentiam comprehendiſſet.* Et infra: *Non dixit; ſi quis vobis annunciauerit præterquam quod accepiſtis, benedictus ſit, laudetur, recipiatur, ſed Anathema ſit, inquit, id eſt ſeparatus, ſegregatus, excluſus, ne vnius ouis dirum contagium, innoxium gregem Chriſti, venenatâ permixtione contaminet.* At in fine ſeculi licebit forſan noua aliqua annunciare: Imò verò: *Annunciare aliquid Chriſtianis Catholicis, præter id quod acceperunt, nunquam licuit, nunquam licet, nunquam licebit: & anathematizare eos, qui annuncient aliquid præterquam quod ſemel acceptum eſt, nunquam non oportuit, nunquam non oportet, nunquam non oportebit.* Et multo poſt: *O Timothee, depoſitum cuſtodi: Exclamatio & præſcientiæ*

Thom. 2. 2 qu. 1. Art. 7.

Hom. 16. in Ezechiel.

Ioan. 1.

Galat. 1. 8.

Vincent. Lyrinenſi. aduerſus Hæreſes.

præſcientiæ & charitatis : Quis eſt Timotheus, *niſi vel vniuerſæ Eccleſiæ, vel ſpecialiter totum corpus præpoſitorum?* Adſunt fures, adeſt inimicus, dormientibus hominibus ſuperſeminaturus Zizania: *Et quid eſt depoſitum? Id eſt, quod tibi creditum eſt, non quod à te inuentum; quod accepiſti, non quod excogitâſti; res non ingenij, ſed doctrinæ, non vſurpationis priuatæ, ſed publicæ traditionis; res ad te perductæ, non à te prolatæ, in quâ non author eſſe debes, ſed cuſtos, non inſtitutor, ſed ſectator, non ducens, ſed ſequens. Depoſitum cuſtodi, id eſt, Catholicæ fidei talentum inuiolatum & illibatum conſerua. Quod tibi creditum eſt, hoc penes te maneat, hoc à te tradatur: Aurum accepiſti, aurum redde; nolo pro auro, aut impudenter plumbum, aut fraudulenter æramenta ſupponas; nolo auri ſpeciem ſed naturam planè.* Et inſtà, *Intelligatur, te exponente, illuſtrius, quod anteà obſcurius credebatur: per te poſteritas intellectum gratuletur, quod anteà vetuſtas nõ intellectum venerabatur. Eadem tamen quæ didiciſti ita doce, vt cum dicas noue, non dicas noua. An ergò profectus nullus? Profectus eſt fidei, ſed non permutatio: Siquidem ad profectum pertinet, vt in ſemetipſo vnaquæq; res amplificetur; ad perturbationem verò, vt aliquid ex alio in aliud tranſuertatur. Creſcit ergo intelligentia, ſcientia, ſapientia, ſed in ſuo duntaxat genere, in eodem ſcilicet dogmate, eodem ſenſu, eâdemq; ſententiâ.* Similitudine illuſtrat hoc ipſum *Vincentius. Parua lactentium membra, magna iuuenum, eadem ipſa tamen. Quot parvulorum artus, tot virorum: nihil novum in ſenibus, quod non in pueris iam anteà latitauerat. Ita Chriſtianæ religionis dogma ſequatur has decet profectuum leges, vt annis ſcilicet conſolidetur, dilatetur tempore, ſublimetur ætate, incorruptum tamen illibatumq; permaneat, & vniuerſis partium ſuarum menſuris, cunctiſq; quaſi membris & ſenſibus propriis plenum ac perfectum ſit: quod nihil præterea permutationis admittat, nulla proprietatis diſpendia, nullam ſuſtineat definitionis varietatem.* In hâc cauſâ concluſio eiuſdem hæc ſit: *Quodcunq; igitur in hâc Eccleſiâ, Dei agriculturâ, fide Patrum ſatum eſt, hoc idem filiorum induſtriâ, decet excolatur & obſeruetur, hoc idem floreat & matureſcat, hoc idem proficiat & perficiatur. Fas eſt etenim, vt priſca illa cœleſtis Philoſophiæ dogmata, proceſſu temporis excurrentur, limentur, poliantur; ſed nefas eſt, vt commutentur, nefas vt detruncentur, vt mutilentur. Accipiant licet euidentiam, lucem, diſtinctionem, ſed retineant neceſſe eſt plenitudinem, integritatem, proprietatem.*

Longior fui in his *Vincentij* verbis deſcribendis, quià quotidiè in alijs 7.
controuerſijs, in quibus antiquitatis aliqua ſaltem vmbra apparet, cùm magno clamore vrgentur, noſque nouitatis & defectionis ab antiquâ fide accuſamur: in hac de quâ iam agimus controuerſiâ, in capita veſtra retorquentur; vos iam nouatores antiquæ & primæuæ fidei limites exceſſiſtis, qui corporis Chriſti ſymmetriam elegantiſſimam, capitis ſuperflui additione deformâſtis. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, tanquam aciei optimè & diuinitus ordinatę, gibbum deformem, hoc eſt plenitudinem poteſtatis

etiam in temporalibus, addidiſtis, in quo anima Eccleſiæ, Spiritus Sanctus malè habitat. Qui plura in hoc argumentum requirit conſulat *Porrectam*: 2.2.q.1.*art.*9. vbi notat: *Aliud eſt addere, aliud declarare*: & quod verbum illud in Symbolo Nicæno (Filioq;) de proceſſione Spiritus Sancti, ſicut diſputatum eſt in Concilio Florentino: non additio, ſed explicatio eſt & declaratio ſymboli Apoſtolici, ſiuè ipſius ſymboli Apoſtolici explicata intentio.

Porrecta.

2. Exemplis res iſta abundè illuſtrabitur. In ſymbolo Nicæno ὁμοούσιον ſiue nomen conſubſtantialitatis novum eſt, res non noua. In ſymbolo Apoſtolico Deus dicitur & Pater, & Creator; Pater quoad ſubſtantiam, Creator quoad opificium; nec enim in tã breui ſymbolo credibile eſt verbum vllum otioſum aut ſuperfluum, aut illuſtrationis tantum gratiâ additum: ſic Chriſtus dicitur Filius Dei: Ergo, vt Deus eſt Pater quoad ſubſtantiam, ſic Chriſtus filius eſt quoad eſſentiam: Declaratio iſta eſt & explicatio contrà Arium, non additio, non innouatio. In ſymbolo Conſtantinopolitano, Deitas Spiritus ſancti nec re nec nomine noua eſt, nomen in Scripturis expreſſè habetur: *Mentiti eſtis non hominibus ſed Deo.* Res in ſymbolo Apoſtolico habetur; Credo in Spiritum Sanctum: Non eſt credendum in creaturam, ſed in Creatorem Deum: ideò vt obſeruant Patres, in ſymbolo, phraſis mutatur: Credo ſanctam Eccleſiam Catholicam, non in Eccleſiam, quià Eccleſia creata eſt. Declaratio hæc eſt, non additio, non innouatio, contrà Macedonium. In Concilio Epheſino contrà Neſtorium vnus eſt Chriſtus non duæ perſonæ, non duo Chriſti, vnus Filius Dei, alter filius hominis. In ſymbolo Apoſtolico. Credo in Chriſtum, non in Chriſtos, declaratio eſt & explicatio, non additio. In Concilio Chalcedonenſi contrà Eutychetem: vera eſt Diuinitas, vera humanitas Chriſti, factus eſt homo, non deſijt eſſe Deus; vtraq; natura ſuas habet proprietates; non eſt conſumpta humanitas, non aſſumpta Diuinitas, non tertia natura ex vtriſq; conflata, quæ nec ſit Deus nec homo. In ſymbolo Apoſtolorum, patitur & moritur Chriſtus, vt verus homo, reſurgit & reſuſcitat ſeipſum, vt verus Deus: proprietates vtriuſq; naturæ integræ & inconfuſæ remanent; non eſt additio ſed explicatio & declaratio. In his lux, euidentia, diſtinctio addita; manet plenitudo, integritas, proprietas fidei Apoſtolicæ. Adecq; obſeruari poteſt hoc idem in omnibus hæreſibus capitalibus, peccant omnes in vnum aut alterum articulũ fidei Apoſtolicę. *Omnis ſpiritus ſoluens Ieſum non eſt ex Deo*: omnis hæreſis in fide eſt contra ſymbolum. Quare, vt loquitur Lodouicus Carbo: *Præcepto tũ diuino, tũ humano omnes ſunt obligati ad cognoſcẽdos et creaẽdos explicitè ſymboli articulos; intelligo ſemper ſymbolũ Apoſtolicũ; nam alia ſymbola continent explicatiorem Doctrinã, ad quã explicitè credendam inferiores nõ ſunt obligati. Negligentia magna Parochi in docẽdo ad ſalutem neceſſaria; nempè ſymbolum, Decalogũ, & Pater noſter, mortalis eſt; ſic Emmanuel Sa.*

Act.5.4.

1.Ioan.4.3.

In ſumma caſuum Conſcient. Tom.3.l.1 c.17.

In Aphoriſmis verbo Parochus.

Ex

Ex prædictis duo luce clariora ſunt. 1. Symbolum Apoſtolicum declaratum & explicatum per alia Symbola Conciliorũ & Patrum, continet omnem fidem ad ſalutem neceſſariam. 2. Fides hæc ſymboli recipit declarationem, explicationem, lucem, euidentiam, diſtinctionem; non admittit additionem, alterationem, augmentum; ſed in plenitudine, integritate & proprietate ſuâ permanet. Tertium ſuperaddo: Primatus Papæ in temporalibus non eſt in litera quoad materiam, nec in antiquâ & Catholicâ declaratione ſymboli, quoad formam: Ergo Primatus Papæ in temporalibus non eſt de fide.

Benè erat cum antiquis Chriſtianis de quibus ſic Auguſtinus: *Surgunt indocti & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ſine corde, ecce vbi volutamur in carne & ſanguine.* Rationem addit Hilarius. *Periculoſum nobis admodum & miſerabile eſt, tot nunc fides exiſtere quot voluntates, & tot nobis doctrinas eſſe quot mores, & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt, dum aut ita fides ſcribuntur vt volumus, aut ita vt volumus intelliguntur.* Et ſupra. *Qui poſtquam noua potius cœpit condere, quàm accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit; & facta eſt fides temporum potiùs quàm Euangeliorum.* Proculdubio Primatus Papæ in temporalibus fides eſt temporis, non Euangelij. Doctrina eſt non Petri, ſed Hildebrandi. Tot noui articuli inuenti additiq; ſunt, vt, licèt olim vbi magna fides, intelligentia modica erat, *vbi fides locuples, intellectus pauper.* Iam magnæ ſcientiæ magnique ingenij eſt eſſe Chriſtianum, dum vnuſquiſq; concluſiones ſuas, tanquam principia fidei omnibus credenda de neceſſitate ſalutis obtrudit. *Subeſſe Romano Pontifici, omni humanæ creaturæ eſſe de neceſſitate ſalutis, dicimus, definimus,* &c. Sic Bonifacius octauus. In quo articulo hæc neceſſaria ſubiectio exprimitur. Videamus verba, audiamus declarationem Catholicam. Ipſe dixit, hoc ſatis eſt; *Spiritualis iudicat omnia, à nemine iudicatur.* Verum Catholicum definit Vincentius, *Qui in fide fixus & ſtabilis permanens, quicquid vniuerſaliter antiquitas Eccleſiam Catholicam tenuiſſe cognouerit, id ſolum ſibi tenendum credendumq; decernit. Quicquid verò ab aliquo deinceps vno præter omnes, vel contrà omnes ſanctos nouum & inauditum ſubinduci ſenſerit, id non ad religionem, ſed ad tentationem potiùs intelligat pertinere.* Vnus præter omnes; Annon talis Bonifacius octauus? Certa generalis & regularis via quâ Catholicæ fidei veritas ab hæreticæ prauitatis falſitate diſcernitur & munitur duplex eſt; prior diuinæ legis authoritas, poſterior Eccleſiæ Catholicæ traditio, Scriptura & ſenſus Scripturæ; quià *Scriptura non in legendo ſed in intelligendo; Sonus & ſenſus*, vt Fulgentius. Non ergo ſufficit Scriptura ſine ſenſu, nec ſenſus ſine Scriptura; nec ſonus ſine ſenſu, nec ſenſus ſine ſono. Scriptura ſine ſenſu litera eſt & cortex ſine fructu, ſenſus ſine Scripturâ, ædificium eſt ſine fundamento, riuulus ſine fonte.

Confeſſ. lib. 8. c. 8.

Ad Conſtantium.

Bernard. ſer. 23. in Cant.

Extra de Maiorit. & obedient. C. Vnam Sanct.

1. Cor. 2. 15.

Vincentius Lirinenſis.

Hilarius ad Conſtantium.

In Reſpon. ad obiect. Arian. ad 4.

Et

10. Et quid est Catholicum? Quod vbiq; quod semper, quod ab omnibus creditum est; vbique quoad loca, semper quoad tempora, ab omnibus quoad personas. In hoc Catholico inquirendo tres se offerunt duces & comites. 1. Vniuersalitas, qua fidem illam vnam, veram fatemur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia: An tota per orbem terrarum Ecclesia agnoscit Primatum Papæ in temporalibus? 2. Antiquitas, qua ab illis sensibus nullatenus recedimus, quos sanctos maiores ac Patres nostros celebrásse manifestum est: An Patres ex Scripturis hunc Primatum Papæ in temporalibus eliciunt? 3. Consensio qua in ipsa vetustate omnium vel certè penè omnium Sacerdotum pariter & Magistrorum definitiones, sententiasque sectamur. An primatus Papæ ex consensu Patrum? cum nullus Patrum per 600. annos, antè *Gregorium* primum, nec deinceps nullus antè *Gregorium septimum titionem inferni*, qui ignem, non charitatis & pietatis, quem Christus, sed perduellionis & desolationis, quem Diabolus, misit in terram, per mille annos de tali Monarchia aut potestate verbum fecerit. Consulantur antiqui Patres, *Cyrillus Hierosolymitanus, Chrysostomus, Ruffinus, Augustinus, Emissenus, Chrysologus, Maximus, Fortunatus*: quos omnes citat *Canisius*, in expositionibus eius in symbolum. Et dicant Romanenses, an in articulis, Ecclesiæ Catholicæ & communionis sanctorum (in quibus, si vllibi declarandus & explicandus est Primatus iste, ista potestas deponendi Reges) in symbolo alijs verbis inter credenda reperiatur?

1
2
3

11 *Pasce oues; Quicquid ligaueris: Tibi dabo claues.*

Imò consulantur Patres ante *Gregorium* septimum, an in interpretatione illarum scripturarum, quas tantopere iam vrgent aduersarij inueniatur potestas deponendi Reges aut relaxandi iuramentum fidelitatis. Num Patres in Concilio Nicæno ex suo cerebro, Arium hæreticos conuincunt? An Scripturas iuxta sensum suum detorquent? An Patrum authoritate destituuntur? Imò verò, si in vllo malè audiat ab Arianis grauissimum illud Concilium, in hoc malè audit, quod consubstantialitatem ex Patrum decretis stabiliuit. *Vnam diuinitatem, & eandem eius essentiam credimus & confitemur, secundum sanctam illam iam olim à Domino per Sanctos eius Apostolos, & antiquos Sanctos Patres nostros (qui illam Apostolicam fidem illibatam conseruárunt) nobis ab initio traditam fidei veram dogmatum integritatem, parati ex sancti Spiritus arbitrio per plurima diuinarum scripturarum testimonia demonstrare hæc ita se habere.* Sic *Gelasius*. Nonne *Athanasius* Theognostum *Dionysium Alexandrinum* consubstantialitatis assertorem citat *in Epistola ad* Dionysium *Romanum*? nec non ipsum *Dionysium Romanum, Origenem*, alioſque multos? Ecce nos demonstramus istiusmodi sententiam à Patribus ad Patres quasi per manus traditam. *Quid Patres Constantinopolitani*? Annon ij Scripturas & sensum Catholicum ex Patribus pro Deitate Spiritus Sancti vrgent? Sic incipit Canon primus. Non spernendam esse fidem Patrum 318. qui in

Gelasius Cyzicenus. In actis Conc. Niceni. p. 2.

Concilio

Concilio Nicæno Bithyniæ conuenerunt, ſed manere eam ratam oportet. *Quid Epheſini Patres?* Decem numero, *Petrus, Athanaſius, Theophilus, Alexandrini; Gregorius Nazianzenus*, ſanctus *Baſilius, Gregorius Nyſſenus; Fœlix & Iulius*, Romani; *Cyprianus*, Carthaginenſis, *Ambroſius* Mediolanenſis; præter *Cyrillum* tunc præſentem? *Iſti ſunt omnes apud Epheſum ſacrato Decalogi numero magiſtri, conſiliarij, teſtes, indiceſq; producti. Quorum beata illa Synodus doctrinam tenens, conſilium ſequens, credens teſtimonio, obediens indicio, abſq; tædio, præſumptione & gratiâ de fidei regulis pronuncianit*: Sic *Vincentius*. *In Concilio Chalcedonenſi*, vrget Pontifex pro Primatu ſuo merè ſpirituali, Canonem Concilij Nicæni fucatum, in Archiuis Græcorum nondum inuentum: nullam Scripturam, nè iota vnum tunc vrgent; nondum nati erant qui ex verbis Chriſti, *Tu es Petrus, Tibi dabo claues*; *Quodcunq; ligaueris*; *Paſce oues*, Monarchiam & Primatum in temporalibus, poteſtatem deponendi Reges, diſponendi Regna, & facilimè & conſtantiſſimè fabricant. Quod canunt pueri, hoc ſonant campanæ: quod ſomniant poſteri, hoc ſignant literæ ſacræ. Verùm *optimus lector eſt, qui dictorum intelligentiam expectet ex dictis, potiùs quàm imponat; & retulerit magis quam attulerit; neque cogat id videri dictis contineri, quod antè lectionem præſumpſerit intelligendum*: vt *Hilarius*. Cæterùm eſto. Catholicum eſt quod ſemper, quod vbique, quod ab omnibus magiſtris probabilibus, vno conſenſu, apertè, frequenter, perſeueranter creditum eſt, quodque ſic tenuerunt, ſcripſerunt, docuerunt, id abſque vlla dubitatione credendum eſt. An de Primatu iſto Patres, Magiſtri probabiles, per 600. annos, vno conſenſu apertè, frequenter, perſeueranter, ſic tenuerunt, ſcripſerunt, docuerunt? Quin proferis teſtimonia? Quis ſilentium vobis impoſuit? Reſpondete verò: Aut Patres hanc doctrinam de poteſtate Petri in temporalibus ignorabant, & tunc præcipuum articulum fidei ignorabant, neceſſariam ad ſalutem, iuxta *Bonifacium* octavum, & tunc in ſtatu damnationis ſunt: aut æquiuocabant & reticebant, donec vires ſuppeterent, & tunc licet æquiuocare in articulo fidei. Vtrum horum mauultis accipite; nequaquam enim admittendum eſt vt omnes Patres aut ignorantię ſupinę, aut æquiuocationis abſurdiſſimę in articulo fidei rei peragantur. Sed pergo.

Concilium Conſtantinop. primum.

Vincentius.

De Trinit. lib. 2.

Imperium & obedientia ſunt inter facienda; ſub præcepto de parentibus honorandis: ergo & ſuppoſititium illud Decretum Concilij Lateranenſis, inter Decreta reformationis, non inter articulos fidei habetur, & magis nititur rationibus naturalibus, & politicis, à gruibus, & apibus deductis, quam rationibus ſupernaturalibus ab authoritate diuina deriuatis. Ergo non ſunt inter articulos fidei. Non ergo Philopater ſed Miſopater potiùs eſt, qui adeò confidenter affirmat; *Certum eſt & de fide*. Non ſic *Vniuerſa Theologorum & Iuriſconſultorum ſchola infert: non eſt certa definita & indubitata, ſententiæ Apoſtolicæ conformis*. Rectius Trithemius:

12.

Pag. 109.

Scholaſtici

In Chron. Hirſaug. ad Annum 1106.

Scholaſtici certant, & adhuc ſub indice lis eſt, vtrum Papa Imperatorem poſſit deponere; quam, cum ad nos non pertineat, indiſcuſſam relinquamus. Et tamen diu vixit *Trithemius* poſt Concilium Lateranenſe, in quo Decretum hoc editum cenſetur. Nauarrus de hac opinione dicit; *Neq; ſacris literis continetur, neq; ab Eccleſiâ determinata eſt.* Et inter alias hanc rationem aſſignat. Quia Pariſienſis ſchola nullatenus eſſet paſſa, vt ſui Doctores hanc partem libellis editis defenderent, ſi putaſſet illâ hæreticâ, quod tamen non ſolum paſſa eſt & patitur quotidiè, ſed etiam videtur eam comprobare. Quem citat ſequiturq; diſcipulus eius Couarruuias. *Hactenùs nihil certum in hac controuerſiâ Eccleſia Catholica definiuit, propterea q; diſputationi locus eſt, abſq; vllâ hæreſeos ſuſpicione.* Quo etiam in loco, *Gloſſam, Antonium à Roſellis; Cardinalem: Baldum; Albericum; Iacobum Almayn & Ioannem Maiorem* producit, *qui aduerſus communem tenuerunt indiſtinctè.* Priuatio Apoſtatarum à fide (vt Valentia & Peſantius qui ibidem citat Arragon: Ioan. de Pariſ. & Driedo.) *Non eſt de iure diuino, ſed eccleſiaſtico per ſummi Pontificis (ex quo id ius manat) authoritatem & ſententiam*: ergo de fide eſſe non poteſt. His ſuperaddo *Alanum Cardinalem*, noſtratem, qui *in Reſponſione ad inſtitiam Britannicam*, multò modeſtius ſic habet: *Eſt quidem planè Theologica (quæſtio) & cum religione arctiſſimè cohærens: de quâ, etſi forſan non definitè pro noſtrâ parte pronuntiatum ſit, poſſe tamen & ſolere Theologicis argumentis in vtramq; partem diſputari, ipſi quidem aduerſarij, ſi quicquam ſciunt, ignorare non poſſunt; ſpectat enim ad Romani Pontificis Primatum & authoritatem Apoſtolicam*: & pag. 88. *Ea opinio quæ in alijs omnibus Regnis eſt ſaltem tolerabilis & probabilis, cur in ſolo Angliæ Regno eſt mortifera & capitalis?* Mitto *Apologiam pro Nauarreno, Barclaium, Widdringtonum veſtros*, nuperos, qui eo nomine apud vos malè audiunt, quia tibi in hâc causâ negotium faceſſunt. Omnes iſti, aut ſaltem plurimi non ignorârunt *Decretum Lateranenſe*, nec tamen determinationem Eccleſiæ, aut articulum fidei agnoſcunt: Quibus ſi addantur qui contrariam ſententiam tuentur, quos in cap. 8. citabimus, perſpicuum erit non eſſe certam vel communem inter Doctores ſententiam, poſſe Papam Reges deponere: Neq; adhuc eſt determinatum per Concilium, quòd omnes determinationes Conciliorum ſunt de fide: nec poſſunt omnes Chriſtiani per determinationem ſuam efficere, vt aliquid ſit de fide formaliter, quod non eſt de fide materialiter & ex naturâ ſuâ. Pacianus dicit: *Chriſtianus mihi nomen eſt; Catholicus cognomen.* Catholicum non eſt cognomen huius dogmatis, nomen non eſt Chriſtianum. Verùm vt hoc probetur Catholicum, authoritates producit Bellarminus quinque nationum.

Tom. 1. Relect. c. peccatum: de regulis iuris in 6. p. 2. §. 9. num. 7.

In 2. 2. q. 12. Diſp. 1. punct. 2.

2. 2. q. 10. art. 10 diſt. 1. notand. 2.

Cap. 21. Lib. 2. de libert. Chriſtian.

In Epiſt. ad Symproniannm.

CAP.

CAP. II.

Examinantur Scriptores Illustres Nationis Italicæ.

1. *Inter autores Gregorius septimus, merito primus quia primus docuit & fecit.* 2. *Dogma novum: quia constat de Autore & tempore.* 3. *Collatio testium Bellarminianorum cum patribus ab Augustino citatis.* 4. *Partes sunt.* 5. *Post nati sunt.* 6. *Sine ratione loquuntur.* 7. *Impius in Reges Gregorius septimus, qui à Diabolo institutos docet.* 8. *De sententia Thomæ, & aliorum Italicorum.*

INter Authores & Patronos huius Articuli de Primatu Papæ in Regibus deponendis, primus citatur *Gregorius* septimus. Dignum tali patellâ opereulum: meritò primus, quià ambitiosus est ille villę Dominus in Euangelio, qui emit villam, dedit animam, (& mundus villa, ciuitas cœlum:) qui accipit potentiam, perdit animam: qui aut primus esse vult aut nullus: magis dolet cùm Hamane quod vnus *Mardochæus* genua non flectit, quam gaudet, quod tota aula, Satrapam admiratur: plus dolet quod vnus ei præfertur, quàm gaudet, quod omnes ei subsunt: nec *Cæsar* superiorē, nec *Pompeius* parem. Dignus proculdubio author qui in frontispicio libri conspiciatur. Dignus author tali dogmate, dignum dogma tali authore; quod iura diuina conuellat, iura naturæ conculcet; si vel inimicissimi optionem fecissent nollent alium. Et vt *Cicero de Clodio*; Malo esse in eorū numero qui ab illo vituperātur; & Tertullianus de Nerone: *Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur; qui enim illum scit, intelligere potest non nisi aliquod bonum grande ab illo damnatum.* 1. *Esther. cap. 3.* *Apologet. cap. 5.*

Verùm audiamus *Bellarminum ipsum; In omni insigni mutatione religionis semper ista sex demonstrari possunt.* 1. *Author eius.* 2. *Dogma aliquod novum.* 3. *Tempus quo cœpit.* 4. *Locus vbi cœpit.* 5. *Quis oppugnauerit.* 6. *Exiguus aliquis cœtus, vnde paulatim aliis accedentibus cœperit.* Hæc vera in verâ religione, nec non in hæresi probat exemplis: nos itidem eadem omnia in hâc causâ reperimus. *Author* depositionis Regum, *Gregorius* septimus: vt Arianorum Arius. *Dogma*, potestas temporalis Papę in deponendis Regibus; vt Christum esse Creaturam docuit Arius, *Tempus*; prima depositio facta est anno Domini 1076. vt hæresis Arianorum anno Domini 324. *Locus*, Babylon, Roma Christiana, non tantum Ethnica: vt in Aegypto cœpit Arianismus. *Oppugnatum est* hoc dogma per *Walthramum*: per *Leodienses*, per *Vercellensem*, per *Sigebertum*, per mul- 2. *De Notis Ecclesiæ cap. 4.*

ta

ta Concilio ab *Henrico* quo[illegible] conuocata: vt Ariana hæresis per Synodum Nicænam per Patres. *Exigua fuerunt initia* huius Schismatis: vnus Henricus, Gregorio & pluribus successoribus eius, & tribus rebellibus periuris vassallis restitit: vt & Ariani numero pauci, posteà orbem ipsum repleuerunt; adeoq; *mundus ipse ingemuit, miratus se factum Arianum*: sic hæc omnia in ipsum Authorem retorquentur: Constat enim de Authore, de Dogmate, de Tempore, de Loco, de oppugnantibus, de incrementis huius Monarchiæ, siue potestatis temporalis.

Hieronym.

Iam videamus quales testes producat Bellar. quos in cap. de Scriptoribus Anglicis cum decem illis Episcopis cõfert, *Irenæo, Cypriane, Rhetitio, Olympio, Hilario, Gregorio, Basilio, Ioanne, Ambrosio, Innocentio, & vno Presbytero Hieronymo*; Luminibus Ecclesiæ, orbisq; Christiani; quorum meminit Augustinus contrà Iulianum Pelagianum. Fuerunt *isti Episcopi, docti, graues, sancti, veritatis acerrimi defensores. Talibus post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus creuit. Sancti fuerunt, in sacris literis eruditi, in Ecclesiæ regimine clari. Si Episcopalis Synodus ex toto orbe congregaretur, mirum, si tales possint illinc facile sedere tot: te ante istos in corde tuo constituito*: Sic Augustinus Iuliano. Egregia proculdubio laus, cui nullatenùs inuidemus, nihil enim quicquam tam magnificè de his dici potest, quin ipsorum virtus hoc ipsum superet. Superaddimus etiam: Columnæ sunt & fundamenta Ecclesiæ, quorum opera creuit omnis pietas, eruditio, deuotio; quorum vita in gloriâ, quorum memoria in benedictione: in vitâ, peregrinatione suâ, hæreses & Dæmones sub pedibus calcârunt, in patriâ fulgent, vt stellæ in gloriâ. Si loco eorum 70. quos recitat hic Bellarminus, vel hos vndecim allegâsset, qui omnes pariter vno eodemque consensu, ex Scriptura & traditione Ecclesiasticâ, id est, sensu Scripturæ, aperte, frequenter, perseueranter, potestatem hanc temporalem deponendorum Regum in Papâ tenuissent, docuissent, Scriptis commendassent, facilè colla sua & coronas Papæ subiecissent, Reges Christiani.

Lib. 2. cap. vlt.

3.

Verum quid his 70. cum illis 11. quos memorat *Augustinus*? 1. Partes sunt, non testes. Hîc verò quæro fidem Bellarmini: quorsum subticet multa quæ in hoc loco Augustini; fidem testium Bellarminianorum prosus euacuant. *Te ante istos in corde tuo constituito, quos non amicos meos & inimicos tuos aliquà in meam partem protendentes*: & infra: *quando in eos nemo potest dicere perperam cuiquam vel aduersari, vel fauere potuisse. Omnes Iudices ab odio, amicitiâ, inimicitiâ vacuos esse decet: nullas nobiscum vel vobiscum amicitias attenderunt, vel inimicitias exercuerunt: nec nobis nec vobis irati sunt, nec nos nec vos miserati sunt.* Regula iuris est, *Nullus idoneus*

4.

testis

teſtis in re ſuâ intelligitur ; & *Idonei non videntur eſſe teſtes quibus imperari poteſt vt teſtes ſiant*. An vllus eſt in hoc Catalogo teſtium tuorum, qui non fuerit à partibus Pontificis, amicus Sacerdotis ſummi; inimicus Cæſaris, vni fauens, alterum odio habens? qui Papatum ſuper Imperatores, Cæſares, Reges non euehere conatur, vt ipſe vnà cum Papâ attollatur; *vt Hortenſius eloquentiam in cœlum laudibus extulit, vt ipſe cum eâ ſimul aſcenderet*; & *Leo Petrum laudibus vſque ad aſtra extulit, vt cum eo aſcendente, ipſe pariter Petri hæres aſcenderet* : vti IACOBVS *Rex* doctiſſimus: Papam euehunt ſuprà Imperatores & Reges, vt ipſi liberi & immunes à legibus Regum & Imperatorum, liberè, imò licenter, quicquid libitum eſſet perpetrarent. Nonnè *Petrus de Palude* contrà *Ioannem de Pariſijs*, *Bertrandus* contra *Petrum de Cugnerijs*, *Alnarus Pelagius* contra *Occhamum* ; *Albertus Pighius* contra *Marſilium Patauinum* ex profeſſo, tanquam aduocati, imò beneficiarij & mancipia Papæ, adulatores & canes qui tribunal Papę lambunt, ex profeſſo ſcribunt?

ff. de Teſtibus l. Nullus, & l. Idonei.

In Apologia.

Gloſſatores iuris hoc dominium dederunt Papæ, cùm ipſi eſſent pauperes rebus & doctrinâ : Sic Victoria de poteſtate directâ. *Decretaliſtæ theologiæ & Philoſophiæ cuiuſlibet inſcij & inexpertes, ſuis decretalibus &c. imperio detrahunt*. Dantes Aligherius, *De Monarchia lib.* 3. Vndè etiam Pius quintus, Nauarro ipſi. I. C°. dixerit. *Iuriſconſultos ſolitos eſſe plus ſatis poteſtatis tribuere Papæ*, vt ipſe teſtatur in Com. Can. Non liceat Papa. 12. *quæſt.* 2. Et Ioannes de Turre cremata. In can. Coniunctiones. 35. *quæſt.* 2. *Mirum eſt quod Pontifices loquantur moderatè de poteſtate ijs data, & quidam Doctorculi ſine aliquo vero fundamento, vt volunt adulando eos quaſi æquiparare Deo*. Iacobus verò Almayn ex Occhamo ſic infert. *Tanta eſt inter Doctores controuerſia de plenitudine Eccleſiaſticæ poteſtatis, & ad quæ ſe extendat, vt pauca ſint in iſtâ materiâ ſecura, ita vt his temporibus, vt dicit Gulielmus Occham, circà finem Primæ Partis Dialogi ; ſummè neceſſarium foret, quod per ſapientes iuramentis, & horribilibus comminationibus, ad veritatem dicendam arctatos decluarentur, quæ ad plenitudinem poteſtatis Eccleſiaſticæ ſpectant*. Nonnè omnes qui partes ſunt, qui inimicitias exercent, qui fautores & adulatores vnius partis exiſtunt, qui in aciem & pugnam tanquam conductitij milites prodeunt, & criminis & muneris ſiue prædæ participes, teſtes inidonei dicendi ſunt?

5.

Releſt. 1. *de poteſtat. Eccleſ. Seſt. 6. num. 5. in fine.*

Almayn. de Auctoritat. Eccleſ. cap. 3. *in principio.*

2. Poſthumi ſunt & poſtnati, ex poſt facto teſtimonium perhibent. Proueniunt oratores noui, adoleſcentuli, omitto reliqua. *Nondum extiteratis, contra quos ſuſciperemus de hâc quæſtione conflictum. Nondum vobiſcum apud iſtos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta*

6.

Auguſtinus,

eſt

eſt cauſa noſtra : nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos ſententias recitamus ; nondum vobiſcum certabamus, & ijs pronunciantibus vicimus : Non poſui eius ſententiam Hieronymi, quam tempore inimicitiarum contra veſtrum tenuit & defendit errorem, ſed quam poſuit in ſcriptis ſuis, liber ab omni partium ſtudio, antequam veſtra damnabilia dogmata pullularent. Hæc Auguſtinus : in hâc cauſâ nos tales teſtes expectabamus, vos eos ſolos producitis, qui poſt controverſiam, & argumentis, & gladijs, & Anathematibus diu ventilatam, ferè per 100. annos, ſententias dixerunt : ſi antè ortam hanc quæſtionem, cùm res eſſet integra, teſtimonia ſua protuliſſent, alicuius eſſent fortè momenti ; ſi ratione & authoritate ſacrarum Scripturarum, & Eccleſiaſticâ traditione,

Hilar. de Trinit. l. 6. ante medi. id eſt, antiquitate, vniverſalitate, conſenſione muniti prodirent. *Ignoſce omnipotens Deus ; quia in his nec emendari poſſum, & commori poſſum. Tardè mihi hos impiſſimos* (quantum ego arbitror; Bellarm. legit pijſſimos, quâ fronte ipſe viderit) *ætas nunc huius ſæculi protulit, ſerò hos habuit fides mea, quam tu erudiſti, magiſtros : inauditis ego omnibus his, in te* (ita) *credidi ; per te ita renatus ſum, & ex-inde tuus factus ſum. Quiſquis aſſertor es novorum dogmatum, quæſo te vt parcas Romanis auribus, parcas fidei, quæ Apoſtolico ore laudata eſt. Cur poſt quadringentos annos* (poſt mille centum) *docere nos niteris, quod ante neſcivimus ? Cur profers in medium quod Petrus & Paulus edere noluerunt ?* (Quare hæc vltima verba omiſiſti *Bellarm.* an te conſodiunt ?) *vſq; ad hunc diem ſine iſtâ doctrinâ mundus Chriſtianus fuit ; Illam ſenex tenebo fidem in qua puèr natus ſum.*

De notis Eccleſ. l. 4. c. 5.

Hieron. ad Pammach. Epiſt. 65.

Idem contra Luciferian. in fine. *Ex hoc ipſo quod poſteà inſtituti ſunt* (non poſterius, vt Bellarm.) *eos ſe eſſe indicant quos futuros Apoſtolus pronunciavit.*

7. 3. Sine ratione loquuntur : à facto ad jus arguunt : *Zacharias* depoſuit *Childericum* ; *Gregorius* depoſuit *Henricum* ; ergo, Papa poteſt deponere Imperatorem.

Non ſola nomina ad diſcuſſionem talium rerum, ſed eligenda eſt prudentia, & honoranda eſt paucitas quam ratio, eruditio, libertaſq; ſublimat.

Cont. Iulianum Pelagian. l. 2. Patres iſti (quos citat Auguſtinus) *non Platonicis, & Ariſtotelicis, & Zenonicis, aliiſq; huiuſmodi, vel Græcis, vel Latinis, (quanquam & iſtis aliquos eorum) verum omnes ſacris literis eruditi : in ijs non ipſos, ſed illum qui ſibi eos vaſa vtilia formavit, & ſancta templa conſtruxit* : Sic de ſuis judicibus Auguſtinus. Quid teſtes tui ? An in hâc controverſiâ ſacrarum literarum eruditionem, aut authoritatem vrgent ? Si dixiſſet ſacris Canonibus eruditi : actum eſſet de nobis : multi ex ijs vix Biblia viderunt, parum certè diligentes in ijs fuerunt ; ſunt in hoc numero pluſquam triginta Iuriſtæ. Dicit Philoſophus, ſed contra eſt quod Philoſophus, quod ratio naturalis ; Quod *Cap. alius* ; *Cap. Soluta, &c.* rarò invenitur,

venitur, dicit Christus, aut dicit Apostolus. De judicibus suis August. dicit; *Oppugnas fidem Catholicam* (An Catholica dicenda, *quam nemo docuit* per mille annos?) *quam in lacte suxerunt, quam in cibo sumpserunt, cuius lac & cibum parvis magnisq; ministrârunt; quam contra inimicos etiam vos tunc nondum natos, unde nunc revelamini, apertissimè & fortissimè defenderunt.*

Tantum verò abest, vt ipsi hoc dogma vnâ cum lacte suxerint, cum cibo sumpserint, aut ab alijs antiquioribus didicerint, vt potius ab ipsis inventum, non concreditum, non acceperint, sed excogitârint. Dogma hoc est ingenij, non doctrinæ; vsurpationis, priuatæ, non publicæ Traditionis, ab ipsis prolatum, non ad eos perductum. Authores sunt, non custodes; institutores, non sectatores; ducentes, non sequentes: pro auro plumbum & æramenta substituerunt; non tam novè quoad formam, quam nova quoad materiam.

Isti Episcopi (inquit August.) *Sunt docti, graves, sancti, veritatis acerrimi defensores, adversus garrulas vanitates; in quorum ratione, eruditione, libertate, (quatria bono indici) tribuisti) non potes invenire quod spernas.* Isti tui testes ambitionis Papalis acerrimi sunt defensores, imperatoriæ dignitatis hostes profligatissimi; in quorum ratione (quod ad hanc quæstionem spectat) naturali & Philosophicâ, politicâ magis quam Theologicâ; in quorum eruditione in jure Canonico & humano plus quam in Scripturâ & jure divino; in quorum libertate, erga veros Dominos Imperatores & Reges, procaci & nimium licentiosâ, erga Dominos supposititios & falsos Pontifices & Papas, adulatoriâ et plus quam servili: (& coacta servitus miserabilior, affectata misetior) non potes invenire nisi quod spernas. Et hoc confidentius dico, quia inter hos, tres tantum, Thomam, Bonaventuram, & Antoninum, ab omni adulationis specie liberos expressè pronuncias. *Bernard.*

8. Quis autem iste Gregorius, mitto testimonia aliorum, ipsum audio, typhum superbiæ & ambitionis. *Solus Papa potest vti Imperialibus insignibus: solius Papæ pedes omnes Principes deosculentur. Illius solius nomen in Ecclesiâ recitetur: vnicum est hoc nomen in Mundo;* Quid restat nisi vt addat, per quod possit dari salus: sicque diceret cum Lucifero: *Ascendam super solium; sedebo in monte Testamenti, Aut moriar, aut animam regnumq; Henrici tollam.* An hæc verba Patris Apostolici? An verò tyranni, aut alicuius insensissimi Decij? *In Concil. Roma apud Onuphrium in vita Greg. 7.* *Esaiæ 14. 13. 14* *In Epist. Henr. 4*

9. At quid Gregorius Septimus? *Ecclesia potest Regem excommunicare, & subditos à iuramento fidelitatis absolvere*: non hic additur verbum depositionis; sed reipsâ subinfertur. Esto: impius & inconstans Gregorius, si aliter docuisset, aliter fecisset: sed observetur istud; prius fecit, tum docuit; prius fecit; tum argumenta jejuna, invalida, frigida conquisiuit *Regist. lib. 8. Epist. 21.*

quisivit ex Patribus, quibus factum suum stabiliret: talia nimirum ex Patribus testimonia producit, non dico exempla, quæ nec Bellarminus ipse, (vnico Gregorij primi testimonio excepto) vrgere dignatur: in quibus plus semper in conclusione quam in præmissis.

10. At subiratus forsan Gregorius, nimiumq; Imperatoribus & Regibus infensus, ea de Regum origine tradit in hâc Epistolâ, quorum, forsan & ipsum Bellarmin. Regibus etiam pau'ò iniquiorem pudebit. *Itáne Dignitas à secularibus etiam Deum ignorantibus inventa, non subijcietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad horrorem suum* (sic legit Binnius; forsitan legeret, honorem suum) *invenit, mundo misericorditer tribuit?* Quid hoc? Regnum à secularibus Deum etiam ignorantibus inventum? Sacerdotium à Deo? Annon itidem Regnum à Deo?

Epist. 61. l. 2. Aliter Gregorius primus: *Potestas super omnes homines, Dominorum nostrorum pietati celitus data est*: an hoc à secularibus Deum etiam ignorantibus? Aliter Hosius. *Tibi Deus Imperium, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ Christus commisit*: fortè Christus inter sæculares Deum etiam ignorantes Gregorio Septimo. At excidit hoc subiracundo; vide sequentia. *Quis nescit Reges & Duces, ab ijs habuisse principium, qui Deum ignorantes, superbiâ, rapinis, perfidiâ, homicidijs, postremo universis pènè sceleribus, mundi scilicet Principe, Diabolo videlicet, super pares scilicet homines, dominari cæcâ cupiditate, & intolerabili præsumptione affectaverunt.* Quid audio? Reges super pares à Diabolo? A Deo Sacerdotes super pares sunt? *Terrenum Regnum positum à Deo, sed non à Diabolo: cuius iussu homines nascuntur, huius iussu Reges constituuntur. Inde est Imperator, unde & homo antequam Imperator: inde illi potestas, unde & spiritus.* Debacchatur iste hic potius quàm docet; bilem evomit: fortè duo principia somniat: fortè de Regibus solum malis ista: An à Deo Reges boni, mali à Diabolo? fortè non didicit, *Quis dedit Regem in irâ suâ; quis facit hypocritam regnare propter peccata populi.* At in sequentibus mitius agit. *Diaboli corpus sunt.* Nè *maledicas Principi Populi tui.* His si tu non credis, eadem libertate, nec ego illis, de depositione Regum & absolutione juramenti fidelitatis credo: si falsus in vno, quomodò in altero verus? Mitto quod ex *Concilio Moguntino*, & *Ben[illegible] Vrspergensi, Onuphrio*, & reliquis, *hæretici Berengarij* antiquus discipulus, audit *Gregorius tuus*: Talem authorem dogmatis tui non invideo tibi: sit primus in acie & agmine Gregorius Septimus qui primus fuit in opere perduellionis: per me sis Cardinalis, & defensor, & successor (si Papatum adipiscaris) Gregorij Septimi, potius quàm Gregorij Magni, vel Sancti Petri, cuius doctrina sanctior, saniorq;.

Athan. ad Solitariam vitam agentes.

Iren. l. 5. c. 20.

Tertull. in Apol. c. 30.

Deum timete, Regem honorificate; Servi, subditi estote in timore, Do-

minus

minis non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis. Sic tibi relinquimus Gregorium tuum, in causâ suâ testem minus idoneum, actorem & proinde non Iudicem; de quo fusius suo loco. 1. Pet. 2. Cap 9.

At parum constans tuus Gregorius: media non sunt conformia extremis. Alius fuit Gregorius Septimus in nativitate, id est, inauguratione: *Nullâ unquam ratione adduci potuit, ut consecrari vellet & coronari, donec Imperatoris, & Principum super electione suâ exquireret voluntates, &c.* vt Onuphrius, & Lambertus Schafnaburgensis. Idem recitat verba Gregorij. *Cogi nullo modo potuisse, ut ordinari se permitteret, donec in electionem suam, tam Regem, quam Principes Teutonici Regni consensisse certâ legatione cognosceret.* In his quendam primatum Imperatoris in electione suâ agnoscit etiam in spiritualibus. 11. In vita Greg. 7. Ad Annũ 1073.

Alius Gregorius in morte: *In extremis positus, confessus est Sancto Petro, & toti Ecclesiæ, se valdè peccâsse in pastorali curâ, quæ ei commissa erat; & suadente Diabolo, contra humanum genus iram & odium concitâsse: Tum demum misit prædictum confessorem ad Imperatorem, & ad totam Ecclesiam, ut optaret ei indulgentiam.* Hæc sunt, non solum Sigeberti, schismatici, vt Bellarmin. sed etiam Florentij Wigornensis, qui per ea ferè vixit tempora, quique testem producit *Archiepiscopum Moguntinum*; qui inter partes Henrici non habentur. Hæc est recantatio Gregorij tui, in quâ pœnituit sua dogmatis, retractat hanc Regum depositionem, cuius tu eum authorem, totiusq; exercitus ducem facis. Chronograph. Anno 1085. Chronic. Anno 1084.

Secundus est *Thomas*, Doctor Angelicus; *sine omni adulatione*, & tamen inter partes, inter post natos; inter eos qui temporis torrente absorpti, liberè testimonium non dixerunt: qui an pro directâ vel indirectâ potestate loquatur incertum est, certè indirectè & per consequentiam loquitur, non aptè & ad propositum. *Dominium & Prælatio introducta sunt iure humano*: hoc est primum fundamentum falsum: *Honora Patrem & Matrem*: Annon hoc est Imperium, hæc prælatio? Annon Rex Pater patriæ; Sacerdos pater animarum? An hoc mandatum introductum est jure humano? Si honor & obedientia de jure divino, ergo & Imperium & prælatio de jure divino: vt rectè *Bartolus*: *Ius divinum quod est ex gratia non tollit ius humanum quod est ex ratione naturali*: hoc est secundum fundamentum sed instabile & infirmum; statim enim corruit: *potest iustè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ, authoritatem Dei habentis, tale ius Dominij vel prælationis tolli*: Ius divinum non tollit, sententia seu ordinatio Ecclesiæ tollit: Deus non potest: Ecclesia potest. Quid hoc est? plus potest jus Ecclesiæ quam jus divinum? potest Ecclesia habens authoritatem Dei. An Deus potest regulam justitiæ (tale est jus divinum) mutare? 12. 22. q. 10. art. 10. 2. 2. q 10. art. 10.

An in Deo eſt vmbra vicisſitudinis? Nónne jus divinum vt lex *Medorum & Perſarum, quod prævaricari non licet?* Iam intelligo Thomam: de jure divino non poteſt jus regni tolli quod ſundatur in naturâ; de jure *Eccleſiaſtico* tolli poteſt: ſic totum jus illud, non divinum, ſed Eccleſiaſticum, merè poſitivum (vti *Valentia & Peſantius* colligunt; ſit ergo hoc certum: Iure divino Domina & Regna non tolluntur, jure Eccleſiaſtico tolluntur; corruit tota tua defenſio; non poteſt eſſe de fide; eadem authoritate reſcindi poteſt quâ ſtatuitur; humanum eſt commentum. Quid verò? An conſtitutio Eccleſiaſtica tollit jus divinum, jus naturale in quo regnum fundatur? *Dominium non fundatur in gratia nec in fide: gratia non deſtruit naturam*; Sic *Bellarmin.* tollatur ergo gratia, tollatur fides, manet fundamentum regni & dominij: manet dominium; non enim corruit ædificium ſtante fundamento: At quid eſt quod affirmat Thomas? *Sententia & ordinatio Eccleſiæ authoritatem Dei habentis, tale ius dominij vel prælationis tollit*, id eſt, Infidelium ſupra fideles; *quia Infideles merito ſuæ Infidelitatis merentur poteſtatem amittere ſuper fideles qui transferuntur in filios Dei.* *Auguſtinus de Ancona, Durandus, & Thomas de Argentina* diſſentiunt à Thoma: apud quos infidelitas non meretur privationem Dominij & Iuriſdictionis, niſi cogat Princeps iuſideles ſubditos ad manifeſtam contumeliam, & blaſphemiam Creatoris, qui tamen negant hoc eſſe de jure divino aut naturali, ſed ſolum de ordinatione Eccleſiæ authoritatem Dei habentis. Nihil tamen hæc ad quæſtionem noſtram, quæſtio noſtra eſt, an Papa poſſit deponere Reges Hæreticos; *Thomas* teſtis adducitur, affirmans de Infidelibus. At ſubvenit Bellarminus, teſtem ſuum interpretatur. Intelligit non ſolum Ethnicos, ſed omnes Infideles, Paganos, Iudæos, Hæreticos; quorum tres ſpecies enumerat, art. 6. Paganos qui fidem omnino non ſuſcipiunt, Iudæos qui in figura, hæreticos, qui in manifeſtatione veritatis fidei adverſantur; (verum enim & bonum vnum, malum multiplex) inter quos grauiſſima eſt infidelitas hæreticorum, gravitate culpæ, & proinde pœnæ. Sed *Apoſtata qui diſcedit à tota fide deterior eſt cunctis hæreticis*; vt etiam *Iacobus Simancæ* teſtis tuus in *Enchiridio*.

Super Thomam.

L. 5. de Pont. c. 2.

Summ de Eccleſiaſt. poteſt. q. 23. art. 3. ad 2.

Durand. in 2. diſt. 44. q. 3.

Tom. Argent. Ibid. Diſt. 43. & 44 art. 4.

Tit. 4. de Apoſtatis, num. 2.

13. Difficulter colligitur alterum membrum diſtinctionis Thomæ; ego ſic intelligo. Grauior eſt Infidelitas Paganorum, quoad objectum fidei, quia totam fidem negat; gravior eſt hæreticorum, quoad habitum, quia melius erat illis non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt cognitionem retrorſum converti. Eſto. Quare ergo Thomas *qui propriè ſolet loqui*, vt tu hic aſſeris, non proponit quæſtionem de omnibus Infidelibus expreſsè, ſiuè Paganis, ſiuè Iudæis, ſiuè Hæreticis? Melius dixiſſet.

An

An hæretici poſſunt habere prælationem ? propriùs hæc quæſtio ſtatum Chriſtianorum attingeret. At in proximâ quæſtione agit de hæreticis; ibi nullus talis proponitur articulus : vbi tamen diſtinguit inter excommunicationem & eradicationem. Cur in objectionibus ſola fit mentio Infidelium & Paganorum ? vt 1: *ad Tim.* 6. 1. *Pet.* 2. Vti illi qui erant de domo Cæſaris Neronis, *Phil.* 4. & in contrario, ex 1. *Cor.* 6, *Audet quiſquam veſtrum habens negotium adverſus alterum iudicari apud iniquos*, id eſt, Infideles : hîc Infideles, Pagani; *& non apud Sanctos* ? & inter hos erant illi qui dicebant ; *ego ſum Pauli, ego Apollos, ego Cephæ* : iſti aut hæretici, aut ad minimum ſchiſmatici, & tamen Sancti. Ergo articulus iſte de Infidelibus .i. Paganis, non de hæreticis intelligendus eſt. In corpore, mentio fit Iudæorum qui emancipantur, ſi Chriſtiani fiant : at nulla hæreticorum ; an ſerui hæreticorum ſi fiant Chriſtiani ſtatim emancipentur? At vide conſtantiam Thomæ. *Sed hoc quidem Eccleſia quandoq; facit, quandoq; non facit* : ergò voluntaria eſt hæc juriſdictio, non conſtans, non certa, non neceſſaria ; ad libitum, non ad debitum. Præterea in hoc articulo, *In illis infidelibus, qui temporaliter Eccleſiæ vel eius membris non ſubiacent, prædictum ius* (tollendi Dominij) *Eccleſia non ſtatuit, licet poſſet inſtituere de iure ; & hoc faciat ad ſcandalum vitandum.* Poteſt inſtituere de jure. *Quæſt.* 12. *art.* 2. *Ad Eccleſiam non pertinet punire Infidelitatem in illis, qui nunquam fidem ſuſceperunt.* 1. *Cor.* 5. Poteſt inſtituere de jure, & punire infideles ; Non pertinet ad Eccleſiam punire Infidelitatem : An teſtis idoneus qui contraria loquitur ? Quid Bellarm. ipſe ? An teſti ſuo fidem adhibet? *Poteſt Eccleſia inſtituere de iure, vt tollantur Dominia Infidelium* : ſic Thomas. Si poſſet Papa, libenter daret regna Infidelium, ſic Bellarm. non poteſt dare, quia non poteſt ab Infidelibus tollere. Conveniant Actor, & Teſtis ; tum vos audiemus. Cur me credere vis teſti tuo, cui ipſe non credis ? Præterea an par eſt ratio Infidelis & Hæretici in vinculis naturæ, obedientiæ, & prælationis ſolvendis ? Quin ergò liceat fideli-conjugi ab hæretico diſcedere, ſicut licet fideli ab infideli conjuge diſcedere. Quin matrimonia omnia inter Catholicos & Hæreticos irrita & nulla pronunciatis, ſi par ſit ratio inter Infidelem & Hæreticum, in ijs quæ jure naturali contrahuntur.

L. 5. de Pontif. cap. 2.

Secundus locus Thomæ habetur, *q.* 12. *art.* 2. verba ſunt, *Sed aliquis per infidelitatem peccans poteſt ſententialiter ius Dominij amittere ; ſicut etiam quandoq; propter alias culpas* : & de Apoſtatâ à fide. *Et ideo quàm citò aliquis per ſententiam denunciatur excommunicatus propter Apoſtaſiam a fide, ipſo facto eius ſubditi ſunt abſoluti à Dominio eius & iuramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Cur de Dominis hæc intelligit Bellarm. in genere, quæ ſolùm de Apoſtatis enunciantur ? & de Apoſtatis à fide totaliter, vt de Iuliano in primâ objectione : & in reſponſione ad tertium ; *Apoſtaſia à fide totaliter ſeparat hominem à Deo*, partialis A- 14.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

poſtaſia totaliter non ſeparat: qui negat vnum articulum, non negat omnes. At quâ authoritate hæc ſtatuit Thomas? Decreto *Gregorij Septimi*; *Nos Sanctorum Prædeceſſorum*: nonne inter partes, inter poſt natos, inter ſeruos Thomas? An liberum hoc eſt teſtimonium? Quid verò reſpon-
11. q. 3. c. *Iulian.* det Ambroſio? *Iulianus Imperator quamvis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites: quibus cum dicebat; producite aciem pro defen-*
Ad. 1. *ſione Reipub. obediebant ei. Illo tempore Eccleſia in ſui novitate nondum habebat poteſtatem terrenos Principes compeſcendi, &c.* poteſtatem, id eſt, vires: hoc falſum; quia plurimi milites in exercitu erant Chriſtiani: vt
Ruffin. l. 2. c. 1. poſtea *Ioviano*: *Nos Chriſtiani ſumus*: poteſtatem, id eſt, authoritatem à Deo conceſſam; hoc verius: ſic enim Auguſtinus. Iulianus extitit Infi-
In Pſal. 124. delis Imperator; *Nónne extitit Apoſtata, iniquus, Idololatra? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli: vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat: quando volebat vt idola colerent, vt thurificarent, proponebant illi Deum: quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant: diſtinguebant Dominum æternum à temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali*: Propter Dominum æternum; *propter*, hoc juris eſt, non facti tantum. *Ambroſio* credimus; *Auguſtino* credimus; *Thomæ* & *Gregorio Septimo*, contra *Ambroſium* & *Auguſtinum*, non credimus. *Ambroſius* & *Auguſtinus* liberi teſtes ſunt; nec partes, nec poſt nati; His addimus de Thoma: Ioſeph Pharaoni, Daniel Nabuchodonoſori; Mardochæus Aſſuero fideliſſimi extiterunt: fideles Infidelibus, quibus exemplis nihil reſpondet Thomas, niſi quod alia eſt ratio de Infidelibus illis qui nunquam fidem ſuſceperunt: acſi diceret, fides ſervanda eſt Infideli, Apoſtatæ ſervanda non eſt; horum exempla pluris facimus quam vmbras illas, quas finxit Gregorius Septimus in Canone; *Nos Sanctorum Prædeceſſorum.*

Præterea Infideles & Apoſtatæ à fide deponi poſſunt ab Eccleſiâ: ſic Thomas, quod nos negamus: ergo hæretici deponi poſſunt: non ſequitur, nè quidem iuxta Thomam, qui in quæſtione de hæreticis nihil
Quæſt. XI. tale docet.

15. Sequitur tertius locus; in quo ſi non elinguis, at extra oleas Thomas: talſarius Bellarm: *Poteſtas ſecularis ſubditur ſpirituali; ſicut corpus animæ. Et ideo non eſt vſurpatum indicium, ſi ſpiritualis prælatus ſe*
22. q. 60. *Art.* 6. *ad Tertium.* *intromittat de temporalibus*: hic ſiſtit *Bellarm.* omittit ſequentia quæ ſenſum *Thomæ* explicant; *Quantum ad ea in quibus ſecularis poteſtas ei ſubditur, vel quæ ei à ſeculari poteſtate relinquuntur.* Quorſum omiſſa ſunt hæc verba? vt vaſta poteſtas Papæ hinc colligatur; quæ ſuos hic limites, cancellos habet: *in iis in quibus ſubditur ei poteſtas ſecularis*; ergò aliqua ſunt in quibus non ſubditur. Vel *quæ ei à ſeculari poteſtate relinquuntur*: ergo aliqua ſunt ex natura ſua civilia & temporalia, quæ à

ſeculari

ſeculari poteſtati Eccleſiaſticæ cognoſcenda delegantur : vt adulteria, teſtamenta, & ſimilia. Iſta fraudulenter omiſit *Bellarmin.* At quid *Thomas ? Poteſtas ſecularis ſubditur ſpirituali, vt corpus animæ*; at anima non deponit corpus : *Caſtigo corpus*, non perdo : Spiritualis ſe intromittit in temporalibus, ſine vſurpatione. *In his Eccleſiaſtica poteſtas habet Dominium quoddam regitivum, directivum, regulativum, & ordinativum*; Sic *Gerſon* : poteſt & dirigere, & forſan etiam corrigere pœnis ſuis, id eſt, merè Eccleſiaſticis; ergo poteſt deponere Reges, hanc conſequentiam ridebunt omnes Sophiſtæ. 1. Cor. 9. De poteſtate Eccleſieſt. conſiderat. 12.

16. 4. in 2. Sentent. Diſt. 44. in fine. *Poteſtas ſpiritualis & ſecularis, vtraq; deducitur de poteſtate divina*, (Poteſtas ſecularis à Deo eſt; ſi ſic dixiſſet *Barclaius, Bellarm.* aurem velleret & admoneret,) *Et ideo in tantum ſecularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, in quantum eſt ei à Deo ſuppoſita, ſcilicet, in his quæ ad ſalutem animæ pertinent : & ideo in his magis obediendum eſt poteſtati ſpirituali quam ſeculari : ſecundum illud ; Math. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari ; niſi fortè poteſtati ſpirituali etiam ſecularis poteſtas coniungatur ; ſicut in Papa, qui vtriuſq; poteſtatis apicem tenet, ſcilicet ſpiritualis & ſecularis : hoc illo diſponente, qui eſt Sacerdos & Rex in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Papa tenet apicem vtriuſq; poteſtatis : hæc verba refert Bellarmin. omiſit reliqua : quorſum, niſi vt nube lucem obſcuraret ? Papa primatum habet in ſpiritualibus, & Papa in temporalibus, in patrimonio Petri Princeps eſt ſupremus. Apex vtriuſq; poteſtatis in Papâ : fortè id vult Bellarmin. vtramq; poteſtatem, æquali ambitu in Papâ reſidere : nec enim eſt apex poteſtatis ſine poteſtate ipſâ; ſic Monarcha eſt temporalis directè totius mundi : Imperator & Principes, eius Vicarij & Vaſalli ſunt. An ſicut votifragus Ieſuita, ſic & verſipellis factus eſt Cardinalis ? Ab indirecta ad directam tranſit. Sed meminerit oportet quid Thomas in præcedentibus ; *In tantum ſecularis poteſtas eſt ſub ſpirituali, in quantum ei à Deo ſuppoſita eſt, ſcilicet in his quæ ad ſalutem animæ pertinent.* Quid opus his limitibus, ſi poſſit Reges deponere, regna transferre : cum depoſitio Regum potius ad eradicationem corporis, quam ad ſalutem animæ referatur. Locus iſte nihil ad rem.

17. 5. eſt in lib. 3. de Regimine Principum. cap. 10. & cap. 19. Dubius iſte Thomas & dubiæ fidei; negat Bellarmin. hoc eſſe Thomæ opuſculum ; quia mentionem facit *Alberti* Imperatoris, cuius tempora vivendo non attigit. Probat hanc poteſtatem exemplis *Zachariæ, Innocentij, Honorij*, qui *Childericum, Othonem, Fredericum* ſecundum, depoſuerunt.

Argumentum à facto ad jus non valet. Author eſt cautè legendus, qui in cap. 10. hæc habet. *Propter quod oportet dicere in ſum-*

mo Pontifice eſſè plenitudinem omnium gratiarum, quia ipſe ſolus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum; vt competat ſibi quod de primo Principe Domino dicimus, quia de plenitudine eius nos omnes accepimus: An in ſummo Pontifice plenitudo omnium gratiarum, qui fortè non eſt in ſtatu gratiæ? An in Ioanne 12. plenitudo gratiarum, qui in actu adulterij mortuus eſt? An ſolus confert plenam indulgentiam omnium peccatorum; cum in articulo mortis, idem poſſit privatus Sacerdos quod Papa? An de plenitudine eius omnes accepimus qui fortè in ſeipſo vacuus? Qui etſi dicatur dare Spiritum Sanctum, ſicut & reliqui Epiſcopi: non dat, ſed orat, & manus imponit. Modeſtius S. Auguſtinus de Apoſtolis, *Orabant vt veniret in eos quibus manus imponebant, non ipſi dabant*: & poſt pauca; *Chriſtus accepit vt homo, effudit vt Deus: Nos pro noſtro modulo accipere poſſumus; effundere non poſſumus: ſed vt hoc fiat, Deum ſuper eos, à quo hoc efficitur, invocamus.* De plenitudine poteſtatis in Papâ multa dicuntur, de plenitudine omniũ gratiarum in Papâ nunc primum audio. In ſanctis plenitudo ſufficientiæ, in Mariâ plenitudo redundantiæ; in Chriſto plenitudo ſuperabundantiæ, effluentiæ, ſiue efficientiæ. *De cuius plenitudine omnes accipimus*, hoc proprium eſt capitis principalis, *de plenitudine eius gratiam progratia accipere: gratiam et gloriam dat Dominus.* Apagè cum capite tuo miniſteriali, quod ea quæ ſunt capitis principalis, & Dei (*Quantus enim Deus, qui dat Deum!* vt ibi ſanctus Auguſtinus) vſurpare audet: hunc teſtem penè blaſphemum; certè dubium, vtrum pro directâ an indirectâ loquatur, vt tu ipſe agnoſcis, tibi relinquo.

Ioan.1.16. *Auguſt. de Trinit. l.13.c.26.* *Ioan.1.16.* *Pſal.83.12.*

18. Verumenimverò, inconſtans eſt iſte Thomas; quod eò manifeſtius erit, ſi hæc cum illis quæ *lib.1.c.6.* habet, conferamus. Vbi poſtquam docuiſſet, quod ſi non fuerit exceſſus tyrannidis, vtilius eſt remiſſam tyrannidem tolerare ad tempus, quam tyrannum agendo multis implicari periculis, quæ ipſâ tyrannide graviora ſunt: primò quia provocatus tyrannus, ſi prævaleat, magis deſæviat; ſecundo grauiſsimæ diſſenſiones in populo oriuntur, tum in inſurrectione contra tyrannum, tum in ordinatione regiminis expulſo tyranno: tertiò, ſævior ſæpè fit tyrannus, qui tyrannum expulit, dum timet pati ab alio quod ipſe fecit; vt de *Dionyſio* dixit, *Anus Syracuſana. Si verò tyrannidis exceſſus intolerabilis ſit, quibuſdam viſum eſt, vt ad fortium virorum virtutem pertineat tyrannum interimere, idq; cum periculo mortis, vt Aioth, vel Abud interemit Eglon. Sed hoc (inquit) Apoſtolicæ doctrinæ non congruit: Docet enim Petrus nos non bonis tantum et modeſtis, ſed etiam dyſcolis Dominis ſubditos eſſe, 2. Pet.2. Et laudantur et nobiles, et populi, qui Imperatoribus fidem Chriſti tyrannicè perſequentibus, non reſiſtendo, ſed patiendo, mortem ſuſtinuerunt animoſè pro Chriſto; Aioth magis imitandus eſt hoſtem interemiſſe, quam Populi Rectorem vel Tyrannum: & occiſi ſunt qui Ioas Regem occiderunt*

runt Idololatram. Esset hoc multitudini periculosum & eius Rectoribus, si prius à præsumptione aliqui attentarent, Præsidentium necem, etiam tyrannorum: mali magis se opponunt his periculis, quàm boni; & malis non solum tyrannorum, sed etiam Regum dominium grave esse solet: Impios enim dissipat Rex sapiens: maius ergo imminet periculum multitudini de amissione Regis, quam remedium de subtractione tyranni; At authoritate publicâ procedendum est: primò, Si ad ius multitudinis alicuius pertineat sibi de Rege providere; non iniustè potest ab eadem Rex institutus destitui, idq; sine infidelitate; vt Romani Tarquinium & filios eius eiecerunt; Senatus Domitianum interemit. (Seditiosa hæc est doctrina, si belluam multorum capitum .i. multitudinem in Reges animat; vana autem si nulla talis sit multitudo, quæ imperium in Reges habeat; multitudo enim omnis Rege inferior est:) Secundò, *Si ad superiorem pertineat de Rege providere, expectandum est remedium ab eo: contra nequitiam tyranni: vt Iudei apud Augustum de Herode conqueruntur, à quo Lugdunum relegatus est:* Tertiò, *Quod si omnino contra tyrannum auxilium humanum haberi non potest, recurrendum est ad Regem omnium Deum,* (quidni & ad Pontificem?) *qui est adiutor in opportunitatibus, in tribulatione. In Dei enim manu est cor Regis, qui cor Regis Assueri crudelis in mansuetudinem erga Iudæos convertit, quiq; Nabuchodonosor Regem humiliavit.* In his Thomas, aut in multitudine, aut in Rege superiore, omne auxilium infra Deum positum docet; de Pontifice altum silentium. *Prouerb. 20.26*

Tertius est BONAVENTURA; testis integer, sine leui suspicione adulationis, sed tamen inter partes, inter post natos, inter eos qui liberè testimonium non ferunt. Verùm in hâc causâ totus est allegoricus: *Dominationes, primus ordo in media Hierarchiâ Angelorum sunt Pontifices, & Sacerdotes:* In hoc Doctor verè Seraphicus: Theologia symbolica siue allegorica non est argumentativa; cur in dogmaticis suis scriptis ista non docet, nisi quia rectius allegoriam quàm veritatem sapium? Præterea liber suspectus est; *Tritbemius* enim eius non meminit; & liber iste in principio mentionem facit alterius libri qui non extat, neq; quis sit, constat. Et quomodo probat? In præcedentibus sic; *Regalis potestas subiacet potestati & authoritati spirituali, vt* 1.Pet.2. *dicitur; vos estis gens sancta, Sacerdotium regale; nam temporale regnum velut quoddam adiectum, subiacet Sacerdotio in nouo Testamento; sed in veteri Testamento Sacerdotium fuit sub Regno: vnde dicitur in Exodo; Elegi vos in Populum peculiarem, in Sacerdotale Regnum, vbi Regnum ponitur substantivè, & Sacerdotium adiectivè; & ideo Reges tunc poterant amouere ab officio summos Sacerdotes, sicut Salomon amouit Abiathar.* Quare hæc omisit Bellarminus? An quia doctrinam eius de Oziâ & Athaliâ per Sacerdotes depositis, necnon de Abiathare per Salomonem Regem depo-

19.
Lib. de Ecclesiastica Hierarch. part. 2. c. 1.

Vers. 9.

Cap. 19. v. 6.

sito

mundi pompas, auaritiam, delicias, libidinem ſubegerat; gloriam tamen cuius cupido noviſsimè exuitur, contemnere non potuit: cuius tam cupidus fuit, vt cum ipſe & Huniades bello contra Turcas interesſent, *Et vterq; rem geſtam ſcripſerint, neuter alterius mentionem fecerit, alteruter ſolidam ſibi rei geſtæ laudem vſurpauit.* Vt de eo Æneas Sylvius. Hic loco citato non attingit quæſtionem, eminentiam Papæ deſcribit, non authoritatem: licet in ſequentibus apertè directam poteſtatem aſſruat; idq; tam confidenter, *vt prædicta* (inter quæ depoſitio) *facere non poſſe Papam* dicat, *ſi poteſtatem ordinariam non haberet: nam eius eſt deponere, cuius eſt ponere.* Interim eſto conſentiens teſti tuo in viâ Bellarm. *Non poteſt Papa vt Papa ordinariè temporales Principes deponere, etiam iuſta de cauſa, tanquam Iudex ordinarius, nec ordinariè iudicare de rebus temporalibus*: ſic tu. Ergò non poteſt deponere; ſic Teſtis.

De poteſtate Papæ, p.2. ſecundæ part. principalis, in Arg. 18.

Hiſt. Bohem. cap. 65.

De Pontif. li. 5. cap. 6.

Septimus eſt, ANTONINVS, directæ poteſtatis aſſertor acerrimus: quam Canonibus, non Scripturis confirmat; idq; potius referendo authoritatem Auguſtini de Anconâ, quam ſuam. Nec tamen (quod tu aſſeris) *ab adulandi ſpecie alienſsimus*; vt multis patere poteſt. Vnde egregiè verba Pſalmi 8. interpretatur. *Omnia ſubiecisti ſub pedibus eius, id eſt, Papæ; Oues, id eſt, Chriſtianos; Boues, Iudæos et Hæreticos; et pecora campi, Paganos.*

23. *Summæ part. 3. Tit. 22. cap. 3. §. 7. & c. 5. § 7.*

Octauus, ISIDORVS MEDIOLANENSIS; quem videre non contigit: vnde nec latet qualis fuerit vel quo tempore vixerit.

24. *Lib. 2. de Imperij Militantis Eccleſiæ dignitate. Tit. 8. Concl. 3.*

Nonus, *GABRIEL BIEL: Cuius verba priora citata, rectiùs de Chriſto capite principali intelliguntur, per quem vnum omnes gubernantur, quàm de capite Miniſteriali quod non eſt vnum: fuerunt enim Papæ circiter 240, quorum nullus totum corpus nè militans quidem gubernauit. In poſteriore loco aſſerit in miſſâ fieri orationem pro dignitate Regiâ; poſt orationem pro Papa: *quia ſuprema poteſtas Sacerdotalis, excedit Regiam antiquitate, dignitate, & vtilitate.* 1. *Antiquitate; quia poſt Sacerdotium inſtituta eſt poteſtas regia, ad populi petitionem; vt* 1. *Reg.* 8. Inſignis Theologus, qui Regnum & poteſtatem Regiam non extitiſſe ante Saulem aſſerit. Præterea, hîc reus eſt Biel tuus; imò *Innocentius* ex quo iſta deſumit, eiuſdem cum Barcl. erroris (vel, vt ego, veritatis;) quod Regiam dignitatem à Deo eſſe aſſerat; *Deus duas inſtituit dignitates, quæ ſunt Pontificalis authoritas, & Regia poteſtas.* Quinetiam hic Theologus pro hac maioritate Papæ, pro tranſlatione Imperij, pro depoſitione Imperatoris, Canones tantum citat; & tamen hic hâc in cauſâ Bellarmin. inſignis Theologus eſt.

25. * *Lect. 23. in Canon. Miſſæ.*

10. CAIETANVS: Qui hoc in loco de depoſitione Regum, & abſolutione iuramenti fidelitatis, nihil dicit: habet tamen diſtinctionem de directâ & indirectâ poteſtate: aſſerit enim vtramq; propoſitionem veram: Papam ſcilicet habere ſupremam poteſtatem in temporalibus, & non

26. *In Apolog. de Authoritate Papæ & Concily. p. 2. cap. 13. ad 8.*

lem ante Mosen? An tyrannis antiquior Regno, malum bono? *Papa Imperatore maior dignitate, plusquam aurum plumbo*: *Papa potest eligere Imperatorem immediatè per seipsum*: non hoc ferent Electores. *Constantinus Syluestrum Papam coronauit, non vt minister conferens, sed vt minister obsequens*: non sic Syluester Papa, sed Prieras. Mitto multa alia: nos magis probatos testes etiam apud vos, expetimus.

15. ASTENSIS: Titulo 58. (non 64. vt tu, vel fortè Typographus) ea habet quæ citantur à Bellarm. Ibi tamen totus innititur Concilio Lateranensi: (cuius decretum recitat in principio articuli) & factis Zachariæ & Innocentij: & nonnullis capitibus Iuris Canonici. Rationes tamen reticet Bellarminus. *Ratio huius est; quilibet nullo excepto contrahit forum Ecclesiæ ex peccato.* Extra de Iud. cap. Nouit. Quin ergo Papa omnia peccata etiam ciuilia, & criminalia ad forum suum reuocat? Alia ratio: *Certum est enim quod Deus est super omnes potestates; ergo & eius vicarius qui eius vices gerit in terris.* At Papa non Dei, sed Christi hominis mortalis Vicarius est: neq; si Dei, eiusdem cum Deo potestatis. 29. *Summa p. 1. l. 2. Tit. 64. Art. 4.*

16. PANORMITANVS: Defensor potestatis directæ; qui etiam Imperium esse à Deo mediante Papa asserit: quia depositionem probat non nisi ex canonibus, non est quod moremur. 30. *In cap. Solit. de Maior. & Obed. num. 7.*

17. IOANNES de ANANIA: quem eadem ratione qua Panormitanum reijcimus. 31. *In C. Licet. de Vsu. num. 10.*

18. BARTHOLVS. De quo *Antonius de Rosellis*; *Qua in sententiâ doleo fuisse virum maxima sapientia Bartholum.* De quo magis mirandum quia, vti Baldus. *Maxima est apud Legistas; quod Imperator Romanorum in temporalibus, superiorem non habet; licet Canonistæ ponant Papam supra eius verticem.* In eo tamen loco non loquitur definitiuè, sed ait; *Pro nunc transitoriè dico, quoniam opus per se requireret quæ dico: quare sic credo tenere Ecclesiam, sic credo Imperatorem sentire, & si male hoc vel aliud intelligerem, sum paratus corrigere.* Sed quid Bartholus alibi? *Cy. disputauit istam quæstionem Senis, an iudex possit citare aliquem extra territorium suum? Sed ad istam Decretalem. Extra de re iud. cap. Pastoralis*; *dicit ipse non potest dari responsum in pace*: *sed transeat cum alijs erroribus Canonistarum*: Ita dicit ipse: *Ego constanter tenere illam decretalem tanquam existens in terris Ecclesiæ, dicens eam esse veram de iure.* Quæ ratio habitationis magni est momenti apud Bartholum: ideò in quæstione de donatione Constantini sic loquitur: *Videte, nos sumus in terris amicis Ecclesiæ; & ideo dico quòd illa donatio valeat.* Et infra: *Ex quo sequitur quod Papa non habet iurisdictionem aliquam, sed volens fauere Ecclesiæ dico quod illa donatio valuit.* Quo simili argumento vsus est *Barbatius* in hac quæstione de temporali potestate Papæ, vbi cum proposuisset argumenta & opinionem *Dantis* & *Marsilij*: *Ego autem iure & merito debeo sequi contrariam partem.* Rationes adhibet, quarum vna: 32. *In proœm. super ff. vetus nu. 89. In Constitut. ad reprimendum. Verbo. totius orbis. ff. De requirend. reis L. Præcept. ff. In Proœm. fol. 2. col. 4. C. Nouit. de Iudicijs num. 140.*

Quia

Quia licet indigni, legimus & docemus iura Pontificia, & habeo domicilium, vxorem, filios, patrimonium omne in hac Regiâ vrbe Bononiæ: ac si diceret, de pane lucrando cogito scriboque. De *Bartholo* igitur censura Duareni vera est; *Eum Dicis causâ scripsisse quòd erat in terris Ecclesiæ.*

De sacris Eccles. Minist. &c. lib. 1. cap. 4.

33. *In proœm. ff. vet. Forsterus.*

19. Baldvs, *In quo eruditionem nemo vnquam desiderauit, constantiam quam plures; persæpè enim priorum oblitus contraria, prorsusque pugnantia tradidit.* Idq; in hac quæstione manifestè; refert enim, vt supra in Bartholo citauimus, Maximam Legistarum; & ibi loci addit. *Imperator ab imperando dicitur, quod alijs imperat, & sibi à nemine imperatur; vnde à supremâ potestate in quâ non recognoscit superiorem dicitur Imperator,* Cæsar. *Blacuodæus* etiam dicit, *Baldus doctissimus Romani iuris interpres Regem in suo Regno, corporalem Deum appellat.* Et de Clementinâ, Pastoralis, super quâ fundatur hæc potestas, dicit; *Nescio an Bonifacius octauus determinauerit veritatem in dictâ Clementina Pastoralis; quia ibi sunt quædam dicta quæ sapiunt, & quædam quæ non sapiunt veritatem iuris: & Papa ibi fuit magis partialis quàm Apostolicus.* Legerat fortè *Cyni* verba: *Non potest de hac Decretali dari responsum in pace.* Et de Baldo, *Celsus* in additionibus ad eum, interpretando dicit; *Videtur iste sentire Imperatorem non posse deponi.* Metuo vt subsistet testis tuus, imò vt subsistet actor; falsarius enim est *Bellarminus*, vrget enim opinionem Canonistarum pro opinione Baldi: dicit enim, *sed Canonistæ ponunt.* Et etiam Nauarrus reprehendit in Baldo, quod hîc loci dixerit, *Imperatorem simpliciter maiorem Papa.* Primò igitur libera fidem tuam, deinde prospice fidei testis tui.

In Apolog. pro iure Princ. c. 31.

Cod. de operis Libert. L. Libertæ. Col. 5. circa principium. Super Rubr. de nouo C. componendo, verbo. Ad vitam.

Relect. C. Nouit. de Iud. notab. 3 num. 52. & 55.

34. *De officio & potestate Legati lib. 2. Tit. de variis Ordinariorum nominibus, num. 220.*

20. Petrvs Andreas Gambara. Vicarius *Clementis* septimi, & sacri Palatij Apostolici auditor fuit: inter casus Papæ reseruatos, in quibus Legati authoritatem non habent, hanc potestatem deponendi Imperatorem & Reges, enumerat. Huius fidem mihi suspectam reddit vel dignitas in curiâ Romanâ. Iam enim conspirauerant Romanenses, si quis hanc potestatem negaret, si non extrà Synagogam fieret, saltem sine gratiâ, sine Prælaturâ inglorius viueret, fortè & post mortem hæreticus audiret, vt de *Dante Bartholus*, cuius ossa molliter non cubabant.

35. *Lib. de Imperatore. q. 81.*

21. Restavrvs Castaldvs. Eius authoritatem non curo, rationem perpendo; *Papa sine Concilio deponit Imperatorem, quia Papa & Christi vnum est tribunal.* Quid hoc? An vnum tribunal Iudicis & iudicandi? Christus verò iudicabit Papam, si sit inter viuos & mortuos. Ego vnum tribunal Christi & Papæ dicere non audeo: quia Christus falli non potest, Papa verò & falli & fallere potest. Præterea si idem est tribunal, omnes depositi à Papa, à Christo depositi sunt; & eius voluntati nemo resistit: ergo omnes è regno electi, qui per Papam depositi; quod

quam

quam falsum sit nemo nescit. Ad secundum locum quod attinet. *Principem quantumcunq; exemptum deponit.* Quid vero, An exemptum à depositione deponit? Exemptio ergo non exemptio; priuilegium non priuilegium: habe tu tibi testem talem.

22. DOMINICVS CARDINALIS TVSCVS, qui nihil præter auditum habet, numero valet, non pondere; testem elinguem silentio præterimus. 37. *Practicarum conclusionum. Tom. 6. verbo Papa.*

Sic habemus testes gentis *Italicæ* 22. De quibus videtur gloriari Bellarminus, quod tot tantosque produxerit authores & Scriptores, quales nullum vnquam viderit Concilium de toto orbe congregatum. Nos verò miramur quod plures Italos causæ suæ patronos non protulerit; vt de Pictore *Apelles*: Sed vere dixit veritas, *Non est Propheta sine honore nisi in patria sua*: minoris habetur Papa Romæ, quam alibi gentium. Quid enim? Inter tot scriptores eruditissimos, Theologos illustrissimos, ingenia florentissima, soli inuenti sunt 22. qui Papali Monarchiæ temporali astipulari velint? Credideram ego non potuisse à tempore Gregorij septimi, vlq; ad Bellarminum inueniri scriptorem insignem, qui non huic Hierarchiæ temporali viam sterneret. Sed tamen & hi non tam numerandi quam ponderandi testes. Primus Gregorius ipse, proximi Thomas & Bonauentura qui eum post annos penè 200. sequuntur. Quod etiam obseruandum est, quod ex tanto temporis interuallo, nè vnum quidem scriptorem adhibere potuit ex gente Italicâ qui causæ suæ faueret. Præterea Thomas de infidelibus & Apostatis testatur, de hæreticis silet. Bonauentura, si Bonauentura, allegoricus est, de dominationibus somniat. Aegidius Romanus, Caietanus, & Alexander de Elpidio quæstionem non attingunt. Bartholus cautè loquitur tanquam ascriptitius glebæ. Baldus vel inconstans, vel noster: Dominicus mutus producitur in scenam; reliqui aut Canonistæ, aut adulatores egregij, nuperi & nouitij. Atq; hæc de Italis; de quibus olim Papa Frederico. *Matth. 13. 57.*

——Non est, ait, optime fili,
Hac in gente nouum, nec res miranda videtur,
Fraudibus occultis blandè palpare potentes;
Principibusq; suis argutam ostendere vulpem:
Hoc vitium gentile tenet, sic viuitur istic.

Guntherius Ligurinus de gest. Frederici lib. 3. in fine.

CAP.

CAP. III.

Examinantur Scriptores Illustres Nationis Gallicae.

1. *C. per Venerab. qui filij sunt legit.*

SEquuntur nationis Gallicæ Scriptores illustres, qui in hac causâ gentem suam parum illustrarunt. *Cuius Rex in temporalibus superiorem non recognoscit*; etiam fatente *Innocentio* tertio, & Ecclesia Gallicana libertates suas sibi asserit, nec Decreta Pontificum, nedum Conciliorum recipit; nisi quæ à se & *Sorbona* approbata sunt; ideoq; nec adhuc Concilium Tridentinum in Gallia obtinet. Atque isti veri sunt antiqui Franci, verè liberi, & libertatis assertores; qui nec Regnum, nec Regem, nec Ecclesiam, cuiquam sine consensu Regni & Ecclesiæ, subijciunt. Idcirco authores isti Bellarm. non tam Franci *quam Galli, mobilitate & animi leuitate nouis rebus studentes*, vt *de illis Cæsar*. Tanta in horum animos credulitas irrepsit, vt Gallica credulitas in prouerbium cesserit.

De Bello Gallico, lib. 2.

2. *De Consid. ad Eugen. lib. 4. cap 4. De Consid. lib. 2. cap. 8.*

1. Inter hos primus S. Bernardvs. Qui per me sit sanctus, Doctor mellifluus, allegoriarum sacrarum medulla: nihil enim detraho. Dominetur in cõcionibus; at aliquando loquitur hyperbolicè forsan, si nõ adulatoriè. Vbi Papa vocatur *hæres Apostolorũ, primatu Abel, gubernatu Noah, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Moses, iudicatu Samuel, potestate Petrus, vnctione Christus*. O rhetorem magis quam Theologum. Sed mittamus ista. Ad verba quod attinet. Iamdiu explosum hoc Argumentũ Allegoricum à duobus Gladijs; quorum alter tantum Petri isq; spiritualis: quem iussus est Petrus in vaginam recondere: Conuerte Gladium tuum, non alienum, non alterius Coapostoli; vterque Ecclesiæ est, vt in Ecclesia, & Regnum & Sacerdotium, & gladius temporalis ad nutum siue consilium, non iussum sacerdotis (non tantum Pontificis) euaginandus: sed non extorquendus ab Imperatore per manum militis, & nutum sacerdotis. Sed de hoc loco copiosius dicturi sumus cap. 19. & de Sententia *Sancti Bernardi* super quæstione, cap. 8. in Prolegomenis.

3. *De Causa Immediata Eccles. potestat. Art. 4.*

2. Petrvs de Palvde. Hic vixit tempore dissensionis cum *Ludouico Bauaro*; in cuius contentionis æstu, non mirum si abriperetur turbine illius tempestatis; ideò non solum propter hæresin, & schisma, aut aliud crimen intolerabile in populo; sed etiam propter *insufficientiam, idiotismum, impotentiam virium*, Regem deponendum statuit. In verbis tamen sequentibus docet, Papam corripere posse Reges, monendo vt cedant Regno, si meriti fuerint, & excommunicando, si non cedant. Et tamen *alibi* excommunicationem, depositionem non inferre asserit.

In 1. Sentent. Dist. 18. q. 6. Art. 2.

3. Dv-

3. Dvrandvs Meldensis Episcopus. Hìc docuit in Romanâ curia; & per sedem Apostolicam, ad Episcopalem dignitatem promotus, vt ipse fatetur in Prologo Sentent. Verba tamen citata dubia sunt, nihil concludunt: *Quia vtraq; potestas temporalis & spiritualis est necessaria, ideò vtramq; potestatem contulit Petro Christus.* An vtraq; potestas necessaria? Potestas spiritualis necessaria solum fuit Christo propter redemptionem generis humani, non temporalis: tu ita dixeras Bellar. Et si vtraq; necessaria, ergo semper fuit hæc potestas, & semper in vsu: nec enim omittere poterat, vel Christus, vel Petrus, quod necessarium erat, sine peccato. Sed quod ad esse Ecclesiæ necessaria non fuerit, constat; & si ad benè esse dicas, malè se habuisse sub Christo, sub Petro, sub Martyribus & Patribus vsq; ad *Gregorium* 7. idẽ tidem confiteris. Secundũ quod dicit, quis negat? Si potestatem spiritualem ad actiones circa temporalia se extendere quoad directionem intelligat, vel etiam quoad pœnas spirituales; de quibus eum sensisse verba hęc, suadent ea quæ immediatè præcedunt, quę sunt: *Sed quia diuina & spiritualia perturbantur, et quandoq; impediũtur per abusum hominum circa temporalia, ideò Sacerdotium secundariò & ex consequenti pertinet ad impedimenta, & perturbationes tollere, & impeditores ac perturbatores ferire gladio spirituali.*

De Origine Iurisdictionum. quæst. 3.

Lib de Pont. Rom. 5. cap. 4.

4. Ervevs Brito: Verba ipsa causæ tuæ parum prosunt: tantum enim *de correctione* loquuntur: sed annon corrigit qui verbo reprehendit? Et benè audit Ioannes Baptista quòd Herodem redarguit. Annon est correctio paterna, correctio etiam fraterna, per censuras Ecclesiasticas & salutiferas; nisi ad Lætalem & mortiferam correctionẽ, scilicet eradicantem confugias? Rectè ergo loquitur testis tuus, sed pro causâ tuâ parũ.

De potestate Papæ, §. ad euidentiam secundi.

5. Iacobvs Almayn. Quid verò? An Iacobus Almayn inter Monarchomachos? quẽ *Nauarrus, Couarruuias, Azorius*, inter patronos Imperatorũ & Regũ recẽsent. Eàdẽ proculdubio fide hũc pro tua causa producis, quâ in nupera editione operum tuorum, An. 1605. *Ioannem Parisiensem & Petrũ de Aliaco*, eiusdẽ opinionis assertores adhibes. Sed eosdẽ in hoc opere omisisti. Ad Iacobum Almayn quod spectat; non potuisti, nõ obseruare eum *Doctoris* sententiã, id est, *Gulielmi Ockam*, cuius opinio in cõtrariũ notissima est, protulisse; idq; cũ *apparẽtia* tantũ. Vnde disputationẽ pro sentẽtia citas: cũ tamẽ ad septimã allegationẽ c. 12. dicat Almayn, *Opinio Doctoris simpliciter probabilior, (non cũ apparẽtia) est, quod nec per excommunicationem, nec alio modo, potest Papa Principem deponere à sua dignitate Imperiali & Regali*; de cuius sententia plura, *cap.* 8. videre licet.

De suprema potestate Ecclesiæ temporali. q. 2. cap. 5. ad 3. Allegationem.

6. Henricvs Ostiensis Cardinalis: valde gratus Innocentio quarto qui Fredericum deposuit in Concilio Lugdunensi. Huius opinio hoc in loco tantum nititur iure Canonico: *Ioannes tamen Parisiensis* ex Ostiensi tuo hæc refert. Extra: de Hæreticis, cap. Vergentis: *Quærit Ostiensis: (vbi mandat Dominus Papa hæreticorũ confiscari bona.) Quid ad*

Summa Tit. de Hæret. § Quæ pœna num. 11. Fichardus.

De potest. Regis & Papalis. 10

Papam de temporalibus? Et reſpondet cum Domino ſuo Innocentio, quod reuera nihil ad eum: ſed hoc fecit de aſſenſu Imperatoris, qui tum Paduæ præſens conceſsit. Si nihil Papę cum bonis temporalibus hæreticorum, niſi ex conſenſu Imperatoris, nihil Papæ cum Imperio, inuito Imperatore.

De Origine Iuriſdict. q. 4 n. 5.

7. Bertrandvs. Aduocatus & Cauſidicus Papæ, contrà Petrum de Cugnerijs, pro immunitatibus Eccleſiæ, coram Philippo Rege Francorum: dignus Cardinalatu, qui tam ſtrenuè cauſam Papæ ageret.

Auentin. lib. 7. pag. 608.

Hic pacti turbator (id enim Berchtrandus Germana lingua valet,) non ſolum legatos Cæſaris (Ludouici 4.) *à Pontifice (Ioanne 22.) ad ſe reiectos, nõ audiuit, ſed & cõtumelia affectos, quaſi hoſtes excedere Italia iuſsit.* Nec mirum, ſi in Imperatores & Reges iniquior, qui in Dominum ipſum impius. Dicit enim, *Ieſus Chriſtus Filius Dei, dum fuit in hoc mundo, & etiam ab æterno, naturalis Dominus fuit, & de iure naturali, in Imperatores & quoſcunq; alios depoſitionis ſententias ferre potuiſſet, & damnationis, &c. Et eadem ratione etiam eius Vicarius poteſt: nam non videretur diſcretus Dominus fuiſſe, (vt cum reuerentia eius loquar) niſi vnicum poſt ſe talem Vicarium reliquiſſet qui hæc omnia poſſet.* Hæccinè hominem de Deo? quem tamen, licet blaſphemiæ ex his verbis arguat *Barclaius cap. 27.* ne excuſare quidem conatur Bellarminus. Apagè cùm teſte tuo, nimium diſcreto, cuius & teipſum puduit, *De quoplura. cap. 27.*

De Benef. p. 3. quæſt. 8.

8. Ioannes de Sylva. Aliud agens, obiter recitat verba loco citato, cap. Ad Apoſtolicæ, ita vt in eo relatoris potius fides ſit, quàm teſtis authoritas. Qui etiam quam nimiam Papæ in diſpenſando authoritatem ex Canonibus aſcripſerit, legentibus eſt videre. Vbi etiam Papam Deum in terris appellat.

De Poteſtate ſæcularium, num. 5. & 6.

9. Stephanvs Avfrerivs: Deſenſor poteſtatis directæ, quam ſtatuit habitu eſſe in Papâ; in verbis proximè præcedentibus. Et poſtea concludit. Ergo Papa eſt Monarcha temporalis habitu: ſic teſtis tuus; tibi & nobis contrarius.

In ſpeculo lib. 1. Tit. de Legatis §. Nunc Oſtendendum.

10. Gvlielmvs Dvrandvs Speculator: Nititur authoritate Canonum; & ſi valeret authoritas Pontificum, in cauſâ ſuâ, non iam ventilaretur inter nos hæc quæſtio, de vſurpatione Papali. Sed attende quæ ſequuntur: *Et dat iis curatores, vbi ipſi ſunt inutiles ad regendum.* Non ſic Zacharias cum Childerico egit: nec ita agendum ſenſit Petrus de Palude. Vti ſupra.

In legem primã num 10. Cod. de ſum. Trin. & Fid. Cath.

11. Ioannes Faber. Hic oblitus eſt Maximæ illius Legiſlatum, cuius meminit Baldus cum dicat: *Non eſt dubium quin Papa ſit ſuperior omnibus Chriſtianis, & in ſpiritualibus & temporalibus.* Non eſt dubium? Et tamen *Scholaſtici certant, Et adhuc ſub iudice lis eſt.* Vt Trithemius. Hic de Imperatoribus adeò indignè ſenſit, vt dixerit, *Imperium fuit à Deo inſtitutum permiſsiuè; populus tamen fuit author & inſtitutor.*

Et

Et infrà: *Cum in Dei operibus nihil sit irrationabile, nihil malum, si Imperatores fuissent Dei dispositione instituti & non per violentiam vsurpassent; nec tot mali, tot insipientes, præfuissent, bonis & sapientibus, quot Scripturæ attestantur præfuisse, & Sanctos & sapientes trucidasse.* Quid hoc est? An Imperium à Deo permissiue? Imperium ergo inter mala & peccata: sola enim mala & peccata permittit Deus: quæ bona sunt voluit Deus. Si imperatores à Deo instituti essent, non essent tot mali: mutemus verba: si homines, si Pontifices à Deo instituti essent, non essent tot mali, tot impij, tot monstra & portenta hominum: aliter Paulus: potestates à Deo institutæ sunt: aliter *Faber*, potestates à Deo permissæ sunt. Et quantum distant illa à duobus principijs, ab hæresi Manichæorum? Sed in verbis citatis fidem tuam videamus Bellarm. *In casibus tamen præmissis* (ista omisisti, ne Papę minus placeret ista restrictio) *cum agitur de præiudicio animæ vel populi, potest Papa & debet prouidere*, &c. Cur verba sequentia amputàsti? *Vel interdicere ijs administrationem, & ex minore causa quam priuato*; nisi quia timeres, si sequentia attexisses, peiorem fore statum Regum sub Domino tuo, quàm cuiusuis priuati, omnes intelligerent? Mirum verò, quomodo placeat vox illa testis tui, *debet*; quâ prioribus Pontificibus peccatum omissionis, & successoribus necessitas executionis huius potestatis imponitur. Sed tamen hìc, qui tantum Papæ ascribit, alibi veriùs in alio proœmio: *Papa in verbis dicit se, seruum seruorũ, se nominando; de facto tamen se adorari permittit; quod Angelus in Apocalypsi refugit.* *In Proœm. Institution. Iustinian.*

12. AEGIDIVS BELLAMERA. Quem vidisse non contigit? asserit Papam posse deponere Imperatorem; fortè fretus authoritate canonum: rationem assignat; *Quia ab eo temporalitatem agnoscit*: (Quasi Imperator feudatarius Papæ.) Et etiam reges qui non tenent in feudum. Ergo Papa non solum Princeps spiritualis sed & Monarcha temporalis. An ista placent tibi? An Imperatori? At quomodo deponit? *Depositio Regum facienda per Papam*, non ex illa ordinaria, sed *ex quadam suprema & absoluta potestate* procedit. Si non ordinaria, non est talis potestas sicut dicit Capistranus: si extraordinaria est, vnde illa? Si in Christo ordinaria sit, quomodo extraordinariá in Pontifice? Si in Christo extraordinaria, vel in Petro, quomodo omnino in successoribus? Cum sola ordinaria transmittantur ad successores, extraordinaria sint personalia. Nec solum dicit extraordinariam, sed absolutam. Quid hoc? Sine limitibus? Sine Cancellis? Sed in hanc profusam adulationem prolapsi sunt Canonistæ & Legistæ, vt absolutam potestatem in Papa astruant, quam in Deo solum ordinatam esse contendunt nonnulli Theologi; non quia non potest omnia, sed quia ea sola potest quæ vult. Ego nullam absolutam in terra potestatem agnosco, cœlo & Deo propria est. Lex Sacerdotum Dei, est libet Dei: quid nobis cum absolutâ potestate terrena? *In Cap. Alius 1 quæst. 6. num. 1*

Repetitio ad C. Nouit de Iudicijs num.64. & num.127.

13. Ioannes Quintinus Haeduus: Loco citato habet hanc propoſitionem: Pontifex in Principem, Principiſque ditionem, Princeps in Pontificem, ſæpè & poteſt, & multa iure ſtatuit. In proſecutione iſtius propoſitionis habentur verba citata: *Quare ponimus vtrumque gladium Eccleſiæ datum.* At quando? Aut vbi dati? Si vterque datus Pontifici, quis à pontifice abſtulit? Et niſi ablatus, quomodo datus alteri? Et quando reſtitutus? Nunquam à Petro conceſſus Neroni: ergo ſi datus Eccleſiæ, apud Pontificem eſt, non apud Cæſarem: Principes Ethnici non ſunt Vicarij Petri nec Pontificis, & ſi poſſit ab ijs gladium tollere, nollet tales Vicarios dari fidelibus. Nôſti cuius hæc ſint Bellarmine. Sed rationem audi teſtis tui. *Eius decretis ſtandum eſt; nam quamuis homo ſit mortalis, tamen cœleſti poteſtate pollet*: non ſufficit terrena, non Eccleſiaſtica, non ſpiritualis, opus eſt cœleſti. Non vox hominem ſonat, ô dea certè. Non ſinè ratione Bonauentura, ex Dominationibus poteſtatem colligit deponendorum Regum. Quintinus ſecretum aperit; *quia cœleſti poteſtate pollet.* In verbis tamen citatis circa tranſlationem Impetij, hoc præterire non poſſum. *Hinc & Leo, (vt) Pontifex Romanus, eâdem fultus autoritate Carolum pariter Gallorum Regem, Romanum creauit Imperatorem: Romæ creauit Imperatorem*: ſic Quintinus ipſe, in eo fraus aliqua, fructus nullus. At vox illa: *vt*: à Bellarmino addita eſt in lucrum cauſæ ſuæ, Bellarm. contradictionis arguit: cuius hæc ſunt: *Pontifex non vt Pontifex, ſed vt Princeps ſpiritualis deponit Reges*: Si non deponit vt pontifex, quare addita eſt vox illa: *vt.*

De Rom. Pont. lib. 5. cap. 2.

De Rom Pontif. lib. 5. cap. 6.

Contra Molinæum c. 6. p. 106.

14. Remvndvs Rvffvs: Homo nuperus, qui tantum exempla profert, ſententiam non dicit: & argumentum à facto ad ius non valet. Atq; hæc de Scriptoribus nationis Gallicæ.

Inter hos Theologi tantum quinque. *Bernardus*, qui etiam poſt quæſtionem ortam per 80. ferè annos vixit, allegoricus eſt; nec tamen veſter, vt videbitur cap. 8. *Durandus*, & *Ertcus Brito* parum faciunt ad propoſitum. *Iacobus Almayn* totus noſter eſt: ſolus *Petrus de Palude* inter Theologos veſtram videtur partem tueri. Reliqui nouem Legiſtæ ſunt & Canoniſtæ, inter ſe & cum Bellarmino in multis digladiantes: Omnes inter partes, inter poſt natos; excepto *Bernardo*, nemo per 200. ferè annos poſt *Gregorium* 7. floruit; nullus liber, nullus verè Francus, ſed potius Galli, nouis Imperijs ſtudentes.

CAP.

CAP. IIII.

Examinantur Scriptores Illustres Nationis HISPANICAE.

HIspani *Romanæ sedi, quæ fidei Magistra est, sunt obsequentissimi*: Sic Rodericus Santius; fortè memor eorum quæ Scripsit Gregorius septimus: *Non latere vos credimus Regnum Hispaniæ ab antiquo proprij iuris Sancti Petri fuisse, & adhuc (lege tamen iniustitiæ non euacuatâ) nulli mortalium, sed solis Apostolicæ sedi ex æquo pertinere.* Ex quibus suspecti nobis esse poterant Hispani, vtpotè Romanæ sedi addictissimi. Verum, quicquid in hoc dogmate scripserunt nonnulli, pauci tamen inuenti sunt, qui ad fulmen Pontificium à fide suâ erga Dominos suos defecerunt: adeoq; verum est quod idem Rodericus. *Fidelis Domino Hispania; huic genti obedire Dominis natura est non quidem violentiâ sed amore; & cui fidem semel dederê, præstiterê simul & vitam.* Degeneres ergo illi Hispani, qui, vt Romanę Monarchiæ viam sternant, infidelem Dominis Hispaniam faciunt, sed qui sunt illi? *Part. 1. cap. 4.* *Greg. 7. lib. 1. Epist. 7.*

1. Primus in hoc ordine S. RAIMVNDVS, circa An. 1230. sub *Gregorio 9.* qui *Fredericum* excommunicauit; cuius iussu Decretales compilauit; quem tu *Sanctum* esse benè nosti, cuius Canonizationi per Clementē 8. præsens Cardinalis, An. 1601. subscripsisti. Et ante Clementē 8. nec opera huius prælo, nec miracula eius aureola digna visa sunt. Nec mirum est, si sanctus iste Decretalium compilator Romæ, iuri Pontificis faueat. Nam, vt est in prouerbio; *Nunquam cum Ecclesia fuit malè, nisi cum Decretis addebantur ale*: hinc enim, id est, ex his Decretalibus Ecclesiæ calamitas exorta est. Ad verba quod attinet; totus innititur Decretis; & in sequentibus paulò iracundior; quæuis, vel minima in potentibus vitia non fert; sed pro minimis depositionem minatur. Non noui Sanctos tam iracundos, tam seueros. *In summa lib. 1. Tit. de Hæreticis §. 7.*

——*Tantæne animis cœlestibus iræ?*

2. ALVARVS PELAGIVS; apud *Ioannem* 22. in pretio habitus, cuius Pœnitentiarius erat. Verba citata authoritate canonum solum probantur. Hic author, te authore, *dubius est*, hæret medius inter potestatem directam & indirectam, ideoq; sui similis. Hunc errasse notat *Nauarrus, in Lib. 1. cap. 13.* dum ait; *Idololatræ & Pagani nullam vnquam habuerunt iurisdictionem, ideo Regna eorum omnia pertinent ad Ecclesiam Christianam, id est, Papam, qui Præfectus est ei.* Et sicut in ista sententia errat secundum Nauarrum; sic & in illa opinione errat, si Pontificem temporalem *De Planctu Eccles. l. 1. Art. 21. Trithemius in Catalog. De Rom. Pont. lib. 9. cap. 5. Reldi. C. Nouit. de Iudicijs Notab. 3. num. 18.*

poralem Mònarcham faciat. Hic inter partes; contra *Gulielmum Ockam* ſcriptis egit & verbis. Et liber eius quamuis, *Planctus* dicitur, Triumphus tamen eſt, *Eccleſiæ* Romanæ.

Summa de Eccleſia lib. 2. cap. 113. Prop. 4. & cap. 114. Relect. 4. Prop. 23.

3. Ioannes de Turrecremata Cardinalis *Pontificiæ dignitatis aſſertor vehementiſsimus*; vt teſtatur Victoria. Hic ex *Petro de Palude, Henrico de Gandauo, & Ulrico* probat, & cum *Petro de Palude monitionem, correctionem, excommunicationem, contumaciam*, requirit, quas moras Pontifex vix ferat, cum ipſo facto excommunicatos, depoſitos, ſubditos abſolutos, velit.

De prima orbis ſede in Reſponſione ad 6. Prop. 2. parte concluſionis primæ.

4. Cyprianvs Benetvs: homo novus circa annum 1496. vt *Poſſeuinus*; cuius omnia ſcripta, vt ex titulis conijcere licet, in gratiam Papæ edita ſunt: hunc videre non contigit. Miror tamen in quem finem citentur hæc verba. *In traditione clauium includitur etiam collatio terrenarum poteſtatum pro conſeruatione bonorum ſpiritualium.* (nihil enim hìc de Regum depoſitione): An inter claues Petri eſt, & clauis terræ, ſicut cœlorum? An clauis aperiens & claudens Regna terræ Petro commiſſa, ſicut & clauis aperiens & claudens cœlos? Quin ergo corrigatur Euangelium, *Tibi dabo claues Regni cælorum*: cur non additum, & Regnorum terræ? *Quodcunq; ligaueris in terra, erit ligatum in cœlo.* Quid ni additum, & erit ligatum in terra? At claues iſtæ ligant in cœlo, non in terrâ. Verum numquid Papa poteſt conferre Regna terrena? Quid ergo eſt, quod timidè affirmas de Alexandro 6. eum *diuiſiſſe orbem nouum, non ad Reges debellandos, neq; ad eorum Regna occupanda.* Si Papa habet claues Regnorum terrenorum, quid eſt quod Reges infideles nõ debellet, Regna infidelium nõ transferat, tales vicarios infideles permittat, qui bonum ſpirituale non conſeruent, ſed diſſipent & euertant. Si in traditione clauium includatur collatio terrenarum poteſtatum, cur non licet cuiuis ſacerdoti vel ſaltem Epiſcopo, claues habenti, poteſtates terrenas & conferre & auferre, ſicut Papæ? Annon eædem claues Petri, & aliorum Apoſtolorum? Annon eædem Pontificis Romani & aliorum Epiſcoporum? *Annon idem meritum, idem Sacerdotium* in omnibus Epiſcopis? Annon *par conſortium honoris & poteſtatis?* Tibi dabo claues Regni cœlorum: *annon hoc dictum cæteris commune?* Quæ ſi ita ſint, duram ſeruiunt ſeruitutem Reges qui à ſingulis Epiſcopis deponi poſſent, ſi per datas claues, poteſtates terrenas & conferre & auferre poſſint. Quin exclament potiùs cum ſeruo illo apud Comicum: *Volo ego ſcire, quot mihi ſunt domini.*

De Rom. Pont. lib. 5 cap. 2.

Hieron. ad Euagrium.

Cyprian. de unitate Eccleſ.

Origen. in Mat. tract. 1.

Relect. 1. de poteſtate Eccleſiæ. Sect. 6. (non vt Bell. q. 5.) Prop. 8.

5. Franciscvs Victoria. Vir tantæ authoritatis, vt Theologorum & Philoſophorum Alpha & Princeps haberetur, cui cauſas ſuas de Indis, & repudio Catharinæ diſcutiẽdas, detulerunt Reges Catholici; vt in vita & laudibus eius dicitur. Hic tamen *in Relect. de Indis* hæc habet: *Infideles ſunt veri Domini: Dominium non amittitur propter infidelitatem. Stando in iure diuino, hæreticus nõ amittit dominium bonorum.*

Relect. 5. Sect. 2. 4.

Hæc

Hæc eſt omnium, & eſt nota. Ratio eſt. Cũ enim amiſsio bonorum ſit pœna, et nulla ſit pœna de lege diuina pro iſto ſtatu, conſtat, ſtando in iure diuino non amitti bona propter hæreſin. Depoſitio ergo nõ de iure diuino. Sic enim ſequitur: *Si propter aliam infidelitatẽ non perditur Dominiũ, ergo nec propter hæreſin: cum nihil ſit tantum ſpecialiter de hæreſi, quantum ad hoc in iure diuino.* Pœna ergo depoſitionis in iure diuino non fundatur; non eſt itaq; articulus de fide; & facit hoc Papa non niſi iure *Eccleſiaſtico*, id eſt, ſuo. Quin etiam in loco citato hæc habet. *Et eodem modo dico: Si populus Chriſtianus eligeret Principem infidelem, de quo meritò timeret quod Populum auerteret à fide, ille nihilominus manendo in iure diuino, eſſet verus Princeps, nihilominus Papa deberet admonere populum, imò præcipere vt tolleret, illum. Quod ſi nollet, aut non poſſet, tunc Papa ſua authoritate poſſet eum tollere, & qui prius erat verus Princeps authoritate Papæ perderet Principatum.* Et quo iure perderet Principatum? Manendo in iure diuino verus eſt Princeps, manendo in iure Papali verus Princeps perdit Principatum; & quod datum eſt iure diuino, Eccleſiaſtico tollitur. Nonne hoc eſt *irritum facere mandatum Dei propter traditionem veſtram?* Idem præterea verba Chriſti ad Petrum, *Paſce oues, ſignificare poteſtatem in ſpiritualibus, & non in temporalibus, docet. Relect. 5. de Indis Sect. 2. Tit. 2. Prop. 1. num. 3.* Quod vnum eſt è præcipuis fundamentis huius quæſtionis. *Matth. 15.*

6. DOMINICVS à SOTO. Sectator & auditor *Franciſci Victoriæ*; in tantum indirectæ poteſtatis aſſertor, vt directum pro *mero commento* & *nugamento* habeat. In quo tamen multa ſunt, quæ pugnantia videntur his, quæ à Bellarmino citantur. *Vtraque poteſtatum per ſe eſt ſufficiens, & diuerſimodè diuinitus inſtituta; ita, vt Regum quiſque in Regno ſuo, ſit in temporalibus ſupremus index à ſuâ Repub. creatus.* Vtraque per ſe eſt ſufficiens: Eſto. Quorſum ergo implorat poteſtas ſpiritualis brachium ſeculare? In Regibus deponendis populos in Principes concitat? Quid ipſe Soto? An conſtat ſibi? *Reſpondetur quod non ſatis fuiſſet Eccleſiæ conſultum, niſi rebus eius per potentatus ſeculares afflictis, dum arma ſpiritualia non ſufficiunt temporali quoq; gladio poſſet illos vrgere, quia tunc non haberet vim prorſus coercitiuam, qualis eſt illi neceſſaria.* Quomodo ergo ſufficiens eſt per ſe, hæc poteſtas ſpiritualis, cum per ſe non habeat vim coerciuam? Sed attende ſequentia: *Via ordinaria eſt baculum paſtorale, gladius ſecularis eſt extraordinarius: debet autem via ordinaria antecedere, neque gladio vti temporali, niſi ingruente, exigenteque neceſſitate; viz. dum vires ſpirituales expertus, cognoſcat illas non eſſe ad rem ſatis*: ergo poteſtas ſpiritualis per ſe ſufficiens non eſt. *In 4. Sent. Diſt. 25. q. 2. Art. 1. Concluſ. 5. In loco citato.*

Vnuſquiſque in Regno ſuo in temporalibus Iudex ſupremus: Papa ingenuè fatetur ſe non habere poteſtatem in temporalibus ſuper Regem Franciæ: *c. per venerab. qui filij ſunt legitimi.*

& quicquid alij ſomniant, id de omnibus Regibus intelligit; Papa ergo ſuper Regem in temporalibus poteſtatem non habet: quomodo ergo deponit in temporalibus, qui in temporalibus poteſtatem non habet? Pugnantia ergo loquitur teſtis tuus.

De Iuſta Hæreticorum Punitione lib. 2. cap. 7. In Præfatione.

7. Alphonsvs de Castro: homo itidem nouus & partium ſtudijs addictiſſimus; qui apud nos Anglos, *multa contra hæreſes ſub Philippo & Maria eorum congiario ampliſſimo enutritus recognouit, contra Lutherum, Zuinglium, Caluinum alioſq;*, acerbiſſimus ſpiritu Tridentinorum Patrum adactus eſt; in cuius verbis rationem potiùs quam authoritatem videamus. *Nec mirari* (inquit) *debet aliquis, quod Papa propter hæreſis crimen Regem à Regia dignitate deponat, & regno priuet; quoniam in negotio fidei etiam Reges, ſicut & alij inferiores ſubduntur ſummo Pontifici.* Eſto: hæc regi eſt ratio: Rex in negotio fidei ſubditur Pontifici ſummo: ergo ſummus Pontifex poteſt deponere Regem: idem medium cuilibet Sacerdoti & Epiſcopo eandem aſcribit poteſtatem. Pari ratione dicuntur iſta, quâ & illa quæ de Hæreticis morte mulctandis, ex Galeno, & Alphonſus tuus & tu ipſe Bellarm. colleg ſtis.

Bellar. de Laicis lib. 3. cap. 27.

De Catholicis Inſtitut. Tit. 45. num. 25.

8. Iacobvs Simanca; rigidior & iniquior in Principes, patres, maritos, dominos, quam par eſt, aut cauſa exigit, aut communis fert opinio Theologorum & Iuriſtarum. Dum enim negat iuriſdictionem ciuilem Papæ in Regnis ſecularium Principum: & tamen ſtabilire conatur poteſtatem hanc indirectam Reges deponendi in ordine ad ſpiritualia, eoruſq; excommunicationis effecta contra communem opinionem extendit, vt *Catholica vxor hæretico viro debitum reddere non teneatur*. Et iterum. *Ex eiuſdem Gregoriane conſtitutionis verbis conſtat hæreticum eſſe priuatum omni dominio ſcilicet naturali, ciuili & politico; naturali quod habet in filios: nã propter hæreſin Patris efficiuntur filij ſui iuris; ciuili quod habet in ſeruos, ab eo enim ſerui liberantur; politico, quod rerum Domini habent in ſubditos, quo hæretici quoq; priuantur.* Hæccinè vel tibi placent Bellarmine? Præterea *hæreticis manifeſtis eorum vaſſalli non tenentur, nec quiſquam ijs depoſitum reddere, aut fidem, aut obſequium præſtare debet*: Quid hoc? An ſine ſententiâ Iudicis liberi ſunt vaſſalli? Non ergo ſolus Papa deponit, ſed etiam Populus. Quod manifeſtius alibi loquitur; *Si fortè Principes in hæreſin lapſi fuerint (quod malum vtinam nunquam euenìſſet) protinus vaſſalli & ſubiecti ab eorum dominio & iuriſdictione liberantur; & à Regno quidem ſunt expellendi, ne illis regnantibus ruina ſubditorum fiant: Itaq; meritò Scythæ Regem ſuum Scylen occiderunt propter externos ritus, quia ſacris externis initiatus erat.* Annon inter Partes iſte Simanca, Regibus iniquiſſimus, qui negat ius ſoli Papæ reſeruatum, dum populo poteſtatem facit Reges deponendi, dum effræni multitudini fræna laxat & iura confundit, vt Regibus incommodet? Sed oblitus fortè eſt Simanca eorum quæ dixerit, vtpotè qui pœnam Regum in Deum reijcit: *Glorioſa*

Ibid. Tit. 23. num. 11. & 13.

sa in Deum pietas, regijs honoribus immobile fundamentum est: & impij Reges miseri ac mali malè perennt: (non sic peritè depositi à Pontificibus) *contrà verò pietatis cultores sine labore vincere solent & adversarijs prævalere*: quod probat ex Clemente, qui ait; *Quot verò Reges à Deo defecerunt, rebellione sua brevi tempore interisse iusto Dei indicio, & vita eos privatos fuisse, pro requisite æternum supplicium consecuturos.* Et ex Isidoro refert, *Christianos Principes reddituros esse rationem propter Ecclesiam quam a Christo tuendam suscipiunt; sinè augeatur pax & disciplina Ecclesiæ per fideles Principes, sinè solvatur, ille ab ijs rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam tradidit*, &c. Et postea, *Sacerdotum est admonere & corripere hæreticos, sed Principes & Laici indices illos punire debent: arma enim Ecclesiæ adversus pertinaces hæreticos nihil ferè prosunt, nisi à Principibus Laicis manu militari inventur.* Ex his; Deus vindicat in Reges rebelles; Reges rebelles citò pereunt; Deus exigit à Regibus rationem Ecclesiæ: nihil hæc ad Pontificem, vel ad Reges à Pontificibus depositos qui à Deo prosperati sunt. Sacerdotum est admonere & corripere hæreticos, Principis verò punire; quomodo ergò Principes hæreticos punit Pontifex, cum nè subditos sine Principe punire possit. *Num. 5.* *Num. 3.* *Num. 6.*

9. DOMINICVS BANNES partium studijs itidem addictissimus, vnus ex Commentatoribus Thomæ, cuius glossa, si non corrumpit, certè antevertit vel pervertit textum. Thomas quærit de infidelibus & Apostatis, Bannes verò, sicut & Bellarm. verba Thomæ detorquet ad hæreticos: hic tamen à *iure divino positivo*, potestatem hanc esse asserit, quam habet Pontifex ad auferendum Dominium: à fide ergo ablegat. Quin & Bannes iste Regibus pauò iniquior, non solum enim Pontifici, sed & populo, non privatà sed publicà authoritate freto hanc potestatem tribuit, vt Principem pellere à Regno & authoritate privare possit, quando fidem Ecclesiæ, imo etiam quando corruptis moribus Reipublicæ commodum destruit; licet non intercederet ratihabitio Pontificis. Miseri Reges qui à Clero & Populo deponi possunt solum ex jure divino positivo, id est, Ecclesiastico, nam jure divino scripto, nihil tale pœnale aut judiciale descriptum reperitur. *In 22. q. 10. art. 10. in fine Commentary, §. quarta Circ. Et quæst. 12. art. 2. in Com. §. circa ultimam Conclus.* *Q. 12. Art. 2. ad secundum respondetur.*

10. MARTINVS LEDESMIVS; & ipse inter Commentatores Thomæ in loco citato *ampliſsimam potestatem Papæ temporalem super omnes Reges, Principes, & Imperatores ad finem spiritualem astruit.* Sed quousq; illa potestas se extendat prorsus tacet: & potestas hominum ampliſsima, vt & plenitudo omnis pro modulo & mensurà recipientis intelligenda est: Ampliſsimam habet Episcopo vel Pontifici competentem: Conclusione tertia affirmat, quod *Papa non habet potestatem deponendi Principes seculares, etiam ex causa iusta, eo modo quo potest deponere Episcopum; intelligo semper ratione authoritatis temporalis.* Hæc non fa- *2. 4. q. art 4. Conclus. 8.*

cilè

cilè conveniunt; habet ampliſſimam poteſtatem temporalem, & non deponit ratione temporalis poteſtatis. Sed mortuus eſt iſte Ledeſmius, 1574. homo nuperus & novitius.

22. *Diſput. 1. q. 12. puncto. 2. Aſſer. 2.*

11. Gregorius de Valentia Ieſuita; qui etſi poteſtatem Papæ in Regibus deponendis aſtruat, in eo tamen multa ſunt quæ cauſæ Bellarm. parum conferunt. Quamvis enim ſit in eodem errore cum Banne, quod hæc quæſtio quæ de Apoſtaſia à fide proponitur, de totali & partiali, id eſt, de Apoſtatis & Hæreticis intelligenda ſit, contrarius tamen eſt in multis: prima enim eius aſſertio hæc eſt: *ſolo iure naturali & divino non privatur aliquis dominio & prælatione in ſubditos propter Apoſtaſiam à fide; vt Thomas, & alij Theologi communiter*: rationem adhibet: *Nam fundamentum dominij & prælationis non eſt fides, ſed aliquis alius titulus politicus, robur habens ex iure Gentium; ſcilicet vel ſucceſſionis hæreditariæ, vel electionis, vel iuſtæ acquiſitionis per iuſtum bellum; qui tituli poſſunt etiam manere ſine fide*: in quem ſenſum adducit Auguſtini ſententiam de Iuliano; in Pſalm. 124. Solum jus divinum & naturale non privat Apoſtatam vel Hæreticum, dominio vel prælatione in ſubditos; aliud ergo adhibendum eſt jus præter jus naturale & divinum, quo hæc pœna depoſitionis ſtatuenda ſit, hoc eſt jus Eccleſiaſticum: (atq; hîc, aut pugnant Bannes & Valentia, aut *ius divinum poſitivum*, apud Bannem, & *ius Eccleſiaſticum* apud hunc, idem ſunt:) neq; vſquam extat jus aliquod divinum, quo eiuſmodi tituli enerventur propter defectionem à fide. At ingenuè fatetur Valentia, quod res eſt; jure Eccleſiaſtico: at quo jure Eccleſiaſtico? *Iure Eccleſiaſtico, atq; adeo per ſummi Pontificis, ex quo id ius manavit, authoritatem atq; ſententiam*: jure ergo Pontificio, & ſuo in cauſâ ſuâ, Papa privat Apoſtatas & Hæreticos, dominio & prælatione ſuper ſubditos. Quod cum intellexit Bellarm. fraudulenter omiſit verba illa (à ſummo Pontifice id jus manat) quæ produnt omnem authoritatem huius juris Eccleſiaſtici ex ſcrinio pectoris Pontificij dimanâſſe, & ab eius ſolius voluntate pendere.

Tract. de Succeſſione Regum, num. 30.

12. Gvlielmvs de Monferrat. Hic verba citata obiter recitat: quærit enim *an Pater poſſit primogenitum filium non primogenitum facere*; reſpondet, non poſſe; *quia non privatur per teſtatorem, ſed potius comminatur privandus per Vicarium Chriſti, legem vivam; qui de cauſâ poteſt quemcunq; Chriſtianum Principem privare, prout privavit & depoſuit Hildericum, cap. Alius*: & *tranſtulit Imperium cap. Per venerabilem*. Vbi à facto ad jus totum eius procedit argumentum: ſanius multo in ſequentibus num. 40. *Rex Francorum, Regnum, & eius Regni regnicola, neminem recognoſcunt in ſuperiorem, etiam Romanam Eccleſiam*: & in fine libri, ait: *Salvo ſemper alicuius Pragmaticæ ſanctionis tenore, per Regem & eius Regni magnates, & trium ſtatuum deliberationem ſuper his diſponente*. Vtcunq; in

cauſâ

cauſâ teſtis tuus totus eſt in jure Canonico, cui ſoli innititur hæc poteſtas.

13. ALPHONSVS ALVAREZ, Iuris-Conſultus Papæ addictiſsimus, qui totus eſt in allegatione Iuris Canonici, & Gloſſæ Innocentij, & Hoſtienſis: Quibus judicibus ferè actum erit de cauſâ noſtrâ. Teſtis tuus in jure divino et naturali prorſus ignarus: *Sacerdotium* (inquit) *prius eſt Regno in inſtitutione*: qui error refutatus eſt in ijs quæ diximus de Gabriele Biel. Præterea vrget hanc rationem. *Ponere duo principia eſt hæreticum; ſic etiam ponere duos Vicarios æquales in terris eſt hæreticum*: Eſto; Imperator Vicarius Dei eſt in Imperio: Rex Hiſpaniæ in Regnis ſuis, aut hi duo Vicarij ſunt æquales, et ſic non eſt hæreticum, aut Imperator ſuperior eſt, et poteſt Regem Hiſpaniæ tanquam inferiorem deponere, quod ille, credo, non feret. Sed videamus rationem. *In Eccleſiâ triumphante vnus Princeps ſummus, cuius obedientiæ tota Eccleſia perfectiſsimè eſt ſubiecta; ſcilicet Deus: neceſſario ergo ſequitur, quod etiam Eccleſiæ militanti vnus ſummus Princeps præſideat.* Si de Chriſto hæc intelliguntur vera ſunt; ſi de Vicario, non item, quia et multi ſucceſsiuè Vicarij erant, et etiam ſimul fuerunt, et aliquando etiam nullus extitit Pontifex. Non ergo neceſſariò hoc ſequitur; quia ſi neceſſariò, aliter fieri non poteſt. Præterea à Domino ad Vicarium non ſequitur ratio: ſub vno enim Domino ſunt multi Vicarij æquales, non ſibijpſis ſubordinati. Abeat ergo teſtis iſte in numero eorum, de quibus ſententiam ſuperius tulit Victoria. *In ſpeculo, c. 16*

14. ANTONIVS CORDVBENSIS; cuius verba citata, aſſerunt *ſubiectam eſſe poteſtatem civilem poteſtati ſpirituali*, non temporali *Papa in caſu neceſſitatis, & aliquo modo*; ſed quo modo, vel quovſq; , non explicat; & *Papa habet poteſtatem, authoritatem, & iuriſdictionem aliquam temporalem ſuper omnes homines, & Principes, & res omnes, & Regna totius mundi*, ergo etiam & infidelium; & ſi ad depoſitionem hæc extendenda ſunt, æqualiter ad eorum regna ſunt referenda. In ſententiâ tamen iſtâ contradictio eſt: poteſtas civilis poteſtati Papæ ſpirituali nõ temporali, ſubjecta eſt; & Papa habet poteſtatem temporalem in Regna. Sed quæſtionem de depoſitione non attingit; poteſt enim eſſe ſuperioritas & ſubjectio inter poteſtates ſine depoſitione; vt ſæpius diximus. *Quæſtionarij, l. 1. q. 57. dub. 3.*

15. LVDOVICVS MOLINA Ieſuita. In hac concluſione aſſerit, *poteſtatem ſpiritualem ad finem ſpiritualem adiunctam, quaſi ex conſequente habere ſupremam & ampliſsimam poteſtatem iuriſdictionis temporalis, ſuper Principes in Eccleſiâ conſtitutos ad eorum depoſitionem & privationem, ad eorũ leges infirmandas: idq; non ſolũ cenſuris, ſed etiam pœnis externis, ac vi ac armis, nõ ſecus ac quivis alius Princeps ſecularis: tametſi vt plurimũ expediens ſit ſummũ Pontificem nõ per ſe, ſed per Principes ſeculares id exercere.* Et infra. *Si Princeps aliquis hæreticus aut ſchiſmaticus fieret, poſſet ſummꝰ Pontifex vti adverſus eum gladio temporali; procedereq;* *Tom. 1. de Iuſtitia & Iure. Tract. 2. Diſp. 29. Concl. 3.*

vſq; ad depoſitionem, & expulſionem illius è Regno. At hic quæro à Molinâ; quo gladio temporali? An ſuo? ſi temporali, tum & ſuprema poteſtas temporalis eſt Pontificis, quod diſertè negat: poteſtas enim ſuprema temporalis, & gladius temporalis idem ſunt apud Molinam, in principio huius Diſputationis 29. Si verò non ſit Pontificis, quomodo vti poteſt per ſe, & vi & armis cogere? An Pontifici licitum eſt gladium temporalem è manibus Imperatorum & Regum extorquere, & in latera hæreticorum intorquere? Aut ergo ſuus eſt, & tunc habet ſupremam poteſtatem temporalem directè, aut ſuus non eſt, & tunc non poteſt per ſe vi & armis deponere. Præterea hic, vt & omnes Ieſuitæ, Regibus infeſtus; vtpotè qui non ſolum in cauſis finem ſupernaturalem ſpectantibus judicio Papæ, ſed etiam in cauſis finem politicum & naturalem præcisè ſpectantibus, Reipublicæ judicio deponendos ſubijcit. Quis tamen meliora expectaret à *Ieſuita?*

De Reſtitutione ſuper Regulam Peccatum. p. 2. §. 9. num. 7.

16. Didacvs Covarruvias: hic obiter de jure belli agens quærit, *An ſummus Pontifex temporalem, in toto orbe Chriſtiano iuriſdictionem, & poteſtatem immediatè ſibi commiſſam à Deo habeat, quoad habitum, etſi eius vſum & exercitium in Imperatorem tranſtulerit:* de quâ, citatis multorum opinionibus ſic concludit. *Hæc etiam ſententia vera eſt in hunc ſenſum; vt Papa verè habeat poteſtatem temporalem, etiam ſupra Imperatorem ipſum, quatenus ei vtilis & neceſſaria ſit, ad Eccleſiæ Catholicæ regimen, & ſpiritualis poteſtatis vſum; non quidem aliter; quamobrem hæc poteſtas potius erit ſpiritualis quam temporalis.* Quæ verba (*non quidem aliter* & ſequentia) quare omiſiſti? Non quidem aliter, id eſt, niſi aperta & neceſſitas & vtilitas: at nulla neceſſitas, quia per mille annos ſine hâc poteſtate crevit & floruit Eccleſia: & nulla vtilitas, quia poſt aſſumptam hanc poteſtatem, *Turcæ* magnam partem Chriſtiani orbis ſubegerunt, & Papatus in angulum concluſus iam penè de vitâ deſperat. Et præterea ſecundum teſtem tuum, poteſtas hæc potius ſpiritualis, quam temporalis dicenda eſt: non ergò in pœnis temporalibus, ſed ſpiritualibus verſatur. Id quod eo magis probabile eſt, quia Papa, inquit, habet poteſtatem temporalem in ipſum Imperatorem, ſed quoviſq; ſe extendat hæc poteſtas, non dicit: Quicquid tamen dicit in hâc cauſâ, abſq; vllâ hæreſeos ſuſpicione dici poſſe aſſerit, quia *hactenus nihil certum in hac controverſia Eccleſia Catholica definivit.* Nec tamen ignoravit Concilabulum *Lateranenſe* cuius definitionem vrget Bellarm.

Illuſtrium controverſ. l. 1. c. 21.

17. Ferdinandvs Vasqvivs, I.C.; qui in hac controverſiâ parum aut nihil ad propoſitum: duas recenſet opiniones in principio capitis; quarum poſterior eſt: *Summus Pontifex non habet iuriſdictionem in temporalibus, ſed tantum in ſpiritualibus,* & de hac opinione ait; *hæc ſecunda opinio eſt frequentior, & hæc pars, cum moderamine illicò dicendo, verior eſt, & ex noſtra ſententia principali probata:* Et poſt ſex loca

contra

contra temporalem Monarchiam Papæ allata, ſic ratiocinatur contra directam poteſtatem.

Poteſtas datur propter vſum. At Dominus Chriſtus nullam ſecularem iuriſdictionem exercuit; Ergo, nullam ſecularem poteſtatem habuit: Ergo, nec Vicarius habet. Ex eâdem maiori ſic itidem contra indirectam licet ratiocinari. Poteſtas datur propter vſum; Dominus Chriſtus nullam juriſdictionem indirectam in deponendis Regibus exercuit: ergo, nullam juriſdictionem indirectam Regum deponendorum habuit: ergo, nec Vicarius eius habet: Minor in vtroq; ſyllogiſmo æqualiter vera; ergo & valet concluſio ſecunda, ſicut & prima. Poſtbæc habet verba citata; quorum rationem aſſignat quam omiſit Bellarminus, *ſunt enim bæc ſpiritualis iuriſdictionis appendititia:* tum addit; *Id quod admittunt communiter vtriuſq; partis fautores:* Non dicit Vaſquius, Papa habet juriſdictionem temporalem, ſed in temporalibus: & annon Decimæ, legata, teſtamenta, adulteria, vſuræ ſunt inter temporalia, & tamen juriſdictionis ſpiritualis appendititia? Atque id non ſolum fautores vtriuſq; partis, ſed et nos concedimus. Præterea; Papa habet juriſdictionem in temporalibus, quatenus neceſſaria ſunt temporalia ad ſpiritualium expeditionem; at ſine hac Regum depoſitione expedita ſunt ſpiritualia per mille annos: de illâ igitur in teſte tuo altum ſilentium. Ideò in ſequentibus, bis reſtringit poteſtatem Papæ ad ſpiritualia tantum; *Sed vt homo Chriſtus, noluit aſſumere in terris principatum in temporalibus, ſed tantum in ſpiritualibus: & conſequenter in ijs quæ ad ſpiritualium expeditionem & conſervationem ſive augmentum neceſſaria ſunt; ſicq; Vicario ſuo, Papa, temporalia non reliquit, ſed tantum ſpiritualia, & quæ ad eorum expeditionem de temporalibus neceſſaria eſſent.* Inter quæ depoſitionem non recenſet; tranſeat ergo teſtis ille tanquam mutus in hâc cauſâ.

18. MICHAEL de ANINION: poteſtatis directæ aſſertor ſummus: *cui Papa eſt ſummus Monarcha temporalis totius orbis: licet non habeat vſum gladij temporalis: Poteſtas Imperatoris eſt à Papâ Vicario Chriſti, cui eſt ſubordinata: poteſtas Papæ immediatè eſt à Deo, ipſiq; ſoli ſubeſt. Iſta ſi concedantur, ſequitur concluſio, Papa poteſt Imperatorem deponere, cauſis exigentibus.* Imò etiam ſine cauſâ: ſi enim Papa conſtituit Imperatorem Vicarium ſuum in temporalibus, et vſum gladij illi committat, quem habitu ſibi retineat; & liberum ſit vnicuique Domino pro beneplacito voluntatis ſuæ Vicarios quos velit conſtituere, et quando velit deſtituere, etiam ſine cauſâ; quidni et liberum ſit Papæ Vicarios ſuos ad libitum deſtituere? Fruſtra ergo addita eſt clauſula illa, (*cauſis exigentibus*) vbi ſufficit voluntas Domini pro ratione. Sed præmiſſæ, authore Bellarmino, falſæ ſunt; vtraq; poteſtas non eſt penes Papam; *De vnit. Ovilis, & Paſtoris, num. 12.*

pam; poteſtas Imperatoris non eſt à Papa; Sophiſta ergo Bellarmin. qui negat præmiſſas & concluſionem arripit: Præterea hæc tantum recitat ex *Panormitano.*

Comment. ad Cap. Novit. de Judicijs: Notab. 3 num. 41.

19. NAVARRVS; cuius verba numero 41. vt à Bellarm. citantur, non invenio; licet à ſenſu eius parum diſtent; adeoq; magis miror Navarri inconſtantiam, qui ex Cap. Per venerab. Qui fil. ſunt legit: nervoſè vrget, *quod Rex Franciæ in temporalibus ſuperiorem non recognoſcit*: primò, *quod certè ipſe Papa non dixiſſet, ſi ipſemet, qui dicebat, illius fuiſſet ſuperior in illis.* Secundò, *noſtræ iuriſdictioni ſe ſubijcere potuit; nónne apertè indicat, eum non eſſe iuriſdictionis Papæ quoad temporalia ſine ſubiectione voluntaria. Potuit ſe ſubijcere; non dicit, debuit.* Tertiò, *Rex Franciæ poteſt legitimare ſubditos ſuos quoad temporalia, ſine vllius alterius conſenſu; quod facere non poſſet, ſi Papam recognoſceret ſuperiorem*: Quæ de Rege Franciæ dicit, ad Regem quemlibet transferri poſſunt: quibus ſi Papa ſuperior non ſit in temporalibus, eos deponere non poteſt. Præterea Navarrus, contra multos conteſtes à Bellarmin. citatos, author eſt *Regnum antiquius eſſe Sacerdotio, præcipuè Evangelico*, Num. 89. Et in hac quæſtione diſputat in vtramq; partem potius quam definit, vtpotè qui ingenuè agnoſcat nihil in hac cauſâ, pro alterutrâ parte, ab Eccleſiâ definitum eſſe: etſi diu poſt Lateranenſe Concilium natus ſit. Atque hæc de Scriptoribus Hiſpanicis. Inter hos Theologi pauciores; Legiſtæ & Canoniſtæ numero vincunt: Eorum primus *Raimundus*, non niſi anno milleſimo ducenteſimo triceſimo quinto vixit; Gregorio Septimo, & hâc Controverſiâ poſterior: cæteri recentiores, aliqui *Ieſuitæ*: Annon inter poſt natos hi omnes; an inter liberos? an potius inter partes? Et inter hos, quinque in locis citatis, *Cyprianus Benetus*, *Ledeſmius*, *Antonius Cordubenſis*, *Covarruvias*, & *Vaſquius*, ſtatum quæſtionis non attingunt: reliqui Romanæ ſedi obſequentiores, quam par eſt ſubditos Regum Hiſpaniæ; *infidelem Domino Hiſpaniam fecerunt*, vitam ab Hiſpania acceperunt, fidem Romæ dederunt, his patriæ & Regni deſertoribus fidem habere vix tutum.

CAP.

CAP. V.

Examinantur Scriptores Illuſtres Nationis GERMANICAE.

GErmanis *libertas auro pretioſior; ideo iugi impatientes ad libertatem aſpirant*, vt de illis Mutius: Apud quos in more erat, ex nobilioribus Reges creare, Duces propter factorum magnitudinem eligere, communibus omnium ſuffragijs: tantumq; abeſt vt Regibus liceat tyrannidem exercere, vt etiam nihil audeant conſtituere, in rebus quoq; exigui momenti, ſed omnia Populo ſciente & conſentiente agere cogebantur, & vel ob minimam tyrannidis ſuſpicionem è Regno pellebantur: apud quos Rex & Dux magis exemplo, quam imperio præcedit. Quinimò non ſolum tyrannidis, ſed etiam otij & quietis in Regibus impatientes ſunt. Qua de cauſa *Alaricum* & *Segeriebum*, poſt multa bella paci & tranquilitati deditos decollarunt & obtruncarunt: Tyrannis ergo infeſta, fera Cæſaribus, rebellatrix audit *Germania*. Natio verò *Germanorum*, vt libertatis amans, ſic religioni dedita: ſupplicia criminum leviorumq; flagitiorum in manu Sacerdotum erant, non ex authoritate Regum aut Principum ſed *Deorum*: Religionem enim *Deorum* ſupra omnem humanum Magiſtratum collocabant: perſuaſioq; hæc de Dijs ſuperſtitioſa, ſeditiones cavebat, & plebem in officio retinebat, quod per alios Principatus impoſſibile erat. Et libertatis ergò cupidi tyrannos non ferunt, et religionis obſervantiſſimi, Sacerdotes in pretio habent. Quàm malè conveniunt religio et inobedientia; pietas in Deum, et in Reges etiam impios, impietas? Hæc de illis forſan tum vera eſſe poterant, cum literarum, præſertim divinarum rudes, Imperatorum et Ducum feracior foret Germania quam Scriptorum: Iam magis placet quod ibidem idem Mutius: *Pugnando in prælijs omnes ad Principem exercitus reſpiciunt, omnibus cura eſt, vt illum imitentur, vt placeant illi: Principi viciſſim ſtudium vt ad animoſitatem exercitum provocet.* Nullum maius dedecus quam Principe relicto fugere; imo Principe vivo, & re non prorſus deſperatâ, reſpicere, fugere relictis armis, aut Principe, flagitium haberi conſueverat maximum. *Iura Patrocinij Germania fortis adorat.* Germani quaſi fortes fratres; Germani, amantiſſimi ſocietatis. Si qui ergo inter Germanos reperiantur qui Religionem à Repub. pietatem in Deum, à pietate in parentes & patriæ patres ſeparant, qui inter Regnum & Sacerdotium divortium machinantur, non Germani veri, quibus relicto Principe, fugere dedecus, ſed feroces & rudes regionis illius incolæ, qui religionis ſuco, tanquam pallio infidelitatis & proditionis, abutuntur.

In hiſtor. Germ. lib. 1.

Inter

In Epiſt. apud Dodechinum.

Inter hos primus STEPHANVS, (non Protomartyr, ſed proto-proditor, proto-mendax) Epiſcopus Albeſtatenſis; qui quia ab Henrico tanquam hoſtis capitalis incarceratus fuit, plurima in eum maledicta evomit: primus docuit obediendum Principi quamdiu bonus eſt; non obediendum Principi malo. *Quæ autem ſunt poteſtates, à Deo ordinatæ ſunt; Da igitur poteſtatem ordinatam, & non reſiſtimus, imo dabimus illico manus. An Rex Henricus habet ordinem? An ordo, ius dare ſceleri, faſq; nefaſq;, divina & humana confundere? An ordo in proprium corpus peccare, vxorem propriam lupanar facere? Hæc qui ordinata, qui ſana dixerit, hunc inſani capitis eſſe inſanus iurat Oreſtes.* Poteſtates à Deo ordinatæ, id eſt, inſtitutæ; vel ordinatæ, id eſt, ordine diſpoſitæ; aliæ ſuperiores poteſtates, inferiores aliæ: poteſtates ipſæ à Deo ordinatæ ſunt, et bonæ, licet ſortè

In Rom. Hom. 23

Potentes et Magiſtratus ipſi mali ſint, vt *Chryſoſt. Stephanus* iſte verè, (licet ſortè *Wiclefus* falsò) etſi ſine nomine, accuſatur & damnatur in *Concilio Conſtantienſi*; dum docet Principem in mortali peccato exiſtentem non eſſe Principem, nec illi obediendum. Hanc Theologiam, qui ordinatam, qui ſanam dixerit, hunc inſani capitis eſſe, inſanus jurat *Oreſtes*. Quid enim? An, quia Princeps malus eſt, ideò poteſtas à Deo ordinata non eſt? Pari ratione dicere licet: Humana natura non eſt à Deo ordinata, quia homines mali ſunt, adulteri, fures, homicidæ, perjuri. *Dabo tibi Regem in furore meo*: Idem Deus *facit hypocritam regnare propter peccata populi*. An quia Rex hypocrita, ideò nec Rex, nec Regnum à Deo ordinata ſunt? An poteſtas ſpiritualis à Deo ordinata non eſt, quia Pontifices mali ſunt, et monſtra & portenta hominum? Quid in ſequentibus? An magis Theologicè? *Omnis qui dignitates vendit ſpirituales, hæreticus eſt*: At quomodo hæreticus? In fide, an in facto? An hæreſis error eſt in facto? Quidni ergo et homicidia, et adulteria, et furta, et proditiones inter hæreſes habentur? Sed hæc eſt fraus et tyrannis Romanenſium: Quicquid vobis non placet, hæreſis eſt. *Peſtifera & mortifera dogmata non ſunt, niſi illa quæ opponuntur dogmatibus fidei per quam ſuſtus vivit*: Sic Thomas. *Hæreſis eſt error in fide, cum pertinacia.* An qui Epiſcopatus vel Abbatias vendit, errat in fide, et hæreticus eſt? Ergò Papa et Curiales Romanenſes omnes hæretici ſunt: nemini enim petenti, proviſiones, diſpenſationes, facultates negant: nemini petenti vacuas manus habenti concedunt: vndè rythmus ille.

Osee. 13. 11. Job. 34. 30.

2. 2. q. 11. art. 2. In contrario.

Albericus Roſate, in verbo Roma.

Curia Romana non petit ovem ſine lanâ:
Dantes exaudit, non dantibus oſtia claudit.

Vndè ſi vendere Epiſcopatus, Abbatias, Præbendas, Beneficia, ſit hæreſis; et Papa ipſe hæreticus, quia Simoniacus, eſſe poteſt, vti *Themas*. Quod ad mendacium de Simonia Henrici à Stephano excogitatum attinet, dicturi ſumus, cap. 9.

2. 2. q. 100. art. 1. ad 7.

2. HVGO

2. HVGO de Sto. VICTORE: qui cauſæ Bellarminianæ parum propitius. *Spiritualis poteſtas terrenam poteſtatem, & inſtruere* (ſic enim dicit Hugo, non inſtituere, vt Bellarm. legit) *habet vt ſit, & iudicare habet, ſi bona non fuerit, &c.* At aliud eſt, inſtruere, aliud, inſtituere. Sed eſto (inſtituere) ideò & *Hugo* ſeipſum interpretatur. *Vnde in Eccleſiâ adhuc Sacerdotalis dignitas poteſtatem Regalem conſecrat, & ſanctificans per benedictionem, & formans per inſtitutionem*: inſtitutio ergo iſta inſtructio eſt. Sed, *Iudicat ſi bona non fuerit*, quid hæc ad depoſitionem? An omnis qui judicat, ſtatim deponit? Annon eſt judicium ſpirituale, tum in foro interiore, tum in foro contentioſo? Annon judicat qui à ſacris prohibet, quiq; inter Ethnicos & Publicanos redigit? Qui tamen ita judicet, non deponit. Quin & *Hugo* ſeipſum interpretatur de judicio ſpirituali non temporali; cap. 7. *Spiritualis ſiquidem poteſtas, non ideo præſidet, vt terrena in ſuo iure, præiudicium faciat.* Sic ergo judicat, vt poteſtati terrenæ non præjudicet, quod facere neceſſe eſt, ſi judicium ſit temporale. Quin & *Alexander Alenſis*, qui hæc ipſa verba *Hugonis* recitat, de judicio & pœnâ tantum ſpirituali intelligit. *Thomas* etiam *Waldenſis*, ex ijſdem verbis nihil tale colligit, quin potius contrarium. *Ioannes* etiam *Pariſienſis*, ex profeſſo reſpondet his verbis *Hugonis*; & eadem colligit ex ijſdem cap. 12. Quæ fuerit ſententia *Hugonis de Sancto Victore*, de Regum depoſitione apparebit cap. 8.

L. 2. de Sacrament. p. 2. c. 4.

Impreſſ. Venet. 1588.

Part. 3. q. 40. Memb. 5.

Tom. 1. l. 2. art. 3 cap. 78.

L. de poteſt. Reg. & Papali. c. 18.

3. HENRICVS de GANDAVO: qui tempore *Bonifacij octavi* vixit, & eius ambitioni fortè nimium favens, directæ poteſtatis aſſertor vehemens fuit. Hic in loco citato nititur falſo fundamento, vel *Bellarm.* teſte: *In ordine Hierarchico militantis Eccleſiæ, ſub Deo Chriſtus quâ homo, caput eſt et Monarcha, non tantum in ſpiritualibus, ſed etiam in temporalibus.* Vnde infert verba citata: *Iſte Hierarcha primus poſt Chriſtum ſuper vniverſalem Eccleſiam Petrus erat, cui ambas claves tradidit, et duos gladios commiſit; ſic vt regimen vniverſalis Eccleſiæ, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus ad ipſum pertineret.* Quid? An ambę claves, ambo gladij commiſſi *Petro*? *Tibi dabo claves Regni cœlorum*: *B. Petro vitæ æternæ clavigero* (an & vitæ præſentis?) *terreni ſimul et cœleſtis Imperij iura commiſit*: ſic *Nicolaus. Duo ſunt quibus principaliter hic mundus regitur; auctoritas ſacra Pontificum, et regalis poteſtas*: ſic *Gelaſius. Vltra ſibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorum vſurpavit.* Duo ſunt, inquit *Gelaſius*; non duo, ſed vnus; Hierarcha primus poſt *Chriſtum*, qui ambas claves, ambos gladios habet: ſic *Henricus*. Sed quid in ſequentibus habet *Henricus* iſte? Qui ſunt caſus iſti in quibus habet executionẽ in temporalib⁹? *Primus, ratione difficultatis, cum fuerit aliquid difficile et ambiguum: ſic Papa vt Architect⁹ ad artifices, ſic Papa ſcit propter quid, Reges autẽ ſolum ſciunt quia: ideo illis leges dat Papa, nec ſine eius conſenſu licet ijs alias recipere*; & det leges, & quid leges ſine moribus? An hæc ferunt Reges Chriſtiani, Catholici, vt mutet

Quodlibeto 6. q. 33.

Matt. 16.

Diſt. 22. c. Omnes.

Diſt. 96. Duo ſunt. Cap. cum ad verum.

Deut. 17.

leges municipales? *Secundus, ratione delicti, vel ex omissione propter defectum Iudicis secularis. Tertius ratione vacationis, cum vacat Imperium; vt in lege naturæ Sacerdos erat Rex*: Et in sequentibus dicit; *Papa vt Architectonicus præcipit, qui & quales debent regere Regna & Principatus, honorat bonos, & malos, & malè regentes deponit, & alios in eorum locum substituit.* Quam itaq; iniquo animo Henricus iste fuerit Regibus satis constat: vtpotè qui etiam Imperatorem sub ipso Papa, & ab ipso Papa habere authoritatem in temporalibus ait; ita vt verè inter partes censeatur.

Apud Ioan. de Turre crem. in summ de Eccles. lib. 2. c. 113.

4. Vlricvs in Summâ; citatus à Turrecrematâ. In cuius verbis, quid sibi velit nomen Ecclesiæ, non satis constat; An Concilium, an totum cætum fidelium denotat? certè Romanum Pontificem non significat. Vtcunq; huius vocem audio, rationem non video; ideoq; in hac causâ parvi pendo.

De Regimine politic. art. 19.

5. Dionysivs Carthvsianvs: *In Ecclesiâ* (inquit) *Dei vnus est Pontifex summus*, viz. *Dominus Papa; in quo est vtriusq; potestatis, atq; domini plenitudo & apex*, id est, *tam spiritualis quàm secularis potestatis.* Quam plenitudinem Dionysius iste, omnes exuperans adulatores, ita interpretatur. *Plenitudo potestatum continet, et habitum, et actum sinè executionem*: *idcircò*, inquit, *iurisdictionem & dispositionem habet super omniâ Regna & Principatus fidelium, non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, dum rationabilis causa requirit.* Imò etiam sine causâ, pro libito, si potestatis plenitudinem habeat: quia non est plenitudo, sed mensura certa, & limitata quæ rationi alligatur, causæq; rationabili.

De libertate Christian. l. 1. c. 14.

6. Ioannes Driedo; qui hoc cap. 14. in præmissis pugnat cum conclusione suâ: dicit enim hæreticum ex dispositione juris positivi esse excommunicatum, & jurisdictione spirituali privatum; & excommunicatum tantum à communione Sacramentorum, & ab instructione fidei & morum: non ab actibus quæ communes sunt fidelibus & infidelibus jure divino excidere: inde sequuntur verba citata: in quibus plenitudo ista potestatis ea tollit, quæ jure divino debentur, quæq; jus divinum non tollit: jure enim divino obedire debent fideles Domino, etiam Ethnico: at per plenitudinem potestatis hanc tollit. Sed quàm vestræ opinioni suffragetur Driedo, & cap. 2. & alibi dicetur susius.

De Ecclesiast. Hierarchia. l. 5. c. 2. Molina. de Iust. & Iure. tract. 2. Disp. 29. cõl. 1.

7. Albertvs Pighivs: præcipuus inter partes; homo nuperus; quem etiam hac in causa redarguit *Ludovicus Molina. Ex his* (inquit) *constat Albertum Pighium, libro 5. perdoctæ suæ, & non satis laudatæ Hierarchiæ Ecclesiasticæ cap. 7. & 14. nonnihil excessisse, dum, licet summum Pontificem non efficiat Dominum orbis, neq; iurisdictionis quicquam illi tribuat in eos qui sunt extra Ecclesiam, vult tamen Reges, eo ipso, quod Ecclesiam ingrediuntur, supremoq; illius capiti subijciuntur, se*

suaq;

ſuaq; ſceptra tradere Chriſti Eccleſiæ, atq; ab eâ veluti accepta recognoſcere, eiuſq; iudicio regnare Reges & Imperatores, et amoveri à Regno. Quæ verba ſatis oſtendunt quo animo, & in Marſilium Patavinum (contra quem ſcripſit,) & cauſam eius fuerit.

8. IACOBVS LATOMVS: Atq; hic quidem de poteſtate Eccleſiæ magnifica, de Papæ authoritate nihil habet: Hoc advertit *Bellarminus*, ideo in alio libro per Eccleſiam Romanam, Pontificem deſignari aſſerit: acſi omnis poteſtas Eccleſiæ reſideret in Pontifice: Quod ſi poteſtas iſta pleniſſima ſit Eccleſiæ, nunquam poteſtatem ſuam Eccleſia in *Petrum* tranſtulit, ſicut Reſpublica in Regem poteſtatem ſuam transferre dicitur: nec Pontifex quicquam ab Eccleſia ſe accepiſſe agnoſcit: ſi ergo poteſtas in Eccleſia ſit, in Pontifice non eſt: Hic *Latomus*, vti *Pighius*, in errorem de tacita conditione in baptiſmo, pro quo jure reprehenditur Pighius à Molina, incidit. *De Eccleſ. c. 14.*

Hîc durior quam par eſt: vtpotè qui ait; *Apoſtata à Chriſto, & hæreticus, & ſchiſmaticus reus eſt criminis læſæ maieſtatis divinæ; meretur itaq; perdere & vitam, & bona.* Non mirum ergo quod talem poteſtatem Eccleſiæ tribuat in Reges & Imperatores. An & ſchiſmaticus omnis morte mulctandus?

9. CONRADVS BRVNVS. Verba citata ſunt; *Hæc iuriſdictio, iudicia civilia, & criminalia, denunciationes, inquiſitiones, pœnas item et cenſuras Eccleſiaſticas complectitur, in perſonas, et res Eccleſiaſticas: multis etiam caſibus in Laicas perſonas, & pro rebus temporalibus datur. In his omnibus pleniſſimam habet iuriſdictionem ſummus Pontifex; determinatam autem & certis limitibus concluſam, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Archidiaconi.* Ex quibus verbis patere poteſt quam juriſdictionem intelligat, eam ſcilicet quam & Archiepiſcopi & Epiſcopi, imò Archidiaconi, (quod verbum omiſit Bellarm.) exercere poſſunt. Iſti autem juriſdictionem temporalem, vel ſpiritualem ad deponendos Reges exercere non poſſunt; nam teſtes tui ſæpè ſic loquuntur, ſolus Papa deponit Reges; de juriſdictione itaq; ad depoſitionem, non loquitur Brunus. Atq; hæc de ſcriptoribus Germanis. *De Legationibus. l. 3. c. 6.*

Inter hos Stephanus Albeſtatenſis, coætaneus & actor huius controverſiæ & ſchiſmatis. *Hugo* noſter eſt. *Henricus de Gandavo*, & *Carthuſianus* directæ poteſtati nimium tribuunt. *Ulricus* & *Latomus* loquuntur de Eccleſiâ, non Pontifice; *Pighius* à ſuis reprehenditur: *Brunus* de depoſitione nihil loquitur. *Driedo* deniq; ſibi non conſtat. Omnes tamen & inter partes, præter Hugonem, & inter poſt natos præter Stephanum.

CAP. VI.

1. Examinantur Scriptores Nationis Anglicæ, 2. Iudicium de omnibus authoribus à Bellarmino allatis.

1. ANgli, Gallis, moribus & inſtitutis non diſſimiles, quinetiam animo adeo ſunt candido & ſimplici, vt tributa & injuncta Imperij munera impigrè obeant. Pacem etiam iniquam, & oneroſam malunt domi ferre, quam civilia arma tractare: etſi apud exteros bellum quærere ſoleant, quo fines ſuos propagare poſſint: Iniquus ergo in Anglos Polonus ille, qui etſi Angliam vidit, Anglorum tamen ingenium non vidit. *Non eſt* (inquit ille defenſor Garneti & proditionis pulverariæ) *Catholicum, ſed Anglicum ingenium, quod Reges Anglia non ſinit eſſe ſecuros.* Si otium eſſet, exempla proditionum proferre, quæ ab honoratiſsimo eodemq; doctiſsimo *Comite Northamptonia*, prolata ſunt, facilè intelligeremus nefaria ſcelera ad Remp. diſturbandam rarò concepta, aut producta abſq; Sacerdotis conſilio aut auxilio. Ita vt, quod olim *Epiſcopus Argentinenſis Henrico quarto Imperatori, omne hoc conſpirationis malum de fonte Romana perfidiæ manat*; idem de omni apud nos conjuratione dicere poſſumus; *De fonte Romanæ perfidiæ manat.* Non enim natura aut genius aëris Anglici, ſed ſtatus & ſpiritus Romanus proditores facit; & ſecuri Reges noſtri futuri eſſent, niſi flatibus & procellis tranſmarinis turbarentur. Adecq; non iam *Anglicum* ingenium, ſed *Catholicum*, monſtra hæc proditionum protulit; quæ parentum ætas non vidit, nec nepotum viſura eſt. Anglia producit homines, Religio Romana, ſcripta *Bellarm.* & aliorum, proditores faciunt. Id quod vel in Authoribus Anglicis advertere licet: inter florentiſsima enim ingenia Anglica, quæ totâ ſcholâ celebrantur, quæq; cum alijs etiam maioribus Regnis, & numero, & celebritate conferenda ſunt, tres tantum authores, vt manifeſtum erit, corradere potuit *Bellarm.* *Maironum*, ſcilicet & *Bachonum* adulatores egregios *Ioannis* 22. & vnum *Sanderum* de patriâ peſsimè meritum, qui in gratiam huius poteſtatis temporalis quicquam dixerunt.

Criſtanouic. Examen. Cathd. pag. 18.

In Actione contra Proditores.

Albertus Stadenſis. An. 1078.

1. ALEXANDER ALENSIS Doctor irrefragabilis: in primo loco vrget ſententiam *Hugonis de Sancto Victore* ante allatam. Prius tamen dixerat poteſtates temporalem & ſpiritualem eſſe *duo latera, duo capita*; quæ etiam *Hugo.* Poſtea infert verba citata, in quibus tota vis collocatur in hoc verbo *(Iudicat,)* judicat ſed præjudicium non facit: Sed depoſitio ſine præjudicio temporali fieri non poteſt.

Part. 4. q. 10. in Explicat. Canon. Miſſ. in illud pro Rege N. & p. 4. q. 79. Memb. 5. & 6.

Et iudicat, sed pœnam corporalem non infert, sed spiritualem tantum: & depositio pœna est corporalis: Huius explicatio ex verbis sequentibus, ex sententiâ Alensis, quæ referetur cap. 8. apparebit.

In altero loco Alensis, qui habetur part. 4. q. 20. Memb. 7. Malè colligit Bellarm. agit enim de potestate clavium & remissione peccatorum. Quærit, quare tam arctus fuit in communicatione huius potestatis ille summè liberalis, vt eam non concederet omnibus, nec eius vsum, sicut Baptismi, cum voluerit omnes pœnitere, sicut voluit baptizari. *Ad vltimum* (inquit) *dicendum, quod hoc factum est propter vtilitatem Ecclesiæ: voluit enim Deus quosdam, in alios plures habere potestatem, & deinde in alios pauciores, & sic semper, donec perveniretur in vnum, scilicet Papam, qui & sub Deo immediatè est.* Hæc sunt verba citata, quæ hoc solum probant, omnes inferiores Prælatos & Sacerdotes in potestate clavium, & absolutione peccatorum subesse Papæ. Nihil ad Reges spectant, qui claves Regni cœlorum non acceperunt. Nihil ergo ad propositum hæc authoritas.

In Sapient. Lect. 100.

2. ROBERTVS HOLCOT: Atq; is quidem obiter de quatuor Imperijs agens, Imperatorem inter Reges regendi fastigium tenere, ex sententiâ Salvatoris. *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, asserit: de quo, & non de Papa, prima verba citata intelligenda sunt. *Hic est autem Rex Regum, cui omnes subsunt nationes & populi, qui viz. temporalia ab eo recipiunt. Sacerdotio tamen ac summo Pontifici debet subesse; sicut declaratur*, Extra. de maioritate & obedientiâ; C. Solitæ. Verba verò sequentia, quæ subticuit Bellarm. rem totam expediunt. *Pontifex enim in spiritualibus antecellit; quæ tanto temporalibus sunt digniora, quanto anima præfertur corpori.* Id quod probat ex Ierem. 1. *Ecce constitui te, &c.* Et Geneseos 1. *Fecit Deus duo luminaria*: vt in dicto Decretali: subjectio ergo ista est in spiritualibus tantùm. Et non sequitur argumentum: Imperator debet subesse Sacerdotio, & summo Pontifici in spiritualibus, quæ tanto digniora sunt temporalibus, quanto anima præfertur corpori: Ergo Sacerdotium & summus Pontifex potest deponere Imperatorem in temporalibus. An Dialectici hanc ferent conclusionem? Addamus majorem.

Qui præest Regi in spiritualibus, potest Regẽ deponere in temporalibus.
At quilibet Sacerdos præest Regi in spiritualibus, vobis authoribus. *Ergo.*
Quilibet Sacerdos potest deponere Regem in temporalibus.

Ad secundam authoritatem Holcotti quod attinet; neq; verum est, neq; contra nos. Verba enim sunt. *Samuel vnxit David in Regem in figurâ, quod Vicarius Christi, & Prælatus Ecclesiæ confert principatum, & potestatem Regiam ad vtilitatem Ecclesiæ: vnde & ius & authoritas examinandi personam electam in Regem, & promovendi ad Imperium patet: sicut Patet Extra. de Electione: C. Venerabilem.* Quid? An Samuel

quia vnxit Davidem contulit illi Principatum & poteſtatem Regiam? Si ergo non vngatur omninò, vel non ita citò; an idcò Rex non eſt, vel nondum eſt? Præterea, quamvis Rex non ſit ante vnctionem, an ideò & qui inungunt poſſent deponere? Siccinè vero, an Rhemenſis, Toletanus, Cantuarienſis, poſſunt Reges à ſe inunctos deſtituere? At hoc ſolum eſt argumentum, quod ex hoc teſte colligitur: Papa examinat, inungit & coronat Imperatorem; ergò & deponit. Expreſsè enim nihil Holcottus de depoſitione: & ab inſtitutione ad deſtitutionem non ſequitur ratio; quia, etſi eiuſdē ſit inſtituere cuius eſt deſtituere, plus tamen eſt deponere quam conſtituere. Et Pontifex & Epiſcopi conſecrant Reges per vnctionem, tanquam Miniſtri Domini, qui ſine Domini voluntate cognitâ non debent deponere. Sic Holcot in hac causâ parum vobis prodeſt. Et de validitate juramenti contra vos quid ſenſerit dicturi ſumus cap. 27.

In 4. Sent. Diſt. 19. q. 4.

3. Franciscvs Maironvs Scotus: Solus inter hos teſtes, cuius authoritas ex diſputationibus in lib. Sentent. citatur: Ioannes enim *Bachon*, non in libro, ſed in proœmio lib. 4. de hac agit poteſtate, & à to citatur. Hic teſtis, vt in æſtu ſchiſmatis inter Papam *Ioannem* 22. & Imperatorem *Ludovicum Bavarum* vixit, cœſtro contentionis & partium ſtudio percitus, vltra omnes veritatis limites delatus eſt, pluſquam fere quiſquam conteſtium ſuorum. In principio enim quæſtionis, in quâ quærit vtrum ſummus Pontifex habeat plenam poteſtatem in temporalibus: *Contra* (inquit) *Math.* 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo et in terrâ: et hanc poteſtatem commiſit Petro.* Fortè ergo Petrus & ſucceſſores poſſunt Sacramenta inſtituere; (nec mirum, inſtituunt enim aliqua; dividunt alia:) & ſine Sacramentis peccata remittere, ſalutem conferre, & miraculâ poteſtate ordinariâ operari: at hæc quam abſurdâ? Secunda concluſio hæc eſt: *In humana mundi politeia eſt dare aliquod vnum primum principale iure naturali.* Quid hoc? An de jure naturali omnes Reges & Principes ſubditi ſunt & Vaſſalli vnius? An de jure naturæ eſt vnus Imperator totius mundi? Quod tamen ab Adamo vſq; ad mundi cōſummationem, nec fuit, nec eſt, nec erit. In 4. ratione concluſionis 3. ſic concludit: *Ergo ad hoc quod trāquillitas politiæ ſervetur, oportet quod ſit vnus ſupremus omnium, quoad omnia*: Ergo quoad ſpiritualia, & temporalia; ergo quoad habitum, & quoad actum: nam & actus inter omnia. Ergo ſi Pontifex habeat plenam poteſtatem in temporalibus, vt in hac 4. ratione quoad omnia, habet & poteſtatem temporalem, quoad habitum, & executionem poteſtatis quoad actum. Deinde accedit ad verba citata in 4. concluſione: *Plenitudo poteſtatis ſecundum vtramq; iuriſdictionem concurrit in eandem perſonam*: *Hoc patet authoritate Chriſti dicentis*; *Quodcunq; ligaveris* Hæc citat Bellarm. vt probet poteſtatem Pontificis temporalem in Regibus deponendis: quæſi vera ſunt in Papa, quidni etiam vera ſunt in quolibet Apoſtolo, imò in quolibet Sacerdote; cui dicitur, ſicut & Papæ.

Quodcunq;

Quodcunq; ligaveris? Sit ergo hæc ratio Bellarm. ex Francisco Maironio. Cuicunq; dicitur: Quodcunq; ligaveris, eidem commissa est potestas temporalis deponendi Reges. At

Cuilibet Apostolo, Episcopo, Sacerdoti dicitur, Quodcũq; ligaveris: *Ergo.* Cuilibet Apostolo, Episcopo, Sacerdoti, commissa est potestas temporalis deponendi Reges.

Si hæc vera sunt, non solum Sacerdotium Evangelicum regale est in summo Pontifice, sed etiam in quolibet Sacerdote. Quilibet Sacerdos potest Reges deponere.

Sed audiamus sequentia. *Dices fortè quod verum est in spiritualibus.* Non sufficit quod in spiritualibus: sic ergo procedit. *In subordinatis, quicquid potest inferior, potest superior: Sed Papa superior ad Imperatorem.* Esto. Sed Imperator vt inferior, habet actum & executionem potestatis, & gladij temporalis: ergo Papa vt superior habet. Potest Imperator exercitum ducere, malefactores suspendio tollere, necare: Vos autem non sic; sic Christus: Vos autem sic: sic Maironus: idem potestis quod Reges gentium, dominari Populis: Secunda ratio; *Papa confirmat leges, hoc autem non posset, nisi posset eas condere.* Quid vero; an leges Scotiæ municipales non sunt leges, nisi à Papâ sint confirmatæ, imò & conditæ? An Angli hoc ferrent, qui tam multas, tam severas leges pœnasq; contra Pontificũ in tẽporalibus, imò etiam in spiritualibus vsurpationem tulerunt? An Galli, qui Sanctionem Pragmaticam, contra vim fraudesq; multorũ Pontificum defenderunt, hęc æquo animo tolerarent? An Veneti hoc paterentur, qui nuper *Paulo Quinto* restiterunt, cuius Bullas flocci fecerunt, quemq; ad iniquas conditiones pacemq; pretio redimendam adegerunt: quiq; prius vitã fortunasq; omnes desererent, quam leges patrias, libertates, jura & privilegia temporalia, verè Regalia proderent? An hoc vnquam vel in Imperio, vel in Regnis Hispaniæ obtinuit Pontifex, vt ad nutum eius leges eorum starent, caderentve? Sed audiamus tertium argumentum. *Cuicunq; datur authoritas ad principale, datur & respectu annexi; quia sine eo non potest exequi: sed temporalia sunt annexa spiritualibus actibus; nullus enim posset missam celebrare sine vestibus, nec vestes haberi possunt sine bonis temporalibus.* Ridiculum sane exemplum: In hac tamen ratione manifestè apparet Maironem hoc velle, non solum potestatem, sed & executionem in temporalibus ad Pontificem pertinere. *Cuicunq; datur authoritas ad principale, datur et respectu annexi, quia sine eo non potest exequi.* Ergo in temporalibus potest exequi, habet executionem in temporalibus.

Contra ista instat quadrupliciter: contra primum; *Omnibus Apostolis dedit idem quod Petro, Math. 18. patet quod dedit aliis.* Quid ad hæc testis tuus? Audite appositam responsionem admiratione dignissimã. *Hic dico quod Christus nõ dedit plenariam potestatem cuilibet soli, sed omnibus simul*

ſumptis. (Non cuilibet ſoli ? ergo, nec Petro ſoli :) Videte exemplum, *vnde dico quod tantam poteſtatem habet Concilium generale cum incluſione ſummi Pontificis, ſicut ſummus Pontifex ſolus*. Multum profectò debet Concilium generale teſti tuo, vt qui illi ſoli nihil tribuat. Non ſic ſenſerunt, Conſtantienſe & Baſilienſe Concilia, de Concilijs generalibus. At quid hæc ad vim argumenti ? Idem datum eſt Apoſtolis omnibus quod Petro ; imò idem datum eſt Apoſtolis ſingulis, quod Petro : in ligando & ſolvendo idem datum ſingulis Sacerdotibus in foro pœnitentiæ, nec non in foro exteriori : in articulo mortis remittunt omnia peccata etiam reſervata. Non dedit plenariam poteſtatem cuilibet ſoli, ſed omnibus ſimul ſumptis. Ergo Iacobus, Ioannes, vel Andreas, non poterāt abſolvere à peccato, niſi eſſent ſimul in Concilio & Collegio ?

At redeat ad ſe parum Maironus : videamus quid alibi aſſerat. In primâ quæſtione huius diſtinctionis 19. *Sed*, inquit, *inſtatur primò ; Videtur quod non poſsit omnia ſolvere*, (Petrus) *quia filius tenetur honorare parentes, & nutrire eos. Sed hoc non poteſt Petrus ſolvere*. His reſpondet Maironus : *Ad primum dico, quod ſunt aliqua de iure naturali, de quibus non fuit ſibi data poteſtas*. Quid audio ? Honor parentum eſt de iure naturali, & de hoc non eſt data poteſtas Petro ? An inter parentes non eſt Pater patriæ ? Ex his itaq; argumentor. Poteſtas non eſt data Petro vt jus naturale ſolvat, in honore parentum. At Rex & Imperator ſunt inter parentes, qui de jure naturali honorandi ſunt ; ergo, Petro non eſt data poteſtas ſolvendi jus illud naturale, quo ſubditi ligantur ad honorem Imperatoris & Regis. Solvere itaq; obedientiam nec poteſt Petrus, nec Papa. Qui enim in quodlibeticis hanc quæſtionem fuſius tractat, quæſt. 11. vbi ratione ſubordinationis finium probare conatur ſubordinationem poteſtatis temporalis ad ſpiritualem. Nec tamen ibi, neq; hic depoſitionis mentionem facit, ſed potius directionis, idq; bis : *Et ſicut neceſſitas iſta eſt ad finem, eâdem ratione Princeps finis imponit neceſſitatem Principiens quod eſt ad finem, vt ipſum* dirigat *ad finem*. Et infra. *Tum quia equeſtris eſt propter militarem, ideo Princeps equorum, directione & regulatione arguitur eſſe ſubiectus Magiſtro militum, vt ipſum dirigat : directione & regulatione arguitur eſſe ſubiectus* : quare non addat vt ipſum deponat, ſi non ſubijciatur ? ſic enim oportuit dixiſſe ſi de depoſitione Principis temporalis intelligi voluiſſet.

In 4 Sent. in Prolog. q. 11. art. 4.

4. Ioannes Bachon : Qui & ipſe in æſtu contentionis inter *Ioan. 22.* & *Ludovicum Bavarum* vixit ; vt apparet ex fine huius articuli : vbi ait, *Hæc omnia moderno tempore exercuit Dominus Ioannes 22. contra quondam Ducem Bavariæ, &c.* Et infra. *Et qui dixerit quod Papa non habet poteſtatem coactivam, & maximè quoad excommunicationem delinquentium corporaliter, aut etiam quod non poſsit punire, eſt hæreſis condemnata per D. Ioannem Papam 22. in Conſtitutione, Licet*

ſecundum

ſecundum doctrinam Apoſtoli; qua fuit edita contra hæreticos, Marſilium de Padua & Ioannem de Gauduno. Quæ omnia videntur addita in gratiam Papæ, vt quod ille fulmine excommunicationis tentauerat, hic ſcriptis defenderet. Non eſt ergo mirum, ſi doceat ille, Papam poſſe iudicare de Regnis & Regibus in cauſâ belli & pacis, poſſe compellere Principes temporales, vt pacem & iuſtitiam ſibi inuicem ſeruent, poſſe Regem deponere, Regnum alteri tribuere, ratione iniquitatis vel inutilitatis ſuæ perſonæ; poſſe Imperatorem deponere & Imperium alteri dare ſi non defendat Eccleſiam. Sed hæc minuta ſunt. In articulo enim quarto, vnde iſta verba deſumuntur, ait; *Chriſtus omnia iura prædicta temporalia, ſicut verba Euangelij & canonis ſonant, tranſtulit in Petrum vbi cauſa ſubeſt. Quodcunq; ligaueris: Quodcunq; ſuper terram, eſt ſignum vniuerſale diſtributiuum, non ſolùm ſuper animas, ſed ſuper perſonas & res: ſed vniuerſalis poteſtas ſuper terram in perſonas & res, ſoluendo & ligando vbi cauſa ſubeſt, eſt poſſe ligare poſſeſſorem ne ſibi incumbat actio, ſi ex cauſa, poſſeſſionem rei ſuæ in dominium alterius transferat; & poſſe vniuerſaliter ſoluere ſuper terram, eſt abſoluere emptorem, ne ſibi obligetur ad reſtitutionem: ergo videtur per verba Euangelij, quod Petrus recepit à Chriſto ius diſpoſitionum & diſtributionum, ſeu tranſlationum omnium rerum temporalium, vbi cauſa ſubeſt.* Annon hoc eſt tollere omnia commercia ciuilia, cum & liget poſſeſſorem ne ſibi incumbat actio, & ſoluat emptorem ne ſibi obligetur ad reſtitutionẽ? Sed ait; Pontifex Romanus non ſolum puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, & diuinâ authoritate fulcitur, & Deus transfert ſine cauſa, & Deus habet plenum dominium ſuper terrenis omnibus. Papa autem habet maioritatem & ſummam poteſtatem in omnibus, & per omnia, & præ omnibus, & ſuper omnibus Chriſtianis totius mundi indiſtinctè. Et quidem etiam ſuper omnibus infidelibus, non Chriſtianis, ſi eandem habeat poteſtatem, quam Chriſtus homo, imò quam Chriſtus Deus, Domini eſt terra & plenitudo eius: annon & infideles ſub Deo? Ergo eâdem ratione ſub Papa, aut falſus eſt teſtis tuus. Et infrà: *Ponere plura principia eſt hæreticum ex Hoſtienſi:* 24. 9. vlt. c. §. vlt. *Ita ponere duos vicarios generales in terra, & ſibi eſſentiales, credo eſſe hæreticum.* Papa ergo eſt Vicarius Chriſti, Imperator tantum Vicarius, imò ſeruus Papæ: Quicquid acquirit Domino Papæ acquirit, non ſibi. Præterea dicit; Papa in omnia, cauſa dubij (etiã ciuilis, vt in ſanguine) habet iudicare: Iudex eſt omnium dubiorum; ad quem recurrẽdum in omnibus dubijs, & in omni cauſa tanquam ad ſuperiorem & vltimum iudicem in terris. Sic Iuſtitiarius Regum eſt in cauſis pacis & belli. Iſta ſi tu tanquam falſa reijcias, quid eſt quod ex tam falſis, tam monſtroſis Principijs, concluſionem de poteſtate deponendorum Regum temporali, magis falſam & monſtroſam inferas, (concluſio enim ſequitur deteriorem partem): ædificas in arenâ falſitatis, non ſuper Petra veritatis.

5. THO-

Doctrin. fidei l.2.art.3.c.75.

5. Thomas Waldensis: in cuius verbis nihil ad propoſitum. Diſputat contra Wicleſum: qui & poteſtatem Regalem ſuper Sacerdotalem eueheret, præter *Pauli* appellationem ad Cæſarem, vrget verba *Gregorij Magni*, qui Imperatorem Dominum ſuum appellat, ſe verò Imperatoris ſeruum: *In quo non eſt ſuiuris oblitus Gregorius, nec verbo tenus Imperatorem ſibi præpoſuit*, (vt duriùs aliquanto dicit *Waldenſis*) non blanditur *Gregorius*, non æquiuocat; & verbo & factis ſe ſeruum Imperatoris agnoſcit. Mitto alia, in vna Epiſt. 61. l. 2. ad *Mauritium*. Quindecies vtitur *Gregorius* hoc nomine Domini vel Dominorũ, bis nomine ſerui, ſemel famuli: An in his omnibus æquiuocat *Gregorius*? An *Mauritiũ*, verbo tenus Dominum appellat, non reipſa agnoſcit? *Ad hoc* (inquit) *poteſtas ſuper omnes homines Dominorum meorum pietati, cœlitus data eſt, vt qui bona appetunt adiuuẽtur, vt via cœlorum largiùs pateat, vt terreſtre Regnũ cœleſti Regno famuletur.* Super omnes homines. An inter homines non erat *Gregorius*? An qui factus eſt Sacerdos, homo eſſe deſijt? Cœlitus data eſt, de iure, non dicit, permiſſa eſt, de facto. *Ego quidẽ*, inquit, *iuſſioni veſtræ ſubiectus, eandem legem per diuerſas terrarum partes trãſmitti feci; & quia lex ipſa omnipotẽti Deo minimè cõcordet, ecce per ſuggeſtionis meæ paginã, ſereniſſimis Dominis nũciani. Vtrobiq; ergo, qua debui, exolui, qui & Imperatori obedientiã præbui, & pro Deo quid ſenſi minimè tacui.* Et obedientiam præſtat, & debitam hanc obedientiam agnoſcit. Quæ debui ex officio, nõ quæ coactus ex metu. Abſit à magno iſto Patre *Gregorio* adulatio vel æquiuocatio, vt verbo tenus, & iuris ſui oblitus, dicat faciatve quod nolit, quodq; nõ debeat. Seruus erat, & ſeruum ſe dicebat, *Mauritius* Dominus erat, & verè Dominus: dicitur & *Paulus* ſeruus, populi Chriſtiani, *Liber ab omnibus, omniũ me feci ſeruum*: & rectè, ſic enim ante eum Dominus eius: *Veni miniſtrare, non miniſtrari: Seruus in Chriſto, nõ in ſpiritu ſeruitutis, ſed in ſpiritu adoptionis, quia omni libertate nobilior eſt ſeruitus Chriſti*, vt *Origenes*. Quid verò de *Gregorio*, vel ex *Gregorio* colligit *Waldenſis*? *Profectò* (inquit) *neq; Papa Gregorius eminentia ſua ſtatus ſuper ſtatum Imperialem*, (non Imperatoris, vt malè legit Bell.) *præiudicauit in aliquo, cũ Regẽ illi verbo tenus præpoſuit, negotio quoq; (Eccleſiæ) quod tunc tractabatur attẽto.* Hoc verbũ (Eccleſiæ) nõ ſine fraude ſummâ omiſit Bell. quia fortè *Waldẽſis Gregoriũ* Imperatore maiorẽ cenſuit, in cauſis Eccleſiæ, cuiuſmodi erat illa de admittẽdis Monachis aut priuilegijs Monaſteriorũ, non in cauſis Reip: quãuis etiã in cauſâ illâ de Monachorũ admiſſione, iuſſioni Imperatoris obedientẽ ſe præſtet *Gregorius*, quia debuit. Sequitur; *Quod tunc aptè videbimus ſi poſteriora eius facta & ſcripta quæramus. Vide an ſe Magiſtrũ & Imperatorũ & Regũ non arbitrabatur, cũ poſt priuilegia cuidã Senatori Presbytero, & Abbati Xenodochij Francorũ directa ſub interminatione dignitatis & honoris omni eius violatori cõcluſit: cui etiã ſententiæ omnes Reges generali definitione conſtrinxit?* Quid hic *Waldenſis?*

Epiſt. 61. lib. 2.

1. Cor. 9. 19.

Marc. 10. 45.

denſis? Magiſtrũ ſe Imperatorũ & Regũ arbitrabatur: non dicit Iudicem: Magiſtri eſt docere, Iudicis punire: An omnis Magiſter ſtatim Iudex? vnuſquiſq; Sacerdos Magiſter eſſe poteſt Imperatoris, iudex eſſe non poteſt. *Waldenſis* ipſe ſeipſũ explicat, quod non de Põtifice ſolo, ſed de quovis ſacerdote loquatur: poſt enim duo illa priuilegia citata, ſic colligit Author: *Verè ergò ſervus, nõ tantũ Regũ et Imperatorũ Dominorũ ſuorũ, ſed et omniũ ſervorũ Chriſti: Gregorius omniũ prædictorũ tam Regũ quã Antiſtitũ, & quarũcunq; ſecularium perſonarũ, honores & ambitus ſuæ ditioni novit eſſe iure ſubdendos. Nec tantũ ſibi ſed ſecundũ perfectionis ordinem,* Sacerdotũ, *ordini vnctorũ cœtũ fideliũ cenſuit eſſe ſubiectum.* In quem ſenſum eundẽ *Gregorium* citat Moral. 14. *Caput fidelium non immerito Sacerdotes accipimus, quia pars membrorum Domini ſunt prima,* &c. Omnes fideles ſubiecti non tantum ſummo Pontifici, ſed etiam Sacerdotũ ordini, id eſt, cuilibet Sacerdoti. Aut ergo quilibet Sacerdos, Iudex eſt ordinarius habens poteſtatẽ Regis ſui deponẽdi, ſicut & Magiſter eſt, habẽs authoritatẽ docendi Regẽ ſuũ: aut locus *Gregorij* iuxta ſenſũ & collectionẽ *Waldẽſis*, õ attingit depoſitionẽ Regũ. A quâ poteſtate Regũ deponendorũ tantũ abeſt *Waldenſis*, vti ſuſius cap. 8. oſtendemus, vt prorſus contrariũ doceat: id quod vel ex hoc videre licet, quod author Summariorũ, in cap. 78. num. 6. ſic colligit: *Regia poteſtas cedit Sacerdotali, vbi de rebus diuinis agitur: Sacerdotalis verò cedit Regiæ in negotijs terrenis*: & *Waldenſis* ipſe ſic loquitur. *Cæterum ſub Chriſto Sacerdos & Rex impermixtus habent poteſtates,* vt ſuſius ſuo loco. Obſeruãdum etiam eſt quod ordo hic eſt, & primatus eminentiæ vel perfectionis, quo vocabulo hic vtitur Waldenſis, non dependentiæ, vt in alio ſenſu diſtinguit *Mairon*: Et *Waldenſis* aperte hanc dependentiam negat, cap. 78. Non ergo inſtituit Deus vt inciperet à ſummo Sacerdote, & ſola executio manaret in Principem. *Quodlib. q. 11.*

6. REGINALDVS POLVS: Cuius verba citata nihil ad quæſtionem. *Vicarius Chriſti cui ſingulare & maximum omnium miniſterium commiſſum eſt, illud nimirum quod vltimum ſpectat hominis finem, in orbe terrarum, Eccleſiaq; gubernandâ, obtinet ſummam ac præcipuam poteſtatẽ* inter *cæteros Dei miniſtros, ſeu Imperatores, ſeu Reges, ſeu Principes*; ſed tantum inter cæteros. Quod ſi dixiſſet *ſuper* cæteros, niſi etiam fines & limites illius poteſtatis vlq; ad depoſitionem ſiue priuationem extendiſſet, nihil ad quæſtionem dixiſſet: poteſt enim vna poteſtas ſuperior eſſe alterâ, ſiue depoſitione vel priuatione inferioris; vt *Ambroſius Theodoſium* ſuſpendit, ſiue excommunicauit, non tamen depoſuit. Quin etiam idem Polus in lib. de Concilio, *Sicut Rom. Pontificem, ſic etiã imperatorẽ alioſq; Reges, Chriſti filij Dei vicarios, vicariaſq; partes gerere ſtatuit. Hoc enim munus Imperatoribus, Chriſti fidẽ profeſſis, Deus ipſe pater aſsignauit: Ponit. Rom. vt caput Sacerdotale, Vicarius Chriſti veri capitis partes gerit: reliqui verò vt membra: At Cæſarem, vt caput regale, Chriſti etiã vicarias* *De Summo Pontif. cap. 8.*

partes

partes agere, rectè dicere possumus. Nec enim simplex potestas Christo fuit data, sed vt Sacerdos, sic etiam rex & dicebatur & erat. Et infrà. *In vtraq; ergo potestate, quin suos Christus vicarios habeat dubitare non possumus. Vicarias autem Christi Regis partes, in Conciliis generalibus ad Cæsarem pertinere dicimus.* Quid hoc est? Duo Vicarij? Duo capita? Pontifex caput Sacerdotale, Cæsar caput Regale? Idq; in causis Ecclesię in Conciliis? *quæst. 77. Quinetiam Reges partes Christi non solum Regis, sed etiam Pastoris agunt in comitijs,* vt quæst. 78. Aut ergo duo Vicarij æquales, duo capita æqualia, aut vicarius sub vicario, caput sub capite? sicq; Cæsar non Vicarius Christi sed Petri; non caput sub Christo, sed sub Petro & Pontifice. Rectè ergo dixit Polus. *Vicarius Christi, summam & præcipuam potestatem obtinet inter cæteros ministros, Imperatorem, Reges, Principes,* non super cæteros, quia Vicarij sunt Christi; non Pontifex Vicarius Christi, Reges Vicarij Pontificis: Pontifex caput Sacerdotale, Regale Cæsar. Duo diuersa genera capitum? Nisi quis fortè somniauerit, quod Christus Rex subsit Christo Sacerdoti, sicut Melchisedech Rex subditus erat Melchisedech Sacerdoti, vti subtiliter magis quàm verè disputat Maironus.

Quodlib q. 11. *Melchisedech fuit Sacerdos in ordine ad superiora, & Rex in ordine ad inferiora, & sic præerat sibi Sacerdos in quantum Rex.* Profectò si Melchisedech Sacerdos, Melchisedechum Regem, Christus Sacerdos, Christum Regem deposuisset, actum esset de causa Regum. Præterea idem Polus limites Romanorum Pontificum, Successorum Petri describens, *Romanam* (inquit) *Ecclesiam Magistram in omnibus quæ ad Religionem & pietatem pertinent, omnia generalia concilia semper agnouerunt.* Et quæstione 67. *In his quæ ad pietatem pertinent, illorum* (Rom. Pontificum) *tribunal, tanquam supremum in terris tribunal, & Christi ipsius tribunal agnoscentes.* In ijs quæ ad pietatem & religionem, non dicit, in ijs quæ ad ciuilitatem & naturam, in spiritualibus non temporalibus. Vultis videre qualis fuerit potestas, quale munus Christi & Sacerdotis, pascentis gregem in iudicio;

Quæst. 22. qualis potestas ligandi & soluendi? *Qui ligat* (inquit) *& soluit, is iudicium quoddam exercet: perinde enim facit, ac si absolueret & condemnaret. Differt autem hoc iudicium, quod in potestate ligandi & soluendi à Christo data continetur, ab ijs iudicijs quæ hoc idem faciunt, sed ab humanâ potestate proficiscuntur. Quod hæc sæpè ad damnum & perniciem eius qui absoluitur vel condemnatur, exerceri possunt, & solent; illud verò nunquam ad perniciem, semper ad salutem exercetur: Non enim inquit Apostolus, habemus potestatem ad destructionem, sed ad ædificationem.* Et infra. *Qui hâc potestate vtitur, non dicitur iudicare tantum, sed pascendo iudicare, & iudicando pascere; quia semper omnia, quantum in ipsis Iudicibus est, ad eorum salutem cedunt, in quos iudicia exercentur, vt in fornicario, et Alexandro probat.* At depositio seu priuatio Regum nõ ad salutem, sed destructionem & ruinam multorum, ad eradicationem tritici, sicut & Zizaniorum,

rum, vt magno ſuo damno & luctu didicit Eccleſia. Polus ergo, qui poteſtatem ligandi & ſoluendi ad pœnas tantum ſalutiferas extendit, de depoſitione intelligendus non eſt.

7. Vltimus NICOLAVS SANDERVS: & non ſine numine, quod inter teſtes in hac cauſa à Bell. citatos, primum locum habet Gregorius 7. Titio inferni, qui hãc doctrinã de regum depoſitione ab ouo & ab orco, à Doctore aliquo ſubterraneo didicit, & eandẽ nõ ſpiritu diuino & cœleſti, ſed furijs infernalibus actus, in perniciem Chriſtianitatis exercuit; vltimũ verò locum occupet Sanderus, patriæ proditor nequiſſimus, qui in flagrãti crimine & actu rebellionis in Hibernia, rabie priùs, diuinâ manu percuſſus, perijt: Doctor an gladiator potiùs fuerit, in dubio eſt: Mẽdaciorum certè cõcinnator erat vaferrimus: & in hac ſenectâ mũdi, ſi nõ primogenitus, at maximus inter filios Patris mendaciorũ: Homo profugus, cui multa mentienda, vt panem lucraretur; Transfuga perditus, calumniator virulentus. Qui in libello illo, quem conſcripſit de Schiſmate Anglicano, mendaciorũ prodigioſoꝝ farragine, nihil aliud egit, quam vt inſigniter, & (quod vulgo apud nos dici ſolet) pro nouaculâ mentiretur. Hoſtis Regno huic capitalis, perduellis perfidus, indignus omni fide, qui fidem Deo, patriæ, Reginæ, toties tamq; impudenter & notoriè fefellit. Cuius authoritatem etſi magni faciant nonnulli, qui calumniandi libidine quidvis arrodunt, omnibus tamen cordatis ſuſpectus eo nomine eſſe debet, quia Sanderum authorem habet. Caput teſtium Gregorius 7. longæuus & honorabilis: Cauda Sanderus, ipſe eſt propheta dicens mẽdacia, vtriũq; diſperget Dominus in vna die: Gregorius Salerni: Sanderus in Hibernia exules moriuntur.

De viſibili Monarchia l. 2. c. 4.

Iſaiæ 9. 14.

Quid verò teſtis ille vltimus, infimus, mendaciſſimus? *Quantopere aberrent à veritate, qui putant Reges Chriſtianos in ſuis Regnis ſupremam ſemper poteſtatem habere; nec vnquam Epiſcopis ſubeſſe, vt cùm in fide obſtinatè peccant à Regno remoueri queant.* Hæc negatiua ſunt, fiant affirmatiua: Reges Chriſtiani ſic ſubſunt Epiſcopis, vt cum in fidem obſtinatè peccant, à Regno remoueri queant. A quibus? Annon ab Epiſcopis quibus ſubſunt? Non ergo ſolus Papa, ſed & ſinguli Epiſcopi, habent poteſtatem Regum remouendorum. Annon & Sacerdotes? *Sanderus* ipſe Sacerdos, *Elizabetham* ſanctiſſimam gladio materiali remouere aggreditur; & meritas perfidiæ & proditionis pœnas dedit. Digniſſimus ſanè ſicarius, qui coronam his teſtibus imponat, vt & caput agminis digniſſimum, Titio ille inferni *Hildebrandus*.

Hi omnes Theologi: Primus *Alexander Alenſis*; magnus inter ſcholaſticos & antiquus, vtpotè præceptor *Aquinatis* & *Bonauenturæ*: circa annum 1245. moritur: ſed contra nos nihil, contra hanc poteſtatem temporalem Papæ apertè teſtatur, vt Cap. 8. apparebit. Simi iter & Waldenſis, & Polus hanc poteſtatem vſurpatam ſententia ſua prorſus euertunt, vt Cap. 8. docebimus. *Holkot* pro Regum depoſitione nihil dicit.

2.

Maronus.

Maironnus & *Baconus* in æstu contentionis & schismatis, *Ioanni* 22. adulantur. *Sanderus* non solum doctor, sed & actor proditionis & rebellionis. Sic soli tres in Anglia & Scotia, Britānia nostra inuenti, qui non morbo aliquo hæreditario, siuè patrio & natiuo, sed religione accensi & impulsi, sub pallio pietatis, potentiæ & tyrannidi Pontificum viam sternunt.

Inter Italos si detrahas *Thomam*, qui solum de infidelibus & Apostatis pronunciat; & *Bonauenturam* tantum allegoricum, de quo authore non constat; & *Ægidium*, *Caietanum*, *Alexandrum de Elpidio*, qui metam non appropinquant, & *Bartholum* Romæ, Romano more loquentem, *Baldumq;* dubium & inconstantem, & Dominicum mutum: è 22. remanent solum 13.

Inter *Gallos* si demas *Bernardum*, & *Iacobum Almayn*, qui nostri sunt, vt cap. 8. apparebit, *Durandum* & *Ruenum Britonem*, qui locis citatis non accedunt ad scopum, è 14. supersunt tantum 10.

Inter *Hispanos*, si tollas *Cyprianum Benetum*, *Ledesmium*, *Antonium Cordubensem*, & *Conarruviam*, qui statum quæstionis locis citatis non attingunt: è numero nouendenario restant tantum 15.

Inter *Germanos*, si *Hugonem* auferas, qui noster est, & *Conradum Brunum*, qui de depositione intelligi non potest, ex nouem illis soli supersunt 7. Sic ex 70. Testibus à Bellarmino citatis, supersunt tantum 47. An hoc decet Bellarminum in numero testium septuagenario, 22. superaddere, qui aut nihil, aut aliud à proposito dicunt; & hoc ideò solum vt numero vincat, & multitudine testium?

Atq; hic quidem testes audio, testimonia non audio. Quàm pauci inter hos quorum testimonia, & testimoniorum rationes non reijcit, actor noster *Bellarminus* qui hos producit? Aut versipellis *Bellarminus*, desertor potestatis indirectæ, quam in controuersijs dogmatizauit, in hoc scripto retractat: aut omnes illos testes & potestatis directæ assertores improbat, reijcit, refutat, anathematizat *Bellarminus*, sicut ipse à *Carerio* anathema audit; aut Sophistam agit, negat præmissas, arripit conclusionem ex falsis principijs deductam; & proindè falsam, quia conclusio sequitur deteriorem partem. Ratio huiusmodi est.

Qui Imperia & Regna confert, potest eadem auferre, Imperatores & Reges deponere, siue fideles, siue infideles.

Pontifex confert Imperia & Regna Imperatoribus & Regibus tanquam vassallis, & vicarijs suis: quia habitu Dominus temporalis est totius mundi, etsi non actu; solum executionem commisit Imperatoribus & Regibus. *Ergo.*

Pontifex potest eosdem Imperatores & Reges deponere; Imperia & Regna transferre & tollere.

Hic negat Bellarminus minorem, conclusionem arripit: Annon hoc est sophistam agere, testes admittere, testimonia reijcere? Si ex hoc numero tollantur

tollantur illi, quorum principia & rationes, id eſt, momenta & pondera teſtimoniorum tollit & reijcit Bellarminus, confidenter dico maiorem partem horum teſtium, qui directæ poteſtati fauent, tollat oportet. Et in cauſa Dei quid valet teſtimonium hominis, ſine authoritate aut ratione diuinâ? Quid teſtis ſine teſtimonio?

Præterea quâ authoritate nituntur hi teſtes, niſi iure Canonico, quod & diſertis verbis à nonnullis hiſce teſtibus (vt à Themâ & eius ſequacibus), ius Eccleſiaſticum dicitur? Conſulantur plurimi authores citati, & Theologi, & Canoniſtæ, & Legiſtæ, & in plurimis prudens Lector hoc obſeruabit, ſolâ authoritate canonum fultos talia affirmare. Quod à Bellarmino fraudulenter, an prudenter omiſſum ſit non iudico: qui verba teſtium ſuorũ citat, at capita iuris canonici omittit. Hoc certò ſcio; ſi mille teſtes ab vno edocti aliquid aſſerant, vnicum ac ſingulare teſtimonium cenſendum eſt, quia ſuper vnius fide & authoritate fundatum. Acſi diceremt omnes; ſic dicit *Gregorius* 7. ſic *Bonifacius* 8. ſic *Innocentius* 3. ſic *Innocentius* 4. Si authoritate, exemplis, & factis Pontificum in cauſâ ſuâ hæc cauſa iudicanda ſit, oleam & operam perderent omnes, qui in hanc arenam deſcenderent. Silent in hac cauſâ *Chriſtus*, *Petrus* & *Paulus*; non audimus, ſic *Ambroſius*, ſic *Auguſtinus*, ſic *Hieronymus*. Soli loquuntur Pontifices, & Pontificum aſſeclæ, Iuriſtæ & Monachi: ideoq; in illâ tempeſtate & procellis Eccleſiæ, nec ſcribere nec docere aliter per Pontificum tyrannidem licuit: qui verò aliter aut docuerunt, aut ſcripſerunt, aut hæreſeos aut ſchiſmatis notâ inuſti ſunt, aut excommunicationis vinculo innodati: Imperialiſtæ, & Religionis Catholicæ, & libertatis Chriſtianæ deſertores, imò proditores audiunt. Rectiſſimè Gerſon. *Grauiùs plectitur agens contrà vnum Papæ decretum, quam delinquens contra diuinum præceptum & Euangelium: iuxta improperium Chriſti ad Phariſæos; Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Omnes verò qui à Pontificis partibus ſtant, filij Eccleſiæ, amici ſponſæ, dilecti Dei habentur; multi etiam eo nomine in Album ſanctorum aſcripti: acſi defenſio priuilegiorum, immunitatum & libertatum Eccleſiæ, & Pontificiæ poteſtatis in Reges & Imperatores propagatio, ſymbolum eſſet fidei Chriſtianæ, & teſſera militiæ ſpiritualis, & veſtis nuptialis Regni cœlorum.

Operum p. 3. de Directione Cordis, Conſiderat. 30.

Illi verò, inter hos teſtes, qui indirectæ poteſtati fauent, eandemque authoritate *Chriſti*, & Scripturarum ſtabilire conantur, & numero pauciores ſunt, & tempore poſteriores, tuthores plerumq; vltimi ſeruili, quibus verba quædam *Chriſti* allegorica, ſiue metaphorica: *Paſce oues*; *Quicquid Ligaueris*; *Tu es Petrus*, &c. πάνσοφον ſunt, & medicina morborum omnium: è quibus diſtortis maleq; intellectis, monſtra illa opinionum & rerum, de plenitudine poteſtatis Pontificiæ & Monarchiæ temporalis, & depoſitionis Regum & Imperatorum, in Eccleſię paciſq; Chriſtianæ:

ſtianæ ruinam nata ſunt. In quibus illud vnum obiter notandum, qu. d ſcilicet Authores iſti, qui in alijs controuerſijs toties prouocant ad Patres, ad antiquitatem, vniuerſalitatem, conſenſionem, in hâc, antiquitate, vniuerſalitate, conſenſione, Patribus, hoc eſt, Eccleſiaſticâ traditione ſiue expoſitione; ſciunt & fatentur ſeipſos deſtitutos; quidni ergo & inter nouatores reputandos agnoſcant? *Ex multitudine authorum quod melius & æquius eſt, non iudicatote, cum poſsit (antea vnius) forſan & deterioris ſententia, multos, & maiores in aliquâ parte ſuperare*: ſic olim Iuſtinianus. *In concernentibus fidem, dictum vnius priuati, præferendum eſt dicto Papæ, ſi ille moueretur melioribus rationibus veteris & noui Teſtamenti quam Papa: & dictum Hieronymi melius ſentientis prælatum fuit ſtatuto Concilij*: ſic Panormitanus. Vt & ſententia *Paphnutij* in Concilio Nicæno toti Concilio prælatum eſt. In Concilijs ipſis non dignitas Epiſcoporum, ſed ratio ſpectanda eſt: vt *Card. Arelatenſis in Concil. Baſil.* Ego ſic ſentio, ſed ſine ratione, vel cum ratione, aut falſâ aut nouâ: En teſtem ſine teſtimonio.

In Præfat. Digeſt.

De Elect. c. ſignificâſti.

Apud Æn. Sylu. de Geſt. eiuſdem Concilij.

De his tamen teſtibus eius ſummopere gloriatur Bellarminus: Hæc eſt armatura in quâ confidit, Imperia & Regna confodere, Imperatores & Reges pedibus calcare. *Hæc*, inquit, *doctrina viguit in Eccleſiâ antequam Barclaius & ego litigare inciperemus*. Id eſt, poſt annos 600. poſt hanc controuerſiã argumẽtis & armis ventilatam. Si omnes hi teſtes ante natã hanc controuerſiam ſententias ſuas protuliſſent, poſſent fortaſſe inter teſtes cenſeri: *Nondum vobiſcum certabamus*, inquit Auguſtinus, *& ijs pronuntiantibus vicimus*. At iſta controuerſia his teſtibus omnibus (excepto Gregorio 7. & Stephano Albeſtatenſi, qui ignem hunc non tam fouerunt quàm excitarunt) per vnius penè ſeculi interuallum antiquior. Teſtes iſti nunquid *Irenæo, Cypriano, Rheticio, Olympio, Hilario, Gregorio, Baſilio, Ambroſio, Ioanni, Hieronymo ſimiles*? *An potiùs*, vt *Auguſtinus, ſcholaſtici auditoriales*? *Nonnè adoleſcentes ex Monachis diſſolutis*? Verba ſunt *Auguſtini*, non mea. Eſto verò Bellar. Introducatur in conſeſſum & conuentum teſtium tuorum Barclaius. Annon os aperire & tot grauiſſimis viris & doctiſſimis reſiſtere audebit? Imò verò & confidenter quidem os aperiet, teſteſq; tuos redarguet ex ore *Auguſtini* tui. Quomodo vos teſtimonium in hac controuerſiâ ferre audetis, qui longè poſt natam hanc quæſtionem nati eſtis? Quomodo in hac cauſâ ora aperire audetis, qui aut nobis aut vobis irati eſtis, aut nos aut vos miſerati eſtis, aut nobiſcum aut vobiſcum inimicitias attenditis & exercetis? Vos, qui quod in Eccleſiâ inueniſtis non tenetis, docetis quod non didiciſtis, filijs traditis, quod à patribus non accepiſtis; qui non ſacris literis, ſed canonibus eruditi, Catholicam & antiquam fidem & praxin deſerentes, nouam inuexiſtis, quam nec in lacte ſuxiſtis, nec in cibo ſumpſiſtis. Multos tales Senatores Pedaneos in Concilijs neotericis videre facilè eſt, qui in ſententiam & gratiam

Contra Iulian. Pelag. lib. 2.

Ibidem.

gratiam Pontificis, pedibus potiùs eant quàm capitibus: De quibus verè poteſt intelligi, quod in Paralipomenis *Vrſpergenſis* refertur ex Epiſtola Pij 2. *Quod vera etiàm, in Papam dicere eſſet contra iuramentum Epiſcoporum*: Quodq; Gregorius Haimburgenſis ab eodem Pio excommunicatus, quia à partibus Sigiſmundi contrà Pontificem ſtabat; *Liberiùs fuit à multis annis de poteſtate Dei, quàm Papæ prædicare vel diſputare.* Tales teſtes, tale Concilium non reformidat *Barclaius*, Scripturis & ſcripturarum ſenſu, i. Patribus & Eccleſiæ primævæ praxi armatus, contra novatorum adulationem & perfidiam. Non hoc ignoravit *Barclaius* doctiſſimus, & in Patribus & Legiſtis, neenon etiam & Scholaſticis apprimè verſatus, nec illi dubium eſſe potuit vtrum cederet an reſiſteret. Non hoc egit *Barclaius*, vt horum teſtium libros exterminaret, maluit potiùs hic ſemina bellorum, ſeditionum, & proditionum, è cordibus fidelium ſubditorum, quam è libris Scholaſticorum, delere. Liber *Barclaij* nec *ſcandaloſus*; neminem offendit, niſi cui obedientia & ſubiectio, & legitimus Principatus gravis eſt: nec *temerarius*, multâ cùm induſtiâ, longo temporum ſtudio & obſervatione, in ſenectute, quandò & æſtus juventutis & fervor ſanguinis deferbuerat, conſcriptus eſt: non *ſeditioſus*, vtpotè qui hoc ſolùm agit, vt pacem pectoris cùm pace temporis coniungat; non *erroneus*, qui cum Chriſto & Apoſtolis, Martyribus & Confeſſoribus, Patribus & Sanctis ſentire maluit, quàm cum ſeditioſis & ambitioſis adulatoribus inſanire. Apagè verò cùm *vltricibus flammis* tuis: arma veſtra hæc ſunt, ignis & faces vos decent, ad has confugere ſoletis cum arma ſpiritualia gladius biceps, verbum Dei vobis deficiant. Vltrices flammæ verè tuæ, ſic & meritum tuum: Flammas & incendium, & combuſtionem in Repub. Chriſtianà tunc moliri incepiſti, cùm junior Pariſiis diù abhinc inter bella & arma civilia, inter coniuratos patriæ & Eccleſiæ hoſtes, Ligam intelligo, facem ſeditioſis, buccinator ſanguinarius, prædicator truculentus, prælector ſiuè doctor crudelis, prætuliſti, ignemq; incendio, flammaſque ſeditionis & diſcordiæ miniſtrâſti. Flammas vltrices, minarum & vindictæ plenas non tantùm moliri, ſed & tractare progreſſus es, cùm & Pontifici animos addere, currentèque & præcipitem impellere conatus es, & omnes in Venetos ſcriptis & rationibus Draconicis, ſcilicet ſanguine potiùs quàm atramento exaratis, ſenior Cardinalis non ità pridèm excitâſti: Flammas & incendium non vnius civitatis Venetorum in mari ſitæ, (vbi facilè aqua abundantior ad incendium reprimendum) ſed totius orbis Chriſtiani, jam ſenex, in *Barclaium* ignivomus minitaris; librum *Barclaij* flammis vltricibus; hoc parum eſt, totam Rempublicam Chriſtianam igni & incendio devoves, dum non ignem charitatis, qui ardendo nutriat & conſervet, vt *Chriſtus*: ſed ignem ſeditionis & crudelitaris, ignem impietatis in parentes & patriæ patres, ignem infidelitatis & perjurij in Dominos veros, ignem rebellionis & parricidij in Reges &

Pag. 319.

In confutatione Primatus Papæ.

Principes Christianos, in terram, hæreditatem *Domini* (non sic *Dominus Iesus*) mittis. Atque proindè non sine numine & summâ Dei optimi maximi prouidentia factum est, vt in illâ ciuitate *Parisiorum*, in quâ primum has flammas seditionis & discordiæ spargere cœpisti, in eâdem libri tui flammis furialibus pleni, flammis vltricibus (quas olim etiam minatus est libris controuersiarum Xistus 5.) iustissimo Parliamenti & terrestris & cœlestis iudicio adiudicarentur, vt in agro Iezrahelis ignis impietatis ignem iustitiæ vindicaretur, & malum quod in librum *Barclaianum* meditatus es, in caput, saltem in librum tuum caderet.

CAP. VII.

Examinantur decem Concilia à Bellarmino citata.

1. *De authoritate conciliorum.* 2. *De Synodico decreto contra Leonem Isauricum.* 3. *De Concilio Romano, sub Gregorio 7. contra Henricum.* 4. 4. *Beneuentano, sub Victore 3.* 5. *Placentino, sub Vrbano 2.* 6. *Romano, sub Paschali 2.* 7. *Colonienſi, sub Gelasio 2.* 8. *Rhemenſi, sub Calisto 2.* 9. *Clarimontano, sub Vrbano 2. contra Philippum 1.* 10. *Lateranenſi, eiusq; decreto, sub Innocentio 3.* 11. *Lugdunenſi, sub Innocentio 4. contra Fredericum 2.*

Magna est Conciliorum authoritas, præsertim generalium, quæ Ecclesiam vniuersalem repræsentant: quibus Christus & præsentiam & gratiam suam, saltem in necessarijs semper promisit; Gregorius magnus quatuor prima Concilia generalia, *tanquam quatuor sacrosancta Dei Euangelia venerabatur*: nec iniuriâ, post enim sacrosanctas Dei scripturas, quæ in rebus fidei & salutis, primum & penè solum locum habent, in secundis consistunt Concilia, quæ ex sanctis Scripturis dogmata fidei & colligunt, & eam fidem quam Scripturæ tradunt faciunt que, Concilia generalia, & explicant & declarant: In tertijs consistunt sancti & Antiqui patres, quorum industriam & doctrinam sic amplectitur & sequitur posteritas, vt ipsi sanctas Dei Scripturas sequuti sunt; atque hunc ordinem contra Donatistas obseruauit sanctus Augustinus: *Certe (inquit) nobis obijcere soletis, Cypriani literas, Cypriani sententiam, Cypriani concilium: Cur authoritatem Cypriani pro vestro schismate assumitis, & eius exemplum pro Ecclesiæ pace respuitis? Quis autem nescivit, sanctam Scripturam Canonicam, tam veteris quam noui Testamenti, certis suis terminis contineri, eamq; omnibus pastoribus, Episcoporum literis ita præponi, vt de illa omnino dubitari & disceptari non possit vtrum verum, vel vtrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit*, De scripturis sic Augustinus. De patribus autem sic: *Episcoporum literæ, quæ post confirmatum Canonem, vel scriptæ sunt, vel scribun-*

Lib. 1. Epist. 24.

August de Baptismo contra Donatistas. l. 2. cap. 3.

ſcribuntur, & per ſermonem forte ſapientiorem cuiuſlibet in ea re peritioris, & per aliorum Epiſcoporum grauiorem authoritatem, doctioremq; prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, ſi quid ineis fortè à veritate deuiatum eſt; De Concilijs verò ſic Auguſtinus. *Et ipſa Concilia, quæ per ſingulas regiones, vel prouincias fiunt, plenariorum Conciliorum authoritati, quæ fiunt ex vniuerſo orbe Chriſtiano, ſine vllis ambagibus cedere. Ipſaq; plenaria ſæpe priora à poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat, ſine vllo typho ſacrilegæ ſuperbiæ, ſine vlla inflexa cervice arrogantiæ, ſine vlla contentione liuidæ inuidiæ, cum ſancta humilitate, cum pace Catholica, cum charitate Chriſtianâ.* Hæc Auguſtinus: In quibus hic ordo: Patres, Doctores, & ſcriptores priuati, per patres doctiores & per Concilia: Concilia particularia per concilia generalia & Oecumenica: Concilia Oecumenica priora, per poſteriora, corrigi & emendari poſſunt: & Patres, & Concilia prouincialia, & Concilia Oecumenica, quæ poſt Canonem ſcripturarum completum & confirmatum ſcripta ſunt, ſubſunt ſcripturis, quæ ſolæ indubitatę ſunt fidei; reliqua omnia & reprehendi & emendari poſſunt. Atque hic quæro obiter, in quo numero, ſi in aliquo numero Pontifex veſter? An inter Patres? ergo per Patres doctiores corrigendus, & concilio non ſolum generali, ſed & prouinciali ſubeſt; An inter Concilia prouincialia? ergo per Concilia generalia & Oecumenica emendari poterit; An inter Concilia generalia, vnus pro mille, vnus pro omnibus, vt vnitas in omnibus? ergo priores Pontifices per poſteriores emendari poſſunt, & proinde errare poſſunt: vt & factum eſſe res ipſa loquitur; ſolæ ſcripturæ tales ſunt, de quarum fide dubitari aut diſceptari non poteſt: certe nullo loco, tempore Auguſtini, habebatur Pontifex, qui in Concilio generali (& ſine Pontifice non poteſt eſſe Concilium generale) hoc eſt, in Cathedra errare potuit, quia & reprehendi & emendari potuit: male affectum fuiſſe Gregorium Nazianzenum, & à Concilijs Epiſcoporum omnibus ſe abhorrere docet Epiſt. ad Procopium. *Ego, ſi vera ſcribere oportet, ita animo affectus ſum, vt omnia Epiſcoporum Concilia fugiam, quoniam nullius Concilij finem latum fauſtumq; vidi, (alius forte videre potuit) nec quod depulſionem malorum potius, quam acceſſionem & incrementum habuerit.* Rationem aſſignat, non ſolum ſui ævi, ſed & noſtri vel maximè: *pertinaces enim contentiones, & dominandi cupiditates, ne vllis quidem verbis, explicari queant, citinſq; aliquis in culpam vocabitur, dum de aliena iudicium fert, quam vt aliorum peruerſitatem comprimat.* Quin etiam, vnus teſtium Bellarminianorum (cuius authoritas contra Bellarminum actorem valet) *Petrus de Monte*, homo nuperus ſub *Eugenio* quarto non de ſucceſſu Concilij generalis, ſed de Concilio

Epiſt. 55. ſiue 42

Petrus à monte in monarchia Concil. § Tertio quæro. num. 1.

lio generali legitimo congregando desperat: *Ad Concilium venire debent sancti Patres de omni orbe terrarum, sed certè secundùm hoc, hodie non potest fieri Concilium, cum nullos aut paucos habeamus sanctos Patres: adeo depranata est Christiana religio.* Et certe vel teste Gregorio magno, magna est inter ipsa Concilia differentia: vnum alteri præponderat: Qui enim quatuor prima generalia Concilia, tanquam quatuor Euangelia veneratur, multa alia Concilia prouincialia, & particularia, eaque approbata nouerat, nouerat etiam & generale quintum, nec tamen aut hoc, aut alia priora & approbata, tanquam quatuor Euangelia veneratur: ergo minoris sunt ordinis, inferioris conditionis, aliqua Concilia, tanquam Dij minores.

Quod vero ad Concilia ista à Bellarmino in hac causa adducta attinet: tantum abest, vt tanquam quatuor generalia, tanquam quatuor Evangelia veneremur, vt potius inter conciliabula, & inter conspirationes, contra libertatem & dignitatem Imperialem regiamque, meritò censeri debeant. *Figura enim ibi duntaxat Iudicij erat, re autem ipsa latronum impetus*, vt de Concilio Sacerdotum contra Christum Chrysostomus: *non enim conueniebant testimonia, sed tumultus & tribulationis omnia plena erunt, adeo vt apertum fictumq; pateret esse Iudicium.* *Chrysost. Hom. 85. in Matt.* *Quod me damnant Episcopi, non est ratio, sed conspiratio*, sic apud Hieronymum proclamat Iouinianus, sed iniustissimè proclamat vt idem, Hieronymus. *Hieron. ad Domnion. Apolog. Ep. 51.* *Non Iudicium, sed latrocinium*, vt de Ephesino 2. Leo. *Ep. 51. ad Pulcheriam cap. 2.* *Iniusti secum concordant, quandò in pernicium Iusti conspirant, non quia se amant, sed quia eum qui amandus erat, simuloderunt.* *Leo.* *August. in Psal. 36. con. 2.* Non placet vobis quod in margine erat apud Budæum: purgatis ergo. *Hic significare videtur duo Concilia Romanum & Pisanum, studio magis cupiditatis & vindictæ, quam charitatis indictæ.* Quid vero, an cupiditas, an vindicta, an studia partium, an factio Concilia convocat? Forte ergo, imo vero procul dubio, verum est, nemo in Concilium admittitur, nisi qui in Papæ verba iurauerit, In Concilio enim, vobis authoribus, vocem decisivam soli habent Episcopi: Et omnes Episcopi iurant Papæ: extat forma Iuramenti. *In Indice expurgatorio Hispanico, in Budæo.* *Ego N. Episcopus, ab hac hora in antea, fidelis ero sancto Petro, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ, Dominóq; meo Papæ, &c. Papatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & regulas sanctorum patrum adiutor ero, ad defendendum & retinendum, (salvo ordine meo) contra omnes homines, &c.* *Decretal. de Iureiurando c. Ego N.* Qualis ista sit fidelitas, qualis papatus, si quis quærat à Pontifice moderno *Paulo* 5. vel à *Bellarmino* Cardinale, Annon respondebunt Catholicos Anglos Pontifici fidelitatem non præstare, si Iuramentum fidelitatis Regi suo præstent; *Papatus, id est, Principatus, tam in spiritualibus quam in temporalibus, vt Panorm. ibid.* Annon ad Papatum, hoc est primatum Papæ, spectat & in fide infallibilitas, & in iurisdictione omnipotentia, vt & non possit in fide errare, ideo credendum sit quicquid doceat; & possit omnes

Reges

regnis & Dominijs ſuis priuare, ideò eidem anathematizanti & Depo-nenti Reges & Imperatores, obediendum ſit ſub pœna Anathematis. Quin etiam quia verba huius iuramenti generalia ſunt, inuenta eſt, vt aiunt, noua iuramenti formula: Iurant etiam Epiſcopi, *ſe omnia quæ contra Papam vel deliberantur, vel tractantur, vel ſuſpiciuntur reuelaturos, & pro viribus ſtrenuè impedituros: Hæreticos etiam omneſq; rebelles Pontifici, extremè infeſturos & perſecuturos.* An ſpes vlla reformationis, vbi nec deliberare, nec tractare, nec ſuſpicari quicquam de Capite Eccleſiæ languido licet? Quin etiam in Iuramento doctorum & aliorum cuiuſcunque artis & facultatis profeſſorum, in Bulla Pij 4. edito, iurant graduati in hæc verba. *Romanoq; Pontifici beati Petri Apoſtolorum principis ſucceſſori, ac Ieſu Chriſti vicario, veram obedientiam ſpondeo & voueo: cæteraq; item omnia à ſacris canonibus & Oecumenicis concilijs, ac præcipue à ſacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter accipio atque profiteor, &c.* Quæ hæc vera ſit obedientia, veſtrum eſt definire, nobis vero liquido conſtat, neminem verè obedientem Eccleſiæ filium, vobis Iudicibus haberi, qui contra hanc Papæ in Regibus deponendis omnipotentiam vel mutire audet: Hæc ſunt quæ & Epiſcopi, & Abbates, & Doctores, & profeſſores omnes in gratiam Papæ, in odium aliorum omnium, qui Papæ amplitudinem certis limitibus coarctare volunt, (quos omnes nomine odioſo hæreticos vocant) non tam Iurati, quam coniurati, & in perniciem maieſtatis Regiæ conſpirantes, in conciliis congregati vouent: An hæc Concilia libera dici poſſunt, in quibus de extrauaganti Pontificis poteſtate, tractare, deliberare, ſuſpicari, liberum non eſt? In quatuor primis Concilijs liberè auditi ſunt omnes, in nullius verba tunc Iurabant; in his nouitijs, in quibus omnia licent, non licet contra Papam veritatem dicere. Quid vero, An Concilium illud Tridentinum liberum vel vniuerſale dici debet? in quo dominabantur Itali, Iurati, & coniurati Papæ aſſeclæ, in quo exteri ſubſcripſerunt 83. Itali vero 187. ſic Itali pluſquam duplo plures quam reliqui totius orbis Epiſcopi, numero 104. vincunt, adeoque Synodus illa non *Oecumenica* ſed *Italica* iure dicenda eſt: Quin etiam eo nomine fraus Pontificia notabilis: Italia plures habet Epiſcopos, quam quævis alia natio, parochos vrbicos, plures forte, quam nonnullæ regiones parochos ruſticos: in hunc ſolùm finem, vt numero in Concilijs vincant, qui pondere vincere non poſſunt: Detur verò Concilium liberum, in quo ponderentur ſuffragia, non numerentur: in quo non tam capita quam corpora numerentur, vt in *Conſtantienſi*: non refugimus Concilium. Imo petimus, & imploramus, & vltro appellamus, tum citius & facilius Proteſtantes in Concilio conuenient, quam Græci, Armeni, alijq; totius orbis Chriſtiani, vobiſcum in liberâ Synodo conuenient. Ridiculum eſt vocare omnes, cum de omnibus plurimos, aut non poſſe aut non

audere interesse vobis exploratissimum sit: Quid vero de Concilijs hisce senserit dixeritque Guido Faber, Orator Regis Christianissimi, in Concilio Tridentino placet referre: *Conciliorum denique dignitatem & authoritatem, quæ initio nascentis Ecclesiæ magna fuit, & bene constitutâ republicâ maxima futura est, in posterum omnem eluabitis: Nostra patrúmque nostrorum & Avorum memoria, Synodos indictas fuisse, Episcopos convenisse, maximos in Germania atque Italia conventus habitos esse scimus, vix tamen vllus aut perexiguus exinde fructus Christianitati constitit*: & infra. *Hoc dissimulare certe non possum, (quod vereor ne nimis ad rem pertineat) minus legitima, minúsque libera dicuntur fuisse illa* Concilia: *Qui aderant, ad voluntatem alterius semper loquebantur, aut potius annuebant. Quâ re, nulla in iudicijs perniciosior, nullaue capitalior esse potest*: huius rationem affignat alter eiusdē Regis orator, Reginaldus Ferrarius: *Cum nihil à vobis, sed omnia magis Romæ, quam Tridenti agantur, & hæc quæ publicantur magis Pij 4. placita, quam Concilij Tridentini decreta iure existimantur.*

In Catalog. Testium veritatis.

Decreta ista Conciliorū quæ in rem suam producit Bellarminus, magis *Romæ*, quam *Lugduni*, quam *Coloniæ*, quam *Rhemis* acta sunt: placita sunt Pontificum, non decreta Conciliorum, annuebant potius quam decernebant: Liberam loquendi facultatem, vnicuique loqui volenti (quam à *Constantino* Imperatore petijt *Agatho* Pontifex Romanus in *Synodo* 6.) Regibus, Imperatoribus eorumque legatis & Episcopis, cùm Pontifices concesserint, tum Conciliorum authoritatem magni vt par est faciemus. Hæc interim Conciliabula, vel potius conspirationes, in capita Imperatorum & Regum parui pendimus.

Examinabimus tamen, vt hoc etiam liquido appareat, potestatem hanc Papæ in Regibus deponendis, nunquam in aliquo Concilio libero & legitimo, tanquam de fide definitam esse, etsi per vim fraudemque Pontificiam, in Conciliabulis tale quid factitatum sit.

Testes singulares, etsi plurimi & omni exceptione maiores videantur, articulum tamen fidei condere non possunt, declarare & explicare possunt, si tamen ante declarationem sit de fide quoad materiam, siue ex natura rei, inter credenda, non inter facienda: fides enim de faciendis non est, sed scientia vel cognitio: Et depositio Regum inter facienda est, & probatur plerunque ratione naturali, & authoritate humanâ, Iure Ecclesiastico non diuino: Et testes Bellarminiani, & non ita multi sunt: & inter eos nullus in hac causa omni exceptione maior; contestes vero pauci, vtpotè qui plerunque inter se, & cum Bellarmino pugnant: Et inter partes, & inter post natos, omnes censendi sunt, & inter eos, liber nullus, potestati Pontificiæ addictiores omnes quam par est, Quique non prosunt singuli, nec iuvant multi.

Ad testes ergo, contestes descendit Bellarminus, eosque innumerabiles

biles, id est, ad Concilia, & hæc etiam Concilia eadem exceptiones admittunt. 1. Libera non sunt, quia ad nutum & voluntatem vnius Pontificis, cui iurant Episcopi, contra quem nec mutire audent, sententiam ferunt. 2. Et inter Partes sunt, Ipsorum, Pontificis scilicet & Episcoporum causa agebatur, Pontifices de monarchia, de Immunitate Episcopi certabant. 3. Et inter post natos sunt: prius factum est, tum prodijt decretum: acsi quis hominem prius capite truncaret, tum causam eius dijudicaret: Talia ergo Concilia nec testium, multoque minus nec Iudicum loco admittenda sunt, in quibus nec vocati, nec audiri sunt, Imperatores & Reges, de quorum capitibus ferebatur Iudicium, vt in singulis apparebit susius.

Primum Concilium quod à Bellarmino in medium producitur, fuit sub Gregorio 2. Pontifice Romano ante nongentos annos, id est, post 2.
600. primos post Christum: benè hoc cecidit, non est articulus fidei per quingentos post Christum annos, liber in hoc Articulo doctissimus IACOBVS MAGNVS, magnæ Britanniæ Rex, qui articulos primæ illius Ecclesiæ recipit, nec tamen hunc recipit. Sed *Locus* huius Concilj, Romę an alibi? fortè in Italia: nihil tunc potuit Pontifex extra fines Italiæ: *Persona* qui subscripserunt, Occidentales an orientales Episcopi? nullæ subscriptiones reperiuntur. *Numerus suffragantium* quotus, an 318. vt in Nicæno? *Decreta* in eo Concilio sancita quæ? *Author* qui hoc Concilium coegit quis? An Imperator, (tunc enim sine Imperatore non convocabantur Concilia, nec contra seipsum cogeret patres Imperator) an potius Pontifex, qui in illo seculo, petebat ab Imperatore supplex concilij potius quam congregabat. De his non satis constat: Incerta sunt ista omnia, & quomodo certum hoc est Concilium?

De facto hoc *Gregorij 2. vel 3.* vel alterius cuiusquam Pontificis, (non enim de persona cõstat inter Historicos) varij varia & incerta referunt Historici: De Concilio tacent omnes, præter vnum *Zonaram*, hominem Græcum & fide græcâ, schismaticum vt *Baronius*, quique *Ad Ann. 726.* Zonaræ verba repetunt. Latini, Italique omnes coætanei huius Gregorij qui illa ætate scripserunt, de Concilio hoc nunquam audierunt, ideo à Græco Zonara testimonium petit Bellarminus Italus: sic enim est: Quæ in Græcia græca reperiri non possunt, Romæ asseruantur, vt *Canones Nicæni*; quæ in Italia Italica haberi non possunt, Græcia suppeditat, vt in hoc Concilio Gregoriano patet:

— Omnis non fert omnia tellus.

Primatum in spiritualibus ab Imperatore *Phoca* parricida accipit *Bonifacius* tertius: Patrimonium Petri accepisse videntur hic *Gregorius* secundus eiusq; successores à Francis: Omnipotentiam verò in deponendis Regibus primus occupauit *Gregorius 7. Hac inquit relegatio Iustiniani*

frequens mutatio Cæſarum, Bellaq; ciuilia inter eos, & diſſenſiones religionis cauſa habitæ, omnem Cæſaribus authoritatem in Italia ademerunt: Sic Papirius Maſſonus in fine vitæ Conſtantini immediati prædeceſſoris huius Gregorij 2. cuius vitam ſic aggreditur: *Vigilantia & ſanctimonia Gregorij 2. ex Epiſcopis Romanis, magnos principes tandem faciet, ſucceſſores ſuos, cui quidem rei principium difficile, progreſſus facilior, felix fauſtuſq; exitus fuit; vt merito poſſum Virgilianum illud vſurpare, atq; eum verſum ad Pontifices trahere, qui principatum ſuum, aut nulli, aut huic Gregorio debent.*

De Epiſcop. vrbis lib. 3.

Tanta molis erat Romanam condere gentem.

Atq; is hodie quoq; tantus eſt, vt veteris Poetæ vocem illam poſſim merito proferre. Quid ſatis eſt ſi Roma parum. Hæc Maſſonius. *Et nota quod circa hæc tempora, inceperunt ſe opponere Imperatoribus, Domini Papæ plus ſolito, etiam in temporalibus, propter per perfidiam eorum, et etiam tranſferre Imperium de Gente in Gentem, prout tempus poſtulat:* ſic Wernerus. Gregorius ergo ſecundus, tantæ authoritatis & potentiæ, primus author fuit: Habemus ergo originem poteſtatis & principatus temporalis in Pontifice Romano: Author aut Gregorius 2. aut nullus: Gregorius iſte patrimonium acquiſiuit per lapſum Imperij & Francorum auxilium, alter Gregorius diſpoſitionem principum & principatuum attentauit. Huic *quid ſatis eſt ſi Roma parum?* Quid ei ſatis, qui non ſolum Princeps, ſed Princeps principum, caſtigator Regum, Iuſtitiarius Imperatorum, eſſe vult & haberi? ex his paruis initijs quanta incrementa produxit Ambitio & Dominandi cupiditas? non tamen hic depoſuit Imperatorem, (Italos enim à defectione cohibuit & compeſcuit,) ſed patrimonium & principatum ambiuit. Et hic ergo Gregorius emit villam, dominatum cupit, ea de cauſa defecit ab Imperatore Græcorum ad Francos, eis obediuit, vt ab ijs ditaretur, nec ergo idoneus teſtis in hac cauſa, quia particeps criminis, imo Princeps, *Cui enim bono*, niſi ſoli Gregorio? Quid vero ſi Concilium à Gregorio tunc coactum ſit? annon omnes ad voluntatem Gregorij vota ſua ferebant? Sed rem geſtam prius videamus, tum an in Concilio hoc actum ſit expendamus.

Faſciculus Temporum An. 704.

Leo Iſaurus Imperator Iconomachus fuit, eâque de cauſa Imagines in templis deiecit & combuſſit: *Germanum* Patriarcham Conſtantinopolitanum, Imaginum fautorem depoſuit, eiuſque loco *Anaſtaſium* deſignauit: Gregorio item Epiſcopo Romano, ſuæ ditioni ſubdito, iuſſit vt Imagines itidem ille in Eccleſia ſua deijceret: non obtemperat Gregorius Iconolatra; Imperatorem ſcriptis redarguit, & hortatur vt ad cultum imaginum redeat, ſed incaſſum: proinde Synodum conuocat, in quâ imperatorem *Leonem* Anathemate perſtringit: Populus amans ſui Pontificis, forte ante concilium congregatum, tumul-

tumultuatur, grauiter fert Leonem Imperatorem; Exarchos & Magistratus Imperiales deijcit, quosdam trucidat, vectigalia denegat, ab Imperatore deficit, & ad Francos se convertit, rationem si quæras, non Iconomachia sola, non hæresis *Leonis Isauri*, sed præsens, & non ferenda oppressio Longobardorum, impotentia Imperatoris Leonis, qui & longe aberat, & alienis inimicorum incursionibus occupatus, Italis opem ferre non poterat, & Francorum potentia, qui magnam partem subegerant, simulq; in sedem Romanam devotio, (Et Romani Pontifices sapiunt, *fortiori semper se iungunt*: vt *Theramenes* apud Suidam:) occasionem dederunt, vt Itali à Græcis ad Francos deficerent, Imperiumq; simul transferrent. *In verb.* Ἀγχίφοτοι.

Atq; in hoc facto duo sunt discutienda: primũ, Quid Pontifex fecerit Gregorius: An author fuerit discessionis huius à Græcis, ad Francos, an suaserit, an sua authoritate siue potestate *Leonem* deposuerit, & subditos à Sacramento fidei absolverit, an potius inhibuerit, de quo suo loco, cap. 41.

Secundum, Quid Concilium istud sub Gregorio fecerit, an solum de dogmate fidei vt ipsis placet, id est, de cultu Imaginum statuerit, & Leonem Iconomachum anathemate, id est, censura spirituali perstrinxerit; An etiam potestatem temporalem exercuerit, Imperatorem deposuerit, vectigalibus, id est, parte Imperij mulctarit, quod proprium est huius loci.

Quod ad 2. Zonaras, primus est, quod sciam, qui excommunicationis in Concilio meminit: eius verba hæc sunt. *Qua de causa Gregorius, qui tum Romæ veteris Ecclesiam gubernabat (repudiata societate præsidis nouæ Romæ, necnon eorum qui illum sequerentur) illos vna cum Imperatore Synodico anathemate obstrinxit, & vectigalia quæ ad id vsq; tempus Imperio inde pendebantur, inhibuit, ille cum Francis fœdere.*

Adrianus Primus in Epistola ad Carolum Magnum, recitat fragmentum huius Concilij in quo sola mentio fit cultus Imaginum, de excommunicatione, vel de privatione vectigalium prorsus tacet. Vt & *Anastasius*, & *Paulus Diaconus* coætanei, qui rem tam insigniter notabilem non subticuissent. Excommunicatio ergo *Synodica*, sola Zonaræ authoritate nititur: de qua non instituitur controversia nostra: An scilicet Gregorius in Synodo, Leonem Isauricum excommunicauit? Illud hoc loco in dubium revocatur, an sicut *Synodico* anathemate obstrictus est Leo, sic etiam *Synodicè* depositus, aut Synodicè vectigalibus, id est, parte Imperij mulctatus sit.

Quod ad *Zonaram* attinet, plura sunt in eadem periodo conclusa; id est, Gregorius repudiavit societatem præsidis nouæ Romæ, & eorum qui illum sequerentur: quod omissum à Bellarmino. *Præses iste*, Baronio, est Leo Imperator: quam vere ipse videris, sequitur enim, *illos, id est, Præsidem.*

dem & eos qui illum ſequerentur, vnâ cum Imperatore, Synodico Anathemate obſtrinxit: 1. Imperatorem vna cum Imperatore excommunicauit: ſed hoc parum ad rem. 2. eſt: illos vnâ cum Imperatore Synodico anathemate obſtrinxit. 3. eſt: vectigalia ſemper pendi ſolita inhibuit. 4. eſt: Init cum Francis fœdus; Quæro hic a Bellarmino & Baronio: An hæc quatuor quæ in hâc vnâ ſententiâ exprimuntur, in Concilio facta ſunt omnia? primum de ſocietate Præſidis nouæ Romæ, & ſequacium eius, ante Concilium factum eſt, cum imagines dejicere & comburere recuſarunt: 2. De Anathemate, in Synodo factum eſt, dicit Zonaras, nec in controuerſiam vocamus: 4. De fœdere icto cum Francis, ſpectat ad tempora Zachariæ, & Leonis, Pipini, & Caroli magni, potius quam huius Gregorij, aut ſi huius Gregorij, extra concilium potius, quam in Concilio factum eſt, nec quiſquam hoc fœdus in Concilio factum aſſerit: & ſequitur apud Zonaram, verbis proximis; Vnde illi (Franci) occupandæ Romæ occaſionem habuerunt; De tertio, ſola ſit Quæſtio: An in Concilio vectigalia inhibita ſunt? Tota vis huius aſſertionis pendet in coniunctione: *Et: Synodico anathemate obſtrinxit, Et vectigalia inhibuit*, in eodem Concilio: Si vectigalia inhibuit, nec in Concilio inhibuit, falſus eſt Bellarminus, qui priuatum factum Gregorij, pro Decreto Concilij profert: atq; hic quæro vbi extat hoc decretum de vectigalibus non ſoluendis? an veriſimile eſt, an credibile; Pontifices, in nouilunio & incremento ſuæ poteſtatis, vnquam permiſſuros, vt tale decretum periret, idq; tunc, cum & Principatum ſuum, & Imperij tranſlationem molirentur; nulluſq; Latinorum hoc decretum poſteritati commendaret? Non ſolent ita negligentes eſſe Romani pontifices in rebus ſuis procurandis; nec adeo modeſtè ſolent ſe gerere, paraſiti Pontificij, quin quod ad honorem ſedis Romanæ pertinere poterat, & cuſtodire diligenter, & expromere libentiſſimè vellent.

An Gregorium 7. hoc latuit, qui firmamenta ſuæ tyrannidis vndiq; corraſit? promiſit Bellarminus, non teſtes ſingulares, ſed conteſtes innumerabiles: exiit ridiculus mus.

Concilium hæc non dicit, non extat decretum aliquod Concilij, ſolus Zonaras, i q; male intellectus producitur: qui non magis dicit, Gregorium, in Concilio, fœdus cum Francis injiſſe, quod poſtea videtur factum; vel in Concilio repudiaſſe ſocietatem Præſidis nouæ Romæ, quam ante Concilium repudiauit: quàm in Concilio decretum de vectigalibus retinendis edidiſſe, quod nuſquam extat: Imò vero, quia expreſſè dicitur, quod Synodico anathemate Leonem obſtrinxit, admodum probabile eſt, reliqua facta eſſe extra Synodum: Quia enim non potuit eſſe Anathematizatus ſine Concilio, ideo dictum eſt, Synodico Anathemate obſtrinxit: quia reliqua extra Synodum facta ſunt, ideo ſolum dicit inhibuit vectigalia nulla mentione facta Synodi: Adeoq; Baronius, *Zonaras hæc*

Ad Annum 730.

Romæ

Romæ (quod par est credere) facta esse Synodicè tradit: Imò verò, non est par credere, vectigalia inhibita in Synodo, nisi expressè hoc dictum fuisset a Zonara, & vectigalia inhibita in Synodo, sicut Anathema dictum in Synodo dicit.

Quod eo magis probabile est, quia Historici qui hanc vectigalium inhibitionem Gregorio adscribunt, de persuasione potius, quam de iurisdictione, vel depositione authoritatiua intelligendi sunt; *ab eius Imperio recedere persuasit*, vt Otho, & Gotfridus Viterbiensis: *Qua cohortatione adeo certe animati sunt Italiæ populi*: sic Platina. *Lib. 4. cap. 18. Chronic. part. 16. In Gregorio 2.*

Qui verò Gregorium *auertisse, desciuisse, cedere, recedere fecisse, prohibuisse, vetuisse, remouisse*, &c. dicunt, persuadendo hæc fecisse recte intelligi possunt, aut certe autorem *Rebellionis*, (eo enim nomine, insignitur hæc discessio, apud *Nauclerum* & alios,) Gregorium faciant oportet. Quinetiam post hanc Synodum, Gregorius eiusq; successores Episcopi Romani, & hunc *Leonem* & filium eius *Coprony mum* & eius nepotem Leonem Irenes filium, (sub quo 7. Synodus Iconolatriam sanciuit,) tanquam Dominos, & veros Imperatores, scriptis & Epistolis salutarunt vt in *Tom. 3. Conciliorum apparet*: ijsq; Epistolis adhortatoriis, siue commonitorijs, idq; in duobus Conciliis sub Gregorio 3. & quid opus cohortatione, vbi præcesserat depositio. His addi potest, quod quicquid Gregorius, in hac causa, contra Leonem fecit, quasi invitus & tumultu populari abreptus fecit. *Impulerunt Pontificem, & cæteros Italiæ populos, vt abrogata Constantinopolitani Imperij maiestate, alter in Italia Rom: Imperator deligeretur: quos compescuit Pontifex.* Nec hæc dici potest Inhibitio vectigalium sed potius translatio. *Animum subditorum ita ab hoc Principe alienauit, vt solita tributa non amplius Imperatori, sed Francis, quibus obediuit, tribuerit*: sic Cuspinianus. Non ergo negat tributum Gregorius; sed transfert in Francos, qui tunc temporis & potentiores & propinquiores Græcis. *Extat Epistola scripta anno 723. Leonis: qui penultimus eius fuit. Naucler. vbi supra. In Leone.*

Quinetiam & à vobis vestrisq; hoc accepi, Pontificem Romanum, vrbis Romæ tunc temporis, principatum temporalem obtinuisse, id quod & probabilius, quia & Rex Longobardorum, & Pipinus, & Carolus, Patrimonium Petri in immensum breui adauxerunt: Ideoq; Pontifex non tanquam subditus, sed tanquam Princeps liber & absolutus, tributa sua Imperatori denegauit.

Placet verò audire testem singularem, omni exceptione maiorem, quia vestrum: magnum illum, & sanctum Germanum Patriarcham Constantinopolitanum, depositum a Leone, multaquè a Leone passum (*Lucernam orientis, Lucentem & ardentem* vt Baronius) quod noluerit Imagines cum Iconoclastis confringere & comburere, imo in eo iudicium Ecclesiæ orientalis: *In Collectaneis quibusdam Græcis canonum & Legum, est veluti constitutio quædam, in qua perstringit Italos tanquam Impe-* *Annal. Tom. 9. Ad Annum 730 num. 6. Ibid. & ad Annū. 727. num. 4.*

Imperatori ſuo non obtemperantes; Hæc Baronius: Quam conſtitutionem, ſi videre liceret, plura forſan contra hanc defectionem Italorum haberemus, quam fortè viſum eſt Baronio literis prodere: Hoc certe prouidentiæ diuinæ placuit, vt & eadem ætas, quæ vitia, etiam & virtutes produceret, quæq; morbos, eadem remedia ſuppeditaret; Deficiunt Romani ab Imperatore Conſtantinopolitano; perſtringit Italos Græcus, & inter ſanctos relatus, Germanus, quod Imperatori non obtemperant: quod eum facturum non eſt veriſimile, ſi à Gregorio Iconolatra maximo, ſimul cum Concilio factum intellexiſſet, & potius Gregorium quam Italos perſtrinxiſſet. Nec eſt quiſquam inventus per multas ætates, qui factum Germani reprehendat. Nec ergo in Concilio, ſed in tumultu vectigalia prohibita: & prohibitio hæc, ſtatim à Germano reprehenſa; non ergo hoc in Concilio factum, & vbicunq; factum male factum eſt.

3. 72. Hactenus de *Concilio Romano, ſub Gregorio ſecundo*, ſequitur alterum *Romanum* ſub *Gregorio ſeptimo*: in quo Hildebrandica doctrina depoſitionem Imperatorum enixa eſt. In hoc Concilio, ſeditio, factio, ambitio, ſchiſma, de Regno certabant, vtra magis in eo regnaret: *Congregatio taurorum in vaccis populorum.* *Pſal. 67. 31.*

Concilium iſtud verum Conciliabulum & conſpiratio in caput Imperatoris, in damnum & præjudicium Imperij. *Turba grauis paci, placidæq; inimica quieti*: factio & ſchiſma potius quam Concilium, ideo à fautoribus Gregorij, dicitur *pars Gregorij*: vt patet apud *Vercellenſem*, qui reſpondet Epiſtolæ cujuſdam è Gregorianis, in qua hæc habentur: *Intuendum*, inquit, *quod qui Wigberto vel Henrico fauent, aut temporalis commodi reſpectu, vel vana gloria faciunt hoc intuitu, nos autem qui iuſtam partem Gregorij, iam à Deo aſſumpti, ſicut iuſtum eſt, defendimus, per hoc non homini, ſed Deo ſoli placere contendimus*: pars ergo ſunt; non Catholica Eccleſia: defendunt partem Gregorij, non totum Chriſti. Schiſma ergo hoc eſt: non Eccleſia, non Concilium: De hoc Concilio, vt de alijs quinq; ſequentibus per ſucceſſores Gregorij 7. contra Henricum dici poteſt, quod de Epheſino 2. in gratiam Eutychetis ſub Dioſcoro dici ſolet: λῃſτικὴ eſt: id eſt, *prædatoria Synodus*, ſiue latrunculorum concurſus: in hoc Concilio pro gladio ſpirituali, & mente ſana, aderant robuſti lacerti & pugni, armorum terroribus, minis ac metu res agebatur, potius quam argumentis: Authoritas vel potius violentia Papæ tanta, vt voluntas eius pro lege: verba *Domnizonis* poetaſtri, è quo notæ in hoc Concilium concinnatæ, de hâc Synodo ſunt.

De vnitate Eccleſiæ conſeruanda.

Tu Pater es patrum, blaſphemum contere caput,
Eſt noſtrum quippe iuſſis parere tuiſq;, &c.

Et vt de Cæſare Lucanus.

Omnia Cæſar erat, priuatæ curia vocis

Teſtis

Testis adest, sedêre patres consere parati,
Si Regum, si templa petat.

Sic soluit jubet Pontifex parent Episcopi, an sic solent Patres in Concilijs legitimis suffragari?

Quin etiam tam pauci erant è partibus Gregorij, vt indignissimi sunt nomine Synodi vel Ecclesiæ; sic Vercellensis. *Quatuor decim annos, aut eo amplius, in quibus prælia & seditiones regnis: Ecce quomodo ille Diaboli minister, ecce quomodo instituit, quomodo nos semmam foveam perditionis mittere quærit, qui apud 13. tantum aut paulo plures Episcopos Hildebrandi Papæ, scribit, sancta Dei esse Sacerdotia: cæterorum autem, qui sunt per orbem terrarum Sacerdotia, ab Ecclesia Dei esse separata.* Tredecim aut paulo plures schismatici, ecce facti sunt Ecclesia, & Concilium, & Synodus, tales Synodos non reformidamus. *De vnitate Ecclesiæ conseruãd.* *Auentinus recenset 14. eosq; nominibus notat. lib. 5.*

At quid Synodus hæc Romana? vbi sunt verba, vbi decreta huius Synodi? Synodus hæc non doctrinalis, sed practica, in hac non est decretum, de potestate Pontificis, in Imperatore deponendo, sed factum: factum est in Concilio; Depositus est Imperator, id est, lata est sententia depositionis in Imperatorem in Synodo: An vero à Synodo, id in dubium revocatur. Author huius decreti, qui à Bellarmino citatur, est *Lambertus Schaffnaburgensis* in Henricum iniquior & acerbior, ex quo *Binnius*, acta Concilij colligit, eius verba hæc sunt; *Postero die cum Clerus & Populus ad Synodum frequens confluxissent: in auribus omnium literas recitari fecit, & sic cunctis, qui convenerant Episcopis*, (fortè illis 13. de quibus Vercellensis coætaneus huius Synodi) *id fieri decernentibus, Regem excommunicat.* Gregorius excommunicat, non Synodus, vt etiam in forma Excommunicationis patet; Et Episcopi decernunt vt Regem excommunicet. An hoc est deponere? Quin ergo & depositus est *Theodosius*, ab *Ambrosio* excommunicationis vinculo innodatus? Quin ergo & Imperator siue Rex & Dominus excommunicatus ab Episcopis suis, statim & eo ipso depositus est, nec opus sit vt à Pontifice deponatur, & subditi à juramento fidelitatis absoluantur: & terræ eorum Catholicis possidendæ exponantur, sine sententia Pontificis, vt in Conciliabulo Lateranensi decretum est? Episcopi decernunt excommunicandum: Pontifex & excommunicat & deponit; Excommunicatio est actus Concilij: Depositio solius Pontificis. Nondum probavit Bellarminus depositum fuisse à Concilio, vel potius Conciliabulo, vel ἀπροικὶ, id quod, præcipuè probandum erat: *Quo nolente Imperium deponere, contra voluntatem totius penè Concilij eum excõmunicavit*: Sic Fragmentum historiæ Franciæ à Roberto ad mortẽ Philippi Regis; Cunctis decernentibus; sic Lambert⁹: alius ait, alius negat; nemo credit auditui vestro: Præterea vt ait Platina, *Instabant enim ex his, qui aderant, nonnulli, Regem* *Edita a Pithœo* *In vita Greg. 7. 1.*

non

non ita cito anathematizandũ eſſe: nec etiam de jure conſtat, etſi de facto conſtaret, & à facto ad jus non ſemper valet argumentum: factum eſt in Concilio; & factum à Concilio ſiue decreto Concilij, ergo bene factum: non ſequitur argumentum, cum Concilia in facto errare poſſunt.

Sed videamus ipſam ſententiam: *Et ego*, inquit Gregorius, alloquens Apoſtolum Petrum, *non rapinam arbitratus ſum, ad ſedem tuam aſcendere*: Non rapinam arbitratus ſum; cogitabat ſuperbus iſte Hildebrandus, ſe perſonam, non Chriſti hominis, ſed verbi & Dei gerere, cum verba Apoſtoli vſurpat, *non eſt rapinam arbitratus*, ſe eſſe æqualem Deo vel Petro: & iterum; *Et mihi tua gratiâ*, id eſt, Petri gratiâ; An Petrus fons gratiæ? An Petrus in cœlo Pontifices creat gratiâ ſuâ? ſicut ſucceſſores & coadjutores vivus deſignavit? Idolum potius quam Deum invocat, qui ſic vel orat vel execratur: *Falſus Propheta Hildebrandus quaſi divinitus revelatum prædixit, hoc anno falſum regem eſſe moriturum*: de Rodulpho Rege falſo, non de Henrico Rege vero, verum hoc fuit: verum, aut malè oravit Hildebrandus, aut nihil poſſunt, Maria mater Domini, Petrus & Paulus, aut non placuit petitio Hildebrandi, Apoſtolis Romanæ Eccleſiæ fundatoribus; verba ſunt: *Hoc autem iudicium citò in Henricum exerceat, vt intelligant omnes, iniquitatis filium non fortuitò, ſed veſtrâ operâ è Regno cadere: Ediſcant nunc Reges huius exemplo, & omnes ſeculi Principes, quid in cœlo poſſetis, quantiq; apud Deum ſitis, ac deinceps timeant ſanctæ Eccleſiæ mandata contemnere.* Citò exerceat. Apoſtolorum intererat, hanc ſententiam citò executioni demandare, vt ipſorum apud Deum gratia, apud homines potentia magnificaret: Et quam cito? moritur Gregorius, & ipſum pœnituit huius ſententiæ, ſupervixit Henricus: Duo vel tres Imperatores novi contra Henricum à Gregorio ſuſcitati: omnes miſerabiliter mortui, Rodulphus in prælio, câ manu amputatâ qua Henrico juraverat: Hermannus in expugnatione Caſtelli, ruina Portæ perijt; ſuperſtite eo, cui poteſtas à Deo data eſt: *In quo etiam hoc memorabile, Rodulphus in Babenburg electus, in Moguntia coronatus: vterq; locus brevi, igne abſumptus, iudicio Dei, & Eccleſia ſanguine fœdata eſt, qua conſpiratione illâ, in novi Imperatoris electione, fœdata prius fuerat*; Et quo in ſtatu Gregorius cum hanc ſententiam protulit? Excommunicationis vinculo innodatus in Concilio Wormatienſi, vt *Lambertus* ſicq; declaratus in ipſo Concilio per *Rolandum vel Eberhardum*: vbi vero ſunt teſtes illi Innumerabiles? Innumerabiles credo? nemo enim numerum eorum recenſuit: Concilium ipſum non extat in *Archiuis*: Quod extat ex *Lamberto* colligitur, non audimus Concilium, ſed *Lambertum*, atq; is teſtis eſt ſingularis, & partibus Hildebrandicis addictus, in Henricum acerbus, totus inter partes. Et quod de legibus Angliæ inter honoratiſſimum Dominum *Edw. Cookum*, iam capitalem Iuſticiarium totius Angliæ, & *Parſonium* perduellem accidit;

Philip. 2. 6.

Aventinus. l. 5.

Sigibert. ad Annum 1080.

Platin. in Gregorio 7.

Venericus Vercellenſis, de vnitate Eccleſiæ Conſeruand.

Ad Annũ, 1076

accidit; Ille leges municipales ex Archivis: *Parsonius* ex Historicis jus Anglicum refert, qui jura Angliæ nunquam viderunt, nunquam intellexerunt. Sic Bellarminus, Concilia Historica potius, quam Archiualia nobis refert: Malo Concilia ipsa, quam relatores Conciliorum, qui nihil nisi quod Pontificibus prosit, aut placeat, referunt.

Sequuntur quinq; alia Concilia ex fide Relatoris non Authoris: ἀντίγραφα desiderantur; & hæc eiusdem sunt farinæ cum præcedente: Spiritus Hildebrandicus, id est, superbus, ambitiosus, mundanus, super has aquas superferebatur; non tantum ferebatur; ipsis Episcopis tacentibus, & nihil agentibus, omnia facta sunt ad nutum & verba Pontificis, huius voluntas pro lege, huius vox pro decreto, non tam Conciliorum, quam Pontificis hæc sunt acta: pars hæc Pontificis factio & conspiratio, & quidvis potius, quam Concilium; de quibus sigillatim.

Primum Conciliorum, inter hæc quinq; est *Beneventanum*, sub *Victore* 3. in quo, pro Archiuis Concilij, habemus *Leonem Ostiensem*: In Concilio forte aderant testes multi, Leo Ostiensis testis est singularis, isq; *Pontifici addictissimus*, adeoq; vix fide dignus in hac causa videri potest. Sed in hoc Concilio, *Excommunicavit* Antipapa Victor 3: *Wigbertum Antipapam*, (nec enim satis constat, quis fuerit verus Papa) *& Hugonem Lugdunensem Archiepiscopum, & Richardum Massiliensem Abbatem*, & addit: *Cum huiusmodi igitur Episcopis, Abbatibus, aut Clericis reliquis, qui communicat vel erat, aut ipsorum audit Missas, vnà excommunicationis sententia plectitur, qui nec Sacerdotes quidem rite putari possunt.* 4. 3. *Vt in hoc lib. c. 10. ipse Bell.*

Excommunicatio ista, pertingit ad Clericos, Laicos non attingit; præterea, an Imperator solet cum multitudine, tanquam gregarius aliquis, sine nomine, sine nota, excommunicari? Regula est: *pœnæ sunt restringendæ*; Annon hic extenditur pœna, si Imperator Anonymus, & Laicus inter Clericos excommunicationis vinculo innodetur & excommunicatio depositionem pariat? Tantum vero abest, vt in hoc Concilio depositus sit Henricus, vt nec excommunicatus fuerit; verba illa: *Si quis Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, vel cuiusvis potestatis secularis, Episcopatum, vel quamvis aliam Ecclesiasticam dignitatem dare præsumpserit, eiusdem sententiæ vinculo se astrictum noverit*: quæ contra investituram Episcoporum à Laicis sumendam, in hoc Concilio promulgantur, futura prospiciunt, non præterita, nec excommunicatum, sed excommunicandum denunciant. Quomodo ergo sententiam Gregorij 7. confirmat Victor 3. qui Henricum nec deponit, nec excommunicat?

2. Inter hæc quinq; Concilia, est *Placentinum* sub *Vrbano* 2. in quo, pro ipso Concilio supponitur, *Bertholdus Constantiensis, totus Papa devotus*, vt Cuspinianus; testis singularis pro contestibus innumerabilibus: 5. 4. *In Henrico 4.*

Historia

Hiſtoria pro Archiuis, & decreto Autographo : narratio ſiue collectio *Bertholdi*, pro definitione Concilij : *Bertholdi* verba hæc ſunt : *In Guibertum Hæreſiarchum ſedis Apoſtolicæ invaſorem, & in omnes eius complices ſententia anathematis, Synodali iudicio, cum ardentibus candelis iterum promulgata eſt*: vel vnam harum candelarũ ardentium ſi arripuiſſet Bellarminus, videre potuiſſet latam eſſe ſententiam excommunicationis, non depoſitionis, in Guibertum, non in Henricum & in complices eius, quo numero reponere Imperatorem bene tedolet ſpiritum Bellarminianum, qui Cardinales æquales Regum, immo Reges infra infimos clericos collocat; aliter ſolent docere Legiſtæ : *Leges latæ de inferioribus, non ſunt de ſuperioribus intelligendæ* : vt quæ de ſacerdotibus feruntur, non tangunt Epiſcopos: nomine notandus erat Imperator, ſi de Imperatore intelligi vellent Patres iſtius Concilij: Idem iudicium de Concilio *Beneuentano* ſub eodem Vrbano 2. ferendum eſt, in quo eadem verba recitantur, Guibertus & complices eius: Inter hos non eſt intelligendus Imperator, niſi nomine proprio deſignetur.

6. 5. 3. Inter hæc quinq; Concilia eſt *Romanum* ſub *Paſchali* 2. in quo, pro Cõcilio, *Abbatem Vrſpergenſem* habemus, *Gregorio 7. addictiſſimum, quiq; pium Imperatorem, vti & Bertholdus, ardentius quam conveniat, inſectatur* : vt Cuſpinianus. In hoc Concilio, hæreſis illa anathematizatur, quæ docet *Anathema contemnendum & Eccleſiæ ligamina ſpernenda eſſe*. Quid vero factum ſit in Concilio, hauſit Vrſpergenſis, a fonte veritatis infallibili, i. ab ore Pontificis: *nos quoq; in proximâ Synodo noſtrâ, iudicio totius Eccleſiæ*, (dixiſſet partis ſuæ) *perpetuo eum anathemati tradidimus*: Excommunicatio hæc eſt: vbi depoſitio vel abſolutio a iuramento fidelitatis? iſta in Hildebrandico decreto ſunt, in Paſchaliano non ſunt; Sic nec teſtem ſingularem, nec conteſtes innumerabiles video.

In vita Henrici 4.

7. 6. 4. Inter hæc 5. eſt Colonienſe, ſub Gelaſio 2. Gelaſius iſte ſedet annum vnum, dies quinq; vt *Onuphrius* : nec apud *Binnium* extat tale Concilium Colonienſe: Qualecunq; tamen fuit contra Henricum 5. nunquam a Pontificibus depoſitum celebratum fuit, in quo ſi quid actum ſit circa hanc cauſam, id ſolum actum vt & in prioribus, vt qui inveſituram a Laicis acciperent, pœnâ excommunicationis ferirentur : de poteſtate vero depoſitionis ne verbum quidem. Sed fortè intelligit Bellarminus, *Colonienſe* ſub finem Pontificatus Paſchalis 2, per legatum ſuum *Theodoricum*, non *Cunonem*, vbi de anathemate imperatoris apud Vrſpergenſem fit mentio: ſed iſte etiam erat Henricus quintus, qui etſi anathematizatus, nunquam tamen a vobis inter depoſitos imperatores recenſetur : ſic non prodeſt Bellarmino hoc Concilium, imò magis obeſt, quia anathema dicitur Henrico 5. nunquam depoſito: fortè intelligit Concilium Colonienſe, quod apud *Binnium* ſub Caliſto 2. extat, ſed habitum a *Cunone legato Gelaſii* 2. Anno 1119. nõ 1118. vt Bell. in quo inquit Vrſpergenſis, *Imperatoris omnimodis excom-*

excommunicationem propalauit: vt & in Synodo Fritesiarensi: Hæc itidem fuit excommunicatio in Henricum 5. lata: nã Henricus 4. diu ante in domino obdormierat, nec Henricus 5. depositus: proinde hoc Concilium, eiusim Bellarminianam parum iuvat imò prorsus destruit.

5. et vltimum inter 5. hæc Concilia, est *Rhemense* sub *Calisto* 2. licet indictum à Gelasio 2. Atque hic etiam pro Concilio & contestibus, proferuntur à *Bellarmino*, *Rogerius*, *Sugerius*, *Vrspergensis*, qui depositionem non memorant, & de Henrico 5. loquuntur: Et à *Binnio*, *Malmesburiensis*, *Trithemius & Genebrardus*: *pariter & imperatorem nisi resipisceret involuens*, sic Malmesburiensis: ibi excommunicationis decretum vel comminatio, potius quam excommunicatio: *Imperatorem excommunicat* sic Trithemius, excommunicatio sine depositione, in Henricum enim 5. hæc est lata sententia, qui nunquam depositus fuit: *Imperatori quoq; interdictum est aquâ & igni, quod nollet reconciliari Ecclesiæ Romanæ*: sic Genebrardus ex Sigiberti continuatore, & Gulielmo de Nangis: In Continuatore Sigiberti, nihil tale habetur: solum memorat Concilium hoc Rhemense: apud Nangium non reperio: Genebrardus homo novus & nullius in hac causa authoritatis, phrasi prophana, Ethnica potius quam Christiana vtitur: qui tamen de depositione non loquitur. His quinque Concilijs, si quinque alia, (vt omittam alia in suum locum) ab Imperatore habita in quibus Gregorius excommunicatus & depositus est, & Guibertus confirmatus, & Henricus absolutus, opponamus, qualia sunt *Wormatiense*, *Papiense*, *Brixiense*, *Moguntina* duo quæ extant inter Concilia sub nomine Conciliabulorum, & Romanum apud Vrspergensem, alioſque historicos: clauum clauo, venenum antidoto pellere possumus: & Concilium antidotum est contra Papam, etiam authoribus Pontificijs.

8. 7. *C 9. Rogerius in Annalibus Angl. Suger. in vit. Ludouic. Regis Frãcor. Vrspergen. Malmesbur. de Regibus Angliæ, lib. 5. In Chr. Hirsaug. Anno 1119. Chronograph. eodem Anno.*

3 Concilium est *Claremontanum* sub *Vrbano* 2. (nec enim 5. prædicta digna nomine Conciliorum) in quo excommunicatus est *Philippus primus* Rex Francorum: Quamuis de hoc non satis constat: Author Fragmenti Historiæ Francorum, hæc habet: *Philippus Rex, repudiatâ Berta, aliam coniugem Bertradam accepit, filiam Simonis de Monte-forti, quæ Fulconi Andegauensium Comiti nupserat, cui idem Rex eam abstulit: vnde multotiens à beatæ memoriæ Papa Vrbano admonitus ne quaquam consensit, Quo obeunte successor Paschalis in Galliam misit, duos de suis Cardinalibus probabiles viros, Ioannem & Benedictum, qui Regem conuenientes, & eius animum obstinatum reperientes, Pictauis adunato Concilio, totam Franciam pro hac re anathemati subdiderunt.* Hic admonuit Vrbanus, non excommunicauit, sed Paschalis, idque in Concilio *Pictauiensi* non *Claremontano*. Et probabile est, hanc sententiam excõmunicationis & interdicti, non latam in Concilio Claremontano in quo magna illa expeditio, ad Hierosolymã recuperandã, suscepta est à *Gotefrido*, *Balduino*, *Roberto*, *Raimũdo*, *Boamũdo*, *Tancredo*: multisq; alijs generosissimis

9. 8. *Edita a Pithoeo cum Glabro.*

Francię heroibus; nec opportunũ videri potuit, vbi conſultatio de ſummâ Chriſtianitatis habebatur, in eo Concilio regnũ Franciæ ſub anathemate & interdicto ponere, multo minus Regem deponere, & ad ciuilia arma prouocare, cum pace & vnitate maxime opus eſſet. Quin & *Aimoinus l.5. cap.49.* deſcribens Concilium Claromontenſe, c.50. ſic progreditur: *Procedente verotempore, Philippus Bertham repudianit, Bertradam accepit: vnde Pontifex eum excommunicauit*: procedente tempore, ergo poſt Cõcilium Claromontenſe; ſed quia *Iuo* Epiſcopus *Carnotenſis*, qui eadem ætate vixit ſub Philippo, hoc anathema & interdictum ab *Vrbano*, idque in Concilio Claremontano proceſſiſſe aſſerit, idque in Epiſtolis, (è quibus certiſſima hiſtoriæ veritas peti poteſt) nec de Pontifice, nec de Concilio litem intentabimus: ſic enim Bertholdus: Ipſum enim teſtem ſingularem pro Concilio habemus: *Inſuper & Philippum Regem Galliarũ excõmunicauit, eo quod propriâ vxore dimiſsâ, militis ſui vxorẽ in coniugium ſociauit*: De excommunicatione ergo conſtat: quod corona Regni priuauerit id vero dubiũ eſt, imò planè falſum: *Philippum Regẽ Francorum, qui viuente vxore ſuâ ſuperduxerat alterius viuentis vxorem, excommunicat*: Inquit *Sigebertus* ad annum 1095. nulla ibi mentio, quod corona Regni priuauit vt falsò Bellarminus: *In hoc Concilio, Papa Vrbanus, Philippum Regẽ Francorum, qui viuente Reginâ ſua ſuperduxerat alterius viuentis, Fulconis ſcilicet Andegauenſium Comitis vxorẽ, excommunicauit*: ſic Matthęus Paris: Et hic teſtis ſolum de excommunicatione verba fecit: de priuatione coronæ altum ſilentium: non igitur clarius refert ſed nec refert quidem. *At quod excõmunicatione iſta intelligatur priuatio regiæ dignitatis: id conſtat ex Iuone Ep.28. ad Vrban.2.* Imò vero non conſtat, verba Iuonis ſunt: *Regẽ cum Regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, eumq; anathematis vinculo abſoluatis*: niſi coronam reſtituatis, quid hoc eſt? An rex ſine Regno? ſine coronâ? quomodo Rex cum regno diſceſſurus; ſi Rex ſine regno? *Rex cum regno, ab obedientia veſtra diſceſſurus: niſi coronam reſtituatis*: Rex cum regno, ergo non ſine regno: non eſt facta ſeparatio inter regẽ & Regnum: id ergo eſt quod minatur Iuo: Erant Antipapæ duo, Guibertus & Vrbanus: minabatur per nuntios ſuos, Rex Philippus, ſe cum regno ſuo, ſibi coniũctiſſimo, ab obedientia Vrbani, ad obedientiam Guiberti diſceſſurum, niſi Vrbanus coronam reſtitueret, & ab anathemate abſolueret. Tota difficultas in illis verbis: *niſi coronam reſtituatis*: Tria fecerat Vrbanus contra Regem Philipp. 1. Regem anathematis vinculo innodarat. 2. Regnum ſub interdicto & anathemate poſuerat. 3. omnibus Epiſcopis Galliæ mandauerat, ne quiſquam auderet coronam Capiti Regis & Reginæ novæ nuptæ Bertradæ, more ſolenni imponere, vt *Epiſt.* 28. De Regina, *Epiſt.* 66. de Rege per Epiſcopum Turonenſem, contra hoc mandatum coronato, patet.

Aimoinus.

Epiſt.211.

Sigebertus.

In Guliel.2. ad annum, 1095.

Nec excõmunicatio, nec anathema, nec prohibitio coronationis depoſitionem

ſitionem inferunt: Quid vero, Annon antea coronatus Philippus? An poſt excommunicationē & depoſitionem, ſi Reges ad gremium Eccleſię redeant, ſolent recoronari? An verò, quod probabile, Philippus amore Bertradæ cœcus, propter maiorem nouæ Reginæ honorē, vnâ cū illa recoronari voluit? verba ergo Iuonis, de coronâ reſtituendâ, non probant, aut coronā regiam, aut dignitatē regiam, per ſententiam Papæ ablatā eſſe, ſed potius coronationē nouæ Reginæ prohibitā: Quod verò Iuo Philippo excōmunicato ciuilē & naturalē obedientiā præſtiterit, multis conſtat: In Ep. 22 ad Philip. vbi ſe, ſuaq; omnia, quaſi ſub proſcriptione regiâ, vſq; ad penuriam panis eſſe ſcribit, quia nuptijs Reginæ intereſſe vocatus noluit: hæc habet, *De cætero, calumniatoribus meis, quibus me reſpondere iubetis, cum inſinuatum fuerit, qui ſint & quid expoſtulant, reſpondere non ſubterfugiam, vel in Eccleſia, ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia, vel in curia, ſi curialia ſunt,* non ergo negat regis authoritatem: In Epiſt. 28. Titulus eſt: *Philippo Dei gratia, magnifico Francorum Regi: Iuo, &c. ſic ſe regere, vt regi regum valeat cōplacere*: In qua item, effectum huius excōmunicationis declarat: *ſeparat vos eadē authoritas* (Vrbani) *à participatione corporis & ſanguinis Domini* (tunc & vſus calicis laicis permiſſus) & infra: *Ego antē nolo vos ſcandalizare, vel regiā maieſtatē veſtrā minuere*: an negat regē licet excōmunicatum?

Et Epiſtola 56. titulus eſt: *Philippo Dei gratia, ſereniſſimo Regi Francorum Iuo humilis Presbyter ſuus, ſalutem: & ſicut Domino & Regi ſuo fidele ſeruitium*: Et in fine Epiſtolæ: *Quod ſi quis eos* (Epiſcopos in eodem anno ad tertium Concilium vocatos) *vltra terminos, a partibus conſtitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi conſilio, iniuſtis oppreſſionibus, pro perſona veſtra (id eſt, pro regia authoritate) reſiſtite: ſic vt quæ Dei ſunt Deo reddant, & quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddere non omittant: valeat multo tempore tua ſublimitas*: Adeoq; hoc generale eſt apud Iuonem, Philippum licet excommunicatum, ſemper tamen & Regem & Dominum ſuum appellare, & multum abſuit ab hac poteſtate depoſitionis in Pontifice, Iuo; vt ſuo loco dicetur.

At *Nauclerus*, *Paulus Æmilius*, *Papirius Maſſonius*, hoc docent, *In eodem Concilio Papa execrauit Philippum Regem Francorum, cauſa autem excommunicationis Philippi hæc fuit* &c. ſic Nauclerus, ibi execratio & excommunicatio, at depoſitio nulla: *Summus Pontifex Philippo aquâ & igni interdixit*, ſic Æmilius, nec tamen depoſuit, immo contrarium planè aſſerit: *Francia ſub Rege minus probato ita incolumem ei maieſtatem ſeruauit, vt ipſe à ſanctitate maiorum non degenerauit*, ecce maieſtas regis excommunicati incolumis ſeruatur. *Generat.* 37. *In Philip.* 1. *Pag.* 103. *Baſil.* 1061.

Illa (*id eſt*, (*Synodo Claromontenſi*) *Philippo Regi inceſtus damnato, ſacrificijs interdictum. Cū rex Pontifici bene monenti non parueriſſet, ipſi in Synodo Claromontano templi aditu, & ſacrificio interdictum. Epiſcopi Belgiæ contra edictū Vrbani, Regi, Bertradaq; coronam impoſuerunt*: Hæc *Lib.* 3. *Annal.*

habet Massonius: qui, quale fuerit hoc interdictum manifestè declarat non regno exclusus Philippus sed aditu templi & sacrificijs. In his authoribus nulla depositio habetur, *At Regnante Christo: non Regnante Philippo: sic habetur in Publicis scripturis durante hoc anathemate*, sic *Nicolaus Vignierius in compendio historiarum Francorũ*: rationẽ assignat Bellarminus: *quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat.* Vignierius ista refert ad an. 1199. centum fere annis post mortem Vrbani 2. de Philippo Lodovici filio: Hic Philippus, filius Henrici fuit: Philippus 1. in Concilio Claremontano excommunicatur: *Iste Philippus Dionem durauit hoc interdictum à ferijs luminarium, vsq; ad Calendas Augusti*: sic Vignierius Conciliũ Claremontanũ celebratum fuit 1095 Paschalis fit Papa 1099. cuius tempore ab excommunicatione absoluitur Philippus: non sunt bene diuisa temporibus Bellarmine hæc. Author Commentarij in Iuonem, de Chronico Cœnobij sancti Dionysij (ex quo, hæc de Christo regnante non Philippo, desumpta sunt,) hæc habet, *Quod tamen hodie nonnullis commentũ Monachale videtur*: licet postea improbet. vnum est quod ex illo commentario obseruatione dignum est, *In publicis Scripturis*, sic Bellarminus: *In publicis actis Ecclesiasticis*, sic Iuretus: Fraudulenter hoc factum à Bellarmino, qui per acta publica, acta Regui, non Ecclesiæ intelligat, cum acta sint Ecclesiastica non regalia: ideo si qui sint, qui tempore excommunicationis Philippum pro Rege non habuerunt, Clerici sunt, non Laici: Ecclesia, non Regnum defecit à Rege, quamvis, vt supra dictum est ex *Iuone Epist.* 55. Iuo & Episcopi, Philippum vt regem habuerunt licet excommunicatum, & populum à Philippo defecisse nemo vnquam præter Bellarminum dixit, & contrarium directe affirmat *Paulus Æmilius*, vt supra habitum est.

In Epist. 28.

Ibidem.

10. 9. Sequitur Concilium *Lateranense* sub Innocentio 3. in quo non factũ, sed decretum de potestate Papæ in subditis absoluendis, & in terris Dominorum à Catholicis occupandis extat. C. 3. hic non in Concilio sed à Concilio, non tam factum, quam decretum est, de monarchia Pontificis temporali, si hoc inter Concilia & decreta legitima collocetur, & hìc non testes singulares, sed contestes innumerabiles: et si vni vel alteri non sit fides, saltem duobus vel tribus, saltem quadringentis, saltem mille ducentis, non deerit spiritus Christi, qui deducit in omnem veritatem. Et hoc est vnicum & fortissimum argumentum, & fundamentum huius omnipotentiæ Pontificiæ, sed futile planeque nullum, si ad amussim veritatis examinetur.

1. enim, Caput hoc tertium de hæreticis, est decretum de reformatione, non Canon siue definitio de fide, quæ capite primo explicitè continetur: & proinde doctrinam Pontificis, & Cardinalis non confirmat, qui hanc potestatẽ inter articulos fidei reponunt. *Constitutio est Ecclesiæ* (vt Aquinas eiusq; sequaces) *potestatem Dei habentis*, quæ per leges suas Iudiciales

potest

potest pœnâ depositionis siue priuationis, Reges & dominos temporales, propter infidelitatem vel Apostasiam priuare: An vero leges Ecclesiasticæ sunt de fide?

2 An sic decreuit Concilium? An Innocentius 3. solus & solitarius? An alius sub nomine Concilij & Innocentij? Iniquus Bellarminus si Innocentium testem singularem, imo nec testem, quia in causa sua, pro Concilio, pro testibus innumerabilibus, si alium Innocentio minorem, Pontificis parasitum, pro Innocentio obtrudat. Atque in hoc Concilio, subscriptiones nullæ, vt in *Nicæno*: vt in cõciliabulo Italico *Tridentino* vltimo, fides tota est penes relatorem, non autorem: Conuenisse in hoc Concilio Patriarchas, eorumve legatos, Episcopos multos, conueniisse etiam Imperatores Regesque multos per eorum nuntios & legatos, in titulo constat. Hic quæri potest, an legati Imperatorum & Regum in mandatis habuerint, de hôc temporali monarchiâ, & Regum priuatione disputare & decernere? An res tanti momenti sine disputatione, longaq; tractatione, definiri & determinari potuit, quæ tot cædibus, tot cladibus, tot excercitibus, tot lanienis, tanto sanguine Christiano effuso, ante sedari non potuit? An inter Legatos, tot Imperatorum & Regum, nullus inuentus est, qui in tali causa, quæ & capita & Coronas Dominorum suorum arctissime tangebat, contradiceret, quive prius rescriberet, sensumque Domini sui resciret? An omnes insensati & pedanei senatores? An inter Historicos illius ætatis, nullus inventus, qui progressum huius Concilij memoriæ posteritatiq; commendaret? Age vero: Concilio sedente, subito orta est seditio, inter Pisanos & Genuenses in Italia; Innocentius nouitate & periculo rei perturbatus, Concilium dissoluit, ad componendam pacem in patrimonio Petri accelerat, extremam manum huic Concilio non imponit. Ipse in hac expeditione moritur, ecce Concilium, non Concilium, decreta, non decreta; De qua re sic Platina, *Venêre multa, tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certabant; Eoitaque proficiscens, tollendæ discordiæ causa Pontifex, Perusii moritur, &c.* In Concilio nihil decerni potuit, Pontifex breui moritur, nihil nec bellum contra Turcas, nec hoc funestum decretum contra Imperatores & Reges, in quo multa bella, bellis Turcicis sæuiora: sic hæc decreta nec Cõcilij, nedum Innocentij esse videntur. *Recitata sunt in Pleno Concilio capitula sexaginta, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa*: sic Matthæus Parisiensis. Recitata sunt: non dicit concluſa vel decreta: alijs placabilia, alijs videbantur onerosa, ergo in Concilio dissensio erat de his decretis. *Venêre multa tum in consultationem, nec decerni tamen quicquam potuit*, & post, *Edita tamen nonnulla constitutiones reperiuntur*: Sic Nauclerus, Neque vero de numero constat: Nam Matthæus Parisiensis

Platina in vita Innocentij 3.

In Iohanne Anno 1215.

Genrat. 41. Anno 1215.

Capitula ſexaginta recitata dicit in pleno Concilio, at in Concilio ipſo iam edito, extant decreta ſiue capitula ſeptuaginta, quæ apud Innocentium ipſum, in capitula ſeptuaginta duo diſtributa ſunt, creſcunt eundo, à nihilo ad ſeptuaginta, ſiue ſeptuaginta duo Cap. De quo Concilio ſic Matthæus Pariſienſis in hiſtoria minore: vt refertur in Antiqu. Britan. in vita Stephani Langtoni: *Concilium illud generale, quod more papali, grandia, primâ fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcommata, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos omneſq; ad Concilium accedentes artificioſe ludificatus eſt, deſyt. Illi enim, cum iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi, veniam ſigillatim petierunt, quibus Papa non conceſsit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent, quam à mercatoribus Romanis prius accipere mutuò, Papæq; ſoluere coacti ſunt, antequam diſcedere Roma potuiſſent, Papa iam accepta pecunia, quaſtuoſum hoc Concilium diſſoluit gratis, totuſq; clerus abijt triſtis.*

Matth. Par. in Hiſt. minore.

Extat hoc Concilium apud Innocentium 3. in operibus eius impreſſis *Coloniæ* apud *Cholinum* 1607. ſtudio & opera *D. Iacobi Middendorpij*, Theologi & Iuriſconſulti, in cuius titulo ſic habetur: *Sacri Concilij generalis Lateranenſis, ſub Domino Innocentio Pontifice maximo, huius nominis tertio, celebrati, Anno D. 1215. decreta ab eodem Innocentio conſcripta, &c.* Et meritò, decreta ſunt Innocentij, potius quam Concilij, ideo inter opera Innocentij potius quam inter Concilia reponenda erant: Decreta ab eodem D. Innocentio conſcripta: an ante Concilium conſcripta? eſto: non ergo Concilij, ſed Innocentij decreta: non in Eccleſia Lateranenſi, ſed in cubiculo aut bibliotheca pontificia fabricata; An ſic ſoletis concilia celebrare? Papa decreta conſcribit, & in Synodo legi, fortè nemo attendit, fortè pauci intelligunt: Ecce Concilium ſervum non liberum. An poſt Concilium ab Innocentio conſcripta? ſi ab Innocentio conſcripta, neceſſario poſt diſſolutionem Concilij ſcripta, nam in actis mentio fit conſtitutionum Concilij Lateranenſis. Et Innocentius, poſt Concilij diſſolutionem, ad reprimendum inteſtinum & ciuile bellum, in Italia, inter *Piſanos*, *Genuenſes*, & *Ciſalpinos* accelerans, in expeditione moritur Perusij. Aut ergo in itinere, raptim & tumultuariò conſcripta ſunt hæc decreta, aut quod probabilius ab Innocentio cõſcripta non ſunt. Quid enim; An verisimile eſt Innocentium (qui vobis optimus & ſapientiſſimus eſt) Decreta Concilij generalis, ſub nomine ſuo, editurum? typhus hic ſuperbiæ eſt: An quiſquam ſanæ mentis, decreta Concilij Lateranenſis editurus, Concilium Lateranenſe eiuſque decreta citaret? Verumtamen *ab ipſo Innocentio, in hac redacta ſunt formam*; ſic præfatio Typographi ante Concilium apud Innocentium 3. Quando? aliquanto poſt celebratum Concilium: intra paucos menſes? Perusij enim moritur Pontifex.

Cap. 29.

At acta & capitula ipſius Concilij hoc docent, non eſſe hæc decreta Concilij,

Concilij, sed alicuius inepti concinnatoris, qui suas collectiones, vel vetius rapsodias, pro Concilio edidit. *De multa prouidentia fuit in Concilio Lateranensi prohibitum*, sic incipit Cap. 29. *Mediocritatem in procurationibus, &c. obseruent in Concilio Lateranensi definitam*, sic Cap. 33. *Synodali iudicio definimus*, sic Cap. 41. *Iuxta Concilium*, Cap. 42. apud Innocentium. *Sacro approbante Concilio prohibemus*, vt c. 47. in Concilio 48. apud Innocent. *Aduersus consulem & Rectores ciuitatum, &c. volens immunitati Ecclesiasticæ Lateranense Concilium prouidere, præsumptionẽ huiusmodi, sub anathematis districtione prohibuit.* c. 46. *vel* 47. Hæc non Concilũ sed collector. *In Lateranensi Synodo noscitur prohibitum fuisse.* Cap. 61. & iterum. *iuxta eiusdem Concilij statuta*, Cap. 43. noscitur fuisse prohibitum, ergo præcessit Concilium idque promulgatum, antequam sic posset dici, *In Lateranensi Synodo noscitur fuisse prohibitum*, Cap 62. apud Innocentium. An sic solent Concilia decernere & definire? Collector iste, non author est, quisquis est: Quin etiam & contraria statuit hoc Concilium in hac ipsa controuersia: Nam Canone 43. *Sicut volumus, vt iura Clericorum non vsurpent Laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vendicent laicorum. Quocirca vniuersis Clericis* (inter hos Pontifex) *interdicimus, ne quis pretextu Ecclesiasticæ libertatis, suam de cætero Iurisdictionem extendat in praiudicium Iustitiæ secularis*, (extendit qui deponit Imperatorem) *sed contentus existat constitutionibus scriptis, & consuetudinibus hactenus approbatis, vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, recta distributione reddantur.* Annon fit præiudicium Iustitiæ seculari, si Imperatoris aut Regis subditi à Iuramento fidelitatis absoluantur, & terræ eorum Catholicis occupantibus exponantur, vobis fortassè hoc præiudicium non videtur, qui cum *Achabo* hæreditatibus alienis & Monarchiæ temporali avidè inhiatis; Regibus proculdubio præiudicium est, qui cum *Nabotho* hæreditatem paternam & propriam, sartam tectam, iuxta legem diuinam & naturalem, nec non & gentium, conseruare studeant.

Et vero, qualis iste Innocentius si author horum decretorum Lateranensium? Nonne ille est, de cuius, inter Othonem 4. & Fredericum 2. dissidentes, versutia, quidam Ioannes Capocius Romanus, Othoni deditissimus (cui iam non fauebat Innocentius) istud præbuit elogium? Nam *cum tempore quadragesimæ, concionaretur Innocentius de concordia, mirantibus omnibus eius facundiam, Hic quia ab eo omnes hat discordias, ceu oblato fomite, ali videbat, continere se quin erumperet non potuit, surgens igitur, non expectato Pontificis orationis fine dixit, verba tua (Pater sancte) Dei sunt, cæterum facta quæ verbis longe contraria sunt, Diaboli videntur esse.* Hæc Baptista Fulgosius. Hic est qui m Iohannes Rex Angliæ, *noverat quod super omnes mortales* Lib. 6. cap. 2.

tales ambitiosus, & superbus, pecuniæq; sititor insatiabilis, & ad omnia scelera pro pramijs datis vel promissis, carens & proclivus: sic Matthæus Parisiensis, nonne ille est *Tuba* illa *Bellorum,* inter Philippum, Othonem, Cęsarem, & Ioannem Regem Angliæ vt *Massonius*: qui Imperatorem, Regem Francorum, Regem Anglorum excõmunicationis vinculo innodauit; ac si se vellet extollere, supra omne id quod dicitur Deus? de quo Innocentio, sic Vrspergensis: *Philippo cœpit omni studio aduersari, hoc agens, vt ipsum impediret, ne ad sublimitatem culminis Imperialis perueniret, Improperans ei, quæ frater suus, & parentes, crudeliter peregissent & in quo (salua reuerentia Apostolicæ sedis) non videtur secundum æquitatem iudicasse, &c. Extat Epistola prafati Innocentij directa ad Bertholdum Ducem Zaringiæ, in qua contra Philippum, multa absurda & quædam falsa describuntur, quam fecit interseri in compilatione Decretalium suarum*: & iterum. *Tum cœpit Papa, friuolis insistere obiectionibus, & exceptionibus, quatenus ipsum impediret, sententiam obijciens ei excommunicationis.* (Obseruetur hoc obiter, Excommunicatio non fecit Philippum in cœpacem Imperij:) *Quin etiam Summum Episcopum, quod illicitè Philippum absoluerit, excedens fines mandati, sicut in prætaxata Epistola sua expressit, priuatum Episcopatu in quandam Insulam Maris relegauit, quodam Monasterio destricto, vbi ille fœliciter vitam finiuit. Audiui etiam* (inquit Vrspergensis) *quod tamen difficile est relatu, & vix credẽdum quia dixerit idem Papa, quoniam ablaturus esset Philippo Diadema, aut ipse sibi Papæ insigne Apostolicum.* Hildebrandi discipulum possis agnoscere.

Aut moriar aut Henrico animam regnumq; tollam. Quam dissimiles Cypriano, qui ait, *magis optamus & cupimus contumelias, & iniuriã singulorũ clementi patientia, vincere, quã sacerdotali licentiã vindicare.* De his temporibus idẽ V. Spergensis: *Gaude mater nostra Roma, quoniã aperiuntur cataractæ thesaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia: lætare super iniquitate filiorũ tuorũ, quoniam in recõpensationẽ tantorũ malorũ, datur tibi pretium, iocundare super admirice tua discordia, quia erupit de puteo infernalis abyssi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia: Habes quod semper sitisti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti: ad te trahit homines, non ipsorum deuotio, aut pura conscientia, sed scelerum multiplicium perpetratio & litium decisio pretio comparata.* & infra, *Barones arte diabolica edocti, nec curabant, iuramenta infringere, nec fidem violare, nec Ius omne confundere.* Ecce Diabolica ars, Iuramenta infringere: Verum quid his immoror? Audiamus typhum superbiæ. Innocentium ipsum, qui sic in Cœlum posuit: *Videtis quis sit seruus iste, qui super familiam constituitur, profecto Vicarius Iesu Christi, successor Petri, Christus Domini, Deus Pharaonis: inter Deum & hominem medius constitutus, citra Deum sed vltra hominem, minor Deo, sed maior homine.*

Anno 1213. in Iohanne.

In annal. l. 3.

Vrsperg. Chron. pag. 235. 236. 237.

Benno. Henricus in Epist. Lib. 3. Epist. 9.

Vbi supra.

Deconsecratione Pontificis Ser. 2.

Hic

Hic est, ille nocens Innocentius, autor horum Decretorum, in quibus se Deum Pharaonis, i. omnium Regum & Imperatorum facit (Imperatores enim & Reges a solo Deo castigandi) citra Deum; sed vltra hominem, minor Deo, sed maior homine: nunquam enim sic intumuisset, si se hominem cogitasset: Iste est autor horum Decretorum, si autor, qui quia citra Deum, supra hominem, minor Deo, maior homine, vult omnes homines Imperatores & Reges, ad nutum Pontificis stare vel cadere: non est nouum aut mirum, si talis Innocentius, sic decernat, sic definiat, sic in Concilio fulminet: Hic est qui sibi diuinam potestatem assumit in Tit de Translatione Episcopi vt infra cap. 28. & 29.

3. In ipso decreto, nihil est, quod ad Imperatores & Reges pertingit, *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit, ab hac haretica fœditate per Metropolitanum, & cateros comprouinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur: Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis, Dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat, Eâdem nihilominus lege seruata, circa eos qui dominos non habent principales*: sic Synodus: Vbi in hoc decreto mentio vlla Imperatorum & Regum? qui non tam Domini temporales, quam supremi & absoluti mundi Monarchæ: Domini vero temporales tales sunt, qui alijs Dominis principalibus subsunt: vt verba illa Canonis docent, saluo iure Domini principalis: Domini isti temporales sunt minores quasi Dij, Domini quidam feudatarij & beneficiarij ab alijs dependentes, quales Italia, & Imperium Romanum habet multos: Domini etiam temporales sunt aliqui, qui etsi Dominis principalibus non subsint, a populo tamen, sub certis limitibus & pactionibus Imperium accipiunt; de his videtur loqui Canon iste: At verba illa postrema; *Eâdem lege seruata, circa eos, qui dominos non habent principales, ad* Reges & Imperatores spectant; Nouus iste loquendi mos est: & Innocentium vix sapit, nisi oblitum regulæ Tit. de Rescriptis: c. Sedes Apostolica: *Cum in Commissionibus nostris, minores & viliores persona solummodo designantur, majores & digniores sub Generali clausula non intelligantur, includi.* An Imperatores & Reges indigni qui nominentur, in ea lege, in qua de eorum capitibus agitur? An si Pontifex Legem ferret de Clericis & Sacerdotibus, ne veste aut pileo purpureo vel rubro vtantur sub pœna depositionis; Lex ista feriret Cardinales? aliter Gregorius (si Gregorius) si quis Regum, Iudicum, Antistitum &c. ibi Reges specialiter nominantur, verum est Pontificem Canonibus suis aut Concilij non ligari, quia est supra Canones: non Canonibus antecessorum suorum, quia par in parem non habet potestatem: *In priuilegio S. Medardi.*

omnes

omnes tamen inferiores ordines ligantur;pari ratione, pœnæ in dominos inferiores latæ,quia reſtringendæ ſunt, ad dominos ſupremos & monarchas non pertingunt,quia etſi legibus Dei & naturæ ligentur quoad pœnas,tamen ſunt ſupra leges ſuas:aut ergo vltima hæc clauſula, de ijs qui dominos non habent principales,a parafito aliquo, & Pontificiæ tyrannidis miniſtro aſſuta,(quod nõ ſine probabili ratione ſuſpicãtur plurimi, nunquam enim in eam conſenſiſſent Legati Imperatorum & Regum) aut de Regibus & Imperatoribus intelligenda non eſt; fidem vero facit huic Reſponſioni hæc eadem lex (excepta clauſula excommunicationis & abſolutionis a iuramento)lata a *Frederico*,ad cuius obſeruationem Iuramento aſtringuntur poteſtates, Conſules, & Rectores,i. Domini temporales minores ſub Imperatore: *Si vero Dominus temporalis,requiſitus & admonitus ab Eccleſia,terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pranitate:poſt annum a tempore admonitionis elapſum, terram illius ipſis exponimus catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis abſq; vlla contradictione poſſideant, & in fidei pace conſeruent: ſaluo iure Domini principalis,dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat,Eâdem nihilominus lege ſeruatâ, circa eos qui non habent dominos principales*: Quæro,an hæc vltima verba ſpectent ad depoſitionem ipſius Imperatoris? ſi in lege Imperiali non inferunt depoſitionem Imperatoris,imo inferre non poſſunt, nemo enim poteſt ſucceſſorem ſuum pœnâ depoſitionis obligare. Quomodo ex eiſdem verbis colligi poteſt depoſitio Imperatoris in lege eccleſiaſtica? Lex ergo iſta, lex eſt Imperialis,non Canonica:Ideo in fine conſtitutionis,additur confirmatio Honorij Pontificis:in hæc verba: *Nos vero Honorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, has leges a Frederico Romanorum Imperatore, filio noſtro chariſsimo, pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus, approbamus,& confirmamus,tanquam in æternum valituras:& ſi quis auſu temerario, inimico humani generis ſuadente, quocunq; modo has infringere tẽtauerit,indignationem Dei omnipotentis,& beatorum Petri & Pauli ſe nouerit incurſurum*: Ecce,Honorius hanc legem, ab Imperatore latam laudat, approbat,confirmat:quid opus tali lege,tali approbatione, vel confirmatione,ſi antea in Concilio lata, editaque fuerit: præſertim cum leges Imperiales Eccleſiaſticis cedere non dedignentur? An ignorauit hoc decretum *Honorius*, qui hanc *Frederici* conſtitutionem & acceptauit, & confirmauit? Si præceſsiſſet hoc decretum,quid opus hac conſtitutione? Eadem etiam conſtitutio *Frederici*,approbatur a *Clemente* 4. *in 6.de Hæreticis cap.*18.*vt Inquiſitionis*: *Leges quasdam per Fredericum olim Romanorum Imperatorẽ tunc in deuotione Romanæ Eccleſiæ perſiſtentem,approbantes,& obſeruari volentes*:Quid opus vt hæc conſtitutio *Frederici* in Decretales referatur;ſi decretum maioris autoritatis (tale vobis eſt ius Pontificium,& Concilij decretum)extitiſſet,per quod Imperato-

Inter conſtitutiones Frederici 2.

res &

res & Reges, vel hæreticos vel hæreticorum fautores deponere liceret.

Sic pro Canone fidei suppositit Bellarminus decretum de reformatione, pro Concilio Innocentium, pro Innocentio superbissimo parasitum, pro Canone non Canonem, pro decreto non decretum, nunquam in Cōcilio conclusum, sed post Concilij dissolutionem confictum; pro decreto Concilij constitutionem Imperatoris, sicque a posterioribus Pontificibus laudatam, approbatam, & confirmatam; pro Imperatoribus & Regibus Monarchis absolutis, Dominos tēporales, Italiæ aut Imperij principes inferiores: quod quidem decretum non magis ligat Imperatores & Reges, quam constitutio *Frederici* ligat Imperatores, aliosve Reges Imperatori minime subiectos. Et nisi in hac senecta mundi, in qua solutus est Satanas (quod circa tempora Gregorij 7. a tempore illius prophetiæ accidit) extitissent innumerabiles, non Imperatorum & Regum, qui quod suum erat, solum conseruare satagebāt, sed Pontificum Romanorū parasiti, qui vt monarchiam temporalem Papæ stabilire conarentur, regnum æternum illis quibus adulantur eripiunt, (& pessimi omnium parasiti Theologi, qui sub titulo & prætextu Religionis & sanctitatis adulantur.) Et mundus pace, & Ecclesia hereditate sua. i. mundo vniuerso, non angulo Occidentis; & Imperatores & Reges nutrices Ecclesiæ, suis Regnis, coronis & populo, gauderent. *Beatus populus cuius hæc sunt, beatus populus cuius dominus Deus est.* *Psal.* 144. 15.

Vltimum Concilium, est *Lugdunense* Cardinaliū Rubricatorū honestamētū, in odiū Imperatoris coactū, *in quo Innocētius 4. deposuit Fredericum 2. idq; approbante Concilio, hoc est, tota consentiente & laudante Christianorum præsulum vniuersitate*: Sic Bellarminus: Imo vero *Matthæus Paris*, etsi historicus diligens, pro Concilio, historia pro Archiuis supponitur: nec extat hoc Concilium, in Concilijs per *Nicolaum* Venetijs editis, Anno 1585. auspicijs Sixti 5. Pontificis maximi fæliciſsimis, cuius titulus est, *Conciliorum omnium tam generalium, quam prouincialium, qui iam inde ab Apostolicis temporibus hactenus legitime celebrata haberi potuerunt.* Et *Carranza* qui summam Conciliorum edidit, aut hoc Concilium ignorauit, aut indignum iudicauit quod in numerum Conciliorum legitimorum referretur; Hæc est depositio Frederici de facto, de iure non constat, non enim præcedit decretum de potestate ista papali; Et in Concilio facta est hæc depositio, non a Concilio: id quod verba ipsa ostendunt: *Nos itaq; super præmissis & quamplurimis aliis eius nephandis & execrandis excessibus, ac flagitijs, cum fratribus nostris Cardinalibus, & sacrosancto Concilio, deliberatione præmaturâ habita, & diligenti prinamus &c.* Ipse Innocentius priuat cum Concilio, non tanquam cum ijs qui autoritatem habebant, sed tanquam cum Consiliarijs deliberat: non est hoc factum Concilij, quorum suffragia nunquam roga-

11. 10.

Nauclerus Cuspinianus.

Francię heroibus; nec opportunũ videri potuit, vbi conſultatio de ſummâ Chriſtianitatis habebatur, in eo Concilio regnũ Franciæ ſub anathemate & interdicto ponere, multo minus Regem deponere, & ad ciuilia arma prouocare, cum pace & vnitate maxime opus eſſet. Quin & *Aimoinus l.5. cap.49.* deſcribens Concilium Claromontenſe, c.50. ſic progreditur: *Procedente vero tempore, Philippus Bertham repudianit, Bertradam accepit: vnde Pontifex eum excommunicauit*: procedente tempore, ergo poſt Cõcilium Claromontenſe; ſed quia *Iuo* Epiſcopus *Carnotenſis*, qui eadem ætate vixit ſub Philippo, hoc anathema & interdictum ab *Vrbano*, idque in Concilio Claremontano proceſſiſſe aſſerit, idque in Epiſtolis, (è quibus certiſſima hiſtoriæ veritas peti poteſt) nec de Pontifice, nec de Concilio litem intentabimus: ſic enim Bertholdus: Ipſum enim teſtem ſingularem pro Concilio habemus: *Inſuper & Philippum Regem Galliarũ excõmunicauit, eo quod propriâ vxore dimiſsâ, militis ſui vxorẽ in coniugium ſociauit*: De excommunicatione ergo conſtat: quod corona Regni priuauerit id vero dubiũ eſt, imò planè falſum: *Philippum Regẽ Francorum, qui viuente vxore ſuâ ſuperduxerat alterius viuentis vxorem, excommunicat*: Inquit *Sigebertus* ad annum 1095. nulla ibi mentio, quod corona Regni priuauit vt falsò Bellarminus: *In hoc Concilio, Papa Vrbanus, Philippum Regẽ Francorum, qui viuente Reginâ ſua ſuperduxerat alterius viuentis, Fulconis ſcilicet Andegauenſium Comitis vxorẽ, excommunicauit*: ſic Matthęus Paris: Et hic teſtis ſolum de excommunicatione verba fecit: de priuatione coronæ altum ſilentium: non igitur clarius refert ſed nec refert quidem. *At quod excõmunicatione iſta intelligatur priuatio regiæ dignitatis: id conſtat ex Iuone Ep.28. ad Vrban.2.* Imò vero non conſtat, verba Iuonis ſunt: *Regẽ cum Regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi coronam reſtituatis, eumq; anathematis vinculo abſoluatis*: niſi coronam reſtituatis, quid hoc eſt? An rex ſine Regno? ſine coronâ? quomodo Rex cum regno diſceſſurus; ſi Rex ſine regno? *Rex cum regno, ab obedientia veſtra diſceſſurus: niſi coronam reſtituatis*: Rex cum regno, ergo non ſine regno: non eſt facta ſeparatio inter regẽ & Regnum: id ergo eſt quod minatur Iuo: Erant Antipapæ duo, Guibertus & Vrbanus: minabatur per nuntios ſuos, Rex Philippus, ſe cum regno ſuo, ſibi coniũctiſſimo, ab obedientia Vrbani, ad obedientiam Guiberti diſceſſurum, niſi Vrbanus coronam reſtitueret, & ab anathemate abſolueret. Tota difficultas in illis verbis: *niſi coronam reſtituatis*: Tria fecerat Vrbanus contra Regem Philipp. 1. Regem anathematis vinculo innodarat. 2. Regnum ſub interdicto & anathemate poſuerat. 3. omnibus Epiſcopis Galliæ mandauerat, ne quiſquam auderet coronam Capiti Regis & Reginæ novæ nuptæ Bertradæ, more ſolenni imponere, vt *Epiſt.* 28. De Regina, *Epiſt.* 66. de Rege per Epiſcopum Turonenſem, contra hoc mandatum coronato, patet.

Aimoinus.

Epiſt.211.

Sigebertus.

In Guliel.2. ad annum, 1095.

Nec excõmunicatio, nec anathema, nec prohibitio coronationis depoſitionem

ſitionem inferunt: Quid vero, Annon antea coronatus Philippus? An poſt excommunicationē & depoſitionem, ſi Reges ad gremium Eccleſię redeant, ſolent recoronari? An verò, quod probabile, Philippus amore Bertradæ cœcus, propter maiorem nouæ Reginæ honorē, vnâ cū illa recoronari voluit? verba ergo Iuonis, de coronâ reſtituendâ, non probant, aut coronā regiam, aut dignitatē regiam, per ſententiam Papæ ablatā eſſe, ſed potius coronationē nouæ Reginæ prohibitā: Quod verò Iuo Philippo excōmunicato ciuilē & naturalē obedientiā præſtiterit, multis conſtat: In Ep. 22 ad Philip. vbi ſe, ſuaq; omnia, quaſi ſub proſcriptione regiâ, vſq; ad penuriam panis eſſe ſcribit, quia nuptijs Reginæ intereſſe vocatus noluit: hæc habet, *De cætero, calumniatoribus meis, quibus me reſpondere iubetis, cum inſinuatum fuerit, qui ſint & quid expoſtulant, reſpondere non ſubterfugiam, vel in Eccleſia, ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia, vel in curia, ſi curialia ſunt,* non ergo negat regis authoritatem: In Epiſt. 28. Titulus eſt: *Philippo Dei gratia, magnifico Francorum Regi: Iuo, &c. ſic ſe regere, vt regi regum valeat cōplacere*: In qua item, effectum huius excōmunicationis declarat: *ſeparat vos eadē authoritas* (Vrbani) *à participatione corporis & ſanguinis Domini* (tunc & vſus calicis laicis permiſſus) & infra: *Ego antē nolo vos ſcandalizare, vel regiā maieſtatē veſtrā minuere*: an negat regē licet excōmunicatum?

Et Epiſtola 56. titulus eſt: *Philippo Dei gratia, ſereniſſimo Regi Francorum Iuo humilis Presbyter ſuus, ſalutem: & ſicut Domino & Regi ſuo fidele ſeruitium*: Et in fine Epiſtolæ: *Quod ſi quis eos* (Epiſcopos in eodem anno ad tertium Concilium vocatos) *vltra terminos, a partibus conſtitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi conſilio, iniuſtis oppreſſionibus, pro perſona veſtra (id eſt, pro regia authoritate) reſiſtite: ſic vt quæ Dei ſunt Deo reddant, & quæ Cæſaris ſunt, Cæſari reddere non omittant: valeat multo tempore tua ſublimitas*: Adeoq; hoc generale eſt apud Iuonem, Philippum licet excommunicatum, ſemper tamen & Regem & Dominum ſuum appellare, & multum abfuit ab hac poteſtate depoſitionis in Pontifice, Iuo; vt ſuo loco dicetur.

At *Nauclerus*, *Paulus Æmilius*, *Papirius Maſſonius*, hoc docent, *In eodem Concilio Papa execrauit Philippum Regem Francorum, cauſa autem excommunicationis Philippi hæc fuit* &c. ſic Nauclerus, ibi execratio & excommunicatio, at depoſitio nulla: *Summus Pontifex Philippo aquâ & igni interdixit*, ſic Æmilius, nec tamen depoſuit, immo contrarium planè aſſerit: *Francia ſub Rege minus probato ita incolumem ei maieſtatem ſeruauit, vt ipſe à ſanctitate maiorum non degeneraſſet*, ecce maieſtas regis excommunicati incolumis ſeruatur. *Generat.* 37. *In Philip.* 1. *Pag.* 103. *Baſil.* 1061.

Illa (id eſt, (Synodo Claromontenſi) Philippo Regi inceſtus damnato, ſacrificijs interdictum. Cū rex Pontifici bene monenti non paruiſſet, ipſi in Synodo Claromontano templi aditu, & ſacrificio interdictum. Epiſcopi Belgiæ contra edictū Vrbani, Regi, Bertradæq; coronam impoſuerunt: Hæc *Lib.* 3. *Annal.*

habet Maſſonius: qui, quale fuerit hoc interdictum manifeſtè declarat non regno excluſus Philippus ſed aditu templi & ſacrificijs. In his authoribus nulla depoſitio habetur, *At Regnante Chriſto: non Regnante Philippo: ſic habetur in Publicis ſcripturis durante hoc anathemate*, ſic *Nicolaus Vignierius in compendio hiſtoriarum Francorũ*: rationẽ aſſignat Bellarminus: *quia videlicet Regem excommunicatum pro Rege populus non habebat*. Vignierius iſta refert ad an. 1199. centum fere annis poſt mortem Vrbani 2. de Philippo Lodovici filio: Hic Philippus, filius Henrici fuit: Philippus 1. in Concilio Claremontano excommunicatur: *Iſte Philippus Diuione durauit hoc interdictum à feriis luminarium, vſq; ad Calendas Auguſti*: ſic Vignierius Concilij Claremontanũ celebratum fuit 1095 Paſchalis fit Papa 1099. cuius tempore ab excommunicatione abſoluitur Philippus: non ſunt bene diuiſa temporibus Bellarmine hæc. Author Commentarij in Iuonem, de Chronico Cænobij ſancti Dionyſij (ex quo, hæc de Chriſto regnante non Philippo, deſumpta ſunt,) hæc habet, *Quod tamen hodie nonnullis commentũ Monachale videtur*: licet poſtea improbet. vnum eſt quod ex illo commentario obſeruatione dignum eſt, *In publicis Scripturis*, ſic Bellarminus: *In publicis actis Eccleſiaſticis*, ſic Iuretus: Fraudulenter hoc factum à Bellarmino, qui per acta publica, acta Regni, non Eccleſiæ intelligat, cum acta ſint Eccleſiaſtica non regalia: ideo ſi qui ſint, qui tempore excommunicationis Philippum pro Rege non habuerunt, Clerici ſunt, non Laici: Eccleſia, non Regnum defecit à Rege, quamvis, vt ſupra dictum eſt ex *Iuone Epiſt. 55*. Iuo & Epiſcopi, Philippum vt regem habuerunt licet excommunicatum, & populum à Philippo defeciſſe nemo vnquam præter Bellarminum dixit, & contrarium directe affirmat *Paulus Æmilius*, vt ſupra habitum eſt.

In Epiſt. 28.

Ibidem.

10. 9. Sequitur Concilium *Lateranenſe* ſub Innocentio 3. in quo non factũ, ſed decretum de poteſtate Papæ in ſubditis abſoluendis, & in terris Dominorum à Catholicis occupandis extat. C. 3. hic non in Concilio ſed à Concilio, non tam factum, quam decretum eſt, de monarchia Pontificis temporali, ſi hoc inter Concilia & decreta legitima collocetur, & hìc non teſtes ſingulares, ſed conteſtes innumerabiles: et ſi vni vel alteri non ſit fides, ſaltem duobus vel tribus, ſaltem quadringentis, ſaltem mille ducentis, non deerit ſpiritus Chriſti, qui deducit in omnem veritatem. Et hoc eſt vnicum & fortiſſimum argumentum, & fundamentum huius omnipotentiæ Pontificiæ, ſed futile planeque nullum, ſi ad amuſſim veritatis examinetur.

1. enim, Caput hoc tertium de hæreticis, eſt decretum de reformatione, non Canon ſiue definitio de fide, quæ capite primo explicitè continetur: & proinde doctrinam Pontificis, & Cardinalis non confirmat, qui hanc poteſtatẽ inter articulos fidei reponunt. *Conſtitutio eſt Eccleſiæ* (vt Aquinas eiuſq; ſequaces) *poteſtatem Dei habentis*, quæ per leges ſuas Iudiciales

poteſt

potest pœnâ depositionis siue priuationis, Reges & dominos temporales, propter infidelitatem vel Apostasiam priuare: An vero leges Ecclesiasticæ sunt de fide?

2 An sic decreuit Concilium? An Innocentius 3. solus & solitarius? An alius sub nomine Concilij & Innocentij? Iniquus Bellarminus si Innocentium testem singularem, imo nec testem, quia in causa sua, pro Concilio, pro testibus innumerabilibus, si alium Innocentio minorem, Pontificis parasitum, pro Innocentio obtrudat. Atque in hoc Concilio, subscriptiones nullæ, vt in *Nicæno*: vt in cõciliabulo Italico *Tridentino* vltimo, fides tota est penes relatorem, non autorem: Conuenisse in hoc Concilio Patriarchas, eorumve legatos, Episcopos multos, conueniisse etiam Imperatores Regesque multos per eorum nuntios & legatos, in titulo constat. Hic quæri potest, an legati Imperatorum & Regum in mandatis habuerint, de hôc temporali monarchiâ, & Regum priuatione disputare & decernere? An res tanti momenti sine disputatione, longaq; tractatione, definiri & determinari potuit, quæ tot cædibus, tot cladibus, tot excercitibus, tot lanienis, tanto sanguine Christiano effuso, ante sedari non potuit? An inter Legatos, tot Imperatorum & Regum, nullus inuentus est, qui in tali causa, quæ & capita & Coronas Dominorum suorum arctissime tangebat, contradiceret, quive prius rescriberet, sensumque Domini sui resciret? An omnes insensati & pedanei senatores? An inter Historicos illius ætatis, nullus inventus, qui progressum huius Concilij memoriæ posteritatiq; commendaret? Age vero: Concilio sedente, subito orta est seditio, inter Pisanos & Genuenses in Italia; Innocentius nouitate & periculo rei perturbatus, Concilium dissoluit, ad componendam pacem in patrimonio Petri accelerat, extremam manum huic Concilio non imponit. Ipse in hac expeditione moritur, ecce Concilium, non Concilium, decreta, non decreta; De qua re sic Platina, *Venêre multa, tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certabant; Eo itaque proficiscens, tollendæ discordiæ causa Pontifex, Perusii moritur, &c.* In Concilio nihil decerni potuit, Pontifex breui moritur, nihil nec bellum contra Turcas, nec hoc funestum decretum contra Imperatores & Reges, in quo multa bella, bellis Turcicis sæuiora: sic hæc decreta nec Cõcilij, nedum Innocentij esse videntur. *Recitata sunt in Pleno Concilio capitula sexaginta, quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerosa*: sic Matthæus Parisiensis. Recitata sunt: non dicit concluſa vel decreta: alijs placabilia, alijs videbantur onerosa, ergo in Concilio dissensio erat de his decretis. *Venêre multa tum in consultationem, nec decerni tamen quicquam potuit*, & post, *Edita tamen nonnulla constitutiones reperiuntur*: Sic Nauclerus, Neque vero de numero conflat: Nam Matthæus Parisiensis

Platina in vita Innocentij 3.

In Iohanne Anno 1215.

Genrat. 41. Anno 1215.

Capitula ſexaginta recitata dicit in pleno Concilio, at in Concilio ipſo iam edito, extant decreta ſiue capitula ſeptuaginta, quæ apud Innocentium ipſum, in capitula ſeptuaginta duo diſtributa ſunt, creſcunt eundo, à nihilo ad ſeptuaginta, ſiue ſeptuaginta duo Cap. De quo Concilio ſic Matthæus Parilienſis in hiſtoria minore: vt refertur in Antiqu. Britan. in vita Stephani Langtoni: *Concilium illud generale, quod more papali, grandia, primâ fronte præ ſe tulit, in riſum & ſcomma, quo Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, Decanos, Archidiaconos omneſq; ad Concilium accedentes artificioſe ludificatus eſt, deſyt. Illi enim, cum iam nihil geri in tanto negotio cernerent, redeundi ad ſua cupidi, veniam ſigillatim petierunt, quibus Papa non conceſsit, antequam ſibi grandem pecuniam promiſiſſent, quam à mercatoribus Romanis prius accipere mutuò, Papæq; ſoluere coacti ſunt, antequam diſcedere Roma potuiſſent, Papa iam accepta pecunia, quaſtuoſum hoc Concilium diſſoluit gratis, totuſq; clerus abijt triſtis.*

Matth. Par. in Hiſt. minore.

Extat hoc Concilium apud Innocentium 3. in operibus eius impreſſis *Coloniæ* apud *Cholinum* 1607. ſtudio & opera *D. Iacobi Middendorpij*, Theologi & Iuriſconſulti, in cuius titulo ſic habetur: *Sacri Concilij generalis Lateranenſis, ſub Domino Innocentio Pontifice maximo, huius nominis tertio, celebrati, Anno D. 1215. decreta ab eodem Innocentio conſcripta, &c.* Et meritò, decreta ſunt Innocentij, potius quam Concilij, ideo inter opera Innocentij potius quam inter Concilia reponenda erant: Decreta ab eodem D. Innocentio conſcripta: an ante Concilium conſcripta? eſto: non ergo Concilij, ſed Innocentij decreta: non in Eccleſia Lateranenſi, ſed in cubiculo aut bibliotheca pontificia fabricata; An ſic ſoletis concilia celebrare? Papa decreta conſcribit, & in Synodo legi, fortè nemo attendit, fortè pauci intelligunt: Ecce Concilium ſervum non liberum. An poſt Concilium ab Innocentio conſcripta? ſi ab Innocentio conſcripta, neceſſario poſt diſſolutionem Concilij ſcripta, nam in actis mentio fit conſtitutionum Concilij Lateranenſis. Et Innocentius, poſt Concilij diſſolutionem, ad reprimendum inteſtinum & ciuile bellum, in Italia, inter *Piſanos, Genuenſes, & Ciſalpinos* accelerans, in expeditione moritur Perusij. Aut ergo in itinere, raptim & tumultuariò conſcripta ſunt hæc decreta, aut quod probabilius ab Innocentio cõſcripta non ſunt. Quid enim; An verisimile eſt Innocentium (qui vobis optimus & ſapientiſſimus eſt) Decreta Concilij generalis, ſub nomine ſuo, editurum? typhus hic ſuperbiæ eſt: An quiſquam ſanæ mentis, decreta Concilij Lateranenſis editurus, Concilium Lateranenſe ciuſque decreta citaret? Veruntamen *ab ipſo Innocentio, in hac redacta ſunt formam*; ſic præfatio Typographi ante Concilium apud Innocentium 3. Quando? aliquanto poſt celebratum Concilium: intra paucos menſes? Perusij enim moritur Pontifex.

Cap. 29.

At acta & capitula ipſius Concilij hoc docent, non eſſe hæc decreta Concilij,

Concilij, sed alicuius inepti concinnatoris, qui suas collectiones, vel vetius rapsodias, pro Concilio edidit. *De multa prouidentia fuit in Concilio Lateranensi prohibitum*, sic incipit Cap. 29. *Mediocritatem in procurationibus, &c. obseruent in Concilio Lateranensi definitam*, sic Cap. 33. *Synodali indicio definimus*, sic Cap. 41. *Iuxta Concilium*, Cap. 42. apud Innocentium. *Sacro approbante Concilio prohibemus*, vt c. 47. in Concilio 48. apud Innocent. *Aduersus consulem & Rectores ciuitatum, &c. volens immunitati Ecclesiastica Lateranense Concilium prouidere, præsumptionẽ huiusmodi, sub anathematis districtione prohibuit.* c. 46. *vel* 47. Hæc non Concilũ sed collector. *In Lateranensi Synodo noscitur prohibitum fuisse.* Cap. 61. & iterum. *iuxta eiusdem Concilij statuta*, Cap. 43. noscitur fuisse prohibitum, ergo præcessit Concilium idque promulgatum, antequam sic possit dici, *In Lateranensi Synodo noscitur fuisse prohibitum.* Cap 62. apud Innocentium. An sic solent Concilia decernere & definire? Collector iste, non author est, quisquis est: Quin etiam & contraria statuit hoc Concilium in hac ipsa controuersia: Nam Canone 43. *Sicut volumus, vt iura Clericorum non vsurpent Laici, ita velle debemus, ne clerici iura sibi vendicent laicorum. Quocirca vniuersis Clericis* (inter hos Pontifex) *interdicimus, ne quis pretextu Ecclesiasticæ libertatis, suam de cætero Iurisdictionem extendat in præiudicium Iustitiæ secularis*, (extendit qui deponit Imperatorem) *sed contentus existat constitutionibus scriptis, & consuetudinibus hactenus approbatis, vt quæ sunt Cæsaris reddantur Cæsari, & quæ sunt Dei Deo, recta distributione reddantur.* Annon fit præiudicium Iustitiæ seculari, si Imperatoris aut Regis subditi à Iuramento fidelitatis absoluantur, & terræ eorum Catholicis occupantibus exponantur, vobis fortassè hoc præiudicium non videtur, qui cum *Achabo* hæreditatibus alienis & Monarchiæ temporali auidè inhiatis; Regibus proculdubio præiudicium est, qui cum *Nabotho* hæreditatem paternam & propriam, sartam tectam, iuxta legem diuinam & naturalem, nec non & gentium, conseruare studeant.

Et vero, qualis iste Innocentius si author horum decretorum Lateranensium? Nonne ille est, de cuius, inter Othonem 4. & Fredericum 2. dissidentes, versutia, quidam Ioannes Capocius Romanus, Othoni deditissimus (cui iam non fauebat Innocentius) istud præbuit elogium? Nam *cum tempore quadragesimæ, concionaretur Innocentius de concordia, mirantibus omnibus eius facundiam, Hic quia ab eo omnes has discordias, ceu oblato fomite, ali videbat, continere se quin erumperet non potuit, surgens igitur, non expectato Pontificis orationis fine dixit, verba tua (Pater sancte) Dei sunt, cæterum facta quæ verbis longe contraria sunt, Diaboli videntur esse.* Hæc Baptista Fulgosius. Hic est quem Iohannes Rex Angliæ, *noverat quod super omnes mortales* Lib. 6. cap. 2.

tales ambitioſus, & ſuperbus, pecuniæq; ſititor inſatiabilis, & ad omnia ſcelera pro præmijs datis vel promiſſis, careus & proclivus: ſic *Matthæus Pariſienſis*, nonne ille eſt *Tuba* illa *Bellorum*, inter Philippum, Othonem, Cęſarem, & Ioannem Regem Angliæ vt *Maſſonius*: qui Imperatorem, Regem Francorum, Regem Anglorum excõmunicationis vinculo innodauit; ac ſi ſe vellet extollere, ſupra omne id quod dicitur Deus? de quo Innocentio, ſic Vrſpergenſis: *Philippo cœpit omni ſtudio aduerſari, hoc agens, vt ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis Imperialis perueniret, Improperans ei, quæ frater ſuus, & parentes, crudeliter peregiſſent & in quo (ſalua reuerentia Apoſtolicæ ſedis) non videtur ſecundum æquitatem iudicaſſe, &c. Extat Epiſtola prædicti Innocentij directa ad Bertholdum Ducem Zaringiæ, in qua contra Philippum, multa abſurda & quædam falſa deſcribuntur, quam fecit interſerti in compilatione Decretalium ſuarum*: & rurſum. *Tum cœpit Papa, friuolis inſiſtere obiectionibus, & exceptionibus, quatenus ipſum impediret, ſententiam obijciens ei excommunicationis.* (Obſeruetur hoc obiter. Excommunicatio non fecit Philippum in cœpto in Imperij:) *Quin etiam Summum Epiſcopum, quod illicitè Philippum abſoluerit, excedens fines mandati, ſicut in prætaxata Epiſtola ſua expreſſit, priuatum Epiſcopatu in quandam Inſulam Maris relegauit, quodam Monaſterio deſtricto, vbi ille fœliciter vitam finiuit. Audiui etiam* (inquit Vrſpergenſis) *quod tamen difficile eſt relatu, & vix credẽdum quia dixerit idem Papa, quoniam ablaturus eſſet Philippo Diadema, aut ipſe ſibi Papæ inſigne Apoſtolicum.* Hildebrandi diſcipulum poſſis agnoſcere.

Aut moriar aut Henrico animam regnumq; tollam. Quam diſſimiles Cypriano, qui ait, *magis optamus & cupimus contumelias, & iniuriã ſingulorũ clementi patientia, vincere, quã ſacerdotali licentiã vindicare.* De his temporibus idẽ Vrſpergenſis: *Gaude mater noſtra Roma, quoniã aperiuntur cataractæ theſaurorum in terra, vt ad te confluant riui & aggeres nummorum in magna copia: lætare ſuper iniquitate filiorũ tuorũ, quoniam in recõpenſationẽ tantorũ malorũ, datur tibi pretium, iocundare ſuper aduitrice tua diſcordia, quia erupit de puteo infernalis abyſſi, vt accumulentur tibi multa pecuniarum præmia: Habes quod ſemper ſitiſti, decanta canticum, quia per malitiam hominum, non per tuam religionem orbem vicisti: ad te trahit homines, non ipſorum deuotio aut pura conſcientia, ſed ſcelerum multiplicium perpetratio & litium deciſio pretio comparata.* & infra, *Barones arte diabolica edocti, nec curabant, iuramenta infringere, nec fidem violare, nec Ius omne confundere.* Ecce Diabolica ars, Iuramenta infringere: Verum quid his immoror? Audiamus typhum ſuperbiæ Innocentium ipſum, qui ſe in Cœlum poſuit: *Videtis quis ſit ſeruus iſte, qui ſuper familiam conſtituitur, profectò Vicarius Ieſu Chriſti, ſucceſſor Petri, Chriſtus Domini, Deus Pharaonis: inter Deum & hominem medius conſtitutus, citra Deum ſed vltra hominem, minor Deo, ſed maior homine.*

Anno 1213. in Iohanne.

In annal. l. 3.

Vrſperg. Chron. pag. 235. 236. 237.

Benno, Henricus in Epiſt. Lib. 3. Epiſt. 9.

Vbi ſupra.

De conſecratione Pontificis Ser. 2.

Hic

Hic est, ille nocens Innocentius, autor horum Decretorum, in quibus se Deum Pharaonis, i. omnium Regum & Imperatorum facit (Imperatores enim & Reges a solo Deo castigandi) citra Deum; sed vltra hominem, minor Deo, sed maior homine: nunquam enim sic intumuisset, si se hominem cogitasset: Iste est autor horum Decretorum, si autor, qui quia citra Deum, supra hominem, minor Deo, maior homine, vult omnes homines Imperatores & Reges, ad nutum Pontificis stare vel cadere: non est nouum aut mirum, si talis Innocentius, sic decernat, sic definiat, sic in Concilio fulminet: Hic est qui sibi diuinam potestatem assumit in Tit de Translatione Episcopi vt infra cap. 28. & 29.

3. In ipso decreto, nihil est, quod ad Imperatores & Reges pertingit, *Si vero Dominus temporalis requisitus, & monitus ab Ecclesia, terram suam purgare neglexerit, ab hac haretica fœditate per Metropolitanum, & cateros comprouinciales Episcopos, excommunicationis vinculo innodetur: Et si satisfacere contempserit infra annum, significetur hoc summo Pontifici, vt extunc ipse vasallos ab eius fidelitate denuntiet absolutos, & terram exponat Catholicis occupandam, qui eam, exterminatis hæreticis, sine vlla contradictione possideant, & in fidei puritate conseruent, saluo iure Domini principalis, Dummodo super hoc ipse nullum præstet obstaculum, nec aliquod impedimentum apponat, Eâdem nihilominus lege seruata, circa eos qui dominos non habent principales*: sic Synodus: Vbi in hoc decreto mentio vlla Imperatorum & Regum? qui non tam Domini temporales, quam supremi & absoluti mundi Monarchæ: Domini vero temporales tales sunt, qui alijs Dominis principalibus subsunt: vt verba illa Canonis docent, saluo iure Domini principalis: Domini isti temporales sunt minores quasi Dij, Domini quidam feudatarij & beneficiarij ab alijs dependentes, quales Italia, & Imperium Romanum habet multos: Domini etiam temporales sunt aliqui, qui etsi Dominis principalibus non subsint, a populo tamen, sub certis limitibus & pactionibus Imperium accipiunt; de his videtur loqui Canon iste: At verba illa postrema; *Eâdem lege seruata, circa eos, qui dominos non habent principales, ad* Reges & Imperatores spectant; Nouus iste loquendi mos est: & Innocentium vix sapit, nisi oblitum regulæ Tit. de Rescriptis: c. Sedes Apostolica: *Cum in Commissionibus nostris, minores & viliores persona solummodo designantur, majores & digniores sub Generali clausula non intelligantur, includi.* An Imperatores & Reges indigni qui nominentur, in ea lege, in qua de eorum capitibus agitur? An si Pontifex Legem ferret de Clericis & Sacerdotibus, ne veste aut pileo purpureo vel rubro vtantur sub pœna depositionis; Lex ista feriret Cardinales? aliter Gregorius (si Gregorius) si quis Regum, Iudicum, Antistitum &c. ibi Reges specialiter nominantur, vestrum est Pontificem Canonibus suis aut Concilij non ligari, quia est supra Canones: non Canonibus antecessorum suorum, quia par in parem non habet potestatem; *In priuilegio S. Medardi.*

omnes

omnes tamen inferiores ordines ligantur;pari ratione, pœnæ in dominos inferiores latæ,quia reſtringendæ ſunt, ad dominos ſupremos & monarchas non pertingunt,quia etſi legibus Dei & naturæ ligentur quoad pœnas,tamen ſunt ſupra leges ſuas:aut ergo vltima hæc clauſula, de ijs qui dominos non habent principales,a parafito aliquo, & Pontificiæ tyrannidis miniſtro aſſuta,(quod nõ ſine probabili ratione ſuſpicãtur plurimi, nunquam enim in eam conſenſiſſent Legati Imperatorum & Regum) aut de Regibus & Imperatoribus intelligenda non eſt; fidem vero facit huic Reſponſioni hæc eadem lex (excepta clauſula excommunicationis & abſolutionis a iuramento)lata a *Frederico*,ad cuius obſeruationem Iuramento aſtringuntur poteſtates, Conſules, & Rectores,i. Domini temporales minores ſub Imperatore: *Si vero Dominus temporalis,requiſitus & admonitus ab Eccleſia,terram ſuam purgare neglexerit ab hæretica pranitate:poſt annum a tempore admonitionis elapſum, terram illius ipſis exponimus catholicis occupandam, qui eam exterminatis hæreticis abſq; vlla contradictione poſſideant, & in fidei pace conſeruent: ſaluo iure Domini principalis,dummodo ſuper hoc nullum præſtet obſtaculum, nec aliquod aliud impedimentum opponat,Eâdem nihilominus lege ſeruatâ, circa eos qui non habent dominos principales*: Quæro,an hæc vltima verba ſpectent ad depoſitionem ipſius Imperatoris? ſi in lege Imperiali non inferunt depoſitionem Imperatoris,imo inferre non poſſunt, nemo enim poteſt ſucceſſorem ſuum pœnâ depoſitionis obligare. Quomodo ex eiſdem verbis colligi poteſt depoſitio Imperatoris in lege eccleſiaſtica? Lex ergo iſta, lex eſt Imperialis,non Canonica:Ideo in fine conſtitutionis,additur confirmatio Honorij Pontificis:in hæc verba: *Nos vero Honorius Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, has leges a Frederico Romanorum Imperatore, filio noſtro chariſſimo, pro vtilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus, approbamus,& confirmamus,tanquam in æternum valituras:& ſi quis auſu temerario, inimico humani generis ſuadente, quocunq; modo has infringere tẽtauerit,indignationem Dei omnipotentis,& beatorum Petri & Pauli ſe nouerit incurſurum*: Ecce,Honorius hanc legem, ab Imperatore latam laudat, approbat,confirmat:quid opus tali lege,tali approbatione, vel confirmatione,ſi antea in Concilio lata, editaque fuerit: præſertim cum leges Imperiales Eccleſiaſticis cedere non dedignentur? An ignorauit hoc decretum *Honorius*, qui hanc *Frederici* conſtitutionem & acceptauit, & confirmauit? Si præceſſiſſet hoc decretum,quid opus hac conſtitutione? Eadem etiam conſtitutio *Frederici*,approbatur a *Clemente 4. in 6.de Hæreticis cap.*1 8.*vt Inquiſitionis*: *Leges quasdam per Fredericum olim Romanorum Imperatorẽ tunc in deuotione Romanæ Eccleſiæ perſiſtentem,approbantes,& obſeruari volentes*:Quid opus vt hæc conſtitutio *Frederici* in Decretales referatur;ſi decretum maioris autoritatis (tale vobis eſt ius Pontificium,& Concilij decretum)extitiſſet,per quod Imperatores &

Inter conſtitutiones Frederici 2.

res & Reges, vel hæreticos vel hæreticorum fautores deponere liceret.

Sic pro Canone fidei ſuppoſuit Bellarminus decretum de reformatione, pro Concilio Innocentium, pro Innocentio ſuperbiſſimo paraſitum, pro Canone non Canonem, pro decreto non decretum, nunquam in Cōcilio concluſum, ſed poſt Concilij diſſolutionem confictum; pro decreto Concilij conſtitutionem Imperatoris, ſicque a poſterioribus Pontificibus laudatam, approbatam, & confirmatam; pro Imperatoribus & Regibus Monarchis abſolutis, Dominos tēporales, Italiæ aut Imperij principes inferiores: quod quidem decretum non magis ligat Imperatores & Reges, quam conſtitutio *Frederici* ligat Imperatores, aliosve Reges Imperatori minime ſubiectos. Et niſi in hac ſenecta mundi, in qua ſolutus eſt Satanas (quod circa tempora Gregorij 7. a tempore illius prophetiæ accidit) extitiſſent innumerabiles, non Imperatorum & Regum, qui quod ſuum erat, ſolum conſeruare ſatagebāt, ſed Pontificum Romanorū paraſiti, qui vt monarchiam temporalem Papæ ſtabilire conarentur, regnum æternum illis quibus adulantur eripiunt, (& peſſimi omnium paraſiti Theologi, qui ſub titulo & prætextu Religionis & ſanctitatis adulantur.) Et mundus pace, & Eccleſia hereditate ſua, i. mundo vniuerſo, non angulo Occidentis; & Imperatores & Reges nutrices Eccleſiæ, ſuis Regnis, coronis & populo, gauderent. *Beatus populus cuius hæc ſunt, beatus populus cuius dominus Deus eſt.* *Pſal. 144. 15.*

Vltimum Concilium, eſt *Lugdunenſe* Cardinaliū Rubricatorū honeſtamētū, in odiū Imperatoris coactū, *in quo Innocētius 4. depoſuit Fredericum 2. idq; approbante Concilio, hoc eſt, tota conſentiente & laudante Chriſtianorum præſulum vniuerſitate*: Sic Bellarminus: Imo vero *Matthæus Paris*, etſi hiſtoricus diligens, pro Concilio, hiſtoria pro Archiuis ſupponitur: nec extat hoc Concilium, in Concilijs per *Nicolaum* Venetijs editis, Anno 1585. auſpicijs Sixti 5. Pontificis maximi fælicisſimis, cuius titulus eſt, *Conciliorum omnium tam generalium, quam prouincialium, qui iam inde ab Apoſtolicis temporibus hactenus legitime celebrata haberi potuerunt.* Et *Carranza* qui ſummam Conciliorum edidit, aut hoc Concilium ignorauit, aut indignum iudicauit quod in numerum Conciliorum legitimorum referretur; Hæc eſt depoſitio Frederici de facto, de iure non conſtat, non enim præcedit decretum de poteſtate iſta papali; Et in Concilio facta eſt hæc depoſitio, non a Concilio: id quod verba ipſa oſtendunt: *Nos itaq; ſuper præmiſſis & quamplurimis aliis eius nephandis & execrandis exceſſibus, ac flagitijs, cum fratribus noſtris Cardinalibus, & ſacroſancto Concilio, deliberatione præmaturā habita, & diligenti priuamus &c.* Ipſe Innocentius priuat cum Concilio, non tanquam cum ijs qui autoritatem habebant, ſed tanquam cum Conſiliarijs deliberat: non eſt hoc factum Concilij, quorum ſuffragia nunquam

Nauclerus Cuſpinianus.

rogā-

rogauit, sed Innocentij: At Bellarminus: *Approbante Concilio, hoc est tota consentiente & laudante Christianorum præsulum vniuersitate*: Vbi vero hæc est approbatio, hic consensus? Fortè inde collegit consensum & approbationem, quia D. Papa & prælati assidentes Concilio, candelis accensis in Imperatorē fulguraruntː An vero sic solent patres in Concilijs vestris consentire & suffragari? An quicunq; candelam accendit, statim consensit? audi vero, quid in hoc ipso Concilio scriptum est, apud Binnium & Matthæum Paris, e quo Binniusː *talem sententiam* (Papa) *excommunicationis, in pleno Concilio, non sine omnium audientium & circumstantium stupore & horrore terribiliter fulgurauit*: cum stupore & horrore: forte hoc est Bellarmino, approbare, consentire, laudare: Et iterumː *Hæc igitur in medio Concilij prolata cunctis audientibus, ad instar coruscantis fulguris, non mediocriter timorem omnibus incussernnt*: aut ergo Concilium non approbauit, non consensit, non laudauit, aut ex timore approbauit, consensit, laudauit. Dic vero ingenuè o Bellarmine: An consensus ex timore vel horrore, qui in virum fortem cadit, (quales omnes in Concilio) consensus dicendus est? cum verum sit illud Baldiː *Spiritus sanctus posuit in ore prætoris, quod metu gestum est, ratum non habebo*: Et glossa in additione. 1. *præsente Concilio, non dicit approbante: forsan ex causa, ne crederet aliquis, sine approbatione Concilij, depositionem Imperatoris per Papam fieri non posse.* Aut ergo Bellarminus falsus, qui dicit *Approbante Concilio*: aut ipsum Concilium iuxta Binnium, falsum, quod hoc factum cum stupore & horrore, & timore omnium factum refert: & Glossa falsa est, qui dicit non approbante. Etsi vero hoc Concilium pro OEcumenico habeatur, plures tamen Episcopi multò aberant, quam aderant; plures etiam à partibus Imperatoris, tanquam fideles subditi, aut amici stabant; quàm qui cum Pontifice conspirarunt; nec inventus est, quod sciam quisquam Laicus, qui hisce depositionibus papalibus consenserit, nisi in lucrum suum, vt sub hoc pallio & prætextu depositionis, auaritiæ, odio, vel ambitioni suæ, viam sterneret. Quis vero iste Innocentius, quam iracundus, quam ambitiosus, quam auarus, quam crudelis, vel ex verbis ipsius, apud Matthæum Paris, evidenter constabit: *postquam ex Anglia Harpya illa Martinus per Barones & Regem Henricum electus, ad Pontificem rediit, & querimoniam deposuit: Pontifex in iracundiâ magnâ, (ne sæui magne sacerdos) voce susurrâ, oculos obliquando, & nares corrugando, dixit. Expedit, vt componamus cum Principe vestro, vt hos Regulos conteramus recalcitrantes: contrito enim vel pacificato Dracone, cito serpentuli conculcabuntur: Quod verbum in vulgus promulgatum, in multorum cordibus offendiculum indignationis generauit.*

Cap. Ad Apostolicæ. De sent. & Re Iudic. in Sext l. 2.

In Henrico 3. Anno 1245.

Sic Dij Romanenses Ludos facitant cum Regibus.

De quo

De quo verè dixit Fredericus : *ex amico optimo in hostem acerrimum mutatus est*: vt refert Platina : *Innocentius beneficiorum immemor, vel vt verius dicam potentatus avidior, mutato eum fortuna animo, acerrimus Frederico hostis effectus est*; vt Wimphelingius: *Quin etiam de iniquitate huius sententiæ conqueritur idq; iniste, quod auditus non sit, quod nuntios suos honestos, videlicet Archiepiscopum Brundiensem, & alios, in Concilio suo, non solum audire contempsit, sed nec ad præsentiam suam, vel Concilij, admittere voluit*: vt apud Vrspergensem in Epistola Friderici : De hoc anathemate, & priuatione Imperij, per Honorium 3. sic Iacobus Wimphelingius: *Honorius 3. pessimo Christianitatis fato, Fredericum anathemate notatum, & Imperij dignitate priuatum denuntiat* : Et de Gregorio nono, sic Vrspergensis: *Hic tanquam superbus, primo anno sui Pontificatus, cepit excommunicare Fredericum Imperatorem, pro causis friuolis, & falsis, & postposito omni ordine Iudiciario*: Causæ propter quas, hanc censuram incurrerat Fredericus, sunt, quod Italiam, sub ditionem Imperij subigere laborarat; (& quorsum Imperator Romanus, si ei Romanum non subsit Imperium?) quodq; ad terram sanctam recuperandam non proficiscebatur: quæ expeditio Principes Christianos aliò diuertere solebat, ne in immensum crescerent, ipsisq; pontificibus terrori essent: præterea hoc factum Innocentij adeo displicuit successori Alexandro 4. vt *Iste Papa bonus, ac mansuetus ac timens Deum, non tantum curans, de negotijs Principum & regnorum, multa reuocat & cassat, quæ in grauamen multorum, suus constituerat Antecessor.* Annales Steronis. De qua depositione Frederici quia plura dicenda sunt in Conclusione vltrà dicere supersedeo.

Platina in Innocentio.

Iacobus Wimphelingius rerum Germ. Epitom. c. 25.

Ad Ann. 1227.

Epitome Rerum Germ. c. 35.

Annales Steronis Ad Ann. 1254. apud Canisium. Antiq. lect. to. 1.

Quid hic Barclaius: Si hæc inquit Bell. de Concilio Lateranensi, non est Ecclesiæ vox, vbi obsecro eam inueniemus? nullibi proculdubio, nondum eum protulit Ecclesia vocem suam, extant facta Pontificum in Concilijs. i. in Ecclesia representatiua, sed serua non libera, in quibus pedibus itum est in sententiam pontificis, non disputatum aut definitum de potestate Pontificis (nam Lateranense Concilium; aut Innocentium redolet, at collectorem multò iuniorem Innocentio) non extat Concilium liberum, in quo auditæ sunt rationes, aut Pontificum, aut Imperatorum & Regum; in quo patres, hanc potestatem temporalem deponendorũ Regum Pontifici annexam esse, de fide definiuerunt, aut declarauerunt: vt è *vestris* multi ingenuè fassi sunt, qui non ignorarunt & autorum vestrorum dissidentes opiniones, & Pontificum facta, etiam in Conciliis.

Ioan. de Parisiis Nauar. Conarruuias Alanus. Vide c. 1.

Et si est vox Ecclesiæ (vt verisimile est) qui eã audire contemnit vt Barclaius facit, annon vt Ethnicus & publicanus & nullo modo Christianus, & pius habendus est? sic Bellarminus.

Vt

Vt verisimile est in causa fidei & hæreseos? An fides ex verisimilibus, an hæresis ex verisimilibus diiudicanda? fides procul dubio hæc est Bellarminiana, & Romana, non ex veris sed ex verisimilibus: non est certum, non verum, sed verisimile: & tamen Barclaius, vt Ethnicus & publicanus, nullo modo Christianus, nec pius, qui his verisimilibus non adhibet fidem. Quid vero, si non sit vox Ecclesiæ, sed schismatis & partis, nec vox Concilij, sed conciliabuli, imo vero aut ambitiosissimi Pontificis, aut parasiti profligatissimi: Quid Bellarminus? An Christianus? an pius? qui in causa fidei, pro voce Dei, cuius authoritati omnis fides innititur, vocem hominis mundani & ambitiosi, pro voce Ecclesiæ, vocem schismatis, pro Concilio, parasitos, pro veris & indubitatis verisimilia vel potius veridissimilia, vt multis Pontificijs placet, profert: verùm sic solet fidem facere Bellarminus: Agens de Iesuita Garneto perduelle & proditore profligatissimo, quem ille in album sanctorum & martyrum, suâ authoritate retulit, etsi acta ipsa, prout in Archiuis habentur, elegantissimè descripta, perlegerit, nec quicquam contra rem gestam habuerit præter rumusculos putidissimos, quo minus crederet Garnetum illius coniurationis pulueriæ conscium, non vt confessarium tantum, sed vt Consiliarium, & oraculum totius negotij: diligenter legi inquit librum (illius Cretensis Creticissimi, mendacissimi Eudæmonis) & ad eum lectorẽ remittit: legit & credidit: actio in Garnetũ plena est mẽdacijs: Rumoribus fidẽ adhibet Bellarminus contra fidẽ sacrorũ scriniorũ: hæc sũt verisimilia Bellarmini, quibus nõ fidẽ, sed fucũ facit credulis hominibus. At non vnũ tantũ Conciliũ: sed decẽ à Bellarmino prolata: & singula Cõcilia Ecclesiæ Catholicæ per se, præsertim cũ ijs præsidet summus Pontifex fidem amplissimã faciunt, vt nemini sit fas contra sentire: Quis Barclaius, qui audet decem frequentissimis, simul iunctis contradicere: Quid ni vero contradicat Barclaius? vt & multi Episcopi, numero & doctrina & sanctitate æquales, & vniuersus pæne populus totius orbis, qui cum suis Imperatoribus & regibus fideliter perdurarunt, & ambitiosos illos Pontifices, cum suis bullis & fulminibus, & rebellibus & perduellibus, ab ipsis exertatis in ventum & puluerem redactos, ipsis imperatoribus, per tres vel quatuor diuersos pontifices excommunicatis, superstitibus, & saluis existentibus, viderunt: nec sine numinis prouidentiâ summâ factum est, vt Imperatores qui depositionis censurâ a põtificibus innodati sunt, a Deo optimo maximo benedictionẽ cõsecuti sũt, vt scirẽt omnes quæ furiosè ab his homuncionibus ambitiosissimis, in terris ligata sunt, in cælis ligata non esse. Nec etiã, quod Ecclesia Romana, quæ martyrijs, sanguine, deuotione, humilitate, pietate & obedientia in immensum creuit, ambitione & dominandi libidine, ad nihilum pene redacta sit: vt sciant homines, non esse hoc Concilium a Domino. Scruus iste, qui præfici vult toti domui, pro pane dedit verbera,

In Apologia cap. 13.

Matth. 24.

pro

pro lacte ſanguinem ſuxit: ideo venit dominus contra eum, non ad eum, in hora quam non expectauit, idq; in virga, non in miſericordia.

At inquit Bellarminus: ſufficit Auguſtino Concilium 14. Epiſcoporum contra audaciam Iulianj: Et meritò. In illo Concilio Paleſtino, Dioſpoli habito, quæ antiquo nomine *Lidda*, omnes ſuos errores damnauit præſens *Pelagius*, damnandus ipſe, ſi ſic non damnaſſet. Huic Concilio Orientali, cum duobus Orientalibus patribus, adiungit Auguſtinus occidentales patres nouem: qui omnes hæreſim Iuliani, antequam natus erat damnârunt: Bellarminus ne Orientalem vnum, è ſuis partibus comminiſci potuit: & viginti quinq; in Eccleſiæ pueritia, plus quam viginti quinq; centies repetiti, in ſenectâ Eccleſiæ & mundi, quæ non tam parit, quam effundit ſcriptores; Iſtud concilium liberum fuit, in initio naſcentis hæreſeos, & ex ſcripturis & traditione. i. ſenſu Scripturæ, ex antiquis patribus deſumpto, erroris falſitatem, non ſtudio partium, ſed veritatis zelo convincit: Quid huic ſimile, in his decem Concilijs? ſi tales autores, patres nimirum, ſi talia Concilia, protuliſſet Bellarminus, libera, antiqua, a ſtudijs partium aliena, forte, ſi vera Concilia, non conciliabula, non ficta produxiſſet, ſuffudiſſet forte Barclaium pudore, quod antiquitatis venerandæ contemptor extitiſſet: cum vero videat totus mundus, pro liberis Concilijs ſerua, pro antiquis noua, pro veris ſchiſmatica, pro vnitate factionem vrgeri: cum videat veteranum, procul dubio doctiſſimum Bellarminum, qui ætatem viresq; omnes in hac Hierarchiâ pontificiâ, & monarchiâ temporali, tuendâ, augendâ, & propagandâ conſumpſit, tantum veriſimili, non verâ voce Eccleſiæ cauſam & Vicedei ſui agere: & liberũ ab hac calumnia Barclaium pronunciabit, & liberatum ſe a tyrannide & avaritia illius ſedis, quæ religioni proditionẽ & perduellionẽ, tanquã comitem indiuiduam coniungit, id verò ſeriotriumphabit.

CAP. VIII.

Authores Catholici, qui poteſtatem temporalem regum deponendorum rejiciunt.

1. *Quare pauciores ſcripſerint contra hanc poteſtatem.* 2. *Claſſis prima aſſerentium Imperatores & Reges, ſupremos eſſe.* 3. *Claſſis 2. Aſſerentium Deum ſolum eorum Iudicem, a quo puniri poſſunt.* 4. *Claſſis 3. Eorum qui directè vel per neceſſariam conſequentiam, poteſtatem temporalem negant.* 5. *Concilia & conventus.*

Eccleſiæ & ipſius ſummi Pontificis cenſuræ, non ſolùm præſens opuſculum, ſed omnia ſcripta mea, lubens & volens ſubmitto. Hæc eſt vox Cardinalis Bellarmini: in calce huius libri; adeóq; omnium penè Pontificiorum, qui Pontifici magis placere ſatagunt, quàm ipſi veritati, Chriſto Domino

mino noſtro. Eccleſiæ & Pontificis cenſuræ; imò Pontificis, quid opus Eccleſia, ſi Eccleſia Romana ſit in Pontifice? & merito; omnia enim pro Pontifice, & in eo pro Eccleſiâ Romanâ particulari, non Catholicâ. Hæc eſt teſſera, quâ mercimonia omnia ſcripturientium venum exponuntur, ſinè qua nemo vendere, nemo emere poteſt in Repub. literariâ. Hic eſt character ſine quo nemo ſcribere, nemo prælo committere, quicquam audet. Sinè hoc ſtylo Curiæ Romanæ, omnes libri deſcripti impreſſiq; correctionem, expurgationem, hoc parum eſt, prohibitionem ignemq; timent. Hæc nota multos ab hæreſeos, & ſchiſmatis notâ liberavit, qui à fide, vel ambitione Romana declinarunt. Non eſt ergo mirum, ſi pauci ſint qui contra poteſtatem, vel potius tyrannidem hanc Romanam ſcripſerint: cum & illi qui à Romanis ſtant partibus, ſcripta ſua in vulgus edere non audeant, niſi ſub hâc proteſtatione, *Scripta mea Eccleſiæ & Pontificis cenſuræ ſubmitto.* Imò & libri Bellarminiani ignem reformidabant, quod in hac Papali poteſtate nimium parci; ſi Barclaio credimus. Et ſi pauci illi, qui ſpreta Pontificis authoritate, libertatem Principum, contrà Hildebrandicos ſcriptis defenderunt, iam reviviſcerent, viderentq; quo modo ipſi in hæreticorum nigro reponantur, libri vero eorum inter reprobatos & caſtrandos cenſeantur, fortè vel fœtus ſuos negarent, (ea eſt vel poſteritatis huiuſce conſervandæ cura) vel exclamarent, *Romæ omnia cum liceant non licet eſſe pium*; non licet eſſe liberum. Hinc enim eſt quod *Marſilius de Paduâ*, & *Ioannes de Ganduno*, Hæretici audiunt, quod cauſam Imperatoris contra Pontificem propugnarunt. *Scite admodum, acriterq; ad factiones, ad fraudes, ad ſcelera perventum eſt: vera dicere periculum, falſa crimen: vt Gerochus, ſive quiſquis* alius ille ſit apud *Aventinum.* Hinc *Occhamus* noſtras doctiſſimus, liberrimus, Imperatorem alloquens: *O Imperator, defende me gladio, ego te defendam verbo*; quaſi vix auderet vera dicere contra Papam, niſi Clypeo ſeculari tutus. Quin & in alijs idem obſervavit Occhamus; adeoq; neceſſarium duxit, *vt ſapientes iuramentis & horribilibus cõminationibus ad veritatem in hac cauſa dicendam arctarentur.* aſi aliud in lingua prõptum, aliud clauſum in pectore, doctiſſimi ſanctiſsimiq; plurimi geſtarent. *Gravius enim plectitur* apud Põtificios, *agens contra vnum Papæ decretum, quam delinquens contra divinum præceptum & Euangelium*: vti olim obſeruauit doctiſsimus Cancellarius Ioan. Gerſon: Cauſam huius ſilentij iam diu obſeruauit *Gregorius Haimburgenſis* (ob παῤῥησίαν & Sigiſmundi Imperatoris defenſionem liberiorem excommunicationis mucrone percuſſus à *Pio* 2. Verſipelli *Aeneâ Syluio*: in quo verum: Honores mutant mores, imo monſtrant) *Hac vſurpatione poteſtatis, in ſanctæ Eccleſiæ diſcrimen ſæcularis & Imperialis dignitatis præiudicium, & totius mundi inquietudinem, ideircò tantum invaluit Pontifex, quod nemo doctorum auſus ſit contradicere: aliis tacentibus ob ſpem promotionis ad bene-*

Cap. 13. de poteſt Pap. temp.

Ioan. Bacon in Prolog. in 4. ſent. quæſt. 11. in fine.

Avent. lib. 5. Trithemius de ſcrip. Eccl.

Iac. Almayn. de Authoritate Eccleſ. c. 3. in princ.

De directione cordis conſid. 30

Gregor. Haimburgenſis, in Conſt. primat. in princ.

ad beneficia; alijs ob metum perdendi iam adepta. Liberiùs fuit à multis annis, de potestate Dei, quam Papæ prædicare, vel disputare. Omnes enim vino dictæ meretricis inebriati, dulcedine mulcebrosa tacti adulantes, sacram scripturam exponunt, in confirmationem erroris detorquentes. Quod, quia Imperatores, Reges, Principes, & Communitates, vel propter ignorantiam exstudij & scientiarum inadsuefactione prouenientem; vel propter nimiam lasciuiam mundanam eos occupantem videre non potuerunt; ad tantam seruitutem deducti sunt, vt credere compellantur, fidem hanc esse de necessitate salutis, Papam scilicet habere tantam sibi à Christo collatam plenitudinem potestatis, vt possit omnia quæ in terris sunt disponere, pro libito voluntatis suæ, nec quisquam ei audet dicere, cur ita facis? Hæc ille.

Idem doctissimè obseruauit doctissimus, integerrimusq; Britannorum Rex Jacobus, in Præfatione Monitoria.

Ecce veræ causæ cur pauci inuenti sint, qui hanc potestatem Papæ aperte & scripto impugnarunt: spes promotionis, timor amissionis, nec non pœna hæreseos, & excommunicationis in Clericis; in Laïcis ignorantia, lasciuia, negligentia Imperatorum & Regum, Pontificibus, in hanc rem suam nimium intentis, opportunitatem dederunt hãc potestatem arripiendi, qua Reges deponerent, sibiq; monarchiam temporalem arrogarent.

Veræ causæ plenitudinis Potestatis Pontificiæ.

Verum non sine testimonio seipsum reliquit Christus, veritas ipsa, non solum benedicens & dierum longitudine & filiorum successione Imperatoribus, & Regibus illis, quibus maledixit Pontifex, ipsosq; protegens, à perduellione fraudibusq; Pontificijs, eorumq; assassinatis; sed & multos doctissimos grauissimosq; scriptores, suscitans & conseruans, qui contemptis & terroribus & fauoribus Pontificum, veritatem hanc, libertatemq; Imperatoriam Regiamq; & rationibus, & scriptis assererent, eosq; & numero non impares, & literarum scientia æquales, & sanctitate, vitæq; probitate singulares; quos Ecclesia inter Patronos, Patresq; libertatis Christianæ meritò retulit; licet apud modernos Pontifices, soli illi, fictis miraculis coruscantes, in Canonem Sanctorum cum *Thoma* nostrate referantur, qui libertatis, vel potius licentiæ Ecclesiasticæ in præiudicium Imperij, & Reipub. vindices exiterunt. Quo in genere, vt testes idonei non sunt, quibus imperari potest vt scribant; sic testes idonei censendi sunt, quibus imperari non potest vt non scribant, quiq; prohibiti, iuxta cõscientiam, reiq; veritatem, liberè dicunt quod sentiunt.

Atq; vt paulò altius hanc rem ab ipsis naturæ principijs, necnon authoribus profanis deducamus. Negat Antonius, apud *Iosephum*, *oportere Regem* (Herodem) *facti sui rationem reddere, alioquin ne Regem quidem futurum; dato enim illi semel honore, etiam libera potestas permittenda est*: & tamen Regnum Herodis sub Regno grauiore, maiore, superiore, Romanorum; & *Rex minor, inferiorq; à superiore in ordinem cogi potest*, vti Thomas, siue quis alius.

Antiq. Iudaic. l. 15. cap. 4.

De Regim. Princ. p. lib. 1. cap. 6.

Marcus Antoninus adeo temperans, & continens in Imperio fuit, vt,

Principem ad conuocandos Patres cæteroſq; Principes poſſit coarctare ? Sic Iuſtinianus? Id eſt, nullus poteſt nolentem Principem coarctare. Rogatus à militibus Valentinianus, vt Imperij conſortem ſibi adiungeret, reſpondit; *Me ad imperandum deligere, ô milites, penes vos erat, ſed cum iam à Vobis delectus ſum, conſortem Imperij quem poſtulatis non in veſtra, ſed in mea ſolius poteſtate deligere ſitum eſt: quinetiam qui meo iam imperio ſubiecti eſtis conquieſcere, me, vtpotè Imperatorem, quid agendum ſit conſiderare conuenit.* C. Anteriorum. 2 q. 6. Nouell. 22. Sozom. l. 8. Eccl. l. 6. c. 6. Niceph. l. 11. c. 1.

Regũ primorũ qui Patres familias Patriæq; patres erãt, ſi quis originem quærit, apud *Ariſtotelem* naturæ Genium facilè inueniet. Vt *prudentia domeſtica, quadam Regia familiæ poteſtas eſt, ſic Regalis poteſtas ciuitatis eſt, & gentis vnius aut maioris re familiaris:* ac ſi diceret, Patris poteſtas in familia, & Regia poteſtas in multis familijs & ciuitatibus eadem eſt. An Pater-familias à filijs & ſeruis originem habet? an Pater vel Dominus à filijs & ſeruis vel abdicari, vel in ordinem cogi poteſt. *Pater quamuis legum contemptor, quamuis impius ſit, tamen pater eſt.* *Regnum familia magna, familia regnum paruum.* Ariſtot. Polit. l. 3. c. 11. Iuſtin. Nouel. 12. c. 2.

Quartum autem genus Regalis poteſtatis fuit heroïum temporibus voluntarium, patrium, legitimum. Quia enim beneficia primi conferebant in plebem, vel docendis artibus, aut in bello, aut quia propugnabant fines, aut dabant agros, vltro conſtituebantur Reges, erantq; ijs qui acceperant patria hæc imperia. A patria ergo poteſtate originem traxerunt Regna & imperia. Ariſtot. Polit. l. 3. c. 10.

Regni & imperij huius ambitũ ſi quæras, reſpondet Ariſtoteles; *Quintum genus Regiæ poteſtatis (legitimæ) eſt, cum in vnius poteſtate ſunt omnia: quemadmodum vnaquæq; gens & vnaquæq; ciuitas eo modo inſtituta eſt, quo rei familiaris diſciplina. Permiſſa autem erat ijs ſumma rerum bellicarum, & ſacrorum eorum quæ ſacerdotum non erant propria, & præterea ius dicebant.* Cap. 11. Cap. 10.

Sanctior multo Ariſtoteles quàm Hildebrandus: Ille Patres-familias in Patres patriæ, beneficos à beneficijs collatis, & tutelares quaſi Deos in Reges & Imperatores mutatos docuit. Iſte à *ſecularibus Deum ignorantibus, imò à ſuperbis, perfidis, furibus, homicidis imò à mundi principe Diabolo,* ſuperioritatem & ſubiectionem inter pares inuentum aſſerit. Homo, & Philoſophiæ, quæ à poteſtate patria, & Theologiæ, quæ à Deo, Reges & Regna deducit, prorſus ignarus ſolamq; ſuperbiam, & ambitionem doctus. L. 8. Ep. 21.

In Rep. Iudæorum olim extiterunt Phariſæi, inimici Imperatorum, & Regum: Quos ſic deſcribit Ioſephus in Antiquitatibus. *Erat, inquit, quædam Iudæorum ſecta, exactiorem patriæ legis cognitionem ſibi vendicans quibus, tanquam Deo, vt videri volunt, charis, abdictum erat hoc mulierum ſodalitium. Hi Phariſæi vocantur, genus hominum aſtutum, arrogans, & interdum Regibus quoq; infeſtum; vt eos etiam apertè impugnare non vereatur; Nam cum tota Gens Iudæorum fidem ſuam iureiurando obligaſſet Regi, &* L. 17. c. 3.

Et ad Scapulam; *Colimus ergo & Imperatorem, ſic, quomodo nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, &, quicquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem. Hoc & ipſe volet: ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt: ſic & ipſis Dijs maior eſt, dum & ipſi in poteſtate ſunt eius.*

Gregorius Nazianzenus, Orat. altera de ſeipſo: *Orbis hic vniuerſus ſub manu veſtra eſt, paruoq; diademate, ac panno exiguo continetur: Superna ſolius Dei ſunt, inferna vobis cum Deo communia: Dij ſubditis veſtris eſtote: Dicam enim aliquid audacius.* 3.

S. Ambroſius de Theodoſio, Orat. De obitu eius. *Hoc erat remedium reorum, quoniam, cum haberet ſupra omnes poteſtatem, quaſi parens expoſtulare malebat, quam quaſi iudex punire.* 4.

S. Ioannes Chryſoſtomus, Homil. 2. ad pop. Antioc. *Leſus eſt qui non parem habet vllum ſuper terram, ſummitas & caput omnium ſuper terram hominum: Propterea igitur ad ſupernum Regem confugiamus; illum in auxilium inuocemus.* 5.

Idem de eodem. Homil. 20. Ad pop. Antioch. *Dicent: Papè quanta Chriſtianitatis potentia? Hominem ſuper terram habentem aequalem neminem, omnia delendi & corrumpendi Dominum cohibuit & refrenauit.*

Idem in caput 13. ad Romanos: *Omnis anima poteſtatibus ſupereminentibus ſubdita ſit: etiamſi Apoſtolicus ſis, ſi Euangeliſta, ſi Propheta, ſiuè quiſquis tandem fueris; neq; enim pietatem ſubuertit iſta ſubiectio.*

Theodoretus, in 13. ad Rom. *Omnis anima, &c. ſiue eſt ſacerdos aliquis, ſiue antiſtes, ſiue Monaſticam vitam profeſſus, ijs cedat quibus ſunt mandati magiſtratus: Clarum eſt autem ſi cum pietate; non enim ſi Dei praeceptis repugnent, Magiſtratibus parere permittitur.* 6.

Optatus. Lib. 3. Cont. Parmenian. *Carthaginis principatum ſe tenuiſſe crediderat, & cum ſuper Imperatorem non ſit niſi ſolus Deus qui fecit Imperatorem, dum ſe Donatus (Pontifex) ſuper Imperatorem extollit, iam quaſi hominum metas exceſſerat, vt ſe vt Deum, non hominem eſtimaret, non verendo eum, qui poſt Deum ab hominibus timebatur.* 7.

Agapetus, In paraenet. numero 1. Ad Iuſtinianum Imperatorem. *Homine quol.bet ſublimiorem cum habeas dignitatem, Imperator.* Idem, nu. 21. 8.

Eſſentia corporis aequalis eſt cuilibet homini Imperator, poteſtate autem dignitatis cunctorum Praeſidi Deo: non enim ſe habet in terris quenquam altiorem. Idem, nu. 61.

Sceptrum Imperij, cum à Deo ſuſceperis, cogitato quibuſnam modis placebis ei, qui id tibi dedit; cumq; omnibus hominibus ſis praelatus, magis omnibus eum honeſtare feſtina. Idem, nu. 63.

Deus nulla re indiget, Imperator ſolo Deo. Idem, nu. 68.

Imperator, vt eſt omnium Dominus, ita cum omnibus Dei ſeruus exiſtit.

Pelagius 1. Papa Epiſt. 16. ad Childebertum Regem Francorum, Apud 9.

Conſtantinum Dyrrachij Archiepiſc. *Imperator vt communis Eccleſiarum ἐπισκόπων existens & nominatus, Synodalibus præeſt ſententijs; & robur tribuit, Eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ politiæq; eorum qui altari ſeruiunt. &c.* 19.

Athanaſius Conſtantinopolitanus Epiſt. 6. ad Imperatorem; Vt iubeat Epiſcopis ire ad ſuas diœceſes; *hæc habet. Cur non iubes qui curam omnium à Deo ſuſcepiſti, &c.* *In Biblioth. SS. patrum. Tom 3.*

Wideſordus aduerſus Wiclephum. Art. 16. hæc recitat, *Ioannes & Paulus dixerunt Iuliano Apoſtatæ, pro Imperatore ſe gerente. Non tibi facimus iniuriam, nec præponimus tibi qualemcunque perſonam in dominio; ſed Deum illum tibi præponimus qui fecit cælum & terram, &c.* Qualemcunque Perſonam: vt de generibus ſingulorum, ſicut & de ſingulis generum locutos fuiſſe intelligas. 20. *In Faſciculo Rerum Expetend.*

Ioannes Redin. De Maieſt. Princ. Rat. 1. nu. 32. *Peſtremò nihil altius in Orbe, nihil ſublimius qualibet Rege in ſuo Regno; nec excellētius nomine Regio.* 21.

Adam Blacuodæus, in Apologia pro Regib. c. 5. *Scotorum Regum longè diuerſum ius eſt: quibus capita fortunæq; ciuium obnoxiæ ſunt; cum ij nulla conditione populo teneantur; nec ſuperiorem vllam præter ſolius Numinis poteſtatem agnoſcant; eodemq; iure ſuis Regibus aſtricti ſunt Galli, Angli, Hiſpani, Luſitani, alijq; permulti, &c.* 22.

Bartholomæus Caſſanæus. Catalog. Gloriæ mundi. p. 5. Conſ. 24. num. 72. *Princeps ſoli Deo de peccato habet reddere rationem. C. Totam de pœnitentia d. 3. Soli enim cælo debet Innocentiæ rationem. C. Aliorum 9. q. 3. ſic non poteſt cogi ſtare iudicio alicuius, & poteſt excipere dicendo Dominus eſt qui iudicat me.* 23.

Regiam Maieſtatem Scotiæ, lib. 1. in præfat. *Rex Scotiæ qui nullum habet ſuperiorem, niſi ipſum Creatorem cæli & terræ, qui cuncta gubernat.* 24.

Ex his elicitur hæc ratio.

Quiſquis Deum ſolum ſuperiorem habet, deponitur à ſolo Deo, quia par in parem, inferior in ſuperiorem imperium non habet, & quiſquis deponitur, deponitur à ſuperiore.

Imperator ſiue Rex, Deum ſolum ſuperiorem habet. Ergò

Imperator, ſiue Rex, deponitur, (vel deponendus eſt) a ſolo Deo.

Atq; hi quidem cum multis alijs quos breuitatis cauſa omitto, de ſumma ſiue ſuprema poteſtate Imperiali & Regia, generaliter ſententias ſuas protulerunt: Quibus eos addamus, qui poteſtatem Imperatoriam Regiamq; ſummam & ſupremam in temporalibus aſſerunt.

Fulgentius in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ; vt citatur in Cōcilio Pariſienſi, ſub Ludouico & Lothario, An. 829. lib. 1. cap. 3. *Quātum pertinet ad huius temporis vitam in Eccleſia, nemo Pontifice potior, & in ſæculo Chriſtiano Imperatore nemo celſior inuenitur.* Eadem etiam citantur in Concil. Aquiſgranenſi An. 836. ibi. *Claſſis. 1. Sectio. 2. 1.*

2. Hugo de Sancto Victore, De Sacram. fid. l. 2. parte 3. c. 4. *Terrena poteſtas caput habet Regem; ſpiritualis poteſtas habet ſummum Pontificem: ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem Summi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.*

3. Alexander Ales, Parte 3. q. 40. memb. 5. recitans & approbans hæc verba Hulgonis, poſtea ex verbis Petri hæc habet: *Ad illud quod obijcitur de canonica Petri, quod Rex præcellit; verum eſt in ordine ſuo; ſcilicet ad corporalem vindictam exercendam; quâ vindicta ſi delinquat, non habet qui eum puniat, niſi Deum.*

4. Raynerius Piſanus. Pantheologiæ part. 1. Tit. de Dominio cap. 2. proponens quæſtionem, vtrum poteſtas ſecularis præmineat poteſtati ſpirituali, vel è conuerſo? ait. *Quamuis poteſtas ſecularis non habeat aliquod Dominium ſupra ſe, quod eum pœna & vindicta corporali puniat; propter quod dicit Petrus 1. cap. 2. Regem præcellere; tamen Rex cum peccat punitur à poteſtate ſpirituali ſcil: pœna excõmunicationis. Itaq; cum gloſſa dicit, Rex qui ſuperior eſt omnibus non habet hominem, qui eum inducet. Reſpondeo & dico, Quod poteſtas ſpiritualis non iudicat ſecularem poteſtatem, vt regem cum peccat ſecundum hominem, vel ſecundum humanam legem ſc. pœna corporali; ſed ſecundum diuinam legem pœna ſpirituali excommunicationis in quantum reſidet vice Dei.* Vbi ex Aienſi colligit.

5. In 4 ſent. Diſt. 19. q. 2. Et Quãtum ad 2. Gulielmus de Rubione. Vbi proponit quęſtionem de eo quod dicebatur a quibuſdam, quod ſicut Papa habet in ſpiritualibus, ita etiam & in temporalibus plenitudinem poteſtatis, & per totum tenet oppoſitum, & in contrario ait. *Sed contra iſtam opinionem poteſt argui. Quoniam Papæ Chriſti Vicario non eſt data maior poteſtas ſeu iuriſdictio, quam fuerat collata Chriſto, vt homini aſſumpto ſed Chriſtus vt homo non habuit vniuerſalem iuriſdictionẽ in temporalibus omnibus, ſeu plenitudinem poteſtatis. Ergo Minor probatur per illud Lucæ 12. Quis me conſtituit? Et Ioannis, Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſecundum interpretationem Chryſoſtomi & Euſebij.*

Idem ad vltimum argumentum illius Doctoris. *Ad illud quod additur quod in Veteri Teſtamento Reges inſtituebantur, & inungebantur per ſacerdotes, & in nouo Imperator coronatur per Papam: Dicendum, quod ex hoc non ſequitur quod ſacerdotes in Veteri Teſtamento haberent poteſtatem in Temporalibus ſuper regnum, nec Papa ſuper Imperium.*

6. Thomas Waldenſis, Doctrin. fid. lib. 2. art. 3. cap. 78. hæc eadem verba Hugonis & recitat & approbat, inferq; *Ecce duæ Poteſtates, & duo capita Poteſtatum:* Et infra. *Similiter nec terrena poteſtas, poteſtas Regia, quæ ſub annulo fidei deſponſatur ad Regnum, in quenquam, authoritatiue, ſupra Regem, citra Chriſtum reducitur.*

7. Innocentius tertius. C. Per venerabilem: Qui filij ſunt legitim. *Rex Franciæ ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcit (idq; de iure, non tan-*

tantum de facto:) maledicta & abſurda gloſſa, quæ corrumpit textum, quæ Regnum Francię Imperio ſubiecit, non Eccleſiæ: *De iure tamen ſubeſt Romano Imperio: Et idem ius eſt omnium Regum abſolutorum quod & Regis Franciæ.*

Innocentius 4. Nouerit De Sent. Excom. *In temporali autem generaliter & generalis Eccleſiæ, ſolus Imperator, qui vniuerſis & Clericis & Laïcis in temporalibus præeſſe debet, priuilegium concedere poteſt.* 8.

Eadem verba habet Ioannes Igneus. Super §. Non alias, ex lege Neceſſariam ff. de ſentent. Sillan. num. 131. 9.

Baldus, In Proœm. Sup. ff. vetus. num. 8. & 9. *Maxima eſt apud Legiſtas, quod Imperator Romanorum in temporalibus ſuperiorem non habet.* 10.

Aeneas Syluius: De ortu Imp. cap. 23. *Annon ſicut in ſpiritualibus vnum eſt caput, à quo nullum appellare licet, & ad quem ab omnibus appellatur, ſic etiam in temporalibus conuenit obſeruari? Romani Pontificis ſententiam, nulli fas eſt in irritum reuocare: Romani Principis voluntatem nemo poteſt impugnare:* Et infra: *Quod ſi alterius iudicio vis acquieſcere, quin potius acquieſcis Imperatoris; quem ſuper omnes homines mundi, in temporalibus conſtituit Deus.* 11.

Idem, cap. 24. alloquens Imperatorem Fredericum *Ex quibus percipere potes, quanta ſit tui ſolij quamq; admirabilis authoritas; cum nemo tibi in temporalibus præſit, et tu omnes præcellis: cum nemo ſit qui tuum in temporalibus refugere poſſit Imperium, & tuum ſit omnibus imperare; cum nemo ex tuo iudicio ſit exemptus, & tu omnes temporales valeas iudicare: cum nemo à te prouocare queat, & ab omnibus ad te liceat appellare temporalibus.*

Ioannes de Parilijs, De poteſt. Regia & Papali. c. 5. *Eſt ergo Sacerdos in ſpiritualibus maior Principe, & è conuerſo in temporalibus Princeps maior Sacerdote: licet ſimpliciter maior ſit, quantum ſpirituale eſt maius temporali.* 12.

Idem. c. 10. *Imò ſunt duæ Poteſtates diſtinctæ, Epiſcopalis & Regalis vel temporalis, non ſolum re, ſed etiam ſubiecto: Et Regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſuper ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.*

Lupoldus de Babenberg: De Iure Regni & Imp. Rom. c. 9. in princip. *Circa probationem huius articuli, ſciendum eſt, quod Hugo tenet quod Imperator habet poteſtatem à ſolo Deo quoad temporalia, nec ſubeſt in ijs Papæ.* Et infra. *Tenendo ſcilicet quod Imperator temporalia immediatè teneat à Deo.* 13.

Nicolaus Cuſanus Cardinalis, De Concordant. Cathol. l. 3. cap. 3. *Et habebat Patricius (quia Pater Patriæ) curam iudicij temporalis, & præfuit in temporalibus, Papa ſe de ipſis minimè intromittente: Imò Patricius ſecundum gloſſam antiquã, in cap. Adrianus 63. Diſt. Pater Papæ in temporalibus fuit, ſicut Papa in ſpiritualibus eius Pater.* Hanc gloſſam neque in nouis neque antiquis editionibus inuenire potuit Bellar. c. 13. contra Barclaiũ. *Fortaſſis inquit, tanquam delira anus, antiquata eſt, aut præ nimio ſenio, iamdudum* 14.

dudum exceſſit è viuis. Imò verò viuit hæc gloſſa apud Cuſanum, & quô ſenior & antiquior, eò magis confundit audaciam tuam tuorumq;, qui omnia ex antiquis gloſſis authoribuſq; expungere ſoletis, quæ in rem veſtram non ſunt. Illq; authoribus qui pro vobis veſtraq; tyrannide loqui neſciunt, ſilentium obliteratione imponitis. Non delirat hęc anilis gloſſa, ſed veſtra deliramenta & ſomnia de Monarchia temporali redarguit & conuincit.

15. *Vt citatur in Gloſſ. Sanct. Pragm. in proœm. v. Dei.*

Aegidius Romanus, De Poteſtate Eccleſiæ quæ incipit: vtrum dignitas Pontificalis: *Reges Franciæ iuſto titulo, & ſine recognitione cuiuſquam ſuperioris in temporalibus, poſſederunt & poſſident Regnum Franciæ.*

16. Coſmas Guimerius, In gloſſa Ibidem. *Item verſum in conſuetudinem, quod nullum Rex Franciæ recognoſcat in ſuperiorem in temporalibus; quæ conſuetudo eſt approbata, & hactenus obſeruata pacificè, nec à Papa nec ab Imperatore impugnata.*

17. Franciſcus Viuius: Com. Opinionum. lib. 9. in verbo; Imperatores Deus. *Item intelligo dictam communem, quod Imperator in temporalibus præeſt omnibus Clericis & Laïcis in terris Imperij; non autem in ſpiritualibus.*

18. Hector Pintus, Comment. in Ezechiel. cap. 45. ſuper verba, Sufficiat vobis. *Aſpicis igitur altiores eſſe ſacerdotes Regibus & Principibus in rebus animam concernentibus: At in rebus prophanis reges non ſubijciuntur ſacerdotibus, nec verum eſt quod dicere poſſunt nonnulli, fuiſſe Hebræorum Reges à ſacerdotibus electos; quales fuerunt Saul & Dauid. Nam neuter eorum fuit à ſacerdote aliquo electus, & in Regia dignitate conſtitutus, ſed a Deo etiamſi electio illa à ſacerdote fuerit publicè oſtenſa, ſi fortaſſe Samuel erat ſacerdos.*

Et infra. *Et quamuis ſacerdos fuerit Samuel, nunquam tamen invenies ei Saulem aut Dauidem in temporalibus paruiſſe, nec vllum Hebræorum Regem quoad ea fuiſſe ſubditum ſacerdotibus, quatenus ſacerdotes erant, etiamſi Samueli, & alijs, quatenus iuſti & ſapientes erant, & Dei nuntij, parere tenerentur in rebus iuſtis à Deo præceptis. At hoc non erat ſacerdotibus obtemperare ſed Deo. Habent enim Reges in Temporalibus ſuperiorem Neminem, etiamſi in ſpiritualibus ſacerdotibus ſubijciantur.*

19. Ioannes Redin, De Maieſtate Principis Ratione 1. num. 29. *Imperatorem dici vicarium Dei in terra in temporalibus, & ſummum Pontificẽ in ſpiritualibus: diſponit lex Regia.*

20. Gulielmus de Monteferrato: in Tract. de ſucceſſione Regũ nu. 40. *Rex Francorum, Regnum, & eiuſdem Regni Regnicolæ neminem recognoſcunt in ſuperiorem, etiam Romanam Eccleſiam.*

Si quis plures hac in parte teſtes & teſtimonia requirat; conſulat Nauarrum, in c. Nouit. de Iudicijs, Num. 36. Couarruuiam in C. Peccatum §. 9. nu. 7. de regulis Iuris in 6. Et Fernandũ Vaſquium: Controuerſ. illuſtr. l. 1. c. 20. nu. 2.

Sed

Sed ex omnibus hęc elicitur Ratio.

Quiſquis deponitur in temporalibus habet ſuperiorem in temporalibus. Id quod ex eo patet quod omnes illi qui Pontifici poteſtatem Regum deponendorum, ſiue directam, ſiue indirectam tribuunt, eundem Regibus ſuperiorem in temporalibus, vel directè, vel ſaltem indirectè ſtatuunt. *Vide Bell. l. 2. de Pontifice. 29.*

Imperator non habet ſuperiorem in temporalibus. Vt ex citatis authoribus patet: Ergò

Imperator non deponitur in temporalibus, nedúm à Papa.

Authores ſecundæ Claſſis.

ACcedo iam ad Authores ſecundæ claſſis; qui peccata Imperatorum & Regum, iudicio, examini & correctioni diuinæ, quoad pœnam corporalem ſiue materialem reſeruata docent, nec iudicio humano diſcutienda relinquũt: Inter quos & aliqui ſunt, qui nec pœna ſpirituali excommunicatione ſcilicet feriendos cenſuerunt.

Irenæus: l. 5. c. 20. *Et propter hoc, & ipſi magiſtratus indumentum iuſtitiæ leges habentes, quæcunque iuſte & legitime fecerint, de his non interrogabuntur, neq; pœnas dabunt. Quæcunq; autem ad euerſionem iuſti, inique & impiè contra leges, & more tyrannico exercuerint, in his & peribunt iuſto iudicio Dei ad omnes æqualiter perueniente, & in nullo deficiente:* Et infrà. *Et digni ſunt Dei iuſto iudicio in omnibus æqualiter ſuperveniente, ſicut prædiximus.* 1.

Clemens Alexandrinus: S. romat. lib. 4. idque vt videtur ex ſententia Clementis Romani. *Deinde tacitè ſignificans peccatum, quod legi non ſubijcitur, ſcitè ſuam modeſtiam oſtendens ſubiungit: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* 2.

Arnobius, in Pſalm. 50. (ſi Arnobius) *Tibi ſoli peccaui. Omnis qui ſub iudicio venit, cum deliquerit peccat Deo, peccat & legibus mundi: hic autem Rex ſub nullo alio, niſi ſub Deo ſolo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſol peccauit.* 3.

Lactantius Firmianus, lib. 5. de Iuſtitia, cap. 24. *Quicquid ergo aduerſum nos mali Principes moliuntur, fieri ipſe permittit: & tamen iniuſtiſſimi perſequutores, quibus Dei nomen, contumeliæ ac ludibrio fuit; non ſe putent impunè laturos, quia indignationis aduerſus nos eius quaſi miniſtri fuerunt: punientur enim iudicio Dei, qui accepta poteſtate ſupra humanum modum ſæuerint abuſi, & inſultauerint etiam Deo ſuperbiùs; eiuſq; nomen æternum, veſtigijs ſuis ſubiecerint, impiè nefarièq; calcandum: propterea vindicaturum ſe in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum beſtias malas de terra. Sed idem quamuis Populi ſui vexationes, & hìc in præſenti ſoleat vindicare; tamen iubet* 4.

bet nos expectare patienter illum cœleſtis iudicij diem, quo ipſe pro ſuis quẽq; meritis aut honoret aut puniet. Quapropter non ſperent ſacrilegæ animæ, contemptos & inultos fore, quos ſic obtenunt: veniet rabioſis & voracibus lupis merces ſua, qui inſtas & ſimplices animas nullis facinoribus admiſſis excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, vt ab hominibus nihil aliud in nobis niſi ſola inſtitia puniatur. Demus operam totis viribus vt mereamur à Deo ſimul & vltionem paſſionis, & præmium.

5. Didymus. *Quatenus rex erat, non ſubijciebatur humanæ legi, vnde nulli ex legum conditoribus peccauit, neque eorum vlli ex illis malum hoc fecit, quoniam vero ad regiam dignitatem illius acceſſit vt pius eſſe vellet, diuinæ legi ſubiectus fuit, & propterea ſoli deo peccauit.*

In Aurea Catena Græc. patrum in Pſal. 50.

6. S. Hieronymus, Epiſt. 46. ad Ruſticum. *Tibi ſoli peccaui; Rex enim eram, & alium non timebam: &* (vt verba referuntur de Pœnitentia, Diſt. 3. c. Totam) *Alium non timebat, alium non habebat ſupra ſe.*

Eadem habet Epiſtola 22. *ad Euſtochium* cap. 5.

7. S. Ambroſius, in Apolog. Dauid c. 4. de Dauide ait. *Qui tenentur legibus, audent ſuam negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis:* Et capite decimo. *Tibi ſoli peccaui. Rex vtiq; erat nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, neq; enim vllis legibus ad pœnam vocantur, tuti Imperij poteſtate: Homini ergò non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.*

Idem, lib. 2. Epiſt. 7. *Dauid Rex ait. Tibi ſoli peccaui. Regali enim ſubnixus faſtigio, quaſi legum Dominus, legibus, reus non erat, ſoli Deo obnoxius tenebatur, qui Dominus eſt poteſtatum.*

Idem, in Pſalm. 118. term. 16. *Ideoq; ſciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait, Tibi ſoli peccaui: non poteſt hoc iuſtus negare, quia nemo ſine peccato, non poteſt Rex, quia etſi leges in poteſtate habet, vt impunè delinquat, Deo tamen ſubditus eſt, qui nulli debet; Imò plus ipſe debet cui plus commiſſum eſt.*

8. S. Auguſtinus, vt citatur in gloſſa, in cap. 13. Matth. in verba, Ne fortè colligentes. *Multitudo non eſt excommunicanda, nec Princeps Populi.*

9. Innocentius Primus, loquens de miniſterijs poteſtatum: *Quomodo maiores* (inquit) *noſtri reprehenderent factum quod authore Deo videretur eſſe conceſſum? De his ergo Poteſtatibus, vt hactenus ſeruatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur, quibus certè in rationem reddendam, geſta ſua omnia ſeruabuntur; nullaterus* (inquit) *condemnari poteſt humano examine, quem Deus ſuo iudicio reſeruauit.*

Apud Vercell. de vnit. Eccl. conſeru.

10. Cyrillus Alexandrinus, in Ioan. l. 12. c. 56. *Sic enim etiam in rebus humanis fieri conſpicimus: Quippè nemo leges Regum impunè reprobat, niſi reges ipſi; in quibus preuaricationis crimen locum non habet: prudenter enim dictum eſt, Impium eſſe qui Regi dixerit, Inique agis.*

ſub-

Agapetus ad Iuſtinianum Cæſarem, in parænetico, nu. 27. *Tibi ipſi euſtodiendæ leges impone neceſſitatem, cum non habeas in terris qui te poſſet cogere: ſic enim tu legum præ te feres cultum, ipſe ante alios eas reuerendo, tum ſubditis conſtabit legum prænaricationem periculi non eſſe immunem.* 11.

Gregorius Turonenſis, Hiſt. lib. 5. c. 17. *Si quis è nobis, ô Rex, inſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt: ſi verò tu receſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe pronunciauit eſſe Iuſtitiam?* 12.

Iſidorus Hiſpalenſis, ſtentent. l. 3. c. 50. *Difficile eſt principem regredi ad melius, ſi vitijs fuerit implicatus. Populi enim peccantes, iudicem metuunt, & à malo ſuo, legibus coërcentur. Reges autem, niſi ſolo Dei timore metuq. gehennæ, coërceantur, liberè in præceps ruunt: & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur.* Et idem cap. 51. 13.

Cognoſcant Principes ſæculi, Deo debere ſe rationem reddere propter Eccleſiam, quam à Chriſto tuendam ſuſcipiunt: nam ſiue augeatur pax ex diſciplina Eccleſiæ ſiue ſoluatur; ille ab ijs rationem exiget, qui eorum poteſtati ſuam Eccleſiam credidit.

Theophylactus, in 22. Matth. *In Corporalibus & in externis, obediendum eſt Regi, in internis autem & ſpiritualibus ſoli Deo.* 14.

Hincmarus, apud Bochel. decret. Eccl. Gall. l. 2. Tit. 16. c. 2. *Dicunt ſapientes, quia iſte Princeps* (loquens de Lothario) *nullorum legibus vel iudicijs ſubiacet, niſi ſolius Dei, qui eum in Regno, quod ſuus Pater illi dimiſit, Regem conſtituit: Et ſi voluerit, pro hac vel pro alia cauſa, ibit ad placitum vel ad Synodum, & ſi noluerit, liberè & licenter dimittet. Et ſicut à ſuis Epiſcopis, quicquid egerit non debet excommunicari, ita ab alijs Epiſcopis non poteſt iudicari: Quoniam ſolius Dei debet principatui ſubijci, a quo ſolo potuit in principatu conſtitui; & quod facit, & qualis eſt in regimine, diuino fit nutu: ſicut ſcriptum eſt; Cor regis in manu Domini.* 15.

Iuo Carnotenſis, iam cautior factus (vt Iuretus in præfatione) Epiſt. 171. *Et quia diſpenſationes rerum temporalium Regibus attributi ſunt, & Baſilei .i. fundamentum populi & caput exiſtant, ſi aliquando poteſtate ſibi conceſſa abutuntur; non ſunt à nobis graniter exaſperandi; ſed vbi ſacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio ſunt reſeruandi; vbi tantò diſtrictius ſunt puniendi, quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnexij.* 16.

Venerabilis Beda, in Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui: Rex enim ſi peccat ſoli Deo peccat, quia nullus alius, eum pro peccatis ſuis puniet.* 17.

Euthymius, in Eundem locum. *Tibi ſoli peccaui: Cum Rex ſim, & te ſolum commiſſorum à me ſcelerum iudicem habeam, tibi ſoli peccaſſe videor: hoc eſt, tibi ſoli iudici ſubijcior: cæterorum enim omnium ego Dominus ſum, & ob potentiam meam licere mihi videntur quæcunq. libuerint.* 18.

Caſſiodorus, ibidem. *Tibi ſoli: Quia Rex omnibus ſuperior, & à Deo tantùm puniendus.* 19.

Inno-

19 Innocentius tertius in 4. Pœnitentialem. *Tibi ſoli. Acſi diceret, manifeſtius, Peccatum meum tibi ſoli relinquitur puniendum, eo quod alium non habeam ſuperiorem qui me poſſit punire, cum ipſe ſim Rex.* Et infra.

Aliud ſanè eſt in aliquem peccare, & aliud alicui: in aliquem peccat, qui committit in illum offenſam: alicui peccat, qui eius ſubiacet vltioni; Rex itaq; ſoli Deo, cæteri verò & Deo peccant & Regi.

Ridicula verò eſt exceptio eiuſdem Innocentij: quod *hoc verum fuit tempore naturæ & legis, non tempore Euangelij*: non enim mutata eſt natura, vel conditio Regum & Regnorum per Euangelium, nec ius ſuum in terra per aduentum gratiæ amiſerunt: ſed nouum ius ad Regnum Cælorum adepti ſunt. *Lex* enim Euangelica vt verbis Bellarminianis vtar, *neminem priuat iure ſuo, & Dominio, ſed acquirit nouum ius ad Regnum æternum: nec minorem iuriſdictionem Reges habent in nouo Teſtamento quam habuerunt Reges in veteri Teſtamento*: vt Gabriel Biel in canone Miſſæ,

Lib. 1. de Rom. Pont. c. 29.

Lect. 75.

20 Haimo in Pſal. 50. Tibi ſoli *peccaui, quia cum Rex ſim, nullus habet punire peccatum meum; niſi tu ſolus.*

21 Otho Friſingenſis in Epiſt. ad Freder. quæ prefixa eſt Chronico de geſtis Frederici. *Cum nulla inueniatur perſona mundialis, quæ mundi legibus non ſubiaceat ſubiacendo coerceatur, ſoli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſæculi legibus non cohibentur: vnde eſt illud tam Regis quam Prophetæ teſtimonium, Tibi ſoli peccaui.*

22 Alexander Neckam in Pſal. 50. Liber manuſcriptus in Bibliotheca Publica Oxon. *Tibi ſoli peccaui. Ego Rex, ne relinquerer puniendus alijs, qui maior ſum alijs; tibi ſoli, qui Deus es, puniendus relinquor & coram te Rege meo & Iudice malum feci, ſeruus tuus, licet Rex aliorum.*

23 Alexander Ales in Pſal. 50. *Tibi ſoli. Quia non eſt ſuper me alius quam tu, qui poſſit punire. Ego enim ſum Rex, & non eſt aliquis præter te, ſuper me.* Quæ eadem ſunt verba *Hugonis Cardinalis in eundem Pſal.* (ſi ſit opus Hugonis, & non potius Alenſis.)

Idem p. 3. in quæſtione an inferior poſſit iudicare ſuperiorem: vt citat Dion. Carthuſ. de author. Pap. & Conc. l. 3. tit. 19. *Rex omnium ſuperior eſt; ideo à ſolo Deo eſt iudicandus, cum non habet hominem, qui facta eius dijudicet: nec eſt ab homine puniendus: ſi quis autem de populo peccauerit, Deo peccauerit & Regi.*

24 Nicolaus Lyranus in Pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui, tanquam iudici & punire potenti: peccauerat enim contra Vriam & alios, occaſione huius interfectos, tamen quia erat Rex, non habebat iudicem ſuperiorem, qui poſſet eum punire niſi Deum.*

25 Thomas Aquinas 1. 2. Qu. 96. Art. 5. ad 3. *Ad tertium dicendum, quod Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quantum ad vim coactiuam legis: nullus enim propriè cogitur à ſeipſo. Lex autem non habet vim coactiuam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quia nullus*

lus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Inde super illud Psalm. 50. Tibi soli peccaui: dicit glossa, quod Rex non habet hominem, qui facta sua diiudicet, sed quantum ad vim directiuam legis Princeps subditur legi propriâ voluntate.

Bruno Herbipolensis in Ps. 50. *Tibi soli. Si quis de populo enim errauerit & Deo peccat & regi. Nam quando Rex delinquit, soli Deo reus. Iste igitur Rex soli Deo peccare se dicit, quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet.* 26

Ayguanus, siue Incognitus in Psal. 50. *Tibi soli peccaui. Quia Dauid ista peccata committendo, erat Rex; & in terrâ superiorem iudicem, à quo puniri deberet* (non dicit potuerit ex viribus, sed deberet ex officio) *non haberet. Ideo soli Deo se peccasse verè confitetur; & hoc est quod dicit Glossa, Tibi soli peccaui. Quod ideò dicit quia Rex est omnibus superior; & ideò solum à Deo qui est ipso maior puniendus est. Si quis autem de Populo errauerit, & Deo peccat & Regi. Rex vero soli Deo peccat, quia non habet hominem, qui eius facta diiudicet: sic enim ipsi Nathan quando eum reprehendebat, ait Dauid, peccaui Domino. 1. Reg. 12.* 27

Iohan. de Turre-cremata in Psal. 50. *Tibi soli peccaui tanquam Iudici, & potenti punire. Quia sol' tu es superior me, qui potes peccata mea discutere* 28

Dionysius Carthusianus in 4. Psal. Pœnitentialem. *Veruntamen tibi soli peccaui quia cum esset Rex totius Israelitica plebis, non habuit iudicem superiorem in terra à quo puniretur.* Etsi vero hoc de Regibus Israeliticis sub lege intelligat, apud quos Rex superior sacerdote, non de summo Pontifice inter Christianos, qui valde sublimior est Imperatore & Regibus; idem tamen est ius Regum Christianorum, quod Israeliticorum, vt supra in Innocentio dictum est; & Bellarm. in hoc tractatu ex facto sacerdotum, *Oziam* leprosum eijcientium è Templo, & *Iehoiade Athaliam* deponentis, hanc potestatem probat. 29

Iacobus Faber Stapulensis in Psalterio quincuplo. ad Psal. 50. *Tibi soli. Quia tu solus me superior es, cui peccati mei ratio sit reddenda, & qui me punire potes.* 30

Sebastianus Gomesius in Psal. 50. *Quoniam verò Dauid qui Rex erat & alium sibi superiorem, præter Deum non habebat, à quo licet crimina committeret, puniri posset, ideò soli ipsius Dei punitioni peccando se subiecit; ac proinde se soli Deo peccasse asserebat.* 31

Gaspar Vlembergius in Psal. 4. Pœnitent. *Cum quispiam è populo delinquit is ob peccatum suum non solum obnoxius redditur, verum & illorum offensionem incurrit, qui sunt in magistratu. In me verò nemo propter commissum adulterium constituere panam aut vindictam exercere potest, præter te solum Domine.* 32

Didacus Vega in conc. vespert sup. 4. Pœnitential. concion. 2. *Quare illis dimissis, communi viâ cum Ecclesiæ Patribus, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, & Cassiodoro, incedendum est. Dicunt enim Danidem* 33

Danidem ideò hæc verba dixiſſe quia cùm ſupremus eſſet Rex, nemini niſi Deo ſubdebatur, nullius legibus tenebatur aſtrictus; nullus à Deo, de illius peccato vindictam poterat ſumere. Rex enim licet legi ſubdatur humanæ quātùm ad vim directiuam, non tamen quantùm ad coactiuam. Et infra.

Eorum enim ſententia, ſiue bona ſit, ſiue mala, abſoluta eſt, neq; ad aliam ſuperiorem poteſtatem ſubditis recurſus conceditur. Et intra.

Ratio autem inter alias, quare hoc nomine (Dei) fruantur eſt, quia ſicut Deus ſupremus eſt omnium Dominus, qui omnes iudicat, & à nemine iudicatur, nulliq; ſubditur: ſic Reges & Orbis Principes, cum omnes corrigant & iudicent, à nemine corrigi, aut iudicari poſſunt, niſi à ſolo Deo: quare ſoli Deo ſubiecti eſſe dicuntur, cuius poteſtati ſolùm in terra ſubduntur: quod attendens Dauid, ab illo miſericordiā poſcens, inquit, Tibi ſoli peccaui, nullum enim alium præter te vnum, in terra ſuperiorem recognoſco.

34. Cornelius Ianſenius, (interpres accuratiſſimus, magnæ authoritatis apud Bell. In recognitione, lib. de Sum. Pontif. p. 25.) Super Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui. In Hebræo maior eſt emphaſis: ſic enim eſt; Tibi, ſoli tibi peccaui. Soli autem Deo ſe peccaſſe deplorat, quanquam & in Vriam fideliſſimum militem graniter peccaſſet, quod Dei ſolius leges tranſgreſſus eſſet, quodq; eum ſolum haberet, qui eum tanquam reum ad pœnam rapere poſſit.*

35. Iacobus de Valentia, in Pſalm. 50. *Tibi ſoli peccaui; Nota quod tripliciter poteſt aliquis alteri peccare; & in 2. modo ſic habet: Secundo, contra alterius præcepta & voluntatem operando, & ſic perſona priuata, non ſolùm peccat contra Deum, ſed etiam contra Regem & Principem, eius legem violando, & ſic Danid ſoli Deo peccauit, quod nullum alium ſuperiorem habebat, nec aliam legem habebat ſupra ſe, niſi Diuinam: & à nullo alio poterat puniri cùm eſſet Rex: & ſic in puniendo ſoli Deo peccauit.*

36. Ludolphus de Saxonia, in Pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui. i. Quod peccaui tibi ſoli attribuitur ad iudicandum, & puniendum, & etiam ad ſimpliciter relaxandum.*

37. Gulielmus Lindanus Gandenſium Epiſcopus, in Paraphr. in 4. Pœnit. *Tibi ſoli peccaui, Cùm inter homines non ſit qui me aut in iudicium pertrahere, aut iuſtas de me pœnas horum ſcelerū ſumere valeat: abs te vno enim iudicium meum expectans, &c:*

38. Gulielmus Pepinus, in Concione 52. in 4. Pœnitent. *Tibi ſoli. Poteſt autem iſte textus ad literam intelligi de Danid; nam vt dicit Gloſſa ordinaria, cum eſſet Rex & omnibus ſuperior, non habuit, qui adulterium & homicidium ſuum vlciſceretur, præter Dominum, qui eſt Rex Regum & Dominus dominantium, iudex viuorum & mortuorum, habens omnem poteſtatem in cœlo & in terra. Ideo cognoſcens ſe ab eo ſolo puniendum eſſe, dicens, tibi ſoli peccaui. Peccauerat quidem contra Vriam Ethæum, tum eius thorum violando, tum procurando eius homicidium; ſed non erat qui eum redarguere atq; punire poſſet, præter Dominum, ideò coram eo ſe humilians ait: tibi ſoli.*

Aeneas

Aeneas Syluius, de ortu & auth. Imp. c. 20. *Digna vox est maiestate Regũ-* 39.
tis, legibus alligatum se principẽ profiteri; quod quãuis pulchrũ est dicere, non
tamen asserendum est, Imperatorem legibus esse subiectum, cùm sit solutus: est
enim aliud quiddam, cui plus quam legibus obnoxius est Imperator: hoc ip-
sum aequitas est, quæ non semper inuenitur scripta.

Antonius de Roselis, de Conc. §. Postquã retulimus, nu. 32. *Sed quid tũc* 40.
debeãt facere illi, cùm quibus Imperator disposuit; dic per omnia, vt dixi quã-
do dixi quid facere debeant, cum Papa facit contra ius diuinum, illi cum qui-
bus disposuit, vt, sic faciant illi cùm quibus contra ius disponit Imperator, quia
facta Cæsaris à nemine nisi à Deo possunt iudicari, sic intelligo ista iura: infe-
riores autẽ illi, aut recognoscũt superiorẽ, & per ipsorũ superiores possũt emẽ-
dari aut non recognoscunt, & tunc in ijs est idem quod de Imperatore dixi.

Constantinus Harmenopulus, Iu ex Thessalonicensis. *Princeps legibus* 41.
solutus est: nam etsi iuris solemnitati se cæterorum more non astrinxerit, ne- In Promp. Lc. Is.
quaquam punitur. Augusta autem legibus quidè soluta nõ est. Sed illi Princeps tit. 1. Lege, Prin-
eadem tribuit priuilegia, quæ & ipse habet. ceps legibus sol.

Henricus de Bracton. *Sunt etiam sub Rege liberi homines & serui, eius* 42.
potestati subiecti, & omnis quidem sub eo, & ipse sub nullo nisi tantũ sub Deo: De leg & con-
parem autẽ non habet in Regno suo, quia sic amitteret præceptũ, cũ par in parẽ suet. Angliæ l. 1.
non habeat imperiũ, itẽ nec multo fortius superiorem, nec potẽtiorẽ habere de- c. 8. nu. 5.
bet, quia sic esset inferior sibi subiectis, & inferiores pares esse non possunt potẽ-
tioribus: Ipse autẽ Rex non debet esse sub homine, sed sub Deo & sub lege, quia
lex facit Regẽ: attribuat igitur Rex legi, quod lex attribuit ei, videlicet domi-
nationẽ & potestatẽ: nõ est enim Rex, vbi dominatur volũtas & nõ lex, & quia
sub lege esse debeat, cũ sit Dei vicarius, &c. Et infra, *Si autem ab eo petatur*
(cũ breue non currat contra ipsum) locus erit supplicationi, quod factum suum
corrigat & emendet: quod quidem si non fecerit, satis erit ei ad pœnam quod
Dominum expectet vltorem, nemo quidem de factis suis præsumat disputare
multo fortiùs contra factum suum venire.

Philippus Comminæus *Sic oportet dicere, quod cogitur Deus talia osten-* 43.
dere signa & exempla (in Principes) vt illi, totusq; mundus credant istas pœ- De gest. Ludou.
nas, ob perfidiam offensasq; accidisse, & quod Deus contra eos vim, virtutem, 11, c. 111.
& iustitiam declaret nullus enim alius potest.

Et idem. *Illi* (Principes) *castigant subditos vt volunt, & Dominus noster* De gestis Caroli
disponit de ijs vt ipse velit, alios enim supra se non habent. 8. cap. 49.

Ioannes de Pineda. *Qui vocat Duces impios, Duces, Principes, Nedibim,* 44.
liberales, lumentarios, & spontaneos, benignè facientes omnibus pro bona volũ- In Iob. Tom. 2. in
tate, iussit leges seruantes suâ sponte non coactos; nisi enim ipse Rex & Prin- c. 34. v. 18. nu. 6.
ceps velit sponte se subdere legi & seruare ius, quis poterit illum coercere aut
vi adigere? Hæc fortè est ratio & proprietas huius nominis. Et infra: *Sed*
Principes tandem intelligant si sponte ius non seruent, supremo Imperatori
reddendam rationem & pendendas pœnas violatæ iustitiæ.

Bin.Tomo.2.Concil.pag.633. *Cum igitur etiam de puſillis iſta forma præceptũ ſit, quanto nobis ſtudio ac labore ſatagendum eſt, vt pro auferendo ſuſpicionis ſcandalo, obſequium confeſſionis noſtræ Regibus miniſtremus, quibus nos etiam ſubditos eſſe ſanctæ Scripturæ præcipiunt.*

10. S. Gregorius magnus.Lib. 2.Epiſt.61. *Ad hæc poteſtas ſupra omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt.* (Super omnes homines) in hoc numero ipſe Gregorius, ſic enim Epiſtolam concludit; *Ego quidem iuſſioni ſubiectus*, idq; non ex humilitate ſed ex debito, idcò addit; *Vtrobique ergo quod debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.*

11. Theophylactus, in 13.ad Rom. *Vniuerſos erudit, ſiue ſacerdos ſit, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, vt ſe principibus ſubdant; cuius modi ſubiectio nihil prorſus eſt Dei ſublatura cognitionem.*

12. Oecumenius in 13.ad Rom. *Poſtquam ſufficienter compoſuiſſet mores auditorum, & docuiſſet ipſos etiam inimicis eſſe benevolos, infert & iſtam exhortationem: inſtituens omnem animam, etiamſi Sacerdos ſit, ſiue Monachus, ſiue Apoſtolus, ſubiici Principibus: Hæc enim ſubiectio non ſubuertit pietatem. Ad hoc verò hortatur Apoſtolus, oſtendens, quod Euangelium neq; apoſtaſiam, neq; inobedientiam doceat, ſed potius modeſtiam & obedientiam.*

13. Antonius Monachus, in Meliſſa, l.2.Serm.1. habet eadem verba cum Agapeto. *Eſſentia corporis æqualis cuilibet homini Imperator, poteſtate autem dignitatis cunctorum Præſidi Deo: nec enim habet in terris ſe quenquam altiorem:* Quæ verba Indicem Expurgatorium Quirogæ ſiue Hiſpanicum ſubierunt. *Deleantur illa verba: Non enim habet in terris ſe quicquam excelſius.*

14. Hincmarus, apud Bochellum, in Decret.Eccl.Gall.l.2.tit.16.c.2.pag. 316. *Quoniam ſolius Dei debet principatui ſubiici, à quo ſolo potuit in principatu conſtitui.*

15. Iuſtinianus Imper.Nouel.133. Quomodo oportet Monach.in præfat. (in cauſa etiam Eccleſiaſtica) inquit. *Sequimur ſacros in hoc canones, & ſanctos Patres qui hæc comprehenderunt legibus. Quandoquidem nihil non pernium ad inquiſitionem, Maieſtati exiſtit Imperatoriæ, quæ communem in omnes homines moderationem & principatum à Deo percipit.*

16. S.Bernardus, Epiſt.42.ad Henr.Archiep.Senonen. *Intelligitis quæ dico? Cui honorem, honorem, Omnis anima, inquit poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: ſi omnis, & veſtra. Quis vos excepit ab vniuerſitate: Si quis tentat excipere, conatur decipere.*

17. Theodorus Balſamon, Comment.in 6.Synodi can.7. *Non autem & canonem qui dicit: Spirituales dignitates eſſe præſtantiores ſæcularibus ſeu mundanis dignitatibus: Sed ne hoc eò traxeris vt nonnulli dicebant, vt Eccleſiaſticæ dignitates præferantur Imperatoriis; iis enim ſubiicientur.*

18. Demetrius Chomatenus Bulgariæ Archiepiſcopus, in reſponſo ad Conſtan-

Conſtantinum Dyrrachij Archiepiſc. *Imperator vt communis Eccleſiarum ἐπισκόπος existens & nominatus, Synodalibus præeſt ſententijs; & robur tribuit, Eccleſiaſticos ordines componit, & legem dat vitæ politiæq; eorum qui altari ſeruiunt. &c.*

19. Athanaſius Conſtantinopolitanus Epiſt. 6. ad Imperatorem; Vt iubeat Epiſcopis ire ad ſuas diœceſes; *hæc habet. Cur non iubes qui curam omnium à Deo ſuſcepiſti, &c.* *In Biblioth. SS. patrum. Tom 3.*

20. Wideſordus aduerſus Wiclephum. Art. 16. hæc recitat, *Ioannes & Paulus dixerunt Iuliano Apoſtatæ, pro Imperatore ſe gerente. Non tibi facimus iniuriam, nec præponimus tibi qualemcunque perſonam in dominio; ſed Deum illum tibi præponimus qui fecit cælum & terram, &c.* Qualemcunque Perſonam: vt de generibus ſingulorum, ſicut & de ſingulis generum locutos fuiſſe intelligas. *In Faſciculo Rerum Expetend.*

21. Ioannes Redin. De Maieſt. Princ. Rat. 1. nu. 32. *Poſtremò nihil altius in Orbe, nihil ſublimius qualibet Rege in ſuo Regno; nec excellētius nomine Regio.*

22. Adam Blacuodæus, in Apologia pro Regib. c. 5. *Scotorum Regum longè diuerſum ius eſt: quibus capita fortunæq; ciuium obnoxiæ ſunt; cum ij nulla conditione populo teneantur; nec ſuperiorem vllam præter ſolius Numinis poteſtatem agnoſcant; eodemq; iure ſuis Regibus aſtricti ſunt Galli, Angli, Hiſpani, Luſitani, alijq; permulti, &c.*

23. Bartholomæus Caſſanæus. Catalog. Gloriæ mundi. p. 5. Conſ. 24. num. 72. *Princeps ſoli Deo de peccato habet reddere rationem. C. Totam de pœnitentia d. 3. Soli enim cælo debet Innocentia rationem. C. Aliorum 9. q. 3. ſic non poteſt cogi ſtare iudicio alicuius, & poteſt excipere dicendo Dominus eſt qui iudicat me.*

24. Regiam Maieſtatem Scotiæ, lib. 1. in præfat. *Rex Scotiæ qui nullum habet ſuperiorem, niſi ipſum Creatorem cæli & terræ, qui cuncta gubernat.*

Ex his elicitur hæc ratio.

Quiſquis Deum ſolum ſuperiorem habet, deponitur à ſolo Deo, quia par in parem, inferior in ſuperiorem imperium non habet, & quiſquis deponitur, deponitur à ſuperiore.

Imperator ſiue Rex, Deum ſolum ſuperiorem habet. Ergò

Imperator, ſiue Rex, deponitur, (vel deponendus eſt) a ſolo Deo.

Atq; hi quidem cum multis alijs quos breuitatis cauſa omitto, de ſumma ſiue ſuprema poteſtate Imperiali & Regia, generaliter ſententias ſuas protulerunt: Quibus eos addamus, qui poteſtatem Imperatoriam Regiamq; ſummam & ſupremam in temporalibus aſſerunt.

Fulgentius in libro de veritate prædeſtinationis & gratiæ; vt citatur in Cōcilio Pariſienſi, ſub Ludouico & Lothario, An. 829. lib. 1. cap. 3. *Quātum pertinet ad huius temporis vitam in Eccleſia, nemo Pontifice potior, & in ſæculo Chriſtiano Imperatore nemo celſior inuenitur.* Eadem etiam citantur in Concil. Aquiſgranenſi An. 836. ibi. *Claſſis. 1. Sectio. 2. 1.*

2. Hugo de Sancto Victore, De Sacram. fid. l. 2. parte 3. c. 4. *Terrena poteſtas caput habet Regem; ſpiritualis poteſtas habet ſummum Pontificem: ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia: ad poteſtatem Summi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.*

3. Alexander Ales, Parte 3. q. 40. memb. 5. recitans & approbans hæc verba Hulgonis, poſtea ex verbis Petri hæc habet: *Ad illud quod obijcitur de canonica Petri, quod Rex præcellit; verum eſt in ordine ſuo; ſcilicet ad corporalem vindictam exercendam; quâ vindicta ſi delinquat, non habet qui eum puniat, niſi Deum.*

4. Raynerius Piſanus. Pantheologiæ part. 1. Tit. de Dominio cap. 2. proponens quæſtionem, vtrum poteſtas ſecularis præmineat poteſtati ſpirituali, vel è conuerſo? ait. *Quamuis poteſtas ſecularis non habeat aliquod Dominium ſupra ſe, quod eum pœna & vindicta corporali puniat; propter quod dicit Petrus 1. cap. 2. Regem præcellere; tamen Rex cum peccat punitur à poteſtate ſpirituali ſcilt: pœna excommunicationis. Itaq; cum gloſſa dicit, Rex qui ſuperior eſt omnibus non habet hominem, qui eum iudicet. Reſpondeo & dico, Quod poteſtas ſpiritualis non iudicat ſecularem poteſtatem, vt regem cum peccat ſecundum hominem, vel ſecundum humanam legem ſc. pœna corporali; ſed ſecundum diuinam legem pœna ſpirituali excommunicationis in quantum reſidet vice Dei.* Vide ex Alenſi colligit.

5. In 4 ſent. Diſt. 19. q. 2. Et Quãtum ad 2. Gulielmus de Rubione. Vbi proponit quęſtionem de eo quod dicebatur a quibuſdam, quod ſicut Papa habet in ſpiritualibus, ita etiam & in temporalibus plenitudinem poteſtatis, & per totum tenet oppoſitum, & in contrario ait. *Sed contra iſtam opinionem poteſt argui. Quoniam Papæ Chriſti Vicario non eſt data maior poteſtas ſeu iuriſdictio, quam fuerat collata Chriſto, vt homini aſſumpto, ſed Chriſtus vt homo non habuit vniuerſalem iuriſdictionẽ in temporalibus omnibus, ſeu plenitudinem poteſtatis. Ergo Minor probatur per illud Lucæ 12. Quis me conſtituit? Et Ioannis, Regnum meum non eſt de hoc mundo, ſecundum interpretationem Chryſoſtomi & Euſebij.*

Idem ad vltimum argumentum illius Doctoris. *Ad illud quod additur quod in Veteri Teſtamento Reges inſtituebantur, & inungebantur per ſacerdotes, & in nouo Imperator coronatur per Papam: Dicendum, quod ex hoc non ſequitur quod ſacerdotes in Veteri Teſtamento haberent poteſtatem in Temporalibus ſuper regnum, nec Papa ſuper Imperium.*

6. Thomas Waldenſis, Doctrin. fid. lib. 2. art. 3. cap. 78. hæc eadem verba Hugonis & recitat & approbat, inferto; *Ecce duæ Poteſtates, & duo capita Poteſtatum:* Et infra. *Similiter nec terrena poteſtas, poteſtas Regia, quæ ſub annulo fidei deſponſatur ad Regnum, in quenquam, authoritatiue, ſupra Regem, citra Chriſtum reducitur.*

7. Innocentius tertius. C. Per venerabilem: Qui filij ſunt legitim. *Rex Franciæ ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcit (idq; de iure, non tan-*

tantum de facto:) malè dicta & abſurda gloſſa, quæ corrumpit textum, quæ Regnum Francię Imperio ſubiecit, non Eccleſiæ: *De iure tamen ſubeſt Romano Imperio: Et idem ius eſt omnium Regum abſolutorum quod & Regis Franciæ.*

Innocentius 4. Nouerit De Sent. Excom. *In temporali autem generaliter & generalis Eccleſiæ, ſolus Imperator, qui vniuerſis & Clericis & Laïcis in temporalibus præeſſe debet, priuilegium concedere poteſt.* 8.

Eadem verba habet Ioannes Igneus. Super §. Non aliàs, ex lege Neceſſariam ff. de ſentent. Sillan. num. 131. 9.

Baldus, In Proœm. Sup. ff. vetus. num. 8. & 9. *Maxima eſt apud Legiſtas, quod Imperator Romanorum in temporalibus ſuperiorem non habet.* 10.

Aeneas Syluius: De ortu Imp. cap. 23. *Annon ſicut in ſpiritualibus vnum eſt caput, à quo nullum appellare licet, & ad quem ab omnibus appellatur, ſic etiam in temporalibus conuenit obſeruari? Romani Pontificis ſententiam, nulli fas eſt in irritum reuocare: Romani Principis voluntatem nemo poteſt impugnare:* Et infra: *Quod ſi alterius iudicio vis acquieſcere, quin potius acquieſcis Imperatoris; quem ſuper omnes homines mundi, in temporalibus conſtituit Deus.* 11.

Idem, cap. 24. alloquens Imperatorem Fredericum *Ex quibus percipere potes, quanta ſit tui ſolij quamq; admirabilis authoritas; cum nemo tibi in temporalibus præſit, et tu omnes præcellis: cum nemo ſit qui tuum in temporalibus refugere poſſit Imperium, & tuum ſit omnibus imperare; cum nemo ex tuo iudicio ſit exemptus, & tu omnes temporales valeas iudicare: cum nemo à te prouocare queat, & ab omnibus ad te liceat appellare temporalibus.*

Ioannes de Parilijs, De poteſt. Regia & Papali. c. 5. *Eſt ergo Sacerdos in ſpiritualibus maior Principe, & è conuerſo in temporalibus Princeps maior Sacerdote: licet ſimpliciter maior ſit, quantum ſpirituale eſt maius temporali.* 12.

Idem. c. 10. *Imò ſunt duæ Poteſtates diſtinctæ, Epiſcopalis & Regalis vel temporalis, non ſolum re, ſed etiam ſubiecto: Et Regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſuper ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.*

Lupoldus de Babenberg: De Iure Regni & Imp. Rom. c. 9. in princip. *Circa probationem huius articuli, ſciendum eſt, quod Hugo tenet quod Imperator habet poteſtatem à ſolo Deo quoad temporalia, nec ſubeſt in ijs Papæ.* Et infra. *Tenendo ſcilicet quod Imperator temporalia immediatè teneat à Deo.* 13.

Nicolaus Cuſanus Cardinalis, De Concordant. Cathol. l. 3. cap. 3. *Et habebat Patricius (quia Pater Patriæ) curam iudicij temporalis, & præfuit in temporalibus, Papa ſe de ipſis minimè intromittente: Imò Patricius ſecundum gloſſam antiquã, in cap. Adrianus 63. Diſt. Pater Papæ in temporalibus fuit, ſicut Papa in ſpiritualibus eius Pater.* Hanc gloſſam neque in nouis neque antiquis editionibus inuenire potuit Bellar. c. 13. contra Barclaiũ. *Fortaſſis inquit, tanquam delira anus, antiquata eſt, aut præ nimio ſenio, iamdudum* 14.

dudum exceſſit è viuis. Imò verò viuit hæc gloſſa apud Cuſanum, & quô ſenior & antiquior, eò magis confundit audaciam tuam tuorumq;, qui omnia ex antiquis gloſſis authoribuſq; expungere ſoletis, quæ in rem veſtram non ſunt. Iiſq; authoribus qui pro vobis veſtraq; tyrannide loqui neſciunt, ſilentium obliteratione imponitis. Non delirat hęc anilis gloſſa, ſed veſtra deliramenta & ſomnia de Monarchia temporali redarguit & conuincit.

15. *Vt citatur in Gloſſ. Sanct. Pragm. in proem. v. Dei.* Aegidius Romanus, De Poteſtate Eccleſiæ quæ incipit: vtrum dignitas Pontificalis: *Reges Franciæ iuſto titulo, & ſine recognitione cuiuſquam ſuperioris in temporalibus, poſſederunt & poſſident Regnum Franciæ.*

Coſmas Guimerius, In gloſſa Ibidem. *Item verſum in conſuetudinem, quod nullum Rex Franciæ recognoſcat in ſuperiorem in temporalibus; quæ conſuetudo eſt approbata, & hactenus obſeruata pacificè, nec à Papa nec ab Imperatore impugnata.*

16. Franciſcus Viuius: Com. Opinionum. lib. 9. in verbo; Imperatores Deus. *Item intelligo dictam communem, quod Imperator in temporalibus præeſt omnibus Clericis & Laïcis in terris Imperij; non autem in ſpiritualibus.*

17. Hector Pintus, Comment. in Ezechiel. cap. 45. ſuper verba, Sufficiat vobis. *Aſpicis igitur altiores eſſe ſacerdotes Regibus & Principibus in rebus animam concernentibus: At in rebus prophanis reges non ſubijciuntur ſacerdotibus, nec verum eſt quod dicere poſſunt nonnulli, fuiſſe Hebræorum Reges à ſacerdotibus electos; quales fuerunt Saul & Dauid. Nam neuter eorum fuit à ſacerdote aliquo electus, & in Regia dignitate conſtitutus, ſed a Deo etiamſi electio illa à ſacerdote fuerit publicè oſtenſa, ſi fortaſſe Samuel erat ſacerdos.*

Et infra. *Et quamuis ſacerdos fuerit Samuel, nunquam tamen inuenies ei Saulem aut Dauidem in temporalibus paruiſſe, nec vllum Hebræorum Regem quoad ea fuiſſe ſubditum ſacerdotibus, quatenus ſacerdotes erant, etiamſi Samueli, & alijs, quatenus iuſti & ſapientes erant, & Dei nuntij, parere tenerentur in rebus iuſtis à Deo præceptis. At hoc non erat ſacerdotibus obtemperare ſed Deo. Habent enim Reges in Temporalibus ſuperiorem Neminem, etiamſi in ſpiritualibus ſacerdotibus ſubijciantur.*

18. Ioannes Redin, De Maieſtate Principis Ratione 1. num. 29. *Imperatorem dici vicarium Dei in terra in temporalibus, & ſummum Pontificẽ in ſpiritualibus: diſponit lex Regia.*

19. Gulielmus de Monteferrato: in Tract. de ſucceſſione Regũ nu. 40. *Rex Francorum, Regnum, & eiuſdem Regni Regnicolæ neminem recognoſcunt in ſuperiorem, etiam Romanam Eccleſiam.*

Si quis plures hac in parte teſtes & teſtimonia requirat; conſulat Nauarrum, in c. Nouit. de Iudicijs, Num. 36. Couarruuiam in C. Peccatum 5. 9. nu. 7. de regulis Iuris in 6. Et Fernandũ Vaſquium: Controuerſ. illuſtr. l. 1. c. 20. nu. 2.

Sed

Sed ex omnibus hęc elicitur Ratio.

Quiſquis deponitur in temporalibus habet ſuperiorem in temporalibus. Id quod ex eo patet quod omnes illi qui Pontifici poteſtatem Reguni deponendorum, ſiue directam, ſiue indirectam tribuunt, eundem Regibus ſuperiorem in temporalibus, vel directè, vel ſaltem indirectè ſtatuunt. *Vide Bell. l. 2. de Pontifice. 29.*

Imperator non habet ſuperiorem in temporalibus. Vt ex citatis authoribus patet: Ergò

Imperator non deponitur in temporalibus, nedúm à Papa.

Authores ſecundæ Claſſis.

ACcedo iam ad Authores ſecundæ claſſis; qui peccata Imperatorum & Regum, iudicio, examini & correctioni diuinæ, quoad pœnam corporalem ſiue materialem reſeruata docent, nec iudicio humano diſcutienda relinquũt: Inter quos & aliqui ſunt, qui nec pœna ſpirituali excommunicatione ſcilicet feriendos cenſuerunt.

Irenæus: l. 5. c. 20. *Et propter hoc, & ipſi magiſtratus indumentum iuſtitiæ leges habentes, quæcunque iuſte & legitimè fecerint, de his non interrogabuntur, neq; pœnas dabunt. Quæcunq; autem ad euerſionem iuſti, inique & impiè contra leges, & more tyrannico exercuerint, in his & peribunt iuſto iudicio Dei ad omnes æqualiter perueniente, & in nullo deficiente:* Et infrà. *Et digni ſunt Dei iuſto iudicio in omnibus æqualiter ſuperueniente, ſicut prædiximus.* 1.

Clemens Alexandrinus: S. romat. lib. 4. idque vt videtur ex ſententia Clementis Romani. *Deinde tacitè ſignificans peccatum, quod legi non ſubijcitur, ſcitè ſuam modeſtiam oſtendens ſubiungit: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci.* 2.

Arnobius, in Pſalm. 50. (ſi Arnobius) *Tibi ſoli peccaui. Omnis qui ſub iudicio viuit, cum deliquerit peccat Deo, peccat & legibus mundi: hic autem Rex, ſub nullo alio, niſi ſub Deo ſolo agens, ipſum ſolum ſuper poteſtatem ſuam metuens, Deo ſol peccauit.* 3.

Lactantius Firmianus, lib. 5. de Iuſtitia, cap. 24. *Quicquid ergo aduerſum nos mali Principes moliuntur, fieri ipſe permittit: & tamen iniuſtiſſimi perſequuteres, quibus Dei nomen, contumeliæ ac ludibrio fuit; non ſe putent impunè laturos, quia indignationis aduerſus nos eius quaſi miniſtri fuerunt: punientur enim iudicio Dei, qui accepta poteſtate ſupra humanum modum furerint abuſi, & inſultauerint etiam Deo ſuperbiùs; eiuſq; nomen æternum, veſtigijs ſuis ſubiecerint, impiè nefarièq; calcandum: propterea vindicaturum ſe in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum beſtias malas de terra. Sed idem quamuis Populi ſui vexationes, & hìc in præſenti ſoleat vindicare; tamen iubet* 4.

bet nos expectare patienter illum cœleſtis iudicij diem, quo ipſe pro ſuis quẽq; meritis aut honoret aut puniet. Quapropter non ſperent ſacrilegæ animæ, contemptos & inultos fore, quos ſic obterunt: veniet rabioſis & voracibus lupis merces ſua, qui iuſtas & ſimplices animas nullis facinoribus admiſſis excruciauerunt. Nos tantummodo laboremus, vt ab hominibus nihil aliud in nobis niſi ſola iuſtitia puniatur. Demus operam totis viribus vt mereamur à Deo ſimul & vltionem paſſionis, & præmium.

5. Didymus. *Quatenus rex erat, non ſubijciebatur humanæ legi, vnde nulli ex legum conditoribus peccauit, neque eorum vlli ex illis malum hoc fecit, quoniam vero ad regiam dignitatem illius acceſſit vt pius eſſe vellet, diuinæ legi ſubiectus fuit, & propterea ſoli deo peccauit.*

In Aurea Catena Græc patrum in Pſal. 50.

6. S. Hieronymus, Epiſt. 46. ad Ruſticum. *Tibi ſoli peccaui; Rex enim eram, & alium non timebam: &* (vt verba referuntur de Pœnitentia, Diſt. 3. c. Totam) *Alium non timebat, alium non habebat ſupra ſe.*

Eadem habet Epiſtola 22. *ad Euſtochium* cap. 5.

7. S. Ambroſius, in Apolog. Dauid c. 4. de Dauide ait. *Qui tenentur legibus, audent ſuam negare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legibus tenebatur humanis:* Et capite decimo. *Tibi ſoli peccaui. Rex vtiq; erat nullis ipſe legibus tenebatur: quia liberi ſunt Reges à vinculis delictorum, neq; enim vllis legibus ad pœnam vocantur, tuti Imperij poteſtate: Homini ergò non peccauit, cui non tenebatur obnoxius.*

Idem, lib. 2. Epiſt. 7. *Dauid Rex ait. Tibi ſoli peccaui. Regali enim ſubnixus faſtigio, quaſi legum Dominus, legibus, reus non erat, ſoli Deo obnoxius tenebatur, qui Dominus eſt poteſtatum.*

Idem, in Pſalm. 118. ſerm. 16. *Ideoq; ſciens eius potentiam, qui hominem non timeret, ait, Tibi ſoli peccaui: non poteſt hoc iuſtus negare, quia nemo ſine peccato, non poteſt Rex, quia etſi leges in poteſtate habet, vt impunè delinquat, Deo tamen ſubditus eſt, qui nulli debet; Imò plus ipſe debet cui plus commiſſum eſt.*

8. S. Auguſtinus, vt citatur in gloſſa, in cap. 13. Matth. in verba, Ne fortè colligentes. *Multitudo non eſt excommunicanda, nec Princeps Populi.*

9. Innocentius Primus, loquens de miniſterijs poteſtatum: *Quomodo maiores* (inquit) *noſtri reprehenderent factum quod authore Deo videretur eſſe conceſſum? De his ergo Poteſtatibus, vt hactenus ſeruatum eſt, ſic habemus, ne aut diſciplinam euertere, aut contra authoritatem Domini venire videamur, quibus certè in rationem reddendam, geſta ſua omnia ſeruabuntur; nullaterus* (inquit) *condemnari poteſt humano examine, quem Deus ſuo iudicio reſeruauit.*

Apud Vercell. de vnit. Eccl. conſeru.

10. Cyrillus Alexandrinus, in Ioan. l. 12. c. 56. *Sic enim etiam in rebus humanis fieri conſpicimus: Quippè nemo leges Regum impunè reprobat, niſi reges ipſi, in quibus prenaricationis crimen locum non habet: prudenter enim dictum eſt, Impium eſſe qui Regi dixerit, Inique agis.*

ſub-

Agapetus ad Iustinianum Cæsarem, in parænetico, nu. 27. *Tibi ipsi custodiendi leges impone necessitatem, cum non habeas in terris qui te possit cogere: sic enim tu legum præ te feres cultum, ipse ante alios eas reuerendo, tum subditis constabit legum præuaricationem periculi non esse immunem.* 11.

Gregorius Turonensis, Hist. lib. 5. c. 17. *Si quis è nobis, ô Rex, institiæ tramites transcendere voluerit, à te corripi potest: si verò tu receſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, sed si volueris, audis, si autem nolueris, quis te condemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse Iustitiam?* 12.

Isidorus Hispalensis, lententt. l. 3. c. 50. *Difficile est principem regredi ad melius, si vitijs fuerit implicatus. Populi enim peccantes, iudicem metuunt, & à malo suo, legibus coërcentur. Reges autem, nisi solo Dei timore metuq. gehennæ, coërceantur, liberè in præceps ruunt: & per abruptum licentiæ in omne facinus vitiorum labuntur.* Et idem cap. 51. 13.

Cognoscant Principes sæculi, Deo debere se rationem reddere propter Ecclesiam, quam à Christo tuendam suscipiunt: nam siue augeatur pax ex disciplina Ecclesiæ, siue soluatur; ille ab ijs rationem exiget, qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit.

Theophylactus, in 22. Matth. *In Corporalibus & in externis, obediendum est Regi, in internis autem & spiritualibus soli Deo.* 14.

Hincmarus, apud Bochel. decret. Eccl. Gall. l. 2. Tit. 16. c. 2. *Dicunt sapientes, quia iste Princeps* (loquens de Lothario) *nullorum legibus vel iudicijs subiacet, nisi solius Dei, qui eum in Regno, quod suus Pater illi dimisit, Regem constituit: Et si voluerit, pro hac vel pro alia causa, ibit ad placitum vel ad Synodum, & si noluerit, liberè & licenter dimittet. Et sicut à suis Episcopis, quicquid egerit non debet excommunicari, ita ab alijs Episcopis non potest iudicari: Quoniam solius Dei debet principatui subijci, à quo solo potuit in principatu constitui; & quod facit, & qualis est in regimine, diuino fit nutu: sicut scriptum est; Cor regis in manu Domini.* 15.

Iuo Carnotensis, iam cautior factus (vt Iuretus in præfatione) Epist. 171. *Et quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributi sunt, & Basilei .i. fundamentum populi & caput existant, si aliquando potestate sibi conteſſa abutuntur; non sunt à nobis graniter exasperandi; sed vbi sacerdotum admonitionibus non adquieuerint, diuino iudicio sunt reseruandi; vbi tantò districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnoxij.* 16.

Venerabilis Beda, in Psalm. 50. *Tibi soli peccaui: Rex enim si peccat soli Deo peccat, quia nullus alius, eum pro peccatis suis puniet.* 17.

Euthymius, in Eundem locum. *Tibi soli peccaui: Cum Rex sim, & te solùm commissorum à me scelerum iudicem habeam, tibi soli peccasse videor: hoc est, tibi soli iudici subijcior: cæterorum enim omnium ego Dominus sum, & ob potentiam meam licere mihi videntur quæcunq. libuerint.* 18.

Cassiodorus, ibidem. *Tibi soli: Quia Rex omnibus superior, & à Deo tantùm puniendus.* 19.

Inno-

19 Innocentius tertius in 4. Pœnitentialem. *Tibi ſoli. Acſi diceret, manifeſtius, Peccatum meum tibi ſoli relinquitur puniendum, eo quod alium non habeam ſuperiorem qui me poſſit punire, cum ipſe ſim Rex.* Et infra.

Aliud ſanè eſt in aliquem peccare, & aliud alicui: in aliquem peccat, qui committit in illum offenſam: alicui peccat, qui eius ſubiacet vltioni; Rex itaq; ſoli Deo, cæteri verò & Deo peccant & Regi.

Ridicula verò eſt exceptio eiuſdem Innocentij: quod *hoc verum fuit tempore naturæ & legis, non tempore Euangelij:* non enim mutata eſt natura, vel conditio Regum & Regnorum per Euangelium, nec ius ſuum in terra per aduentum gratiæ amiſerunt: ſed nouum ius ad Regnum Cælorum adepti ſunt. *Lex* enim Euangelica vt verbis Bellarminianis vtar, *neminem priuat iure ſuo, & Dominio, ſed acquirit nouum ius ad Regnum æternum: nec minorem iuriſdictionem Reges habent in nouo Teſtamento quam habuerunt Reges in veteri Teſtamento:* vt Gabriel Biel in canone Miſſæ,

Lib. 1. de Rom. Pont. c. 29.

Lect. 75.

20 Haimo in Pſal. 50. Tibi ſoli *peccaui, quia cum Rex ſim, nullus habet punire peccatum meum; niſi tu ſolus.*

21 Otho Friſingenſis in Epiſt. ad Freder. quæ prefixa eſt Chronico de geſtis Frederici. *Cum nulla inueniatur perſona mundialis, quæ mundi legibus non ſubiaceat ſubiacendo coerceatur. ſoli Reges, vtpote conſtituti ſupra leges, diuino examini reſeruati, ſæculi legibus non cohibentur: vnde eſt illud tam Regis quam Prophetæ teſtimonium, Tibi ſoli peccaui.*

22 Alexander Neckam in Pſal. 50. Liber manuſcriptus in Bibliotheca Publica Oxon. *Tibi ſoli peccaui. Ego Rex, ne relinquerer puniendus alijs, qui maior ſum alijs; tibi ſoli, qui Deus es, puniendus relinquor & coram te Rege meo & Iudice malum feci, ſeruus tuus, licet Rex aliorum.*

23 Alexander Ales in Pſal. 50. *Tibi ſoli. Quia non eſt ſuper me alius quam tu, qui poſſit punire. Ego enim ſum Rex, & non eſt aliquis præter te, ſuper me.* Quæ eadem ſunt verba *Hugonis Cardinalis in eundem Pſal.* (ſi ſit opus Hugonis, & non potius Alenſis.)

Idem p. 3. in quæſtione an inferior poſſit iudicare ſuperiorem: vt citat Dion. Carthuſ. de author. Pap. & Conc. l. 3. tit. 19. *Rex omnium ſuperior eſt; ideo à ſolo Deo eſt iudicandus, cum non habet hominem, qui facta eius dijudicet: nec eſt ab homine puniendus: ſi quis autem de populo peccauerit, Deo peccauerit & Regi.*

24 Nicolaus Lyranus in Pſal. 50. *Tibi ſoli peccaui, tanquam iudici & punire potenti: peccauerat enim contra Vriam & alios, occaſione huius interfectos, tamen quia erat Rex, non habebat iudicem ſuperiorem, qui poſſet eum punire niſi Deum.*

25 Thomas Aquinas 1. 2. Qu. 96. Art. 5. ad 3. *Ad tertium dicendum, quod Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quantum ad vim coactiuam legis: nullus enim propriè cogitur à ſeipſo. Lex autem non habet vim coactiuam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur eſſe ſolutus à lege, quia nullus*

lus in ipsum potest iudicium condemnationis ferre, si contra legem agat. Vnde super illud Psalm. 50. Tibi soli peccaui: dicit glossa, quod Rex non habet hominem, qui facta sua diiudicet, sed quantum ad vim directiuam legis Princeps subditur legi propriâ voluntate.

Bruno Herbipolensis in Ps. 50. *Tibi soli. Si quis de populo enim erraverit & Deo peccat & regi. Nam quando Rex delinquit, soli Deo reus. Iste igitur Rex soli Deo peccare se dicit, quia hominem non habet, qui eius facta diiudicet.* 26

Ayguanus, siue Incognitus in Psal. 50. *Tibi soli peccaui. Quia Dauid ista peccata committendo, erat Rex; & in terrâ superiorem iudicem, à quo puniri deberet* (non dicit potuerit ex viribus, sed deberet ex officio) *non haberet. Ideo soli Deo se peccasse verè confitetur; & hoc est quod dicit Glossa, Tibi soli peccaui. Quod ideò dicit quia Rex est omnibus superior; & ideò solum à Deo qui est ipso maior puniendus est. Si quis autem de Populo erraverit, & Deo peccat & Regi. Rex vero soli Deo peccat, quia non habet hominem, qui eius facta diiudicet: sic enim ipsi Nathan quando eum reprehendebat, ait Dauid, peccaui Domino. 1. Reg. 12.* 27

Iohan. de Turre-cremata in Psal. 50. *Tibi soli peccaui tanquam Iudici, & potenti punire. Quia sol9 tu es superior me, qui potes peccata mea discutere* 28

Dionysius Carthusianus in 4. Psal. Pœnitentialem. *Veruntamen tibi soli peccaui quia cum esset Rex totius Israelitica plebis, non habuit iudicem superiorem in terra à quo puniretur.* Etsi vero hoc de Regibus Israeliticis sub lege intelligat, apud quos Rex superior sacerdote, non de summo Pontifice inter Christianos, qui valde sublimior est Imperatore & Regibus; idem tamen est ius Regum Christianorum, quod Israeliticorum, vt supra in Innocentio dictum est; & Bellarm. in hoc tractatu ex facto sacerdotum, *Oziam* leprosum eijcientium è Templo, & *Iehoiadæ Athaliam* deponentis, hanc potestatem probat. 29

Iacobus Faber Stapulensis in Psalterio quincuplo. ad Psal. 50. *Tibi soli. Quia tu solus me superior es, cui peccati mei ratio sit reddenda, & qui me punire potes.* 30

Sebastianus Gomesius in Psal. 50. *Quoniam verò Dauid qui Rex erat & alium sibi superiorem, præter Deum non habebat, à quo licet crimina committeret, puniri posset, ideò soli ipsius Dei punitioni peccando se subiecit; ac proinde se soli Deo peccasse asserebat.* 31

Gaspar Vlembergius in Psal. 4. Pœnitent. *Cum quispiam è populo delinquit is ob peccatum suum non solum obnoxius redditur, verum & illorum offensionem incurrit, qui sunt in magistratu. In me verò nemo propter commissum adulterium constituere pœnam aut vindictam exercere potest, præter te solum Domine.* 32

Didacus Vega in conc. vespert sup. 4. Pœnitential. concion. 2. *Quare illis dimissis, communi viâ cum Ecclesiæ Patribus, Hieronymo, Augustino, Ambrosio, Chrysostomo, & Cassiodoro, incedendum est. Dicunt enim* 33

Danidem

Aeneas Syluius, de ortu & auth. Imp. c. 20. *Digna vox est maiestate Regnãtis, legibus alligatum se principẽ profiteri; quod quãuis pulchrũ est dicere, non tamen asserendum est, Imperatorem legibus esse subiectum, cùm sit solutus: est enim aliud quiddam, cui plus quam legibus obnoxius est Imperator: hoc ipsum aequitas est, quae non semper inuenitur scripta.* 39.

Antonius de Rosellis, de Conc. §. Postquã retulimus, nu. 32. *Sed quid tũc debeãt facere illi, cùm quibus Imperator disposuit; dic per omnia, vt dixi quãdo dixi quid facere debeant, cum Papa facit contra ius diuinum, illi cum quibus disposuit, vt sic faciant illi cùm quibus contra ius disponit Imperator, quia facta Caesaris à nemine nisi à Deo possunt iudicari, sic intelligo ista iura: inferiores autẽ illi, aut recognoscũt superiorẽ, & per ipsorũ superiores possũt emẽdari aut non recognoscunt, & tunc in ijs est idem quod de Imperatore dixi.* 40.

Constantinus Harmenopulus, Iu[illegible]ex Thessalonicensis. *Princeps legibus solutus est: nam et si suris solemnitati se caeterorum more non astrinxerit, nequaquam punitur. Augusta autem legibus quidẽ soluta nõ est, sed illi Princeps eadem tribuit priuilegia, quae & ipse habet.* 41. *In Promp. I. C. li. tit. 1. Lege, Princeps legibus sol.*

Henricus de Bracton. *Sunt etiam sub Rege liberi homines & serui, eius potestati subiecti, & omnis quidem sub eo, & ipse sub nullo nisi tantũ sub Deo: parem autẽ non habet in Regno suo, quia sic amitteret praeceptũ, cũ par in parẽ non habeat imperiũ, itẽ nec multo fortius superiorem, nec potẽtiorẽ habere debet, quia sic esset inferior sibi subiectis, & inferiores pares esse non possunt potẽtioribus: Ipse autẽ Rex non debet esse sub homine, sed sub Deo & sub lege, quia lex facit Regẽ: attribuat igitur Rex legi, quod lex attribuit ei, videlicet dominationẽ & potestatẽ: nõ est enim Rex, vbi dominatur volũtas & nõ lex, & quia sub lege esse debeat, cũ sit Dei vicarius, &c.* Et infra, *Si autem ab eo petatur (cũ breue non currat contra ipsum) locus erit supplicationi, quod factum suum corrigat & emendet: quod quidem si non fecerit, satis erit ei ad panam quod Dominum expectet vltorem, nemo quidem de factis suis praesumat disputare multo fortiùs contra factum suum venire.* 42. *De leg. & consuet. Angliae l. 1. c. 8. nu. 5.*

Philippus Comminxu[illegible] *Sic oportet dicere, quod cogitur Deus talia ostendere signa & exempla (in Principes) vt illi, totusq; mundus credant istas panas, ob perfidiam offensasq; accidisse, & quod Deus contra eos vim, virtutem, & iustitiam declaret, nullus enim alius potest.* 43. *De gest. Ludou. 11. c. 111.*

Et idem. *Illi* (Principes) *castigant subditos vt volunt, & Dominus noster disponit de ijs vt ipse velit, alios enim supra se non habent.* *De gestis Caroli 8. cap. 49.*

Ioannes de Pineda. *Qui vocat Duces impios, Duces, Principes, Nedibim, liberales, lumentarios, & spontaneos, benignè facientes omnibus pro bona volũtate, iussit leges seruantes suâ sponte non coactos; nisi enim ipse Rex & Princeps velit sponte se subdere legi & seruare ius, quis poterit illum coercere aut vi adigere? Hac fortè est ratio & proprietas huius nominis.* Et infra: *Sed Principes tandem intelligant si sponte ius non seruent, supremo Imperatori reddendam rationem & pendendas panas violatae iustitiae.* 44. *In Iob. Tom. 2. in c. 34. v. 18 nu. 6.*

45. Ioannes Lorinus, Iesuita, qui nunc viuit, scribitq; in Psal. 50. in hæc verba: *Tibi soli peccaui vtpotè solus cognoscens, aut punire peccatum ipsius qui Rex esset, nec superiorem haberet, valens:* & infra. *Secunda etiam satis communis, quam posui in principio, non fuisse qui arguere auderet Regem, qui posset accusare & punire, vtpotè cum quo nullus potestate par, nedum maior esset: Non est qui audeat dicere Regi, Apostata, vocareq; Iudices Impios, nisi velit impius ipse haberi: vt* Chrysostomus *ac* Nicetas *& hoc loco* Cyrillus *notant.* Licet enim in sequentibus excipiat cùm Innocentio & Carthusiano de Regno Sacerdotali in lege, & Regali Sacerdotio in Euangelio, si iuolè tamen & sine ratione; petit enim causæ ipsius iugulum: nam vno hoc verbo, & rationes omnes à Natura, à lege naturali, & praxi sacerdotum in veteri testamento petitæ, pereunt, & in fumum fauillamq; euanescunt.

46. Concludo cùm Bellarmino ipso Cardinale, in commentarijs in Psalmos nuper editis, in Psalm. 50. Qui omissa hac exceptione quam Innocentius adinuenit, quamq; non ignorauit, Regem à solo Deo puniendum, in Persona Dauidis asserit; in hæc verba: Tibi soli: *Tertia ratio hæc est cur à Deo indulgentiam postulet, quoniam non alium habebat Iudicem; Tibi, inquit, soli; non dicit contra te solùm peccaui; peccauerat enim contra Vriam quem occiderat, & contra Bethsabeam quam adulterauerat, & contra Populum quẽ scandalizauerat: sed dicit, Tibi soli peccaui, nimirùm vt Iudici, apud quem scelum conuinci poterat, nam nec alium Iudicem habebat, &c.*

Atq; hi quidem vt plurimum super hunc textum, vel ex hoc textu Tibi soli peccaui, Catholicam, constantẽ, & vnanimem hanc sententiam proferunt; Rex à solo Deo iudicari, castigari, puniriq; potest: Quæ quidem eò fortior esse debet, quia & scripturæ, & sensui siue traditioni, & expositioni Catholicæ innititur; & vnde sensus scripturæ, nisi ex scriptura & catholica omnium temporum & locorum expõsitione elici potest? si verò cum authoribus Bellarminianis in statera appendãtur, põdere vincũr. Illi enim omnes Neoterici sunt; Hildebrandi sequaces, qui non ex scriptura, sed ex Iure Canonico, id est, scriptis Pontificum in causa sua. *Ex Cap. Alius: Ex Cap. Nouit; Cap. ad Apostolicæ,* sententiam suam fundarunt; quæ ergò comparatio inter *Tibi soli,* & *Nos Sanctorum,* inter Patres antiquos & nouos Gregorianos? An audent isti nouatores in conspectum Antiquorũ venire?

Exceptio verò de *Sacerdotio Regali* in Nouo Testamento, grammaticastros magis decet quam Theologos. Regnum erat substantiuum in veteri Testamento sacerdotium verò adiectũ; Regnum Sacerdotale; Sacerdotium est substantiuum in Nouo Testamento, Regnum verò adiectiuum: Regnum inhæret, Sacerdotium existit per se ergò Sacerdos superior in temporalibus Regem deponit. Sophistas nugatorios magis redolent ista quam Christianos Antistites. Cùm verba apud *Moïsen* Hæbraicè significent *Regnũ Sacerdotũ;* & Græcè 70. *Interpretes* legant βασιλεῖον ἱεράτευμα: quos sequitur ad verbum S. Petrus qui & Verba & sensum Moïsis rectiùs

Exod. 19. 6.

1. Pet. 2. 9.

nora t

norat quàm Innocentius. S. Ioannes legit. Fecit nos Regnum & Sacerdotes Deo: Nullibi ergò habetur hoc Commentum de Regno Sacerdotali in Lege, & de Sacerdotio Regali in Euangelio, nisi apud vulgatum Interpretem, in cuius errore, tantum articulum Fidei fundare, nihil aliud est, nisi sine fundamento superædificare. *Apoc. 1, 6.*

Lorinus Iesuita, in Psalm. 50. *Qui Pontificem Rege superiorem facit in Euangelio, etsi in ordine suo non habeat superiorem,* hanc subtilitatem improbat. Idē in 1. Pet. c. 2. ait. *Superflua videtur annotatio Hugonis & Thomæ Anglici, Regale Sacerdotium hic dici ad innuendam prærogatiuam Noui Testamenti respectu veteris.* Et infra. *Non arbitror discrimen esse seu Regale Sacerdotium, seu Regnum Sacerdotale dicamus; vt voluit tamen etiam Salmeron, Catharinus & Feuardentius.*

1. Verùm omisso hoc verborum aucupio, nomina Regis & Sacerdotis, his in locis metaphoricè sumuntur, non propriè, & de omnibus Iudæis apud *Moïsen*, & de omnibus Christianis apud *S. Petrum*, & *Ioannem* proferuntur.

Secundò, Mōses dicit, *vos eritis mihi Regnum Sacerdotale & Gens sancta*: Petrus, *vos estis Sacerdotium Regale*, & Ioānes, *fecit nos Regnum & Sacerdotes.* Reges sumus quia in nobis regnamus; Sacerdotes sumus, quia nosmet vt hostias spirituales Deo offerimus; non dicit vos habetis inter vos Sacerdotium Regale, sed vos estis Sacerdotium Regale & Gens sancta: it Populus Gens sancta erat, quidni etiam & Populus Sacerdotium Regale metaphoricè sunt?

Tertiò Petrus dicit, *Vos estis*, non dicit, *Ego sum*, qui solus superior Iudex sum Regum, qui eos in ordinem cogere possum, &, si nolint, eos Regnis & Dominijs priuare: attamen successores Petri (imò Gregorij septimi) hoc ius Regum deponendorum sibi solis vendicant.

Quartò: opus hic est Indice Expurgatorio, siue correctorio; Patres & Interpretes plurimi dicūt, *Tibi soli peccaui, quia Rex sū, tu solus punire potes*; malè & incommodè loquuntur Authores illi, non debent dicere, Rex sum in genere, sed Rex sum in Lege naturali & Mosaicà: nam in lege Euangelica non est dicendum, Tibi soli peccaui, quia Rex sum Euangelicus, sed tibi soli, & Pontifici tuo Romano peccaui; *qui enim Deo & Pontifici peccat, soli Deo peccat*, vt Innocentius; non est mirum si Glossa dicat, *Dominus Deus noster Papa*; Imò Rex Euangelicus peccat & Deo, & Pontifici, & etiam Populo. Solet enim Pontifex Populum in Reges, quos ille Tyrannos aut hæreticos, aut malos, aut invtiles iudicat, excitare vti homines in malas & crudeles bestias canes emittunt. *Inno. in 4. Pœnitent.* *Extrau Ioan. 22. c. Cum inter, in Glossa. in fine Impres. Paris. 1513.*

Quintò, oblitus est Innocentius verba Christi; *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*: Reddite, non tantùm date, debitum est, non libitum, non voluntarium: verba ista confirmant omnia iura & priuilegia in Euangelio, quę Regibus lege Naturæ vel Mosaica collata sunt: inter quæ hoc vnum est, *Matth. 22, v. 21*

quod solum Deum superiorem Iudicem à quo solo puniri possunt, agnoscant, cui soli peccant.

Sexto: Sententia ista Innocentij & sequacium, potestati huic temporali fatalis & mortalis est: Si enim in lege Naturæ Rex superior sit Sacerdote, & à solo Deo puniendus, non à Sacerdote, vt Innocentius; mole sua ruunt ipsorum omnia argumenta & rationes, à lumine & ratione naturali petita; quibus hæc potestas fulcitur. Quare inuntur assertores huius Pontificiæ potestatis, exemplis *Azaria*, qui *Oziam* leprosum è templo eiecit; & *Iehoïada* qui *Athaliam* Regnum vsurpantem interfecit; & *Ehud* qui *Eglonem* occidit, præsertim cùm Euangelium Christi, legem naturalem per omnia confirmet, & in nullo tollat, & præterea Euangelium non habeat præcepta iudicialia præter excommunicationem, sed à iure positiuo, siue Ecclesiastico & consensu hominum superaddita sint. Aliud argumentum *Innocentij* de vnctione Sacerdotis in capite remanente, cum vnctio Regis à capite descendat in humerum; infirmum est: Si enim hæc ratio concludat, æqualiter de statu legis & Euangelij valet; imò magis in lege in quâ vngebantur Sacerdotes & Reges oleo materiali: nam de vnctione exteriori Sacerdotum in Primitiua Ecclesiâ altum est silentium; oblitus vero est Innocentius illorum verborum: Psalm. 132. *sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, quod descendit in oram vestimenti eius*, sic vnctio Sacerdotis descendit vsq; ad oram vestimenti; ergò si hæc ratio concludat, Sacerdos in Euangelio inferior est Rege.

Paralip. 2. 26. 17
2. Reg. 11. 15.
Iudic. 3. 21.

Vnicum hoc loco rationibus istis opponendum restat, quod dicit Author Somnij Viridarij. *Esto quod in veteri lege Pontificalis authoritas prælata fuisset, etiam in temporalibus dignitati Regali, non tamen esset præferenda in noua lege, quia authoritis Pontificalis in noua lege spiritualior est, & magis à terrenis negotijs elongata, quàm fuerit authoritas Pontificalis in veteri lege; quemadmodum lex noua magis spiritualis est quàm lex vetus.*

Lib. 1. c. 153.

Ex præcedentibus authoritatibus istud concluditur argumentum.

Quicunque Deum solum iudicem habet à quo possit puniri, à Deo solo potest deponi.

Imperator, siue Rex, Deum solum iudicem habet à quo possit puniri. vt patet, ex Authoribus.

Ergò: Imperator, siue Rex, à solo Deo potest deponi.

Authores Tertiæ Classis.

IN tertia classe reponendi sunt, qui vel materialem gladium in Ecclesia negant, aut (quod idem est) solùm ponunt spiritualem; vel qui infidelibus & hæreticis obedientiam docent; vel qui Regum depositionem, aut facta deponentium improbant, quæ omnia ad subsequentes libri huius rationes euertendas, non mediocriter conferunt præmittenda.

Inter

Inter hos primus est Tertullianus, qui patientiam Christianorum, etiã viribus superiorum, in tolerandis persecutionibus, ab infidelibus illatis, describens, hęc habet, in Apologet. c. 37. *Quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis posset operari, si malum malo dispungi penes nos liceret; sed absit vt aut igne humano vindicetur diuina secta, aut doleat pati in quo probatur.* Et infra. *Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copijs, qui tam libenter trucidamur; si non apud istam disciplinam magis occidi liceret quam occidere.* Hæc Tertullianus, cuius sententia hæc est, etiamsi suppetant vires, non licere Christianis, infidelibus Persequutoribus resistere, non malum malo dispungere, humano igne non vindicare; occidi licet, occidere non licet; sine his non fit depositio Regum, Infidelium, Apostatarum, Hæreticorum: necessario ergò infertur, non licet Christianis Regem deponere. 1.

Origenes, in 13. ad Rom. l. 9. *Ex quo apparet iudices mundi partem maximam legis Dei implere; omnia enim crimina, quæ vindicare vult Deus, non per Antistites & Principes Ecclesiarum, sed per mundi Iudices voluit vindicare,* Et infra. 2.

Si enim ponamus, Verbi gratia, credentes Christo, potestatibus sæculi non esse subiectos, tributa non reddere, nec vectigalia pensitare, nulli timorem, nulli honorem deferre: nonnè per hæc Rectorum & Principum, meritò in semetipsos arma conuerterent, & Persequutores quidem suos excusabiles, semetipsos verò culpabiles redderent; non enim iam fidei, sed contumaciæ causa, impugnari viderentur. Et esse ijs causa quidem mortis, meritum verò mortis indignum.

Gregorius Nazianzenus de Iuliano hæc habet, Orat. 1. in Iulian. Apostatam. *Caterùm Dei clementia inhibitus atq; repressus est; Christianorumq; lachrymis, quas multas multi profuderunt, hoc vnum aduersus Persequutorẽ medicamentum habentes.* Hoc vnum: non ergo Pontificis tribunal ordinarium, in quo Apostatæ deponuntur. 3.

Idem post. *Ostendant tandem quæ ratio atq; æquitas sit, nos iniurijs etiã & cruciatibus affectos tolerare, se autem ne parentibus quidem parcere. Si enim rem expendamus, cum quibusdam temporibus ipsi potentia floruerimus, vos etiam quibusdam, his nimirum aliàs aliter incidentibus atq; in diuersum labentibus, quid tandem simile à Christianis vestri perpessi sunt, qualia sæpenumero à vobis Christiani pertulerunt? Quam libertatem vobis eripuimus? in quos plebem furentem concitauimus? quibus præfectos immisimus plura etiam quam ipsis imperatum esset exequentes? quibus periculum vitæ creauimus? Imò quosnam* à magistratibus dignitatibusq; submouimus, alijsq; honoribus *qui præstantissimis quibusq; viris debentur. Et vt compendio dicam, Eccui aliquid simile intulimus, qualia multa à vobis partim admissa, partim denunciata sunt.* &c.

Chrysostomus, in Rom. 13. Hom. 23. *Facit autem hoc, ideò vt ostenderet* 4.

Christum leges suas non ad hoc induxisse, vt politias euertat, sed vt ad melius instituat. Ecce: ex Christi non euertit politias, ergò non regna Infidelium, Apostatarum, hæreticorum. Et iterùm. De verbis Isaiæ, Hom. 4.

Regi corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ; Rex maculas corporum remittit, Sacerdos autem maculas peccatorum: Ille cogit, hic exhortatur, ille necessitate, hic consilio, ille habet arma sensibilia, hic arma spiritualia. Depositio temporalis, inter arma sensibilia non spiritualia. Et infra.

Quid autem Deus? Vbi igitur sacerdos contemptus est, dignitasq;, Sacerdotij conculcata, nec quicquam præterea potuit Sacerdos, (nam Sacerdotis est tantùm arguere, liberamq; præstare admonitionem, non mouere arma, non clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iaculamitte-re, sed tantùm arguere, ac liberam præstare admonitionem.) Posteaquam igitur arguisset Sacerdos, Rex autem non cessisset, sed arma moueret, clypeos & hastas, suaq; uteretur potentiâ, ibi Sacerdos Deo: Ego inquit, quod erat, mei officij præstiti, nihil amplius possum, succurre Sacerdotio quod conculcatur, leges violantur, fas subuertitur. Eccè, nihil amplius possum: (potuit deponere, imò deposuit si Bellarmino magis quam Chrysostomo credamus) Et tamen hoc loco Chrysostomus Sacerdotium Regno maius esse docuit, quia benedicit & inungit.

Idem, lib. 2. de Dignitate Sacerdotali, cap. 3. *Non dominamur fidei vestræ, sed adiutores sumus gaudij vestri. Hoc autem cum in alijs tùm maximè inter Christianos non licet aliqua uiolenter peccata corrigere. Nam si, qui foris sunt iudices, malignos quosq; cum subdiderint legibus ostendũt in ijs plurimam potestatem, & inuitos eos à priorum morum prauitate compescunt. In Ecclesiâ verò non coactum sed acquiescentem oportet ad melioracouerti, quia nec nobis à legibus data est talis potestas, vt authoritate sententiæ cohibeamus homines à delictis. Nec si data esset haberemus vbi exerceremus huiusmodi potentiam. Cum Deus noster, non necessitate, submotos à peccato sed propriâ sponte sese abstinentes sit remuneraturus.*

5. S. Ambrosius, lib. 5. Epist. Orat. in Auxent. *Dolere potero, potero flere, potero gemere, aduersus arma, milites, Gothos quoq; lachrymæ meæ arma sunt; talia enim munimenta sunt Sacerdotis, aliter nec debeo, nec possum resistere:* (nec possum hoc de facto, nec debeo hoc de iure.)

Idem, Ad sororem Marcellinam: li. 5. Ep. 33. *Exigebatur à me vt compescerem populum, referebam, in meo iure esse vt non excitarem, in Dei manu vt mitigaret.*

6. Augustinus, in quæst. ex Vet. Testamento cap. 35. *Qua ratione Dauid Saul postquam Deus ab eo recessit Christum Domini vocat & defert ei? Non nescius Dauid esse traditionem in officio ordinis Regalis, ideircò Saul in eadẽ adhùc traditione positum honorificat, ne Deo iniuriam facere videretur, qui*

his or-

his ordinibus honorem decreuit. Dei enim imaginem habet Rex ſicut & Epiſcopus Chriſti. Quamdiù ergò in eâ traditione eſt, honorãdus eſt. ſi non propter ſe, vel propter ordinem. Vnde Apoſtolus dicit, Poteſtatibus ſublimioribus ſubditi eſtote. Non eſt poteſtas niſi a Deo, quæ enim ſunt à Deo ordinatæ ſunt. Hinc eſt vt Gentilem, in poteſtate tamen poſitum honorificamus, licet ipſe indignus ſit, qui Dei ordinem tenens gratias agit Diabolo; poteſtas enim exigit quia meretur honorem.

Idẽ, De fide & operibus cap. 2. *Et Phinees ſacerdos adulteros ſimul inuẽtos ferro vltore confixit, quod vtiq; degradationibus & excommunicationibus ſignificatum eſt eſſe faciendum in hoc tempore, cum in Eccleſiæ diſciplina viſibilis fuerat gladius ceſſaturus.*

Idem, In Pſalm. 118. in partem Schin. Conc. 31. *Principes perſecuti ſunt me gratis, &c. Quid enim Chriſtiani læſerant Regna terrena: Quamuis eis Regna cœlorum promiſerit Rex eorum? Quid, inquam, læſerant regna terrena? nunquid eorum Rex milites ſuos prohibuit impendere & exhibere quæ debentur Regibus terræ? Nonnè de hoc ſibi calumnium molientibus Iudæis ait, Reddite Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt? Nonnè tributum de ore piſcis etiam ipſe perſoluit? Nonnè præcurſor eius militibus regni huius quid facere deberent pro æternâ ſalute quærentibus, Non ait, cingulum ſolnite, arma proijcite, Regem veſtrum deſerite, vt poſſitis Domino militare ſed ait, Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum. Nonne vnus militum eius & dilectiſſimus comes eius, commilitonibus ſuis & quodammodo, Chriſti prouincialibus dixit, Omnis anima poteſtatibus, &c. Paulo poſt ait Reddite omnibus debita. Nonne præcipit, vt pro ipſis Regibus oraret Eccleſia? Quid ergò eos Chriſtiani offenderunt? quod debitum non reddiderunt? In quo Chriſtiani non ſunt terrenis Regibus obſecuti? Ergò terreni Reges, Chriſtianos gratis perſecuti ſunt.* Quem locũ ad eundem ſenſum *Venerabilis Beda* & *Michael Ayguanus* ſunt interpretati.

Idem, in Pſalm. 124. *Quod autem dixi de Domino & ſeruo, hoc intelligite de poteſtatibus, & Regibus, & de omnibus culminibus huius ſæculi; aliquando enim poteſtates bona ſunt & timent Deum, aliquando non timent Deum. Iulianus extitit infidelis Imperator, nonnè extitit Apoſtata, iniquus, Idolatra? Milites Chriſtiani ſeruierunt Imperatori infideli: vbi veniebatur ad cauſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat; quandò volebat vt idola colerẽt, vt thurificarent, præponebant illi Deum; quandò autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum, etiam Domino temporali.* Eccè: propter Dominum æternum; non hoc ex defectu virium, non de facto, ſed de iure & debito propter conſcientiam.

Idem, Tract. 115. in Ioan. *Audite Iudæi & Gentes, audi circumcisio, audi præputium, audite omnia Regna terrena: non impedio dominationem vestram in hoc mundo; Regnum meum non est de hoc mundo: nolite metuere metu vanissimo: quo Herodes ille Maior cùm Christus natus annunciaretur, expavit, & tot Infantes, vt ad eum mors perueniret, occidit, timendo magis quàm irascendo crudelior. Regnum meum non est de hoc mundo. Quid amplius vultis?* Eccè: Non impedio, & tamen tollo, depono, destituo? malum in eo non inuenio, sic Pilatus. Annó hoc malum Pilato, si Christus etsi Regnum tẽporale non exerceat, potestatem tamen Cæsarem deponendi assumat? Quid vultis ampliùs? Hoc volo ampliùs vt nec Regnum temporale, nec potestatem Regum deponendorum sibi vendicet Christus; aut Christus & Augustinus æquiuocè cùm reseruatione loquuntur, in causa fidei? aut Christus, nec Regnum, nec potestatem Regum deponendorum habet.

Omitto eiusdem verba in 13. *ad Rom.* de quibus suo loco susiùs, cap. 3.

7. Prosper Aquitanicus, lib. Sentent. 99. *Tolerantur præsentia mala, donec veniat beatitudo promissa: sustineantur à Fidelibus infideles, & exortorum inter frumenta zizaniorum auulsio differatur, quantumlibet sæuiant impij; melior est etiam in hoc tempore causa iustorum, qui quãtò acrius impetuntur, tantò glorioſius coronantur.* Ecce: differatur auulsio zizaniorum, id est, hæreticorum, sic Prosper; imò non tolerandi sunt; tollantur, deponantur Reges hæretici, etsi cùm illo vna eradicetur triticum: sic Pontifices.

8. S. Gregorius Magnus, l. 7. Ep. 1. Indict. 1. In Epistola præfatus de sua patientia & constantia, in malis periculisq; ferendis hæc habet: *De qua re vnum est quod breuiter suggeras serenissimis Dominis vestris, quod si ego seruus eorum, in morte Longobardorum me miscere voluissem, hodie Longobardorum Gens nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet; atq; in summa Confusione esset diuisa; sed quia Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.*

9. Gregorius 2. Epist. 13. *Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac dignitates regias deferendi; sic neq; Imperator in Ecclesias introspiciendi, & electiones in Clero peragendi, neq, consecrandi, vel symbola sanctorum sacramentorum administrandi, sed neq; participandi absq; opera Sacerdotis.* Ecce si Pontifex dignitatem regiam non confert, multò minus non aufert.

10. S. Germanus Constantinopolitanus Patriarcha, vt refertur à Baronio, Annal. To. 9. ad Annum 730. nu. 6. *In collectaneis quibusdam Græcis, Canonum & legum; Est eius veluti constitutio quædam, in quâ perstringit Italos tanquam Imperatori suo non obtemperantes.* Et Germanus iste sub Leone Isauro vixit, qui à Gregorio 2. excommunicatus in Synodo, & vestigalibus Italiæ .i. parte Imperij mulctatus dicitur: hanc defectionem Italorum, reprehendit.

11. Ioannes Damascenus, Paralell. l. 1. c. 21. *Præfectos eos qui à Regibus creau-*

creantur quamuis improbi ſunt, quamuis fures, quamuis viniſti, quamuis deniq; alio vllo crimine conſtricti (vtpote hæretici) *metuere tamen debemus, nec propter eorum improbitatem eos aſpernari, ſed propter eius, à quo creati ſunt dignitatem vereri.* (Si hoc de Præfectis, multo magis de Regibus verum eſt.

Hincmarus in Epiſt. ad Adrianum 2. ap. Bochell. in Decret. Eccl. Gal. l. 1. tit. 16. cap. 2. *Nec etiam ab hæreticorum, vel Schiſmaticorum, ſine tyrannorum Imperatorum ac Regum, quales, fuerunt Conſtantius Arianus, ac Apoſtata Iulianus, & Maximus Tyrannus, præſentiâ & ſalutatione, ſine collocutione, ſedis Apoſtolicæ Pontifices, vel alij magnæ authoritatis at q; ſanctitatis Epiſcopi, cum locus ac ratio, ac cauſa exegit, ſe ſubtraxiſſe legantur.* Ecce: verba perſpicua ſunt, & directè rem attingunt. 12

Petrus Damianus Cardinalis l. 4. Ep. 9. ad Oldericum Firmanum Epiſcopum. *Sicut ergo ipſe Dei filius, cuncta mundi furentis obſtacula, non per diſtricti examinis vltionem, ſed per inuictam ſuperauit inconcuſſæ patientiæ maieſtatem, ita decet mundi rabiem potius æquanimiter ferre, quàm vel arma corripere, vel ladenti læſionibus reſpondere. Præſertim cum inter Regnum & ſacerdotium propria cuiuſq; diſtinguantur officia, vt & Rex armis vtatur ſeculi, & ſacerdos accingatur gladio ſpiritus qui eſt verbum Dei.* Et infra. *Azarias Rex quia ſacerdotale vſurpat officium, leprâ perfunditur, & ſi ſacerdos arma corripit, quod vtiq; Laicorum eſt; quid meretur? Nam & Dauid idcirco ante Euangelium, Euangelicè vixiſſe creditur, quia non modo Semei & Saul, ſed & plurimis indulſiſſe ſuis hoſtibus inuenitur.* Et infra. *Si ergo pro fide quâ vniuerſalis viuit Eccleſia, nuſquam ferrea corripi arma conceditur, quomodo pro terrenis & tranſitorijs Eccleſiæ facultatibus loricatæ acies in gladios debacchantur? Porrò ſancti viri cum prænalent hæreticos idolorumq; cultores, neq; aquam perimunt, ſed potius ab ijs pro fide Catholicâ perimi non refugiunt. Quomodo ergo pro rerum vilium detrimento fidelis fidelem gladijs impetat: quem ſecum vtiq; redemptum Chriſti ſanguine non ignorat.* Et infra. *Ad hæc ſi quis obijciat bellicis vſibus Leonem ſe frequenter implicuiſſe Pontificem, verum tamen ſanctum eſſe; dico quod ſentio, quoniam nec Petrus, ob hoc Apoſtolicum obtinet principatum quia negauit, nec Dauid idcirco Prophetiæ meretur oraculum quia thorum alieni viri inuaſit; cum mala vel bona non pro meritis conſiderentur habentium, ſed ex propriis debeant qualitatibus indicari. Numquid hoc legitur vel egiſſe, vel litteris docuiſſe Gregorius, qui tot rapinas ac violentias à Longobardorum eſt feritate perpeſſus? Num Ambroſius Bellum Arrianis ſe ſuamq; Eccleſiam crudeliter infeſtantibus intulit? Numquid in arma ſanctorum traditur quiſpiam inſurrexiſſe Pontificum? Cauſas igitur Eccleſiaſtici cuiuſcunq; negotij leges dirimant fori; vel ſacerdotalis edicta Concilij; ne quod gerendum eſt in tribunalibus iudicum, vel ex ſententiâ debet prodire Pontificum, in noſtrum vertatur opprobrium, congreſſione bellorum.* 13

Hæc

Rodolphus Dux Sueuiæ à Gregorio Imperator creatus contra Henricum, testis omni exceptione maior, quia à partibus Gregorij, vulneratus in manu dextra mortiq; iam proximus, extremam hanc edidit vocem, vt Helmoldus Chron Sclau. c. 29. & Albertus Stadensis ad an. 1080 è quibus Nauclerus, Crantzius, alijq; *Videtis manum dextram meam de vulnere sauciam; hâc ego iurani Domino Henrico, vt non nocerem ei, nec insidiarer gloriæ eius; sed iussu Apostolica, Pontificumq; petitio me ad id deduxit, vt iuramenti transgressor honorem mihi indebitum vsurparem. Quis igitur finis nos acceperit videtis, quia in manu vnde iuramenta violaui, mortale hoc vulnus accepi. Viderint ergo ij qui nos ad hoc instigauerunt, qualiter nos duxerint, ne fortè deducti simus in præcipitium æternæ damnationis*; & hoc dicens cum graui molestia diem clausit extremum; & verba morientium ab omni adulatione solent esse liberrima, cum jamjam expectent potius iudicium a Deo, quam ab hominibus gloriam. 17

Venericus Vercellensis, siue quisquis alius author libri de vnitate Ecclesiæ conseruanda, in quo omnibus Hildebrandi argumentis doctissime respondet: hancq; temporalem potestatem deponendorum Regum fortiter prosternit; ex verbis Gelasij ad Anastasium sic infert. *Fili clementissime, rogo te purè sincerè, vt me in hâc vitâ audias potius deprecantem quàm (quod absit) in diuino iudicio sententias accusantem. Sic certe, sic solebant Deo digni Pontifices Romani suppliciter deprecari pro Ecclesiasticâ pace: non quærentes, imo nunquam concipientes animo, aliquos de Regibus siue Imperatoribus deponere, & ideo pacem quærentibus atq; pacem offerentibus aderat Deus, remunerans humilitatem, & mansuetudinem eorum, & vindicans se super hostibus ipsorum. Nam postquam ille etiam Anastasius Imperator hæreticus, Præsules Ecclesiarum supplicantes audire contempsit, diuino iudicio adustus fulmine interiit: Quarit autem nunc aliquis Pontificum deponere Principem populorum, quod est excitare quasi incendium ad destructionem Ecclesiarum.* Tractatus totus dignissimus qui a doctissimis perlegatur, in quo omnibus huius causæ argumentis respondetur. 18 *Inter Tractat. de iure Imperiali & Papali per Schardium.*

Conradus Traiectensis in oratione in conuentu Episcoporum Garstungi habito, postquam violationem iuramenti fidelitatis, præcipitem Hildebrandi ambitionem qui potestatem Immortalis Dei, cuius nuncius duntaxat erat, sibi vsurpauit, nec non virtutes Henrici quæ in nullo vnquam Germano Romanoue tantæ fuere Principe enarrasset, tandem concludit, *quod si flagitiosissimus is foret Tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam resistendum esset.* 19 *Apud Auentinũ l. 5.*

Walthramus Magdeburgensis Ecclesiæ Antistes ad Ludouicum Principem: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, non est enim potestas nisi à Deo qui autem resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Sicut amici nostri inter mulierculas & simplex vulgus somniant Regiæ Potestati subdi non oportere, falsum esse ergo quod omnem animam Potestati subdi* 20 *Apud Dodechinũ in Append. Mariani Scoti.*

soluit inquit pactum numquid effugiet? Numquid prosperabitur, vel consequetur salutem qui fecit haec? viuo ego, dicit Dominus, &c. In medio Babylonis morietur. Et infra. *Quis magis assumit in vanum nomen Dei quã ille qui violat hoc quod per nomen Dei iurat.* Et inf. *Hinc omnes perpenditis, quod sit reus capitis, qui non reddit Cæsari quæ Cæsaris, secundũ Decretum Dei, vel qui Regẽ inhonorat contra decretum Apostoli, vel periurando assumit nomen Dei in vanum, per quod iurauit Regi fidelitatẽ.* Et inf *Maledictum Excommunicationis quod ex nouellâ traditione Hildebrandus, Odardus, & iste tertius indiscrete protulerunt, omnino abijcimus, & priores Sanctos Patres vsq; nunc veneramur & tenemus, qui dictante Spiritu Sancto, non animi motu, in maioribus & minoribus Potestatibus graniter delinquentibus, quædam dissimulauerunt; quædam correxerunt, quædam toleranerunt.* Et infra. *Si quis deniq; respectu Spiritus Sancti, vetus & nouum Testamentum, gestaq; renoluerit, patenter inueniet, quod aut minimè aut difficile possunt Reges & Imperatores excommunicari, secundum Etymologiam nominum illorum & iuxta determinationem excommunicationis: & adhuc sub Iudice lis est. Admoneri quidem possunt, increpari, argui à timoratis & discretis viris, quibus quos Christus in terris Rex Regum vice suâ constituit, damnandos & saluandos suo iudicio reliquit.* Et infra. *Hildebrandus Papa, qui author est huius nouelli schismatis, & primus leuauit sacerdotalem lanceam contra diadema Regni, primo indiscrete, Henrico fauentes excommunicauit.* Et infra. *Nihil modo pro Imperatore nostro dicimus, sed hoc dicimus, quod etiamsi talis, esset, tamen eum principari nobis pateremur, quia vt talis nobis principetur peccando meremur. Esto, cõcedimus vobis inuiti, eum talem esse qualem dicitis, nec talis à nobis repellendus esset, armis contra eum sumptis, sed precibus ad Deum fusis.* Et infra. *Vnde hæc auctoritas Apostolico, vt præter spiritualẽ gladium, exerat in subiectos alterum occisionis gladium.* Et infra. *Hoc exemplo* (Gregorij in Lõgobardos) *omnes à primo Gregorio contenti, vtebantur solo gladio spirituali, vsq; ad vltimum Gregorium 1. Hildebrandum, qui primus se, & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli.*

Ecce crimen est læsæ Maiestatis: non dare Cæsari excommunicato & depositio quæ Cæsaris sunt.

Reges & Imperatores non excommunicandi.

Hildebertus Cenomanensis sub Philippo 1. Rege Galliæ, vel Ludouico Crasso, vt videtur, multa passus, cui reconciliari satagebat: Ep. 75. hæc habet. *Verum apud Serenissimum Regem, opus est exhortatione potiꝰ quam increpatione, consilio quam precepto, doctrinâ quam virga: his ille conueniendus fuit, his reuerenter instruendus, ne sagittas suas in sene compleret Sacerdote, ne sanctiones canonicas euacuaret, ne persequeretur cineres Ecclesiæ iam sepultæ.* Idem in Epistola 40. *Duos in cœna fuisse gladios, hoc quoq; & legis & intelligis vnum quidem Petrus in Malchum vibrauit, dum Malchus in Christum manus extenderet; alter vero eductus fuisse non legitur: apte profecto inuentus est vterq; apud Discipulos Christi, quia adhuc vterq; ostenditur in membris corporis Christi: membrum enim Christi Rex, membrum Christi sacerdos: scienti loquor, nosti gladium Regis, nosti gladium Sacerdotis: Gladius Regis censura curiæ; gladius Sacerdotis Ecclesiasticæ*

23 *Bibl. SS. patrum Tom. 3.*

rigor

Christi: virga Regum gentium virga est dominationis, virga Discipulorum Christi virga dilectionis; Virga Pastoralis officij super curam animarum sollicitè vigilantis. Illa virga quæ Dominationis est, non est concessa ministris Euangelij pacis; & illa interdicitur hic dicendo, neq; virgam. Amplius autem illic, Reges gentium, &c. vos autem non sic. Quid hic dominatio nisi potestas coactiua & temporalis quæ hoc loco negatur Apostolis? Et Idem. l. 9. in Mat. conferens spiritum Ioannis Baptistæ, & ministrorum Euangelicorũ cum Elia, qui interfecit Prophetas Baal hæc habet. *A diebꝰ autem Ioannis, nec ipsi Ioanni, nec alicui viro spirituali proposito conceditur euaginare gladium: sed conuerte, ait Dominꝰ, gladium tuum in locum suum; & quod vni Petro dixit, omnibus dicit, Satis est, sinite vsq; adhuc; & est sensus: hucusq; necessarium fuit vt omnes expectatores Regni Dei, quoniam nondum venerat, materialibus vterentur gladijs ob defensionem generis sui.*

Eberhardus Babenbergensis Episcopus; in Epist. ad Eberhardum Saltzburgensem Archiepiscopum, Apud Radeuicum l. 2. de gestis Frederic. c. 71. de conuentu 50. Episcoporum, Papiæ habito, circa schisma duorum Paparum, in quo conuentu prævaluit Victor, hanc inter cæteras pro parte Victoris adhibet rationem. *Quod ad hostes Imperij pars illa (i. Alexãdri tertij) se transtulerit, obligata Siculo; Mediolanensibus, Brixiensibꝰ, Placentinis, per sacramentum quod sanæ doctrinæ aduersari videtur. Et cum Subditos à iuramentis fidelitatis debitè* (legendum potius debitæ, vt consequentia docent) *absoluat, & seruire prohibeat Imperatori quoscunq;, & sic discessioni viam præparet, quod pessimum est, sicut opere ipso clarescit, & scriptis vndiq; per Italiam directis, tam ciuitatibus quam Episcopis. His malis principijs finem deteriorem promittentibus, perpetuam vid. discordiam inter Regnum & Sacerdotium, & discessionem ab inuicem &c.* Ecce; subditos à iuramentis fidelitatis absoluere, prohibere quoscunq; Imperatori seruire, discessioni viam præparare; discordiam inter Regnum & Sacerdotium facere; hoc est quòd sanæ doctrinæ aduersatur: hoc pessimum est, hæc sunt mala principia quæ finem deteriorem promittunt. 28

Hi octo proxime sequentes Authores prolati sunt à Bellarmino in confirmationem causæ suæ, cum reuera illi sunt in hac causa contrarij.

S. Bernardus de consid. ad Eugen. l. 1. c. 6. *Et tamen non monstrabunt puto qui hoc dicent, vbi aliquando quispiam Apostolorum Iudex sederit hominum, aut diuisor terminorum, aut distributor terrarum, stetisse deniq; lego Apostolos iudicandos sedisse iudicantes non lego: erit illud, non fuit.* (Si non licet iudicare, non licet deponere:) Et infra. *Quis me constituit Iudicem, ait ille, Dominus & magister: & erit iniuria seruo discipulo; nisi iudicet vniuersos?* Et infra. *Ergo in criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniam propter illa, non propter has accepistis claues Regni cælorum; Prævaricatores vtiq; excluduri non possessores.* Ecce: Quid planius dici potest? Prævaricatores vtiq; excludendi è Regno cælorũ, non Possessores è Reg- 29

nis

cet, inquit, vinciri regem; liberà sit Regis & semper salua potestas.

Hugo de Sancto Victore de Sacram. fid. l. 2. p. 2. c. 3. *Laicis ergo Christianis fidelibus terrena possidere conceditur, Clericis vero spiritualia tantùm committuntur* (vbi itaq; potestas vestra temporalis?) Et idem cap. 4. *Terrena potestas caput habet Regem, spiritualis potestas habet summum Pontificem, Ad potestatem Regis pertinent quæ terrena sunt, & ad terrenam vitam facta omnia*; (non ergo ad Pontifices) *Ad potestatem Summi Pontificis pertinent quæ spiritualia sunt & vitæ spirituali attributa vniuersa.* An inter spiritualia est depositio Regum?) 30.

Idem cap. 7. *Spiritualis siquidem potestas non ideo præsidet, vt terrenæ in suo iure præiudicium faciat; sicut ipsa terrena potestas, quod spirituali debetur, nunquam sine culpâ vsurpat.*

An non præiudicium maximum Regi infertur, si deponatur? Vide Alexandrum Alensem, & Thomam Waldensem, qui hæc verba citant. Apud Hugonem cap. 3. duæ sunt potestates, Sacerdotalis & Regalis; & duo capita potestatum: Terrena potestas habet caput Regem; spiritualis Potestas habet caput summum Pontificem. An capitis est caput deponere? *Sic in eodem corpore sunt duo latera: in sinistro Laici, qui vitæ præsentis necessitati inseruiunt; Clerici vero quoniam ea quæ ad spiritualem vitam spectant, dispensant, quasi dextera pars sunt corporis Christi.*: An potest latus dextrum latus sinistrum deponere?

Alexander Alensis p. 3. Quæst. 40. memb. 5. vbi citat verba Hugonis, proponit hanc ipsam quæstionem. *Cum duplex potestas sit ordinata, scil. Potestas spiritualis, & secularis, vtrum ordinata potestate vna præemineat alteri?* Respondens vero glossæ: Tibi soli peccaui: Hæc habet. *Ad illud quod obijcitur ex authoritate Augustini super Psalm. 50. quod Rex non habet hominem qui eius facta iudicet: Facienda est vis in hoc quod dicitur (non habet hominem) spiritualis enim potestas non iudicat secundum hominem, vel secundum humanam legem, sed in quantum residet vice Dei.* Et infra. 31.

Et secundum potestatem ad vindictam spiritualem, non corporalem (An depositio vindicta est spiritualis.) *Secundum quod dicitur 2. Q. 7. Regum est exercere pœnam corporalem, Sacerdotium spiritualem inferre vindictam: vnde Ambrosius excommunicauit Imperatorem Archadium*, (dixisset Theodosium) *& ab ingressu Ecclesiæ prohibuit. Sicut enim Iudex terrenus non sine causa gladium portat Rom. 13. ita non sine causa claues Ecclesiæ sacerdotes accipiunt. Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: Isti claues habent ad exclusionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium.* Excludunt ergo excommunicatos ab Ecclesia, i. Regno Cælorum; non à Regno terreno. Sic enim exponit se Alensis) *Expone igitur: à Deo tantum est Rex puniendus, supple, pœna ma-*

nunquam sine culpâ vsurpat. Hæc ille. Vnde addit. *Propter hoc supra dixi Potestates illas in talibus impermixtas. Si verò petitur in quibus sibi cedunt euentibus; respondetur, vbi de peccatis & diuinis offensis agitur, maximè contra Ecclesiæ & Fidei disciplinam, Regalis Potestas Sacerdoti succumbit:* Sicut probat, ex Fælici Papa, Dist. 10. c. Certum est. *Vbi verò terrenum aliquod emolumentum locum retinet, necesse est, iuxta decretale capitulum, vt Præsidens Potestatis terrenæ, legibus sibi congruis se submittat:* id quod probat authoritatibus Hugonis, Bedæ, Gregorij, Ambrosij. Ex his perspicuum est, in temporalibus Regem præesse, Pontificem verò subesse; nec potest inferior destituere superiorem.

Ioannes de Parisijs (quem Bellarminus lib. 5. de Pontif. cap. 1. inter authores Potestatis indirectæ recenset; & si in hoc libro omittatur) omnia argumenta Bellarminiana doctissimè soluit & refutat; de Potestate Regia & Papali cap. 10. *Dato etiam quod Christus prædictam authoritatem* (temporalem) *& potestatem habuerit, eam tamen Petro non commisit: & ideo Papæ, ratione qua est successor Petri, prædicta Potestas non debetur: imo sunt potestates distinctæ Episcopalis & Regalis, vel Temporalis; non solum re, sed etiam subiecto: Et Regalis maior est in temporalibus, non habens super se superiorem, sicut nec Papa in spiritualibus.* 33.

Et c. 15. soluens argumenta: *Quod dicitur secundò; Quodcunq; solueritis &c. Respondeo secundum Chrysostomum & Rabanum: Per hoc non intelligitur aliqua potestas data, nisi spiritualis, absoluendi scil. à vinculo peccatorum. Stultum autem esset intelligere, quod per hoc detur potestas absoluendi à vinculo debitorum.* Consulat Lector librum: dignissimus est qui ab omnibus legatur.

Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, (qui à Bellarm. citatur l. 5. de Pont. c. 1 hic omittitur: nec sine ratione, quia hanc Potestatem euertit): De re sumpta: in Conclusione 1. *Quod licet tam Christus, quam eius vicarius Petrus, inquantum caput Ecclesiæ, habuerit Monarchiam spiritualem, non tamen Regiam temporalem.* Et infra. 34.

Sicut nec Petrus Apostolus vltra Monarchiam Sacerdotalem, sic nec Christus, secundum humanitatem, habuit Monarchiam temporalem. Et infra.

Primo, quia si Christus &c. tunc Petrus Apostolus, sicut successit Christo in Monarchia sacerdotali, sic succedere debuisset in Monarchia Regali Et infra.

Ad obiectionem; Apud quem est plena authoritas spiritualium, apud illum etiam est authoritas ordinandi de temporalibus &c. Sed ista, inquit, possunt apparenter solui, & contra ipsum reduci. Vnde ad primam & secundam simul dici potest, quod temporalia .i. negotia rerum temporalium & secularium, sicut principatus, Dominium, vel iudicium coactiuum litium, aut

Perſonæ à iurante, ſcil. in vtilitatem Platonis. Similiter iuramentum fidelitatis præſtitum Principi à ſubditis, ſit in vtilitatem Domini, & non ſolum propter Reuerentiam Dei: his ſuppoſitis quantum ad iuramenta primi generis, Papa poteſt diſpenſare cum ſit vicarius Dei: quantum verò ad iuramenta ſecundi generis non poteſt diſpenſare; hoc eſt ius relexare: quia Papa non habet poteſtatem aliquam faciendi contra ea, quæ ſunt in perniciem & damnum alterius: Nam non poteſt ſoluere Socratem ab obligatione quâ Platoni obligatur, vt in caſu prædicto. Similiter ſi Papa ſolueret vaſallos à iuramento fidelitatis Principis; hoc eſſet in perniciem & detrimentum Principis, & libertatis Regiæ, ideo à quocunq; iuramento vel obligatione, quæ obligatio eſt in vtilitatem alterius Perſonæ à Perſona obligante, non poteſt Papa talem ab alterius obligatione ſoluere, nam faciendo de obligato non obligatum, hoc eſſet in iniuriam alterius Perſonæ, &, ſi hoc faceret teneretur ad reſtitutionem: Et ſic reſolutio eſt, quod à iuramento præſtito in fauorem & vtilitatem alterius Perſonæ à Perſona quæ iurauit, Papa non poteſt diſpenſare, neq; alterum ab obligatione ex iuramento proueniente ſoluere, quare non poteſt Papa regulariter ſoluere vaſallum ab obligatione, qua obligatur ſuo ſuperiori. Et infra.

Opinio Doctoris (Occhami) ſimpliciter probabilior eſt quod nec per excommunicationem nec aliq modo, poteſt Papa Principem deponere à ſua dignitate Imperiali & regali, vide plura per totum librum.

Reginaldus Polus Cardinalis de Summo Pontif. cap. 26. poſtquam docuiſſet, cap. 25. & 26. Regimen Eccleſiæ non eſſe regimen auſterum aut ſeuerum, ſed benignum & miſericors, licet habeat poteſtatem ligandi & damnandi, ſicut & ſoluendi & ignoſcendi, idq; ſolum vt ſpiritus ſalvus fiat, tandem differentiam inter tribunal Eccleſiæ & ſeculi adhibet, infertque. *Illi enim quem morte damnarint in damnatione morti relinquunt: hic autem damnat vt damnatione liberet; morti tradit, vt vitæ reſtituat; deſtruit, vt ædificet; euellit vt plantet;* ſic vero concludit: *Quod ſi dixeris, non omnes Chriſti Vicarios ad hanc normam ſuum munus dirigere, atq; exercere, ſic habeto: Nos non de hominibus, qui hoc munere funguntur, ſed de ipſius muneris vi, & prima inſtitutione loqui: Quod ſi quis forte adeptus eſt, qui velit ea poteſtate quæ ad ſalutem & conſolationem omnium eſt inſtituta, & quæ vna conſolari poteſt, ad oppreſſionem & perniciem tam corporum quam animorum abuti; non hic ſane Poteſtatem ſed ſeipſum prodit; atq; eo grauius, quo maior eſt ea poteſtas qua abutitur.* 36.

Et idem libro de Defenſione vnitatis Eccleſiaſticæ ad Henricum octavum contra Sampſonem pag. 133. *Ain' tandem ſanctiſſime Petre Chriſtianos homines quamquam omnium maxime liberos, Regibus à religione alienis, obedire debere? Aio, inquit Petrus: hoc eſt enim voluntas Dei.*

à quo conſtituti ſunt, in vindictam malefactorum, laudem vero bonorum. (Aliter Thomas, & eius ſequaces, qui Reges propter meritum infidelitatis & Apoſtaſiæ priuandos dominijs cenſent.) Et infra pag. 134.

Sed quid ſi contra faciant, id eſt vt igneminiâ & panâ bonos afficiant, honores autem omnes in malos conferant, an ſic etiam obediendum illis erit quia hæc ſit voluntas Dei: obediendum ſanè, inquiet; hæc eſt enim gratia apud Deum, ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitiam patiens iniuſtè &c. Et infra.

Tertia quæſtio eſt: Dices ſanctiſſime Petre, Regibus in poteſtate conſtitutis, Regibus prophanis, etiamſi poteſtate non rectè vtantur, etiamſi à Religione Chriſtianâ alieni ſint, tamen obediendum eſſe. Quid ſi ad tyranni alicuius poteſtatem accedat etiam religio, ita vt non iam Ethnicus ſit ſed Chriſtianus, vt quod ad religionem attinet, neminem qui ſe Chriſtianum profiteatur oppugnet, ſed contra in eos qui quoquo modo religionem violent, ſemper ſit paratus ſuccrè animaduertere, etiamnè huic, Petre, parendum cenſes? Quis hic nunc pro Petro reſpondebit? Nec enim vlla illius expreſſa verba extant, quæ ad hanc quæſtionem nobis ſatisfacere videantur: verum annon ſatis apertè, ex ijs ipſis quæ iam citauimus Petri verbis, quid ipſe reſponſurus eſſet, elici poteſt? Si enim tyranno non ſolum à religione alieno, ſed religionem oppugnanti, tamen in ijs quæ illius poteſtati ſunt ſubiecta, obediendum eſſe propter poteſtatem cenſet: quis non facilè ex hâc ipſius ſententiâ colligat, ſi tyrannus nomen Chriſti profiteatur, & in eos qui à religione deſciſcant, acerbè vindicet vt maximè in reliquis tyrannum ſe præſtet, ei tamen de Petri ſententia parendum eſſe; de hoc planè nemo, quæ Petri ſententia ſit futura dubitare poteſt. Quid magis perſpicuum? ſi infidelis, Apoſtata, vel Chriſtianus Princeps ſit tyrannus, tamen obediendum eſt illi propter poteſtatem in ijs quæ illius poteſtati ſubiecta ſunt: non dicit ad depoſitionem eſt procedendum.

Hos octo proximè præcedentes authores; *Bernardum Hugonem, Alenſem, Waldenſem, Ioannem de Pariſijs, Cameracenſem, Almaynum & Polum*, non obſeruata temporum ſeric, ſimul adduxim us, quia eos Bellarminus tanquam partis ſuæ fautores, ſed inuitos & repugnantes attulit.

37. Alexander Theologus Anglus, dictus Cæmentarius, Pſeudo-Theologus Matthæo Pariſienſi; (ſic audiunt omnes, qui aperte contra Papę poteſtatem docent:) multa etiam mala hoc nomine perpeſſus à Stephano Langtono Archiepiſcopo Cantuarienſi, procurante Papa; (ſic ſolent Romanenſes aduerſarios beare.) Miſſus hic eſt à Ioanne Rege Romam, cauſam Regis acturus cum alijs proceribus, vt author eſt Matthæus Paris, in Ioanne ad Annum 1209. *Hic ad Papam non pertinere, de Regum ſiue de quorumlibet laicâ poſſeſſione, vel ſubditorum regimine, veriſimilibus quibuſdam*

dam probauit argumentis: cum præcipue Principi Apostolorum Petro, nihil à Domino, nisi Ecclesiæ tantum ac rerum Ecclesiasticarum sit collata potestas. Plura videat de hoc Alexandro apud Balæum Scriptorum Britan. cent. 3. num. 57. qui velit.

38. Robertus Episcopus Lincolniensis, dictus Grosse-teste: in dicto coram Innocentio 4. & Cardinalibus Lugduni 1250. 3. Idus Maij in Ms. in Bibliotheca Oxon. *Clamat insuper mundus quod hæc curia, contra præceptum Euangelicum, quo dictum est Petro, converte gladium tuum in locum suum, manu propria educit materialem gladium, & à solicitis de salute huius sacræ sedis vehementissimè timetur, nè, quod absit, veniat super eam ea terribilis subiuncta Domini comminatio, Omnes enim qui acceperunt gladium, gladio peribunt:* (Si gladius & potestas idem sunt, cum non habeat gladium temporalem, nec potestatem:) si quis plura eiusdem opera nondum excusa perlegerit, & ea quæ extant apud Matthæum Parisiensem in Henrico tertio obseruauerit, facilè intelliget non placere illi hanc potestatem temporalem cum tam grauiter minora (vtpote prouisiones & gratias expectatiuas) tamque acriter reprehendat.

39. Guilielmus Occham Anglus, qui ex professo libros contra hanc temporalem Potestatem edidit, pro parte Ludouici Bauari, contra Ioannem 22. Dialog. p. 1. l. 6. c. 9. ad 3. obiect. *Tertia responsio est: Quod Papa inquantum vicarius Christi, habet potestatem excommunicandi, sed pœnam maiorem nullatenus inferendi: dicunt enim quidam quod est vltima pœna quam possunt Ecclesiastici exercere isti dicunt ergo quod Papa in hoc est Imperatore superior, sed tamen in alijs est inferior ipso; scil. in omni iurisdictione temporali.*

Et idem p. 1. Tractatu 2. lib. 6. cap. 68. ad 2. & 3. *Principes seculares infideles siue nunquam fidem susceperint, siue fidem susceptam reliquerint, vel pertinaciter contra fidem errauerint, non sunt Principatibus iure diuino priuati, nec regulariter ex præcepto iuris diuini fideles vitare eos tenentur, quia in temporalibus eos vitare non necessariò astringuntur regulariter ex iure diuino.*

40. Disputatio inter Clericum & militem scriptum tempore Bonifacij 8. edita Simone Schardio. *Quemadmodum terreni Principes non possunt aliquid statuere de vestris spiritualibus, super quæ non acceperunt potestatem sic nec vos de Temporalibus eorum, super quæ non habetis authoritatem. Vnde friuolum est quicquid statuistis de Temporalibus super quæ potestatem non accepistis à Deo.* Quæ disputatio eadem ferè est cum principio Somnij Viridarij eisdem pœnè verbis prolata, & eodem prorsus sensu.

Ioannes de Ganduno, in Monarch. Haiminsfeild. Tom. 1. in informa-

tione de nullitate Processuum Papæ Ioan. 22. Contra Ludouicum Bauarum Imperat. pro superioritate Imperatoris in temporalibus, inter multas alias rationes pro nullitate huius processus, hanc adhibet. *Vnde etiam apparet quod hæ sententiæ latæ sunt, à non suo Iudice, cum Papa non sit Iudex Imperatoris in temporalibus; quantò minus in causa Imperij, à quo temporalia dependent; sicut patet per plura iura, & canonica & ciuilia superiùs allegata, &c.*

42. Marsilius Patauinus, in Defens. Pacis. d. tione 1, c. 19. *Opinione igitur hâc & affectione fortasse quam diximus principandi, Romanus Episcopus, iurisdictione coactiuâ seu temporali subiectum sibi facere nititur Principem Romanorum, qui nec iure debet, (vt ex sequentibus palam monstrabitur) nec eidem tali iudicio subijci vult: vndè tanta lis & discordia suborta est, vt non sine magnô discrimine animarum & corporum, ac rerum dispendio possit extingui, non enim Romano vel alteri Episcopo, aut cuiquam spirituali ministro, in quantum huiusmodi, in quenquam cuiusq; conditionis singularem Personam, cõmunitatem vel Collegium aliquod conuenit officium Principatus coactiui, quemadmodum determinatum est 15. & 17. huius.* Totus liber in hoc argumento est, adeòq; plura recitare supersedeo.

43. Aegidius Romanus, in 2. Sent. Dist. 44. q. 2. ar. 3. in Dubitatione Laterali: An semper homo superiori prælato magis quem inferiori debeat obedire, Argumento 3. in Contrarium. *Praterea potestas spiritualis est maior quam laicalis, tamen laicus si præcipiat sibi solui sua iura & sua debita, dato quod spiritualis prælatus mandaret contrarium: deberet subditus suo Domino laico obedire.* Cui argumento respondet concedendo propositum sic. *Ad tertium quod obijciebatur de potestate spirituali, & seculari vel laicali, dici debet quod illi principatus non sunt omninò eiusdem rationis, & hoc satis solutum est ex Euangelio, quia reddenda sunt & quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.*

Item in quæst. de vtraq; potestate: in Quæst. probat quod Papa nõ habet dominium omnium temporalium, 1. per rationes Physicas, 2. per rationes Theologicas, 3. Per iura Canonica, 4. Per iura Ciuilia. Et art. 3. hæc habet. *Est autem intelligendum, quod cum Christus triplicem habuerit potestatem, videlicet rerum corporalium, animarum, & temporalium facultatum; primâ quidam vsus est, infirmitates corporales curando, mortuos suscitando, ac in cunctis rebus corporalibus multimoda miracula faciendo. Secundâ vsus est, & commisit, videlicet spiritualem, quantum est necessarium & expediens ad salutem animarum. Tertia nec vsus est, sicut patet per exempla præmissa, nec commisit, quin potiùs eam Petro, quam cæteris Apostolis, interdixit, vt dictum est.*

44. Anonymus (qui scripsit temporibus Philippi Pulchri circá annum 1300.) in quæstione de potestate Papæ, cuius initium, Rex Pacificus: *Patet*

tet ergò ex prædictis, quod ſicut in humano corpore ſunt duæ partes principales, officia diſtincta & diuerſa habentes, ſc. Caput & Cor, ita quod vna de officio alterius ſe non intromittit: ſic in orbe duæ ſunt iuriſdictiones diſtinctæ ſcilicet: ſpiritualis & temporalis habentes officia diſtincta. Vnde ſicut non eſt aliquis Dominus temporalis qui ſe debeat reputare Dominum omnium in temporalibus & ſpiritualibus, ſic non eſt aliquis Dominus ſpiritualis qui debeat ſe reputare Dominum omnium in temporalibus & ſpiritualibus, ſed Dominus ſecularis erit in temporalibus, & Dominus ſpiritualis in ſpiritualibus,

Idem in deciſione quæſtionis ex figura à Virgarum Moïſis & Aaron ita infert. *Ex his colligi poteſt quod ſacerdos quicunq; iuriſdictionem habens in ſpiritualibus ſicut Aaron, nunquam ſuper illum qui habet iuriſdictionem temporalem etiam ſicut Moſes debet ſibi vendicare dominium; Et quod penes Eccleſiam quæ verè eſt Arca Teſtamenti non eſt repoſita virga, hoc eſt poteſtas aliqua niſi ſolummodo, virga Aaron. i. poteſtas ſpiritualis quantum eſt dico ex ordinatione primò diuinitus facta.* Quæſtio tota inſtituitur in defenſione noſtræ ſententiæ.

Idem poſt. *Ex quibus habetur, quod Eccleſia quantum ad temporalia poteſtati Regum & Principum eſt tradita & ſubiecta. Nec vacat à myſterio quodam ab illo propheta qui de ſacerdotibus qui erant in Anathot, viz: Ieremia quæritur aliquando quid videret. Ipſe ſe non virgam, ſed virgam vigilantem videre reſpondit, per hoc tam diſcretè quam ſanctè ſignans, quod quicunq; ſacerdos Domini hoc eſt ſacra præſidens in domo Domini, non ad duas virgas .i. duas iuriſdictiones vbiq; habendas, ſed ad virgam vigilantem. i. ad Iuriſdictionem ſpiritualem debet reſpicere, in quâ multum eſſe neceſſarium eſſe vigilem & ſollicitum.*

Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis, l. de Poteſtate Eccleſiaſt. Conſid. 12. *Dicit, adulatio etiam modeſtior, &c. Nihilominus tradit: quod Summus Pontifex ſupremus eſt Monarcha, neâum in ſpiritualibus ſed temporalibus habens Poteſtatem hanc immediatè à Chriſto; &c. Putatur ab aliis, Depoſitio vnius Regis Franciæ per Papam Zachariam hîc eſſe fundata; tanquã Papa ſit qui transferre poſſit Reges & Regna.* Et infrà. Vbi ſuam opinionem declarat; *Poſtremò, ſuis ſe terminis, ita Poteſtas Eccleſiaſtica coërceat, vt meminerit Poteſtatem ſecularem etiã apud infideles ſua habere propria iura, ſuas dignitates, ſuas leges, ſua indicia. De quibus occupare ſe Eccleſiaſtica Poteſtas non præſumat vel vſurpet, niſi dum redundat abuſus Poteſtatis ſecularis in impugnationem fidei & blaſphemiam Creatoris, & in manifeſtam Eccleſiaſticæ Poteſtatis iniuriam; tunc enim attendere conuenit vltimam huius Conſiderationis 12. particulam, quod in his Eccleſiaſtica Poteſtas habet Dominium quoddam: Regitiuum, directiuum, regulatiuum & ordinatiuum:* Non dicit Coërciuum; quod eſt contra diuiſum membrum, vt patet Conſid. 13. vbi diſtinguit Iuriſdictionem in coerciuam & directiuam, ſiuè regulatiuam, ſiue regitiuam, ſiue ordinatiuam. Et infrà. *Vitamus ex aduerſo ſtultas* 45.

&

Ioannes Maior, in 4. Diſt. 24. q. 3. vbi hanc quæſt. tractat. ex profeſſo, concluſ. 3. *Maximus Pontifex non habet Dominium temporale ſuper Reges: nam dato oppoſito ſequitur, quod Reges ſunt eius Vaſſalli, & eos ad nutum à Regni tradere poteſt de facto; licet peccet ſinè cauſa eos expellendo.* Et infra:

Rex Francorum ſuperiorem in temporalibus non recognoſcit: ſed dicis cum Gloſſa non recognoſcit de facto, debet tamen de iure: hanc gloſſam puto eſſe Aurelianenſem & textus corruptiuam. Et infra: *Oppoſitum aſſerens, & Maximum Pontificem & Reges offendit, & ijs nocumentum præſtat, ergò ſapiens non debet illud aſſerere: quod non profit Pontificibus manifeſtum eſt, quia facit, eos, quantum in ſe eſt, ſolicitos, vt illud Mathematicum Imperium in temporalibus manu teneant, quia non patiuntur diminutionem in temporalibus ad ſe ſpectantibus, verè vel apparenter: Et ſic miniſtratur ijs materia rapiendi alieni Imperij, quod nunquam ad finem deducere poterunt, vt legimus de Bonifacio 8. contra Philippum Pulchrum, & alijs varijs. Similiter eſt nocumentum Regibus in temporalibus pro ſuis Regnis defendendis, & in ſpiritualibus, quia multa mala tempore bellico committuntur: propterea Ioãnes Gerſon aſſerentes talia blandientes appellat.* Et infra, in fine Quæſtionis.

Licet Petrus Paludanus & De Turre-cremata teneant oppoſitum, ſed hoc quod ipſi tenent cenſuit in fide hæreſin facultas noſtra: & hoc idem alijs rationibus muniuimus.

Et idem, in 4. Diſt. 20. q. 2. *Forte dicis: Bonifacius 8. (de quo habita eſt mentio in quadam extrau. quæ incipit, Vnam Sanctam Eccleſ. de offic. Iud. ordinar.) apparenter multum definit quod Romanus Pontifex eſt ſupra Reges in temporalibus; quod tamen perſpicaciſſimi Theologi dicunt falſum eſſe.*

(Hæc ergò opinio, non ſolùm Maioris, ſed etiam Theologorum perſpicaciſſimorum & facultatis ſuæ, vt ſupra.) 50.

Ioannes Viualdus, in Suaſione inuitatoria pro referenda gratia. p. 136. *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, & propterea Petro Apoſtolorum Principi, qui, eodem ardore cordis, in quo cætera agere ſolebat, amputauit auriculam ſerui Principis Sacerdotum, in Perſona Prælatorum & Clericorum dictum eſt, conuerte gladium tuum in Vaginam Ioan. 18. Aeſi aperte diceretur; hactenus tibi tuisq; Prædeceſſoribus inimicos Dei gladio corporali licuit perſequi: de cætero in exemplum patientiæ, gladium tuum conuerte in vaginam, & ſpiritualem tantùm gladium, quod eſt Verbum Dei exerce.* Quid ergò Pontifici cùm gladio temporali expoſitionis? (Obſeruetur illud tantùm.) 51.

Ioannes Ferus, l. 3. Comment. in Matth. 16. in illa Verba, Tibi dabo Claues regni Cœlorum; *non dicit regni terrarum, nihil hæc verba ſpectant ad*

terre-

à Deo ordinata sunt, qui Potestati resistit (etiamsi Nero Imperaret) Dei ordinationi resistit: Dei enim minister est.

Gaspar Vlembergius, In l. cui Tit. Graues & iustæ causæ, &c. Causa 22. *Certè non Apostoli suum, at Christi potiùs Euangelium docuerunt; quod etiã-* 55.
num in Ecclesiâ Catholicâ habemus: non ad hunc modum tumultuati sunt: nunquam enim subditos contra Magistratum, nec Principes aut Duces contra Romanum Imperatorem ad rebellandam incitârunt: non fabella seditionum fuerunt, sed à motibus concitandis perpetuo dehortati sunt, vt obedientiam auditoribus suis semper inculcarent: Vnde veteres Christiani etiam cum viribus & numero Gentilibus superiores fuerunt, nihilo tamen minus persecutiones, opprobria, cõtumelias, supplicia, mortem demum ipsam à Gentili Magistratu perpeti maluerunt, quam huiusmodi contra eos rebellionem moliri, &c.

Niuianus Winzetus Abbas in velitatione contra Buchanan, p. 180. 56.
(vt citat. Barclaius contra Monarch. l. 3. cap. 12.) recitato Scripturæ loco in quo Dauid prohibuisse Abisai, lanceâ Saulem perfodere conantem, traditur; ita in subjicit: *audis veram Dei veri Prophetæ Theologiam: Regem videlicet, quantumuis impium, ipsius Dei iudicio, & castigationi relinquendum esse, nisi Deus, inquit, percusserit eum.*

Ioannes Costerus Iesuita, in fid. Demonstr. p. 96. ex Erasm. Ep. ad Vul- 57.
turium. *Apostoli nihil vi gerebant, tantum vtebantur gladio spiritus, neminem agebant in exilium, nullius inuadebant facultates; hæc omnia Erasmus non minus disertè quàm verè.*

Ludouicus Richeomus Prouincialis Societatis Iesu in Galliâ, in Ex- 58.
posit. Apologet. c. 21. *Excommunicatio non nisi excommunicatum facere potest, eaq; fulminatur in Principes, non vt Tyranni fiant, neq; vt suis ditionibus remoueantur, neq; vt subiectis gentibus, quas moderandi ac regendi sui, ipsæ suis Regibus dederunt, laxentur habenæ, vel inrata conceptaq; more ac legibus fide liberentur: verùm vt homines salutari terrore commodisq; supplicijs ad pietatis frugem quasi adducto freno reuocentur.*

Iacobus Bosgrauius in declaratione An. 1582. Et citatum à Reuerend. & 59.
doctiss. Episc. Elienſi, in Torturâ Torti. *Existimare se, idq; coram Deo, Pontifici nec de facto, nec de iure authoritatem vllam esse soluendi vel Reginæ (Elisabethæ) subditos, vel alterius cuiusquam Christiani Principis à fidelitate suâ, pro quâcunq; demum causâ, idq; sibi ità intimâ in conscientiâ persuasum esse, Reginam & esse Principem legitimam, & pro tali habendam esse; non obstante bullâ seu sententiâ quauis, quam Papa tulit, feret, poteritq; ferre in posterum; paratumq; esse se vt hoc (si ita opus) vel iureiurando testetur.* In quam etiam sententiam extant scripta Edwardi Rishtoni, & Henrici Ortoni.

Ioannes Hartus, In Epist. ante Collat. cum Reinold. anno 1584. *Verè af-* 60.
firmaui vsurpari præter ius fasq; à Pontifice potestatem Principes deponendi;

verè

profundum malorum veniens contempſerit, (cum Eccleſia non habeat vltra quid faciat) ne poſſit eſſe vltra perditio plurimorum, per ſecularem comprimendus eſt poteſtatem, ita quod ei deputetur exilium , vel alia legitima pœna inferatur: (Vltima ergò pœna eſt excommunicatio & Anathema, vbi ergò temporalis depoſitio?)

Huic decreto Cœleſtini concordat decretum *Concilij Conſtantienſis* contra *Ioannem Huſſ*, ab ipſa ſynodo prius condemnatum, excommunicatum, degradatum &c. In concluſione enim ſententiæ, Seſſ. 15. ſic habetur, *Hæc ſancta ſynodus Conſtantienſis Ioannem Huſſ; attento quod Eccleſia Dei non habeat vltra quid gerere valeat , iudicio ſeculari relinquere, & ipſum Curiæ ſeculari relinquendum fore decernit.* Hæc ſancta Synodus agnoſcit Eccleſiam non poſſe pœnis temporalibus (inter quas depoſitio in temporalibus) hæreticos coërcere.

Sed à Canonibus ad ipſos Iureconſultos deueniamus , qui tamen admodum timidè ſolent iſtam ſuſcipere defenſionem: nam donationem Imperij approbat Bartholus: *ſed quia ſumus in terris Imperij.*

Hieronymus Cagnolus, Repetitione in Rubr. præcem. ff. nu. 33. poſtquã allegâſſet ex Baldo, quod Canoniſtæ ponunt Papam ſupra verè Imperatoris, quodq; Imperium dependeat ab Eccleſiâ, infert; *Facilè herculè eſſet in puncto Iuris contra Eccleſiam defendere partes Imperatoris : verùm quia contra ſtimulum durum eſt calcitare, cùm aliis tranſeamus. Propterea, cùm in ſolutione prædicta dicitur quod Imperator imperat omnibus & nemo ſibi; intellige, Papâ excepto, qui in terris vicem Dei gerit, & nec Deus eſt nec Homo, vt per gloſſam patet, in præm. Clement. in verbo Papa.* 64.

Cynus, L. quoties, C. de Iudicijs. *Sed ſecundùm Canoniſtas qui fecerunt ſibi iura pro libito voluntatis, lex iſta (ſcil. Interdùm licet per conſequentiam quod non licet directò) ſeruaretur ad commodum ipſorum , non tamen contra eos ; quia dicunt quod Iudex ſecularis qui non poteſt cognoſcere principaliter de ſpiritualibus , non poteſt etiam cognoſcere incidenter ; ſed è contra , Iudex Eccleſiaſticus benè cognoſceret de cauſâ ſeculari , etiam incidenter, vt extrau. qui filij ſunt legitimi; cap. Lator. Et ſic faciunt contra legem iſtam propter ambitum iuriſdictionis ſecularis vſurpandæ & non propter aliud.*

Et idem, L. benè à Zenone C. de Quadrien. præſcr. *Imperator ſuperiorem caret, ſicut Papa , nam à Deo ſolo ſuum recognoſcit imperium.*
Et infra. *Conſecratio Papæ operatur , vt ſpiritualia bona ſiue dona & Spiritus Sancti gratiam conſequatur , vt augeatur interius quod exterius Vnctio præfigurat ; non autem vt ex vnctione & coronatione Iuriſdictionem conſequatur ; & per hoc quia antè conſecrationem Papa Rex facit Legem.* (Si Papa non confert Imperium indirectè , nec indirectè tollit , eadem enim ſunt principia conſtitutionis & deſtitutionis.)

Alberi-

ponere manum, nisi quatenus ille cui concesserat abuteretur ea, vt in C. Nouit; & nisi quatenus per illum sibi permitteretur. Licet ergò in machinâ sit vnus Princeps, qui cœlestia & supercœlestia & terrena gubernat & regit, & sic secundum Philosophum fuerit necessarium esse; tamen in machina mundiali voluit ille summus Princeps cœlestis duos constituere, & vnum praesse temporalibus, alium spiritualibus, & vnum fateor maius & nobilius altero, scil. Papa sicut Sol qui est luminare maius, nobilius est Luna quae est luminare minus: nec etiã dixit Petrus, habeo duos gladios sed, duo gladij sunt hîc.

Author Somnij Viridarij, (ad Carolum 5. Regem Francorum) Consiliarius Regis. Anno 1376. l. 1. in procœm. *Quippe enim duo sunt, quibus hic mundus regitur, Sacerdotium & Regnum; Sacerdos orat, Rex Imperat: Sacerdos delicta dimittit, Rex errata punit; Sacerdos animas ligat & soluit; Rex corpora cruciat & occidit: vterq; diuinæ Legis executor suum iustitiæ debitum cuiq; tribuit, dum Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filij hominum; filios hominum sanè decent arma & sagitta, filios Dei orationes vota & & sacrificia, vt carbones ignis succendantur ab ijs: vita enim Pastoris doctrina pascualis est ouis, & rigor punientis, pax est popularis.* 67.

Idem, l. 1. c. 7. *Ius voco, inquit Clericus, Decreta Patrum & statuta Romanorum Pontificũ. Respondet miles:* c. 8. *Quæ illi statuerunt, si de temporalibus statuerunt, vobis possunt iura esse, nobis verò non sunt: nullus quidem de his potest statuere, de quibus constat ipsum Dominium non habere: sicut nec Francorum Rex statuere potest super imperium, nec Imperator super Regnum. Et quemadmodum terrarum Principes non possunt aliquid statuere de spiritualibus vestris, super quibus non acceperunt potestatem, sic nec vos de temporalibus eorum, super quæ non habetis authoritatem. Vnde friuolum est, quicquid de temporalibus statuitis, super quæ potestatem non accepistis. Vndè risus venit mihi magnus, quoties mente reuoluo Papæ Bonifacij 8. statutum, quo cauetur, quod ipse est & esse debet super omnes principatus & Regna: nam de facili potest sibi sic ius acquirere super rem aliquam, cùm non restat nisi scribere, quia totum erit suum cũ scripserit; & sic totum erit vestrum, vbi statuere nihil aliud sit, quàm sic teneri velle; & nihil aliud est ius habere quam velle; non habet igitur nisi vt scribat; Hoc volo ius esse, cum voluerit castrum meum, villam meam, agrum meum. Nec latet vos sapientem Clericum, ad quid vos ducat ista disputatio.*

Idem, c. 73. *Cùm arguitis de Zacharia Papa, qui deposuit Regem Franciæ, dicendum est, quod hoc non est verum; hoc enim nunquam permisissent Barones Regni Franciæ: vndè & Ioannes in apparatu Decreti; super illo verbo, deposuit; glossat .i. deponentibus consensit: & certe secundùm veritatem historiæ, magis deberet glossari, deposuit .i. deponere volentibus cõsuluit. Pipinus enim misit ad Papam, non sicut ad temporalis Regni Dominum, sed sicut ad virum sapientem, ad habendum consilium; quia consiliũ eius ratione status summi Pontificij, videbatur esse multum authenticum, sicut apparet ex verbis illius*

historiæ : quod autem dicis de Frederico quem deposuit Innocentius Papa 4. de ipso potest dici, quod à Papâ recepit approbationem seu confirmationem & coronam, C. Venerabilem, de Electione, nihil autem horum est in Rege Frãciæ, ergò non est simile; nam in penitùs diuersis non cadit illa conditio.

Et idem, c. 163. De hac depositione Frederici, sicut & de depositione Othonis per Innocentium 3. aliorum opinionem referendo approbat. *Alij dicunt quod vterq; malè processit, vsurpando sibi potestatem quam non habuit, secundùm quod sæpe faciunt Romani Pontifices, vt notauit glossa, extrà, De foro Competen. C. Si quis. Dicens in hac verba: Papa siuè sint negligentes (scil. Laici) siuè non, quotidie concedit literas Clericis cõtra Laïcos super quâcunq; quæstione, & ita vsurpat iurisdictionẽ aliorum; propter quam vsurpationem dicunt ordinem Christianitatis esse confusum, quia omnis ordo iurisdictionis confunditur, si vnicuiq; iurisdictio sua illasa non seruetur; secundum quod testantur Canonicæ sanctiones c. 11. q. 1. c. Peruenit:* (sed tota illa glossa vt anus delira est, senio vel scelere potiùs expurgatorum antiquata; non reperitur enim quia vobis detrahit) *& ex ista vsurpatione populorum strages, vastationes ciuitatum, regionum & terrarum; & aliæ desolationes innumerabiles solent contingere, prout diebus nostris in Italia docet experientia satis abhorrenda.* (author iste omnes rationes obiectionesq; Bellarmini antè 200. annos diluit) liber dignus lectione potiùs hac in parte, quàm expurgatione, qua in eum iniquiùs sæuijstis.

68. Ioannes Petrus Ferrariensis, in forma libel. in Actione Confess. pro seruit. §. Plenã & omnimodam. *In tantum excreuit hic appetitus, quod nedum Laïci, sed etiam summi Sacerdotes & Clerici sunt tali morbo ac vitio penitus infecti, vides enim quod ipse Papa qui deberet tanquam verus Vicarius vestigia sequi Iesu Christi, possidere & manu armatâ nititur detinere iurisdictionem in terris, ciuitatibus, villis & locis quæ sunt naturaliter, & à mundi creatione, & Christi ordinatione Imperij Romani: iuxta illud, quod est Dei reddatur Deo & quod est Cæsaris Cæsari: imò ipse Papa in ipso Imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere & abominabile audire: nam naturaliter à principio mundi omnes Clerici, nedum Laïci erant sub potestate & iurisdictione imperij: sed ipsorum Imperatorum dulcedine & benignitate fuerunt Clerici dimissi sub potestate Papæ, & beneficium hoc tanquam ingratiscium malè cognoscere, vt notatur per Innocentium c. 2. de Maior. & obed. benè ergò & sanctè faceret ipse Papa si totam corporalem iurisdictionem in manibus Imperatoris remitteret, nec aliter vnquam Respublica & maxime Italia quiesceret, nec vlterius de Papatu tale schisma, quale fuit & est 37. annis præteritis vllo tempore amplius accideret: & ex hoc status vniuersus Clericorum magis redderetur Deo & populo deuotus, & ipse Papa cùm Cardinalibus viueret quietiùs ac Deo deuotiùs, & populo magis acceptius ac gratius. Vtinã hic nouus Imp. Rex Hungariæ qui hoc præsentè an. currẽtè 1413. mensis Nou. & Dec applicuit Landæ sed non Mediolanum, sit causa tantorum bonorum.*

Idem

Idē, in forma libelli, quo agitur ex subtilitu. §. ex suo corpore. *Nā scire debes, tu ignare, quod imperium aliquando habuit vtrumq; gladium, temporalē & spiritualem* (non specialem, vt sine sensu legunt nouæ editiones Lugduni 1564.) *adeò quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per vniuersum orbem, & amplius eligebant Papam, &c.* Et infra.

Surgat ergò bonus Imperator, & dicant omnes; Fiat pax in virtute tuà & abundantia in turribus tuis.

Antonius de Rosellis, de potestate Imperatoris & Papæ, part. 1. cap. 38. 69.
Ex quibus cōcludo hæreticum & insanum esse dicere quod vniuersalis administratio temporaliū sit, vel esse possit apud summum Pontificem. Qui etiā nu. 6. opinionē de potestate Pontificis vel habitu vel actu, cachinno pertūsit.

Idem, c. 25. *Ad coadiuuāda predicta accedat, quod inquit Veritas: Ioan. 17. Vbi, inquit, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Si igitur omnia consummauit, quæ sibi dedit Pater, ergò quæ sibi habuit fecit: sed Christus coercitiones temporales non exercuit, ergò eas, inquantùm Homo, non habuit: quia si habuisset, nec eis vsus fuisset, negligentia notari potuisset; quod de Christo dicere nefas est: Dist. deinde, 25. Nec etiam mādata sibi omnia à Patre consummasset; quod ipse negat: & quod non vsus fuerit ostenditur; nam & discipulum habuit, furem, proditorem & sacrilegum, & tamen pro tali delicto eum tēporaliter nō exercuit. Simile legitur Ioan. 6. Ex hoc enim multi discipuli abierunt retrò: ipse tamē eos de suis facinoribus tēporaliter nō compescuit: ex quibus colligitur in Christo potestatem secularem vel in eius vicarijs successoribus nunquā fuisse. Hoc cōfirmat, authoritas Bedæ, super id Matt. dùm dicit, inter vos qui estis mei non erit hoc violenter dominari: quoniā sicut omnia carnalia sunt in necessitate posita, spiritualia verò in volūtate: sic & qui Principes sūt spirituales, principatus habent in dilectione, nō in timore, sed qui habēt carnalē coercionē timeri debēt, illud Apostoli ad Rom. 13. Si male feceris time. Scl. Potestatē secularē: pro hoc quia Sacerdotū arma sunt lachrymæ, non ergò est gladius Pōtifici permissus.* Possem° his addere quę in Indice Belgico delēdavos ipsi cēsuistis.

Bartholomæus Socinus, p. 2. consil. 275. nu. 9. *Imperator dicitur habere iustū Imperiū super omnes nationes, vt dicit Hostiensis; sed Imperator nec eius dignitas etiam per Papam supprimi potest, vt dicit Dominus Abbas. Item qui non recognoscunt superiorem, si sunt negligentes in administrandâ iustitiâ, non supplet Papa, sed Imperator. Et est Maiestas & Dignitas Imperatoris super omnes dignitates & Maiestates seculares.* 70.

Gregorius Haimburgensis. l. C. & legatus Sigismundi ad Piū 2. in Cōsut. Primatus Papæ. *Ex quibus patet fabulā & figmentū esse quod in decretalibus Pontif. Romanæ scribitur quod à Christo habeant plenitudinē potestatis sibi collatā, & huiusmodi Dominiū, vt & Regibus & Principibus in tēporalibus præfecti sint.* Eadem persequitur per integrum librum: scripsit etiā appellationem Sigismundi Imperatoris à Papa ad Concilium, quòrū causa Pius 2. eum fulmine excommunicationis ferit. Liber extat in Antilogiâ Papæ, & nuper editus est cū alijs eiusdē argumenti ab Haiminsfeldio in Monarchia. 71.

72. Gaſpar Valaſcus, Sup. L. Imperium. ff. De iuriſd. omnium Iudic. in part. 1. Repet. Iuris Ciuil. *Nam dicit Baldus quod in Principe eſt plenaria ſedes libertatis; nam & Chriſtianorum duo ſunt genera, vnum Laicorum, Clericorum aliud. Papa eſt caput Clericorum, Imperator verò Laicorum; & iſta duo capita à diuina clementia proceſſerunt, & ad exemplum Solis & Lunæ creati fuerunt: & vnus non debet iura alterius occupare; & facta ſubditorum iudicare debent, facta verò ipſorum iudicabuntur à Deo:* quæ ſingula ex textu Iuris confirmat.

73. Ioannes Igneus, In Diſput. An Rex Franc. &c. num. 100. *Papa Regem Franciæ nequiuiſſet deponere, niſi populo idipſum poſtulante: Ipſe ſolus non potuiſſet niſi populus petiſſet.* (Quid magis vulgare apud teſtes Bellarmini quam: Solus Papã deponit Imperatorem?) Et ſupra, num. 37. *Papa in terris Imperij non poteſt ſe impedire* (hoc eſt intromittere) *de iuriſdictione, nec legitimatione, vel quibuſcunq; alijs quæ concernunt imperium.*

74. Ioannes Tercelinus, qui edidit Ioannem ab Ananiâ, in annotationibus Marginalibus; in verbum; offendere: Tit. de Hæreticis c. 13. §. Moneantur. Hæc habet. *Offendere: Papa tamen non poteſt Imperatorem deponere, licet poſſit deponentibus conſentire: vt notat gloſſa, c. 15. q. 6. c. Alius.*

Et idem ibidem, *Dicit Archidiaconus; quod non poſſet deponere Regem Francorum.*

75. Bartholomæus Caſſanæus, Catal. Gloriæ mundi p. 5. Conſid. 28. *Imò etiam Imperium Chriſti nunquam fuit vniuerſale quoad temporalitatem; cũ ipſemet dixerit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ioan. 18. Et ſuo tempore fuerunt Principes, vt Octauianus & Tiberius, ſub quo paſſus eſt; & voluerit eorum iura intacta ſeruare: dicens, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei Deo, Marc. 12.*

Et infra. Conſid. 34. *Imò etiam ſacerdotes primi & ſecundi ordinis eidem Principi obediunt, cum ijs præcipere poteſt Princeps, 4. Reg. 23, Ibi & præcepit Rex Helciæ. Imò Principes, Sacerdotes conſtituebant iure diuino, prout habet Exod. 28. de Moſe Hebræorum Duce; qui conſtituit Aaron fratrem ſuum Sacerdotem: Et de Iudâ Macchabæorum Duce, qui elegit Sacerdotes, qui purgarent ſancta: 1. Macch. 4. Imò Prælatus electus & confirmatus non poteſt adminiſtrare donec &c. C. Lectis. Diſt. 63.*

Et infra. Conſid. 35. *Imò in tantum eſt honorandus Princeps, quod pro conſeruatione ſui honoris toleratur iniquitas, & præferendus eſt honor Principis commodo publico, vt dicit Lucas de penna.*

76. Franciſcus Duarenus, l. 1. de Sacris Eccl. miniſterijs, & beneficijs, c. 4. *Ex his conſtat Sacerdotes Iuriſdictionem aliquam tam in Populum quam in Clerum ſemper habuiſſe; ſed olim moderatius aliquanto exercebatur, nullâ vi corporali adhibitâ, ſed incorruptiùs & ſinceriùs, & magis ex vſu, vt arbitror Eccleſiæ.* Et infra.

Gladij igitur ius & Imperium nõ habẽt Sacerdotes, ſed Magiſtratus ciuilis; vt clare

vt clare testatur Christus cum ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Et infra: proponens decretum Bonifacij 8. necnon exempla Zachariæ deponentis Childericum, & Leonis transferentis Imperium, & Innocent 4. deponentis Fredericum, hęc habet, *Ea constitutio sic displicuit nobili Iurisconsulto Cyno Pistoriensi, vt eam quasi ex Pontificiorum errore profectam notare ac eleuare non dubitauerit.*

Atq; ita censuerunt pleriq; alij non contemnendæ authoritatis Iureconsulti. Bartolus verò eam perfunctoriè, ac, vt ita loquar, dicis causa tueri videtur; (vtpotè fluctuans, & in loco Imperij constitutus) Accedens verò ad suam sententiam: *Postea ego certè* (inquit) *neminem paulo saniorem eruditioremq; hoc tempore esse arbitror, cui incœptum illud Bonifacij probari possit: Ac maxime verendum est, si tales esse pergant reliqui, ne Diui Bernardi vaticinium verum esse comperiamus, &c. Vtrumq; inquit, habere gladium si voles, vtrumq; perdes.*

Adam Blacuodæus, in Apologia pro Regibus cõtra Buchananum, c. 22. de facto Zachariæ & procerum, populiq; Galliæ, in depositione Childerici; hæc habet. *Pipino per Legatos Regnum ambienti, iustissimas obtendenti precibus causas, annuit Christianorum ille Parens, non tam quid iuris esset Childerico, vel quid Pipino deberetur, animo proponens suo; quam quid Christianorum omnium rebus in extremo periculo constitutis expediret.* Et infra, *Pontifex igitur quamquam exemplo perniciosum esse non ignorabat.* Et infra. *Cum legitimi Principis iniuria coniunctum.* Et infra. *Tamen omnis hominis iniuriam, effœminati, mollis, incesti, omnium saluti posthabuit.* Et infra. *Non iubente sed permittente Pontifice, Populus Regem abdicauit. &c.* Et infra. *Quod si minus ista tibi, satisfaciunt, ac Populum modo mutati Regis authorem agnoscis, iure mutatum esse nego; nego factum hoc, quod vnicum est, legis vicem obtinere. Ac rursus obiecero tibi, legibus esse, non exemplis iudicandum, nec tam spectandum quid factum, quam quid fieri debuerit.* 77.

Et supra. cap. 13. *Non armis sed malorum tolerantiâ, sanctitate & innocentia vitæ, Ecclesia Christi coaluit. Id instituto vitæ suæ docuit ipse Christus, verbis imperauit, morte sanxit, quod Apostoli, Prophetæ, Martyres, Sanctissimi Pontifices Sacerdotesq; nostri, Ducis Imperatorisq; sui vestigia secuti cõstantissimè retinuerunt. Qui ne capitalibus quidem inimicis vnquam imprecati sunt, nedum legitimos Principes ac iudicio Dei constitutos, ferro igneq; prosequerentur.*

Vide plura, cap. 31. & per totum librum. Et in lib. 2. de coniunctione Religionis & Imperij pag. 75. *Quid quod eum vltimo supplicio mulctauit, qui Regis interfecti mendacio se iactabat, non occiderat Saulem Amalechites ille, sed quasi gratiam Dauidis initurus occidisse falsò gloriabatur. Cæteris mortalibus documento esse voluit religiosissimus ille vir, Regum pœnas soli Deo permittendas, nec licere cuiquam mortalium non modo in Christum Domini*

manus immittere, ſed ne verbo quidem ſacroſanctam illam poteſtatem violare. Et infra. *Quis vnquam veterum Prophetarum Populum à Magiſtratuum obedientiâ reuocauit? &c.* Et infra, p. 88. *Si quid à Regibus peccatum eſt, non hominē ſed Deū habēt Iudicē, cuius in terris vicē gerunt, vt imperent alijs, vt coerceant, non à quoquam ipſi coerceantur.* Vide plura per totum Librum.

78. Iacobus Leſchaſſerius, tract. de libert. Eccl. Gall. apud Bochellum in decret. Eccl. Gall. lib. 1. Tit. 21. c. 1. p. 646. *Neq; Papa, neq; totus omnino Clerus ius habet de vlla re temporali ſtatuendi; multo minus de vllo Regno ſeu Imperio ſupremo.*

79. Petrus Pithæus, lib. de libert. Eccl. Gall. qui inter eius opera Gallicè extat. *Viri ſapientes inuenient libertatem (Eccleſiæ Gallicanæ) duabus potiſſimū niti Maximis, quas Francia ſemper vt certas habuit; quarum prima eſt; Papas non poſſe aliquid præcipere, vel ordinare, vel in generali, vel in particulari, in ijs quæ res temporales concernunt, in locis & terris ſupremo Regis Chriſtianiſſimi Dominio ſubiectis; & ſi aliquid præceperint vel ſtatuerint, ſubditi Regis, etiamſi ſint Clerici, eam ob causam non tenentur illis (ſummis Pontificibus) obedientiam præſtare:* Et infra: *Papa non poteſt prædæ exponere vel dare Regnum Franciæ vel eius pertinentias, nec eo priuare Regem, aut quocunq; modo ea de eo diſponere; & non obſtantibus quibuſcunq; monitionibus, excommunicationibus, aut interdictis, quæ Papæ facere poſſunt ſubiecti tamen non debent obedientiam Regi debitam, pro temporalibus deſerere; neq; in ea ne per Papam diſpenſari aut abſolui poſſunt.*

80. Petrus Gregorius Tholoſanus, De Repub. l. 26. c. 5. (vbi hanc quęſtionem difficilem, vt ipſe vocat, ex profeſſo, etſi modeſtè cauteq; tractat. propoſitis Oziæ, Athaliæ, Childerici exemplis, nec non Decreto Bonifaciano quo terrorem potiùs quam religionem incuſſit) tādem ſic cōcludit. *Quocirca rebelliones in Principem prætextu vitiorum eorum effugere non poſſunt crimen Maieſtatis, & Dei indignationem: & potiùs relinquendi ſunt malè regnantes iudicio Dei quam polluendæ manus ſacrilegio & parricidio per ſubditum; nec caret Deus modis quibus poſſit quando voluerit huiuſmodi malos Principes tollere vel emendare.*

Hiſtorici.

A Iuriſconſultis ad hiſtoricos & humanioris literaturæ viros procedamus, vt quam malè placeat omnibus hæc doctrina de temporali poteſtate Pontificis in Regibus deponendis, ſub, non tam trium teſtium, quam trium generum teſtimoniorum ſententia, teſtatiſſimum ſit.

81. *In Faſciculo rerum expetend.* Benno Cardinalis de vita & geſtis Hildebrandi: proponens verba Decreti, Nos ſanctorū, vt extat 5. q. 6. C. Nos Sanctorū hanc proponit cē ſurā. *Hoc eſt Decretū Hildebrandi, in quo à doctrinā & fide Catholicā aberrauit.*

82. Anonymus in vita Henrici 4. (etſi timidè contra Pontificem loquatur.) hæc habet de fugā Rodolphi. Ibidem, & inter Hiſtorias Germ. *Qui audita eius (Henrici) regreſſione, antè paratus ad fugam quam ad pugnam, antè pul-*

ſus quam

sus quam victus in Saxoniam fugit: facile est regnum accipere, difficile tueri: Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum & strenuum nunc fugisse; quia sæpe iustior & victrix causa, fortes in metum mittit & in fugam. Ecce Henrici causa iustior. Et infra. *Sed vltimum* (Henricus) *reuersus, tam notandâ quam fœlici victoria vicit; magnumq; mũdo documentum datum est, vt nemo contra Dominum suum consurgat: Nam abscissa Rodolphi dextra dignissimam periurij vindictam demonstrauit, qui fidem Domino suo Regi iuratam violare non timuit; &, tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam huius membri pœna, vt per pœnam agnosceretur & culpa.*

Sigebertus Gemblacensis, (qui Rogatu Henrici Archidiaconi & Decani Ecclesiæ Sancti Lamberti, validis Patrum argumentis respondit Epistolæ Hildebrandi Papæ, quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum in potestatis Regiæ calumniam, vt ipse memorat in Catalogo, illustrium virorum, vt citat Possevinus in Apparatu) hæc habet in Chronograph. ad Annum 1088. *Nimirum (vt pace omnium bonorum dixerim) hæc sola nouitas, non dicam hæresis, nec dum in mundo emerserat, vt Sacerdotes illius qui dixit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata Populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem se inserint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur; qui contra Regem fecerit à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.* 83.

Vincentius Belluacensis; Specul. Hist. L. 26. c. 84. eadem omninò habet & approbat: 84.

Otho Frisingensis, (qui Bellarm. author certus fideq; dignissimus, cap. 9. contra Barclaium.) L. 7. Histor. in Prologo. *Sic & Regnorum mutationes, & ad vltimum imminutiones, qui fructus sequatur, quia non sine graui scandalo dicere possumus, Deo, apud quem nihil inutiliter effluere potest, relinquamus: Non desunt tamen, qui dicant Deum ad hoc Regnum imminui voluisse, vt Ecclesiam exaltaret, Regni quippe viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam; constatq; non prius eam in tantum Regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem Sacerdotij euiscerato, ac viribus exhausto; non eius tantum id est spirituali, sed suo proprio, materiali scil. gladio, percussum destruetur; quod iudicare vel discutere supra nostras vires est: videntur tamen Sacerdotes culpandi per omnia, qui Regnum suo gladio quem ipsi ex Regum habent gratia ferire conantur.* 85.

Conradus à Lichtenaw Abbas Vrspergensis in ἀναπαλαιώσει Chronici Conradi, Henricorum 3. & 5. Hæc habet post allegationem Ottonis Frisingensis. *Licet præfatus Otto hæc scribat, constat tamẽ ex his quæ superiùs longè descripta sunt in pluribus locis, quod Imperatoribus siuè Regibus quarundam nationum, vergentibus in multam peruersitatem vel nequitiam, siue in desidiam, vt inutiles censerentur multoties* 86.

diuino Iudico reprobati sunt, aliq; in locum eorum subſtituti ſunt. Quod plerunq; nulla accedente authoritate Romanæ Eccleſiæ factum eſt, ſicut frequenter de Imperatoribus apud Conſtantinopolim poſitis legitur, vt ſupra deſcriptum eſt. Quandoq; etiam acceſſit authoritas Romani Pontificis, ſicut in geſtis Romanorum Pontificum legitur, quod Gregorius 7. fecit recedere totam Italiam de poteſtate Leonis Auguſti, & ipſum excommunicauit, & Regno priuauit, talia quoq; alibi plerunq; leguntur, & noſtris Temporibus facta fuiſſe cernuntur. Licet autem Romani Pontifices hæc ſibi aſcribant, & ſe feciſſe glorientur, nos tamen aduertimus, hæc potiùs facta fuiſſe diuino Iudicio culpis Imperatorum exigentibus, animiſq; Principum ſiue Gentium ad reſiſtendum ſe coadunantibus. Et infra. *Sub temporibus namq; noſtris, Fredericus primus eius nominis Imperator Romanorum, ab Adriano Papâ & Alexandro, aliſq; ſucceſſoribus excommunicatus (vt ipſi aſſerunt) non perdidit Imperium. Philippus quoq; filius eiuſdem Frederici poſt mortem fratris ſui Henrici 6. acquirens ſibi Imperium ſiue Regnum Romanorum, propter excommunicationem Cœleſtini Papæ 3. ſicut meminimus factum fuiſſe ſub temporibus noſtris, nunquam perdidit illud.*

87. Guntherus Ligurinus de Geſtis Frederici, lib. 6. poſtquàm plurima vana in literis Adriani Papæ recitauerat, & piſtolam Frederici referens, approbando hæc ait.

Ergò quid ad ſummum de Regni iure, quid oro
Pontificem ſpectat? nullum caput iſta ſuper ſe
Aſpicit excepto Cœlorum Rege, poteſtas.
Eccleſiam regat ille ſuam, diuinaq; iura
Temperet, Imperium nobis, faſceſq; relinquat.

88. Dantes Aligherius: De Monarchia L. 3. In quo fuſè probat Imperium non dependere à Pontifice, ſed immediatè à Deo: in reſponſionibus ad argumenta hæc habet. *Quodcunq; ſolueris ſuper terram: & ideò dico, quod hoc ſignum vniuerſale omne, quod includitur in Quodcunq;, nunquam diſtribuit extra habitum termini diſtributi:* & concludit; Et poſtea, ait. *Ideò dico, quod etſi ſucceſſor Petri ſecundum exigentiam officij commiſſi Petro, poſſit ſoluere & ligare, non tamen propter hoc ſequitur quod poſſit ſoluere ſeu ligare Decreta Imperij, ſiue leges, vt ipſi dicebant, niſi vlteriùs probaretur hoc ſpectare ad officium clauium; cuius contrarium inferiùs oſtenditur.* Et infra: *Ecce duo gladij hîc: Et ad hoc dicendum, per interemptionem ſenſus in quo fundatur argumentum; dicunt enim illos duos gladios quos aſſignauerit Petrus, duo præfata Regimina importare: quod omnino negandum eſt, &c.* Et ſupra. *Ad illud; quod Saul Rex inthronizatus fuit & de throno depoſitus per Samuelem, reſpondet: Et ad hoc dicendum, per interemptionem eius quod dicunt, Samuelem Dei vicarium; quia non vt vicarius ſed vt Legatus ſpecialis ad hoc, ſiue nuncius portans mandatum Domini expreſſum hoc fecit;*

quod

quod patet, quia quicquid Deus dixit hoc solum fecit & non retulit: vnde sciendum quod aliud est esse vicarium, aliud est esse nuncium siue ministrum; sicut aliud est esse doctorem, aliud est esse interpretem, &c. Et infra.

Item illud quod est contra naturam alicuius non est de numero suarum virtutum; cum virtutes vniuscuiusq; rei consequantur naturam eius propter finis adeptionem: sed virtus authorizandi regnum nostra mortalitatis est contra naturam Ecclesiæ (quæ est, vt infra exponit, nihil aliud quam vita Christi tam in dicto quam in factis comprehensa) ergo non est de numero virtutum suarum. Dantes iste non tantum Poëta, vti Bellarm. in appendice ad lib. de Sum Pontif. sed & magnus Philosophus, Dialecticus, & Theologiæ non ignarus. *Cap. 14.*

89. Helmoldus in Chron. Sclau. cap. 33. post laudes Henrici 4. inquit. *Porro Romanum Antistitem Gregorium, & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, ita etiam infestare studuit; impulit eum ad hoc, vt multi dicunt grauis necessitas: quis enim vel minimam honoris sui iacturam æquanimiter feret? legimus autem quia multi peccauerunt, quibus tamen subuentum est pœnitentiæ remedio: Certè Dauid peccans & pœnitens, Rex & Propheta permansit: Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum iacens, orans ac pœnitens gratis pessundatus est: nec inuenit tempore gratiæ, quod ille duro legis tempore. Sed disputauerint de his qui scierint vel ausi fuerint; vnum hoc scire licet quia Romana sedes adhuc hodie luet factum illud; à tempore enim illo quotquot regnant de stirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Ecclesias, ne resumant vires consurgendi aduersus Reges; nec inferre quæ intulerunt patribus eorum.*

90. Petrus de Flote Nuncius Philippi Pulchri ad Bonifacium octauum; qui mandata Regis constantissimè coram Papa prosequebatur; apud Thom. de Walsingh. in hypodigm. Neustriæ, & apud Florilegum An. 1301. *De cuius audaciâ Papa exasperatus dicto Petro respondit: Nos habemus, inquit, vtramq; potestatem; & ilico Petrus pro suo Domino respondit; Vtiq; Domine, sed vestra est verbalis, nostra autem realis, quo responso tantum excanduit ira Papæ, vt diceret, se monere contra eum Cælum & terram.*

91. Theodoricus à Niem scriba Pontificius, & postea Episcopus Verdensis de Schism. l. 3. c. 7. *Ex quo infertur quod fatuè & adulatorie loquuntur illi qui dicunt quod Papa seu Ecclesia duos habet gladios, scil. spiritualem & temporalem; cum in Euangelio Petro sit dictum, conuerte gladium tuum in vaginam: Et ibidem addit à ratione viz. omnis enim qui gladio ferit &c. Etenim si vterq; gladius apud Papam existeret, supernacue vel fictè Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet, sed isti adulatores seu assentatores per talia scripta & dicta, inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam emulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem.*

Wer-

verè enim id ſentio, nempè tametſi dignior multò & ſublimior ſit poteſtas ſpiritualis temporali, eſſe tamen vtramq; à Deo, nec alteram ab alterâ pendere: Concluſionem autem inde hanc elicio, eorum ſententiam, qui Pontificem ſtatuunt ſuper Reges & Principes Dominum temporalem eſſe, nihil prorſus vel rationis habere vel probbailitatis: nihil enim Pontifici eſſe quod cum Regibus agat, vel ijs quæ Regum ſunt, ciuiliter quidem; tantum abeſt vt deponere poſſit eos, vel de eorum Regnis ſtatuere, pars hæc Pontificij muneris nulla eſt; At meo quidem indicio paternum Eccleſia regimen habet, principatum mundi non habet; nec enim talem ſibi titulum Chriſtus vnquam vindicauit, nec vel Petro eum contulit, vel cuiquam diſcipulorum.

Iuriſconſulti.

ETſi verò opinio illa poteſtatis directæ, Canoniſtarum propria habeatur (quámuis multi etiam Theologi eam ſequãtur,) & aliqui ex ijs poteſtatis indirectæ aſtipulatores ſint; nam vt de ijs Dantes: *Decretaliſtæ Theologiæ & Philoſophiæ cuiuſlibet inſcij & expertes, ſuis decretalibus innixi, imperio derogant*; quiq;, vt de ijs Cynus, *fecerunt ſibi iura pro libito ſuæ voluntatis*: non deſunt tamen, & Canoniſtæ & Legiſtæ, vná cum ipſis Canonibus qui Maieſtatem Imperialem Regiamq; contra Pontificum tyrannidem, doctrinamq; Hildebrandicam ſartam tectam conſeruare ſtudent.

De Monarchia. l. 3.

Codice de Iudicijs L. quoties.

61. Leo 4. 2. q. 7. c. Nos ſi incompetenter. *Sed notandum eſt quod duæ ſunt Perſonæ quibus mundus iſte regitur; Regalis vix & Sacerdotalis; ſicut Reges præſunt in cauſis ſeculi, ita Sacerdotes in cauſis Dei: Regum eſt corporalem irrogare pœnam, Sacerdotum ſpiritualem inferre vindictam. Dauid ergò etſi ex Regali vnctione Sacerdotibus & Prophetis præerat in cauſis ſeculi, tamen ſubiecit ijs in cauſâ Dei.* Et infra. *Nathan ergò Propheta cum Regem redarguit, ſuum eſt executus officium, in quo erat Rege ſuperior; non vſurpauit Regis officium, in quo erat Rege inferior; monuit eum, vt per pœnitentiam peccata ſua expiaret, non tulit in eum ſententiam quâ tanquam adulter & homicida morti addiceretur:* Et infra. *Sicut enim non ſinè ratione, iudex gladium portat, ita non ſine cauſâ, claues Eccleſiæ Sacerdotes accipiunt: ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: iſti habent claues ad excluſionem excommunicandorum, & reconciliationem pœnitentium.*

62. Nicolaus Papa, 33. q. 2. c. Inter hæc. *Sancta Dei Eccleſia mundanis nunquam conſtringitur legibus; gladium non habet niſi ſpiritualem, quo non occidit ſed vinificat.* (Vbi iam duo gladij?)

63. Cœleſtinus 3. Extrau. de iudicijs, c. Cùm ab homine. *Clericus in homicidio, furto, periurio, vel alio crimine deprehenſus ab Eccleſiaſtico Iudice deponẽdus eſt; qui ſi depoſitus incorrigibilis fuerit excommunicari debet: deinde contumaciâ creſcente, Anathematis mucrone feriri, poſtm. dùm verò ſi in pro-*

profundum malorum veniens contempſerit, (cum Eccleſia non habeat vltra quid faciat) ne poſſit eſſe vltra perditio plurimorum, per ſecularem comprimendus eſt poteſtatem, ita quod ei deputetur exilium , vel alia legitima pœna inferatur: (Vltima ergò pœna eſt excommunicatio & Anathema, vbi ergò temporalis depoſitio?)

Huic decreto Cœleſtini concordat decretum *Concilij Conſtantienſis* contra *Ioannem Huſſ* , ab ipſa ſynodo prius condemnatum, excommunicatum, degradatum &c. In concluſione enim ſententiæ, Seſſ. 15. ſic habetur, *Hæc ſancta ſynodus Conſtantienſis Ioannem Huſſ; attento quod Eccleſia Dei non habeat vltra quid gerere valeat , iudicio ſeculari relinquere, & ipſum Curiæ ſeculari relinquendum fore decernit.* Hæc ſancta Synodus agnoſcit Eccleſiam non poſſe pœnis temporalibus (inter quas depoſitio in temporalibus) hæreticos coërcere.

Sed à Canonibus ad ipſos Iureconſultos deueniamus , qui tamen admodum timidè ſolent iſtam ſuſcipere defenſionem: nam donationem Imperij approbat Bartholus: *ſed quia ſumus in terris Imperij.*

Hieronymus Cagnolus, Repetitione in Rubr. proœm. ff. nu. 33. poſtquã allegâſſet ex Baldo, quod Canoniſtæ ponunt Papam ſupra vicem Imperatoris, quodq; Imperium dependeat ab Eccleſiâ, infert; *Facilè herculè eſſet in puncto Iuris contra Eccleſiam defendere partes Imperatoris : verùm quia contra ſtimulum durum eſt calcitare, cùm aliis tranſeamus. Propterea, cùm in ſolutione prædicta dicitur quod Imperator imperat omnibus & nemo ſibi; intellige, Papâ excepto, qui in terris vicem Dei gerit, & nec Deus eſt nec Homo, vt per gloſſam patet, in pram. Clement. in verbo Papa.* 64.

Cynus, l. quoties, c. de Iudicijs. *Sed ſecundùm Canoniſtas qui fecerunt ſibi iura pro libito voluntatis, lex iſta (ſcil. Interdùm licet per conſequentiam quod non licet directè) ſeruaretur ad commodum ipſorum , non tamen contra eos ; quia dicunt quod Iudex ſecularis qui non poteſt cognoſcere principaliter de ſpiritualibus , non poteſt etiam cognoſcere incidenter ; ſed è contra , Iudex Eccleſiaſticus benè cognoſceret de cauſâ ſeculari , etiam incidenter, vt extrau. qui filij ſunt legitimi; cap. Lator. Et ſic faciunt contra legem iſtam propter ambitum iuriſdictionis ſecularis vſurpandæ & non propter aliud.*

Et idem, L. benè à Zenone C. de Quadrien. præſcr. *Imperator ſuperiorem caret, ſicut Papa , nam à Deo ſolo ſuum recognoſcit imperium.*
Et infra. *Conſecratio Papæ operatur , vt ſpiritualia bona ſiue dona & Spiritus Sancti gratiam conſequatur , vt augeatur interius quod exterius Vnctio præfigurat ; non autem vt ex vnctione & coronatione Iuriſdictionem conſequatur ; & pro hoc quia antè conſecrationem Papæ Rex facit Legem.* (Si Papa non confert Imperium indirectè , nec indirectè tollit , eadem enim ſunt principia conſtitutionis & deſtitutionis.)

Alberi-

ponere manum, nisi quatenus ille cui concesserat abuteretur ea, vt in C. Nouit; & nisi quatenus per illum sibi permitteretur. Licet ergò in machinâ sit vnus Princeps, qui cœlestia & supercœlestia & terrena gubernat & regit, & sic secundum Philosophum fuerit necessarium esse; tamen in machina mundiali voluit ille summus Princeps cœlestis duos constituere, & vnum praesse temporalibus, alium spiritualibus, & vnum fateor maius & nobilius altero, scil. Papa sicut Sol qui est luminare maius, nobilius est Luna quae est luminare minus: nec etiã dixit Petrus, habeo duos gladios sed, duo gladij sunt hic.

Author Somnij Viridarij, (ad Carolum 5. Regem Francorum) Consiliarius Regis. Anno 1376. l. 1. in procem. *Quippe enim duo sunt, quibus hic mundus regitur, Sacerdotium & Regnum; Sacerdos orat, Rex Imperat: Sacerdos delicta dimittit, Rex errata punit; Sacerdos animas ligat & soluit; Rex corpora cruciat & occidit: vterq; diuinae Legis executor suum iustitiae debitum cuiq; tribuit, dum Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filij hominum; filios hominum sanè decent arma & sagittae, filios Dei orationes vota & & sacrificia, vt carbones ignis succendantur ab ijs: vita enim Pastoris doctrina pascualis est ouis, & rigor punientis, pax est popularis.* 67.

Idem, l. 1. c. 7. *Ius voco, inquit Clericus, Decreta Patrum & statuta Romanorum Pontificũ. Respondet miles:* c. 8. *Quae illi statuerunt, si de temporalibus statuerunt, vobis possunt iura esse, nobis verò non sunt: nullus quidem de his potest statuere, de quibus constat ipsum Dominium non habere: sicut nec Francorum Rex statuere potest super imperium, nec Imperator super Regnum. Et quemadmodum terrarum Principes non possunt aliquid statuere de spiritualibus vestris, super quibus non acceperunt potestatem, sic nec vos de temporalibus eorum, super quae non habetis authoritatem. Vnde friuolum est, quicquid de temporalibus statuitis, super qua potestatem non accepistis. Vnde risus venit mihi magnus, quoties mente reuoluo Papae Bonifacij 8. statutum, quo cauetur, quod ipse est & esse debet super omnes principatus & Regna: nam de facili potest sibi sic ius acquirere super rem aliquam, cùm non restat nisi scribere, quia totum erit suum cũ scripserit; & sic totum erit vestrum, vbi statuere nihil aliud sit, quàm sic teneri velle; & nihil aliud est ius habere quam velle; non habet igitur nisi vt scribat; Hoc volo ius esse, cum voluerit castrum meum, villam meam, agrum meum. Nec latet vos sapientem Clericum, ad quid vos ducat ista disputatio.*

Idem, c. 73. *Cùm arguitis de Zacharia Papa, qui deposuit Regem Francie, dicendum est, quod hoc non est verum; hoc enim nunquam permisissent Barones Regni Francie: vnde & Ioannes in apparatu Decreti; super illo verbo, deposuit; glossat .i. deponentibus consensit: & certe secundùm veritatem historiae, magis deberet glossari, deposuit .i. deponere volentibus cõsuluit. Pipinus enim misit ad Papam, non sicut ad temporalis Regni Dominum, sed sicut ad virum sapientem, ad habendum consilium; quia consiliũ eius ratione status summi Pontificij, videbatur esse multum authenticum, sicut apparet ex verbis illius*

historiæ : quod autem dicis de Frederico quem deposuit Innocentius Papa 4. de ipso potest dici, quod à Papâ recepit approbationem seu confirmationem & coronam, C. Venerabilem, de Electione, nihil autem horum est in Rege Frãciæ, ergò non est simile; nam in penitùs diuersis non cadit illa conditio.

Et idem, c. 163. De hac depositione Frederici, sicut & de depositione Othonis per Innocentium 3. aliorum opinionem referendo approbat. *Alij dicunt quod vterq; malè processit, vsurpando sibi potestatem quam non habuit, secundùm quod sæpe faciunt Romani Pontifices, vt notauit glossa, extrà, De foro Competen. C. Si quis. Dicens in hac verba: Papa siuè sint negligentes (scil. Laïci) siuè non, quotidie concedit literas Clericis cõtra Laïcos super quâcunq; quæstione, & ita vsurpat iurisdictionẽ aliorum; propter quam vsurpationem dicunt ordinem Christianitatis esse confusum, quia omnis ordo iurisdictionis confunditur, si vnicuiq; iurisdictio sua illæsa non seruetur; secundum quod testantur Canonicæ sanctiones c. 11. q. 1. c. Peruenit: (sed tota illa glossa vetanus delira est, senio vel scelere potiùs expurgatorum antiquata; non reperitur enim quia vobis dettahit) & ex ista vsurpatione populorum strages, vastationes ciuitatum, regionum & terrarum; & aliæ desolationes innumerabiles solent contingere, prout diebus nostris in Italia docet experientia satis abhorrenda.* (author iste omnes rationes obiectionesq; Bellarmini antè 200. annos diluit) liber dignus lectione potiùs hac in parte, quàm expurgatione, qua in eum iniquiùs fæuijstis.

68. Ioannes Petrus Ferrariensis, in forma libel. in Actione Confess. pro seruit. §. Plenã & omnimodam. *In tantum excreuit hic appetitus, quod nedum Laïci, sed etiam summi Sacerdotes & Clerici sunt tali morbo ac vitio penitus infecti, vides enim quod ipse Papa qui deberet tanquam verus Vicarius vestigia sequi Iesu Christi, possidere & manu armatâ nititur detinere iurisdictionem in terris, ciuitatibus, villis & locis quæ sunt naturaliter, & à mundi creatione, & Christi ordinatione Imperij Romani: iuxta illud, quod est Dei reddatur Deo & quod est Cæsaris Cæsari: imò ipse Papa in ipso Imperatore nititur superioritatem habere, quod ridiculum est dicere & abominabile audire: nam naturaliter à principio mundi omnes Clerici, nedum Laïci erant sub potestate & iurisdictione imperij: sed ipsorum Imperatorum dulcedine & benignitate fuerunt Clerici dimissi sub potestate Papæ, & beneficium hoc tanquam ingrati sciunt malè cognoscere, vt notatur per Innocentium c. 2. de Maior. & obed. benè ergò & sanctè faceret ipse Papa si totam corporalem iurisdictionem in manibus Imperatoris remitteret, nec aliter vnquam Respublica & maxime Italia quiesceret, nec vlterius de Papatu tale schisma, quale fuit & est 37. annis prateritis vllo tempore amplius accideret: & ex hoc status vniuersus Clericorum magis redderetur Deo & populo deuotus, & ipse Papa cùm Cardinalibus viueret quietiùs ac Deo deuotiùs, & populo magis acceptius ac gratius. Vtinã hic nouus Imp. Rex Hungariæ qui hoc præsentè an. curretè 1413. mensis Nou. & Dec. applicuit Laudæ sed non Mediolanum sit causa tantorum bonorum.*

Idem

Idē, in forma libelli, quo agitur ex subtilitu. §. ex suo corpore. *Nā scire debes, tu ignare, quod imperium aliquando habuit vtrumq; gladium, temporalē & spiritualem* (non specialem, vt sine sensu legunt nouæ editiones Lugduni 1564.) *adeò quod tunc Imperatores conferebant omnia beneficia Ecclesiastica per vniuersum orbem, & amplius eligebant Papam, &c.* Et infra.

Surgat ergò bonus Imperator, & dicant omnes; Fiat pax in virtute tuâ & abundantia in turribus tuis.

Antonius de Rosellis, de potestate Imperatoris & Papæ, part. 1. cap. 38. 69.
Ex quibus concludo hæreticum & insanum esse dicere quod vniuersalis administratio temporaliū sit, vel esse possit apud summum Pontificem. Qui etiā nu. 6. opinionē de potestate Pontificis vel habitu vel actu, cachinno pertrāsit.

Idem, c. 25. *Ad coadiuuāda predicta accedat, quod inquit Veritas: Ioan. 17. Vbi, inquit, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam. Si igitur omnia consummauit, quæ sibi dedit Pater, ergò quæ ibi habuit fecit: sed Christus coercitiones temporales non exercuit, ergò eas, inquantùm Homo, non habuit: quia si habuisset, nec eis vsus fuisset, negligentia notari potuisset; quod de Christo dicere nefas est: Dist. deinde, 25. Nec etiam mādata sibi omnia à Patre consummasset; quod ipse negat: & quod non vsus fuerit ostenditur; nam & discipulum habuit, furem, proditorem & sacrilegum, & tamen pro tali delicto eum tēporaliter nō exercuit. Simile legitur Ioan. 6. Ex hoc enim multi discipuli abierunt retrò: ipse tamē eos de suis facinoribus tēporaliter nō compescuit: ex quibus colligitur in Christo potestatem secularem vel in eius vicarijs successoribus nunquā fuisse. Hoc cōfirmat, authoritas Beda, super id Matt. dùm dicit, inter vos qui estis mei non erit hoc violenter dominari: quoniā sicut omnia carnalia sunt in necessitate posita, spiritualia verò in volūtate: sic & qui Principes sūt spirituales, principatus habent in dilectione, nō in timore, sed qui habēt carnalē coërcionē timeri debēt, illud Apostoli ad Rom. 13. Si malè feceris time, scl. Potestatē secularē: pro hoc quia Sacerdotū arma sunt lachrymæ, non ergò est gladius Pōtifici permissus.* Possem⁹ his addere quę in Indice Belgico delēdavos ipsi cēsuistis.

Bartholomæus Socinus, p. 2. consil. 275. nu. 9. *Imperator dicitur habere iustū Imperiū super omnes nationes, vt dicit Hostiensis; sed Imperator nec eius dignitas etiam per Papam supprimi potest, vt dicit Dominus Abbas. Item qui non recognoscunt superiorem, si sunt negligentes in administrandâ iustitiâ, non supplet Papa, sed Imperator. Et est Maiestas & Dignitas Imperatoris super omnes dignitates & Maiestates seculares.* 70.

Gregorius Haimburgensis. I. C. & legatus Sigismundi ad Piū 2. in Cōsut. Primatus Papæ. *Ex quibus patet fabulā & figmentū esse quod in decretalibus Pontif. Roman. scribitur quod à Christo habeant plenitudinē potestatis sibi collatā, & huiusmodi Dominiū, vt & Regibus & Principibus in tēporalibus præfecti sint.* Eadem persequitur per integrum librum: scripsit etiā appellationem Sigismundi Imperatoris à Papa ad Concilium, quorū causa Pius 2. eum fulmine excommunicationis ferit. Liber extat in Antilogiâ Papæ, & nuper editus est cū alijs eiusdē argumenti ab Haiminsfeldio in Monarchia. 71.

72. Gaſpar Valaſcus, Sup. L. Imperium. ff. De iuriſd. omnium Iudic. in part. 1. Repet. Iuris Ciuil. *Nam dicit Baldus quod in Principe eſt plenaria ſedes libertatis; nam & Chriſtianorum duo ſunt genera, vnum Laicorum, Clericorum aliud. Papa eſt caput Clericorum, Imperator verò Laicorum; & iſta duo capita à diuina clementia proceſſerunt, & ad exemplum Solis & Lunæ creati fuerunt: & vnus non debet iura alterius occupare; & facta ſubditorum iudicare debent, facta verò ipſorum iudicabuntur à Deo:* quæ ſingula ex textu Iuris confirmat.

73. Ioannes Igneus, In Diſput. An Rex Franc. &c. num. 100. *Papa Regem Francia nequiuiſſet deponere, niſi populo idipſum poſtulante: Ipſe ſolus non potuiſſet niſi populus petiſſet.* (Quid magis vulgare apud teſtes Bellarmini quam: Solus Papã deponit Imperatorem?) Et ſupra, num. 37. *Papa in terris Imperij non poteſt ſe impedire* (hoc eſt intromittere) *de iuriſdictione, nec legitimatione, vel quibuſcunq; alijs quæ concernunt imperium.*

74. Ioannes Tercelinus, qui edidit Ioannem ab Ananiâ, in annotationibus Marginalibus; in verbum; offendere: Tit. de Hæreticis c. 13. §. Moneantur: Hæc habet. *Offendere: Papa tamen non poteſt Imperatorem deponere, licet poſſit deponentibus conſentire: vt notat gloſſa, c. 15. q. 6. c. Alius.*

Et idem ibidem, *Dicit Archidiaconus, quod non poſſet deponere Regem Francorum.*

75. Bartholomæus Caſſanæus, Catal. Gloriæ mundi p. 5. Conſid. 28. *Imò etiam Imperium Chriſti nunquam fuit vniuerſale quoad temporalitatem; cũ ipſemet dixerit: Regnum meum non eſt de hoc mundo. Ioan. 18. Et ſuo tempore fuerunt Principes, vt Octauianus & Tiberius, ſub quo paſſus eſt; & voluerit eorum iura intacta ſeruare: dicens, Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari; & quæ ſunt Dei Deo, Marc. 12.*

Et infra. Conſid. 34. *Imò etiam ſacerdotes primi & ſecundi ordinis eidem Principi obediunt, cum ijs præcipere poteſt Princeps, 4. Reg. 23, Ibi & præcepit Rex Helciæ. Imò Principes, Sacerdotes conſtituebant iure diuino, prout habet Exod. 28. de Moſe Hebræorum Duce; qui conſtituit Aaron fratrem ſuum Sacerdotem: Et de Iudâ Macchabæorum Duce, qui elegit Sacerdotes, qui purgarent ſancta: 1. Macch. 4. Imò Prælatus electus & confirmatus non poteſt adminiſtrare donec &c. C. Lectis. Diſt. 63.*

Et infra. Conſid. 35. *Imò in tantum eſt honorandus Princeps, quod pro conſeruatione ſui honoris toleratur iniquitas, & præferendus eſt honor Principis commodo publico, vt dicit Lucas de penna.*

76. Franciſcus Duarenus, l. 1. de Sacris Eccl. miniſterijs, & beneficijs, c. 4. *Ex his conſtat Sacerdotes Iuriſdictionem aliquam tam in Populum quam in Clerum ſemper habuiſſe; ſed olim moderatius aliquanto exercebatur, nullâ vi corporali adhibitâ, ſed incorruptiùs & ſinceriùs, & magis ex vſu, vt arbitror Eccleſiæ.* Et infra.

Gladij igitur ius & Imperium nõ habẽt Sacerdotes, ſed Magiſtratus ciuilis; vt clare

vt clare testatur Christus cum ait: Regnum meum non est de hoc mundo. Et infra: proponens decretum Bonifacij 8. necnon exempla Zachariæ deponentis Childericum, & Leonis transferentis Imperium, & Innocent. 4. deponentis Fredericum, hęc habet. *Ea constitutio sic displicuit nobili Iurisconsulto Cyno Pistoriensi, vt eam quasi ex Pontificiorum errore profectam notare ac eleuare non dubitauerit.*

Atq; ita censuerunt pleriq; alij non contemnendæ authoritatis Iureconsulti. Bartolus verò eam perfunctorie, ac, vt ita loquar, dicis causa tueri videtur: (vtpotè fluctuans, & in loco Imperij constitutus) Accedens verò ad suam sententiam: *Postea ego certè (inquit) neminem paulo sanioremq; eruditioremq; hoc tempore esse arbitror, cui inceptum illud Bonifacij probari possit: Ac maxime verendum est, si tales esse pergant reliqui, ne Diui Bernardi vaticinium verum esse comperiamus, &c. Vtrumq; inquit, habere gladium si voles, vtrumq; perdes.*

Adam Blacuodæus, in Apologia pro Regibus cõtra Buchananum, c. 22. de facto Zachariæ & procerum, populiq; Galliæ; in depositione Childerici; hæc habet. *Pipino per Legatos Regnum ambienti, iustissimas obtendenti precibus causas, annuit Christianorum ille Parens, non tam quid iuris esset Childerico, vel quid Pipino deberetur, animo proponens suo; quam quid Christianorum omnium rebus in extremo periculo constitutis expediret.* Et infra, *Pontifex igitur quamquam exemplo perniciosum esse non ignorabat.* Et infra. *Cum legitimi Principis iniuria coniunctum.* Et infra. *Tamen vnius hominis iniuriam, effœminati, mollis, incesti, omnium saluti posthabuit.* Et infra. *Non iubente sed permittente Pontifice, Populus Regem abdicauit, &c.* Et infra. *Quod si minus ista tibi, satisfaciunt, ac Populum modo mutati Regis authorem agnoscis, iure mutatum esse nego; nego factum hoc, quod vnicum est, legis vicem obtinere. Ac rursus obiecero tibi, legibus esse, non exemplis iudicandum, nec tam spectandum quid factum, quam quid fieri debuerit.* 77.

Et supra. cap. 13. *Non armis sed malorum tolerantiâ, sanctitate & innocentia vitæ, Ecclesia Christi coaluit. Id instituto vitæ suæ docuit ipse Christus, verbis imperauit, morte sanxit, quod Apostoli, Prophetæ, Martyres, Sanctissimi Pontifices Sacerdotes q; nostri, Ducis Imperatoris q; sui vestigia secuti cõstantissimè retinuerunt. Qui ne capitalibus quidem inimicis vnquam imprecati sunt, nedum legitimos Principes ac iudicio Dei constitutos, ferro igneq; prosequerentur.*

Vide plura, cap. 31. & per totum librum. Et in lib. 2. de coniunctione Religionis & Imperij pag. 75. *Quid quod eum vltimo supplicio mulctauit, qui Regis interfecti mendacio se iactabat, non occiderat Saulem Amalechites ille, sed quasi gratiam Dauidis initurus occidisse falsò gloriabatur. Cæteris mortalibus documento esse voluit religiosissimus ille vir, Regum pœnas soli Deo permittendas, nec licere cuiquam mortalium non modo in Christum Domini*

manus immittere, ſed ne verbo quidem ſacroſanctam illam poteſtatem violare. Et infra. *Quis vnquam veterum Prophetarum Populum à Magiſtratuum obedientiâ reuocauit? &c.* Et infra, p. 88. *Si quid à Regibus peccatum eſt, non hominẽ ſed Deũ habẽt Iudicẽ, cuius in terris vicẽ gerunt, vt imperent aliis, vt coerceant, non à quoquam ipſi coerceantur.* Vide plura per totum Librum.

78. Iacobus Leſchaſſerius, tract. de libert. Eccl. Gall. apud Bochellum in decret. Eccl. Gall. lib. 1. Tit. 21. c. 1. p. 646. *Neq; Papa, neq; totus omnino Clerus ius habet de vlla re temporali ſtatuendi; multo minus de vllo Regno ſeu Imperio ſupremo.*

79. Petrus Pithæus, lib. de libert. Eccl. Gall. qui inter eius opera Gallicè extat. *Viri ſapientes inuenient libertatem (Eccleſiæ Gallicanæ) duabus potiſſimũ niti Maximis, quas Francia ſemper vt certas habuit; quarum prima eſt; Papas non poſſe aliquid præcipere, vel ordinare, vel in generali, vel in particulari, in iis quæ res temporales concernunt, in locis & terris ſupremo Regis Chriſtianiſſimi Dominio ſubiectis; & ſi aliquid præceperint vel ſtatuerint, ſubditi Regis, etiamſi ſint Clerici, eam ob cauſam non tenentur illis (ſummis Pontificibus) obedientiam præſtare:* Et infra: *Papa non poteſt prædæ exponere vel dare Regnum Franciæ vel eius pertinentias, nec eo priuare Regem, aut quocunq; modo ea de eo diſponere; & non obſtantibus quibuſcunq; monitionibus, excommunicationibus, aut interdictis, quæ Papæ facere poſſunt ſubiecti tamen non debent obedientiam Regi debitam, pro temporalibus deſerere; neq; in ea ne per Papam diſpenſari aut abſolui poſſunt.*

80. Petrus Gregorius Tholoſanus, De Repub. l. 26. c. 5. (vbi hanc quæſtionem difficilem, vt ipſe vocat, ex profeſſo, etſi modeſte cauteq; tractat. propoſitis Oziæ, Athaliæ, Childerici exemplis, nec non Decreto Bonifaciano quo terrorem potiùs quam religionem incuſſit) tãdem ſic cõcludit. *Quocirca rebelliones in Principem prætextu vitiorum eorum effugere non poſſunt crimen Maieſtatis, & Dei indignationem: & potiùs relinquendi ſunt malè regnantes iudicio Dei quam polluendæ manus ſacrilegio & parricidio per ſubditum; nec caret Deus modis quibus poſſit quando voluerit huiuſmodi malos Principes tollere vel emendare.*

Hiſtorici.

A Iuriſconſultis ad hiſtoricos & humaniores literaturæ viros procedamus, vt quam malè placeat omnibus hæc doctrina de temporali poteſtate Pontificis in Regibus deponendis, ſub, non tam trium teſtium, quam trium generum teſtimoniorum ſententia, teſtatiſſimum ſit.

81. Benno Cardinalis de vita & geſtis Hildebrandi: proponens verba Decreti, Nos ſanctorũ, vt extant 5. q. 6. C. Nos Sanctorũ hanc proponit cẽſurã. *Hoc eſt Decretũ Hildebrandi, in quo à doctrinâ & fide Catholicâ aberrauit.*

In Faſciculo rerum expetend.

82. Anonymus in vita Henrici 4. (etſi timidè contra Pontificem loquatur.) hæc habet de fugâ Rodolphi. Ibidem, & inter Hiſtorias Germ. *Qui audita eius (Henrici) regreſſione, antè paratus ad fugam quam ad pugnam, antè pulſus quam*

sus quam victus in Saxoniam fugit: facile est regnum accipere, difficile tueri: Sed nulli mirum sit, virum in rebus bellicis exercitatum & strenuum nunc fugisse; quia sæpe iustior & victrix causa, fortes in metum mittit & in fugam. Ecce Henrici causa iustior. Et iosra. *Sed vltimum* (Henricus) *reuersus, tam notandâ quam fœlici victoria vicit; magnumq; mũdo documentum datum est, vt nemo contra Dominum suum consurgat: Nam abscissa Rodolphi dextra dignissimam periurij vindictam demonstrauit, qui fidem Domino suo Regi iuratam violare non timuit; &, tanquam alia vulnera non sufficerent ad mortem, accessit etiam huius membri pena, vt per panam agnosceretur & culpa.*

Sigebertus Gemblacensis, (qui Rogatu Henrici Archid. coni & Decani Ecclesiæ Sancti Lamberti, validis Patrum argumentis respondit Epistolæ Hildebrandi Papæ, quam scripsit ad Hermannum Metensem Episcopum in potestatis Regiæ calumniam, vt ipse memorat in Catalogo, illustrium virorum, vt erat Possevinus in Apparatu) hæc habet in Chronograph. ad Annum 1088. *Nimirum (vt pace omnium bonorum dixerim) hæc sola nouitas, non dicam hæresis, nec dum in mundo emersérat, vt Sacerdotes illius qui dixit Regi Apostata, & qui regnare facit hypocritam propter peccata Populi, doceant populum, quod malis Regibus nullam debeant subiectionem, & licet ei sacramentum fidelitatis fecerint, nullam tamen debeant fidelitatem, nec periuri dicantur, qui contra Regem senserint, imò qui Regi paruerit, pro excommunicato habeatur; qui contra Regem fecerit à noxa iniustitiæ & periurij absoluatur.* 83.

Vincentius Bellouacensis; Specul. Hist. L. 26. c. 84. eadem omninò habet & approbat: 84.

Otho Frisingensis, (qui Bellarm. author certus fideq; dignissimus, cap. 9. contra Barclaium.) L. 7. Histor. in Prologo. *Sic & Regnorum mutationes, & ad vltimum imminutiones, qui fructus sequatur, quia non sine graui scandalo dicere possumus, Deo, apud quem nihil inutiliter effluere potest, relinquamus: Non desunt tamen, qui dicant Deum ad hoc Regnum imminui voluisse, vt Ecclesiam exaltaret. Regni quippe viribus ac beneficentia Regum exaltatam & ditatam nemo ambigit Ecclesiam; constatq; non prius eam in tantum Regnum humiliare potuisse, quam ipso ob amorem Sacerdotij euiscerato, ac viribus exhausto; non eius tantum id est spirituali sed suo proprio, materiali scil. gladio, percussum destruetur; quod iudicare vel discutere supra nostras vires est: videntur tamen Sacerdotes culpandi per omnia, qui Regnum suo gladio quem ipsi ex Regum habent gratia ferire conantur.* 85.

Conradus à Licchtenaw Abbas Vrspergensis in Chronici Conradi, Henricorum 3. & 5. Hæc habet post allegationem Ottonis Frisingensis. *Licet præfatus Otto hæc scribat, constat tamẽ ex his quæ superiùs longè descripta sunt in pluribus locis, quod Imperatoribus siuè Regibus quarundam nationum, vergentibus in multam peruersitatem vel nequitiam siue in desidiam, vt inutiles censerentur multoties* 86.

quod patet, quia quicquid Deus dixit hoc solum fecit & non retulit: vnde sciendum quod aliud est esse vicarium, aliud est esse nuncium siue ministrum; sicut aliud est esse doctorem, aliud est esse interpretem, &c. Et infra.

Item illud quod est contra naturam alicuius non est de numero suarum virtutum; cum virtutes vniuscuiusq; rei consequantur naturam eius propter finis adeptionem: sed virtus authorizandi regnum nostra mortalitatis est contra naturam Ecclesiæ (quæ est, vt infra exponit, nihil aliud quam vita Christi tam in dictis quam in factis comprehensa) ergo non est de numero virtutum suarum. Dantes iste non tantum Poëta, vti Bellarm. in appendice ad lib. de Sum Pontif. sed & magnus Philosophus, Dialecticus, & Theologiæ non ignarus. *Cap. 14.*

89. Helmoldus in Chron. Sclau. cap. 33. post laudes Henrici 4. inquit. *Porro Romanum Antistitem Gregorium, & cæteros insidiatores honoris sui, sicut infestos habuit, sta etiam infestare studuit; impulit eum ad hoc, vt multi dicunt grauis necessitas: quis enim vel minimam honoris sui iacturam equanimiter feret? legimus autem quia multi peccauerunt, quibus tamen subuentum est pœnitentiæ remedio: Certè David peccans & pœnitens, Rex & Propheta permansit: Rex autem Henricus ad vestigia Apostolorum iacens, orans ac pœnitens gratis pessundatus est: nec inuenit tempore gratiæ, quod ille diro legis tempore. Sed disputauerint de his qui scierint vel ausi fuerint; vnum hoc scire licet quia Romana sedes adhuc hodie luet factum illud; à tempore enim illo quotquot regnant de stirpe illa, omnibus modis nituntur humiliare Ecclesias, ne resumant vires consurgendi aduersus Reges; nec inferre quæ intulerunt patribus eorum.*

90. Petrus de Flote Nuncius Philippi Pulchri ad Bonifacium octauum; qui mandata Regis constantissimè coram Papa prosequebatur; apud Thom. de Walsingh. in hypodigm. Neustriæ, & apud Florilegum An. 1301. *De cuius audaciâ Papa exasperatus dicto Petro respondit: Nos habemus, inquit, vtramq; potestatem; & ilico Petrus pro suo Domino respondit; Vtiq; Domine, sed vestra est verbalis, nostra autem realis, quo responso tantum excanduit ira Papæ, vt diceret, se mouere contra eum Cælum & terram.*

91. Theodoricus à Niem scriba Pontificius, & postea Episcopus Verdensis de Schism. l. 3. c. 7. *Ex quo infertur quod fatuè & adulatorie loquuntur illi qui dicunt quod Papa seu Ecclesia duos habet gladios, scil. spiritualem & temporalem; cum in Euangelio Petro sit dictum, conuerte gladium tuum in vaginam: Et ibidem addit à ratione viz. omnis enim qui gladio ferit &c. Etenim si vterq; gladius apud Papam existeret, supernacue vel ficte Imperator vel Rex Romanus illud nomen haberet, sed isti adulatores seu assentatores per talia scripta & dicta, inducunt maximum errorem in tota Christianitate, & suscitant quodammodo perpetuam æmulationem seu discordiam inter Papam & Imperatorem.*

Wer-

92. Wernerus Rolewink in faſcic. temporum ad an. 1294. locutus de Bonifacio 8, dicit. *Vltra modum in tantam arrogantiam erexit ſeipſum, vt Dominum totius mundi ſe diceret, tam in temporalibus quam in ſpiritualibus; & multa magnifice fecit quæ in fine miſerabiliter defecerunt, dedit q; exemplum cunctis Prælatis ne alta ſaperent, ſed forma facti gregis magis ſtuderent, amari à ſubditis quam timeri.*

93. Albertus Krantzius Saxoniæ lib. 8. cap. 36. de Bonifacio in Iubilæo inſula Imperiali induto et dicente, eccè duo gladij hic, ait. *Vide, ô Petre, ſucceſſorem tuum, & tu ſalutifer Chriſte, tuum cerne vicarium, vide quo aſcendat ſuperbia ſerui ſeruorum tuorum.*

94. Robertus Gaguinus de geſtis Francorum in vita Philippi Pulchri. *Talem vitæ exitum habuit contemptor omnium hominum Bonifacius, qui Chriſti præceptorum minimè recordatus, adimere & conferre Regna pro ſuo arbitrio conabatur, cum non ignoraret, eius ſe loco verſari in terris, cuius Regnum non de hoc mundo & terrenis rebus ſed de cæleſtibus eſſet.*

Idem lib. 10. in Carol. 7. poſt Decreta pragmaticæ ſanctionis, paucis interiectis ait. *Quo mea ſententiâ factum eſt, vt generales Synodos cogere Pontifices detractent, formidantes ſuam tam latepatentem (ne dicam vſurpatam) authoritatem Conciliorum Decretis cohiberi: itaq; ea eſt hodie illorum ſublimitas & amplitudo, vt parui habitis Regibus, licere eis omnia glorientur, &c.*

95. Ioannes Auentinus Annal. Boiorum l. 5. (qui, vt de ſeipſo teſtatur ſolam veritatem ſpectauit, quiq; ab omni odio & amore vacuus.) *Sanctiſſimi*, inquit, *Patres, quemadmodum Chriſtus Dominus & Deus noſter, comites & Legati eius fecerunt & alios docuerunt, Cæſares in terris à Deo ſecundos, ante omnes mortales primos, à ſupremo Numine datos, diuinitus conſtitutos, ab immortali Deo electos, & (vt illi vocant) coronatos venerabantur; Dominoſq; ſuos vocare ſolebant, iſſdem tributum, cenſum non denegabant, pro eorum ſalute comprecabantur, imperata detrectantes, tanquam cæleſti prouinciæ reſiſtentes videri contra pietatem Chriſtianam feciſſe decernebant: grande nomen eſſe Imperatoris à Deo q; tradi prædicabant: Reipub. turbellis, nedum armis vt milites Chriſti ſe non immiſcebant; paupertate & modeſtiâ cum cæteris Chriſtianis decertabant, quo quiſq; ſubmiſſius ſe gereret, hoc maiorem eſſe ſentiebant; enſem ancipitem, gladium duplicem Chriſtianæ ciuitati datum ad ſeruandum vinificandumq; non occidendum eſſe putabant, eundemq; ſpiritalem appellabant, qui eſt ſermo Dei, vita & lux hominum, & mortuos ad vitam reuocat, ex hominibus Deos, ex mortalibus æternos facit; tantum abfuit vt illi vel Regum quempiam, vel impium, vel Arianum regno pellere, eidem ſacrificijs interdicere, populum ſacramento ſoluere, tentarent, atq; regna euertere; ſanguine humano ſe polluere, pro principatu cum Chriſtianis decertare ſibi permittant.*

Et

Et infra. *Hildebrandus has ob causas ambitione in præceps abiuit, cum potestatem Immortalis Dei, cuius nuncius duntaxat est, sibi vsurpauit.*

Ioannes Cuspinianus in Henrico 4. *Sed is Filius Henricus Rex suasu Theobaldi &c. contra ius fasq; rebellionem in patrem molitur, pratextu religionis, quod anathemate nondum esset liberatus genitor suus: ô iniqua soboles quæ cupiditate regnandi eum per quem vitam accepit & regiam dignitatem odio persequitur & ferro; cum tamen nusquam legatur Cæsarem a Pontifice, qui eius beneficentiâ auctus, locupletatus ac confirmatus est, ita esse diris deuotum; à quo sibi olim potestas fuit concredita & concessa; sed id Deo discernendum relinquamus qui cordium est scrutator.* 96

Idem in Frederico 2. *Ipsi Pontificis Rom. adulatores volunt omnia licere Pontifici, ac vtrumq; possidere gladium, omnesq; Imperatores seruos esse Rom. Antistitis.* Quæ verba repurganturin Indice Belgico.

Franciscus Guicciardinus Patricius Florentinus, in paralipomenis loco 2. (quæ extant in Lib. cui titulus Monita politica Francofurti 1609.) *Hâc iuris specie freti vlterius Pontifices progressi (vt cupido humana gradum sistere nequit) quosdam Reges illis regnis, quasi contumaces priuare cœperunt, in alios q; transferre.* Eccè, non ius sed iuris species; cupido est humana, non lex diuina. 97

Et infra, colligens. *His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, diuinorumq; præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conuersi, nec diuinâ authoritate aliò, quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, Principes potius gentium quam rerum sacrarum Pontifices videri cœperunt.*

Et infra. *In hunc finem audacissimè arma cælestia vibrare, prophanarum sacrarumq; rerum nundinationem impudentissimè exercere &c.* Consulat Lector sequentia: lectu digna sunt.

Ioannes Trithemius Chron. Hirsaug. ad An. 1106. *Ipse autem* (Henricus 4.) *primus est inter omnes Imperatores per Papam depositus: Scholastici certant, & adhuc sub iudice lis est, vtrum Papa Imperatorem possit deponere: quam quæstionem, cum ad nos non pertineat, indiscussam relinquamus.* 98

Onuphrius Panuinius in vita Greg. 7. edita per Gretserum. *Nam etsi ante Romani Pontifices tanquam religionis Christiana capita, Christiq; vicarij, & Petri successores colerentur, non tamen eorum authoritas vltra protendebatur quam in fidei dogmatibus vel asserendis vel tuendis: cæterum Imperatoribus subierant, ad eorum nutum omnia fiebant; ab ijs creabantur, de ijs iudicare vel quicquã decernere non audebat Papa Roman⁹; primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius 7. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Matildis, mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaq; Germanorum Principum bello ciuili laborantiũ inflammatus, prater maiorum morẽ cõtempta Imperatoris authoritate & potestate, cum summũ Pontificatũ ob-* 99

obtinuiſſet, Cæſarem ipſum, à quo ſi non electus, ſaltem confirmatus fuerat, non dico excommunicare, ſed etiam Regno Imperioq; priuare auſus eſt; res ante ea ſecula inaudita: nam fabulas quæ de Archadio, Anaſtaſio, & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror.

100. Thomas Morus Anglus in expoſitione Paſſionis, de amputata Malchi auricula. *In Petrum verò ſeorſum verſus, mitte, inquit, gladium in locum ſuum, perinde acſi diceret, neq; gladijs ego defendi volo, & te in eam deſigi ſortem, vt non tali gladio te pugnare velim, ſed gladio verbi Dei; gladius ergo ferreus in locum ſuum, velut in vaginam contra maleficos reponatur in manus mundanorum Principum: vos qui mei gregis eſtis Apoſtoli alium præterea habetis, ferreo quouis gladio longe plus formidabilẽ, &c. Sed tantum abeſt vt ferreo iſto gladio vos graſſari velim (cui vaginam cognoſcite prophanos magiſtratus idoneam) vt ne ſpiritalem quidem gladium hunc, cuius ad vos vſus pertinet frequentius exerendum cenſeam.*

101. Ioannes Tilius in Chron. de Reglb. Franc. ad an. 1302. *Odium & inimicitiæ Bonifacij Papæ in Philippum Pulchrum; mira hominis impudentia fuit, quia Regnum Galliæ, Pontificiæ Maieſtatis beneficium aſſerere auſus eſt; verum multo ſtolidiores eos puto qui diſceptant an tantum liceat Pontifici.*

102. Papyrius Maſſonus de Epiſcop. vrbis lib. 5. in Bonif. 8. concludens vitam Bonifacij 8. *Prius Epiſcopos vrbis moneo, ne vnquam Reges amicos ſponte inimicos faciant: non enim putent Pontifices franos ſe à Deo datos Regibus, vt eos pro arbitria cohibeant, velut equos intractatos & nouos: admoneant & precentur, preceſq; eorum ſyncera inſtar imperij erunt; minari, terrefacere, arma ciere, Epiſcopos non decet ſummaq; concordia inter Principes ſuprema Pontificum poteſtas exiſtimanda eſt.*

103. Pandulphus Collenucius in Hiſtoria Neapolit. lib. 4. *Veruntamen vbi ante oculos meos propono à Chriſto, Pontificibus, cuius vicarij perhiberi volunt, dictum eſſe, vti imitentur & ſe tanquam magiſtrum, cui diſcipuli ſunt & miniſtri ſequantur, & iuſſos ab eodem gladium vaginæ reponere, & hoſtibus non ſolum ſepties ſed & ſeptuagies ſepties ignoſcere; è contrario tot inſidias, technas, ac proditiones aduerſus Fredericum video; ac tot legatos viros Eccleſiaſticos nomine Paſtorum intitulatos, in Regnum, Marchiam & Romaniam contra ipſum emiſſos, tot ciuitates hac de cauſa deſtructas, tantum ſanguinis Chriſtiani effuſum; & præter hæc expendo Fredericum nihilominus ſemper victoriosè triumphâſſe ac à Pontificibus contra ipſum electos fortunâ atq; conſilio deſtitutos miſerè interijſſe: non aliud proferre poſſum, quam verum eſſe id, quod Papa Pius in Hiſtoria Auſtriæ ſcripſit; Non fieri vllum inſigniter grande malum in Eccleſiâ vniuerſali, quod non exeat atq; initium ſumat à presbyteris; ac certè iudicia Dei eſſe nimis ardua atque occulta.*

Im-

Imperatores & Reges.

AD hæc cum Gregorius 7. Bellar. idoneus & primarius testis, imo caput testium visus sit in causa sua: quidni ergo & Henricus & Fredericus & Ludouicus alijq; Imperatores, in causa sua testes idonei sint; qui & inauditi à Pontificibus condemnati sunt, & vt ab Episcopis & Theologis suis edocti sunt, sic & scripserunt & fecerunt; quiq; omnes & Iudicibus suis Pontificibus, & rebellibus subditis superstites extiterunt; testatumq; mundo, (prouidentia diuina sic disponente) reliquerunt, non esse ligata in cælo nec in terra, quæ à Pontificibus præpostere in terris ligata sunt.

Henricus 4. Imp. (primus inter depositos Reges) in Ep. ad Annonem Colonienſem, ait, *Vt enim de pluribus pauca referamus, Regnum ac Sacerdotium Deo nescienti sibi vsurpauit; in quo piam Dei ordinationem contempsit, quæ non in vno sed in duobus, duo, i. Regnum & Sacerdotium consistere voluit: sicut ipse Dominus Saluator in passione sua, De duorum gladiorum sufficientia typica, intelligi innuit, cui cum diceretur, eccè, Domine duo gladij hic, respondit satis est; significans hac sufficienti dualitate spiritualem & carnalem gladium, in Ecclesia esse gerendum, quibus omne nocium foret amputandum, viz. Sacerdotali ad obedientiam Regis pro Deo; Regali verò gladio ad expellendos Christi inimicos exterius, & ad obedientiam sacerdotij interius, docens omnem hominem fore constringendum. Et ita de alia in aliam charitate tenderetur, dum nec Regnum sacerdotij, nec sacerdotium Regni honore priuaretur. Hanc Dei ordinationem qualiter Hildebrandica insania confuderit, tu ipse nosti si scire volusti &c.* 104. *In fascic. rerum expetend.*

Baldwinus Imperator in Rescript. ad Innocent. 3. *Miratur nostra Imperialis sublimitas, quod nos tua sanctitas ausa fuit in suis literis increpare: cum meminisse debueris, quod non Dominus Imperatoris sed subditus sis: & Imperium Sacerdotio dignitate ac potestate præferendum esse: Iuxta id quod B. Petrus Apostolorum princeps scripsit, præcipiens, subditi estote omni humanæ creaturæ, &c. Ex qua authoritate Apostolica triplex patet argumentum; primum ex eo quod legitur, subditi estote: secundum ex eo quod sequitur, Regi tanquam præcellenti: tertium ex eo quod est subsequenter adiunctum, ad vindictam malefactorum, &c. per primum, probatur atq; constat subesse Sacerdotium; per secundum, Imperium præeminere: per tertium, Imperatorem tam in Sacerdotes quam in Laicos iurisdictionem, imo etiam gladij potestatem accepisse: Cum enim & boni quidam sint sacerdotes, & quidam eorum malefactores existant; is qui secundum Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, imo malefacientes presbyteros, & eorum excessus præsumptos potest vltore gladio vindicare: cum inter presbyteros & alios Apostolus non distinguat.* 105. *Inter constit. Imperial. To. 30.*

Otho-

in præsentiarum iniuste regnum occupantem amouere valerent, idcirco nulli mirandum foret si in manu armatorum validâ regnum intraret.

Idem apud eundem an 1343. Rex mittens procuratores ad Romanam curiam, &c. *Dat ijs potestatem plenam, & mandatum speciale, ad tractandum coram summo Pontifice de iure suo in Regnum Franciæ: non vt iudice, sed vt priuata Personâ & amico communi, non in forma, nec in figura iudicij &c.*

Et in hypodigmate Neustrię Ann. 1298. simile refert de Ioanne Rege Anglorum, & Francorum Rege. *Transmittunt ergo Reges vtriq; nuncios solennes cum plena potestate ad Romanam curiam, vt per mediationem Apostolici, non tanquam Iudicis, sed amicabilis Compositoris, discussis negotijs pax inter Reges & concordia reformaretur.*

His superaddi possunt Authores illi qui *Childerici* depositionem, *Imperij translationem* (causæ vestræ non minima fundamenta) destruunt: quiq; Henrici aliorumq; Imperatorũ depositiones iniũstas asserũt: quos suo loco producemus. Consulto etiam prætermittimus *Beatũ Rhenanum* in præfatione Marsilij Patauini: *Stephanum Gardinerum* de verâ obedientiâ: *Edmundum Bonnerum* in præfatione eiusdem; *Ioannem Bekinsam* de absoluto Regis Imperio: *Apologiam Catholicam* pro Rege Nauarreno: *Tractat⁹ varios* de controuersiâ inter *Paulum 5. & Venetos*: *Blackwellũ*, *Brierleium* authorem *Apologiæ Protestantium* Anglicè editæ. *Widdringtonum*, & iam nuper *Warmingtonum*; & Temporib⁹ Reginæ Mariæ *Christopherſonum* in Exhortatione ad obedientiã, Libro Anglicè scripto; aliosq; multos. Duos solum adiungam moderatioris ingenij homines; Catholicos tamen, vnitatis & charitatis Christianæ studiosissimos; qui fortasse eo nomine ab vtraq; parte vapulant, quod concordiæ in controuersijs religionis viam sternere ausi sunt.

Horum prior Andræas Fricius lib. 2. de Eccl. cap. 11. hæc habet. 111.
Alius, amplificandæ potentiæ suæ causâ comparat se soli, Cæsarem Lunæ: alius hoc non contentus supremum se Dominum orbis affirmat; propterea quod à Dauide sit scriptum, Domini est terra & plenitudo eius, eandem enim potestatem vicarij esse debere quæ sit Domini: tum rapiunt Christi verba illa; eccè duo gladij hîc: ex quibus acutè colligunt, se gladio vtroque vti debere; tum spirituali, tum corporali: Nonnè hæc sunt illa ex quibus stulti fiunt insani? Et infra.

Dominationem, gladium, & functionem politicam qui Papæ Euangelij prætextu, permittunt; quam se ostendunt ab omni religionis cognitione vacuos, &c. Et infra.

Nonnè eodem iure dicere fas est Papæ nihil docenti, nullam Ecclesiastici muneris partem attingenti, sed bella gerenti, negotia profana procuranti, Regnum mundi huius administranti, non es tu ô bone Apostolicus vir; sed mundi huius princeps; non Petri Piscatoris, sed Iulij Cæsaris successor.

Alter

Doctrina nostra. Factionis Hildebrandicæ & Schismatis dogma vestrum est, non Catholicæ Ecclesiæ, tunicam vnitatis Christianæ inconsutilem scidit, quam barbari milites non sciderunt: nec vnquam Ecclesia pacem aut pectoris, aut temporis quam Dominus nostet reliquit accipiet, nisi, remoto hoc offensionis scandalo, quæ sunt Cæsaris Cæsari reddantur, & quæ sunt Dei Deo.

Concilia.

A Testibus singularibus, ad testes contestes, testes innumerabiles Bellarminum sequimur(i) à testibus progredimur ad Concilia, atq; hic non Concilia seruia, non Senatores pedaneos, non suppositicios Canones pro Concilijs, non Pontifices pro Concilijs: sed ipsa Concilia, eaq; libera proponimus; nec quid factum sit in Concilijs, vti Bellarminus, sed quid in Concilijs decretum sit, verè non suppositiciè docemus.

Concilium Toletanum, 12. Can, 3. circiter Annũ 681. quod & approbatum. *Si quos (Culpatorum) Regia Potestas aut in gratiam Benignitatis receperit, aut participes mensæ suæ effecerit, hos etiam sacerdotum & populorum Conuentus suscipere in Ecclesiasticam Communionem debebit, vt quod iam Principalis pietas habet acceptum, neq; à sacerdotibus Dei habeatur extraneum.* Hunc Canonem in hunc sensum vrget Iuo. Epist. 171. *Et quia dispensationes rerum temporalium Regibus attributæ sunt & Basilei (i.) fundamenta populi & caput existunt; si aliquando potestate sibi concessa abutantur, non sunt à nobis grauiter exasperandi, sed vbi sacerdotum admonitionibus non adquieuerint diuino iudicio sunt reseruandi, vbi tanto districtius sunt puniendi, quanto minus fuerint diuinis admonitionibus obnoxij.* 1.

Vnde habetur in libro Capitulorum regalium authoritate Episcoporum Constitutorum, Si quis Culpatorum, &c.

Concilium Parisiense, Anno 829. sub Ludouico & Lothario. Lib. 1. C. 3. approbat dictum Fulgentij. *Quod in Ecclesia nemo pontifice potior, in seculo nemo Imperatore celsior inuenitur:* Lib. 2. C. 2. approbat dictum Isidori. *Cognoscant Principes seculi Deo debere se reddere rationem propter Ecclesiam, ille ab ijs rationem exiget qui eorum potestati suam Ecclesiam credidit:* Lib. 2. C. 5. *Regnum, nec non & Reges malos à Deo esse probat;* & Lib. 2. C. 8. cui titulus est, *Quod potestati Regali, quæ non nisi à Deo ordinata est, humiliter atq; fideliter cuncti parere debent. Constat potestatem Regalem omnibus sibi subiectis secundum æquitatis ordinem consultum ferre debere, & idcirco oportet, vt omnes subiecti fideliter & vtiliter, atq; obedienter eidem pareant potestati, quoniam qui potestati resistet à Deo ordinatæ Dei vtiq; ordinationi inxta documentum Apostoli resistit. Sicut enim subiecti à Rege sibi volunt piè & iustè opitulari: ita specialiter ei primum ad salutem animæ suæ procurandam, deinde generaliter ad honestatem & vtilitatem Regni secundum Dei voluntatem disponendam atq; ministrandam indissimulanter (nonne* 2.

Concilium Romanum An. 1089. Cui interfuerunt Cardinales multi, Clerus, & clarissimi Principes laici, & Pop. Romanus, Extat sententia Concilij inter constitutiones Imperiales Tom. 3. *Nolumus ignorare prudentiam vestram, quod ad destruendas hæreses nouiter ab Hildebrando inuentas, & antiquas sub nomine pietatis impiè ab ipso renouatas, & ad defensionem fidei Catholicæ, & ad exterminandam impietatem eorum qui nouiter ipsam fidem Catholicam quantum in ipsis erat scindere non timuerunt; Deo auctore conuenimus.* Et in conclusione. *In testimonium illius in medio Ecclesiæ, in conspectu Angelorum & hominum incendio tradimus decreta eorum hæretica quibus orbem terræ peruerterunt.* Idem recitat Bennio Cardinalis. 8

Concilium Moguntinum Mense Maij tempore *Vrbani* 2. apud *Auentinum* lib. 5. *Aderat Imperator, Proceres, Duces frequentes coeunt; aderant multi Episcopi, Petrus Portuensis Episcopus, duo Flamines Romani, legati Clementis* 3. *Pontificis &c.* Alij multi quorũ nomina recenset Auentinus. *Legati item Pontificum Galliæ, Italiæ, Germaniæ, communi omnium consensu Hildebrandi secta pietati Christianæ repugnans, explosa, exibilata est: Ottonem qui & Vrbanus, superiores patres, sacrilegij irreligiositatis accusant, convincunt, in numero7; impiorum computant, superiores quoq; quos nominauit* 14. *Episcopos albo Pontificum eradunt, senatu sacerdotum mouent, crimine perduellionis, periurij, perfidiæ, homicidij, parricidij eosdem condemnant, Hermannum Saxonem, Welphonem Boium proscribunt, eadem censura denouent, Senatusconsultum proscribitur tale, Denota capita quæ numerauimus velut contagio ab omnibus vitentur Christianis.* 9

Crimen perduellionis resistere Imperatori deposito tempore Henrici 4. *Annis ab hinc plus quingentis.*

Concilium Clarendonense in Anglia sub Henrico 2. (apud Binnium Tom. 3. parte 2. ex Matth. Paris.) Cui interfuit Thomas Becketttus, eiusque decreta iuramento confirmauit, & postea per dispensationem Papalem violauit. *Nullus qui de rege tenet in capite, nec aliquis Dominicorum eius excommunicetur, nec alicuius eorum terra sub interdicto ponatur, nisi prius Dominus Rex si in regno fuerit conueniatur, vel iustitiarius eius si fuerit extra regnum. Nec licet appellare vltra Archiepiscopum sine licentia Domini regis.* Si non licet excommunicare subditum regis sine licentia regis, an Regem ipsum licet deponere? 10

Sic decem Concilijs Bellarminianis decem alia opposuimus.

Sequuntur iam alia concilia, seu mauis Conuentus: Conuent9 potius appello, quia cum Episcopis, multi, vt videtur, aderant Principes, Regnique Proceres. *Conuentus.*

Conuentus Galliæ, cuius meminit author Synopseos tractatus Agobardi de Cõparatione vtriusq; regiminis; habitus est sub Ludouico: *Defectio Lotharij abripuerat omnem pene Italiam Pontificem, multosq; etiam Episcopos Gallos, quorum ope patri eriperet imperii, mœreri Galli recalcitrant, citant Agobardum, recusat, habent Conuentum, cuius hæc fuerunt capita, aduersum ipsius contumaciam pro confirmanda Gallicana libertate.* 1

1 *Epiſcopum Romanum vocandum Papam, fratrem, non autem patrem neq; pontificem.*

2 *Imperialem maieſtatem plus poſſe in adminiſtranda Eccleſia quam pontificiam.*

3 *Cæſarem non dehoneſtandum præſumptuoſa excommunicatione* (multo minus depoſitione).

4 *Poſſe vnum aliquem Pontificem abijci ſine iniuria ſedis Apoſtolicæ.*

5 *Epiſcopos in cauſa Fidei iusiurandum præſtare ſolitos.*

6 *Agobardum Primatem Aquitaniæ, nullam deinceps habiturum poteſtatem in excommunicando, nullamq; iuriſdictionem in cæteras parochias ſi obediret potius pontifici quam Cæſari.*

7 *Priuandum Epiſcopum conſortio & honore qui potius pontifici quam Eccleſiæ Gallicanæ concilio obediret.*

Communitas Angliæ in Parliamento conuocato apud Lincolniam ſub Eduardo 1. Ann. 1202. in literis Parliamenti, hoc eſt Epiſcoporum, Baronum & Communitatis, ad Papam, & extant apud Thomam Walſingham in Eduardo 1. 1202. *Reges Angliæ ſuper iuribus ſuis in regno prædicto aut alijs ſuis temporalibus, coram aliquo iudice Eccleſiaſtico vel ſeculari ex præeminentia ſtatus ſui regiæ dignitatis, & conſuetudinis cunctis temporibus obſeruata, nec reſpondere debebant.*

Conuentus regni permagnificus in Francfordia Ann. 1338. ad quem
3 Ludouicus (Bauarus) vocauerat reges imperio non parentes, venerat Rex Angliæ imperio nihil debens, aderat Rex Bohemiæ, Ioannes Henrici ſeptimi filius; cæteriq; regni tam ſpirituales quam ſeculares principes: Extant apud Crantzium in Saxonia lib. 9. cap. 15. *Ibi conſtituta ſunt multa quæ ex dignitate Imperij tum ſunt viſa. Inter alia vero quod Electus à principibus aut à maiore aut ſaniore parte, adminiſtrationem habeat citra aſſenſum Pontificis. Nam ea quæ præter hæc introducta ſunt, nec diuino iure, nec vlla Patrum ordinatione, ſed blanda quorundam aſſentatione & Romanorum ſpontanea ingeſtione Pontificum prouenerint.*

Et infra. *Deinde ordinatum eſt, quod Imperator præſtabit pontifici & Eccleſiæ, defenſionis, deuotionis, & humilitatis, non fidelitatis, homagij, aut ſubiectionis iuramentum, quia temporalis Dominij Papa Imperatori nihil tribuit, immo Eccleſia ſumpſit illa omnia ab imperio. Gladius enim vterque nihil habet commune, cum alter animam, alter ſolum corpus conficiat; Ibiq; decreto firmatum eſt, quod vacantis imperij adminiſtrationem Pontifex habeat, nulla ſcriptura, nulla ratio ſed ſola vſurpatio introduxit. Hæc tum principibus in cætum Imperij congregatis viſa fuere in rem Chriſtianam obſeruanda.*

4 Parliamentum Pariſienſe Ann. 1561. contra magiſtrum Ioannem Tanquerel, qui tenuit, *quod Papa Chriſti vicarius, Monarcha, ſpiritualem*

Bochellus Decret. Gall. lib. 5. tit. 4.

&

& secularem habens potestatem, principes præceptis suis rebelles, regno & dignitatibus priuare potest. Declarauit Curia hanc positionem in absentia Tanquetel qui aufugerat per Bedellum Vniuersitatis reuocandam, vtpote *indiscretè inconsideratè iustentatam, disputatam & veritati contrariam, & ideo veniam à Rege petendam. Iniunxit praterea sub panis grauissimis ne quid tale posthac publicè proponeretur.*

Parliamentum Parisiense Ann. 1595. contra quæstiones fratris Florentini Iacobi, cuius positio quinta erat: *Cum Clemens 8. in terris vices Dei gerat, ab eodem esse spiritualia & temporalia non est ambigendum. Spiritualem enim & temporalem in omnes habet potestatem, &c.* Et nona positio. *Domus Ecclesiastica cum duplicis gladij habeat potestatem temporalis vsum ad bonorum defensionem & malorum exterminium, regibus & magistratibus concedit.* Declarauit Curia dictas positiones, quintam & nonam, *falsas, Schismaticas, contrarias verbo Dei, sanctis decretis, Constitutionibus, canonibus, & legibus regni, & tendentes ad rebellionem, & perturbationem pacis publicæ &c.* Extat apud Bochellum lib. 5. Decret. Eccl. Gall. tit. 4. c. 8. 5

Generalis ordinum conuentus habetur Parisijs, eodem An. 1595. in quo Cardinalis de Pelleue alijq; Prælati quædam Decreta Concilij Tridentini reiecerunt, vbi inter alia De permissione Duelli, quod Sessione 25. c. 19. Regibus interdicitur; sic concludunt. *Concilium Tridentinum excommunicat & priuat Regem Ciuitate illâ, vel loco in quo permittit fieri Duellum. Hic, inquiunt, articulus est contra authoritatem Regis, qui non potest priuari suo Dominio temporali, respectu cuius nullum omnino superiorem recognoscit,* apud Bochellum lib. 5. tit. 20. c. 45. 6

Notissima sunt in memoria, imo in oculis omnium recentissima, quæ ab eodem Parliamento Parisiensi, circa *Guinardum, Barrierum, Chastellum,* & monstrum illud non tam hominum, quam Dæmonum, *Rauilliac:* Doctrinæ legisq; Pontificiæ non tantum auditores & Discipulos sed & factores, pessimos: facta sunt.

Sed parco Auribus, oculisq; Bellarminianis, ne dum toties decreta illius Parliamenti refero, simul etiam stomachum Cardinali moueam, qui proculdubio hunc senatum odio perfecto odit, quod librum ipsius contra Barclaium quem iam in manibus habemus igni iustissimè adiudicauit.

Audi ergo quid de facto Gregorij 7. circa depositionem Henrici 4. diu abhinc retulit, *Matthæus Westmonasterienſis* lib. 2. de coronat. Guilielmi Conquestoris pag. 9. *Eodem quoq; anno* 1084. *Romani Henricum Imperatorem receperunt, & à Papatu abdicatur eorum iudicio Hildebrandus: Wibertus, Rauennensis vrbis Episcopus, in sedem Apostolicam intronizatur, & Clemens nominatur, ac iuste omnes* (notetur illud Omnes) *Hildebrandum fuisse depositum conclamant, tanquam læsæ Maiestatis reum, qui contra* 7 *Sententia Romanorum.*

Imperatorem Henricum, alium ordinauit. Eccè non eſt noua lex, nec noua Theologia in Anglia, reos eſſe læſæ Maieſtatis qui Regibus depoſitis per Papam, non obediunt.

Quin etiam refert Albertus Stadenſis in Chronico ad Annum 1240. Quod Papa Gregorius 9. Inſolentias Imperatoris contra Eccleſiam metuens, Principes ſuper electione alterius ſollicitauit, ſed nil i' profecit, quia *quidam Principum* ei reſcripſerunt. *Non eſſe ſui iuris Imperatorem ſubſtituere, ſed tantum electum a principibus coronare.* Et ad Annum 1245. de Innocentio 4. Papa, in iam dicto Concilio Lugdunenſi, die Iacobi contra Imperatorem excommunicationis ſententiam reuocauit & eum ab Imperiali culmine authoritate propria depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgauit, præcipiens ſub interminatione excommunicationis vt nullus eum Imperatorem de cætero nominaret, *Quæ ſententia per mundum volante, quidam Principum cum multis alijs reclamabant, Dicentes, Ad Papam non pertinere Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere ſed electum à Principibus coronare.*

8. *Principes Electores.*

Idem.

9. *Barones & prælati Anglia.*

Matthæus Paris. Anno 1216. §. *Cumq; omnes Barones & Prælati Londinenſes dicebant generaliter, omnes literas fal a ſuggeſtione fuiſſe impetratas, & ideò nullius eas eſſe momenti, & ex hoc* maximè *quod non pertinet ad Papam ordinatio rerum Laicarum, cum Petro Apoſtolo, & eius ſucceſſoribus, non niſi Eccleſiaſticarum diſpoſitio rerum à Domino ſit collata poteſtas, &c.*

10. *Franci.*

Cum Gregorius 9. depoſito Frederico, Robertum regis Francorum fratrem ad Imperium ſuſcipiendum ſolicitaret, Reſpondet circumſpecta prudentia Francorum. *Quo ſpiritu vel auſu temerario Papa tantum Principem, quo non eſt maior imo nec par inter Chriſtianos, non conuictum vel confeſſum de obiectis ſibi criminibus, exheredauit, & ab apice Imperiali præcipitauit? qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet non niſi per generale Concilium caſſandus Iudicaretur.* Idem Matth. Paris in Henrico 3.

11. *Epiſcopi Alemanniæ.*

Radeuicus de rebus geſtis Frederici lib. 1. Epiſcopi Alemanniæ referibentes Papæ. In *Reſponſo Imperatoris Frederici, quale decebat* (vt aiunt) *Catholicum Principem*, hæc referunt. *In capite orbis Deus per Imperium exaltauit Eccleſiam, In capite orbis Eccleſia (non per Deum vt credimus) demolitur Imperium, A pictura cœpit, ad ſcripturam pictura proceſſit. Scriptura in Authoritatem prodire conatur, non patiemur, non ſuſtinebimus, coronam antè ponemus, quam Imperij coronam vna nobiſcum, ſic deponi conſentiamus.*

12. *Fratres Minores.*

Fratres Minores, quos Papa vocat Fratricellos, & pauperes de Lugduno, quorum caput erat Magiſter Michael Ceſenanus miniſter ordinis minorum, qui dogmatizabant, præterquam de Chriſti paupertate, Imperatorem Romanum non eſſe ſubiectũ Pontifici, niſi tantum in ſpiritualibus, & neminem poſſe ſaluari, qui aliter crederet. Maſſæus lib. 18. in Principio. *De retum contra*

hoc

hoc pro paupertate Christi., non consonum scripturis, Platina in Ioannem 23. & contrarium Canon. caus. 12. q. 1. cap. Dilectissimi, & contra eorum Regulam.

Cum bullam scripsisset Ioannes 22. in qua deponit Ludouicum Bauarum, quod sine sua auctoritate Imperator factus esset, & quod Hæreticos iuuerit. Hæc vbi in Germania cõperta sunt Ludouicus *Diuini humaniq; iuris consultissimos* quosq; in *Italia, Germanijs, Gallijsq;*, præcipuè *Bononiæ atq; Lutetiæ* jure vtroq; atq; sacris literis peritos consulit. *Hi omnes rescripsere, acta & dogmata Iohannis aduersus Cæsarem, Christianæ simplicitati & diuinæ philosophiæ repugnare. Extant huiusmodi concilia Theologorum in Bibliothecis in membranis scripta contra Ioannem* 22. Auentinus lib. 7.

13. *Docti Italiæ, Germaniæ, Galliæ.*

Præsente Ludouico & cunctis sacrificis & vniuerso populo Romano in Regione pro concione eius gratia coacto, Senatusconsultum Romæ 1328. Apud Auentinum, Lib. 7. p. 616. de Ioanne 22. *Monstrum biceps, Mundanus & spiritualis esse contendit. Christus seruator noster, cui omnis potestas in Cœlo atq; in terrâ data est, tamen Imperium atq; Regnum terrarum à populo sibi oblatum suscipere detrectauit, Regnum meum, inquit, non est in hoc mundo. Atq; satis constat inter omnis Diuinæ Philosophiæ, legum & Pontificij iuris scientissimos, penes Pontificem Romanum, nequaquam esse vtramq; dignitatem sacram atq; prophanam, &c.*

14. *Senatusconsultum Romæ.*

Conuentus Germanorum Procerum Septemvirum in pomario Rhenosci. Anno 1338. *hanc Rogationem sciverunt, iusserunt, decreuerunt, voluerunt, promulgarunt, perpetuo sanxerunt. Sacrosanctum Imperium summa in terris potestas cœleste donum est. Imperator enim primus ante omnes, secundus post Deum est, & tam grande nomen à solo Deo traditur. Cui soli ille Reipub. administrandæ rationem reddendam habet. Qui à supremo duntaxat Cœli numine in summo rerum humanarum fastigio collocatus est, & in terris neq; parem neq; superiorem habet.* & ibi plura, Auentinus lib. 7. p. 622.

15. *Conuentus Principum Germanorum.*

De scriptis Clementis ad Ludouicum (vbi de traditione Occami, de decretis aduersus Ioannem 22. de Dependentia Imperij à Papa agebatur) consulti iussu Regum *Theologi Lutetiæ Parisiorum*, rescripsere. *Responsa Clementis non solum iniqua, superba, sed & contraria æquitati Christianæ esse. Idem Bononienses fecerunt.* Auentinus lib. 7. p. 627.

16. *Theologi Parisienses. &c.*

Grauamina nationis Germanicę in Autamentis vt in Fasciculo rerum expetendarum p. 169. *Timeat Cæsarea Maiestas ne Papa mandet Electoribus, vt ad Electionem noui Regis Rom. procedant: sicut contra Fredericum sedum Landtgrauius Thuringiæ, & Gulielmus Hollandiæ comes (iubente Papa) fuerunt electi.*

17. *Natio. Germanica.*

Timeat Cæsarea Maiestas omnes prælatos Ecclesiarum præcipuè Præpositos, qui ex iuramento tenentur auiare Papæ.

Timeat. C. M. ne. S. D. N. Papa obedientiam à subditis auferat, & circumiacentes populos prouocet, vt in terras Cæsaris, siue Archiducatus Austriæ

LIBER SECVNDVS:

IN QVO AVTHORITATES, RATIONES, ET EXEMPLA BELLARMINI PRO POTESTATE PAPAE IN TEMPORALIBVS, Siue in Regibus deponendis contra BARCLAIVM allata, refelluntur.

CAP. I.

Defenditur BARCLAIVS quod contra poteſtatem Papæ in Regibus deponendis ſcripſerit.

1. *Tres opiniones de poteſtate Papæ circa Regum depoſitionem.* 2. *Tertia opinio, quæ negat poteſtatem Papæ in temporalibus, non eſt hæreſis.* 3. *Plures habet fautores Catholicos quam alteræ duæ.* 4. *Excuſatur Barclaius, quod contra hanc poteſtatem ſcripſerit.*

TRes ſunt de Poteſtate Papæ in Regibus deponendis, Theologorum & Canoniſtarum opiniones: vti Cap. 1. *Barclaius* : & de Rom. Pontifice lib. 5. Cap. 1. Cardinalis *Bellarminus*. 1. Pontificem Romanum, monarcham conſtituit totius orbis in ſpiritualibus, & temporalibus habitu, licèt in temporalibus actus ſiue executio demandata ſit Regibus per Papam cuius Vicarij ſunt, quos ſicut Pontifex inſtituit, ſic etiam deſtituit, & deponit : hæc eſt Poteſtas illa directa.

2. Etſi temporalem directam monarchiam Pontificis neget, eandem

tamen potestatem temporalem in regibus deponendis Pontifici tribuit, indirectè, & in ordine ad Deum, siue ad spiritualia: quâ authoritate fretus, obliquè eandem potestatem exercet, & causis exigentibus, dominio priuat; & in ordinem redigit lupos, aut arietes furiosos in grege Domini.

3. Vtramque potestatem, & directam & indirectam in temporalibus negat: Pontificesque intra limites, & cancellos Iurisdictionis merè spiritualis cogit, nec in temporalia, tanquam in alienam messem, falcem suam intromittere patitur.

Inter duas priores potestates, directa, plures & antiquiores habet fautores; pluribus rationibus, a jure naturali (in quo indirectum, aut obliquum nihil) petitis nititur: hanc vero solidissimis argumentis conuellunt sternuntque neuatores illi, qui indirectæ potestatis assertores sunt: qui tamen malis artibus, obliquitate, & curuâ, vt loquuntur, mensurâ idem assequi contendunt: scias has duas ejusdem vulpis vulpeculas, si vna mala fuerit, neutra bona esse potest; Inter vulpes *Sampsonis* facile deprehendas, quæ ore & linguis disiunctæ, caudis colligatæ sunt, vt agrum domini incendant. *Iud.15.4.*

2. Quod ad tertiam attinet: *Bellarminus*, vt in Protestantes virulentam calumniam euomat, contra scientiam, & conscientiam suam in hac causa cauteriatam, *Barclaium* doctissimum arguit, quod solus, tanquam alter *Ismael*, contra communem scriptorum sententiam, contra Conciliorum vniuersalium sensum & consensum scripserit, quasi manus eius contra omnes Catholicos sit, manusque omnium Catholicorum contra ipsum: de qua in 5. Lib. de Pont. Cap. 1. satis magistraliter. *Altera non tam sententia quam hæresis, &c.* Ac si soli hæretici (cultus enim Dei juxta verbum Dei & primæuam Ecclesiam, relictis traditionibus Romanensium, *Bellarmino* hæresis est) hanc potestatem temporalem pontificis in Regibus deponendis negent, omnes vero Catholici agnoscant: peccatum hoc non est ignorantiæ in tanto Cardinali, (absit vt tantus Cardinalis ex ignorantia labatur) sed scientiæ. Ipse in Lib. 5. de Pontifice Cap. 1. aliquot Authores eosque Catholicos citat, *Petrum de Alliaco*, *Ioannem de Parisijs*: quos in hoc de Potestate Papæ tractatu, tanquam sibi suæque sententiæ contrarios, aut parum fauentes omisit. Nec latet *Bellarminum*, *Occhamum*, *Iacobum Almain*, *Ioannem Maiorem*, *Ioannem de Ganduno*, & Catholicos esse, & tertiam hanc non tam sententiam quam hæresim amplecti, mitto *Marsilium Patauinum*, *Petrum de Vineis*, *Nilum*, alioſque multos, quorum in hac causa sententiam nescire aut nolle scire, in tanto Cardinali piaculum est, præsertim cum multi ex authoribus *Bellarminianis*, contra hos Catholicos authores ex professo scripserint, quos videat lector supra, l. 1. cap. 8. *Gen.16.12.*

3. His si addamus & constantem doctrinam Patrum (qui Regibus &

Im-

Imperatoribus obediendum docuerunt, idq; in maximis perſequutionibus) & Eccleſiæ Catholicæ conſtantem praxim per plus mille Annos, in quibus nec Infidelitas nec hæreſis, nec perſecutio, nec Apoſtaſia ſufficiens cauſa regum deponendorum vſa eſt; Et illos innumerabiles authores Catholicos, omnium ætatum Scriptores celeberrimos, qui hanc poteſtatem temporalem ſilentio præterierunt, vtpote prorſus inauditam & ignotam, aut ſilentio ſuo improbarunt; necnon innumerabiles illos Epiſcopos, ſacerdotes, monachos, clericos, populos, qui non obſtantibus excommunicationibus, Bullis, depoſitionibus, priuationibus, anathematis, interdictis Papalibus, in officio & obedientia Imperatorum, & Regum depoſitorum, conſtantiſſimè vſque ad ſanguinem mortemque perſeuerarunt: Quam pauci, immo quam nulli ſunt iſti ſeptuaginta Bellarminiani authores, ſi cum illis catholiciſſimis, & conſtantiſſimis fidelibus, & Epiſcopis conferantur; qui ante poſtque hanc natam controuerſiam, hanc poteſtatem, vel potius tyrannidem deteſtati ſunt: per quam vt rectè Barclaius, *non tam Principes, quam Eccleſia afflicta eſt, & penè ad nihilum redacta, cum poteſtas hæc ipſis Pontificibus infauſta ſit, vt Equus Seianus, aurumue Tholoſanum* dominis; Imo fons ſit, & ſcaturigo omnium eorum fluctuum quibus Eccleſia jam jactata ſit. Nunquam enim Reges à Pontifice & Hierarchia Eccleſiæ receſſiſſent, ad paritatem popularem, multoſque Papas pro vno perpeſſi eſſent, niſi hinc ipſos, libertas a iugo Pontificio: illinc præda Aulicos & Magnates ex ruderibus ruentis Hierarchiæ, ineſcaſſet. *In Epiſtola ad Clement. 8.*

Modeſtiſſimus ergo *Barclaius*, modeſtior multo quam par erat, qui diſſidentibus, digladiantibus, anathematizantibus ſe inuicem ſcriptoribus Catholicis vt *Carerius Bellarminum*, vtriſque fundamenta poteſtatis hujus, & directæ & indirectæ, hinc inde demolientibus, nec tam de modo, vt frigidè *Bell.* quam de jure, & authoritate huius poteſtatis dimicantibus, tertiam hanc ſententiam, quam ſolam nouit Chriſtus & Apoſtoli, Martyres, Confeſſores, Patres, totaque Primæua Eccleſia, omneſque fideles ſubditi, quamque ſoli reiecerunt pauci ſchiſmatici, ambitioſi, perduelles, & doctè & ingenuè ſine cuiuſquam iniuria, (*Bellarminum* enim quem præcipuè refutat pluribus effert laudibus) proponit, & ſolidis authoritatibus argumentiſque confirmat, & obiecta firmiſſimis reſponſionibus diluit: idque, quod *Barclaium* hominem modeſtiſſimum, doctiſſimumque optime decet, ſine virulentia, ſine calumnijs, cum candore, cum præmio, cum præfatione, cùm aduerſarios habeat in hac cauſa, & doctiſſimos nempe Cathedratos, & potentiſſimos vtpote, ſi non primos certè non infra ſecundos, qui rerum potiuntur, & Eccleſiæ & (ſi poſſent) etiam Reipublicæ habenas moderantur. 4.

Quid vero? Annon apud Catholicos ſemper licitum, in ijs quæ ab Eccleſia definita non ſunt, (quo in numero hæc poteſtas temporalis) & ra-

tiones, & opinionem ſuam proferre; Imò in ijs quæ definita, & certa, & determinata ſunt; vtpote Deitate *Chriſti*, & Spiritus ſancti, humanitate *Chriſti* &c, annon licitum apud Catholicos ſcholaſticos, & argumenta & rationes in vtramque partem proferre, etſi contra ſentire non liceat?

Annon *Barclaio* licitum eſt, de hâc poteſtate & diſputare, & ſentire cum *Marſilio, Occhamo, Ioanne de Pariſijs, Ioanne Maiore, Iacobo Almayn, Ioanne Gerſonio*, alijſque multis quos magni ſemper fecit ſchola literaria? An tanti ſunt habendæ rationes, opiniones, determinationes eorum, qui pro poteſtate Pontificis ſcribunt, vt nemini contra vel hiſcere liceat?

Epiſt. 48 ad Vincent. Aliter *Auguſtinus de Patribus*: *Non ſic leguntur tanquàm ex ijs teſtimonium proferatur, vt contra ſentire non liceat, ſi cubi forte aliter ſapuerint, quàm veritas poſtulat: in eo quippe numero ſumus, vt non dedignemur nobis dictum ab Apoſtolo accipere: Et ſi quid aliud ſapitis id quoque vobis Deus reuelabit.*

An æternum omnibus ſilentium impoſitum, qui quicquam contra Papam, vel ſcribere, vel dicere, vel ſentire audent, vel eo nomine ſolùm, quia contra Papam? An inter alia tua multa priuilegia Papatum, hoc etiam datum Papæ, vt non poſſit quod ſuum non eſt, nec aſſumere, nec appetere? *Petri fides* deficere non poteſt: An non & factum? In fide non poteſt errare: an non in facto?

Si in conſeſſu illo conſediſſet Cardinalis *Bellarminus* cum Collegis ſuis, in quo damnata eſt innocens *Suſanna*; an poſt datam ſententiam, *Danielem* paruulum loqui permiſiſſet?

Si in magna illa 118. Epiſcoporum Synodo cõſediſſet, poſt concluſam penè de ſeparatione presbyterorum ab vxoribus ſuis cautam, an Paphnutium patienter audiſſet?

Daniel loquitur in Concilio Seniorum; O Piaculum! *Paphnutius* in magna Synodo Niceæ, loquitur: proh ſcelus: *Barclaius* poſt ſeptuaginta Pontificios aſſeclas opinionem ſuam ſcriptis mandauit; iniquitas non ferenda! Si ſic ſolent Pontifices & Cardinales, contra aduerſarios ſuos Catholicos inſurgere; Hæretici verum dicent quod & a veſtris didicerunt, contra Papam vera dicere peccatum eſt, adeoque grauiorem cenſuram apud vos ſubit, qui in Papam, quàm qui in Deum peccat: & meritò, gloriam enim apud homines, magis quærunt qui hoc agunt, quam apud Deum.

Epiſt. 111. Quid vero *Barclaius*? *Auguſtinum* ſequitur: *qui quorum libet diſputationes, quamuis Catholicorum, & laudatorum hominum velut Canonicas Scripturas non habet: licet in illorum ſcriptis (ſalua reuerentiâ illorum,) aliquid improbare & reſpuere, ſi forte inuenerimus quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, diuino adiutorio, ab alijs intellecta.*

vel

vel a nobis : Qualis ego sum in scriptis aliorum, tales volo esse intellectores meorum. Sic *Augustinus.* Quid ad hæc *Bellarminus? Non indignor, non succenseo, quod à mea opinione* (Esto : opinio sit, non ergo fides) *Barclaius vel alius quicunq; recesserit ; sed illud æquo animo ferre non possum, quod à communi scriptorum sententia, in re tam grani, imo à conciliorum vniuersalium sensu & consensu vllus recedit:* Scriptorum communis sententia nõ est par Scripturis canonicis, *at à temeritate excusari non potest, qui contrà torrentem Doctorum (vt dici solet) scribendo nititur:* si hæc sit communis opinio, si torrens Doctorum, talis præcul dubio torrens, qui in contraria diuisas, seipsum absorbeat, vel ad nihilum redigat? Canonistæ torrentem obliquum devorant, ne sit hoc modo, vel potiùs hoc iure : Theologi torrentem Monarchiæ temporalis directum exiccant, ne hoc modo vel potiùs hoc iure sit: sic neutra opinio communis, quia diuisa & contraria, neutra constans, quia cum torrente subito eripitur. Scylla vel Charybdis potiùs quam torrens, qui non tam fert, quàm Nautas navemq; Ecclesiæ subvertit.

Non ergo communis est opinio, quia diuersæ opiniones de modo vel iure, quæ non solum modum, sed & rem ipsam evertunt: Nec definitum est in Concilio legitimo, libero, vniuersali, & quod omnes tangit ab omnibus debet approbari : quin etiam decretis multorum Conciliorum aduersatur : liberum ergo est *Barclaio*, alijq; cuicunq; Catholico, in vtramq; partem disputare, rationes suas proferre, opinionem suam etiam invito *Bellarmino* proponere, sed veritatis indagandæ causa.

Non ergo accusandus sed laudandus *Barclaius*, qui modestè sine cuiusquam iniuriâ, rationes, opinionemq; suam scriptis mandat : *percutiebant caput Christi arundine Iudei, & ponentes genua adorabant eum, dant illi alapas & dicunt : Ave Rex Iudæorum.* Non sic *Barclaius*, qui sedem Romanam summâ benevolentiâ, imo nimiâ obedientia prosequitur, quiq; id præcipuè agit, vt debitam potestatem dignitatemq; retineat, indebitam vero non arripiat: Illi potius Caput Pontificis percutiunt, eiq; alapas impingunt, qui oleo peccatorum, Caput eius impinguant; *Quid est oleum peccatoris, non impinguet Caput eius: non crescat caput tuum de adulatione : falsa laus adulatio est, falsa laus adulatoris, hoc est oleum peccatoris: propterea homines cùm falsa laude aliquem irriserint, hoc etiam de illo dicunt : vnxi illi caput. Amate ergo argui a iusto in misericordiâ, nolite verò amare laudari à peccatore cum irrisione:* & infra : *laudatio illa non indulcet, oleum peccatoris est : Sed non cessat dicere, non inde impinguet Caput tuum, id est, noli gaudere ad talia : id est, noli annuere, noli consentire, noli inde gratulari. Etsi ille attulit oleum adulationis, sed caput tuum integrum reliquit, non inflatum est, non tumuit. Si enim inflatum fuerit & intumuerit, facit pondus, & præcipitabit te :* Hæc Augustinus.

Marc 15. Ioan. 19.

In Psalm. 140.

Quis ergo sit qui oleo peccatoris, adulatione sc. Caput Pontificis impin-

pinguat *Borelaius* an *Bellar.* ipſe viderit: *Barclaius*, procul ab oleo peccatorum id eſt adulatione, poteſtatem indebitam Pontificis negat: *Bellarminus* oleo peccatorum, id eſt adulationis, id eſt, indebita poteſtate caput pontificis impinguat: vnde pondus & præcipitium poteſtatis Papalis: qui dum genua Pontifici ponens adorat *Dominum ſuum Papam*: Dicens Aue Rex Regum, Dominus Dominantium, & Chriſto alapas dat, & arundine caput Chriſti percutit: vnde tota Eccleſia exclamat, *Doleo caput meum, Doleo caput meum,* quod toti corpori nimis oneroſum præponderat.

9. *Bozium* tanquam indignum, cui bonus doctuſque reſpondeat: nec non *Boziana* ineptias, plane friuolas & pueriles, indignaſque in quibus
3.Reg.20.3. laborem tempuſque tereret, præterit *Barclaius*, & rectè quidem: *Bozius* iſte nuntius ille eſt *Benedadi* Papæ, qui vt Rex ille Aſſyriæ *Benadad*: *Argentum tuum & aurum tuum meum eſt & vxores tuæ, & filij tui optimi, mei ſunt*; Mea ſunt Regna veſtra, meus eſt iſte populus veſter, meus habitu, etſi veſter actu & exercitio: mea ſunt ad libitum meum auferendæ talis Dominus Papa: Talis nuntius *Bozius*: At rectiùs *Petrus*; *Nonne manens, tibi manebat, ac venundatum in tua poteſtate erat*; tibi manebat: ergo tuum erat: ſic *Petrus*, tuum eſt vſu & exercitio, meum habitu & actu, ſic *Petri* ſucceſſor: ſic Papæ aſſecla: Non ſine cauſa *Bozius* iſte ordinis Oratorij: ordinis Oratorij erant, qui domos viduarum ſub obtuitu prolixæ orationis devorabant. Nonus iſte ordo orationis, novum habet aucupium: non domos viduarum, ſed domos, hoc eſt Regna Imperatorum & Regum, imò totum mundum ſub obtuitu prolixæ orationis deuorat: *Abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam, quod influat Iordanis in os eius*: *ſic Iob de Behemoth.* Iordanis fluuius Iudiciji, hunc abſorbebit: Ecce ſic os Papale aperuit *Bozius*, vt jam fiduciam habeat, quod non tantùm Iordanis, ſed & totus Oceanus, imò totus mundus influat in os eius.

Act.5.

Marc.12.40.

Iob.40.18.

CAP. II.

Firmum eſt fundamentum Barclaij: Duæ ſunt poteſtates, a Deo, Eccleſiaſtica & politica, diſtinctæ dignitatibus, officijs, actibus.

1. *Neutri in alteram eſt Imperium: nec Eccleſiaſtica in ſecularem, nec è contrà.* 2. *Imperium duplex: directiuum, & coactiuum.* 3. 4. 5. *De ſententia Gelaſij. Duo ſunt: Diſtinct-*

stinct.96. 6. *De sententia Nicolai* 1. *Cum ad verum: Dist.96.* 7. *De finibus harum potestatum.* 8. 9. *De sententia Innocentij* 3. *De Iudicijs: C. nouit.* 10. 11. 12. 13. *De sententia eiusdem Innocentij: C. Per venerabilem. Qui filij sunt legitimi.* 14. *De sententia Bernardi: In criminibus, non possessionibus.* 15. *De sententia Driedonis.* 16. *De sententia Hosij.* 17. 18. 19. *De sententia Greg. Nazianzeni.* 20. *Non respondet Bellarminus Innocentio, & Panormitano.* 21. *Sententia Fabri Stapulensis.* 22. *Potestas secularis non subordinatur potestati spirituali, nec in se, nec ratione finis.*

DVæ sunt potestates, quibus mundus in officio continetur. Ecclesiastica, & Politica; vtraque à Deo, vtraque iure diuino distincta & separata; vtraque suis terminis conclusa, neutra in alterius fines inuadere suo iure potest, neutri in alteram Imperium est. Hæc est propositio Barclaij quam multis authoritatibus cõfirmat, vt postea patebit. *Hoc principium sive fundamentum (inquit Bellar.) in vltimâ particulâ falsum esse omnino contendimus, in illis viz. vltimis verbis; neutrique in alteram Imperium sit. Siquidem affirmamus Ecclesiasticam potestatem distinctam quidem esse à politicâ: sed eâ non modò nobiliorem, verùm etiam ita superiorem esse, vt eam dirigere, & corrigere, & in certis casibus, in ordine scilicet ad finem spiritualem & vitam æternam, eidem imperare possit* 1.

In hac propositione multa sunt, in quibus *Bellarmino* conuenit cum *Barclaio*: Duæ sunt distinctæ & separatæ potestates, jure diuino, Ecclesiastica & politica; vtraq; suis terminis conclusa; neutra in alterius fines inuadere suo jure potest. De his nulla est controuersia; vnum est de quo lis tota instituitur; *neutri in alteram est Imperium*; Sic Barclaius: *Ecclesiastica potestas non tantum nobilior, sed superior, politicam dirigit & corrigit, & in certis casibus in ordine ad finem spiritualem & vitam æternam eidem imperare potest*: Sic Bellarminus.

Vt hæc pars postrema huius propositionis dilucidior fiat 1. aduertendũ est, aliud esse *Imperium sive Dominium directivum, sive regitivum, sive regulativum, sive ordinativum; aliud vero coactivum.* De priore directiuo non est quæstio: potestas enim Ecclesiastica in Spiritualibus dirigit politicam, politica in temporalibus dirigit Ecclesiasticam; vt recte Berengosius. *Sciendum est quod nec Catholicæ fidei, nec Christianæ contrarium est legi,* 2. *Gerson de potest. Ecclesiast. consid. 13. in vltima editione.*

si ad honorem Regni & Sacerdotij, Rex Pontifici & Pontifex obediat Regi.

Cap. 33. Et proinde *Barclaius* grande profert verbum; *Clerici in temporalibus non sunt exempti*: Et Clerici tenentur Legibus Imperialibus, obligatione directiuâ, etsi non coactiuâ, vt ipse fatetur *Bellarminus*. Et vt refert *Barclaius*, ex *Francisco Romulo*, siue ipso *Bellarmino*, *Episcopi Regibus in temporalibus rebus, & Reges Episcopis in spiritualibus subiecti esse debent.*

De Clericis cap. 28 Prop. 2. Cap. 34.

Coactivum duplex est Ecclesiasticum per censuras, & pœnas spirituales, & politicum per censuras & pœnas temporales & civiles: Quod ad censuras Ecclesiasticas; & *Philippus* Imperator inter Catechumenos collocatus, & *Theodosius* ab *Ambrosio* ab ingressu Ecclesiæ prohibitus est. Quod ad civiles censuras, multi Episcopi in exilium relegati, & summâ pecuniariâ, alijsq; pœnis civilibus ab Imperatoribus sanctissimis mulctati sunt: quibus addere possumus multos etiam summos Pontifices ab Imperatoribus incarceratos, relegatos, alijsq; pœnis civilibus in ordinem redactos.

3 Cum ergò Barclaius asserit, neutri in alterum esse Imperium, nec de Imperio siue Dominio directiuo, nec de Imperio coactiuo Ecclesiastico intelligendus est, *cum & potestas Ecclesiastica potestatem secularem habeat instituere in spiritualibus vt bona sit, & iudicare si bona non fuerit; sed sine præiudicio*, vt *Hugo de sancto Victore*: & potestas secularis potestatem Ecclesiasticam habeat etiam instituere in temporalibus per leges civiles, & iudicare si in aliquo delinquat. *Quædam Ecclesijs Christi, devotione fidelium concessa sunt possidenda, salvo tamen jure terrenæ potestatis*; vt idem *Hugo*.

De Sacram. Fid. lib. 2. pa. 3. cap. 4

Ibid. cap. 7. Quæstio verò inter *Barclaium* & *Bellarminum*, ex his verbis, neutri in alterum est Imperium, hæc est. An potestas Ecclesiastica Imperium habeat coercivum, externum & civile, per pœnas temporales in potestatem secularem? & an potestas politica imperium habeat coërcivum spirituale, per pœnas spirituales in potestatem Ecclesiasticam? Vtrumq; negat *Barclaius*, de potestate Ecclesiasticâ asserit *Bellarminus*, posse Pontificem per censuras civiles & temporales (talis enim est depositio Regum) reges in ordinem cogere.

Iam ad authoritates Barclaij descendamus; in quibus illud prælibandum duximus, nonnullas ad priorem partem propositionis de distinctione Potestatum referendas; præcipuè contrà ineptias Bezianas, qui non distinctionem, sed subordinationem potestatum inducere conatus est; acsi Pontifex *vnum* esset caput & Monarcha totius orbis in spiritualibus & temporalibus, qui vices suas in spiritualibus, Episcopis: in temporalibus, Imperatori & Regibus, tanquàm Vicarijs suis, & Locum tenentibus commiserit, vt eius verba perspicuè demonstrant. Alias verò ad hunc collimare scopum, vt neutri in alteram imperium sit. Non est ergo expectandum, vt omnia hæc testimonia ad quæstionem aptentur.

Duo sunt quippè, Imperator Auguste, quibus principaliter hic mundus regi-

regitur; authoritas ſacra Pontificum, & regalis poteſtas, in quibus tanto grauius eſt pondus Sacerdotum, quanto etiam pro ipſis Regibus (Bellarminus legit, regiminibus, ad fidem nouorum exemplariũm) hominum in diuino ſunt reddituri examine rationem: Et poſt pauca: *Noſti itaque ex illorum te pendere arbitrio, non illos ad tuam poſſe redigi voluntatem.* Verba ſunt *Gelaſij* Papæ 1. ad *Anaſtaſium* Imperatorem. Extat Epiſtola inter Decretales *Gelaſii*: in quâ apud *Merlinum*, apud *Binnium*, nec non in Can. Duo ſunt, Diſt. 96. legitur Regibus, non Regiminibus: quamvis fortè nova hæc lectio lucroſiſſima *Bellarmino* videatur, vtpotè quæ curam non ſolùm animarum, ſed etiam Regiminum Pontifici tribuat.

1. *Authoritas Gelaſii. C. Duo ſunt Diſt. 96.*

Malâ verò fide hæc verba recitat Bellarminus. Cum enim *Gelaſius* de cauſis ſalutis, de ſumendis cœleſtibus Sacramentis, ijſque vt competit, diſponendis loquatur, indeque inferat: *Noſti itaque inter hæc ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem*: vt *Gregorius* 7. *Merlinus*, & *Binnius* legunt: omiſit hæc verba (inter hæc) *Bellarminus*, vt Imperatorem ſimpliciter ex iudicio Pontificis pendere aſſereret, cum *Gelaſius* ſolùm in cauſis ſaluis, in ſacramentis ſumendis & diſponendis, Imperatorem ex iudicio Sacerdotis ſummi pendere affirmet. Deinde *Gregorius* 7. *Merlinus* & *Binnius* legunt: Non illos ad tuam velle redigi voluntatem; *Bellarminus* ex *Gratiano*, pro velle, legit, poſſe. Gloſſa verò (inter hæc) interpretatur quoad ſpiritualia.

Verba verò ſequentia rem totam expediunt, planèque concludunt, ſubiectionem Antiſtitum & Epiſcoporum, & Sacerdotum in temporalibus, quâ legibus civilibus obligantur: ſequitur enim: *Si enim quantum ad ordinem pertinet publicæ diſciplinæ, cognoſcentes imperium tibi ſuperna diſpoſitione* (Regnum ergo à Deo) *collatum, legibus tuis ipſi quoque parent religionis Antiſtites, ne vel in rebus mundanis excluſa videantur obviare ſententiæ, quo, rogo te, decet affectu ijs obedire, qui prorogandis venerabilibus attributi ſunt myſterijs.* Eccè diſertis verbis *Gelaſius* in temporalibus Antiſtites Imperialibus legibus ſubmittit, ſicut in diuinis Pontificibus obedientes voluit eſſe Imperatores.

Neque verò negandum eſt, verba iſta *Gelaſii* diſtinctionem hanc poteſtatum abundè probare. Si enim duo ſunt quibus principaliter hic mundus regitur, authoritas ſacra Pontificum & Regalis poteſtas, & diſtincta ſunt & duo prima quaſi principia, & capita ſunt, à quibus omnes poteſtates inferiores deducuntur, Eccleſiaſticæ à Pontifice, minores magiſtratus ab Imperatore; Et ſi duo ſunt principia, duo capita, duo latera, vt loquitur *Hugo de Sancto Victore*, non eſt principium ſub principio, non eſt caput ſub capite, non eſt ſub latere latus, æqualia ſunt, neutri in alterum eſt Imperium: vt rectè infert *Barclaius*. Quid enim an latus dextrum deponit latus ſiniſtrum? Exerit vires ſuas ſacra authoritas Pontificum, docendo quæ ad fidem, ſacramenta adminiſtrando, cenſuras Eccleſiaſticas

siasticas infligendo: vnaquæque enim facultas operatur iuxta vires suas: exercet regalis potestas (non tantùm authoritas) vires suas temporalia administrando, leges ferendo, pœnas corporales inferendo: nec imperatori licet Anathematis mucrone ferire, nec Pontifici licet gladio civili pugnare: Imperatori datur gladius, Pontifici baculus. *Distat planè*, inquit Petrus Damianus, *tribunal iudicis à cathedrâ, Sacerdotis: ille nimirum ad hoc gladium portat vt eum in vltionem iniuste viuentium exerat: iste baculo tantum contentus est innocentia, vt quietus & placidus teneat custodiam disciplinæ: Gladius Regis censura curiæ: gladius Sacerdotis Ecclesiastica rigor est disciplinæ*: vt Hildebertus.

P. Damianus l. 7. Epist. 11.

Hild. in Epist. 40

5. *At* (inquit Bellarmino) *plane contrarium habetur ex Gelasio; nam si Pontifex redditurus est Deo rationem pro Regiminibus hominum, certè dirigere debet ea regimina, & si fortè deviant corrigere, atque in viam reducere. Quomodo autem potest dirigere & corrigere humana regimina, si nullum in ea habeat imperium.*

Pro animabus & Regibus reddituros esse Pontifices rationem, non est novum, pro regiminibus verò novum est. An & regimina rationem redditura sunt, sicut & animæ? Verùm ad rem; eiusdem est corrigere cuius dirigere: esto sed ijsdem medijs corrigere debet, quibus dirigit: dirigit autem spirituali baculo, pascit spirituali cibo. Ergo & spirituali baculo, spirituali gladio corrigit; non ergo habet Pontifex imperium coercivum temporale, non habet gladium temporalem, sicut nec habet cibum temporalem, nec pascit bonis temporalibus, sed cœlestibus & æternis.

Quinetiam illud silentio non est prætereundum, quod Glossa in hæc verba; Duo sunt; nos remittit ad Auth. Quomodo oportet Episcopos: in principio; vbi ex distinctione harum potestatum; infert Imator, pro suo in rebus Ecclesiasticis primatu; in hunc modum: *Maxima quidem in omnibus sunt dona Dei, à supernâ collata clementiâ, sacerdotium & Imperium: & illud quidem diuinis ministrans, hoc autem humanis præsidens, ac diligentiam exhibens, ex vno eodemq; principio vtraq; procedentia, humanam exornant vitam: ideoq; nihil sic erit studiosum Imperatoribus, sicut Sacerdotum honestas.* Et infra. *Nos igitur maximam habemus solicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa Sacerdotum honestatem, &c.* ex hâc curâ Imperatoris ortæ sunt omnes illæ leges, quæ sequuntur, ex quibus manifestum est Sacerdotes & Episcopos imperatori tunc subditos fuisse.

6. *Quod licèt olim Pagani Imperatores ijdem & maximi Pontifices dicerentur, tamen cum ad verum ventum est, vltra sibi nec Imperator iura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium vsurpauit: quoniam idem Mediator Dei & hominum homo, Christus Iesus, sic actibus propriis & dignitatibus distinctis officia potestatis vtriusq; discrenit, propria volens medicinali humilitate sursum efferri, non humanâ superbia rursus in infer-*

Testimonium 2. Nicolai Can. cum ad verum Dist. 96.

num

num demergi, vt & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vterentur, &c. Eccè, inquit *Barclaius*, teſtimonio ſummi Pontificis, vtraque poteſtas actibus, dignitatibus & officijs propijs diſtincta eſt, nec poteſtas temporalis iura ſpiritualis poteſtatis, nec hæc illius ſine iniuriâ vſurpare poteſt.

At, inquit Bellarminus, *hæc verba: Neutri in alteram eſt imperium hic non habentur*: Eſto: At qui agnoſcit diſtinctos actus, diſtinctas dignitates, diſtincta officia harum poteſtatum, ſimul agnoſcit, non poſſe poteſtatem ſpiritualem officia & actus poteſtatis temporalis vſurpare aut exercere: & inter actus & officia poteſtatis temporalis depoſitio Regum collocanda eſt: depoſitionem enim Regum inter actus ſpirituales nemo antiquorum vnquam recenſuit: conſulantur Patres & Scholaſtici & Iuriſtæ antiquiores, qui cenſuras Eccleſiaſticas enumerant, an inter has depoſitio in temporalibus, ſicut depoſitio & degradatio Sacerdotum inter ſpirituales, ſiue Eccleſiaſticas cenſuras recenſetur.

Id quod idem *Nicolaus* in eâdem Epiſtolâ fuſiùs probat: *Michael* enim Imperator per Concilium, Ignatium Patriarcham Conſtantinopolitanum depoſuerat, *Photium* in eius locum ſubſtituerat; hac de cauſa *Nicholaus*: *Vos autem quæſumus, nolite præiudicium Dei Eccleſiæ irrogare, illa quippe nullum Imperio veſtro præiudicium infert.* Nullum præiudicium infert: An deponere poteſt Pontifex Imperatorem ſine præiudicio?

Et infra: *Rogamus denique vt nos in hac vita potius audiatis deprecantes, quàm, quod abſit, in diuino iudicio ſentiatis accuſantes: & ideo nolite, precamur, irasci, ſi vos tantùm diligimus, vt Regnum quod temporaliter aſſecuti eſtis, velimus vos habere perenne, &, qui imperatis ſeculo, poſſitis regnare cum Chriſto.*

Hæc verba extant in Epiſt. Gelaſ. ad Anaſt. vt & Canon iſte Nocolai extat in Tomo Gelaſ. de Anathematis Vinculo.

Sic, ſic ſolebant antiqui Pontifices precibus & ſupplicationibus Imperatores deponere: *quæſumus, rogamus, precamur.* Quantum abeſt hic *Nicolaus* ab illis, qui nihil niſi magnos titulos, magna ſpirant imperia.

Deprecantes in hac vita, accuſantes in diuino iudicio: nondum fabricatum erat tribunal illud in quo Pontifex accuſator, teſtis, & iudex Imperatorum & Regum.

At (inquit Bellarminus) *Chriſtiani Imperatores egent Pontificum miniſterio pro vita æterna: apertiſſimè hic indicatur finem poteſtatis Pontificiæ ſuperiorem eſſe fine poteſtatis politicæ; & per hoc poteſtatem Pontificiam imperium habere ſuper politicam poteſtatem.* In quibus nec antecedens *ſatis verum, nec conſequens ferendum.* 7.

1. enim finis poteſtatis politicæ idem eſt qui poteſtatis Eccleſiaſticæ: temporalia enim ordinantur ad æterna, ſicut & ſpiritualia; ideo in omni ciuitate etiam mundana, primum locum habet religio etſi forſan

forſan non vera: idéque non ſolùm in ordinatione Dei, ſiue Naturæ naturantis, qui ſocietates ordinauit, vt publicè coleretur Deus, ſed etiam in intentione humanâ: ideò enim in ciuitates, ſiue ſocietates coëunt homines, vt facilius finem ſuum aſſequerentur, id eſt, beatitudinem æternam, quam omnes appetunt dum appetunt bonum: *& idem eſt finis hominis, & ſocietatis ſiue ciuitatis, vt rectè Ariſtoteles, Polit. l. 7. c. 2.*

§. 2. Etſi finis poteſtatis Eccleſiaſticæ ſuperior ſit, inferior finis poteſtatis politicæ; illa æterna, hæc temporalia proponat; non tamen ſequitur, poteſtatem politicam Eccleſiaſticæ vſq; ad coercionem ſubjici, etſi quoad regulationem: Ars enim equeſtris habet directionem artis fræniſectiuæ, coercionem non habet. Anima forma eſt corporis vt eam informet & dirigat, at anima ſine peccato homicidij non poteſt deponere, non poteſt occidere corpus: cibum detrahere poteſt, fame & ieiunio caſtigare poteſt corpus, perdere non poteſt. De quâ finium ſubordinatione ſuſiùs c. 21.

3. Teſtimonium Innocent. 3. de Iudicijs c. nouit.

Non putet aliquis quod iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare aut imminuere intendamus, cum ipſe iuriſdictionem noſtram nec velit nec debeat impedire: Et infra: *Non enim intendimus iudicare de feudo cuius ad ipſum ſpectat iudicium.* Et infra: *Sed de peccato cuius ad nos pertinet ſine dubitatione cenſura.* Hæc *Innocentius* 3. Quæſtio erat inter *Ioannem* Regem Angliæ & *Ludouicum* Regem Francorum de Comitatu *Pictauiæ*: fœdere inter Reges facto, & iuramento confirmato, Rex Franciæ Comitatum illum occupat: *Ioannes* denunciat *Innocentio*: Vndè emanauit hoc decretum *Innocentij*; in quo perſpicuè id quod *Barclaius* aſſerit obſeruari poteſt: vtrique, & Regi Francorum & Pontifici ſua iuriſdictio illibata conſeruatur. *Non intendimus* (inquit *Innocentius*) *iuriſdictionem illuſtris Regis Francorum perturbare aut minuere*; multò minus regnum tollere, Regem deponere: *non intendimus iudicare de feudo, ſed de peccato.* An Regnum inter peccata ab *Innocentio* reponitur, ſicut à *Gregorio* 7. qui ortum regnorum Diabolo tribuit, *mundi ſcilicet Principe Diabolo agitante.* Si de feudo iudicare non intendit Pontifex, quomodo de regno iudicabit, cuius ad Regem ſpectat iudicium, non ad Pontificem? At iudicabit (inquies) de peccato. An de omni peccato? Quin ergo tollantur omnia criminalia à cognitione Laicorum & ad Eccleſiaſticos Iudices referantur: Laici verò ad ſolas cauſas ciuiles redigantur. Quid verò? An iudices Eccleſiaſtici qui de omni peccato in foro interiori per confeſſionem cognoſcunt, de omni itidem peccato cognoſcere debent in foro exteriori & contentioſo?

Lib. 8. Epiſt. 21.

Eſto verò: Si de omni peccato Pontifex in foro exteriori & contentioſo non cognoſcit, at ſaltem de iuramenti religione, quod ad iudicium Eccleſiæ non eſt dubium pertinere. Imò verò dubium eſt, an violatio iuramenti in re ciuili ad Iudicem Eccleſiaſticum pertineat; Iuramenti enim violati cognitio ad illud forum pertinet, ad quod res ipſa quæ iura-

mento

mento confirmata eſt, ſpectare dignoſcitur. Natura enim cauſæ trahit ad ſe perſonam, non perſona naturam cauſæ.

Sed iſta miſſa faciamus: Quomodo verum eſt quod ait *Barclaius*, neutri in alterum eſt imperium, cum de hâc causâ Regum intendat iudicare Pontifex? *Nullus, qui ſit ſanæ mentis*, inquit *Innocentius*, *ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocunq; peccato mortali quemlibet corrigere Chriſtianum, et ſi correctionem contempſerit, per diſtrictiones Eccleſiaſticas coercere.* Et infra: *Magnum iudicabis ſicut parvum.* Eſto: ad officium noſtrum ſpectat quemlibet Chriſtianum corrigere: Corrigere ergo non ſemper cenſuras Eccleſiaſticas denotat ſed reprehenſiones: correctionem vel correptionem, non excommunicationem: ſequitur enim: *Si contempſerit, per diſtrictiones Eccleſiaſticas coercere, ad officium ſpectat noſtrum:* Reus ergo Chriſtus ipſe, reus Petrus, rei omnes illi Epiſcopi ſucceſſores Vicarij Chriſti, qui Reges in mortali peccato exiſtentes, perſecutores, hæreticos, Apoſtatas, per diſtrictiones Eccleſiaſticas non coercuerunt: et huius officij omiſſio non ſine peccato.

Verùm enimvero, quæ eſt pœna, quę poteſtas coercitiua Eccleſiæ? per *diſtrictiones Eccleſiaſticas*, inquit Innocentius. Habet ergo Eccleſia imperium ſuum directivum, per verbum; habet & imperium coactivum per diſtrictiones Eccleſiaſticas: hoc imperium non negat *Barclaius*. Sed non habet imperium civile coactiuum per cenſuras temporales, qualis eſt depoſitio Regum: hoc imperium negat *Barclaius*, hoc imperium non vſurpat *Innocentius*: contentus tantùm diſtrictionibus Eccleſiaſticis: Hoc imperium rejicit *Cœleſtinus* in hoc ipſo Titulo de iudicijs, C. cum non ab homine; *cum Eccleſia non habeat vltra quod faciat*; vltrà depoſitionem ſpiritualem & excommunicationem: Verè ergo ex hoc Canone colligit *Barclaius*: *Neutri in alterã eſt imperium*: id eſt, Eccleſia non habet imperium coactivum temporale in Reges: id quod manifeſtius eſt ex probatione *Innocentij*: *Ita magnum iudicabis vt parvum*; parvum, id eſt, ſubditum. At Pontifex hæreticum condemnatum non iudicat, id eſt, non punit pœnâ temporali, ſed brachio ſeculari puniendum tradit, ſicut nec deponit: Ergo nec magnum, id eſt Regem hęreticum, iudicat, id eſt, punit pœna temporali, ſicut nec deponit. 9.

Inſuper cum Rex Franciæ ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, (idque iure, non tantùm de facto, vt malè dicta gloſſa; ſequitur enim) *ſine iuris alterius læſione in eo ſe iuriſdictioni noſtræ ſubmittere potuit, in quo videtur aliquibus, quia per ſeipſum (non tanquam Pater cum filijs, ſed tanquam Princeps cum ſubditis) potuit diſpenſare; tu autem noſceris alijs ſubiacere.* Rex Franciæ, vxore priore ſterili propter affinitatem relictâ, ex ſecunda geminam prolem ſuſceptam à Pontifice legitimari poſtulauerat & impetrauerat: Hoc ipſum petit, exemplo Regis Franciæ, Nobilis quidam *Montis-Peſſulani*, ſed ſubditus, nec impetrat, quia ſubditus. 10.

4. *Teſtimonium Innocent. 3. cap. per. Venerab. Qui filij ſunt legitimi.*

ſubditus à Principe hoc ipſum impetrare poterat, nec ſolet Pontifex niſi in patrimonio Petri, in quo plenã obtinet poteſtatẽ, legitimare niſi ad actus ſpirituales: multas adhibet rationes Pontifex, quæ ad rem noſtram non ſpectant: Quod ad inſtitutum noſtrum attinet: Pontifex non tam legitimare, vel diſpenſare videtur, quam pronunciare & declarare, de matrimonio Regis, quod primum matrimonium propter affinitatem nullum fuerit (per quam regulam ipſe viderit) & ideò per *Rhemenſem Archiepiſcopum* ſeparatio facta eſt: ſecundum matrimonium legitimum eſt & proinde legitimi filij ex ſecundo matrimonio ſine Pontificis diſpenſatione: *Nam ſi affinitas fuerit comprobata* (inquit Innocentius) *prædictum Regnum non eſſe Regis conjugem apparebit, & per conſequens alia videbitur ſibi legitimè copulata.* Et iterum. *Licet ergo cum filijs ſupradicti Regis* (de quibus an fuerint legitimi ab initio dubitatur) *duxerimus diſpenſandum, &c.*

2. Submiſſio hæc Regis voluntaria fuit & ſpontanea, non de iure, nec ad iudicem ſuperiorem regulariter devoluta, ſed tantum caſualiter: ideò inquit Innocentius, *Inſuper cum Rex ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſine iuris alterius læſione in eo ſe iuriſdictioni noſtræ ſubijcere potuit.* Non habebat ſuperiorem & ſeipſum ſubjicere potuit, non dicit debuit: ſpontanea ergo erat hæc ſubmiſſio: Ex quo innuitur, quod ex ſe hoc facere non potuiſſet, niſi ad petitionem Regis: Nobilis verò, quia ſubditus, à ſuperiori ſuo in temporalibus legitimationem petere debuit: *tu autem, inquit, noſceris alijs ſubiacere*: ſubmiſſio verò voluntaria non tribuit ius aut iuriſdictionem: vt in diſſimili cauſa *Eduardus* 3. *Rex Angliæ, miſit ad Romanam curiam Procuratores, qui tractarent de iure ſuo ad Regnum Franciæ coram Pontifice; non vt iudice, ſed vt priuata perſonâ, & amico communi, non in formâ nec in figura iudicij*: Non ergo ſuperior in temporalibus Pontifex Rege.

Somnium Viridarij l. 2. c. 7.

Walſingham in Eduardo 3.

3. *In alijs regionibus certis cauſis inſpectis, temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus*: caſualiter, vt qui iudicat de matrimonio ordinarie, de ſucceſſore Regni vel patrimonij iudicat incidenter vel caſualiter, vel ex conſequente. Hæc eſt ars quâ Pontifices ſolebant ampliare iuriſdictionem ſuam, in præiudicium poteſtatis politicæ: quam tamen non probat hic *Innocentius*: ideo ſequitur; *Non quod alieno iuri præiudicare velimus*: Quæro hic à *Bellarmino*, an *Innocentius* poſſit Regem Franciæ deponere ſine Regis præiudicio.

4. *Innocentius* limites iuriſdictionis ſuæ non excedit: mortem aut depoſitionem, aut pœnam temporalem non cogitat; ſolâ morte ſpirituali, ſolis armis cœleſtibus, ſolâ excommunicatione contentus. Tractans enim locum illum. Deut. 17. De ſanguine, per quem criminale & ciuile; de lepra, per quam Eccleſiaſticum & criminale, & de cauſa, per quam Eccleſiaſticum & ciuile intelligi (qua authoritate ipſe viderit) ſic infert: *In quibus*

In quibus cum aliquid ambiguum fuerit & difficile, ad iudicium eſt ſedis Apoſtolicæ recurrendum, (fortè ab vltimis Indis) cuius ſententiam qui ſuperbiens contempſerit obſeruare, mori præcipitur. (Qua morte?) id eſt per excommunicationis ſententiam, velut mortuus à communione fidelium ſeparari. Eccè quo-vſque ſe extendat iuriſdictio Eccleſiaſtica, non ad depriuationem ſiue depoſitionem Regum in temporalibus, ſed ad excommunicationem, & ſeparationem à communione gratiæ non naturæ.

Audi verò quid de hoc capite Per Venerabilem, & ſimilibus, *Petrus de Aliaco. Si autem aliqua dicta Sanctorum videantur innuere, quod iudicia ſecularia ad Epiſcopos pertineant, ſicut etiam innuere videtur illa Decretalis Per venerabilem: ad omnia talia poteſt dici ea debere intelligi, non de iudicio coactionis, ſed de iudicio diſcretionis; vel hoc ad eos pertinere, non iure naturali aut diuino, ſed humano & poſitiuo, de quo ad præſens non eſt intentio.* 11. De reſumpta Concl. 1.

Similiter *Gabriel Biel* hos Canones de punitione in foro pœnitentiali intelligit. Lect. 75. ſuper Canone miſſæ ad 4. litera X.

Audi etiam quid de hac re *Innocentius* 4. in hoc ipſo Cap. in hoc verbum, *Veriſimilius*; in principio Can. Veriſimilius. *Non tamen verum eſt, nam temporalia & ſpiritualia diuerſa ſunt, & diuerſos iudices habent; nec vnus iudex habet ſe intromittere de pertinentibus ad alium, licet ſe invicem adiuuare debent.* Rectè ergo colligit *Batelaius* cum duobus iſtis *Innocentio* 3. & 4. Neutri in alteram eſſe imperium; quare Pontifex per pœnas temporales, non poteſt coercere Imperatorem.

At decreuit *Innocentius* in *Concilio Lateranenſi* cap. 3. poſſe Principes ſeculi per Apoſtolicam ſedem principatu priuari, ſi in hæreticis de terris eorum purgandis negligentes ſint, & admoniti ab Epiſcopis non obediant. Somnium hoc eſt: Quis vnquam Pontifex expectauit per annum poſt excommunicationem Epiſcoporum? Quis Imperator aut Rex per Epiſcopos regni ſui priùs excommunicatus, & poſt annum propter contumaciam depoſitus? Quis Imperator, aut propter hæreſin ſuam, aut propter negligentiam in exirpandis hæreticis depoſitus eſt? Ambitio Pontificum depoſuit Imperatores, non hæreſis: Aranearum telas video, leges non video. 12.

At non eſt hoc Concilium Lateranenſe, ſed collectio *Innocentij* poſt Concilium: vt in cap. 23. 33. 41. 42. 43. 47. & 62. videre licet.

Imò nec *Innocentij*, ſed alicuius Paraſitaſtri: moritur *Innocentius* Peruſij, ſtatim poſt finitum Concilium; bello ciuili occupatus, in ipſa expeditione, nec reſpirandi ſpatium habuit.

In hoc Concilio venere multa tum in conſultationem, nec decerni quicquã apertè potuit: ſic Platina. *Recitata ſunt in pleno Concilio capitula ſexaginta*: (extant iam ſeptuaginta:) *quæ aliis placabilia, aliis videbantur onerоſa*: ſic Matthæus Pariſienſis. *In Innocent. 3.* *In Henrico 3.*

In

In hoc Concilio interfuere legati Imperatorum & Regum multorum: an inter eos nemo inventus qui pro libertate Imperatoriâ Regiâq; ſtaret?

Deſumpta videntur iſta ex conſtitutione *Frederici* Imperatoris, in qua plurima ad verbum continentur, quæ in hoc Canone habentur.

Conſtitutio hæc ad Principes quoſdam inferiores, & feudatarios ſpectare videtur, non ad ſupremos & abſolutos Dominos, qui ſub Deo ſolo ſunt. Verba illa; *Eadem nihilominus lege ſervatâ circa eos, qui non habent Dominos principales*, non ad Imperatorem ſpectant. An *Frederiem* ſeipſum deponendum aut priuandum his verbis ſtatuit? Quinetiam & *Bonifacius* in 6. de hæreticis; cap. Vt inquiſitionis, legem *Frederici* vrget, Canonem *Lateranenſem*, vtpotè nondum confectum, prorſus tacet.

13. At idem *Innocentius Othonem* Imperatorem depoſuit: Quid mirum? ſuperinſtituerat & ſuperinduxerat *Othonem* iſtum, Creaturam ſuam, contra *Fredericum* puerum, cui etiam olim, cum adhuc in cunis eſſet, iuraverat fidelitatem: nec non etiam contra *Philippum*, qui vt nepoti *Frederico* imperium ſartum tectum conſeruaret, aut procurationem imperij, aut imperium ipſum ambiebat; quiq; plurimorum Principum ſuffragijs electus eſt.

Vrſpergenſis ad Annum. 1210.

Albert. Stadenſis ad Ann. 1198. Principes *Alemanniæ* elegerunt *Philippum* fratrem Imperatoris *Henrici*, excepto *Adolpho Colonienſi Archiepiſcopo*, qui cum ſuis complicibus Ducem *Zaringiæ*, eoque recuſante, hunc *Othonem* elegit. Huic *Othoni* ſic electo per vnum aut alterum ſuffragium fauit *Innocentius*.

Crantz. Saxonia lib. 7. cap. 15. *Colonienſis enim & Henricus Palatinus frater Othonis eligunt Othonem, adverſus Philippum, Henrici fratrem, Fredirici filium Imperatoris, quem Papa non amabat*: vti *Crantzius*.

Vrſpergenſis ad Annum 1197. *Improperans ei* Philippo, vt Vrſpergenſis, *quæ frater ſuus & parentes crudeliter peregerunt, idq; non ſecundùm æquitatem.*

Sic electus, non electus, quia per minorem partem; à Pontifice tamen pro Imperatore habetur, donec Patrimonium *Petri* in *Romandiolâ* & *Neapoli* invaderet: qua de cauſa *Innocentius* eum anathematizauit & depoſuit, id eſt, de non Imperatore non Imperatorem fecit; nunquam enim legi imè ad imperium provectus eſt; nec iure priuare potuit qui nunquam ius habuit: eodem planè iure inſtituit quo deſtituit; ſine iure inſtituit, ſine iure deſtituit: hoc factum *Innocentij*, *Barclaio* non incommodat.

14. *Ergo in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra: propter illa & non propter has accepiſtis claues Regni cœlorum: Prevaricatores vtiq; excluſuri* (è Regno cœlorum) *non Poſſeſſores* (de Regnis mundi.) Quid dici poteſt planius contra hanc vſurpationem? Nec nos moueat illa de ma-

S. Teſtimonium Bernard. l. 1. c. 6.

terialı

teriali gladio ad nutum Pontificis euaginando: ad nutum enim dicit Pontificis, ad inſtum verò Imperatoris: innuere pôteſt Pontifex, & docendo & ſuadendo, vt gladium miles euaginet, ſed iubere debet Imperator. In Imperatore poteſtas, in Pontifice conſilium & directio, non poteſtas. Plura videat Lector de ſententia *Bernardi* c. 3. & c. 8. & infra c. 26.

15. *Quemadmodum diſtinctio poteſtatis ſeu iuriſdictionis Eccleſiaſticæ à poteſtate ſeu iuriſdictione ſeculari ex diuino iure eſt, & à Chriſto inſtituta, ita diſtinctio fori, ſeu tribunalis ſecularis à foro ſpiritualis tribunalis non eſt inuenta neq; per ſolas hominũ conſtitutiones, neq; per Imperatores, neq; per conſuetudinem introducta ſed eſt à Chriſto introducta & inſinuata: Tibi dabo claues, &c.* In his diſtinctio harum poteſtatum apertiſſima eſt, vti *Barclaius* colligit, idq; iure diuino: confuſio verò & ſubordinatio, quã *Ioan. Driedo* in ſequentibus & l. 1. c. 14. introducit, non eſt de iure diuino, ſed canonico poſitiuo, quàm verè, quàm rationabiliter iudicet Lector.

6. Teſtimonium Ioan. Driedonis de Libert. chriſti 2. cap. 2.

Non licet cum hæreticis excõmunicatis cõmunicare in ſacramentis diſpenſandis aut recipiendis, neq; in doctrinâ fidei & morũ, vt nec cùm Ethnicis & Publicanis: ſed licet cõmunicare in actibus qui cõmunes ſunt fidelibus cũ infidelibus, vt in edendo, bibendo, emendo aut vendendo, &c. Ius ergo diuinũ in lege naturali, Moſaicâ, Euangelicâ deſcriptũ non tollit cõmunionem cùm Rege hæretico in ciuilibus, licèt in ſpiritualibus tollat: *Ius diuinum, quod eſt ex gratiâ, non tollit ius humanũ, quod eſt ex naturali ratione; poteſt tamen, per ſententiam vel ordinationẽ Eccleſiæ ius dominij vel Prælationis tolli*: ſic Thomas. Canon ergo Eccleſiæ tollit ius diuinum, ius naturale: tollit obedientiam iure diuino, naturali, Euangelico debitam. Talis eſt Theologia *Thomæ* & *Driedonis*, vt alteri poteſtati in alteram ſit imperium, quod hoc loco quæritur: eò redacti ſunt aduerſarij, vt affirmare cogantur, Canonem Eccleſiæ tollere ius diuinum, ſiue quod iure diuino debetur.

2. 2. q. 10. art. 10 in corpore.

16. *Deſine, queſo, & memineris te mortalẽ eſſe; reformida diem iudicij, ſerua te in illũ diẽ purum; ne te immiſceas Eccleſiaſticis, neq; nobis in hoc genere præcipe, ſed potiùs ea à nobis diſce. Tibi Deus imperium commiſit, nobis ea quæ ſunt Eccleſiæ concredidit: & quemadmodũ, qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ, ita & tu caue, ne, quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno crimini obnoxius ſias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: neq; igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neq; tu thymiamatũ & ſacrorũ poteſtatẽ habes Imperator.* Hæc *Hoſius* Abrahamicus ille ſenex verè ὅσιος, h. e. ſanctus, magnum illud lumẽ maximi illius Concilij Niceni, & ſenſit & ſcripſit contrà *Conſtantiũ* Imperatorem, maximũ Deitatis & Conſubſtantialitatis Chriſti hoſtem, qui ea quę fidei erant ſumma capita, docere & præſcribere ſummis etiam Epiſcopis tentauit, quæ nemo ſanus Imperator ex officio ſuo, vnquã docere præſumpſit; in quibus nõ piſcator per Imperatorẽ ſed Imperator per

7. Teſtimonium Hoſ. apud Ath. ad ſolitariam vitam agentes.

piscatorem edocendus, In his verbis distinctio harum potestatum manifestissima est, nec eam negat *Bellarminus*; De illis verbis, *Neutri in alteram est imperium*, tota instituitur quæstio: Et quidem si *oculis malignis* hæc verba *Hosij* non legisset *Bellarminus*, non potuit non aduertisse, quod *Hosius* hanc potestatem Pontificum & Episcoporum (de talibus enim loquitur in verbis, *(nobis &c.)* coactiuam per censuras ciuiles prorsus neget.

Et quemadmodum qui tuum imperium oculis malignis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: Qui imperium *Constantij* hæretici & Ariani Imperatoris malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ: quid ergo? Annon, tanquam malignus & superbus, ordinationi diuinæ resistit, qui imperium Constantij hæretici, Ariani & Persecutoris prorsus tollit, imperiè q; hæreticum Imperatorem privat? *Hosio*, resistit ordinationi diuinæ qui carpit Imperium *Constantij* hæretici: at *Bellarmino*, non resistit ordinationi diuinæ, qui *Constantij* imperium abrogat, & subditos à iuramento fidelitatis liberat. Quantùm distat ab *Hosio Bellarminus*?

Præterea: *Nequaquam nobis*, inquit, *fas est in terris imperium tenere*: Non miror si Hosio succenseat Bellarminus cap. 4. qui negat Pontificibus & Episcopis fas esse imperium tenere in terris: omnem enim Pontifices mouere lapidem, cœlum que terrâ miscere solent, potiùs quàm temporalem principatum in Patrimonio Petri deponere. Verùm enimverò, an licet imperia transferre, Reges deponere; & imperia & regna tenere non licet? Quid verò *Hosio* est imperium tenere, nisi de terrenis imperijs deponere? Sicut thymiamatum & sacrorum potestatem habere est fidem docere, articulos fidei tradere, sacramenta dispensare. Hoc est illud quod *Hosius, Ea quæ sunt Ecclesiæ ad se trahere.*

17. At, inquit Bellarminus, *Hosius non repugnat S. Gregorio Nazianzeno, qui, oratione ad populum timore perculsum, & Præsidem irascentem, apertissime docet, Ecclesiasticam potestatem ita se habere ad politicam, vt anima se habet ad corpus; animam autem præesse corpori, illud regere, eiq; imperare nemo vnquam in dubium reuocauit.*

Quare vero non repugnat *Hosius Gregorio Nazianzeno*? Quid simile est in eorum scriptis? An *Gregorius Nazianzenus* coram Imperiali Maiestate perorat, vt ad Imperatorem scribit *Hosius*? Olim titulus huius orationis erat ad Imperatorem iratum, iam ad Præsidem: An par ratio, par imperium in Imperatorem & Præsidem, in Regem, & tributorum exæquatorem? A Præside ad *Cæsarem* non sequitur ratio. Deindè quis tum *Gregorius Nazianzenus*? Episcopus an Sacerdos? *Nec dum enim Gregorius Pontifex erat*, vt *Elias Cretensis* in Commentario. An Sacerdos habet tribunal & imperium, & solium in foro exteriori seculi; sicut in interiori foro conscientiæ? Solium *Nazianzeni* suggestum fuit; ibi imperitabat: & tale imperium quale solium: verbum, sceptrum; solium & tribunal suggestum. An Sacerdos simplex habet imperium coactiuum

vum in foro contentioso, sicut pro concione imperium habet hoc directivum, de quo *Nazianzenus* hic loquitur? An coram tribunali Episcoporum, imò Pontificis Romani, tunc temporis tribunal rei Imperatores & Reges, & causas suas per aduocatos aut legatos suos agebant? *Imperamus & nos* Sacerdotes: ergo quilibet Sacerdos potest Imperatorem deponere, subditosque à sacramento fidelitatis absoluere, aut de imperio directiuo solùm int. Diligendus est *Nazianzenus*, de quo nulla iam est quæstio.

At, inquit Nazianzenus; *Spiritualis potestas vt anima, secularis vt corpus.* Quid ergo vobis Pontificibus spiritualibus cum animi, terreno, corporeo, carnali principatu Patrimonioque *Petri*? Imò verò, an licitum est animæ corpus immorigerum morte mulctare? Depositio mors ciuilis est. Imò verò, an licitum est animæ officia sua detrahere corpori, sic vt desinat ipsum corpus informare & animare? Similitudo ista claudicat: in Microcosmo isto nihil est quod depositioni huic respondeat. Si pereat corpus, annon tristis est anima vsque ad mortem? Annon animà cùm corpore, etsi non mortem, at dissolutionem patietur? Si tollatur aut intereat Respublica, vbi erit Ecclesia? *Non enim Respublica est in Ecclesiâ sed Ecclesia in Republicâ est, id est, in Imperio Romano*: vt olim *Optatus*; Respublica; vt nutrix, lætatur in gloriâ filiæ, id est, Ecclesiæ quam nutrit: Ingrata proculdubio filia, quæ nutricem, quæ bonorum & honorum filiæ particeps esse debet, fame enecat, & non solùm spiritualia & sua, sed & temporalia, quæ aliena & non sua, sed nutricis, id est, Reipublicæ sunt, penitùs auferet. Nunquam hoc cogitauit *Hosius*; nunquam *Nazianzenus*, qui in hâc libertate suâ præfatur cum omni humilitate. *Admittes libertatem hanc, non dubito, cum sis ouis sacra, sacri gregis mei; magnique Pastoris alumnus*: sic imperat, vt roget, vt obiecret: Non sic Pontifices: qui super aspidem & basiliscum ambulare, & leonem & draconem conculcare solent, nec nomen Imperatorium nomini Pontificis præponi æquo animo patiuntur. 18.

L. 3. cont. Parm.

Hæ sunt authoritates *Barclaij*, quas elidere conatur *Bellarminus* ac si vltimam partem propositionis *Barclaiana, Neutri in alteram est imperium*: non inferrent; de quibus iudicium esto penes lectorem. Illud interim prætermittendum non est, vltimam hanc partem propositionis, *Neutri in alteram est imperium*; ex prioribus à *Bellarm.* concessis, necessariò sequi. Si enim (in quo & *Barclaius* & *Bellarm.* consentiunt) duæ sunt potestates quibus mundus in officio continetur, Ecclesiastica & politica, vtraque à Deo (qui Deus est ordinis, non confusionis) vtraq; iure diuino distincta & separata, vtraq; suis terminis conclusa (etsi non contenta) quarum neutra in alterius fines inuadere suo iure potest: Si dignitates distinctæ sunt, distincta officia dignitatum; Ecclesiastica animam pascat cibo cœlesti & spirituali, politica corpus pascit cibo terreno & carnali: si diuersi actus 19.

sint, Ecclesiastica è cœlo & Ecclesia excludat, sicut & admittit; politica è terrâ & Republicâ excludat, sicut & introducit; Ecclesiastica vitam spiritualem tollat, sicut & confert, politica vitam temporalem tollat, sicut & conseruat; necessariâ proculdubio illatione consequitur, quod neutra in alteram habeat imperium: illud de quo inter Barclaium & Bellarm. controuersia instituitur: id est, vt aut politica per censuras & pœnas spirituales & Ecclesiasticas Pontifices cogat & coërceat, aut Ecclesiastica per censuras & pœnas temporales & corporales cogat & coërceat Imperatores & Reges. Quæro enim à *Bellarmino*: An non pœnæ & censuræ, inter fines & terminos iurisdictionis censentur? Annon priuatio vitæ aut hæreditatis, aut bonorum temporalium, aut dominij inter pœnas & censuras ciuiles & politicas siue temporales censeri debet? Annon fines iurisdictionis Ecclesiasticæ inuadit Princeps secularis, si homines Christianos ab ingressu Ecclesiæ prohibeat, aut per excõmunicationem extrà Ecclesiam ejiciat? Quid ni ergo fines iurisdictionis politicæ inuadat Pontifex, si Reges & imperatores, aut eorum subditos, morte corporali, priuatione bonorum temporaliũ, dominij, vel hæreditatis puniat & coërceat? Non licet Principi politico gladio spirituali vti; quomodo ergo licebit Principi Ecclesiastico gladium temporalẽ vsurpare? aut gladio carnali ferire ad mortem, qui gladio spirituali ad vitam vulnerare debet? Si ergo vera sit prior pars propositionis: *Cum gladius intra fines iurisdictionis necessariò habendus sit*, sicut agnoscit *Bellarminus*; quidni & vera sit posterior pars, *Neutri in alteram est imperium*, cum vnumquodque imperium finibus suis conclusum sit, quos alteri inuadere non licet?

29. *De sententia excommunicat. vt inquisitioni.*

Quorsum verò à te prætermissa sunt duo testimonia *Innocent. 4.* & *Abbatis Panorm.* An indigna visa sunt, quibus responderes? An potiùs non erat quod responderes, quia caput & jugulum causæ petebant?

Ex hâc potestatẽ distinctione concludunt Innocentius & Panormitanus, Laicos non teneri obedire Papæ in iis quæ non sunt spiritualia, siue quæ non concernunt animam, vt loquuntur. Hæc Barclaius. *Item si Pontifex præcipiat Laico, qui non est de iurisdictione suâ, nec ratione personæ, nec causæ, nec aliâ, nec video quare debeat obedire:* sic Innocentius,

Si verò mandat (Pontifex) alicui seculari, sibi non subiecto, ratione Ecclesiæ, causæ, vel personæ, & mandat sibi circa temporalia, non est sibi obediendum: vt puta, mandat Papa, siue aliquâ causâ alicui Laico, vt det sibi bona sua: non enim tenetur sibi obedire, quia non est sibi subiectus, nec ratione causæ nec ratione personæ in temporalibus; secus si mandaret aliquod spirituale, vel Ecclesiasticum.

Non tenetur obedire in temporalibus: non ergo habet Pontifex imperium in temporalibus, nec tenetur secularis Pontifici obedire in temporalibus. Eadem etiam habet *Petrus de Anchorano* ibidem.

Quin etiam *Innocentius* eò vsque progreditur, *vt etiam mandato Pontificis*

ficis iniusto in rebus spiritualibus non sit obediendum, si vehementer præsumatur, statum Ecclesiæ turbari, vel etiam forte alia mala ventura esse, quia tum peccat obediendo, cum debeat futura mala præcavere, non iuvare. Quæ etiam Petrus Anchoranus ibidem asserit.

Ex talibus verò depositionibus & privationibus Imperatorum & Regum, non solùm turbatio status Ecclesiæ, sed etiam confusio, hæresewn multiplicatio, Mahumetanorum invasio, & infinita damna & Ecclesiæ & Reipublicæ consecuta sunt: Talibus ergò Pontificum mandatis sine peccato obedire non licet: Laudo *Bellarmini* ingenium; quod responsione commoda diluere non potest, fraudulento silentio tacere & prætetire potest.

His authoribus *Barclaij* addere possumus illos omnes à nobis c. 8. citatos: qui & distinctionem hanc potestatum vnanimiter astruunt, & hanc vsurpationem Papalem, in temporalium dispositione & priuatione Imperatorum, aut directè, aut necessaria consecutione negant: ad quos Lectorem remitto; & concludo cum *Iacobo Fabro Stapulensi*, in Rom. 13.

21. *Iacob. Faber. Stap. in Rom. 13.*

Duæ sunt in fidelium republica summæ potestates, vna Ecclesiastica, quæ Pontificia dicitur, & altera secularis, quæ Regia. In prima debet esse vnus Monarcha ad rem sacram in optimo statu continendam, & hic summus Pontifex. In secunda, vnus Monarcha ad rerum secularium moderationem; & ad bella Christiana contra hostem religionis conficienda, & hic Imperator Christianorum: Monarcha in sacris Aaron, Eleazarus, Phinees: Monarcha in rebus secularium & bellorum gerendorum Moses, Iosue, &c. Nec debent hæc officia confundi. Quin &, in rebus sacris, secularis Monarcha sacro Monarcha & constituto eius debet parere. Et contrà sacer Monarcha seculari Monarcha rerum temporalium moderationem, & bellorum gerendorum Christi relinquere authoritatem: Et subiecti qui huic ordinationi resistunt, Deo resistunt. Et infra: *Si potestates, quæ à Deo sunt ordinatæ sunt, sequitur, vt quæ ordinatæ non sunt, à Deo non sint. Et ideo non sunt potestates, sed prolapsiones & inordinationes potestatum; vt si secularis potestas rei sacræ ordinandæ sibi vendicet, & è contra, ordine sacer belli gerendi authoritatem & secularium ordinationem: hæc enim inordinatio, & non potestas, sed potestatis infirmitas & prolapsio:* Hæc Faber.

Superest ratio *Barclaij* contrà ineptias Bozianas, quas missas facimus, vtpotè indignas, quæ à quoquam Theologo in Patribus versato recitentur. 22.

Is negat hanc distinctionem potestatum, pro eaque subordinationem substituit; acsi politica potestas subesset Ecclesiasticæ, vt subordinata subordinanti: Hanc conuellit *Barclaius* duplici ratione.

1. Si altera alteri subordinetur & subiecta sit, sequetur necessariò, potestates illas, neque dignitatibus, neq; officijs, sed tantùm actibus esse discretas,.

2. Dignitas & officium quod eſt in ſubordinato, non poteſt non eſſe in ſubordinante: Ergo ſi politica poteſtas ſubordinata ſit Eccleſiaſticæ, politica poteſtas in Eccleſiaſticâ ſit neceſſe eſt.

Priorem ſilentio præterit *Bellarminus*, poſteriorem hâc diſtinctione diluere conatur: *Subiectionem & ſubordinationem poteſtatis politicæ ad Eccleſiaſticam, omnes Catholici docemus*, inquit Bellarminus; *ſed non omnes admittimus, quod Barclaius inde colligit: hæc enim ſubordinatio duobus modis intelligi poteſt, vno modo, vt poteſtas quæ eſt in ſubordinato, deriuetur à ſubordinante, vt poteſtas vicarij, iudicis, Præſidis, deriuatur ab eo cuius eſt Vicarius, iudex vel Præſes. Alio modo, vt vna non deriuetur ab alterâ, ſed ob id ſolum ſubiecta & ſubordinata ſit alteri, quia finis vnius ſubijcitur & ſubordinatur fini alterius: qualis eſt ſubordinatio & ſubiectio variarum artium ad artem regendi populos. Ars enim regendi populos diſtincta eſt ab artibus, ſculptoriâ, oratoriâ, aſtronomicâ, &c. nec vna deriuatur ab altera, nec vna propriè alteram includit; & tamen omnes ſubordinantur & ſubiectæ ſunt arti regendi populos, &c.*

Quid hoc eſt? Annon omnes artes vt Regi, artiſque regendi ſubordi-
23. natæ ſunt & ſubiectæ, ſic & à Rege deriuantur, ſine cuius veniâ nemo artem aliquam exercet; & in arte Regiâ continentur, & Rex eaſdem ſi velit excerere poteſt: & directè legibus regalibus ſubjiciuntur, non tantùm ratione finis, ſed etiam ratione Originis & dependentiæ, & Regiminis? malè cohæret exemplificatio diſtinctionis, cum ipsâ diſtinctione. Verum quidem eſt quod aſſerit *Bellarminus*. Poteſt Rex omnes artes dirigere ad communem populi vtilitatem; poteſt inobedientes de regno ſuo exterminare, poteſt quoſlibet artifices remouere, & alios ſubſtituere: non ſolùm quia fines iſtarum artium ſubjiciuntur fini artis Regiæ; ſed quia artes iſta tẽporales ſunt, & à Rege derivãtur, & legibus regalibus ſubjiciuntur; ſic iſta aliarum artium comparatio ad artem regendi, ad primũ membrum diſtinctionis referenda potiùs eſt, quàm ad ſecundum: Subordinatio enim artium eſt non ſolùm reſpectu finis, ſed etiam ratione dependentiæ, ſiue Originis, quia à Rege profluunt; & ratione regiminis, quia per leges regias diriguntur. Poteſtas autem regalis non eſt ab Eccleſiaſticâ ſecundùm originem & dependentiam, quia à Deo eſt, & non per Sacerdotem, vt inter Ethnicos: nec ſecundùm regimen, quia non dirigitur per leges Eccleſiaſticas in temporalibus, ſed per ciuiles, id eſt, ſuas.

24. Hanc verò comparationem de ſubordinatione finium inter artes improbat *Bellarminus* Lib. 5. de Pontifice cap. 6. *At hæc (inquit) ſimili-*
Quæſt. 17. dub. 3 *tudo non eſt omnino conueniens*: vt & *Antonius Cordubenſis*. Quæſtionarij lib. 1. *Temporalis poteſtas non pendet à ſpirituali, eo modo quo ars ſiue facultas inferior pendet à ſuperiori*: Ideò ſe confert *Bellarminus* ad ſimilitudinem animæ & corporis: de quibus plura ſuo loco.

Quod verò ad ſubordinationem finium poteſtatis Eccleſiaſticæ & ſecularis

cularis attinet, nonnulla suprà diximus in hoc ipso capite, in testimonio secundo Can. cùm ad verum: Dist. 96. plura dicturi de subordinatione finium. c. 21.

Illud breuiter hoc loco dicendum duximus: 1. finem potestatis politicæ eundem esse, qui & potestatis Ecclesiasticæ, vitam scilicet æternam: ad quã & spiritualia, vt viaticum animæ, & temporalia vt viaticum corporis referenda sunt: & proindè nullam esse huiusmodi finium subordinationem. 2. suppositâ subordinatione finium, nullatenùs consequi talem subordinationem facultatum, siuè potestatum, vt indè consequatur depositio vnius facultatis per alteram; sicut nec anima deponit, nec occidit corpus; etsi enim potest dirigere corpus; fortè etiam & cogere per pœnas spirituales siuè animales, non potest tamen per pœnas corporales aut carnales corpus in ordinem cogere; vt & potestas Ecclesiastica, propter finem supernaturalem potest politicam potestatem dirigere, fortè etiam & corrigere, censuris Ecclesiasticis & spiritualibus; at carnalibus & ciuilibus censuris; quæ suæ non sunt, non potest potestatem secularem in ordinem cogere.

Postquam ergo dixerat Bellarminus in fine capitis, *potest eos de Ecclesia per censuram excommunicationis eijcere*, gratis & sine omni probatione addit, *& populos à iuramento fidelitatis absoluere*, quod solius Dei est per quem iuratur, denique etiam *è regno exuere, & regia potestate priuare*, quod ad gladium temporalem spectat, qui non est Pontificis, sed Cæsaris: vnaquæque enim facultas iuxta vires & organa sua executioni demandanda est.

Illud hoc loco præterire non possum, quod addit *Bellarminus*: *potest & debet summus Pontifex Regibus imperare, &c.* Si debet, ergo debitũ est, quod sine peccato omitti non potest: peccãt ergo omnes Pótifices, quod hoc debitum omittunt, peccatores in hoc omnes illi Pontifices à *Syluestro* vsque ad *Gregorium* septimum, qui non deposuerunt Imperatores hæreticos, Apostatas, Persecutores, impurissima monstra hominum; nec excusari possunt propter defectum virium; quia non est peccatum admittendum, etsi per mille mortes transeundum sit. Verum quid ad *Hildebrandicos* si antiqui Pontifices peccatores sint, modò ipsi suprà Imperatores & Reges euehantur? Misera proculdubio & deplorata causa, quæ sine aspersione & peccato saltem omissionis, in *Christo* (plus enim debet Dominus quàm Vicarius) & *Petro*, & reliquis Episcopis, Martyribus, Confessoribus, & sanctissimis Pontificibus, Successoribus Petri, Vicarijs Christi, defendi non potest.

CAP. III.

Potestas Papæ in Regum depositione res dubia est, & opinionibus Scriptorum, non scripturarum authoritate nititur.

1. *Dubia est quia nec in Scripturis.* 2. *Nec à patribus docetur.* 3. 4. *Canonistæ Theologos evertunt, & è converso: quæstio de Iure vel quomodo, evertit quæstionem, an sit.* 5. *Quæstio est de Iure potius quàm de modo: Impia comparatio huius articuli, cum fide Deitatis filij Dei.* 6. *Non probatur ex communi consensu scriptorum.* 7. *Decretum Bonifacij 8. nullius ponderis.* 8. *Concilia non probant hanc potestatem.* 9. *In verbis Christi, Quicquid ligaveris, non datur potestas depositionis.* 10. *Claues datæ Ioan. 20. an 21?* 11. *Probatur ex Patribus.* 12. *Data potestas non Petro soli, sed omnibus apostolis.* 13. *Quid sit ligare & solvere: Quicquid: id est peccata, non regna, non Iura.* 14. *Non sunt ligata in Cælo, quæ sic ligat Pontifex in terra.* 15. *Ligare & solvere, apud Pontificios confunduntur.* 16. *Pasce oues: cui dictum?* 17. *Pascere quid? non significat deponere.* 18. *Primatus ordinis, executionis, Iurisdictionis quousque se extendat.* 19. *Pontifex ad primatum ascendit per saltum.* 20. *Reges facti Christiani deteriori sunt conditione, quàm priuati, si deponi possint.* 21. *De loco Pauli 1. Cor. 6.* 22. *Apostoli an subiecti Ethnicis: Retractatio Bellarm.* 23. *Liberi sunt filij, vocari in statu, an à statu.* 24. *Pauli doctrina, & praxis de subiectione & appellatione ad Cæsarem: non eximit principatus Apostolicus.* 25. *Locus Pauli Rom. 13 explicatur.* 26. *Locus Augustini de verbis Pauli, Omnis anima, &c. excutitur quoad 6.* 27. *Clerici subiecti sunt in temporalibus non tantum vi rationis, sed etiam vi legum.* 28 *Pontifex non habet potestatem in temporalia priuatorum de Iure divino: Etsi confessarij eleemosynas iniungant, etsi Episcopi ex Tridentino decreto incarcerent.* 29. *Petrus non habuit potestatem in temporalibus, ergo nec successores eius. Mutua subiectio Pontificis & Regis, vt patris & filij adoptiui Consulis mutua est subiectio.* 30. *Ioiada non deposuit Athaliam.* 31. *Iehu deposuit Ioram speciali mandato Dei.* 32. *Non est iusta sententia Ecclesiæ, qua infirmos deponit, potentes Reges non deponit.* 33. *Silentium.*

lentium 700. annorum Primitiuæ Ecclesiæ, præponderat clamori 900. annorum sequentium. 34. *Præsens Ecclesia non debet articulos fidei antiquitati ignotos decernere.* 35. 36. 37. 38. *Tria loca Gregorij Magni in Epistola 61. Lib. 2. in Psal. pœnitent 5. & in priuilegijs sancti Medardi examinantur.* 39. *Digressio de Pio 5. & Xisto 5.* 40. *Prætermissa in Bellarmini responsione contra ipsum vrgentur.*

INgens inter *Theologos & Canonistas, & vtrorumque inter se, hac de re dissensio, dum hi directam, illi indirectam potestatem astruunt, facit, vt quæstio hæc de temporali potestate Papæ, dubia & incerta, & tota in hominum opinionibus posita videatur: ac proinde solutionis eius veritatem lumine rationis, & differendi subtilitate esse pervestigandam: nec esse de fide, vt loquuntur, de eâ hoc aut illo modo sẽtire. Quæ enim fidei sunt, ea ab omnibus & vno modo tenenda sunt.* Hæc Barclajus. Vt hujus propositionis veritas dilucidior fiat, nonnulla præmittenda sunt.

Scriptura primatum illum temporalem in Regibus deponendis prorsus tacet. Et tamen quia Priuilegium hoc est in derogationem & præjudicium legis communis, quâ de Imperio Regum & subditorum obedientiâ ex jure diuino abundè cauetur; nec taceri; nec vltra verba ipsius Priuilegij extendi debuit: omnia enim priuilegia stricti juris sunt: & pœna hæc depositionis temporalis inter judicialia reponenda est: judicialia verò præter excommunicationem in Evangelio nulla sunt, vtpote quæ de consensu hominum prodierunt, & juris sunt positiui, non diuini.

Patres omnes primatum hunc temporalem tacent & ignorant, vel potiùs negant, vtpote qui vnà cum Christo & Apostolis, omnem & omnimodam obedientiam sine injuria Creatoris, Imperatoribus Regibusque præstabant; In temporalibus nemo se subtraxit vel persecutoribus, vel hæreticis, vel Apostatis: idque non tantùm ex defectu virium, cum potentiores, fortioresque essent, Ideo malè audiunt etiam *Petrus & Paulus* à *Salmerone* Iesuita quod hanc subjectionem doceant: *Quoniam ergo Pauli tempore multa noua prodibant, & Principes contra Christi nomen furebant, quasi de Rerumpub. euersione dubitantes, & de concisione Imperij sui, blanditur hoc capite, ad Rom. 13. Imperatoribus & Regibus Paulus, quemadmododum Petrus in priore sua Epistola.* Reticent partem veritatis, æquivocant (donec sufficiant vires) in articulo fidei: hoc parum est; blanditur Petrus, & blanditur Paulus; adulatores sunt, assentatores, parasiti Principum. Audi vero te ipsum, *Bellarmine; Nondum videlicet parasiti Principum temporalium exorti sunt, qui, vt Regna temporalia stabilire videantur, regnum æternum ijs quibus adulantur eripiunt.* Et tamen & *Petrus*

21.

Salmeron in Rom. 13. Disp. 4.

Bellar. de potest. Papæ temporali in prolegom. de Concilijs.

Petrus & *Paulus* exorti erant, qui blandiebantur Regibus, sicut nos, vna cum Patribus, multisq; Catholicis, qui & regnum æternum conferre Principibus studeant, & regna temporalia contra ambitionē superbiamq; Pontificum, & Populorum seditiones stabilire conantur.

3. Gregorius 7. primus hoc docuit fecitq; nec potuit *Bellarm.* vel vnum testem inter illius ætatis Scriptores florentissimos, per annos 160. ante *Thomam* Aquinatē proferre, excepto coëtaneo suo *Stephano Albestatensi*, mendacissimo, illius hæreseos, cuius *Constantienses Wiclephum* peragebant, reo, quod potestas inordinata desinit esse potestas: *Bernardus* enim & *Hugo de sancto Victore* nostri sunt.

4. *Thomas* Aquinas, eiusq; sequaces, *Ioannes Driedo*, *Gregorius de Valentia*, *Alexander Pesantius*, hanc potestatem temporalem in Regibus deponendis à iure Ecclesiastico deducunt; *potest Ecclesia potestatem Dei habens per sententiam vel ordinationem privare Reges iure Dominij vel prælationis*: *Bannes* à iure divino positivo: vt caro suilla jure diuino prohibetur. Alij hanc potestatem ex jure diuino deducunt, qui recentiores sunt, & pauciores; plurimi enim ex testibus *Bellarm.* sententiam suam, Canonibus cap. Alius cap. Ad Apostolicæ; stabiliunt. 2.2.q.10.*Art.*10

5. Plures sunt, ijq; & antiquiores & celebriores Canonistæ, cum quibus & Theologi insignes, qui potestatem directam asserunt: quibus magis sapit *Gregorius* 7. quàm *Iesus Christus*; aut *Petrus* & *Paulus*: & apud quos Ius Canonicum plus valet quàm Scriptura Canonica. Authores indirectæ potestatis & pauciores & recentiores sunt.

6. Rationes Canonistarum evertunt opinionem Theologorum: rationes itidem Theologorum opinionem Canonistarum. Splendidum proculdubio tectum, sed sine fundamentis, sine parietibus in aëre pendet. Egregium dogma, pulchra Conclusio: cuius fundamenta & principia siue præmissæ hinc inde destruuntur. Vtraq; pars alterius conclusionem amplectitur; principia verò negat & detestatur: idq; tanto odio, vt *Bellarm.* à *Carerio* audiat, impius politicus, & Anathema *Bellarmino*, sicut *Nestorio*.

7. Quæstio de modo, vel potiùs de jure (principia enim, & fundamenta, siue causæ non ad modum sed ad ius spectant) evertit quæstionem, an sit. Non est talis potestas in Pontifice, nisi jure insit. Id enim fit, quod jure fit. Exemplo res clarior erit. Dicat aliquis; Rex sum, jure successionis paterno, regnum mihi debetur directè, vel hæreditas: Annon regnum & hæreditatem tollit qui paternum jus negat?

Similiter alius dicit; Rex sum; regnum siue hæreditas mihi debetur; quia omnes posteri in Lineâ rectâ sine hæredibus defuncti sunt: ad primum stemma redeundum est, ad patruos & evunculos, ego in transversâ vel collaterali Lineâ, siue indirectâ proximus hæres sum. Nonnè tollit hæreditatem, qui ius hoc patruorum siue avunculorum evertit?

Pari

Pari ratione Pontifex dicit; iuxta Canonistas: Pontifex sum, Vicarius *Christi*, Successor *Petri*: & *Christus*, vt homo, directè Monarcha est temporalis totius mundi, qui omnem potestatem habet in cælo & in terra: cuiu Vicarij siue Locum tenentes sunt omnes Reges terræ, a quo tanquam a causâ, dependent, quosq; potest ad libitum & instituere & destituere: in hâc potestate ego Pontifex Vicarius *Christi*, succedo; ergò Reges & Principes directè possum & instituere & destituere, quia mei itidem, sicut *Christi*, Vicarij sunt & Locum-tenentes. *Nec prædicta posset facere Papa, si in his potestatem ordinariam non haberet, nam eius est deponere cuius est ponere.* Qui igitur hanc temporalem & directam *Christi* hominis monarchiam negat, numquid non aufert Pontifici deponendorum Regum potestatem? Neq; hic quæritur de modo, sed de iure huius potestatis. Atqui hunc titulum, hoc ius Monarchiæ temporalis siue directæ, evertit *Bellarminus* cum suis. *Ioan. Capistr. l. de pot. Pap. p. 2. 2 part. principali argum. 18.*

Iuxta Theologos Pontifex dicit: *Christus* Homo primatum habet in spiritualibus directè, de temporalibus non se intromittit nisi indirectè & propter finem spiritualem: quando vero privat Reges & Principes communione spiritualium directè, indirectè & propter bonum spirituale privat etiam communione naturali & civili, adeoq; dominio siue Regno, quod exercent super fideles. In hâc potestate ego Vicarius *Christi* sum. Nonne qui negat exprivatione cõmunionis in spiritualibus, sequi priuationem communionis civilis & naturalis, hanc indirectam potestatem Regum deponendorum destruit?

Theologi negant monarchiam temporalem *Christi* Hominis, vtpotè Scripturę & Patribus repugnantem, quia Regnum *Christi* non est de hoc mundo. Canonistæ negant ex privatione communionis spiritualis, sequi privationem communionis naturalis & civilis. Vtraq; ergo opinio alteram evertit (vt *Sampson* vna manu vnam columnam domus, altera alteram) quia non tam modum, quam ius & causam siue titulum & originem huius potestatis destruit. Et potestas ista res dubia sit necesse est, cum inter assertores eiusdem non conveniat, quo iure ad Pontificem spectet; neq; enim hæreditas cuiusquam certa dicenda est, cum hæres consiliarijque eius incerti dubijq; sunt, quo jure aut titulo hæreditatem adire debeat. *Ioan. 18. 36.* *Iud. 16, 29.*

8. Præterea plures sunt qui hanc potestatem omnino negant, quàm vel Canonistæ, qui directæ potestati favent, vel Theologi qui indirectæ astipulantur: res ergò dubia & incerta est.

9. Quin etiam *Bellarminus* ipse multos è testibus suis falsitatis arguit in omnibus præmissis sivè medijs, quibus ad conclusionem pervenitur, solam verò conclusionem arripuit: Annon hoc est testes admittere, testimonia reijcere?

10. Accedit vltimo quod nonnulli ex ipsis testibus, rem dubiam esse & incer-

incertam, nondum definitam, nec de fide affirmant, vt Navarrus & Covarruvias, illique omnes qui hanc potestatem ad jus Ecclesiasticum referunt, non ad diuinum, quemodo enim certum est, quod in homine iudicatur? Vide supra C.11. & 8. inter prolog.

5. Ad hæc quod Bellarminus? *Magnum inquit, est de scrimen inter quæstionem, an sit, & quid sit, quod quæmodo sit. Quod sit pontifex in temporalibus in Papa, non opinio, sed certitudo apud Catholicos est. Sed, quid sit, & quatenus sit, super se & propria temporalia, an spiritualia sed quæ per quandam necessitatem consequentiam, & in ordine ad spiritualia de temporalibus disponunt, non desunt altercationes.* Imo verò falleris, *Bellarmine*, non est quæstio de modo, sed de iure: Est enim directè, vt Monarchia temporalis, nec indirectè vt Monarcha spiritualis, per necessariam consequentiam in ordine ad spiritualia, tum nullo jure, & proinde omnino eam Pontifex non habet, nisi per vsurpationem & intrusionem.

Rectè proinde colligit *Bartolinus*: Dissensio est inter Canonistas, & Theologos, dum illi directam, illi indirectam potestatem afferentes, potestatem ipsam destruunt: tertij vero tutiorem, ijque plurimi & Catholici, qui hanc potestatem prorsus negant: ergò potestas ista res dubia & incerta, & tota in opinione hominum posita est.

At comparatio *Bellarmini* non ferenda: Deum esse trinum & vnum, nullus Catholicus negat, de constitutione Personarum, de Relationibus, de notionibus, opiniones sunt. Quid hoc est? An fides de potestate Papæ pari fidei de Trinitate Personarum, & Vnitate essentiæ Dei? Si non magis credant Catholici tui in Deum trinum & vnum, quàm hanc potestatem temporalem Pontificis credunt, plures inter vos Athei, vel hæretici sunt, quàm *Christiani*. Dignus prorsus cui nihil liberi tuus ego legi tradatur, qui hanc potestatis huius temporalis, fidei de summa & individua Trinitate æquiparat: hæc est fides Iesuitica, & Cardinalitia.

6. At potestas ista res certa est & explorata: Probatur 1. ex communi consensu scriptorum & doctorum, variis in locis & temporibus præsticitum, quos pulsis Deus in Ecclesia pastores & doctores.

Imo verò non est communis consensus, fed potiùs communis dissensio. Caudà (vt vulpes *Samsonice*.) ; conclusione, colligati, facem hanc in incendium orbis Christiani ferunt Doctores illi; sed ore & lingua dissimili, qui hinc directim, illinc indirectim potestatem affruunt: à quorum præmissis & conclusione discedunt, qui omnino hanc potestatem temporalem negant. Hos ergò Populus fequi non debet tanquam ductes, cum & ipsos videat à communi Patrum doctrinâ & praxi puriorisEcclesiæ recedere, & vnum inter ipsos primum & quafi Archiepiscopatum, *Gregorium* nempe 7. defignare paffis.

7. a Probat per Extravagantem vnam Sanctam, de majoritate & obedientia. Si hoc decretum *Bonifacij* sufficiat in causa fidei, quid multis opus

Digitized by Google

opus est? *Scribat Pontifex totum mundum suum esse, illico mundus totus erit Pontificis: De facili potest sibi sic ius acquirere super rem aliquam, cum non restat nisi scribere: quia totum erit suum cum scripserit*: vt de hoc ipso decreto author Somnij Viridarij; necnon author *Dialogi* inter Clericum & Militem. Quid verò *Bonifacius* ille, *qui intrauit vt vulpes, (Celestino incarcerato) rexit vt leo, moritur vt canis*? An nouorum articulorum fidei conditor est? Si ant qua fides hæc sit, cur ex antiquitate non probatur? Si noua, cur inter fidei articulos reponitur? Si subesse Romano Pontifici sit de necessitate salutis, idque ex jure diuino; cur *Clemens Quintus* intra 4. annos, ausus est dispensare cùm Rege & Regno Franciæ, nè amplius subjecti sint Ecclesiæ Romanæ? An Papa dispensat cum jure diuino? Si non sit de jure diuino subesse Romano Pontifici de necessitate salutis, cur ausus est *Bonifacius* 8. noves fidei articulos cudere? cur ausus est Decretum & constitutionem suam pro jure diuino obtrudere? Imò quare ausus est decreto suo juri diuino de obedientiâ Subditorum Regibus suis præstanda derogare? *At* (inquit Bellarm.) *Clemens Quintus Extrauagantem Bonifacij non reuocauit, sed admonuit, eam nihil noui definiisse, sed antiquam obligationem declarasse, quam habent homines ad obediendum & subiacendum Apostolicæ sedi.*

Somnium Viridarij lib. 1. cap. 8 & in Dialog.

Werner. in fascic. temporum ad An. 1294.

Nihil noui definiuit, sed antiquam obligationem declarauit: sic *Bella.* Imò verò reuocauit: *Nec quod per illam* (inquit *Clemens*) *Rex, Regnum & Regnicolæ prælibati amplius Ecclesiæ sint subiecti Romanæ, quàm anteà existebant; sed omnia intelligantur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam.* Si Rex Franciæ & Regnum & Ecclesia subjecti erant Sedi Apostolicæ antè hãc definitionem, quid opus erat declaratione? Non solent Pontifices definiendo declarare, quod cum pace possident: si non erant subjecti, tum definitio ista novum jus est, non declaratio veteris juris; id quod perspicuè *Clemens* asserit. *Nullum volumus vel intendimus præiudicium Regi & Regno generari, nec subiecti sint amplius Ecclesiæ Romanæ; & in eodem statu sint quo antea existebant.* Dic, quæso *Bellarmine*, quod præjudicium sit Regi Franciæ, Regno & Ecclesiæ, si per hanc definitionem Bonifacianam subsint Romanæ Ecclesiæ, cui antea suberant de jure & de facto? Aut quomodo ad statum priorem per *Clementem* reducuntur & à subjectione Romanæ Ecclesiæ liberantur, qui semper in hoc statu subjectionis erant? Revocat ergò *Clemens Quintus* definitionem *Bonifacianam*, Francosque ad antiquam libertatem statumque restituit.

3 Probat ex concilijs 10. præcipuè duobus postremis generalibus, *Lateranensi & Lugdunensi*: quibus à nobis responsum est susius Cap. 7. Id vno verbo dicimus, excommunicatos potius Imperatores quam depositos in illis Concilijs: In Lugdunensi Fredericus depositus est, sed cum horrore & stupore omnium: ecce quid in hac depositione fecerit Concilium: pro Lateranensi Concilio *Innocentium*, vel potius Parasi-

8.

tum quendam collectorem non Concilij sed ex Concilio supponunt, fortè etiam constitutionem ipsius *Frederici* pro Concilio: & decretum illud non magis pertinet ad Principes supremos & absolutos, quàm constitutio *Frederici*, qui nunquam quicquam de suâ successorumque suorum depositione statuerat.

4. Probat, ex Scripturis: *vt Gregorius 7. & Innocentius 4.* ex verbis Christi, *Quicquid ligaueris*; *Pasce oues*; potestatem Regum deponendorum astruunt.

Quod ad *Gregorium 7.* & *Innocentium 4.* attinet, qui in deponendis Imperatoribꝰ, Scripturarum malè intellectarum fuco vtuntur, non est mirum, non est novum. Satan contrà Christum verba Scripturarum contrà sensum Scripturarum adhibuit, Si *Grego.* aut *Innocentius*, aut etiam *Bellarminus* traditionem Ecclesiasticã, hoc est expositionem & interpretationẽ catholicam omnium ætatum & nationum, pro depositione Regum produxissent, meritò dicere potuisset Bellarminꝰ, *altera non tam opinio quàm hæresis.* Nunc verò cùm ex cerebro suo, & *Gregorius* & *Innocentius* & etiam *Bellarminus*, hæc loca in sensum suum & rem suam detorqueant, contrà nativum & literalem eorundem locorum sensum, quid aliud faciunt quàm Heretici, *qui se secundùm Scripturas ea prædicare, quibus blasphemant, mentiuntur?* Vt olim Hilarius. Nonne hoc est Scripturas sinè sensu loqui, fidem sinè fide prætendere, & in sensum suum Scripturam trahere repugnantem?

Mat. 4.

Contra Constantium Augst.

Quod ad priorem locum, Mat. 16. attinet; Tibi dabo claves Regni cælorum; & Quicquid ligaveris in terrâ, erit ligatum in cælis per claves intelligi potestatem ligandi & soluendi, omnes consentiunt, nec de eâ re est dubium, sed de tempore; an tùm datæ claves, an promissæ tantùm, & post resurrectionem datæ; & de Persona, cui datæ, Petro soli, an Petro Ecclesiæ Personam repræsentanti, reliquisq; Apostolis: & de actu, quid sit ligare, quid soluere; quidq; ligandum, & quid soluendum sit, peccatum scilicet, an aliud quicquam præter peccatum, iam videndum est.

10. Quod ad primum; verba illa, *Tibi dabo*, &, *Quicquid ligaueris*, in futuro, abundè probant promissionem esse clauium siuè potestatis, non donationem: id quod fatentur omnes, & qui *Petro* soli, & qui omnibus simul Apostolis factam promissionem hanc asserunt. Solum excipio *Alensem*, quod sciam, qui & promissionem, nec non & donationem simul in his verbis factam ex glossâ affirmare viderur, qua ratione fretus ipse viderit. Si enim donata tunc fuit *Petro* & *Apostolis* potestas illa clauium, & ligandi & soluendi, quam, vobis authoribus, talis consequitur infallibilitas, aduersùs quam non prevalebunt portæ inferni, id est Hæreses & Schismata, quomodo in apostasiam & abnegationem *Domini*, fideique illius quam professus fuerat, prolapsus est *Petrus*, petra Ecclesiæ? Labi & cadere potuit

Alens. p. 4. Qu. 20. Memb. 6. Art. 3.

potuit cui hæc promissio facta est; cui hæc potestas data est, labi & cadere in hæresin & apostasiam non potuit. Mitto in hâc causâ verba Patrum aliorum q; quæ suis locis commodè adhibenda sunt.

Quinetiam Apostoli Sacerdotes facti sunt in cœnâ vltimâ, vt *Bellarm.* ipse ex Concilio Tridentino, Sess. 22. Cap. 1. asserit. Quamuis non ex toto ordinati sunt in cœnâ, sed postea etiam ordinati sunt, cum il is dicitur; *accipite spiritum sanctum*; nam accipiunt per varias ceremonias, varias potestates. An prius ordinatus *Petrus* à *Christo*; Apostoli verò à *Petro* ordinati sunt? Et tamèn partim ordinati sunt Apostoli á Christo in cœna, partim post resurrectionem. Dic verò, *Bellarmine*, an duo hæc sunt Sacramenta, duo characteres, an vnum: Si vnum, reiterari potest idem ordo; si duo, diuidi potest idem ordo, qui tamèn actio vna est. Præterea quomodo ausi sunt Apostoli, exemplaria ordinis, non confusionis, in Ecclesia futuri, prædicare verbum, Sacramentum Baptismi extrà casum necessitatis administrare, cùm merè laici essent? Dic verò, missio an præcedat ordinationem. Si non sint ordinati antè vltimam cœnam, quomodo missionem habent, Mat 10.? Si missi sunt antequam ordinentur, quid opus ordinatione? Verùm missa hæc faciamus: accipiamus quod largitur Concilium Tridentinum, & *Bellarm.* Apostoli in vltimá cœna ordinati sunt; ante vltimam cœnam dictum est *Petro*, *Quicquid ligaueris*; *Tibi dabo claues*, *tibi dabo potestatem ligandi & soluendi*: potestas ista Sacerdotum & Episcoporum propria est: non ergò datur hæc potestas Petro Mat. 16. Sed promittitur, vtpotè quæ in ordinatione posteà conferenda sit.

Bellar. De sacr. ordinat. l. 1 c. 9.

Ioan. 20.

Bellar. l. 1. de Pont c. 25. vbi contradicit lib. 4. cap. 22.

Antiqui omnes in hoc conueniunt: Quod hoc loco Petro Ecclesiæ Personam agenti, vni pro omnibus respondenti (*Vnitas pro vniuersis*, vt alibi *Augustinus*:) promissum est id donatum est *Ioan.* 20. in illis verbis; *Accipite Spiritum Sanctum*: *Quorum remiseritis peccata, &c.*

II.

Augu. in 6. Ioan. tract. 27.

Hieronymus in glossâ super hæc verba, quæ etiam recitat Cardinalis Cusanus De Concord; Catholica Lib. 2. Cap. 34. nec enim apud Hieronymum habentur (agnosce, Lector, qui sint falsarij, qui detruncatores Patrum, vbi contrà suam causam loquuntur.) *Habent quidem eandem iudiciariam potestatem alij Apostoli; quibus post resurrectionem ait*: *Accipite Spiritum Sanctum*: *Quorum remiseritis, &c. Habet etiam omnis Ecclesia in Presbyteris & Episcopis; sed ideo Petrus accipit, vt omnes intelligant, quod quicunque ab vnitate fidei, & eius societate se separauerint, nec à peccatis solui, nec cælum ingredi possunt.* Beda. *Claues autem ei non modò dantur sed promittuntur, nec dum enim fabricatæ sunt super incudem crucis, nec in eo sanguine temperatæ.* Hæc citantur à Ludolpho de vitâ Iesu. pag. 2. Cap. 1. *Hæc potestas sine dubio cunctis datur Apostolis quibus ab eo post resurrectionem dicitur generaliter*; *Accipite Spiritum Sanctum*: *nec non Episcopis & Presbyteris, & omni Ecclesiæ idem officium committitur*: sic Beda in Mat. 16. Idem habet, Tomo. 7. in homil. æstiu.

Hieronymus.

Beda.

Lib.

de Sanctis in die Sancto. *Hæc potestas*, non dicit, *Pars huius potestatis.*

Gaudentius Brixiensis in tractatu in die ordinationis suę: *Omnes Apostoli Christo surgente cùm Petro claves accipiunt, quinimò cùm Petro cælestis Regni claves ab ipso Domino accipiunt, quando ait illis, Accipite Spiritum sanctum: Ioan. 20. & Euntes docete: Matt. 28.*

Gaudentius Brixiensis. Inter Orthodoxographa pag. 1846.

Erricus in hom. in fest. Apostolorum Petri & Pauli, in Thesaûro Homiliar. Alcuini, ex editione Surij.

Erricus.

Et quodcunq; ligaveris &c. Hæc solvendi atq; ligandi potestas, quamvis soli Petro, à Domino collata esse videatur, omnibus quoq; generaliter Apostolis sub eius personâ collata est: Nam & post suæ resurrectionis nobilem Triumphum, apparens illis omnibus, apertè dixit; Quorum remiseritis peccata, remittuntur ijs, & quorum retinueritis, retenta sunt: Nam sicut, interrogatis generaliter omnibus, Petrus respondit pro omnibus, ita & quod Dominus Petro respondit, omnibus respondit. Quin etiam omnibus Episcopis, ac Presbyteris in Ecclesiâ idem officium committitur:

Ioan. 20.

In rescripto Ioannis Hierosolymitani; & Synodi ad Ioannem Constantinopol. in Concilio Constantinop. sub Mennâ. Act. 1. *Qui enim dedit Hieremiæ Prophetæ superædificare, & demoliri, eradicare & plantare, & Petro Apostolorum Principi solvere & ligare, hoc communiter donavit Sacerdotio.*

Concil. Constantinop.

Haymo Homeliâ in festo *Petri & Pauli. Vnus pro omnibus respondit. 1. Petrus pro omnibus Apostolis, sicut ergo Petrus ex personâ omnium ipsorum Apostolorum respondit; Tu es Christus, Filius Dei viui: ità Dominus quod Petro dixit in Petro cæteris Apostolis dixit:* & posteà. *Hanc potestatem non solùm Dominus contulit Petro, sed etiam omnibus Apostolis, quia sicut Petrus fidem omnium Apostolorum expressit dicendo; Tu es Christus, Filius Dei viui: sic Dominus, quod Petro dixit, omnibus dixit: possumus hoc confirmare ex verbis ipsius Domini, quibus dixit die resurrectionis suæ eisdem Apostolis; Accipite Spiritum Sanctum.*

Haymo.

Hugo de sancto Victore; Instit. Monastic. Ser. 64. Tom. 2. *Sanè sciendum est quod potestas solvendi & ligandi, quamvis soli Petro data videatur à Domino, absq; vllatamen dubietate cæteris Apostolis data est, ipse teste qui post Passionis suæ resurrectionisq; suæ triumphum apparens ijs & insufflavit & dixit omnibus, Accipite Spiritum sanctum, &c. Necnon etiam nunc in Episcopis ac Presbyteris omni Ecclesiæ idem officium committitur, vt videlicet, agnitis peccantium causis, quoscunq; humiles ac verè pœnitentes aspexerit, hos iam à timore perpetuæ mortis absolvat.*

Hugo de sancto Victore.

Idem de Sacramentis fidei l. 2. p. 14. c. 8. In expositione illorum verborum: Quicquid ligaveris. *Ne autem hoc soli Petro concessum esse putes, audi quod omnibus Apostolis, ac per hoc omnibus Apostolorum Successoribus, & Apostolorum vice fungentibus dicat: Accipite, inquit, Spiritum sanct: ñ Quorum remiseritis, &c.*

Du-

Durandus de Sancto Porciano, in 4. Dist. 18. Quæst. 2. *Prima potestas clauium, quæ respicit absolutionem à peccatis, promissa fuit Petro & Apostolis, Matt. 16. vbi dicit Christus Petro; Tibi dabo claues Regni cælorum, & Quodcunq ligaueris &c. Quamuis enim hoc dictũ fuerit soli Petro, non tamen est sibi dictum pro ipso solo, sed pro omnibus Apostolis: Sicut enim dicit Ambrosius exponens illum passum, licet cæteri Apostoli siluerint, tamen Petrus respondit, pro se & cæteris, ita prædictum verbum est pro se & cæteris; quod etiam apparet, per illud quod dixit Dominus omnibus Apostolis indifferenter: Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata.*

Carthusianus. Carthusianus in Matt. 16. *Hanc potestatem (Quicquid ligaueris) dedit Christus Apostolis omnibus, vt aliqui dicunt, quando post resurrectionem insufflauit & dixit: Accipite Spiritum sanctum: & in Ioan. 20. Itaq; Christus nunc ait, & confert vniuersis Apostolis, quod antè passionem Petro singulariter dixit: Quodcunq; inquiens ligaueris, &c.*

P. De Alliaco. Petrus de Alliaco; de authoritate Ecclesiæ, p. 1. c. 1. inter opera Gersonis. *Secunda est potestas administrationis Sacramentorum, & præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est potestas clauium & spiritualis iurisdictionis in foro conscientiæ, & hæc potestas promissa fuit Petro, Tibi dabo claues: Matt. 16. promissa etiam omnibus, ibi: Matt. 18. Amen dico vobis, quæcunq; alligaueritis; collata vero ibi, Accipite Spi. Sanct. Ioan. 20.*

Ioan. de Parisijs. Ioannes de Parisijs: de potestate Regia & Papali, c. 13. *Alia est potestas, administrationis Sacramentorum, & præcipuè Sacramenti Pœnitentiæ, quæ est potestas clauium, vel spiritualis iurisdictionis in foro conscientiæ, &c. Et hæc potestas in spirituali foro promissa fuit Petro, Matt. 16. vbi dicitur, Tibi dabo claues Regni cælorũ, & Matt. 18. promissa fuit omnibus, cũ dicitur Quæcũq; alligaueritis, &c. Collata fuit ijs, cũ dictũ est ijs Io. 20. Sicut misit me Pater, &c. & cũ hoc dixisset, insufflauit dicens, Accipite Spiritum Sanctum.*

Ioan. Maior. Ioannes Maior in 4. Dist. 24. Quæst. 3. Concil. 1. *Benè in his verbis dicunt, Petro promittuntur claues sed non conuincitur ex ipsis, quod eos super alios habuerit Apostolos, quia Ioan. 20. indifferenter omnibus dixit, Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis &c.*

His addi possunt, *Theophylactus*, *Anselmus*, *Hugo Cardinalis*, *Ferus*, in Matt. 16. *Alensis*, p. 4. Quæst. 20. memb. 5. & 6. Art. 3. *Thomas* in 4. dist. 24. quæst. 3. Art 2 *Scotus* in 4. dist. 19. Art. 1. *Adrianus* 6. in 4. dist. q. 2. de Claubus Ecclesiæ; Qui a Serenissimo Doctissimoq; & nunquam satis laudato *Iacobo Magno Magnæ Britanniæ Rege* producuntur, & à doctissimo *Episcopo Eliensi* contra *Tortum* & *Bellarminum* defenduntur, nec duro à *Bellarmino* responsum acceperunt. Ex quibus manifestum est eandem potestatem *Petro* nomine Ecclesiæ promissam, omnibus Apostolis Ioan. 20. præstitam esse: non Ioan. 21. in illis verbis *Pasce oues*: in quibus non demandatur potestas aliqua ligandi aut soluendi, sed exprimitur mãdatum

paſcendi gregis Domini, vt ſuo loco videbitur: & proinde nullã aliã potestatẽ *Petro* promiſſã Ma. 16. niſi quæ omnibus Apoſtolis præſtita ſit. Io. 20.

Quod ad 2. Tibi dabo; & quicquid ligaueris; Tibi; cui? An *Petro* vt perſonæ ſingulari, & ſolis Succeſſoribus ſuis; an *Petro* perſonam Eccleſiæ repræſentãti, hoc eſt, omnibus Apoſtolis & Epiſcopis, Eccleſiæq; Rectoribus?

Soli dictum eſt Petro; *Tibi dabo*; & *Quicquid ligaueris*; ſed non pro *Petro* ſolo, ſed pro Eccleſiâ in perſonâ *Petri*: Sicut enim *Chriſto* ab omnibus roganti, *Quem me dicunt eſſe Filium hominis?* Reſpondit Apoſtolorum vnus pro omnibus *Petrus*; *Tu es Filius Dei*: vndè *Ioan.* 6. vbi eadem habetur confeſſio, dicitur in plurali; *Et nos credimus & cognoſcimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei*: Sic etiam *Chriſtus Petro* dixit pro ſe & pro cæteris, id eſt, pro Eccleſiâ in *Petro*, Tibi dabo claues; vti ſupra docuit Durãdus? cui addi poſſunt multi alij qui in eodem ſenſu conueniunt.

Origenes. Origines in Matt. 16. tract. 1. *An vero ſolis Petro dantur claues à Chriſto regni cælorũ, nec eas beatorũ quiſquã accepturus eſt? Quod ſi dictũ hoc, Tibi dabo claues, cæteris quoq; cõmune eſt; cur non ſimul omnia, & quæ prius dicta ſunt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnia communia?*

Hieronymus. Hieronymus aduerſus Iouinianũ, lib. 1. *At dicis; Super Petrũ fundatur Eccleſia, licet idipſum in alio loco ſuper omnes Apoſtolos fiat, & cũcti claues regni cælorum accipiant, & ex æquo ſuper eos Eccleſiæ fortitudo ſolidetur.*

Auguſtinus. Auguſtinus in Ioan. c. 12. tract. 50. *Nam ſi in Petro non eſſet Eccleſiæ ſacramentum, non ei diceret Dominus; Tibi dabo claues regni cælorum; & Quodcunq; &c.* Et infra: *Petrus quando claues accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificauit.* Et tractat. 124. in Ioan. *Quando ei dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunq; ligaueris, vniuerſam ſignificabat Eccleſiã.* Et tract. 10. in Epiſt. Ioan. *Vbi remiſſio peccatorum, Eccleſia eſt; quomodo Eccleſia? Illi enim dictum eſt, Tibi dabo claues regni cælorum, & quæ ſolueris in terra, ſoluta erunt & in cælis.*

Leo. Leo: Serm. 3. in anniuerſario aſſumptionis ſuæ: *Propter quod dicit Beato Petro, Tibi dabo claues: Tranſiuit quidem in alios Apoſtolos vis poteſtatis illius.*

Theophylactus. Theophylactus in Matt. 16. *Quamuis autem Petro ſolí dictum ſit, Tibi dabo claues, omnibus tamen Apoſtolis conceſſa ſunt.*

Euthymius. Euthymius in Matt. c. 33. *Tibi dabo claues; atqui donum hoc cæterorum fuit Apoſtolorum.*

Rabanus. Rabanus, in catena apud Thomam: in Matt. 16. *Hæc autem ligandi atq; ſoluendi poteſtas, quamuis ſoli Petro data videatur à Domino, tamen & cæteris datur, nec non etiam nunc in Epiſcopis & Presbyteris omni Eccleſia.*

Druthmarus. Druthmarus, in Matt. 16. *Hoc tam Petro quam omnibus Apoſtolis & Succeſſoribus eorum, qui in Eccleſia eundem locum tenent, rectè credimus conceſſum, quia ipſe poſt paſſionem apparens ijs dixit, Quorum remiſeritis.*

Hugo de ſancto Victore. Hugo de ſancto Victore: de Sacramentis: l. 1. c. 26. *Vide quando dictum*

eſt

est Petro in typo Ecclesiæ, Quodcunq; ligaueris, inuenies hoc dictum esse in donatione clauium Regni cælorum.

Thomas Waldensis: Doct. fid. tom. 2. cap. 138. *Tandē traditis ipsi clauibus pro tota Ecclesia, subdidit, Quodcunq; ligaueris, &c. Hæc est potestas vniuersalis Ecclesiæ, condonata pro suis Sacerdotibus, ligare & soluere.* Thomas Waldensis.

Lyra: in Matt. 16. *Et tibi dabo claues; non solū pro te, sed etiā pro alijs: sicut enim confessio Petri erat confessio aliorum, ita potestas hæc data Petro intelligitur dari alijs.* Vbi Glossa ordinaria: *Habent quidem eandē Iudiciariā potestatē alij Apostoli, quibus post resurrectionem ait; Accipite Sp. Sanctū.* Lyra.

Æneas Syluius: de gestis Concilij Basilienſis: l. 1. *Nec ideo se putet exēptum, quod ei dictum à Christo fuerit, Quodcunq; ligaueris, & reliqua: in eo namq; (vt pòst dicemus) personam ferebat Ecclesiæ; cui etiam dictum reperimus, Quæcunq; alligaueritis.* & infra, ex Augustino: *Inter hos penè vbiq; Petrus solus totius Ecclesiæ gestabat personam, & propterea audire meruit, Tibi dabo claues regni cælorum: has enim claues, non ille vt homo vnus, sed vnitas accepit Ecclesia.* Æneas Syluius.

Cardinalis Cusanus, lib. 2. de Concord. Cathol. cap. 13. *Nihil enim est dictum ad Petrum, quod alijs dictum non sit. Nonnè sicut Petro dictū est, Quodcunq; ligaueris, ita alijs, &c?* Card. Cusan.

Concludo ex Somnio Viridarij, l. 1, c. 57. *Quodcunq; ligaueris; non intelliguntur de potestate iurisdictionis, sed solùm de potestate ordinis.* Somnium Viridarij.

Cum ergo in potestate ordinis pares sint omnes Apostoli, Episcopi, addo etiam, & Sacerdotes: cum in donatione clauium & potestatis ligandi & soluendi, *Petrus* personam Ecclesiæ, non suam ferebat: cum reliqui Apostoli hanc clauem & potestatē accipiant ligandi & soluendi: Ioan. 20. quā *Petro* promisit Christus, Matt. 16. consequēs est, aut *Petrus Petriq;* Successores nullā acceperūt potestatē deponendorū Regū & Imperatorū, reguorūq; disponendorū, aut eandē acceperunt reliqui Apostoli & Sacerdotes (Sacerdotes enim fiūt Apostoli saltem ex parte, in illis verbis; Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, vti Bell.*) quod priuilegium *Petro* & Pontifici Romano soli competere docent Pontificij.

Quod ad tertium: Matt. 16. *Quicquid ligaueris, quicquid solueris*: hîc in genere dicitur, quicquid. Patres verò alijq; Catholici à nobis superius citati, hanc notā vniuersalē, Quicquid, sic explicāt: Hæc potestas Petro promissa, omnibus Apostolis donata est. Io. 20. Petrus nō singularis est persona, sed Ecclesiā reliquosq; Apostolos representat: hancq; potestatē accipit, non vt Petrus, sed vt Ecclesia. Locus ergo ille Ioan. 20. Quorū remiseritis peccata, cōmentarius est, & explicatio illius generalis promissionis Matt. 16. Quicquid ligaueris: sic vt vniuersale illud (Quicquid) per peccata explicetur: ligare verò idem sit quod retinere peccata, soluere verò nihil aliud sit quam remittere peccata. 13.

Id quod vel ex eo manifestius apparebit, quia si in his locis Matt. 16. 18. 20.

20. detur poteſtas ordinis, poteſtas ligandi & ſoluendi in foro conſciẽtiæ, vt plurimi docent; Matt. vero 18. promittatur poteſtas iuriſdictionis in foro exteriori, *Dic Eccleſiæ*, & *Quæcunq; alligaueritis*; terminus ille vniuerſalis, *Quæcunq;* in plurali, quod idem eſt cũ illo altero, *Quicquid ligaueris* Matt. 16. in ſingulari; ad *peccata* neceſſario refertur: id quod verba illa denotant, *Si peccauerit in te Frater tuus*. Sic omnis poteſtas ligandi & ſoluẽdi, ſiue in foro conſcientiæ, ſiue in foro exteriori ad *peccata* reſtringitur: *Quæcunq; ergo alligaueritis*, i. peccata in foro contentioſo: Quid verò? An in foro interiori datur poteſtas ligandi & ſoluendi à vinculo juramentorũ debitorum, legum, fidelitatis, & in foro contentioſo non datur? An Pontifex in foro conſcientiæ ligat & ſoluit à legibus, iuramentis, debitis, ligat & ſoluit regna & dominia, cum reges deponit, an verò in foro exteriori? (cum in foro exteriori liganda ſint peccata, non debita, vti patet: Matt. 18. Si peccauerit in te frater tuus?) Audi verò quid de hâc re ſentiat Richardus de ſancto Victore, de poteſtate ligandi & ſoluendi, c. 6. poſtquã enim præmiſſet verba illa: Matt. 16. *Quicquid ligaueris*; ſubiungit: *Ad hanc ſoluendi poteſtatem & illud pertinere videtur, quod à Domino, Apoſtolis omnibus, & in ipſis, omnibus eorum Vicarijs dicitur: Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis: Quid enim eſt peccata remittere, niſi diſtrictionis ſententiam quæ peccatis debetur, relaxando abſolvere, & abſoluendo relaxare? Et quid eſt peccata retinere, niſi non verè pœnitentes nolle abſolvere?* Et infra: c. 10. concludẽs quæſtionẽ quam cap. 1. propoſuerat; ſcilicet vtrũ hæc ligandi & ſoluendi poteſtas, quę *Petro Apoſtolo* in his verbis (*Quicquid ligaueris*) datur, eadem ſit, quæ alibi omnibus Apoſtolis, & in ipſis, omnibus eorum vicarijs in communi concedi tur, cum dicitur: (*Quorum remiſeritis*,) hæc habet. *Eccè iam habemus quod quærere propoſuimus: Habemus quæ ſit illa poteſtas ligandi atq; ſoluendi Sacerdotibus data, quomodo vel quorum valeant & debeant remittere vel retinere peccata.* Eccè, *Richardo* idem eſt ligare & ſoluere, quod remittere & retinere. Quietiam duplex ſiuè triplex debitum aut vinculum proponit: in quo ſoluendo vel ligando, exercetur hęc poteſtas: Aliud eſt debitum damnationis, aliud expiationis: hoc autem duplex, aliud ſatisfactionis, aliud Anathematis: de ſolutione legum, juramentorum, fidelitatis, altum ſilentium.

Gloſſa interl. Gloſſa verò interlinearis, quæ & Matt. 16. & Io. 20. eadẽ eſt, hæc eſt *Quẽcunq; indignũ remiſſione iudicaueris dũ viuit, apud Deũ indignus iudicabitur: Quẽcunq; ſoluendũ iudicaueris dum viuit, & remiſſionẽ peccatorum conſequetur à Deo.* Solutio & remiſſio peccatorũ idẽ ſunt. *Chryſoſt. in Matt. 16. Hom 45.* *Chryſoſtomus* ex his verbis; (*Quodcũq; ligaueris*) Diuinitatẽ Chriſti colligit, ex duobus; *quod remiſſionẽ peccatorũ, quodq; Eccleſiæ immobilitatẽ dat, quæ ſolius Dei ſunt.*

Ambroſius. Ambroſius in Pſalm. 38. *Ideò Dominus, quod antè erat indicij ſui, dedit Apoſtolis, peccati remittendi æquitatẽ, ne citò ſoluenda, din ligata manerent: Denique audi dicentẽ: Tibi dabo claues regni cælorũ; &, Quodcunq; ligaueris,*

Tibi

Tibi, inquit, dabo claves regni cælorum, vt & solvas, & liges; Hoc Novatianus non audivit, sed Ecclesia Dei audivit: ideo ille in lapsu, nos in remissione; ille in pœnitentiâ, nos in gratia: quod Petro dicitur, Apostolis dicitur. Idem de pœnitentia lib. 1. cap. 2. *Munus spiritus sancti est officium sacerdotis, ius autem Spiritus sancti in solvendis ligandisq; criminibus est.*

Fulgentius de fide ad Petrum Diaconum. *Sed etiam pœnitentia peccatori tunc prodest, si eam in Ecclesiâ Catholicâ gerat, cui Deus in persona Petri ligandi solvendiq; tribuit potestatẽ, dicens. Quæ alligaveris super terrã, &c.* Fulgentius.

Et in lib. 1. de Remissione peccatorum, c. 24. *Sed bene intelligentibus, non alia, sed illa tantũ in futuro dimittenda, quæ in hoc sæculo in vnaq; vera Ecclesia Catholica fuerint vnicuiq; dimissa: Soli enim illi Dominus ligandi, solvendiq; tribuit potestatẽ: dicens, Tibi dabo claves, &, Quodcũq; ligaveris.*

Theophylactus in Matt. 16. *Claves autem intelligas, quæ ligant & solvunt, hoc est, delictorum vel indulgentias vel pœnas.* Theophylactus.

Augustinus, tract. 124. in Ioan. c. 21. *Quando ei dictum est; Tibi dabo claves, &, Quodcunq; ligaueris, vniuersam significabat Ecclesiam: Non à Petro petra, sed Petrus à petra. Super hanc petram, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam: Ecclesia ergo quæ fundatur in Christo, claves regni cœlorum accepit a Christo. i. potestatem ligandi solvendiq; peccata: Quod enim est per proprietatem in Christo Ecclesia, hoc est per significationem Petrus a Petra, qua significatione intelligitur petra Christus, Petrus Ecclesia:* Ecce potestas ligandi & solvendi ad peccata refertur: Et infra: *Omnibus igitur sanctis ad corpus Christi inseparabiliter pertinentibus, propter vitæ huius procelloſissimæ gubernacula, ad ligandæ & solvendæ peccata, claves regni cœlorum primus Apostolorum Petrus accepit.* Et infra: *Quoniam nec iste solus, sed vniuersa Ecclesia ligat solvitq; peccata.* Augustinus.

Bernardus 13. *In criminibus, non in possessionibus potestas vestra, quoniã propter illa, non propter hæc, accepistis claves regni cœlorum: prævaricatores vtiq; excluſuri, non possessores: vt sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terris dimittendi peccata, &c.* Bernad. de Consid. l. 1 c. 6.

Innocentius 3. *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum Regem spectat iudicium, &c. sed discernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura.* Sic Innocentius 3. contra Innocentium 4. Innocent. 3. cap. Nouit de Iudicijs.

Petrus Blesensis: Epist. 146. quæ est *Aleonoræ* reginæ Angliæ, matris *Richardi* primi captiui, ad *Cælestinum* Pontificem: quæq; satis est vt potestatem Papalem. *Vestra potestas a Deo, an ab hominibus? Nonne Deus Deorum locutus est vobis in Petro Apostolo, dicens Quodcunq; ligaveris, &c? Quare igitur tanto tempore tam negligenter, imo tam crudeliter filium meũ solvere differtis, aut potius non audetis? Sed dicetis, hanc potestatem vobis in animabus, non in corporibus fuisse commissam. Esto, certè sufficit nobis, si eorum ligaueritis animas qui filium meum in carcere tenent.* Et idem alibi. *Animabus prælatus es, nõ corporibus; nihil Prælato cõmune est cũ Pilato.* P. Blesensis. In Canone Episcopali.

Ioannes de Parisijs; de potestate Regia & Papali: c. 14. *Secunda verò potestas, scilicet clauium in foro conscientiæ, est spiritualis: vnde Ioan. 20. Accipite Spritum Sanctum, Glossa Chrysostomi dicit, Collata fuit potestas spiritualis tantum dimittendi peccata, nec potest aliquid in temporalibus, nisi in foro conscientiæ, cum ad satisfactionem inducit, sicut & cæteras potestates corporales:* Et infra cap. 15. *ex Chrysostomo & Rabano colligit, per hoc (Quicquid ligaueris) non intelligi aliquam potestatem datam, nisi spiritualem, absoluendi scilicet à vinculo peccatorum, Stultum autem esse intelligere, a vinculo debitorum.* Verba citantur supra: l. c. 8.

Dantes. Dantes Aligherius: De Monarchia l. 3. In illa verba: *Quodcunq; &c.* affirmat, *notandum hunc, Quodcunq; extra habitum termini distributi, non distribuere: Quodcunq; non sumi absolute, tunc enim posset soluere coniugia, impœnitentem, &c. sed contrahi in sua distributione ad officio clauium regni cœlorum: posse successorem Petri soluere & ligare; sed non posse soluere seu ligare decreta Imperij siue leges.* Habes verba ipsa fusiùs: supra: l. 1. c. 8.

Aegid. Rom. AEgidius Romanus in Quæstione de vtraq; potestate, in Quæst. *In commissione facta Vicario Petro, non legitur potestas temporalis, sed tantũ spiritualis ei fuisse commissa. Tibi, inquit, dabo claues regni cœlorum; Non dixit & dominium terrenorum, vnde statim subjungit (quasi semetipsum exponens de spirituali tantum potestate dixisse) Quodcunq; ligaueris super terram erit ligatum in cœlo, & quodcunq; solueris, &c.*

Salicetus. Salicetus: super 1. Cod. in Rubrica procemij: Num. 7. *Cum ergo ei dixit, Quicquid ligaueris, quoad animam, & sic spiritualia locutus est; licet ei cuius anima ligata est, Deus non sit propitius quoad temporalia.*

Breuiarium in festo Cathedræ Petri. Breuiarium Romanum, vtq; ad tempora Clementis 8. hæc habebat. *Deus qui B. Petro Apostolo tuo, collatis clauibus regni cælestis, animas ligãdi atq; soluendi Pontificium tradidisti:* Inclementer verò, necnon fraudulenter, iussu *Clementis*, deleta est illa vox, *Animas*; vt potestas hæc ligandi & soluendi, absoluta videatur, & ad omnia etiam corporalia extendi possit. Talibus fulcris indiget hæc potestas.

Somnium Viridarij. Sommium Viridarij: l. 1. c. 42. *Non obstat quod dicitur (Quodcunq; ligaueris;) qui illa authoritas intelligitur quantum ad peccata, non quantum ad dominia & bona temporalia, quibus prohibuit Apostolos implicari.*

Laurent. Iustinianus. Laurentius Iustinianus Patriarcha venetus, de casto connubio verbi & Animæ: c. 10. *Dedit quidem illi in animabus ligandis soluendisq; maximã potestatem, ita vt ratum velit esse in cælo, quod ipse egerit in terra, vnde Petro confitenti Christum Dei filium, ex totius personæ Ecclesiæ dictum est; Super hanc petram, &c. Quodcunq; ligaueris, &c.*

Eccè, rectè colligitur; potestas hæc in absolutione à peccatis in foro cõscientiæ, in criminibus, in peccatis, in animabus, iuxta hos authores terminatur. De quo lis vlterius non foret, si audiret Successor Petri Petrũ ipsum successori suo Clementi hanc potestatem tradentẽ, & in quo consistat explicantem. Sic enim loquitur, apud Platinam in vita B. Petri. *Eandem ego*

tibi

tibi potestatem ligandi & absoluendi trada, quam mihi Christus reliquit. Spiritus sanctus tempus vobis omnibus, tum corporis, tum fortunæ, orationem præ dicationi one, salutis hominum, vobismet Pastorem dedit, confule.

His addamus, quod eadē potestas, quæ promittitur *Petro Matt.* 16. donatur omnibus *Apostolis Ioan.* 20. Reprimuntur ex donationibus intelligēdæ sūt; & proinde quilibet Apostolus eadē Successione, à his vi tūs potestatē habet ligādi, quā habuit Petrus. Quod ex eo liquet, quia *Petrus* caūsa Successionis habetur inter alios, quilibet Sacerdos qui potestatē habet ligandi & soluendi,

2. *Petro* datur hæc potestas ligandi & soluendi, non vt persona singulari, sed vt collegio *Apostolorum*, vt Ecclesiæ, quam conditione sua representabat; non ergo *Petro vt Petro*, Successor hoc priuilegium sui ipsi accepit, vt Successor *Petro* non erat sed Ecclesiæ repræsentatiua. Concilij generalis quod plurimi telles *Bellarm.* negant, apud quos vulgatissimum *Papa, solus absque Imperatore*, vt Ecclesiam Concilium; excluderent.

Iam verò verba ipsa considerētur. *Quicquid ligaueris in terra, ligatum erit in cœlis*, inc Christus. Quemcunq; Imperator vel Regem deposuerit in terra, deposītus est in cœlis: hoc absurdū enim deposītus sit rex quilibet in cœlis qui à Pontifice deponitur est in terra, cū deposītio hæc cælestis, nō tāli, vt ludus signi quā beneplaciti, & voluntati beneplaciti nihil resistat; non est hæc papyracea deposītio, sed certa & realis nō regnabit Henric. 4. per annos 26. poli deposītionem suam non superstes esset poli eius vel ttus Pontifices, quis plum sententia ex omnium eius ligatum in terra: finitus nec *Fredericus nec Ludouicus* nec etia *Elizabetha* nostra, qua fatis laudata, tot poli *Pium* 5. Pōtifices vixisset. Bene ergo res se habet. Qui ligantur in ecclesia terra, ligantur & in cœlis ex edict & confirmatione cœlis, quod fit in foro cœlesti: Qui ligantur Dominio & Regnis in terra, in cœlis non priuantur; superstites sunt majoritur Reges & Imperatores, Regna sua fruūt & Successoribus suis tradūt. Sententiæ tales in cœlis tales non funtsiue eo in terra vt nihil ei fumum transeunt.

Quic quid ligueris in terra ligatum erit in cœlis eadem hæc sunt generalis ligare & ligatum esse, soluere & solutum esse. Quod spiritualiter in terra ligueris ligatum erit in spiritualiter ligatum esse. Quod in terra reparaueris ligueris, in cœlis reparaliter ligatū erit. At quod ligas in terra spiritualiter, hoc in cœlis ligatum est temporaliter: aut quod ligas in terra temporaliter, in cœlis ligatum est spiritualiter. Atqui ea sunt hæc, non sequuntur modo enim modo; nisi & & conformati in cœlis, in quo in terra ligatum est non eius conformatum, ratumue habetur in cœlis, si alio modo, aliove in genere collocetur. Quia fulmine Anathematis fuit excōmunicationis ligatus in terra, spiritualiter ligatur quomodo ergo ratiha hoc huius ligationis spiritualis est, dep ōnunequē potali terminatur, quod spiritualis nocuit ligauit. Potestas equalis, ac est consiliū ligare & soluere contenta sumus igitur ad remanipulandas; ligare vero spuerit gratiæ & indulgētiæ, & remissioni respondentiæ Christus, sic sancti Patres locuti sunt, decreuerunt, scripserūt

& intellexerunt. Ecce verò noua Grammatica, noua Theologia opus eſt. Vobis enim authoribus, ligare idem eſt quod ſoluere, idem quod relaxare: ſoluere idem eſt quod ligare. Ligas Regem? Soluis vinculum coniugale inter Regem & Regnum; ſoluis vinculum naturale inter Patrem & Filiũ; Rex enim Pater eſt patriæ, ſubditus filius Regis: ſoluis vinculum ciuile inter Dominum qui Rex, & ſeruum qui ciuis eſt. Econtra: ſoluis Regem? Eo ipſo vinculo coniugali ligas, naturali & ciuili, quibus reipublicæ tenetur. *Eſa.5.20.* *Væ illis qui bonum dicunt malum, malumnè bonum.* Nonne hoc eſt lucem in tenebras, diem in noctem conuertere?

Dabit veniam *Candidus Lector*, ſi in his teſtimonijs longior fuerim: huius tædij hoc erit lucrum, Nouatores, nouarum expoſitionum, non Catholicarum, nouorum ſenſuum Scripturarum ſacrarum poſt mille annos inuentores facilè dignoſces. Antiqui poteſtatẽ hanc clauium ligandi & ſoluendi, ad peccata, ad animas referunt. Pater Scholæ *Lombardus*, ex Patribus, ad peccata, ad pœnas ſatisfactorias, ad excommunicationem, hãc poteſtatem extendit: quem ſequuntur *Durandus*, & alij: Nouatoribus iſtis, neotericis nõ arridet anguſta hæc poteſtas: vberes fructus ager attulit nõtificius; deſtruenda ſunt horrea iſta minuta, maiora, capaciora ædificanda ſunt. Liga & ſolue à vinculis peccatorum, pœnarũ ſatisfactoriarũ, anathematis, ſiue excõmunicationis: Hoc anguſtũ eſt. Liga & ſolue vincula legũ ſiue præceptorũ: acſi Põtifex Legiſlator eſſet ciuilis, qui leges tẽporales ſiue ſecul[illegible] figere poſſit & refigere ad libitũ. Liga & ſolue iuramenta, vota; li[illegible]ue difficultates errorum & hæreſeũ. *1.Ioan.3.8.& 5.* *In hoc apparuit Chriſtus, vt diſſoluat opera Diaboli*: &, *Scitis quia ille apparuit, vt peccata noſtra ſolleret*: idem ſonant opera Diaboli & peccata: De lege verò Dei dicit ipſe: *Matt.5.17.* *non veni ſoluere legem ſed implere.*

Chriſtus ergo ſoluit opera Diaboli, i. peccata; non ſoluit legẽ, nec opera Dei, ſed implet. An iuramenta, jura regalia, vota, Regna & Imperia & ſimilia ſunt inter opera Diaboli, an Dei? Si inter opera Diaboli ſint, vt *Gregorius* tuus 7. ſoluit regna, iura, leges, decreta Imperij, Chriſtus: ſi inter opera Dei ſunt, & Naturæ, non ſoluit iſta Chriſtus ſed implet perficitq; Audi ergo quid de hac re Fulgentius, *Fulgent. l. 1. ad Thraſim. c.5.* *In hoc apparuit, Filius Dei, vt ſoluat opera Diaboli; namquia Dei opus vinculo tenebatur Diabolici operis, apparuit Filius Dei, vt illud ſolueret, hoc ſaluaret.*

Quinetiam etſi omnia peccata in foro pœnitentiæ liganda ſoluendaq; veniant, at in foro contentioſo non omnia, ſed aliqua, quę ad cognitionem curię Chriſtianitatis ſpectant, ligari da vel ſoluenda ſunt. De qua re audi *Guilielm. Lindwood.* noſtrum; ad verbum, Mortale peccatum: *Lindwoodum l.2. ſuper Conſtit. de foro Competenti. cap. Circumſpecte agatis.* *Non intelligas de omni peccato mortali, ſed de tali cuius punitio de ſui natura ſpectat ad forum Eccleſiaſticum: nam ſi ratione cuiuſlibet peccati mortalis cognoſceret Eccleſia; ſic periret temporalis gladij iuriſdictio, cum vix eſſet dare cauſam, quin ratione peccati poſſit deferri ad Eccleſiam.* Si ergo vniuerſa-

liſiſta

lis ista nota, Quicquid, ad peccata tantùm non limitetur, sed ad omnia extendatur, potest Successor Petri omnia Matrimonia legitima, omnia juramenta & vota, omnia debita soluere, omnia iura, omnes leges, omnia mandata diuina & naturalia relaxare, quæ Deus ipse non facit: potest contrà ius diuinum & naturale, contrà Evangelium dispensare. Quæ quia (vobis authoribus) Papa non potest; (gratia enim & Evangelium neminem priuat suo iure; & quomodò privat Ecclesia, cùm gratia & Evangelium non privant:) cumque Regna & Dominia sint de iure diuino in Decalogo, & naturali lege introducta & instituta: obedientia etiam & fidelitas sint de iure diuino, & naturali, quomodò audet Pontifex separare quæ coniunxit Deus, aut soluere & relaxare, quæ colligauit Deus; aut Imperia & dominia tollere quę fundauit Deus, nisi velit *homo ille peccati* haberi, qui semet effert supra omne quod dicitur Deus.

Sequitur locus 2. *Pasce oues, pasce agnos*: Ioan. 21. in quo, vt in altero illo Matth. 16. vbiquitas siuè vniuersalitas; sic in hoc omnipotentia Pontificum fundatur, si *Gregorio septimo*, & *Innocentio* 4. credimus. Quid verò? An in his verbis datur potestas aliqua? *Pasce oues, pasce agnos*, id est, omnes, Reges & Imperatores tanquam oues, subditos & populos tanquã agnos, id est, pasce omnes: Executio hæc est potestatis, non potestas ipsa: non dicit Christus, do tibi potestatem pascendi & regendi oues meas, sed pasce: præceptum hoc est, non collatio potestatis; pascere amoris signum est, vt negare timoris. Atqui duo hic videnda sunt; cui dictum sit, pasce, vtrùm Petro soli an reliquis Apostolis; & quid sit hoc ipsum pascere.

Ter negauerat *Petrus* Dominũ, ante passionem: ter post passionem profitetur amorem: ter audit, pasce oves. An solus Petrus Pastor? Annon reliqui Apostoli gregis Domini Pastores? Annon quilibet Episcopus Pastor est Ecclesiæ suæ. *Hoc vtiq; erant & cæteri Apostoli quod fuit Petrus: pari consortio praditi & honoris & potestatis*: Siccinè verò *Cypriane*? An par potestas, sicut honor par? Quomodo ergo peculiaris quædam potestas Petro, Petrique successoribus datur, quæ reliquis Apostolis Episcopisque non datur? *Nonnè Orbis maior est vrbe, si quæratur authoritas? Vbicumque fuerit Episcopus, siue Romæ siue Eugubij, siue Constantinopoli siue Rhegij; siue Alexandriæ siue Tanis, eiusdem est meriti, eiusdem est Sacerdotij*: sic olim Hieronymus. Quid verò de hoc ipso loco senserint Patres, audiamus.

16

Cypr. de unit. Ecclesiæ.

Hier. ad Euagr. Epist. 85.

Basilius, in lib. de vitâ solitariâ cap. 23. *Atque hoc ab ipso Christo docemur, qui Petrum post se Ecclesiæ suæ Pastorem constituit: Petre, enim, inquit amas me plus his, pasce oues meas; & consequenter, omnibus Pastoribus & Doctoribus eandem potestatem tribuit, cuius signum est, quod omnes ex æquo & ligant et absoluant, quemadmodum & ille.*

Basilius.

Ambrosius, de dignitate Sacerdotali. c. 2. *Pasce oues meas, quid oues, &*

Ambr. de dignit. Sacerd. c. 2.

Augustinus,

quem gregem, non ſolum tunc Beatus ſuſcepit Petrus, ſed & nobiſcum eas ſuſcepit, & cum illo eas nos ſuſcepimus omnes.

Auguſt. de Agon. Chriſt. c. 30.

Auguſtinus, de Agone Chriſtiano. c. 30. *Non enim ſine cauſâ inter omnes Apoſtolos, huius Eccleſiæ Catholicæ perſonam ſuſtinet Petrus; huic enim Eccleſiæ claues regni cœlorum datæ ſunt, cum Petro datæ ſunt, & cum ei dicitur, ad omnes dicitur: Amas me? Paſce oues meas.*

Et Serm. 24. de Sanctis: *Paſce oues meas, &c. In uno Petro figurabatur unitas omnium Paſtorum, ſed bonorum, quiſciunt oues Chriſti paſcere Chriſto, non ſibi.*

Cyril. Alexand.

Cyrillus Alexand. in Ioan. 21. l. 12. c. 64. *Poſtquam dixiſſet Petrum cum aliis* (non dicit præ aliis) *Apoſtolatum, nomine ab ipſo Chriſto decoratum; Trinâ* (inquit) *confeſſione, trinæ negationis delictum enucleatum eſt. Dixit autem, paſce: Apoſtolatus ſui renouans,* (non dixit Augens) *dignitatem, nè propter negationem quæ humanâ infirmitate accidit, labefacta videretur.* Ecce verbo, *paſce*, renouat dignitatem Apoſtolatus; dignitas ergo Apoſtolatus hoc verbo, paſce, conferri videtur: omnibus ergo Apoſtolis, paſce oues meas, dictum eſt.

Theophyl.

Theophylact. in Ioan. 21. *Audiant Epiſcopi & Prædicatores verbi quid eis commendetur, paſce, inquit, oues meas, &c.*

Card. Cuſan.

Card. Cuſan. de Concord. Cathol. l. 2. c. 13. *Et ſi Petro dictum eſt, paſce oues; tamen manifeſtum eſt quod illa paſcentia eſt verbo & exemplo: ita, et tũ ſecundum S. Auguſt. in Gloſſ. ſuper eodem verbo omnibus idem præceptũ eſt.*

Bellarm.

Bellarminus, De Romano Pont. l. 2. c. 12. in fine. *Quædam denique dicuntur ei ratione officij paſtoralis, quæ proindè dicta intelliguntur omnibus paſtoribus, vt, paſce oues meas, &, Confirma fratres tuos, &, Quodcunque ligaueris, &c.*

1. Pet. 5. 2.

Mitto alios: Habemus certiorem ſermonem, non propheticum ſed Euangelicum; *Paſcite qui in vobis eſt gregem Domini*: ſic Petrus ille compaſtoribus, compresbyteris. Idem Paulus Epiſcopis Epheſi congregatis: *Act. 20. 28.* *Attendite vobis & vniuerſo gregi, in quo poſuit vos Spiritus ſanctus Epiſcopos, paſcere, siue regere, Eccleſiam Dei*, Eadem enim vox eſt, & Ioan. 21. & Act. 20. & 1. Pet. 5. Petrus ergo paſcit, & Paulus proculdubio ipſe paſcit, & Epiſcopi à Paulo inſtructi paſcunt, & Presbyteri à Petro inſtituti paſcunt, & Apoſtoli, Prophetæ, Euangeliſtæ in infantiâ Eccleſiæ, paſtores & doctores vſque ad conſummationem ſeculi, tanquam ordinarij Eccleſiæ Miniſtri perduraturi. Non dicit aut Petrus aut Paulus, paſcite gregem, paſcite Eccleſiam ex parte, ſed abſolutè, *paſcite*. Mandatum ergo quod *Petro* datur, *Paſce oues meas*, idem datur omnibus Apoſtolis, Epiſcopis, Presbyteris. Nec loci amplitudo naturam huius officij paſtoralis mutare poteſt: idem eſt paſcere in Dioceſi & in Patriarchatu; in vrbe & in orbe.

Idem ergo audit quilibet Apoſtolus, & Epiſcopus quod Petrus: *Si amas me, paſce oues meas.* Si ergo paſcentis deponere Reges, poteſt quilibet Epiſcopus deponere Regem ſuum, ſicut Pontifex omnes Reges Chriſtianos

nos deponere præsumit.

Sequitur secundum, quid sit pascere. *Servus ille fidelis & prudens* pro- 16.
culdubio pastor est Ecclesiæ, *qui dat familiæ cibum sine mensuram tritici* Mat.24.45.
in tempore: non ille *qui conservos percutit*. Dare cibum, triticum ministrare, Luc.12.4.
hoc est pascere; percutere conservos, rapere & dispergere oves, pavire, hoc est nō pascere, non regere. Annō depositio Regum percussio est, pœna est? Quomodo ergo in hoc mandato fundatur potestas depositionis?

Quid verò Scriptores per hoc præceptum intelligant, audiamus.

Theophyl. in Ioan. 21. *Non facit Dominum, non Principem, non Regem* Theophylact.
Petrum, sed pastorem esse iubet: et postea, pasce, inquit, non occide; ad ædificationem, non ad destructionem officio fungere: pastor esto, non lupus, nē contemptoris omnes amplexando hoc sæculum, mea enim sunt omnes.

Bernardus Serm. 2. de resurrectione Domini. *Petrus accepit mandatum* Bernard.
tertio pascere gregem Domini: pasce inquit mente, pasce ore, pasce opere: pasce animi oratione, verbi exhortatione, exempli exhibitione.

Et de consid. ad Eugen. l. 4. c. 3. *Euangelizare, pascere est, fac opus Euangelistæ, et pastoris opus impleti.* Et in Epist. 201. *In hoc noveris illius Trinitatis sacramentum, in nullo frustratum à te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas et sanctarum fructu orationum.*

Petrus Blesinsis. Epist. 148. ad Episcopum Bathoniensem. *Retolite Pa-* P. Blesensis.
ter, quia B. Petri Vicarius estis, vobis in eo quandoq; dictum est; si diligis me, pasce oves meas: Quid est oves pascere, nisi euangelizare subiectis, reddere Deo populum acceptabilem verbo, opere, et exemplo, dirigere vias Domini, et parare Domino plebem perfectum. Et alibi, *hæres es et Vicarius Petri, pasce oves meas euangelizando.*

Innocentius 3. Serm. 2. in anniversario Consecrationis suæ, exponens Innocen. 3.
verba illa. Quis est servus fidelis & prudens? *Cibum*, inquit, *dare tenetur, videlicet exempli, verbi, sacramenti; quasi dicat, pasce exemplo vitæ, verbo doctrinæ, sacramēto Eucharistiæ, exemplo actionis, verbo prædicationis, sacramento communionis.* An sic solent modernī Pontifices pascere?

Laurentius Iustinianus: de Institutione & regimine Principum. c. 18. Laurent. Iustin.
Pascat illos verbo, pascat exemplo, pascat temporali substantia. Sic Dominus Iesus Petro mandavit dicens, Petre, amas me? Pasce oves meas. & infra *Voluit propterea ipse Dominus & Magister, ex huiusmodi repetitione posteris insinuare Pastoribus, quatenus ouibus sub regimine suo constitutis deberent corporibus morituris alimoniam temporalem, animabus semper victuris doctrinam spiritualem, atque eorum moribus exemplo suo, bene vivendi disciplinam præbere moralem.*

Ioan. Gerson in Sermone, in Concil. Rhemen. Operum To. 2. *Petro ter* Gerson.
interrogato, ter respondenti, bonus Pastor Christus ter subintulit, dicens Pasce oves meas, pasce agnos meos, & rursus, si diligis me pasce oves meas: pasce verbo, pasce exemplo, pasce subsidio; pasce verbo prædicationis doctæ, pasce exemplo conversationis sanctæ, pasce subsidio charitatis

pia

pie: Et paulo post: *Quisquis hoc modo pauerit oues suas triplici pabulo salutari, verus imitator censendus est Pastoris boni.*

Ferus. Ferus in Ioan. 21. *Vide autem emphasin verborum: non dicit, occide, aut lanam & lac accipe, sed, pasce: nec dicit, potestatem in eos tyrannicam exerce, sed pasce.* Et infra: *Deinde ter iubet pascere: debet enim Prelatus commissas sibi oues pascere prece mentali, instructione vocali, & operatione vitali, imo, si opus sit, sustentatione corporali. Quanquam Graeci secundo loco non habent pasce, sed ποίμανον, hoc est rege; non gladio externo, sed virgâ pastorali.*

Lyra. Nicolaus Lyranus in Ioan. 21. *Ter etiam committit ei officium pascendi: quia Pastor Ecclesiæ debet subditos pascere, triplici pabulo, scilicet veritatis verbo, vitæ exemplo, temporali subsidio.*

Hug. Card. Hugo Cardinalis in Ioan. 21. *Pasce, & exemplo, & verbo, & orationis suffragio.*

Ludolphus. Ludolphus de vitâ Iesu. p. 2. c. 80. super (pasce.) *Non dicit ei tunde, munge, mactа & manduca, sed dicit tribus vicibus, pasce: scilicet pane doctrinæ, & sanctæ prædicationis verbo, vitæ & honestæ conuersationis exemplo, temporalis sustentationis subsidio.*

P. Comestor. P. Comestor Cap. 195. in Euangel. in Historia scholastica: *Pasce docendo, pasce operando, pasce moriendo.*

Iansenius. Cornelius Iansenius, de diuersitate vocum ποίμαινε & βόσκε, in quibus tota vis Pontificiæ potestatis collocatur, sic sentit. *Rursus quod in primâ & tertia sit Græcis βόσκε; in secunda ποίμαινε; non enim significationis alicuius gratia, sed tantum elegantiæ causa verisimile est, hac variatione vsum Euangelistam: vnde bene semper vertit Interpres, pasce; quanquam ποίμαινε magis sit regere, sed sic vt Pastor regit gregem; quod aptè dicitur, pascere.*

Aeneas Sylvius in comment. de gestis Concil. Basiliensis, lib. 1. Vt concludam; audi de hoc alteroque illo Matt. 16. alijsque plurimis locis quibus nititur primatus Pontificius; quid dicat Æneas Sylvius, postea Pius 2. *Plurimum illud extollunt quod Petro sit dictum, Tu vocaberis Cephas: et, Tibi dabo claues: et, Quodq; liganeris: et, Rogaui pro te, Petre: &, Pasce oues, &, Duc in altum rete: &, Noli timere, &c. quodq; soli Petro, tanquam Apostolorum Principi, Christus mandauerit pro se & ipso stateram dari, & quia Petrus traxit ad terram rete plenum piscibus magnis, & quod solus Petrus ad Christi defensionem gladium euaginauit: quæ omnia hi homines mire modo sublimant, expositionibus sanctorum Doctorum omnino posthabitis; quas si, vt par esset, consulerent, manifestè cognoscerent, quia ex authoritatibus supradictis, Romanus Pontifex non coniunctim sed separatim omnibus præest.* Et sic, vt Camotensis ait,

Bernard. Blesens. *Vim faciunt Scripturis, vt habeant plenitudinem potestatis.*

Hæc opus Euangelistæ, & Pastoris opus implesti. Quid est oues pascere, nisi Euangelizare subiectis? Quid hoc est? Euangelizare est implere opus

Pasto-

Pastoris? Quomodo ergo depositio Regum est opus Pastoris, quod Euangelizando non impletur? An Euangelizare est Reges deponere?

Præterea, pasce verbo, exemplo, cibo: vtrum horum trium est depositio Regum? An pascit verbo, qui deponit, an exemplo, an cibo? At inquis deponere, est non pascere: esto: pascere & non pascere contraria aut contradictoria sunt, circa idem subiectum versantur: quemcunq; pascere debes, eundem, si cibum contemnat, si oues aut agnos arietet, si more lupino devoret, non pasce, detrahe cibum; eundem detrahe cibum non pascendo, quem præbes pascendo. Si ergo non pascere, sit Reges deponere, regna & dominia tollere, pascere proculdubio est reges creare, regna & dominia conferre. *Eadem enim sunt principia constitutionis & destitutionis*: nemo potest de beneficio destituere, nisi qui potest instituere. Eiusdē est dominio priuare, cuius est dominia conferre, hoc est solius Dei: Non potest tollere pascua tēporalia, nisi qui pascua tēporalia præbet. Noua hæc est Theologia, quā ecclesia per mille annos nō audiuit. Sed pergamus; pasce verbo, nō pasce. i. detrahe verbū: pasce exemplo: non pasce, i. exclude à consortio & societate Ecclesiæ, detrahe exemplū: pasce cibo hospitalitatis, non pasce, detrahe cibum, hospitalē te nega. Dicito verò, Bellarm. In quo genere pascendi vel nō pascendi collocatur depositio Regū? Nondum enim constat quomodo ad pastionē spiritualē spectet depositio tēporalis: eiusdē enim est generis pascere, & nō pascere: pascis spiritualiter, itidē spiritualiter non pasce: pascis tēporaliter, nō pasce itidē tēporaliter. Pascere spiritualiter & non pascere tēporaliter, nōne hoc est *in spiritu incipere, in carne vero cōsummari*? Si pastori spirituali liceat pascua tēporalia auferre, quidni etiā licebit pastori tēporali pascua spiritualia tollere? Sunt enim Reges, sicuti David, Pastores, sicut & Sacerdotes Pastores sunt: Illi cibū naturæ, hi cibum gratiæ ministrant. Illi temporalib⁹, hi spiritualib⁹ pascunt: Imo & officium Regum est providere, & censuris ciuilibus cogere pastores spirituales, vt populū pane cœlesti, verbo Dei pascant. Pascunt ergo omnes Apostoli Episcopi, Sacerdotes, eodem pabulo, eodem cibo animarum quo *Petrus*. Aut ergo singuli Apostoli, singuli Episcopi deponere possunt Reges suos, aut *Petrus* Pontifexq; Romanus Imperatores, Regesq; Christianos non potest deponere: pascere enim quod ad potestatem spectat ordinis, idem est in omnibus Sacerdotibus quod in *Petro*: quod ad potestatem iurisdictionis, idem est in omnibus Episcopis, quod in *Petro*: Depositio, si sit censura pastoralis, ad omnes Pastores, id est, omnes Episcopos spectat; si non sit censura pastoralis, quomodo ad *Petrum* spectat? Vnica autem authoritas Francisci Victor. rem totā absoluit. *Et quod Dominus dixit Petro, Pasce oues meas, satis ostēdit esse potestatē in spiritualib⁹ & non tēporalibus.*

Gal. 3. 3.

Relect 5. De Indis Sect. 2. Tit. 1. prop. 1 num. 3.

Probationes ergo istæ ex Matth. 16. & Ioan. 21. antiquis Patribus multisq; alijs interpretibus ignotæ, Gregorium 7. Innocentium 4. homines ambitiosissimos Monarchiā temporalem, nō indirectè & in ordine ad spiritualia, sed directè & manifestissimè, tanquā legatū Diaboli, à Christo con-

contemptum, ſpirantēs, & extenſis vlnis amplectentes, egregiè redolent: quos in causâ ſuâ teſtes & iudices nemo ſanus ferret, dum ambitioni ſuæ pallium iuris divini ſuperinduunt.

Sed Bellarminum ipſum audiamus. *In Scripturis et traditione manifeſtiſsimè reperimus fundatum primatum Eccleſiaſticum Romani Pontificis, quo primatu ampliſsima poteſtas continetur regendi, ligandi et ſoluendi quoſlibet Reges et Imperatores. Ex hoc autem principio ſatis aperte colligitur eſſe in Romano Pontifice poteſtatem temporalia diſponendi, vſq; ad ipſorum Regum et Imperatorum depoſitionem.*

Da veniam, *Bellarmine*, ſi iſta in formam redigam, maiorem propoſitionem quam ſubtices addendo.

Cuicunque datur primatus Eccleſiaſticus, id eſt, poteſtas ampliſſima regendi, ligandi, & ſoluendi quoſlibet Reges & Imperatores, eidem datur poteſtas diſponendi temporalia, vſque ad ipſorum Regum & Imperatorum depoſitionem.

Pontifici Romano datur primatus Eccleſiaſticus, id eſt, poteſtas ampliſſima regendi, ligandi & ſoluendi quoſlibet Reges & Imperatores.

Ergo Pontifici Romano datur poteſtas diſponendi temporalia, vſque ad ipſorum Regum & Imperatorum depoſitionem.

Probat minorem: quia *per ipſam ſpiritualem poteſtatem poteſt ſummus Pontifex ligare Principes ſeculares vinculo excommunicationis: poteſt per eandem ſoluere populos à iuramento fidelitatis et obedientiæ, poteſt obligare eoſdem populos ſub excommunicationis pœna, vt Regi excommunicato non obediant, atque vt alium Regem eligant.*

Poteſt ligare Reges excommunicatione, poteſt à iuramento ſubditos abſoluere: Nonne verè diximus? Vobis idem ligare & abſoluere, quæ *Chriſto* contraria ſunt: vobis idem lux & tenebræ, pœna & indulgentia ſeu gratia, vita & mors. Et quomodo poteſt? per ipſam ſpiritualem poteſtatem; hoc eſt, directè; directè enim excommunicat, non indirectè. Ergo directè deponit Reges, ſicut & excommunicat directè, directè ſoluit juramenta. Depoſitio Regum cenſura eſt Eccleſiaſtica: verſipellis eſt *Bellarminus*, transfuga, deſertorque indirectæ poteſtatis, poteſtatis directæ aſſertor. Directè poteſtas temporalis poteſtati ſpirituali ſubordinatur; non tantùm ratione ſubordinationis finium, vt in proximâ probatione infert *Bellarm.* aut ſaltem fluctuat in medioque pendet, inter cœlũ & terrã, inter directã & indirectã poteſtatẽ. Sed propoſitionẽ ipſam conſideremus: Cuicunque datur primatus Eccleſiaſticus, id eſt, poteſtas ampliſſima, regendi, ligandi & ſolvendi quoſlibet Reges & Imperatores, eidem datur poteſtas diſponendi temporalia, vſque ad Regum & Imperatorum depoſitionem.

Mutemus nonnihil verba propoſitionis. Cuicunque datur primatus Eccleſiaſticus, id eſt, poteſtas ampliſſima regendi & ligandi & ſoluendi quoſuis

quosvis Christianos, eidem datur potestas disponendi temporalia, vsque ad ipsorum priuatorum Christianorum depositionem, id est, exhæredationem, bonorumque temporalium confiscationem; id enim sonat depositio in Christiano priuato. An sic docent, sic faciunt Romanenses tui? An Galli; an Hispani hoc ferent? Quamprimum inter vos excommunicatur Christianus, an statim deponitur, amittit temporalia omnia, mobilia & immobilia; hæreditate abdicatur? Tales Episcopos & Pontifices non ferunt Christiani Catholici privati; quare ferrent Imperatores & Reges? An alio jure vivunt Reges, alio subditi? An excommunicatio temporalia Regum tollit, temporalia priuatorum non tollit? Propositio falsa est, vobis authoribus, in Christiano Catholico, priuato; non est ergo vera, in Christiano Catholico Rege. Excommunicatio non infert depositionem priuati; ergo multò minus Regis; aut deteriore conditione apud vos sunt Reges quàm priuati. *Tarquinium* agnoscas, non *Petrum*, non *Christum*, non Pontificem, qui summa papaverum capita decutit, reges deponit non priuatos. Hoc est vestrum, *Quodcunque*, id est, dominia & regna, non hæreditates, non bona temporalia priuatorum: Hoc est vestrum pasce agnos; pasce oves; pasce omnes, id est, Reges depone, priuatos non depone. Falsa maior ista propositio in alijs omnibus; quidni ergo falsa erit in Imperatoribus & Regibus? Acutior gladius excommunicationis, erga Regem, quàm erga priuatum; non hoc ex naturâ excommunicationis, sed ex opinione Pontificis: *pondus & pondus, mensura et mensura vtrumque, abominabile apud Deum.*

Cu cunque datur primatus Ecclesiasticus, id est, potestas amplissima regendi, ligandi & solvendi, quoslibet Reges & Imperatores: Hoc intelligendum est in Ecclesiasticis; quia primatus est Ecclesiasticus; & proindè si eo ipso detur potestas disponendi temporalia, vsque ad ipsorum Regum & Imperatorum depositionem, quid opus erit primatu ciuili, id est potestate amplissimà regendi, ligandi & soluendi quoslibet: Regunt enim, ligant & solvunt, etiam & Reges vinculis ciuilibus, sicut Pontifices ligat vinculis spiritualibus. Aut ergo confusio est potestatũ, non distinctio aut habet vtraque potestas distinctam dignitatem, distincta officia, distincta iura, distinctas leges, dinstictos actus, distincta vincula, distinctos fines & terminos, quos neutri invadere licet, & proinde primatus ecclesiasticus intra fines Ecclesiasticos concludendus est; ne ad temporale regimen temporalem ligationem, aut solutionem se extendat, sicut primatus ciuilis non ligat nec absolvit spiritualiter.

In minori progreditur Bellarm. per saltum; *Pontifici Romano datur primatus Ecclesiasticus*: de hoc iam non moveo quæstionem: non instituitur de hoc primatu quæstio nostra: transeat tanquam datum, sed non concessum. Quid vero est primatus Ecclesiasticus? *Est amplissima potestas regendi, ligandi et soluendi, quoslibet Reges et Imperatores*; hoc est oues & agnos

Cœlum, à Vicario, ad Dominum; à Christo homine, ad Christum filium Dei, Regem & Monarcham totius mundi, qui Vicarios, non Vicarium; multos, non vnum; capita, non caput in terris ordinauit: totus enim mundus ad Monadem reducitur, non in homine, sed in *Christo* Filio Dei & hominis; cuius Vicarij sunt immediatè Reges & Imperatores, sicut & Pontifices & Episcopi. Illud vero silentio prætereundum non est; quàm frigidè, quàm hæsitanter hanc temporalē potestatem in Regibus deponendis asserat *Bellarminus*. *In Scripturis*, inquit, *& traditione manifestissimè reperimus primatum Ecclesiasticum*: Manifestissimè: Cur ergo cæci sunt, & semper fuerunt *Græci*, nec primatum hunc viderunt? *Ex hoc autem principio* (inquit) *satis apertè colligitur potestas temporalis deponendorum Regum* satis apertè in positivo, non manifestissimè in superlatiuo; tanta est distantia fidei de primatu Ecclesiastico, & temporali, quanta est inter positivum & superlativum; inter apertè, & manifestissimè. Imò vero satis apertè negatur iste primatus, cum *interdicitur Apostolis dominatio, indicitur ministratio; Vos autem non sic. Regnum meum non est de hoc mundo*, etsi in hoc mundo, hic, sed non hinc. Primatus Ecclesiasticus de fide forsan Bellarminianâ est, quia manifestissimus, at primatus temporalis non de fide, sed opinione est, quia tantùm, *satis apertus*: pendet enim ab incertis & digladiantibus Theologorum & Canonistarum opinionibus, fundatur in iure Ecclesiastico, non diuino: probatur Canonibus, C. *Alius*. C. *Apostolica*: Disputat hinc inde Schola, *& adhuc sub iudice lis est*. Non est ordinatio *Christi*, Regis æterni, nec *Petri* vel *Pauli*, sed *Gregorij* & *Innocentij*, qui mundi regna, quàm Cœlorum regnum disponere maluerunt. De subordinatione finium supra dixi mus: non subordinari fines harum potestatum, quia idem finis vtriusque, vita æterna; nec eousque subordinari, vt potestas spiritualis possit temporalem deponere: plura dicturi suo loco, hoc est, cap. 21. *Bernard. Luc. 22. Ioan. 18.*

Iam ad argumenta Barclaij descendamus.

Absurdum et iniquum est dicere, Principes Ethnicos duriore et deteriore conditione ad Ecclesiam esse acceptos, quàm homines primates: vel Papam habere maiorem potestatem in Principes politicos Christianos, quàm olim B. Petrus, et ceteri Apostoli, in quemlibet primatum hominem Ecclesiæ Filium. At hi nullum ius et temporalem potestatem habuerunt tunc temporis in Christianos Laicos: Ergo nec Papa in Principes seculares vllam temporalem potestatem nunc habet. 20.

Ad hæc quid respondet *Bellarm*? Negat assumptionem argumenti, vt falsam & Scripturis sanctis contrariam; id quod probat 2. testimonijs S. *Pauli*. 1. *Apostoli ius habebant percipiendi ex bonis temporalibus laicorum*: 1. *Cor.* 9. *Si nos vobis spiritualia seminauimus, &c.* Quid hoc est? Apostoli ius habebant percipiendi temporalia laicorum, hoc est

& voluntatem litigantium, consensu partium electi, in causâ priuatâ: (Id quod quotidie etiam fit in Republica Christianâ, sine preiudicio Magistratuum, aut ciuilium, aut Ecclesiasticorum, in causis siue ciuilibus, siue Ecclesiasticis;) non à Christianis constituti, ad causas omnes Christianorum cognoscendas & dirimendas. Vide *Durandum.* in 2. Dist. 44. Q. 3. ad 3.

Verum quid hoc ad *Petrum? Paulus* hoc constituit, Apostoli hoc iubent: ergo potestas hæc communis omnium Apostolorum, non peculiaris Petro. *Constituite*, inquit *Paulus*; non dicit ego constituo: Populus constituit, non *Petrus*: ergo populus deponit (si quid possit hæc ratio) non Pontifex. Non dicit, deponite Magistratus Ethnicos; sed, *constituite iudices*, arbitros ad vitandum scandalum: ne ad rixas, & querelas, & contentiones procliues viderentur, qui veterem hominem se exuisse profitebantur. Præterea Christiani omnes tunc temporis Magistratibus Ethnicis subditi erant, nec tribunalia ciuilia vocati declinabant, sed priuatim, & amicabiliter, & charitatiue, iuxtà mandatum Christi, inter se dissidia sua componebant. De sensu huius loci vide plura c. 28.

Neque igitur iurisdictionem habebant in bona temporalia Laicorum, qui Evangelium annunciabant; nec poterant aut Magistratus Ethnicos deponere, aut Christianos Magistratus de nouo constituere, etsi arbitros eligere poterant. Valida ergo est ratio *Barclaij* contra *Bellarminum*, eoque validior, quia eam tam frivolè, tam frigidè oppugnat *Bellarminus*.

Pergit *Barclaius* in probatione assumptionis. *Tempore Apostolorum Ecclesiastica potestas omninò separata fuit à politicâ. Politica potestas tota fuit penes Ethnicos Principes extrà Ecclesiam: Ipsi Apostoli in potestate temporali Ethnicorum fuerunt, id est, subditi Ethnicis, vt Pighius, Bellarminus, & alij insignes Theologi fatentur.*

Quid ad hoc *Bellarminus*? fatetur *Ecclesiasticam potestatem etiam nunc separatam esse à politica: non eandem, sed diuersam esse potestatem Regum & Pontificum.* Quare omisisti illud, *omnino separatam*, in quo vis tota assertionis Barclaianæ? De quâ disiunctione diximus suprà c. 2.

Sed præest (inquit) *spiritualis potestas politica temporali, & eam debet dirigere ad finem supremum vitæ æternæ.*

Vide verò quomodò statum quæstionis mutet *Bellarm.* nec respondet ad idem. Quæstio est de potestate coactivâ, respondet *Bellarm.* de potestate directiuâ de qua non est quæstio. Potestas spiritualis debet dirigere temporalem ad finem supremum vitæ æternæ: & disponere de rebus temporalibus, dicere debuisset de depositione Principum temporalium, siue Laicorum.

Tota potestas politica erat penes Principes Ethnicos, Extrà Ecclesiã tempore Apostolorũ. Sic Barclaius. *Non quæcunque potestas tẽporalis, sed Regia*

& Imperatoria tota fuit apud Ethnicos, quia nulli tunc erant Reges Christiani. Non quæcunque potestas: Alia est ergo potestas temporalis & Politica, præter Imperatoriam & Regiam. Quæ illa? Pontificia vt videtur; sic enim sequitur: *Potestas Ecclesiastica eo tempore non habuit paratam executionem præsertim in temporalibus.* Accipio quod das, repetoque. Potestas Ecclesiastica tempore Apostolorum non habebat paratam executionem præsertim in temporalibus.

1 Cor. 10. 6. *In promptu vlcisci omnem obedientiam, cùm impleta fuerit vestra obedientia sic Paulus.* Vlcisci ad executionem spectat: *Bellarminus* dicit, non habebant paratam executionem: *Paulus* dicit, *in promptu habebant*; id est, parati vlcisci omnem inobedientiam: uter falsus mendaxque iudicet Lector. Interim respondeat Bellarminus, siue alius quisquam huic rationi.

Cuicunque datur aliqua potestas, dantur omnia media, ad executionem illius potestatis necessaria. *S. Petro* non dabantur omnia media ad executionem potestatis temporalis in deponendis Regibus necessaria: non habebant paratam executionem, nec nunc habent Pontifices, quia Pontifex non potest per se hanc potestatem exequi, solum populum concitare solet ad rebellionem. Ergo *S. Petro* non est data potestas temporalis deponendorum Regum.

22. *Ipsos Apostolos fuisse in temporali potestate Principum Ethnicorum scripsi olim cum Pighio aliisque; sed postea recognoscens et expendens diligentius libros meos, censui Apostolos de facto fuisse subiectos Principibus illis, non de iure, vt in Recognitione mea posui.*

Augustinum aliquem cogita, scribentem libros *Retractionum*: cum legis *Recognitiones Bellarminianas.* Vtinam omnes simul retractasset errores; nec se voluntati Domini Dei suiPapæ nimium accommodasset. Verum per me *Diruat, ædificet, mutet quadrata rotundis*: non me movet Proteus ille, qui toties mutat pellem. Illud ægrè fero, *Christum*, Apostolos, Patres hâc distinctione, aut adulatores, aut æquiuocatores factos esse. Quid enim? An *Christus* & Apostoli & Patres, cum omnes etiam Apostolos & Episcopos, obedire iubent, de facto loquuntur, non de iure? *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit; omnis anima; et tua*: omnis anima, *si e Apostolus*, vt Chrysostomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius: de facto loquuntur isti, an de iure? Ægrè fert iurisconsultus, quod dicta & responsa iurisconsultorum ad factum, non ad ius referuntur: *Nam Legislatores nunquam de facto, sed de iure respondere consueuerunt: L. Mora: in Principio, de vsuris glossa in C. Consult. de tempo. Ord.* An iurisconsulti & Causidici de iure, non de facto respondent? *Christus* vero veritas ipsa & Apostoli & Patres, præcones veritatis, de facto docent, obediendum Principibus, non de iure? Id est, blandiuntur, adulantur, æquiuocant. *Dicite si audeatis sui*

Couarruvias Tom. 1. Relect. c. Peccatum, de regulis Iuris in 6. p. 2. §. 9. num. 5.

Pra-

Præsidis Deum ordinationem nescire; cum Romani Præsidis potestatem Christus super se quoq; fateatur fuisse celitùs ordinatam. An hoc de facto, an de iure, quod de Cœlo? Recognosce & retracta verbum istud, fuisti posſit ô *Bellarmine*, quo magis Vicario quàm Christo placere studuisti. Interim ad reliqua procedamus. Bernard. Ep. 42.

Non venit Christus soluere legem sed adimplere, nec naturæ & gentium iura tollere, aut quenquam temporalium suarum Dominio excludere. Reges antè Christi aduentum potestate politicâ subditis præerant; eandem ipsam potestatem post ascensionem retinuerunt: hanc potestatem doctrinâ Apostolorum confirmatam, nullaq; ex parte debilitatam retinuerant: Petrus & Apostoli, antequam Christum sequerentur, temporali Principum Ethnicorum ditioni & iurisdictioni subiacebant, quod negari non potest: Nec Dominus vllibi diserte & nominatim iuris obligatione liberauit: consequitur ergò necessariò, manssisse eos sub eodem iugo, etiam post Apostolatum. Hæc Barclaius: Quid Bellarminus? *Respondeo; Christus non venit soluere legem sed adimplere: ideò non sustulit iura gentium & naturæ, sed perfecit: Non priuauit Reges & Principes Dominio eorum iurisdictione, sed eorum iurisdictionem & dominia ordinauit: non minori præditi sunt potestate Reges in Ecclesiâ, quàm Ethnici erant.* Matth. 5. 17.

Verba hæc sunt splendida & magnifica: sed latet anguis in herba. *Christus* non soluit legem, sed adimpleuit; & in lege præcipitur honor & obedientia Regum: at Pontifex potest soluere leges & decreta Imperij: hoccinè est adimplere legem Dei, an soluere? *Christus* non sustulit iura gentium & naturæ, sed perfecit: at Pontifex, non exemplo Christi, tollit iura gentium & naturæ, quia vinculum illud coniugale, naturale & ciuile inter Regem & Regnum tollit: hoccine est iura gentium & naturæ perficere? Euangelium neminem priuat iure suo: Pontifex priuat Regem iure suo in Regno, priuat fidelitate & obedientiâ subditorum suorum: hoccinè est Euangelium? Audi verò ipsum Bellarmine: *Et potuisset quidem Christus ex hâc potestate sua eminentissima priuare Regnis temporalibus quoscunque Reges terræ, neque feciſſet illis iniuriam, si hoc feciſſet: sed maluit Regna temporalia iis dimittere, qui ea possidebant & humilitatis & paupertatis, patientiæ & obedientiæ exemplum dare.* Quid leges sine moribus? Quid Exempla sine imitatione? Discite ex me quia humilis. Quid est quod Christum non imitantur Pontifices, sed Gregorium septimum. In Recognit. De Sum. Pont. l. 5. c. 4. §. Alterum Christi.

Ius diuinum quod est ex gratiâ, non tollit humanum quod est ex naturali ratione. Distinctio fidelium & infidelium secundum se considerata, non tollit Dominium & prælationem Infidelium super fideles; at Ecclesia tollit: Sic Thomas. Conferamus ista: *Christus* non soluit legem sed implet; non tollit iura gentium & naturæ sed perficit: Ius divinum non tollit dominium & prælationem Infidelium super fideles ex se; at Eccle- 2 2 q. 10. Art. 10. incorp.

sia tollit: Pastor animatum tollit: Ergo Ecclesia est superius diuinum, Vicarius est supra Dominum: dispensat Pontifex contra legem De, contra ius naturæ, contrà Evangelium. Eccè verba magnific, sed venenata: Nonnè hoc est supra Deum & legem, & Evangelium, & naturam totam se extollere?

Non priuat Reges iurisdictione, sed eorum iurisdictionem ordinat: Dicere iurisdictionem, adeoque totius Christianissimi ordinem & symmetriam confundit; dum iurisdictione & Dominio privat: Non ordinavit Gregorius septimus Henricum quartum, nec Innocentius quartus Fredericum; nec Ioannes 22. Ludovicum, sed privauit, & confusione, rapinis, bellis, lanienis, combustione orbem Christianum impleuit. Hoc est Pontifici ordinare iurisdictionem, susq; deque omnia miscere, vt ipse Patrimonium potestatemq; suam augeat. Verè iam sponsa *terribilis vt castrorum acies ordinata*. Sed nec *pulchra vt luna, nec electa vt columba*: quia acies ordinata non contra potestates diaboli, & mundi carnisque illecebras, sed contrà mundi potestates, contrà fratres, contrà filios matris, acies ordinata, vel verius inordinata, & in viscera propria armata. *Ordinauit in me charitatem*: sic sponsa: ordinavit, vel potiùs deordinavit in illis superbiam, ambitionem, cupiditatem: Huius ordinis, ordinationisque diabolus author est, non *Christus*. *Principes & Reges non minori præditi sunt potestate politicâ in Ecclesia, quàm Ethnici erant*: Esto, „ Inter Ethnicos, Pontifices, & Sacerdotes subditi erant Regibus: *In Ec-* „ *clesiâ Pontifices, Sacerdotes, Clerici exempti sunt à iurisdictione Prin-* „ *cipum secularium*: vt in sequentibus asserit, probareque nititur Bellarminus.

Contraria sunt ista; minor est potestas, subditorum aliqua est exemptio: In altero ergo horum falsus est Bellarminus. Si Reges minori potestate politicâ præditi non sunt in Ecclesiâ, quàm Ethnici Reges, Apostoli, & Episcopi, Sacerdotes, & Clerici exempti non sunt: si Apostoli, Episcopi, Sacerdotes, Clerici exempti sunt à iurisdictione principum Christianorum; minori potestate præditi sunt Reges Christiani quàm Ethnici.

At præposuit illis Pastorem magnum vice suâ, qui eos dirigeret in viâ „ *ad Regnum Cœlorum, & hoc maximum beneficium.* Imò multos Pastores, non vnum tantum: Illius autem vnius vocem raro audiant Reges, nisi fulminantem. Huius est dirigere; vtinam vero dirigeret tantùm, non autem per abrupta & devia in præcipitium deduceret: si solâ directione, correctionéve fraternâ contentus esset, non tot tantaque bella armorum librorumque in mundo essent. Si ijsdem, quibus dirigit, corrigeret mediis, ferendum esset: dirigit verbo, corrigit baculo Pastor; at Pontifex gladio depositioneque: pastoris est pascere & nutrire, Pontifex occidit deglubitq;. Talem pastorem, pastor ille mitior & modestio,

Regi-

Reginaldus Polus nunquam probavit: vt supra l. 1. c. 6. & 8. docuimus.

At Christus expresè, nominatimque Petrum & Apostolos ab obligatione quâ Principibus Ethnicis tenebantur liberauit: dicit enim Petro, de solutione tributi, scandali vitandi causa, Liberi sunt filij, Matt. 17. & Christus filius Regis Regum, & proinde tota familia eius, cum co liber est. 23.

Liberi sunt filij: at *Christus* solus filius Regis summi, id est, solus exemptus: Apostoli, si filij, adoptiui tantùm: & Sancti omnes filij eius, & familia sicut & Apostoli, Episcopi, Sacerdotes, Clerici. Quinetiam Apostoli, Episcopi, Sacerdotes, non tam familia, quàm præpositi siue dispensatores huius familiæ, & supra familiam constituti; populus verò Christianus familia est, si Christo credimus. Aut ergo omnes Christiani liberi à tributo, quia familia sunt filij; aut Apostoli, Episcopi, Sacerdotes, & Clerici liberi non sunt. De *Christo* verò ipso audi Bernardum. *Christus aliter instit & gessit: Reddite, ait, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo: Quod ore locutus est, mox opere implere curauit: Conditor Cæsaris, Cæsari non cunctatus est reddere censum. Exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis.* Quinctiam *qui Didrachma soluebat, inter soluendum dicebat: Ego profiteor me esse sub Romano Imperatore*: &c Ludolphus de vitâ Iesu. Hoc est *illud profiteri* cuius meminit Lucas: cap. 2. Si sic professus est Dominus Iesus, an & Dominus de facto subditus est, non de iure? An & ille blanditur æquivocatque? Epist. 42. Part. 2. cap. 5. Luc. 2. 33.

Callidè vero omisit *Bellarminus* rationem Barclaianam, quam quia dicere non poterat, prorsus subricet; quæ hæc est. *Subiectio ista Petri Apostorúmque, iurisdictioni & ditioni Principum secularium, prædicationem & propagationem Euangelij impedire non potest: quid enim contulisset hæc exemptio ad Euangelium seminandum, &c?*

Ista quia prætermisit *Bellarminus* vera & concessa censenda sunt: His & addo ego: *Subiectio ista non impedit pietatem*, sicuti Chrysostomus; imò verò exemptio talis Evangelij prædicationem summopere impedivisset. Si enim Apostoli se à iurisdictione & Imperio Principum liberos venditássent, iustè exclamássent Ethnici Imperatores: Eccè, Christiani hostes sunt, perduelles, proditores; politeias evertere conantur, libertatem, liberationem à vinculis legum prædicant, communia habent omnia: Regna & solia & sceptra communia habere volunt. Talis ergo exemptio Christianæ Religionis promulgationi plurimum obstitisset. Hom. 23 in Rom

Quidem vocantur *à statu* in quo sunt; vt peccatores, qui peccata sua deserere tenentur: Quidam vocantur *in statu*, vt viri, vxores, servi, subdi-

diti. *Unusquisque in hoc statu in quo vocatus est permaneat*: sic Paulus 1. Cor. 7. 10. Si omnes à statu suo vocarentur, in statu suo nemo permaneret; nemo maneret Rex, nemo subditus, nemo seruus persisteret: hæc esset ordinatio tua, quam Pastor tuus magnus introduceret in Ecclesiam.

24. At pergit Barclaius: *Apostoli non sunt similes Pharisæis; aliud non docebant & aliud faciebant: Docuit Paulus obedientiam & subiectionem, non solùm propter iram sed propter conscientiam: & ipse subditus Cæsarem* „ *appellauit.* Audi iam responsum Bellarmini. *Apostoli sine dubio non fue-* „ *runt similes Phariseorum, qui aliud docebant, aliud faciebant: sed non* „ *idcò de iure subiecti erant instar aliorum ciuium temporalibus potestatibus,* „ *cùm ipsi à Deo constituti sunt Principes super omnem terram Psal. 44. &* „ *principatus eorum spiritualis, non temporalis, sed verus, & temporali prin-* „ *cipatu longè nobilior.*

Apostoli non sunt similes Phariseorum, quia Phariseæi aliud docebant, aliud faciebant: Apostoli idem docebant idemque faciebant. At si vera narrat *Bellarm.* Apostoli peiores sunt Phariseis. Phariseæi enim docebant quod credebant verum, etsi contrarium faciebant: Apostoli idem docebant quod faciebant, neutrum tamen credebant verum: sed tempori inseruientes (idque Spiritu sancto suggerente, qui author est Scriptorum Apostolicorum) ea de facto & docebant & faciebant, propter timorem, qui in virum fortem non cadit, quę de iure vera esse non credebant. Apostoli enim seipsos subditos *Cæsari* non credebant, docebant tamen: Apostoli de facto subditi erant Cæsari, de iure verò se subditos esse non credebant: sic & verbo & facto hypocritæ Apostoli, Phariseæi solo verbo Hypocritæ.

At *Apostoli Principes super omnem terram; sic Psalm. 44. Pro Patribus nati sunt filij, quos constitues Principes super omnem terram.* Sic tamen ex
Aug in Psal. 44. Psalmo Augustinus; *Patres missi sunt Apostoli, pro Apostolis nati sunt filij, constituti sunt Episcopi. Et Apostoli constituti sunt Principes super omnem terram?* Quomodo ergo *Petrus* solus, eiusque successor Pontifex Romanus constitutus est Princeps super omnem terram; si omnes Apostoli, & Apostolorum filij Episcopi, constituti sunt Principes super omnem terram? Vbi iam Principatus Petri; cum singuli Apostoli, singuli Episcopi habeant principatum super omnem terram? *Et principatus Apostolorum* „ *& Episcoporum, Patrum & filiorum, spiritualis non temporalis, tempora-* „ *lis Principatu longè nobilior.*

De nobilitate siue dignitate non est quæstio; nobilitas non eximit à potestate superioris: quæstio est de potestate; an Principes isti exempti fuerint à potestate seculari? Et Apostoli seipsos profitebantur subiectos, & principatus spiritualis non liberat, quia Principatus: Nam Principes Sacerdotum in lege subiecti erant potestati Regiæ; Et *Salomon*

vnum

vnum ex Principibus, imò Principem principum & Sacerdotum *Abiatharem*, proditorem iuſtè depoſuit; miſericorditer non occidit. Ergo niſi alia ſit ſpecialis exemptio Principum ſpiritualium Euangelicorum, quam Principes in lege non obtinebant, principatus iſte non eximit à poteſtate ſeculari.

S. Paulus appellauit ad *Cæſarem*: tanquam ad Iudicem Præſidis Iudeæ & Iudæorum, qui illum iniuſtè opprimebant: ſed an de facto? Audi ipſum, Bellarmine; *Quod verò è contrario* (Paulus) *eſſet illis* (Ethnicis Principibus) *ſubiectus ciuiliter de iure & de facto patet.* Iſta iam ſi retractauerit *Bellarminus*, *mundus non capiet libros eius.* Verum quicquid dixerit, ſenſeritne de hâc re Bellarm. cùm ſuis, Spiritus ſanctus proculdubio de facto non loquitur, ſed de iure. *Ad Cæſaris tribunal ſto, vbi me oportet iudicari.* Oportet, non neceſſitatis eſt, ſed juris, quia ſponte *Cæſarem* appellat: & crimen intentatum *Paulo*, non erat Eccleſiaſticum, de reſurrectione aut cæremonijs legalibus, ſed de ſeditione, & tumultu, quod populum concitaret contra *Cæſarem*. Si *Paulus* de jure ſubditus, nemo de jure exemptus eſſe poteſt.

De Pontif. Rom. l. 1. c. 29.

Ad. 25. 10.

Sequitur doctrina *Pauli*, quæ praxi conſona eſt. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*: hoc eſt, Principibus ſecularibus: ſola enim ſecularis tunc temporis vulgo ab hominibus agnoſcebatur: nam, vt de poteſtate in genere loquatur, vt quiſq; ſuo ſuperiori obediat, Laïcus Laïco, Eccleſiaſticus Eccleſiaſtico, mera cauillatio, & reſponſum viris doctis & Theologis indignum. Reſpondet Bellarm. *In verbis Apoſtoli, quædam ſunt ſententiæ generales, quædam particulares; generales ſunt; Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non eſt poteſtas niſi à Deo: qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit*: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, generalis eſt ſententia; ergo omnis anima ſubdita eſt, & poteſtatibus temporalibus & ſpiritualibus. Non, aliqua anima ſubdita eſt poteſtatibus ſpiritualibus, non temporalibus; aliqua anima ſubdita eſt poteſtatibus temporalibus, Iſtæ enim ſunt particulares ſententiæ, non generales.

25. *Rom. 13. 1.*

Non eſt poteſtas niſi à Deo: generalis eſt ſententia: Ergo poteſtas Regia & Imperatoria, eſt à Deo, non à populo, id quod tu in *Barclaio* reprehendis: in *Scriptoribus Italicis*, in authoritate Thomæ: *Dominium introductum eſt de iure humano, non ex iure diuino.*

Qui reſiſtit, ordinationi diuinæ reſiſtit: generalis eſt ſententia: ligat ergo omnes perduelles, proditores, aſſaſſinatos, qui in Chriſtos Domini conſpirant: qui ſeditiones & turbas, arma & exercitus contra Reges, etiam excommunicatos & depoſitos, mouent.

Barclaius iſtas ſententias generales de ſola poteſtate ſeculari intelligit; *Bellarm.* & de ſpirituali & de ſeculari: contra ſcopum iſtius textus, contra mentem antiquorum Interpretum.

Sto-

In Rom. 13. Scopum Apoſtoli & occaſionem horum verborum docet Thomas: *Quidam fideles in primitiua Eccleſia dicebant terrenis poteſtatibus ſe ſubiici non debere, propter libertatem quam conſecuti erant à Chriſto: ex Ioan. 8. Si filius vos liberauerit, &c.*

In Rom. 13. Idcò *Chryſoſtomus, Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius, Bernardus* de Apoſtolis, Euangeliſtis, Sacerdotibus, Monachis hanc ſubiectionem intelligunt: *Omnis anima: ſi omnis, & veſtra: qui vos excepit ab vniuerſitate?* ſic *Bernardus Henrico* Senonenſi, quem ſubiectum docet, exemplo Chriſti, qui Pilato ſubditus erat. Eccè, *omnis anima*: anima Clerici ſicut & laici, poteſtatibus ſublimioribus, id eſt, Imperatoribus, Regibus, & Magiſtratibus ciuilibus ſubiecta ſit.

Epiſt. 42.

Et apertius Ioannes de Medina. *Qui cum omnem animam dicat, neminem etiam Clericum excipere videtur; quinimò omnes inferiores principibus & regibus ſecularibus ſubiectos eſſe ſignificat, cum apertum ſit Paulum illic de poteſtatibus ſecularibus eſſe locutum.*

In Codice de reſtit. q. 15.

In Rom. 13. In Recognit. de Summo Pontif. li. 5, cap. 4.

Vnum ſuperaddo Adamum Sasbout, Bellarmino *interpretem accuratiſſimum: Erant*, inquit, *in Eccleſiæ naſcentis exordio, qui putarent propter fidem in Chriſto, exemptos ſeſe à ſubiectione Magiſtratuũ ciuilium; & prætextu religionis detrectabant Principum iuſſa: ſed & de Apoſtolis, vt refert Chryſoſtomus, rumor increbuerat, quod innouatores rerum eſſent, & omnia ad euertendum leges communes, & facerent & dicerent: vt igitur hunc rumorem inualidum reddat, & doceat Chriſtianos propter religionem Chriſtianam non exemptos ab obedientia præſtanda poteſtatibus, nec Chriſtum tollere politeias; dicit: Omnis anima, i. quilibet homo, ſiue Ethnicus ſit, ſiue Chriſtianus.* Hæc de Scopo. De ſenſu verò iſta. *Per poteſtates autem præeminentes intelligit homines authoritate publica præditos, ſiue Reges ſint, ſiue Duces, ſiue deniq; Magiſtratus: quiſq; ait Apoſtolus, pareat poteſtatibus præcellentibus ſibi præfectis. Sanctus Auguſt. in Epiſt. ad Macedonium, quæ eſt numero 54. Item Chryſoſtomus in Commentario huius loci, & veteres fere omnes interpretantur Apoſtolum de poteſtate ſeculari* tantùm: *quod & ipſe textus ſatis indicat. Verùm aduertendum eſt, quod quamuis Apoſtolus de ſeculari poteſtate hîc tantùm agat, ratio tamen qua illi parendũ vult, cõmunis eſt etiam poteſtati Eccleſiaſtice.* Eccè vnus *Sasbout* pro multis, ex communi ſententia veterum ferè omnium, hanc *Pauli* doctrinam de poteſtate *tantum* ſeculari intelligit: etſi ratio huius doctrinæ ad poteſtatem etiam ſpiritualem extendi poſſit. Vide etiam *Caietanum* in hunc locum. *Duarenum de Sacris Eccleſ. Miniſtris*, lib. 1, cap. 5.

Aug. Chryſ.

Recte igitur cùm antiquis & neotoricis pluribus colligit *Barclaius* hæc duo: ſublimiores poteſtates hoc loco ſeculares eſſe: & omnem animam, ad Clericos æqualiter & Laicos pertingere. Id docẽt circunſtantiæ textus, de gladio, de tributo; quæ de poteſtatibus ſecularibus intelligẽda eſſe non negat *Bellarm.* & quam habet rationẽ *Bellarm.* vt intelligit ſequentia verba de po-

de poteſtatibus tantùm laicis, præcedentia verò de poteſtatibus tũ laicis, tũ ſpiritualibus? Cum in illis ſequentibus aſſignat rationẽ Apoſtolus huius ſubiectionis: nam, inquit, *Principes non ſunt timori boni operis ſed mali: non enim ſine cauſa gladium portãt: nam, & non enim*, cauſatiuæ ſunt particulæ, & proinde generales ſicut & concluſiones. Sic enim ratiocinatur Apoſtolus. Principes ſeculares timori ſunt, non boni operis; ſed mali: non ſine cauſa gladiũ portãt: Ergo, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſecularibus ſubdita ſit. Annon iſtæ omnes de eadem poteſtate intelligẽdæ veniunt, & antecedens cõcluſione generaliior eſſe debet? Rationẽ ſubiungit Barclaius. *Nulla tunc temporis alia quã politica & temporalis poteſtas vulgo ab hominibus agnoſcebatur*: quam refutat Bell. *quia & poteſtas patria & maritalis, & herilis, & Magiſtralis, & Eccleſiaſtica, notiſſimæ erant, & à poteſtate ſeculari diſtinctæ.* Imò verò, vobis latentibus, & poteſtas patria, & maritalis & herilis, & Magiſtralis ſubordinatæ ſunt poteſtati ſeculari, & limitibus ſuis à poteſtate Regia circũſcribũtur: & poteſtates iſtę priuatæ erãt intra priuatos parietes cõcluſæ: & poteſtas Eccleſiaſtica vix cognoſcebatur, vulgò nõ agnoſcebatur: nec de cognitione ſed de agnitione loquitur, eaq; vulgari & communi & ab omnibus accepta. Sed quid tam friuolæ exceptioni diutius immoror?

Eccè teſtimonium Auguſtini, in expoſitione huius loci: Omnis anima. 26.

Quod autem ait, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non eſt enim poteſtas niſi à Deo; rectiſſimè admonet, ne quis ex eo, quod à Domino ſuo in libertatẽ vocatus eſt, factus Chriſtianus extollatur in ſuperbiam, & non arbitretur in huius vitæ itinere ſeruandum eſſe ordinem ſuum, vt poteſtatibus ſublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita eſt, exiſtimet nõ ſe eſſe ſubdendũ. Cùm enim cõſtemus ex anima & corpore quãdiu in hac vita tẽporali ſumus, etiã rebus tẽporalibus ad ſubſidiũ degendæ huius vitæ vtamur, oportet nos, ex ea parte qua ad hãc vitã pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus, i. hominibus res humanas cũ aliquo honore adminiſtrãtibus.

Ex illa verò parte qua credimus Deo, & in regnum eius vocamur, non nos oportet eſſe ſubditos cuiquam homini, idipſum in nobis euertere cupienti, quod Deus ad vitam æternam donare dignatus eſt. Si quis ergò putat, quoniã Chriſtianus eſt, non ſibi eſſe vectigal reddẽdum, aut tributũ, aut non eſſe exhibendũ honorem debitum eis qui hæc curant poteſtatibus, in magno errore verſatur. Item: Si quis putat ſe eſſe ſubdendum, vt etiam in ſua fide habere poteſtatem arbitretur eum, qui temporalibus adminiſtrandis aliqua ſublimitate præcellit, in maiorem errorem labitur. Sed modus iſte ſeruandus eſt, quem Dominus ipſe præſcribit, vt reddamus Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, & Deo, quæ Dei ſunt. Libro expoſitionum quarundam Epiſt. ad Rom.

Ex hoc loco, multa cõlligit Barclaius iuxta Bellarminum.

1. Chriſtianæ religionis profeſſio non eximit quemquam à temporalis poteſtatis ſubiectione.

2. *Apoſtoli, & Petrus ipſe Ethnico Magiſtratui ſubiecti erant.*

3. *Non licuit primis illis Chriſtianis, ab Ethnicorũ Principiũ Imperio deficere &*

& alios sibi Principes constituere, etsi vires illis ad id perficiendum suppetissent.

4. *Augustinus hunc locum de potestate temporali tantùm intelligit.*

5. *Augustinus seipsum includit in numero eorum, quos Apostolus iubet subiectos esse debere potestatibus temporalibus; adeoq; omnes etiam Episcopos & Clericos subiectos esse.*

6. *Duplex est officium subditorum; vnum vt obediant Regi, quando nihil iubet contra Deũ; alterũ vt non obediant Regi, quandò contrarium iubet Deo.*

Ad 1. Respondet Bellarminus: *Verè docet Augustinus, rectissimè colligit ex verbis Apostoli, nec nos contradicimus: Christianæ religionis professio non eximit quemquam à temporalis potestatis subiectione.*

Ad. 2. Non dicitur. *S. Petrum & Apostolos cæteros subdios fuisse de iure, temporalibus Magistratibus: neq; hoc dicit Augustinus: nam etsi non eximebat Apostolos ab illa subiectione professio Christianæ religionis, eximebat tamen Principatus Apostolicus, qui sublimior est omni Principatu temporali.*

Acsi diceret *Bellarminus*: Religionis Christianæ professio neminem eximit à subiectione potestatis temporalis: principatus Apostolicus eximit Principes Apostolicos à subiectione potestatis temporalis; Ergo principatus Apostolicicus non est pars professionis Christianæ. Professio enim religionis Christianæ apud *Barclaium* continet omnes ordines & Clericorum & Laicorum, qui religionem Christianam profitentur, & religio Christiana, omnem doctrinam totius Euangelij, siue quæ ad omnes Christianos, & singula generum, siue quæ ad singulos ordines Christianorum, & generà singulorum spectat, complectitur. Christiana religio quasi genus est & totum, omnes eius partes continens: & professio Apostolici principatus pars est professionis Christianæ religionis. Aut ergo professio Apostolici Principatus non eximit à subiectione potestatis temporalis, aut aliqua professio Christianæ religionis eximit à subiectione potestatis temporalis.

Lex *Christi*, siue Euangelium, siue gratia, neminem priuat jure suo: Propositio ista quæ ab omnibus admittitur, vniuersalis est, an particularis? Si vniuersalis, legem illam de principatu Apostolico continet; & proinde principatus Apostolicus neminem priuat jure suo, Principes Apostolici subditi sunt, sub lege *Christi*, potestatibus temporalibus, sicut subditi erant, sub lege naturæ, vel Mosa ca: Si particularis & de Laicis intelligatur, non de Clericis, quid est quod verbis generalibus, adeóq; reseruationibus & æquiuocationibus, Lectorem luditis in articulo fidei?

Lex *Christi* neminem priuat jure suo, lex pontificia priuat Reges jure suo; Ergo lex Pontificia non est lex *Christi*.

Præterea, Principatus Apostolicus eximit à subiectione potestatis temporalis, non ergò Presbyteratus, nec Clericatus eximunt, sed solus Episcopa-

copatus: soli enim Episcopi in Principatu sunt, non Presbyteri, non Clerici: nisi fortè talis sit principatus Apostolici exemptio, vt pro libito voluntatis suæ, eximere possit quos velit.

Sed ad Augustinum redeamus: *Rectissimè admonet, ne quis ex eo: &c.*

Non dicit, ne quis Laicus vel Christianus plebeius; sed ne quis in genere, cuiuscunq; ordinis vel gradus sit: Et infra: *Existimet non se esse subdendum:* non dicit, subditum, de facto, sed *subdendum*, de jure. Sequentia verò rem totam expediunt. Sequitur enim (quæ verba miror à *Barclaio* prætermissa) *Quamquam enim ad illud Regnum vocemur, vbi nulla erit potestas huiusmodi, in hoc tamen itinere, dum agimus, donec perueniamus ad illud seculum, vbi sit euacuatio omnis principatus & potestatis, conditionem nostram pro ipso rerum humanarum ordine toleremus; nihil simulate facientes, & in eo ipso, non tam hominibus, quàm Deo, qui hæc iubet, obtemperantes.* *Augustin. in loco citato.*

Eccè tria verba, quæ rem planam faciunt: *conditio* est *pro ordine rerum humanarum*, non coactio. 2. *nihil simulate agentes*; ergo subiectio hæc vera est; non apparens, non ficta. 3. *Deo obtemperantes, qui hæc iubet*: de jure ergò est, non de facto. Et infra.

Quod autem ait; *Ideoq; necessitate subditi estote*; ad hoc valet, *vt intelligamus, quia necesse est propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes, si quid illi auferre voluerint, in quo sibi data est potestas de temporalibus rebus, quæ quoniam transeunt, ideò & ista subiectio, non in bonis quasi permansuris, sed in necessarijs huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit, necessitate subditi estote, ne quis non integro animo, & pura dilectione, subditus fieret huiusmodi potestatibus, addit, dicens, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam i. non solùm ad iram euadendam, quod potest simulatè fieri, sed vt in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris iussu Domini tui, &c.* Id quod probat ex verbis Pauli: Ephes. 6. *non ad oculum seruientes, quasi hominibus placentes, &c. vt idipsum quod Dominis subduntur, non eos oderint, aut fallacijs promereri desiderent.*

In his quot ferè verba, tot sunt argumenta, quæ futilem & absurdissimam distinctionem subiectionis de facto pro defectu virium, & de iure, conuincunt.

Necesse est, & necessitate subditi estote: necessitas illa nõ coactionis nec naturæ, sed præcepti & finis, *non propter iram, sed propter conscientiam. Data est potestas*, non vsurpata: *subiectio ista in bonis, non permansuris sed necessarijs*: subiectio ista cùm *integro animo, & pura dilectione, non simulate, sed in conscientia certus: illius dilectione, cui subditus fueris iussu Domini tui: non ad oculum seruientes, non placentes hominibus: non fallacijs promereri desiderent*: Hæc omnia de jure sunt: apagè cum subiectione tua *de facto, ex defectu virium*. Non sic ludere solet *Augustinus* in re seria.

Verè ergo colligit Barclaius. 3. loco: *non licuit, Christianis ab Ethnicorũ Prin-*

Principum Imperio deficere, etsi vires illis suppetissent, multo minus licet ab illis Principibus, quos non Ethnicos, sed tanquam Ethnicos habet Ecclesia: nec licet Christianis alios principes in illorum locis constituere: *sed docet S. Augustinus Christianos debere obedientiam Principibus temporalibus, dum Principes sunt, & cum potestate imperant: non autem, si à principatu excidant:* Nouatorum hoc est commentum, nihil tale nouerat *Augustinus*, nec ætas illa tale quicquam vnquam somniauerat : loquitur hoc loco de Principibus Ethnicis, & Persecutoribus; nouerat ille Principes extitisse & hæreticos & Persecutores, & Apostatas, nec tamen hoc excidium, hanc priuationem nouerat. Gregorianum hoc est, non Augùstinianum. *Distinguebant Dominum æternum à temporali; & tamen propter Dominum æternum* (hoc est de jure non de facto) *subditi erant Domino temporali :* vt de *Iuliano* August.

In Psalm. 124.

Et Apostolus ergò & *Augustinus*, dum docent hanc obedientiam de jure, de necessitate præcepti, propter conscientiam, propter dilectionem, quia iussit Dominus; apertè definiunt non licere Christianis, Imperium Ethnicis abrogare; aut apertè ludunt, æquiuocant, simulate agunt in causa fidei: *Blandiuntur principibus forsan*, vt Salmeron tuus. Quid enim? An sic loquũtur Paulus & Augustinus? Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, donec principatu, & dominio excidant sententia Petri. Qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit, si desint vires; si vero supperant vires, qui potestati resistit, Dei ordinationi non resistit. Spiritũ huius mundi sapiunt ista, non Spiritum Christi. Si huiusmodi reseruationes verbis Christi & Apostolorum, & Patrum assuere liceat, veritas Christianæ religionis facilè euanescit. Nonnè Turca aliquis impudentissimus dicere potest eadem ratione: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite:* verum est, donec Propheta noster *Mahumetes* veniat. Bellarmino-Turcismus hic est: ipsi has reseruationes reseruemus: adeoq; concludamus: Præceptum hoc de obedientia potestatum æternum est, morale est, naturale est, temporale non est: & proinde non ad tempus, non ad imperium Pontificis, sed ad Imperium Dei ligat semper: semper *omnis anima potestatibus sublimioribus subiecta sit:* Quis tu qui præceptoDei morali naturaliq; terminum & tempus imponere audes?

In 13. ad Rom.

Quod ad 4. non est *falsum*, ô Bellarmine, *quod Augustinus hunc locum Pauli de temporali potestate tantùm intelligat*; etsi enim nusquam habeatur vox ista, *tantùm*, nullam tamen aliam memorat hoc loco potestatem, nisi temporalem: & tuum erat ostendere, *Augustinum* hîc aut alibi locum hunc de alia potestate, scilicet Ecclesiastica, intellexisse. Augustinus autem apertè se interpretatur: *Potestatibus sublimioribus, quibus pro tempore rerum temporalium gubernatio tradita est*; potestatibus, i. *hominibus res humanas cùm aliquo honore administrantibus, his tributum, vectigal, honor reddendus est, etsi Christiani sumus; vt etiam in suâ fide habere potestatem*

tem arbitretur eum, qui temporalibus adminiſtrandis aliqua ſublimitate precellit. Cùm ergo de temporali poteſtate Auguſtinus illa generalia, Omnis anima, &c. interpretatur, non de altera illâ ſpirituali, cuius etiam hoc loco mentionem facit; de poteſtate tantùm temporali hæc loca intelligere *Auguſtinum* neceſſe eſt; niſi alius producatur ſenſus horum verborum, cui etiam aſtipulatur *Auguſtinus.*

Nec verò *Chryſoſtomus* de poteſtatibus in genere, ſed de poteſtatibus temporalibus hunc locum interpretatur. *Huius rei plurimum & in alys Epiſtolis meminit, quemadmodum famulos heris ſuis, & ſubditos principibus ſubijciens.* Et infra diſtinguit inter Principes, & Principatus; quia *etſi Principes non ſint ſemper à Deo, at poteſtates ſemper à Deo ſunt.* Et infra: *Atq; hoc vbiq; probare ſatagit, nimirum quod non gratiam illis, ſed debitum obediendo præſtamus:* non ergo obediebant donec vires [illegible] peterent (*Qui enim ita ſe habuerit, is & incredulos Magiſtratus magis ad pietatem attrahet, & fideles ad obedientiam: plurima quippè tunc temporis [illegible]umferebatur fama, traducens Apoſtolos, veluti ſeditioſos, rerumq; nouatores, qui omnia ad euertendum leges communes & facerent, & docerent.* Falſus ergò *Bellarm.* qui *Chryſoſtomum* de poteſtate in generali, hunc locum *Pauli* interpretari aſſerit, cùm præciſè de poteſtate temporali Apoſtolum intelligat. *In Rom. Hom. 23.*

Quid verò *Theodoretus*? Non de poteſtate in generali, ſed de poteſtate & magiſtratu temporali *Paulum* interpretatur: *Cum mores ſic per hæc inſtituiſſet, iubet etiam honorem magiſtratibus conuenientem tribui. Præuiderat enim, vtpotè qui diuini Spiritus gratiam affatim acceperat, fore, vt nonnulli faſtu potiùs quam zelo vtentes,* Magiſtratus, qui rerum ad vitam pertinentium curam gerunt, *contemnerent:* (qui hi, niſi temporales?) *ſe propter cognitionem maiores eſſe exiſtimantes.* Et infra: *Malè enim audiebant, tanquam qui leges communes euerterent.* Quæ iſtę leges communes, niſi ciuiles? Et in cap. 13. *Siue eſt Sacerdos aliquis, ſiue Antiſtes, ſiue Monaſticam vitam profeſſus, ijs cedat, quibus ſunt mandati Magiſtratus:* Antiſtites qui ſunt Magiſtratus Eccleſiaſtici, cedant Magiſtratibus temporalibus. *In fine Cap. 12. Ad Rom.*

Quid *Theophylactus*? An de poteſtate in generali, an verò de poteſtate temporali hunc locum exponit? Ipſum audi. *Quod idcircò Apoſtolus admonet, vt oſtendat Euangelium homines, non vt à Deo deſciſcant inſtruere, (dum poteſtatibus reſiſtunt) neq; ad crudelitatem hos erudire, ſed ad gratitudinem potiùs & fidem.* (infideles ergo poteſtates erant, & proinde temporales:) Et infra. 1. *ne ingratus in beneficos arguaris, Maximis enim beneficijs Principes ciuitates condonant; per illos namq; & noſtra hæc vita conſtat:* Nonnè hi ſunt Domini beneficij? Luc. 22. qui rempublicam beneficijs adornant; per illos vita hæc noſtra corporalis conflat. De poteſtatibus ergò temporalibus interpretatur hunc locum Theophylactus. *In Rom. 31.*

At *Anſelmus* hunc locum de poteſtate temporali & Eccleſiaſtica interpretatur. Eſto: nec enim magni refert: Non negandum eſt, eâdem rationis æqui-

æquitate obediendum eſſe Præpoſitis ſpiritualibus in ijs quæ ſunt vitæ futuræ, ſicut in rebus huius vitæ poteſtatibus temporalibus obedire debemus; vti ex *Adamo Saſbout* ſupra dictum eſt. Quamuis id lectorem latere nolim: *Anſelmum* in æſtu contentionis inter Imperatorem & Pontifices vixiſſe, & huic Clericorum exemptioni nimium ſtuduiſſe: propter quam, paulo poſt *Thomas* noſtras tantas turbas apud nos excitauit. Retulit autem locum hunc integrum *Auguſtini*, necnon alium eiuſdem de verbis Domini, qui in his locis de poteſtate agit temporali, nulla facta poteſtatis Eccleſiaſticæ mentione. *Bernardus* item hunc locũ interpretatur de vtraq; poteſtate: verum eſt, ſed per conſequentiam & rationis æquitatẽ: quã negat nemo, *vt ſupra Saſbout. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: ſi omnis & veſtra, ſic* alloquitur Epiſcop. *Senonenſem*, pontifici fortaſſe parum morigeram: vrget exemplo Chriſti; *Chriſtus aliter iuſſit & geſſit. Reddite, ait quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo: Quod ore locutus eſt, mox opere implenit: Conditor Cæſaris, Cæſari non cunctatus eſt reddere cenſum, exemplum enim dedit vobis, vt & vos ita faciatis. Quando vero Dei Sacerdotibus debitam negaret reuerentiam, qui hanc ſecularibus quoq; poteſtatibus exhibere curauit: porro vos, ſi Cæſaris Succeſſori .i. Regi ſedulus in ſuis curis, conſilijs, negotijs, exercitibusq; adeſtis, indignũ erit vobis, cuicunq; Chriſti Vicario taliter exhibere, qualiter ab antiquo inter Eccleſias ordinatum eſt.* Eccè ab obedientia poteſtatibus temporalibus debita, ad reuerentiam (non dicit, obedientiam) vicarij Chriſti, & Poteſtatis Eccleſiæ, per quandam rationis æquitatem arguit. Epiſt. 42.

Similiter Epiſtola 183. Ad *Conradum* Romanorum Regem. *Regis dedecus, Regni diminutionem nunquam volui, volentes odit anima mea:* (Sic *Bernardus*, non ſic *Bellarminus*, qui Regis dedecus, Regni diminutionem maximè molitur:) *Legi quippè: Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Eccè directè interpretatur hæc verba de poteſtate temporali; per rationis verò quandam æquitatem, addit: *Quam tamen ſententiam cupio vos, & omnimodis moneo cuſtodire in exhibenda reuerentia* (vbi ſubiectio, vbi obedientia?) *Summæ & Apoſtolicæ ſedi, & B. Petri Vicario; ſicut ipſam vobis vultis ab vniuerſo ſeruari Imperio.*

Audi verò quid de huius loci expoſitione *Salmeron* tuus, qui *Paulum* & *Petrum* blandiri Regibus author eſt: *Porro per poteſtates prædominantes homines intelligi, poteſtate publica præditos, ſiue Reges ſint, ſiue Principes, ſiue Duces, ſiue quicunq; magiſtratus, quibus ab omnibus parendum eſt. Patres autem veteres, & præſertim Auguſtinus in Epiſt. 54. ad Macedonium, & Chryſoſtomus præſenti loco, Apoſtolum interpretantur de poteſtate ſeculari tantùm: quod & ipſe textus ſubindicat, cùm ait: Non enim ſine cauſa gladium portat. Etſi verò de poteſtate laica tantùm agat, ratio tamen qua illi parendum eſt, communis ponitur tam Eccleſiaſtica poteſtati, quam laïcæ, nimirum quod non eſt poteſtas niſi à Deo.* Diſput. 4 in 13. Rom.

Audi

Audi etiam & Bartholomæum Medinam, in 1.2. q.96. Art. 4. *Omnis anima, &c. Rom.* 13. *& ſubditi eſtote, &c.* 1. *Pet.* 2. *Certè in his duobus locis adductis Diuus Auguſtinus, & D. Chryſoſtomus, & omnes ferè veteres, interpretantur de poteſtate ciuili, quòd textus planè indicat: ſed eſt aduertendum, quod licet Diuus Paulus tantùm agat in hoc loco de lege ciuili, ratio vero qua parendum ſtatuit communis eſt, & poteſtati Eccleſiaſticæ.* Eccè & *Saſbout*, & *Salmeron*, & *Medina*, cum *Barclaio*, locum hunc ex Patribus, *Auguſtino, Chryſoſtomo*, alijſq; de poteſtate ciuili *tantum*, interpretantur, licet per rationis æquitatem, & analogiam, ad poteſtatem etiam Eccleſiaſticam referri poſſit: Quod etiam expreſſe, diſertiſq; verbis hoc loco Barclaius agnoſcit. *Barth. Medina.*

Ad 5. *Auguſtinus ſeipſum includit in numero eorum, quos Apoſtolus iubet ſubiectos eſſe debere poteſtatibus temporalibus, adeoq; omnes etiam Epiſcopos & Cleritos ſubiectos eſſe.*

Ad hęc ſic Bellarm. *Quod autem Auguſtinus ſeipſum numeret inter eos qui iubentur obedire temporalibus poteſtatibus, non cogit vt inde colligamus, Epiſcopos, & Clericos non eſſe exemptos, à poteſtate ſeculari, &c.* "

Non negat *Bellarminus*, *Auguſtinum* ſeipſum numerare inter eos, qui poteſtatibus temporalibus obedire iubentur; ſi enim negaſſet, ſimul negaſſe oportuit *Auguſtinum*, alioſq; Epiſcopos, & Clericos, anima & corpore conſtare, aut rebus temporalibus ad huius vitæ ſubſidium vti. Et *Auguſtinus* in prima perſona ſeipſum includens ſæpius loquitur. *Cùm enim* conſtemus *anima & corpore, quandiu in hac vita temporali* ſumus, *etiam rebus temporalibus ad ſubſidium degendæ huius vitæ* vtamur; *oportet* nos *ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet ſubditos eſſe poteſtatibus, &c.* Id quod ex ſequentibus manifeſtius patebit: *ex illa vero parte, qua* credimus *Deo & in Regnum eius* vocamur, *non* nos *oportet eſſe ſubditos cuiquam homini idipſum in* nobis *euertere cupienti, &c.* Si inter eos ſit *Auguſtinus* qui credunt, & in regnum Dei vocantur, inter eos etiam *Auguſtinus*, qui conſtant anima & corpore, & Poteſtatibus ſubditi ſunt; idq; non tantùm de facto ſed etiam de jure, ex ſupradictis ſatis apparet; apparebitq; magis, ſi vim huius verbi, *oportet*, conſideremus; *oportet nos ſubditos eſſe poteſtatibus. Oportet* hoc, non coactionis, tunc enim in florentiſſimo Eccleſiæ ſtatu ſub pijſſimis & Orthodoxis Imperatoribus viuebãt Antiſtites, qui poſſeſſiones & priuilegia conferebant Eccleſijs; ſed juris & debiti, vti ſeipſũ in ſequentibus interpretatur. *Tamẽ quoniã dixit, neceſſitati ſubditi eſtote, ne quis nõ integro animo, & pura dilectione ſubditus fieret huiuſmodi poteſtatibus, addit, dicẽs, nõ ſolũ propter irã, ſed etiã propter cõſcientiã. i, nõ ſolũ ad irã euadendã, quod poteſt ſimulate fieri, ſed vt in tua conſcientia certus ſis, illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris iuſſu Domini tui.* Eccè ſimulata tua obedientia & ſubiectio *Auguſtino* non placet: Audi vero quid alibi *Auguſtinus*: *Si iure humano vultis poſſidere villas, recitemus leges Imperato-* *In Ioan. 6. prop.*

ratorum, videamus ſi voluerint, aliquid ab hæreticis poſſideri. Sed quid mihi eſt Imperator? Secundùm ius ipſius poſſides terram; aut tolle iura Imperatorum, & quis audet dicere, mea eſt iſta villa, aut meus eſt ille ſeruus, aut domus hæc mea eſt, &c. Et infrà: *Leguntur enim leges manifeſtæ, vbi præceperunt Imperatores, eos qui præter Eccleſiæ Catholicæ communionem vſurpant ſibi nomen Chriſtianum; nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Eccleſiæ audeant poſſidere. Sed quid nobis & Imperatori. &c? Nolite dicere, quid mihi & Regi: Quid tibi ergo & poſſeſſioni? Per iura Regum poſſidentur poſſeſſiones.*

Leges iſtę contra hæreticos & ſchiſmaticos latæ ſunt: reſponde verò, contra Epiſcopos & Clericos, an contra Laïcos, an contra vtroſq;? Si contra Laïcos ſolos, quare ergo Epiſcopi depoſiti & in exilium deportati, & bonis priuati, & pœna pecuniaria mulctati ſunt ab Imperatoribus? Si contra Epiſcopos & Clericos, ſicut & Laïcos, tum Epiſcopi & Clerici in temporalibus ſubditi erant Imperatoribus; eorum legibus tenebantur, non ſolùm qua rationes, ſed etiam qua leges.

Quin etiam & laudat ſæpius *Auguſtinus* leges Imperatorum, quibus pœnę ciuiles in hæreticos & ſchiſmaticos latę ſunt, quarum ſeueritate multi ad Catholicam vnitatem redire coacti ſunt: *de quorum pœnis luget Eccleſia, vt Dauid de morte Abſolonis, ſed lætatur de pace regni Chriſti. Ille* Epiſt. 48. *(Conſtantius) quippe Imperator primus conſtituit in hac cauſa, vt res conuictorum, & vnitati peruicaciter reſiſtentium fiſco vendicarentur*: & lex iſta ad Epiſcopos Donatiſtas ſicut & laïcos pertingebat; aut fortè licebat Epiſcopis impunè hęreſes & ſchiſmata in Eccleſia diffeminare. *Donatiſtæ,* Epiſt. 50. *qui iam in nobis reprehendunt, quod eos apud Imperatores non debemus accuſare, nec eorum authoritatem contra ipſos adhibere, idipſum primi fecerunt contra Cæcilianum: verùm quod contigit accuſatoribus Danielis, hoc ipſum Donatiſtis contigit; ſicut in illos leones, ſic in iſtos conuerſæ ſunt leges.* Dic verò *Bellarmine*, qui erant iſti Donatiſtæ, qui appellabant Conſtantinum? Annon Epiſcopi? Si Epiſcopi, & in Epiſcopos leges latę ſunt. Donatiſtæ enim iſti Epiſcopi erant: & lex lata eſt nominatim contra Epiſcopos & Clericos: vt *Auguſtinus*; ibidem: Cogunt ergo verba *Auguſtini*, vt colligamus, Epiſcopos & Clericos non eſſe exemptos à poteſtate ſeculari.

27. At, inquit Bellarm. *Omnes homines egent legibus & Magiſtratibus politicis, ſine quibus hæc vita tranquille duci non poteſt. Ipſi etiam Pontifices legibus Imperialibus vtuntur pro curſu rerum temporalium: vti Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem: Omnes etiam obſeruare debent huiuſmodi leges, ſed non omnes vi legum ipſarum, ſed aliqui vi legum, aliqui vi rationis.* Omnes homines egent legibus & Magiſtratibus politicis: omnes homines obſeruare tenentur huiuſmodi leges; ſed non *vi legum*, ſed *vi rationis*. Quid hoc eſt monſtri? Pontifices egent legibus, nec tenentur vi legum,

gum, ſed vi rationis .i. alij omnes tenentur vi legum; Pontifices non tenentur vi legum, ſed vi rationis: 1. Pontifices tenentur legibus ad libitum & voluntatem ſuam, ipſis enim voluntas pro lege. Verè dixit, quicunq; dixit; leges, vt arancarum telæ, minores muſcas, id eſt, laïcos tenent; maiores .i. clericos, non tenent: Si vel vnus antiquorum Patrum ſic locutus fuiſſet, nomen nouatoris effugere poſſet *Bellarminus*. Diſtinctio iſta regulas Vincentianas non fert; noua eſt, non antiqua; particularis eſt, non Catholica, non vniuerſalis; & conſenſu Eccleſiæ deſtituitur.

Quid vero? Annon Imperator & Rex cuſtos eſt vtriuſq; tabu'æ? Nonnè confiſcatio bonorum, exilium, pœna capitalis in Epiſcopos & Sacerdotes hæreticos lata, ad Regem vel Imperatorem ſpectant? Nonnè in his Eccleſia brachium ſeculare inuocat? Si Rex vindex ſit legis diuinæ, ſiue humanæ, in Sacerdotes & Epiſcopos hæreticos; lex ergo regia ligat, non ſolùm vi rationis, ſed ipſa vi legum; non enim ſubduntur huiuſmodi legibus pœniſq; vi rationis, ſed vi legum: non pro libito hæreticorum, ſed pro neceſſitate conſcientiæ, & præcepti ſiue finis. At hæretici Epiſcopi & Sacerdotes deſinunt eſſe Epiſcopi & Sacerdotes. Falſus ergo Magiſter Sententiarum, falſus *Thomas*, tota ſchola falſa, qui Sacerdotem hæreticum, ſchiſmaticum, ſuſpenſum, excommunicatum, degradatum, corpus Domini conficere aſſerunt; quiq; Epiſcopum hæreticum, ſchiſmaticum, ſuſpenſum, excommunicatum, degradatum, ordines conferre docent, quæ duo ſoli Sacerdotes & Epiſcopi peragere poſſunt.

3. q. 82. art. 7. 8. & 9. *In ſupplem.* q. 38 art. 2.

Quod ad leges humanas attinet, quæ (exceptis ſolis pœnis judicialibus, pro tranſgreſſione mandatorum Dei impoſitis) in rebus adiaphoris ſolùm ferri poſſunt; ratio legis à lege non diſtat. Adiaphora enim cenſenda non ſunt, quorum ratio, præſertim naturalis & æterna aſſignari poteſt. Atq; hic conſcientiam *Bellarmini* deſidero: Dic enim ingenuè; an cùm Nicholaus in Epiſtola ad *Michaelem* Imperatorem, ſic loquitur: *& Pontifex pro curſu temporalium tantummodo rerum imperialibus legibus vtitur*; ſic voluit à *Michaele* Imperatore intelligi, vt Pontifices vterentur tantùm legibus in rem ſuam, in lucrum ſuum, eaſdemq; leges obſeruarent, *non vi legum*, ſed *vi rationis*? Aequiuoce & ſimulate loquitur Nicholaus, ſi ſic loquatur: ludit, non docet: Sinonem aut hypocritam agit, non Theologum, qui ſic ex cathedra decernit. Verùm de hac re plura ſuo loco.

Sextum quod *Barclaius* colligit, prorſus tacet *Bellarminus*; adeoq; tanquam verum & conceſſum ſtat; *Obediendum eſt Regi, quando nihil prohibet contra Deum.*

Pergit Barclaius in eodem argumento. *Si Apoſtoli nullam temporalem poteſtatem in priuatos homines regeneratos, & filios Eccleſiæ factos habuerunt,* 28.

runt, successores Apostolorum temporalem in Principes ad Ecclesiam venientes potestatem non habent. Successores enim Apostolorum maiorem potestatem non habent quam Apostoli ipsi habuerunt. Et quid indignius & iniquius dici potest, quam Principes fidem Christi profitentes, duriori iugo pressum iri, quam singulos de multitudine. Priuati verò homines in ditionem Ecclesiæ concedentes, nihil patrimonij aut iuris temporalis amittebant. Vt patet in Anania: Act. 5. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat potestate. Similiter ergo & Principes, vbi Christo nomen dabant, ius suum temporale (Imperium dico, & potestatem politicam) integrum & intactum retinebant.

Ad minorem regerit Bellarm. tria. 1. *Etsi non amittant priuata patrimonia, aut alia iura temporalia, cogi tamen possunt per Ecclesiam, vt Parochos suos alant, & spiritualia seminantibus carnalia ministrent, ad quæ antè fidem susceptam minimè tenebantur.* Quid hoc est, *Ad quæ antè fidem susceptam minimè tenebantur?* Quæ sunt illa? Aut Apostolus 1. Cor. 9. loquitur de decimis, quæ debentur jure diuino (ita ordinauit Dominus) in lege Mosaïca, fortè etiam in lege naturæ: aut loquitur de congrua portione siue sustentatione Sacerdotum, quæ omnium consensu, debetur jure naturæ, & ex circumstantijs loci euidentissimè apparet. *Quandoq; bonus dormitat Homerus:* oblitus est sui Bellarminus, cùm hæc scripsit; solutio decimarum aut congruæ portionis debitum est, reddendum à populo Christiano ex jure diuino & naturali; non impositum ab Apostolis, sed ordinatum à Domino. Potestas ista Apostolorum erat percipiendi siue recipiendi decimas, vel portionem congruam, non cogendi populum per potestatem temporalem, aut censuras ciuiles, vt decimas soluerent.

Dicat vero, quomodo solet Ecclesia Romana Christianos cogere ad decimarum solutionem? Si per censuras Ecclesiasticas, nihil respondet ad propositum, si per censuras ciuiles sine inuocatione brachij secularis, *dic quibus in terris?* Vbi sunt leges illæ? Vbi praxis illarum legum? Fortè apud Ethnicos; apud Christianos non reperiuntur.

2. Est: *potest Confessarius in foro interiori in pœnam variorum criminum cogere pœnitentes, vt eleemosynis redimant peccata sua.*

Potest cogere; vt eleemosynis redimant peccata sua: An hæc potestas est temporalis? Eleemosynæ non solùm sub Concilio cadunt, sed etiam sub præcepto. *Facite amicos de Mammona iniquitatis*: Quod superest, dare eleemosynam: & Matt. 25. In ignem inferni mittuntur, qui Christum in esurientibus non pascunt, in nudis non vestiunt, in infirmis non visitant. At propter Consilia omissa nemo damnatur: & Eleemosynæ. Non tantùm inter opera misericordiæ, sed etiam & justitiæ habentur. *Dispersit, dedit pauperibus, iustitia eius manet in æternum.* Cùm ergo Confessarius opera hæc siue misericordiæ, siue justitiæ imponit, solam adhibet

Luc. 16.

Psalm. 9.

hibet dictam pœnitentis, non pœnam: debita enim hæc sunt, & ab omnibus facultates habentibus præstanda, etiam si nunquam à Confessario iniungantur.

Sed de coactione quæstio est; quomodo cogere potest Confessarius, vt eleemosynis peccata pœnitens redimat, an potestate aliqua temporali, an potiùs mere spirituali, & Ecclesiastica; hoc est ligando, siue peccata retinendo, nisi pœnitens velit opera misericordiæ in pauperes exercere, sicut peccando pauperes spoliare solitus est? Contraria enim contrarijs curantur. *Compelle intrare*, verbi potentia, *compelle intrare* seueritate disciplinæ Ecclesiasticæ. *compelle intrare* gladio materiali, hoc ad Magistratus ciuiles, non ad ministros Ecclesiasticos spectat. *Luc. 14.*

Præterea, si quilibet Sacerdos in foro interiori habet potestatem cogendi ad redimenda peccata per eleemosynarum largitionem, quidni etiam habeat quilibet Sacerdos potestatem temporalem cogendorum Regum (Sacerdotes enim esse solent Confessarij Regum) ad Regna sua in eleemosynarum distributionibus eroganda? sic pares erunt in Regibus priuandis Papa, & Confessarius.

3. Est: *Episcopi in foro exteriori, peccatores pœna pecuniaria mulctare, vel carceribus mancipare possunt: ex Concilio Tridentino: Sess. 25. c. 3.* Noua hæc est & nupera potestas, in Conciliabulo Italico inuenta, quod Ecclesia Gallicana nondum admisit, in quo Italici Episcopi (parochos potiùs dixeris) reliquos totius Occidentis Episcopos numero plusquam centenario vincunt: Cuius authoritati si standum sit, actum est de causa Regum, in quorum iniuriam, præcipuè Regis Christianissimi, congregatum fuit.

At quare verba Concilij huius omisit Bellarminus? Videte Cardinalis fraudem: *Quia Excommunicationis gladius (qui nervus est Ecclesiæ) si temere aut leuibus ex rebus incutiatur, magis contemnitur quàm formidatur, & pernitiem potiùs parit quam salutem, &c. In causis ciuilibus ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscunq; etiam laicos, per mulctas pecuniarias, quæ locis pijs, ibi existentibus, eo ipso quod exactæ fuerint, assignentur, seu per captionem pignorum, personarumq; districtionem* (hoc est Bellarmino carceribus mancipari) In causis ciuilibus licet per mulctas pecuniarias, per carceres castigare. Cur causas ciuiles omisit *Bellarminus*, nisi vt hac fraude Lectori suo persuaderet, licere Episcopis in causis omnibus spiritualibus & criminalibus mulcta pecuniaria, carceribusq; cogere fideles. Ciuilis verò causa quidni pœna ciuili corrigatur: Et certe si Episcopis licitum sit, causas ciuiles tractare, quidni etiam liceat pœnis ciuilibus in ordinem cogere. Quod si Ioanni Cersonio credimus, *Excommunicatio baculus est pure spiritualis; propterea non videretur rationabiliter assumenda, ad protectio-* *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 3.*

De Vita Spirituali Corollario 14. prop. 5.

tectionem rerum temporalium & quasi prophanarum. Miseret me hominis, qui omni antiquitate destitutus, sola nititur authoritate Tridentini Conciliabuli, qua suam tyrannidem in Principes & populum Christianum stabiliat.

Sed videamus connexionem: *Pari*, inquit, *ratione Principes temporales* » *ad Christi familiam veniunt; neq; principatum, neq; iurisdictionem suam* » *amittunt, sed subijciuntur ei, quem Christus super familiam suam constituit,* » *vt ab eo regantur & dirigantur in ea via quæ ducit ad vitam.* Quid hoc ad rem? Nec principatum, nec iurisdictionem suã amittunt, sed subjiciuntur Pontifici, super familiam Christi constituto, vt ab eo regantur & dirigantur. Quid hoc est, *regantur & dirigantur?* Si solum intelligat imperium regitiuum & directiuum, nihil concludit: si coactiuum vsq; ad priuationem & depositionem, vide quomodo cohæreant ista. Principes temporales ad Christi familiam venientes, principatum & iurisdictionem non amittunt: at Pontifex eos regit & dirigit .i. deponit. i. plus potest Pontifex quam Christus; lex Pontificia, quam lex Christi.

Pari (inquit) *ratione*: Imò verò dispari, si tu vera prædicas.

Apostoli habent potestatem & jus percipiendi decimas, siue congruam portionem, jure diuino debitam.

Confessarij possunt pœnitentibus iniungere distributionem Eleemosynarum, hoc est opera charitatis & justiciæ, jure diuino debita.

Episcopi possunt mulcta pecuniaria & carceribus punire in causis ciuilibus, si Tridentinis Patribus, post 1500. annos, fas sit fidem adhibere.

Ergo Pontifex potest Reges deponere in temporalibus, quos regere & dirigere debet in spiritualibus. Reuiuiscat oportet *Aristoteles*, nouamq; fabricet Dialecticam, vt has scopas dissolutas coniungat, & in formam redigat: vix decent hæc Sophistam.

Pergit Barclaius, & tacitę obiectioni respondet.

29. *Apostoli non habuerunt potestatem temporalem in principes seculi, quia nondum erant Christiani: Quid mihi de ijs qui foris sunt iudicare? 1. Cor. 5. At Papa habet hanc potestatem, quia Christiani facti sunt, & filij Ecclesiæ: quia supremus est Princips & caput in terris, & omnium Christianorum pater; & filius patri, non pater filio subijcitur, iuxta naturæ & rationis ordinem rectum.* Ratio hæc (inquit Barclaius) *adeò nihil est, vt mirum sit, locum aliquem ei à viris doctis datum esse: Nam subiectio illa spiritualis, per quam Principes facti sunt filij Papæ, penitus distincta & separata est, à subiectione temporali, ita vt altera alteram non sequatur.* Exemplo rem illustrat.

Præses vel Consul magistratum gerens, ab alio adoptatus, transit in familiam & potestatem patriam Patris adoptiui; nec tamen fasces amittit con-

sula-

ſulares, nec aliud quicquam iure magiſtratus ſibi competens in adoptantem transfert.

Stomachatur hic Bellarm. indignum clamat facinus, quòd *tam facilè de doctorum hominum ſcriptis Barclaius pronuntiat: adeoq; in ipſum retorquet, quod reſponſiones & ſimilitudines adeo nihili ſunt, vt vix credibile ſit, eas authori ſuo ſatisfacere potuiſſe. Similitudo enim illa de filio adoptiuo, qua tota eius reſponſio nititur, nihilomnino facit ad rem.* Imò verò aptiſſima eſt ſimilitudo: Imperator pater eſt Papæ in temporalibus, ſicut & Papa pater eſt Imperatoris in ſpiritualibus: ſic olim *delira illa anus, gloſſa antiqua, quam habet Cardinalis* (ſicut tu) *Cuſanus.* Et qualis pater eſt Pontifex? Naturalis, an adoptiuus? Si Deus pater noſter ſit adoptione, ſicut pater eſt Chriſti natura, an indignum videtur Pontifice tuo, vt ſit pater Imperatoris & Regis adoptione, qui natura pater eſſe non debet (iuxta decreta veſtra) Imperatoris aut Regis, niſi fortè nothos & ſpurios ſuos velit ad Imperia & Regna, ſicut ad Ducatus, aliaſque dignitates inferiores, prouehere. Aut ergò Pontifex Pater eſt Imperatoris adoptiuus, aut Pater non eſt. At fortè non placet nomen Patris & Filij: Olim vſq; ad tempora Gregorij magni, Imperatores à Pontificibus *Domini* vocabantur: tunc humiles erant Pontifices; poſtea Imperatores & reges à Pontificibus *Filij* dicebantur: nec dum omnes modeſtiæ limites tranſierant; tandem Pontifices patrimonio Petri inflati, Imperatores & Reges, non Dominos, non filios; ſed *homines* & *Ligios ſuos*; à quibus non tantùm fidelitatem, ſed & homagium expectabant, appellabant. Noſti typhum illum ſuperbiæ Innocentium 4. noſti cuius ſit vox illa de Rege noſtro. *Nonne Rex Angliæ Vaſſallus noſter eſt, &, vt plus dicam, mancipium?* Non placet ſimilitudo *Barclaij*; Reges non Domini; non Filij, ſed ſerui, ſed mancipia, ſed vaſſalli Pontificis.

De Concord. Catholi. lib. 3. cap. 3.

Matt. Pariſ. in Henrico 3. 1253.

At, inquit, *inquia eſt comparatio; poteſtas Conſulis & patris diſtincta ſunt & ſeparata: & poteſtas patris inferior poteſtate Conſulis vel Præſidis; & Præſes vel Conſul poteſt patrem corrigere, & poteſtate patria priuare: at pater naturalis vel adoptiuus non poteſt Conſulem aut Principem poteſtate ſua abutentem, pro Imperio corrigere, multo minus poteſtate ſua priuare.*

Poteſtatem patris inferiorem eſſe poteſtate Conſulis, nemo negat; & ſic poteſtas Regia, quoad ea quæ ſunt huius vitæ, ſuperior eſt poteſtate Pontificia: poteſt tamen pater pro jure ſuo, corrigere filium ſuum Conſulem, vel Imperatorem, & pœnis ſuis i. priuatis, vtpotè exhæredatione & ſimilibus punire: ſic à Pater & filio Conſule pœnis ciuilibus & publicis corrigi poteſt. Imperator à Pontifice cenſuris Eccleſiaſticis, vt *Barclaius*, ſicut Pontifex ab Imperatore pœnis ciuilibus caſti-

castigari potest. Comparatio ergò Barclaij æquissima est. Potestates hæ duæ, spiritualis & temporalis, non se habent vt inferior & superior, sed vt duæ parallelæ, siue duæ lineæ æquales, duo capita, duo latera; nec caput est sub capite, nec sub latere latus: nec ad rem facit, quod potestas Pontificis spiritualis sit, & supernaturalis, potestas verò Regis terrena sit & temporalis: *Nam potestas temporalis in ordine suo suprema est, nec superiorem habet.* Sit ergo potestas spiritualis sublimior, sit maior potestate temporali respectu obiecti, vti vobis placet; non tamen ex eo sequitur, posse potestatem spiritualem censuris temporalibus, & non suis .i. depositione & priuatione Imperij Reges castigare: quia Consul, siue Præses, siue Rex, non amittunt fasces, nec regna, nec dominia sua, quando à Patre adoptiuo in familiam *Christi* admittuntur: nec est hæc manifesta & puerilis hallucinatio in *Barclaio*, sed putidum & senile commentum in *Bellarmino*, qui aliam in Pontifice, quam adoptiuam paternitatem somniat.

Lorinus in Psal. 50.

Pergit Barclaius; *Florente plurimùm Repub. Christiana, &c. nulla de hoc principatu & iurisdictione temporali in Principes seculares, non dicam, expressa & manifesta declaratio, sed ne leuissima quidem mentio inter Ecclesiasticos facta est: quam licet de facto non exercuissent, non tacuissent tamen, qui Ecclesiæ causa nihil nõ contempserunt. Incredibile est, vt hanc officij pastoralis partem (in qua maximum fidei præsidium collocarunt successores) aduersus Imperatores hæreticos tacerent, nec scripto aut verbo vnquam significarent.*

Ad hæc quid *Bellarminus*? Respondet, sed non ad idem: Vrget *Barclaius* neminem antiquorum, sanctissimorũ, zeloq; Ecclesiæ gubernandæ & propagandæ flagrantium, sic scripto, vel verbo siue traditione docuisse, Pontificem scilicet Imperatore superiorem esse jure diuino, in temporalibus, eumq; deponere posse. Respondet *Bellarminus*, de facto, non de doctrina: *rationem assignat cur nemo per antiquos Pontifices depositus est.* Sed cur antiqui Pontifices Patresque, sedi Romanæ paulo addictiores quam par erat, hanc veritatem, hunc præcipuum fidei articulum tacuerint, nullam rationem assignat, nec assignare potest, si maxime vellet.

Cur enim hanc potestatem temporalem *Christi, Petri*, & Pontificum, timore mortis tacerent, qui morte ipsa à professione fidei Christianæ terreri non poterant? An credibile est, omnes illos contemptores persecutionum, tormentorum, vulnerum, mortisq; exquisitissimæ victores gloriosissimos, veritatem hanc, articulumq; fidei, summum, præcipuumq; Christianæ veritatis præsidium, Ecclesiæ, Ecclesiasticæq; Hierarchiæ propugnaculum fortissimum silentio præterire potuisse: sic vt nec palam coram inimicis, nec clam apud discipulos, tanquam depositum posteritati commendarent?

Quid

Quid verò? An tutum eſt nouos, poſt ſexcentos aut mille annos, fidei articulos admittere, quorum nec expreſſam & manifeſtam declarationem, nec leviſſimam quidem mentionem fecerunt Patres Primitivæ Eccleſiæ? Quin ergo liceat novos quotidie articulos cudere, nouam fidem ſcribere: quidni fides augeatur ſubſtantiâ, & membrorum numero, ſicut augetur declaratione & membrorum magnitudine; & noue & noua dicere liceat?

Sed Bellarminum ſequamur. *In veteri Teſtamento ſecula multa tranſierunt, antequam Pontifex Ioiada Reginam Athaliam depoſuit, & interfecit, Ioamq; Regem ſubſtituit, 4. Reg. 11.* 30.

Quid ex hoc facto (nec enim hoc loco doctrina vlla deducitur) conſequatur, ſuo loco videbimus: Interim in hoc exemplo multa ſunt errata. Primùm enim ſtatim poſt mortem *Ochozia* patris *Ioæ*, & fratrum ab *Athaliâ* interemptorum, ipſo iure, *Ioas Rex fuit*: quem ſubſtituere non poterat *Ioiada*, quia ipſo facto, morte patris & fratrum, regnum iure ſucceſſionis ad *Ioam* deuolutum eſt. Ideo Ioiada: *Ecce Filius Regis regnabit, ſicut locutus eſt Dominus ſuper filios Dauid.* 2. Paralip. 23. 3. Et Ioſephus, *Ecce Rex veſter.* cap. 40. *Antiq. l. 9. c. 7.*

2. *Ioiada* Pontifex *non ſolus*, ſed & Levitæ de cunctis vrbibus Iuda, & Principes familiarum Iſrael venerunt Hieruſalem; hoc eſt Parliamentum & ſtatus totius Regni, & clerus & populus per Principes ſuos. Et hi omnes *Ioam* Regem acceperunt, & impoſuerunt ei diadema; & *Ioiada* Pontifex vnxit illum, cum apprecationibus, Vivat Rex.

3. *Ioiada* Pontifex, & Principes *non ſuâ*, ſed veri & coronati Regis Ioæ *authoritate*, tanquam miniſtri & officiarij Regis regnique, *Athaliam*, non Reginam, ſed tyrannam, homicidam (quæ filios Regis *Ochozia* omnes occiderat,) regnique alieni invaſorem interfici iuſſerunt. In his primas partes agit Pontifex; vtpote *Avunculus Regis* (quam vxor *Ioiadæ*, ſoror *Ochozia* abſconderat:) ſed non ſolus, ſed ex conſenſu Principum, Centurionum & militum: nec hoc tentauit *Ioiada*, antequam *Ioam* Regem cum conſenſu Principum & Exercitus & populi inauguraverat.

4. *Ioiada* iſte Pontifex, qui in hoc loco præcipit pro Rege vero, non ſuâ, ſed authoritate Regiâ, contra parricidam, regnique invaſorem *Athaliam*; *idem dicto obediens* fuit *Ioæ* Regi, etiam in re Eccleſiaſticâ, & ab eodem Rege reprehenditur. 4. Reg. 11. 7. 2. Paralip. 24. 6. Tantum aberat à depoſitione Regis veri & legitimi, vt eidem in rebus ſpiritualibus obedientiam præſtiterit.

Et quid eſt in hoc toto facto *Ioiadæ*, quod cauſæ Pontificiæ faueat? Novum eſt hoc factum, at nova doctrina nulla, ſi veſtris authoribus credimus, quorum plurimi conſpirantiſſimè aſſerunt, licitum eſſe, tyrannum, invaſorem regni, nulloque iuſto titulo regnantem deijcere, de quâ re ego non diſputo: hoc certum eſt, & de lege divinâ & naturali deducitur, licitum

licitum esse Regi vero, & legitimo iure regnanti, eiusque ministris & subditis, tyrannum Regni inuasorem, vi & armis ejicere, sicut *Ioas Athaliam* deturbavit & occidit. Etsi ergo factum novum sit, non tamen doctrina nova est, vtpote quæ ex principijs iuris diuini & naturalis deducitur.

31. At, inquit Bellarminus: *Iehu vnctus à prophetâ Domini, iussu Domini,* « *Ioram Regem, cui fidelitatem iurauerat, interfecit; & à Domino & laudatur & remuneratur.* Esto; benè res se habet: solebant tunc temporis subditi cum Iehu fidelitatem iurare Regibus suis, à quo iuramento summus Sacerdos eos non absolvit, sed solus Deus, per immediatam & Propheticam revelationem, non per authoritatem aliquam ordinariam: si ergò *omnia illis contingebant in figura*; non licet Pontificibus Evangelicis, à iuramento fidelitatis subditos solvere; sed expectandus est Propheta aliquis, qui per immediatam revelationem, miraculis comprobatam, Dei vices in iuramentis relaxandis peragat. Incommodè de *Iehu* iurato, & Prophetâ huiusmodi iuramenta relaxante, mentionem fecit *Bellarminus*, hoc vnum exemplum iugulum causę petit.

4. Reg. 4. 10.

32. *At*, inquit, *Ecclesia itidem spiritu Dei regitur*: Quid vero? An ita certa est Ecclesia de regimine Spiritus in depositione Regum, vti certus fuit Propheta ille missus ab *Heliseo*, de vnctione *Iehu*? Quin ergò statim cadant regnis suis *Henricus 4. Fredericus 2. Ludovicus Bavarus, Elizabetha Angla*, alijq; complures, qui multos feliceśque annos, post incinerationem superborum illorum Pontificum, à quibus depositi sunt, viderunt. Ex quibus exemplis, luce meridianâ clarius est, non esse ligata illa in cœlis, quæ ab istis typhis superbiæ, sine modo, sine iure ligata sunt in terra. Vbi autem aderat Spiritus Dei prædicens, vt in Prophetâ isto, ibi aderat digitus Dei, perficiens in *Ioram*, quod à spiritu propheticò præmonstratũ est: Quicquid sic ligatũ est in terris, & in cœlis ligatum constat.

Sed sapit Ecclesia; non semper exerit potestatem suam, sed pro loco & tempore; vt à spiritu *Christi* admonetur & ducitur: dixisset Antichristi; Spiritus enim *Christi* nihil tale attentauit: à regnò fugit *Christus*; regna mundi oblata noluit, hæreditatem diuidere noluit; *Cæsari* subesse, & tributa præstare voluit, quia regnum eius non erat de hoc mundo: *hic sed non hinc*, vti August. Spiritus Antichristi pro regno mundano Coniugem, sponsam Christi; penates, Deum ipsum; liberos, populum Christianum flammis infernalibus dare consuevit.

In Ioan. Tract. 115.

» Cum Reges Christiani pij sunt, vt *Lucius* in Anglia, in Scotia *Donaldus*, vt Constantinus, &c. non est causa huius potestatis exercendæ, benevolentiam debet captare Ecclesia: cum Reges Christiani impij sunt, blasphemi, hæretici, vt *Constantius, Julianus*, &c. quia potentissimi sunt, plus prodest patientia, quam scientia.

» Cum Reges hæretici sunt & persecutores, vti tempore *Gregorii 2. Leo Isauricus*,

Isauricus, & populi Italici prompti ad jugum eius excutiendum (id eſt ſeditioſi) tum annuit Pontifex & poteſtatem ſuam exerit : priuat vectigalibus Italicis ; ſic *Zacharias* de *Childerico* deponendo & *Pipino* ſubſtituendo cogitat, cum populus & proceres id expeterent. Acſi diceret, (quod noſtratibus in proverbio eſt) *Vbi ſepimenta depreſſa ſunt, ibi facilè tranſit beſtia* Babylonica. Sed benè eſt ; ex ore tuo de Pontifice tuo iudico, Pontifex Romanus tuba eſt perduellionis, buccina ſeditionis, fax rebellionis : cum proceres & populus rebus nouis ſtudent, ad arma clamant, Pontifex claſſicum canit : In his verbis *Machiauellum* aliquem, impium politicum audio ; Theologum non audio. Quid enim ? Annon ea quæ ex officio paſtorali peragenda ſunt, æqualiter erga omnes, magnos & puſillos, potentes & infirmos exercenda ſunt ? *Sic iudicabis magnum, ſicut paruum* ; ſic Deus : Magnum non iudico, non depono *Conſtantium*, *Iulianum*, *Totilam* ; paruum judico, *Leonem Iſauricum*, *Childericum* depono : ſic *Bellarminus*. Bis ad limam, potius quam ſemel ad linguam : hâc trutinâ non ſolet *Bellarminus* dicta ſua ponderare. Si depoſitio Regum ſit opus juſtitiæ, æqualiter erga potentes & infirmos Reges exercenda eſt ; & injuſtus ille Pontifex, quiſquis tandem fuerit, vel *Petrus* ipſe, ſi potenti parcat, impotenti iuſtitiam miniſtret. Et poteſt quilibet Pontifex contrà potentiſſimum quemque tyrannum ſententiam depoſitionis ferre, quod ſuum eſt, & in ſe, etſi eandem executioni mandare non poſſit, quod ſuum non eſt, nec in ſe, ſed ad populũ ſpectat. *Deut. 1. 17*

Audite vero Pontifices, cenſuram Cardinalis & Anteſignani veſtri Bellarm. *Neq; enim prudens conſilium fuiſſet Pontificis, ſi inuito populo & proceribus, Regẽ illorum quamvis ineptum & ignaũ exauthorare tentâſſet.* Non eſt prudens ; ſtultum ergo conſilium *Gregorij 7.* qui *Henricum 4.* invito populo & proceribus exauthoravit. Stultum conſilium *Innocentij 4.* doctiſſimi Iuriſconſulti, qui cum *ſtupore & horrore omnium Fredericum depoſuit* : Stultum conſilium *Ioannis 22.* qui *Ludovicum Bavarum* contra voluntatem procerum & plebis regno priuauit. Stultum conſilium & à Domino infatuatum, *Pij 5.* qui ſanctiſſimam *Elizabetham*, ad votum paucorum fugitivorum & perduellionum, invito populo & proceribus priuare tentauit. An prudens conſilium *Pauli 5.* qui Venetos excommunicauit ? Sed parcamus labili memoriæ Cardinalis noſtri, qui in proximâ paginâ ſapere Eccleſiam dixit ; hic multos Pontifices delipere obliquè aſſerit. Patienter poſthæc convicia & contumelias eius perferemus, qui eorum conſilia, quorum cauſam agit, ſtultitiæ arguit.

Magni facit Barclaius (inquit Bellarminus) *ſilentium 700. annorum.* 330.

Et quid ni faciat in articulo fidei Catholicæ, qui ſemper & vbique & ſingulis ætatibus, conſenſionis argumenta & teſtimonia proferre debet. Suſpecti eſſe debent omnibus Chriſtianis nouitatis, illi articuli fidei, qui poſt 700. annos ê tenebris emerſerunt. Et Patres Orthodoxi veritatẽ fidei

contra

contra hæreticos ex ſcripturis & teſtimonijs Patrum, id eſt, ſenſu & traditione Eccleſiæ comprobare ſolent.

„ *Et Pontifices & Scriptores Eccleſiæ prioris temporis, vt non affirmant,*
„ *ſic nec negant temporalem aliquam poteſtatem diſponendi de temporalibus,*
„ *in ordine ſaltem ad ſpiritualia.*

Nec affirmant, nec negant. Eo ipſo quia, te authore, non affirmant, ideo negant: ſilentium enim & pudor, ſiue timor veritatis in articulo fidei in talibus doctoribus, qui omnia pro tuendâ veritate fidei Chriſtianæ perpeſſi ſunt, pluſquam negatio eſt: nec negant expreſſe, quia nihil tale in controuerſiam eorum temporibus vocatum eſt; ſed ex conſequenti negant, vt qui arma Eccleſię preces & lachrymas, qui ferenda omnia, qui obediendum Ethnicis Magiſtratibus, qui tyrannos iudicio diuino relinquendos, qui Deum ſolum Iudicem & caſtigatorem Regum, qui Reges non poſſe ab vllo homine iudicari aut puniri docent: hi Reges à Sacerdotibus, vel populis priuandos vel deponendos negant. Videte verò fraudem Bell. cum de poteſtate depoſitionis Regum agitur, *non negant* (inquit) *in ſede Apoſtolicâ aliquam diſponendi de temporalibus poteſtatem*: Non enim hic inſtituitur quæſtio, de aliqua poteſtate diſponendi de temporalibus; Apoſtoli diſponebant de pecuniâ, quæ ad eorum pedes poſita erat: Act. 4. & tamen de coronis aut regnis diſpoſuiſſe Apoſtolos, probabit nunquam Cardinalis. An hoc eſt diſputare ad idem?

„ *Nonne nos maioris facimus verba & exempla annorum 900. in quibus*
„ *Pontifices & Scriptores poſterioris temporis diſertè pronunciant eam pote-*
„ *ſtatem Eccleſiæ non deeſſe.*

Italos ſub Gregorio 2. *redarguit & perſtringit Germanus*, quod ab Imperatore Leone Iſaurico, ſeceſſionem feciſſent. Quid de Zachariâ & Childerico collegerit Gregorius ſeptimus ſcimus; nec magni facimus Pontificem teſtem Iudicemque in cauſâ ſuâ. Theologum ego Zachariam potiùs quàm Iudicem ſuo loco demonſtrabo. Hæc duo Gregorij 2. & Zachariæ facta ſi demas, ſuperſunt ex 900. illis tantum 600. anni, & rari admodum tunc ſcriptores erant: ſi *Gregorium* ſeptimum authorem ſchiſmatis, & *Stephanum Albeſtatenſem*, mendaciorum officinam & hæreticum tollas, vix vnum aut alterum proferre potuit vel Bellarminus ipſe, per quingentos ex his 900. annis, huius poteſtatis temporalis patronum ante Thomam Aquinatem, qui tantùm abeſt ab hoc articulo fidei, vt ſolùm conſtitutionem, ſiue ſententiam Eccleſiæ, tanquam legem aliquam iudicialem faciat: reliqui vero poſteriores Scriptores Theologi & Canoniſtæ, tantopere etiam hodie de hâc poteſtate directâ & indirectâ digladiantur, vt tutius ſit nauem ventorum & maris tempeſtatibus, quam animam talibus ſcholarum conflictationibus & Anathematis committere. Et tamen articulus fidei hic eſt præcipuus, de quo inter authores ipſos nondum conuenit, quique à multis doctrinâ, ſanctitate, forſan & numero æqualibus cer-

Baron. Annal. Tom. 9. Ann. 730.

Cap. 42.

tè

tè multò humilioribus, prorsus explodi tur.

At inquit Bellarminus: *Ecclesia eadem est, aduersus hanc portæ Inferi non prævalebunt; non desunt homines doctrinâ & sanctitate illustres, non rectè sentit de Ecclesiâ, qui nihil admittit, nisi quod expressè in veteri Ecclesiâ scriptum, aut factum esse legit: quasi Ecclesia temporis posterioris aut desierit esse Ecclesia, aut facultatem non habeat explicandi & declarandi, constituendi etiam & iubendi, quæ ad fidem & mores Christianos pertinent.* Quorsum vero illa? vt omnia pendere videantur ex iudicio præsentis Ecclesiæ, vt omnia Antiquitatis dogmata tanquam nasum cereum in sensum suum detorqueat: vt Bellarm. qui nunc in controuersijs dominatur, novos posthmosque articulos fidei, nova symbola, novos & inauditos Scripturarum sensus protrudat, Erimus & nos aliquando Patres; hoc parum est: iam sumus Patres; fidem fide nostrâ suscipite; quid opus est tam longo tam laborioso itinere? Quid quæritis antiquam Ecclesiam? Eccè præsens eadem est; aduersus quam portæ inferi, hæreses & schismata non prævalent. Quid quæritis antiquos Patres; eccè & hic novi, iuniores Patres, doctrinâ, sanctitate pares: pro antiquâ Ecclesiâ, eccè nova schola; pro antiquis dogmatibus; eccè novæ & innumeræ distinctiones. 34.

Ego vero talem Ecclesiam, tales Patres, talem fidem tibi non invideo; per me vtare licet: ad antiquam Ecclesiam, antiquam fidem cum *Vincentio* provoco. Fidem hanc de potestate hac temporali novam; quia antiquitate caret, privatam quia Romanis mœnibus concluditur; incertam, quia consensione non solùm antiquorum & totiùs orbis, sed & optimorum in Europâ scholasticorum destituitur, post mille sexcentos annos, cum presenti Ecclesiâ quæ hunc articulum non recipit, non recipio. Malè verò sentit de Ecclesia, qui potest mille annos inter articulos symboli & fidei quicquam admittit, cuius in veteri Ecclesiâ, non dicam, expressa & manifesta declaratio, sed ne leviſſima quidem mentio facta est.

Pergit Barclaius: *Nemo inter Patres extitit, qui se Imperatoribus iure diuino superiorem in temporalibus, vel scripto vel verbo vnquam significauit; vt quisq; doctrina & sanctitate magis excelluit, ita Imperatorem submissius obseruans, eius subditum & seruum se esse professus est. Beatus Gregorius Magnus multorum instar sit, qui in quadam ad Mauritium Imperatorem Epistola: Ego (inquit) indignus pietatis vestræ famulus; & infra.* 35. Lib. 2. Epist. 61. Indict. 11.

Ad hoc enim potestas super omnes homines Dominorum meorum (vt Augustam simul comprehenderet, cum qua Imperium in dotem accepit) pietati cœlitùs data est. Super omnes homines; super Papam ergo, si homo sit.

Ad hæc respondit Bellar. *Sanctis Gregorius non solius Imperatoris, sed omnium fidelium seruum se nominat: titulus Epistolarum est; Gregorius seruus*

ſeruus ſeruorum Dei; & omnes Laïcos Dominos vocare ſolitum teſtatur
In vita Gregor. *Ioannes Diaconus lib.4.c.58.*

Et verè ſe ſervum omnium Chriſtianorum, Gregorius ab Apoſtolo gentium edoctus dixit; Nam & Pontifices & Reges, etſi præſint populis, inſervire tamen eorum vtilitati debent: & Chriſtus Dominus omniũ *non venit miniſtrari, ſed miniſtare.* Sed an Gregorius ſic ſe ſervum Imperatoris, ſicut aliorum omnium Chriſtianorum dicat, id verò in quæſtionem venit. Servus eſt omnium, quia etſi præſit, eorum tamen ſaluti inſeruire debet. Servus eſt Imperatoris, non ſolùm, quia in ſpiritualibus ſaluti Imperatoris inſervit, ſed etiam quia in temporalibus, nec non in nonnullis ſpiritualibus, quæ ad exteriorem Eccleſiæ gubernationem ſpectabant, iuſſioni Imperatoris ſubiectus erat.

Ego quidem iuſſioni ſubiectus eandem legem per diuerſas terrarum partes tranſmitti feci. Eccè non ſolùm inſervit ſaluti, ſed etiam iuſſioni Imperatoris. An verò ſervus eſt omnium Gregorius, vt omnium iuſſioni inſeruiat, ſicut Imperatoris iuſſioni ſubditus? In hâc Epiſtolâ *quindecies* Imperatorem & Auguſtam *Dominos* appellat; *ter ſe ſeruum, & ſeruum vltimum, ſeruum veſtrum & ſuum*, i. *Chriſti, bis famulum* Imperatoris nominat: adverte verò quo ſenſu ſe ſervum dicat: *Ego indignus Pietatis veſtræ famulus, in hâc ſuggeſtione, neque vt Epiſcopus, neque vt ſeruus iure Reipublicæ, ſed iure priuato loquar.* Gregorius ergò ſervus Imperatoris iure Reipublicæ, non ex officio paſtorali, quo omnibus inſeruit. Quam â verò cum humilitate legem Imperatoris de non admittendis in monaſteria militibus ante exactam militiam reprehendat, vide. *Ego verò hæc Dominis meis loquens, quid ſum niſi pulvis & vermis?* Sed vltima verba rem omnem expediunt: *Vtrobiq; ergo quæ debui exolui: qui & Imperatori obedientiam præſtiti, & pro Deo quod ſenſi minimè tacui.* Quæ debui; non eſt hæc obedientia voluntaria ex humilitate, non coacta ex perſecutione, ſed neceſſaria ex debito, Vtrobiq; quę debui exolui, pro Deo debuit vera dicere; Imperatori debuit in lege tranſmittenda obedire. *Vtrobiq; quæ debui exolui*, ex eodem debito obedientiam & Imperatori, & Deo præbuit. Si neget Bellarminus hanc obedientiam Imperatori præſtitam, debitam eſſe, proximum eſt, vt pro Deo vera dicere Pontificem, indebitum eſſe affirmet: æqualiter enim de vtroque dicit Gregorius; vtrobiq́ue quæ debui exolui: Et debiti omiſsio peccatum eſt: vnde Dominus docuit orare: dimitte nobis debita noſtra, ſiue omiſsionis, ſiue commiſsionis.

Ludit ergo Bellarm. in nomine ſervi, Gregorius enim ſe non ſolum ſervum, ſed & famulum, & inſsioni Imperatoris ſubiectum, & eidem obedientiam ex debito præbere ſe profitetur.

2. *Poteſtas data eſt Imperatori cœlitùs* (inquit Bellarminus) *non quod Imperatori poteſtas ſit immediate à Deo, vt poteſtas Moſis & Petri & Pauli: ſed mediante conſenſu hominum, vt poteſtas Regum, Conſulum, Tribunorum*

norum: Nam Principatus & Dominia sunt de iure humano, non de iure divino; vt Thomas 2.2.q.10 Art.10.& 12. Art.2.

Tibi Deus Imperium, nobis ea quæ sunt Ecclesiæ Christus commisit; sic Hosius Constantio apud Athanasium. *In Epistola ad solitariam vitam agentes.*

Quis commisit? Christus, non Papa inungens, non populus acclamans, Vivat Rex. Et commisit de iure, non solùm permisit de facto: sic Gregorius. *Potestas super omnes homines Dominorum meorum pietati cœlitùs data est*: Si potestas hæc de facto esset, non de iure, dixisset Gregorius, cœlitùs permissa est, at data est de terrâ: verùm vt potestatem hanc à Deo originem traxisse scias, cælitùs inquit data est: *Sceptrum Imperij cum à Deo susceperis, cogitato quibusnam modis placebis, qui id tibi dedit: sic Agapetus ad Iustinianum Cæsarem.* *In Paranes. num.6.*

Nec hoc audet negare Bellarminus, sed distinctionem adhibet, (vt Religio Romana tota distinctionibus, id est, subtilitatibus constat) *non est immediatè à Deo, sed mediante populo sine hominum consensu: vndè Apostolus; Non est potestas nisi à Deo.* Apagè verò cum istis distinctionum subtilitatibus, quæ nihil ad rem faciunt; siue enim potestas à Deo sit immediatè, siue mediante consensu hominum, cœlitùs data est potestas ipsa. Nota est distinctio Patrum in illa verba Apostoli; Non est potestas nisi à Deo: Omnis Principatus est à Deo, sed non omnis Princeps: Si dixisset Bellarminus, mali Principes sunt à Deo permittente, non à Deo approbante, ipsi regnârunt, & non per me; aliquid dixisset, sed nihil ad propositum.

Cùm verò in omni principatu tria sint, *Principatus* siue potestas ipsa, & *forma Principatus*, siue *species regiminis*, siue sit Monarchia, siue Aristocratia, siue Democratia, siue mixta, & principans siue Princeps ipse. Etsi de duobus postremis fortè dici potest, quod & forma regiminis, & Princeps siue principans sint mediatè à Deo, per consensum hominum; de potestate tamẽ ipsa siue principatu, dici nõ debet, quod sit mediatè per consensum hominum à Deo; quia immediatè Deus, & lege naturali, & Mosaica, Imperia & Regna, quæ in præcepto de honorandis parentibus, vtpotè quæ in patriâ potestate, ortum habent, instituit. Et licet species regiminis, & persona principans, mediatè à Deo per consensum hominum, siue per leges humanas procedant, non est tamen in potestate hominis cuiusquam, aut hominum, ista mutare aut tollere, sine summa iniuriâ Principum, & maximo perduellionis peccato eorum, qui novandis rebus student. Non est verò silentio prætereundum, quod Mosen, Sanctos Petrum & Paulum tanquam exempla potestatis immediatè à Deo deriuatæ ponit, Reges verò omnes mediante consensu populi à Deo deducat, Quid enim? Annõ Moses potestate Regiâ & ciuili præditus erat? Nõ ergo omnes Reges mediante consensu hominum à Deo sunt: sed aliqui immediatè, vt Saul, David, Iehu, & alij nonnulli. Sed latet in his verbis aliquid; 1. 2. 3.

illud

illud voluit Bellarminus, poteſtatem Pontificis eſſe immediatè à Deo; Regis verò non immediate, ſed mediante populi conſenſu. Quid verò? An non eligitur Pontifex veſter per ſuffragia Cardinalium? Olim verò per Clerum & populum, & ab Imperatore confirmabatur? ſicut Imperator & Reges electiui per ſuffragia eligentium. Reges verò illi qui ſucceſſione hæreditariâ ad regna prouehuntur, multò magis immediate à Deo ſunt, quam Pontifices veſtri; quos nullus hominum conſenſus, ſed ordo generationis qui à Deo ſolo dirigitur, Reges creat. Aut ergo Pontifex non eſt immediate à Deo, aut Imperator & Reges electiui itidem à Deo immediate ſunt; quia eadem in vtriſque electionis forma; Reges verè hæreditarij magis à Deo immediatè ſunt, quam Pontifices; quia plus poteſt conſenſus hominum in electione quam in generatione.

Cap. 21. De ſententiâ Thomæ plura dicturi ſumus ſuo loco; interim illud obſeruetur: Thomam per jus humanum intelligere jus gentium ſiue naturę, quod idem eſt cum jure morali, hoc eſt diuino.

Illud verò malè habet Cardinalem, quod Gregorius dicat; *Ad hoc poteſtas Dominorum meorum pietati cœlitus data eſt*: ex quibus infert Barclaius, ſuper omnes homines; ergò ſuper Papam, ſi homo eſt: omnem enim hic mouet lapidem, ne Gregorius Pontifex ſubditus ſit Mauritio Imperatori; ſed fruſtrà. *Ego* inquit Gregorius, *inſtioni ſubiectus & ſeruus iure Reipub.* Ergo Pontifex ipſe ſubditus erat Mauritio: Et de alijs Sacerdotibus, *Sacerdotes meos tuæ manui commiſi*: ſic Chriſtus, in hâc eadem Epiſtola: An & Chriſtus, ipſe, ſicut Gregorius, præ timore *Mauritij* perſecutoris & hæretici (ſi Bellarm. credimus) de facto Sacerdotes ſuos Mauritio commiſit, non de iure? An Chriſtus ipſe, ſicut Gregorius, hypocritam agit, præ timore blanditur *Mauritio*, & humilitatis cauſâ mentitur? Et in Epiſt. 64. ad Theodorum medicum. *Valdè mihi durum videtur, vt ab eius ſeruitio milites ſuos prohibeat, qui ei & omnia tribut, & dominari eum non ſolum militibus, ſed etiam Sacerdotibus conceſſit.*

Neq; verò opus erat, vt contrà huiuſmodi mendacium humile citaret Barclaius Auguſtinum: *Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod euitaueras*: ſatis ſeuerè ſeipſum Gregorius in hâc ipsâ Epiſtolâ iudicat; ſic enim orditur Epiſtolam. *Omnipotenti Deo reus eſt, qui ſereniſſimis Dominis in omni quod agit, & loquitur, purus non eſt*: Aut ergò impurus Gregorius in hâc Epiſtolâ, aut verus. Miſera cauſa quæ defendi non poteſt, niſi Patres impuri ſint, & falſitatis & hypocriſeos rei peragantur: Si impurus eſt Gregorius, æqui vocator in cauſâ fidei, hypocrita, adulator, blanditor Imperatoris habetor: ſi verus, Pontifex & Sacerdotes de jure ſubditi ſunt Mauritio, non ſolum de facto; quod negat Bellarminus.

Serm. 26. de verbo Apoſtoli.

At inquit Bellarminus; ſuper omnes homines; id eſt Imperio Romano ſubditos; alias ſuper Antipodes, Garamantas, Indos, Perſas, & Scythas, Germanos, Francos, Hiſpanos, alioſq; innumerabiles. Accipio

Accipio interpretationem, modò super omnes Sacerdotes, qui & homines, Romano Imperio subditos, agnoscat Bellarminus potestatem cœlitus datam Mauritio; idq; à Christo, sicut ex animo loquitur Gregorius; aliàs impurus est; nemo enim putat verba, super omnes homines, ad alios quam ad subditos Romani Imperij referri debere: & tamen aptè & ex sensu Gregorij ad Sacerdotes Romano Imperio subditos referri etiam debent.

At obedientia Mauritio exhibita, coacta fuit de facto, non de iure; id quod patet ex eodem Gregorio; in Psalm. 101. vbi de Mauritio Imperatore hæc verba scribit: In tantum autem sua temeritatem extendit vesanie, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Domina gentium terrena iura potestatis vsurpet. Hæc Bellarminus. 37.

Obedientiam Gregorij, non coactam esse de facto, sed de iure, docet ipse Gregorius, qui *seruus iure Reipub. Mauritio, cui Christus sacerdotes suos commisit*; qui *eius iussioni subiectus*; qui *quod debuit exoluit*: cuius verba si altiùs consideret Lector, videbit Gregorium distinguere inter Dominum meum, & Dominum omnium. *Ego indignus pietatis vestræ famulus, in hâc suggestione non vt Episcopus, neque vt seruus iure Reipub. sed iure priuato loquor; quia, serenissime Domine, ex illo tempore Dominus meus fuisti, quandò adhuc Dominus omnium non erat.*

Extat explicatio in 7. *Psalmos pœnitentiales* sub nomine Gregorij; sed an Gregorius author sit huius explicationis non facilè constat: Primus quod sciam *Trithemius*, qui inter opera Gregorij hanc explicationem retulit. Nam *Beda, Isidorus Hispalensis, Honorius, Anastasius Bibliothecarius, Sigebertus, Antoninus, Platina, Ildefonsus Toletanus, Luithprandus Ticinensis, Freculphus*, qui de industriâ Gregorij opera enumerant de his 7. Psalmis prorsus tacent. *De Scriptoribus Ecclesiasticis.*

Præterea *nomen Psalmorum pœnitentialium* à temporibus huius Gregorij vsq; ad *Innocentium* 3. qui similiter in 7. Psalmos pœnitentiales commentatus est, sine mentione huius explicationis Gregorianæ in prologo, vix invehitur apud authores probatos, nec credibile est tot tamque insignes Scripturarum interpretes per annos ferè 600. de his Psalmis tacere potuisse, si in eorum explicatione Gregorium ducem novissent. Memorat *Possid.* in vita Augustini, Psalmotum de pœnitentia, quos per Quaterniones describi curauit Augustinus: sed qui, aut quot fuerint non constat.

Quin etiam Gregorius ipse, qui pleraq; opera sua commemorat, nonnulla etiam quæ ab ipso dictata sunt, ab aliis vero collecta improbat, nullam huius explicationis mentionem facit.

Præterea quia idem charissimus quondam filius meus Claudius, aliqua me loquentem de Prouerbijs, de Canticis Canticorum, de prophetis, de *Lib. 10. Indict. 5. Epist. 22.*

libris quoq; regum, & de Heptatico audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, ipse de suo stilo dictauit, ne oblivione deperirent, vt apto tempore hæc eadem mihi inferret, & emendatius dictarentur. Quæ cum mihi legisset, inueni dictorum meorum sensum valde in multis fuisse permutatum. Præterea Gregorius, qui aliorum scripta publice legenda permisit, sua dum vixit prohibuit.

Ibidem. *Sed dic ei vt commenta in Psalmos legi ad vigilias faciat, quæ mentes secularium ad bonos mores præcipue informant; neque enim volo dum in hac carne sum, si qua me dixisse contigit, facile hominibus innotesci.* Si commenta hæc in Psalmos quæ ad Vigilias legenda permittit, Gregoriana fuissent, non permisisset ea publicè legi; qui & Mariniano subiraſcitur quod commenta in Iob, ad vitam & mores instituendos vtilissima ad vigilias legi fecerat: nec ægrè suscepisset, quod Anatholius Diaconus quærenti & iubenti Imperatori Romano, librum Pastoralis regulæ dederit. Commenta ergo hæc Psalmorum, quorum meminit Gregorius, non sunt Gregorij. Alia vero in psalmos commenta si exarâsset, addidisset etiam titulum psalmorum pœnitentialium: non tacuisset Gregorius, qui tam liberè de libris suis hoc loco pronuntiat; nec vnquam permisisset legi ad Vigilias, cum tam licenter in ijs in Imperatorem, vt colligit Bellar. debacchare tur. Verum sit liber iste Gregorianus; nec enim multum refert: non sunt hæc de Mauritio Imperatore dicta, sed de alio quocunque potius quàm de Imperatore; id quod multis euincitur.

Etsi enim fluctuet Baronius, dubius an de Mauritio, an de Phocâ, an de Tyberio vel Iustino Augustis hæc intelligenda (Bozius autem refert ad Iustinianum,) de Mauritio certe intelligi non possunt.

Annal. Tom. 8. Ad Annum 590 Num. 6.

Thom. Bozius de Signis Eccl. Tom 2. lib. 17. sign. 76. Cap. 3.

Gregorius enim (si Gregorius) de hæresi totam hanc instituit explicationem: eaq; Simonianâ, qui dum spiritus sancti gratiam pretio comparare voluit, à doctrinâ Christi miser se alienauit. Hæresis ergo hæc de qua Gregorius, in pastore & Sacerdote fuit, qui pretio gratiam Spiritus emere voluit, non in Laico cuiuscunque ordinis, qui non gratiam sed annexum gratiæ, hoc est beneficium Ecclesiasticum vendere voluit. Etsi Mauritius Imperator hæreticus Simoniacus, quia pretio confirmationem Pontificatus dedit, quid Gregorius ipse qui emit? *Nugæ enim in aliis in ore Sacerdotum blasphemiæ sunt*, & si peccat Imperator, pretium pro confirmatione Pontificis exigendo, multo grauius Pontifex ipse peccat, qui Pontificatum pretio ambit: impius Cardinalis qui per latera Mauritij Gregorium vulnerat.

Bernard.

2. Hæresis magna fuit: *nostris inquit maxime temporibus malitiæ suæ virus exeruit, & totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit.* Ostendat Bellar. aut alius quisquam Pontificius, quod illud schisma maximum, quæ dissolutio pacis Ecclesiasticæ, authore vel etiam fautore Mauritio

ritio facta sit, quam tacent omnes historiæ illorum temporum. *Omnes enim illi Imperatores, Iustinus, Tiberius, Mauritius, Phocas, Orthodoxi* erāt vt Baronius, *hacq; tantum ex parte male dominando, quod nemmem in Pōtificem, nisi ab ipsis confirmatum admittebant.* Gregorius vero subterfugiens & nolens à Mauritio confirmatus est, sine schismate vllo, saluâ & integrâ pace Ecclesiastica : de Mauritio ergo ista non dicuntur.

3. *Concitavit inquit aduersus Ecclesiam Dei, non solum innumerabilem multitudinem Populi, verum etiam Regiam, si fas est dicere, potestatem.* Hæresis concitavit innumerabilem multitudinem Populi, nulla talis multitudo contra Ecclesiam Dei & Gregorium à Mauritio concitata est. Quin & hæresis hæc Regiam potestatem concitauit, non à potestate regiâ concitata est: Si Mauritius ipse sit hæreticus, & hæresi arcba est; alios concitauit, non ab alijs concitatus est : quod vero sequitur nulla ratione de Mauritij tēporibus intelligi potest; *quoscunque habere potest peruersitatis sua socios eos à consortio Christi effecit alienos.* An Mauritius, omnesque eius socij, & subditi, à consortio Christi alieni? Hoc non audet affirmare Bellarminus. Illa verò verba, *nulla enim ratio finit, vt inter Reges habeatur, qui destruit potius quam regat imperium*, Gregorium 7. potius quam Gregorium primum redolent : nunquam Mauritius destructor Imperij habitus est. De Henrico 4. forte sic scripserunt perduellionem schismatici.

4. Additur; *Contra Catholicam veritatem sua furore tyrannidis efferatur.* Dicat hic Bellarminus, quam veritatem Catholicam, quibus tormentis tyrannicè persecutus sit Mauritius, si de illo hæc intelligēda sint. Quin & in explicatione versus 26. huius Psalmi; hæc habet Gregorius. *Sunt etiam porta quadam potestates huius mundi; Quid enim Nero? Quid Diocletianus? Quid denique, iste, qui hoc tempore persequitur? Nunquid non omnes porta inferi?*

An Mauritius Persecutor Neroni vel Diocletiano conferendus? Frons meretricis facta est tibi, ô Gregori, ô Bellarmine, nescitis erubescere, si de Mauritio Orthodoxo, hæc profari audetis. Ecquod simile huius factum est, vt cum Nerone vel Diocletiano coniugetur? Audi vero Gregorium ipsum hypocritam, adulatoremque mendacissimum, si verè colligat Bellarminus ad Theodorum medicum. *Quanta bona omnipotentis Dei, & serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere; pro quibus bonis, quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare.* Quid hoc est? Lingua mea non sufficit explere bona Domini mei clementissimi, Mauritij; imò mala hæretici, schismatici, Tyranni, Neronis, Diocletiani referre. Hoccine est pure amare? an vero perfectè odisse? Et Epistola 61.

Si omnia peccata dimiserit (Dominus) & solum hanc legem contra se dixerit prolatam, quæ rogo erit excusatio? vnde per eundem

tremendum iudicem deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ, tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæq; Eleemosynæ Domini mei, ex qualibet occasione apud Omnipotentis Dei oculos fuscentur, &c. Eccè laudat lachrymas, orationes, ieiunia, eleemosynas Mauritij hominis devotissimi, in quo solam hanc legem reprehendit. Quid est quod tacet tyrannidem, hæresin, schisma, persecutionem? Non ergo de Mauritio hæc intelligenda sunt. Sed verba ipsa consideremus: *In tantum autem suæ temeritatem extendit vesaniæ, vt caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi vendicet, & in Dominâ gentium terrenæ ius potestatis vsurpat.* In his verbis duo sunt quæ in Mauritiũ vix quadrant; 1. caput omnium Ecclesiarum Romanam Ecclesiam sibi non vendicabat; solam confirmationem Romani Pontificis, sicut multi ex Prædecessoribus Successoribusque suis, vendicabat: nec vero tempore Gregorij 1. sed potius 7. cæpit investitura Episcoporum à Laicis obtenta inter hæreses haberi. 2. & in Dominâ gentium terrenæ ius potestatis vsurpabat. Non erat vsurpatio, sed ius legitimum, quo Imperatores Christiani, à Constantino vsque ad Mauritium aliósque Successores suos, nempe ad tempora Leonis Isaurici, terrenam potestatem in vrbe Româ exercebant, per Exarchos, aliósque suos Magistratus ciuiles. Mauritius ergo nec Ecclesiam sibi vendicabat, nec terrenam potestatem in vrbe Româ vsurpabat, quia verus & legitimus Romanæ vrbis Dominus erat. Rectius ergo ista aut de *Ioanne Constantinopolitano*, qui typhum illum superbię, titulum scilicet vniversalis Episcopi ambiebat, aut *de Agilulpho*, alijsque Regibus Longobardorum Arianis, qui toties Romam subigere tentárant, quam de Mauritio, qui nec hæreticus, nec schismaticus fuit, dicuntur.

Atque hic laudat Barclaius diuinum illum Antistitem Gregorium, humilitatis & obedientiæ exemplar egregium, à cuius virtutibus longè absunt Pius 5. Sixtusq; 5. Pontifices ambitiosissimi, qui se in supremo iustitiæ throno collocatos, supremam in omnes Reges & Principes vniuersa terræ, cunctosq; populos, gentes & nationes, non humanâ sed diuinâ institutione, potestatem obtinere gloriantur: ideò illis famillare, declaramus, iubemus, præcipimus. Quæ verba falsa & mania, quia Pontifex in Infideles, qui numero Christianos superant, nec temporalem, nec spiritualem potestatem habet: vti Bellarm. firmissima ratione ostendit.

De Pontif. Rom. l. 5. c. 2.

„ *Refellit Gregorius hanc inanem exclamationem Barclaij (inquit Bellar-*
„ *minus) in priuilegio Monasterij S. Medardi. Si quis Regum, Antistitum,*
„ *iudicum. Et in alio priuilegio ad Senatorem Abbatem. l. 11. Epist. 10.*

38. *Dominus Papa vix in vsu tempore Gregorij. Cap. 40.*

De hoc priuilegio S. Domini Medardi (sic enim nouo & Gallicano stilo dicitur, vti & Ioannes Papa Dominus:) non Gregoriano, non Italico, imò Idiomate, sed barbaro & fiscali conscripto, vt verba illa, viginti *mansos* ingenuos & totidem seruiles, & sic eos tegit, denotate plus à dictum

ſuo loco: interim hæc obiter paucis dicta ſint: non extat in manuſcriptis exemplaribus multis; malè diuiſa temporibus hæc: Nondum Epiſcopi erant *Auguſtinus & Melitus* in Angliâ, imò ne Româ miſſi: non tunc regnabat *Theodericus nepos Brunichildis*, in Gallijs de quâ re conſule Baronium. Et hi vltimi infra infimos Epiſcopos ſubſcribunt. *Anno ab incarnatione Domini* 593. noua videtur hæc forma, Stylus nouus: Sed in reipſa peccata multa ſunt. *Tom. 8. Anno 593 num. 85.*

1. Forma eſt imprecationis non ſententia depoſitionis.

2. Si quis Regum, Antiſtitum, &c. honore ſuo priuetur. Si quis Regum, Antiſtitum: An hoc ferret *Adrianus*, qui indignatus, hoc in Imperatore Frederico 1. redarguit, quod nomen ſuum nomini Pontificis præpoſuit in Epiſtolâ ſua, apud Radevicum. Et ſolus inter Epiſcopos Gregorius Antiſtes dicitur in ſubſcriptionibus. Ergo poteſt Papa pro violatione priuilegiorum Domini Medardi deponi.

3. Non dicitur, dignitate & poteſtate ſua priuetur, ſed honore ſuo priuetur: maximum vero diſcrimen eſt inter iſta. Rex, & Rex honore dignus; Rex, & Rex bonus: priuetur honore, bonus Rex non habeatur, at Rex ſit.

4. Cauſæ depoſitionis frivolæ & inanes, nullius momenti. *Si quis decreta noſtræ præceptionis violauerit, aut contradixerit, aut negligenter dixerit, aut fratres inquietauerit vel conturbauerit, vel aliter ordinauerit.* Non noui quenquam veſtrum tam ſeverum, qui, privilegijs Domini Medardi contradicere, vel negligenter dicere, vel aliter ordinare, vel fratres (nondum Monachi erant) conturbare, aut inquietare, iuſtam aut legitimam deponendi Regis cauſam affirmare auſus ſit.

5. Ordo inverſus eſt: in poteſtate temporali indirecta, excommunicationem & ſeparationem à ſocietate ſpirituali ſequitur ſeparatio à ſocietate civili.

In hoc Gregoriano præcedit priuatio honoris & ſuſpenſionem, & excommunicationem, & damnationem æternam cum Iuda proditore. Forte Gregorius ſtabat à partibus poteſtatis directę, & habitu Imperator erat, executionē ab Imperatoribus & Regibus tollit. Fortè Gregorius à Concilio Lateranenſi in rectum ordinem cogendus. Parum tuæ cauſæ favet hoc priuilegium. De quo fuſius. cap. 40. *Iiſdem vtitur verbis ſanctus Gregorius lib.* 11. *Epiſt.* 10. *ad Senatorem Abbatem.*

Imo vero ijſdem verbis non vtitur. An eadem verba ſunt hæc, *dignitate careat, & honore, priuetur*? An idem ſunt carere & priuari? Caret honore qui indignus eſt honore quem poſſidet, priuatur honore, qui eum quē poſſidet honorem per aliquem actum amittit. Et hæc imprecationis forma eſt, non ſententia priuationis: id quod ex eo patet, quia poſtquam dixerat, poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat, reumq; ſe diuino iudicio (nulla hic mentio iudicij humani) exiſtere, de perpetratâ iniquitate cognoſcat;

noſcat; ſtatim addit & niſi vel reſtituat, vel reſipiſcat, à corpore Chriſti alienus ſit, & divino examini ſubjaceat. De priueligijs ipſis, an eorum violatio digna depoſitionis cauſa videri poſſit, ſuo loco dicemus.

39. Collatio illa, quam inſtituunt Barclaius & Bellarminus inter Gregorium magnum & Pium quintum, Sixtumque quintum, digreſſio eſt per quam Gregorij humilitas & obedientia, illinc Pij 5. Sixtíq; 5. faſtus & imperioſitas, vt contraria iuxtà ſe poſita, magis eluceſcant: In quibus nihil penè ſimile. Gregorius enim poſt priuilegia mere ſpiritualia, formam imprecationis in omnibus omnium ætatum, nationũ, hominum, cuiuſcunque ſtatus aut conditionis fuerint, etiam Laicorum, vt hic Theodoricus & Brunichildis, privilegijs vſitatam adiungit, non ſententiam depoſitionis profert. *Pius 5. Elizabethã*, fœminã ſanctiſſimã, Reginamq; omnium, etiã inimicorũ teſtimonio ornatiſſimã, Bullâ ſuâ, quavis bulla inaniore, non tã depoſuit, quam deponendi voluntatem oſtendit. Idque, ſi vera narrat hoc loco Bellarminus, conſilio parùm prudenti, quia invito populo, proceribúſq; vt fugitivis & ſeditioſis quibuſdam perduellionibus gratificaret: ſed conſilio Catholicis ſuis infauſto inſælicíque, qui ſub huius bullæ prætextu nouis rebus ſtudentes, iuſtitiæ gladium propter proditiones ſuas in ſeipſos exacuerunt. Sixtus verò 5. ambitioſiſſimus, qui ignilibros Bellarm. devoverat, quod poteſtatem temporalem indirectam tantum Pontifici tribuant, quiq; bellis & lanienis illis Francorum inteſtinis & pluſquam ciuilibus ignem fomitémque aſſiduè miniſtrabat, non tam imprecatur, vt Gregorius, quam deponit Henricum 4. meritò Magnum, Galliarum Regem, invitis & reluctantibus etiam pluribus Catholicis.

cap 40.

Minax & faſtuoſa eſt Pij quinti aduerſus Imperatores & Reges oratio. *Nos in ſupremo iuſtitiæ throno collocati, ſupremam in omnes Reges & Principes vniuerſæ terræ, cunctoſq; populos, gentes, nationes, non humanâ ſed diuinâ inſtitutione, nobis traditam poteſtatem obtinentes, declaramus, iubemus, præcipimus. Hæc verba falſa & inania ſunt, quia Papa in Principes & populos infideles, poteſtatem nec temporalem, nec ſpiritualem habet, vti Bellarm. l. 5. c. 2. de Pontifice Romano.* Hæc Barcl.

Reſpondet Bellarminus. *Si verba iſta falſa ſunt & inania, multo magis falſa & inania ſunt verba Gregorij, quòd cœlitùs data ſit Mauritio poteſtas ſuper omnes homines.*

Quid vero? Annon ſatis eſt Sixto Quinto, ſi imperium in omnes Reges & populos Chriſtianos ſpiritualem obtineat, niſi etiam temporalem, eamque directam habeat? Poteſtas Mauritio ſuper omnes homines Imperio Romano ſubiecta; cœlitùs data eſt, eâque contentus erat Mauritius: ſuper omnes homines, indefinitè dicit Gregorius, proinde ad ſubditos Imperij Romani neceſſario referri debet. Non enim Gregorius blandiebatur Imperatori, ſicut plurimi eorum, tum Theologorum, tum Legiſtarum, qui non ſolùm eos qui de facto Imperio Romano ſubſunt, ſed etiam omnes

omnium

omnium gentium, & nationum populos & Principes, vni Monarchæ, hoc est Imperatori Romano, de iure subiectos esse contendunt: nec ignorat Bellarm. communem hanc à nonnullis opinionem vocari: vt, sicut vnus spiritualibus Pontifex, sic in temporalibus vnus Imperator vniuersis præsit.

At non dicit Pius aut Sixtus indefinitè, in omnes Reges & Principes populósque; vt Bellarmino licitum sit de Regibus & populis Christianis hæc indefinita interpretari; sed vniuersalem apponunt notam, quæ omnes Reges & fideles & infideles complectitur, in omnes Reges & Principes vniuersæ terræ, cunctósq; populos, gentes & nationes: quæ verba facile non est de Regibus populisque Christianis intelligere; quia Ecclesia in toto terrarum orbe diffusa in multis regnis, nationibus & populis exulat, & in nonnullis regnis, nationibus & gentibus nemo inuenitur qui nomen Christi profiteatur. Verum si ita sentiant Pius & Sixtus se habere potestatem solùm in ijs regnis & nationibus, quæ Christo nomina dederunt, quid opus est fastuosis & pompaticis verbis illis omnũ Regum & Principum vniuersæ terræ? Sed fraus hæc est Pontificia: volant in nubibus, in obscuris & ambiguis (in quibus oracula dæmonum imitantur) delitescunt, vt pro rerum successu de Regibus vel Christianis, vel Ethnicis ad libitum se exponere & interpretari possint.

At, inquit, *Tu hæres, & orbis hæreditas.* Sic Bernardus, qui tamen negat Papam Dominum orbis. Esto: curam agat Pontifex fidelium, vt pascantur, infidelium vt conuertantur; quid hoc ad Dominium ad fastum Pij aut Sixti: Pontifex Bernardo non Dominus orbis, sed villicus: Villicatum alijs deferunt Pius & Sixtus, ipsi Dominatum volunt; non Reges curant, Sed Regna ambiunt. Hoc in Pontificibus reprehendit Bernardus, *Orbis tibi concredita est dispensatio, non data possessio: possessionem & dominium ede Christo, tu curam illius habe. Non negas præesse, & dominari vetas? planè sic, &c.* *De Consid. lib. 3. ca. 1.*

Thomas 2.2. q. 12. Art. 2. hæc habet. *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis qui nunquam fidem susceperunt, iuxtà Apostolum 1. Cor. 5. Quid mihi de his qui foris sunt iudicare? sed oblitus erat eorum quæ dixerat,* q. 10. art. 10. Vbi de Infidelibus, vt ab hæreticis & Apostatis distinguuntur, agens, sic statuit: *potest tamen iustè per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis, tale ius Dominij vel prælationis tolli, quia Infideles merito infidelitatis suæ, merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei*: id quod nec de Thomâ hoc loco negat Bellarminus, qui sibi parum constans, vti & Thomas, hic asserit, quod in lib. 5. de Pontifice Romano negârat: *posse scilicet Pontificem quoscunque infideles priuare dominio quod super fideles habent; non absolutè sed in ordine ad conseruationem fidelium.* *Cap. 50.*

Potestas ergo illa temporalis Pontificum posteriorum, ab humilitate & obedien-

obedientiâ antiquorum Pontificum tanto interuallo diſcreta, concluſionem Barclaij abundè confirmat: Imperium ſcilicet temporale Papæ, non à Deo omnipotente, à quo poteſtas omnis, ſed ab impotente quorundam Pontificum ambitione & cupiditate domniandi immenſa, nec non à palponum quorundam adulatione peſtifera, ortum & augmentum ſumpſiſſe; ac ſi illis iure diuino omnia ſubiecta eſſent, licereté; quicquid libitum eſſet. De qua re plura in cap. ſequenti.

40. Notat hoc loco Barclaius *Bonifacij 8. conſtitutionem, cap. Clericis de Immunitate Eccleſiæ: in qua ſub Excommunicationis ſententia inhibentur Clerici tallias, collectas, aut alia onera, vtpote decimam víceſimam, aut centeſimam ſoluere, Reges vero & Imperatores eadem recipere aut exigere: idq; in odium Philippi Pulchri Regis Francorum: quam conſtitutionem quia multa ſubſecuta ſunt ſcandala, incommoda, & pericula, reuocauit Clemens 5. Clement. de Immunitate Eccleſiæ, vt in gloſſa notatur.*

Cap. 8 in Proleg. De Conſid. l. 3 c. 1 Platina in vita. Recenſet itidem verba Gaguini, ſuprà à nobis notata; nec non Bernardi. *Limina Apoſtolorum iam plus ambitio terit, quam deuotio: & Platina de Bonifacio 8. qui terrorem potius quàm religionẽ omnibus injcere, Regnaq; dare & auferre, pro arbitrio animi ſui conabatur: qui, vti Gaguinus, contemptor hominum, præceptorum Chriſti immemor, qui dolo & malis artibus Epiſcopatum Romanum quæſiit, & Cœleſtinum Papam, à quo dignitatem receperat, in carcere dum vixit, habuit.*

Audi vero reſponſum Bellarmini: *Omitto cætera quæ ſunt in hoc tertio capite, quia non argumenta vel rationes, ſed maledicta ſunt & conuitia aduerſus Pontifices.* Quid vero? an conuitiantur Clemens 5. Bernardus, Platina, Gaguinus? An poteſt Pontifex maximus conuitijs proſcindi? An authores probati & veſtri Pontificij ſcilicet, conuitiari poſſunt? Soli hæretici conuitiari ſolent; an & Orthodoxi & Catholoci conuitiantur? (non ſunt argumenta vel rationes, ſed maledicta.) Imo vero, vere dicta ſunt, vereque in Bonifacium 8. quadrant, quæ à Clemente 5. Platina & Gaguino narrantur: & proindè, ſi quid poſſunt teſtimonia Pontificum & Pontificiorum hiſtoricorum, aliorumq; Scriptorum fide dignorum, non maledicta, ſed argumenta, rationeſq; ſunt, quibus & authoritate & experientia probatiſſimum eſt, poteſtatem hanc temporalem malorum & ſcandalorum, periculorum & incommodorum multorum, quæ in Eccleſia per quingentos annos acciderunt, cauſam eſſe. Si enim Collectas, tallias, aliaq; onera, Principibus à Clericis conceſſa negare, cauſa fuit multorum ſcandalorum, periculorum, incommodorum, vt Clemens; ſcandala, pericula, & incommoda, quæ ex Imperatorum & Regum depoſitione & priuatione conſecuta ſunt, quis enarrabit?

CAP.

CAP. IIII.

Veræ causæ potestatis temporalis Papæ tres. Honor sedis: timor excommunicationis: & ambitio Romanensium.

1. *Potestas temporalis non consequitur spiritualem.* 2. *De sanctitate antiquorum summorum Pontificum à qua degenerant posteriores.* 3. *Timor excommunicationis ansam magnam dedit huic potestati temporali, licet quandoq; depositio siue excom. &c.* 4. *Excommunicatio manifestè iniusta, non timenda.* 5. *Excommunicatio contra subditos Regi excommunicato vel deposito temporaliter obedientes lata manifestè iniusta.* 6 *Gregorius 7. primus, Ius regni auferendi sibi asseruit. Non Gregorius 1. non 2. non Zacharias: non Leo. 3. non Gregorius 4. non Adrianus 2.* 7. *Gregorius cruentas tragœdias excitat, & infeliciter destinata non perficit.* 8. *Hosius hanc potestatem temporalem negat. Defenditur contra Bellarm.* 9. *Ambitio Romanensium per sanctitatem priorum pontificum, & excommunicationum terrorem, ad potestatem hanc temporalem ascendit.*

DVæ res sunt, *quæ potissimum ansam Pontificibus, hanc potestatem temporalem arrogandi dederunt.* 1.

1 *Honor ingens summo animarum Pastori delatus, ex præiudicata sanctitatis opinione de sede illa beatorum Petri & Pauli, conceptus.*

2 *Gladius excommunicationis.* Hæc Barclaius.

Duas has causas reijcit *Bellarminus*, tertiam comminiscitur: *ex Spirituali scilicet summa potestate diuinitus Petro collatâ super omnem Ecclesiam manifestè sequitur* (*satis apertè*, dixerat capite proximè præcedente) *in ordine ad spiritualia, & propter vitam æternam, temporalis potestas disponendi de temporalibus, & deponendi Reges.*

Imò verò si manifestè, si satis apertè ex spirituali potestate sequeretur temporalis ista, de qua quæritur, quilibet Episcopus posset Regem suum deponere in Diocæsi sua, sicut deponit Pontifex in Ecclesia Catholica: Potestas enim Pontificis & Episcopi spiritualis, loci ambitu, potiùs quam potestate ipsa distinguitur.

Vrbs

Vrbs par non est orbi, sed potestas Episcopi in vrbe vna, & in orbe par est, pari præditi consortio honoris, & potestatis. Et Pontifex, & Episcopus, quilibet ligat, & soluit in foro interiori, & etiam similiter exteriori: non est ergo differentia in potestate, sed in ambitu potestatis.

Neq; verò in Christianis priuatis ex potestate spirituali, sequitur potestas hæc temporalis. Pontifex per excommunicationem non tollit hæreditatem, aut bona temporalia priuatorum Christianorum: nec potestas spiritualis potestatem habet vitæ, & necis, sed in hæreticis comburendis, eorumq; bonis confiscandis, brachium inuocat seculare: Absurdissimum autem est, vt Pontifex ipse possit Reges & Imperatores deponere, hæreditarijsq; regnis priuare, & furori populari trucidandos exponere, qui vel minimum inter Christianos exhæredare, aut bonis temporalibus spoliare, aut igni tradere, sine consensu, imò sine authoritate, & brachio Imperatoris, & Regum, non potest. Acsi diceret: Dominus deponere possum, subditos deponere non possum.

2. Sed ad rationes Barclaianas: *Honor summorum Pontificum, & præiudicata sanctitas Sedis Romanæ, non dedit ansam huius arrogantiæ* (inquit Bellarminus) *quia primis mille annis, Honor hic maximus, præiudicataq; sanctitas non defuit, imo tunc viguit maximè; Gregorius tamen 7. hanc potestatem primus vsurpauit, si Barclaio credimus.*

Honorem hunc sanctitatemq; primis illis mille annis maximè viguisse facile credo; tunc erant sacerdotes aurei, etsi calices lignei: at postremis his ferreisq; temporibus, post Satanam solutum, Calices facti sunt aurei, Sacerdotes lignei: honor in tumorem, sanctitas in hypocrisim degenerauit: signanter dicitur: *Imò tunc maximè viguit*; nunc non viget.

Primi Pontifices martyrio coronati sunt sub persecutoribus: proximi contra hæreticos & schismaticos insignes claruerunt; Tertij circa tempora Gregorij 2. (*cui patrimonium, imo principatum suum debet Roma*) declinatione & lapsu Imperij, cuius rudera colligebant, terrenarum possessionum & regni Italici fundamenta iecerunt: Quarti, quorum Princeps Gregorius 7. finibus suis spiritualibus & terrenis non contenti, Reges & Imperatores de solio deturbare satagebant: Primi purpurati passione, secundi veritate clarescentes fulgent, tertij patriæ libertatis vindices videri volunt; quarti dignitatis Imperatoriæ, Regiæq; oppressores, omnia cædibus & bellis impleuerunt.

Papirius Massonius in Greg. 2.

Primi Pontifices pacem à persecutoribus, secundi pacem ab hæreticis, tertij pacem à propinquis inimicis reportarunt, quarti pacem & tranquillitatem orbis Christiani perturbarunt. Primi patientiâ persecutores vicerunt; secundi Primatum spiritualem in Concilio Chalcedonensi

donensi ambierunt ; tertij, adepto nomine vniuersalis Episcopi, possessiones temporales congregarunt ; quarti nullis finibus contenti, regna dissipare, & destruere, & euellere conantur. Verè ergò, vt alter Caiphas, etsi inuitus, dixit Bellarminus: *Tunc maximè viguit sanctitas.*

Reuera Pontifices optimi, deteriores postea facti sunt, imò monstra hominum & portenta euaserunt, vti historiæ vestræ testantur.

Quod ad Gregorium 7. attinet, quem *virum sanctissimum, vitæ innocentiâ, & miraculis clarum* appellat Bellarminus, *testimonio omnium illius ætatis scriptorũ innixus*, illud respondendum est, non posse hoc latere Bellarminum, plurimos esse, & teste singulares, & teste innumerabiles, hoc est Concilia illius ætatis, qui Gregorium & *Pseudomonachum, necromanticum, & hæreticum, inuasorem pontificatus, Ecclesiastici ordinis subuersorum, Imperij Christiani eversorem, incendiorum, & sacrilegiorum prædicatorem, periuriorum & homicidiorum defensorem, adeoq; propter hæc & multa alia scelera, depositum testantur.* Quos, quia negare non audet, tanquam schismaticos reijcit Bellarminus; dixisset, subditos fideles in obedientia Imperatoris juxta Dei ordinationem persistentes: Sic vero res se habet: Quisquis immensæ potestati Pontificiæ resistit, Hæreticus est, Schismaticus est, etsi alioquin sit sanctissimus, doctissimus, catholicissimus; Quisquis vestræ terrenæ amplitudini, & monarchiæ temporali astipulatur, aut Martyr, aut Confessor, aut Sanctus, in Canonem refertur: De quo Gregorio quia plura suo loco dicenda sunt, id hoc loco dixisse sufficiat: Longiùs multo a Schismate abesse eos, qui Gregorium 7. vituperant, quàm ab adulatione absunt, qui eundem, sanctitate, innocentia, fictisque miraculis, tanquàm palpones parasitiq; pessimi, depingunt.

At Innocentius 3. & 4. Pontifices laudatissimi hâc potestate præter cæteros vsi sunt. Imò abusi potiùs; Innocentius 3. *Othonem* creaturam suam, sicut super Fredericum (cui in cunis iurauerat) instituit, sic destituit, in hoc partim laudatus, quod opera manuum suarum destrueret; Scripsit de contemptu mundi, qui mundi monarchiam concupiuit; Parum laudatus, *qui tuba bellorum, qui (salua reuerentia sedis Apostolicæ) secundùm æquitatem non iudicauit, Contra Philippum multa absurda, quædam falsa descripsit, frivola insistere cæpit obiectionibus & exceptionibus contra Philippum.* Hildebrandi in eo agnoscas Spiritum, *Aut ablaturus* (inquit) *Philippo Diadema Regium, aut ipse sibi Diadema Apostolicum*: Ecce Innocentius tuus laudatissimus: De cuius temporibus dictum est. *Roma vicit orbem, non religione, sed malitiâ.*

Papirius Massonus in Philippo Augusto.

Vrspergensis ad annum 119.

Innocentius 4. Iuriconsultus, potius quàm Theologus, Fredericum Imperatorem, *cum stupore, & horrore omnium*, nec auditum deposuit:

An-

An sic solent facere Pontifices laudatissimi ? *Pontifex beneficiorum immemor* (quibus familiam Innocentij prosecutus fuerat Fredericus) *vel, vt verius dicam, potentatus auidior, mutato cum fortunâ animo, acerrimus Frederico hostis effectus est* : Ecce laudatissimus tuus Innocentius.

Iacobus Wimphelingius in Epist. Rerum Germanicarum. Cap. 37.

De quo Fredericus ipse : *Amicum habuimus Cardinalem : Pontificem inimicum habebimus : Et tamen electus Pontifex, quasi amicus Frederici Cæsaris, quod vulgo sperarent amicitiam illam non inutilem toti Italiæ futuram.*

Papirius Masson in Innocentio. 4.

2. Alteram tantæ jurisdictionis temporalis occupandæ ansam præbuit gladius excommunicationis, maximum spiritualis Imperij propugnaculum.

Respondit Bellarminus, *Excommunicatio instrumentum est, quo Pontifices plerumq; vti solent, ad coercendas huius seculi potestates : sed etiàm sine illo instrumento, non semel Pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate, & animarum salute, disposuerunt ; vt Zacharias Childericum, &c.*

» Excommunicatione vsos fuisse Pontifices posteriores ad coercendas

3. seculi potestates negari non potest ; quo jure quauè injuriâ, ipsi viderint : Aliter olim docuit Augustinus si Glossæ credimus : *Nec Rex, nec multitudo excommunicanda est* : alitèr fecerunt Pontifices Ecclesiæ Primitiuæ : *Philippus primus Imperator Christianus in ordinem pœnitentium reiectus est, ab eo qui tum præerat Ecclesiæ* : (satis *pro Imperio*, non enim, *Sic Iudam tractauit Dominus Iesus*) non tamen excommunicatus.

In Matt. 13.

Euseb. li. 6. c. 33.

Vt in notis marginalibus.

Theodosium Ambrosius ab ingressu Ecclesiæ & Sacrorum participatione prohibuit, nec tamen excommunicauit. *Qua de Archadio & Innocentio narrantur, tanquàm fabulas, non morar.* Sic Onuphrius.

In vita Greg. 7.

Primus ergo quod sciam est Gregorius secundus Iconolatra, qui Leonem Isauicum Iconoclastam excommunicauit, qui defectionis perstringitur a Germano ; & hic inuasor possessionum Imperij. Proximus est Gregorius septimus, qui excommunicationis mucrone aduersus Imperatorem vsus est, post annos mille septuaginta : cum qua excommunicatione, bella, lanienæ, cædes, strages populorum & Clericorum infinitæ Ecclesiam repleuerunt ; & Schismatibus hinc inter Antipapas, illinc inter Papas & Reges, & Imperatores, Ecclesia ipsa adinternecionem penè deducta est. Tales enim excommunicationes, maledictio Dei, & Ecclesiæ afflictio pessima subsecuta est : quo factum est, vt censura hæc excommunicationis omnium grauissima, quæq ; penè sola terribilis est, quià eam Pontifices (vt pueri pugionibus vtuntur) nullâ vel leuissimâ de

Baronius Annal. Tom. 9. Anno 730. n. 6. Massonius.

causâ,

causa fulminare solebant, maximum in contemptum venerit, vt deplorat Concilium Tridentinum, Sessione 25. Cap. 3. Si ab his excommunicationibus, & depositionibus potestatum secularium abstinuissent Pontifices, nec possessiones Ecclesiæ in prædam datæ essent, neq; Ecclesia tot hæresibus, tot schismatibus scateret.

At Pontifices sine hoc instrumento de rebus Imperatorum temporalibus disposuerunt: vt Zacharias Childericum deponi, & Pipinum invngi mandavit.

Zachariam, vt Theologum, non vt Iudicem, consuluisse, vt Childericus qui solum nomen Regium retinebat, vltrà nomen Regium non reti- *Et hoc factum contra ordinem concilij Lateranensis.*
neret; Pipinus verò, penès quem Regni tota potestas, nomine Regio veteretur, narrant Historiæ: Gregorius 7. vt suæ ambitioni viam sterneret, consilium hoc, tanquàm sententiam judiciariam, inter Decreta, vel potius argumenta suæ tyrannidis retulit: cuius impudentiæ puduit Glossatorem: ideò hoc Decretum sic glossauit: *Deposuit*, i. *deponentibus consensit*: juxta rei veritatem multorumque doctissimorum sententiam, vt suo loco videbimus. Deponentibus *consuluit*, Et consilium hoc parum Theologicum. Quid enim? An licet Proceribus Populoque, Regem *Cap. 42.*
suum, quià inutilis est, deponere? Si hoc verum sit, actum est de omnibus Regibus: vix enim invenitur Rex, quem tantæ potestati imparem, inutilemque inimici & ambitiosi non causabuntur. Carolus magnus, a Senatu Populoque Romano, Patricius Romanus dictus est; non ab vno Hadriano primo, qui potiùs Episcopos consecrare, quàm Patricios creare debet: Idem Senatus, populusque Romanus eundem Carolum Imperatorem Occidentis dixit: Leo tertius, quod erat Episcopi, hoc fecit, Imperatorem invnxit: de quibus suo loco plura.

Honor ergò summo Pastori debitus, præjudicataque doctrinæ, fidei, & innocentiæ opinio, magnam ansam præbuit Pontificibus ambitiosis, vt hanc potestatem temporalem arrogarent: Dum enim Pontificem pro, suâ scientiâ non posse errare dicto, proque sua integritate, nolle facto jus alienum assumere, credit populus (quem enim verum in multis, in omnibus veracem, quemque in plurimis iustum cognoscimus, in omnibus facilè iustum & innocentem credimus) omnem in spiritualibus, & temporalibus potestatem ei debitam agnoscere solet, quam ille vel dicto vel facto sibi vendicare velit.

Timor autem excommunicationis, tantum terrorem in animis hominum generauit, vt quiduis potius perpeti, & quemuis deserere mallent, quam à corpore Christi abscindi, & Satanæ tradi ipsos paterentur. *Atq; inde erat quod Gregorius 7. Henricum 4. & Papa Frederico 2. aduersantes, Imperatores excommunicarunt, hoc obtentu, vt, quasi iusta ex causa excommunicato, subditi contradicerent*: vt inquit Sigebertus. Idem ha- *Ad an. 1077.*

Flo-

Florentius Wigornienſis, vti etiam & *Matthæus Pariſ.* in *Willielmo Conqueſtore*, eodem anno. *Per hunc gladium Romani Pontifices ſua iura tutati obedientiam in prouincijs plenam, aduerſantibus mundi poteſtatibus, ſunt conſecuti* : Quibus gradibus factum eſt, vt homines ambitioſi, qui aliorum virtutibus in rem ſuam vti nôrunt, ad Pontificatum euecti ſuſque deque omnia verterint, & Regna in præmium, imò & in prædam dare cæperint : ſicque Cathedram Petri moribus inquinatiſſimis fœdarint, Eccleſiam verò incendio & rapinis belliſque repleverint.

Trantzius in Appendice Metropolis.

Sed Bellarminum ſequamur : qui quinque in hoc Capite reprehendit.

4. 1 *Omnis excommunicatio timenda eſt, ſed cum hâc exceptione : i. niſi manifeſtè iniuſta ſit : tunc enim nec curanda, nec timenda eſt, modò abſit ab excommunicato contemptus & præſumptio* : ſic Barcl.

" Reſpondet Bellarminus : *Hanc Barclaij doctrinam damnant omnes*
" *boni Scriptores, qui diſtinguunt inter excommunicationem iniuſtam, &*
" *nullam &c.*

Sententia Gregorij hæc eſt : *Sententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, timenda eſt : vti* : 11. *Quæſt.* 3. Nec hoc negat *Barclaius*, ſed interpretatur : *Quia enim Iudex rectius dijudicare poteſt de facto alicuius, quam ipſe reus, qui fortè aut circumſtantias peccati ſui, quæ peccatum aggrauant, non aduertit, aut nimiùm ſibi indulget, ideo plerumque magis credendum eſt Iudici quam tibi ipſi. Et proindè omnis ſententia Iudicis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, timenda eſt : verùm ſi ſententia manifeſtè iniuſta ſit, vipote ſi reum condemnet, qui reus non eſt; talis ſententia nec curanda, nec timenda eſt, licèt timenda ſit præſumptio & contemptus talis ſententiæ. Eandem enim conditionem adhibet Syluester : Si præceptum ſapit peccatum; Si Papa credit mandatum iuſtum & tamen ſubdito conſtat illud in ſe continere peccatum : In verbo obedientia : Num. 5.* An omnes Doctores hanc doctrinam Barclaij damnent, non conſtat; vnum pro omnibus producit *Bellarminus*, Nauarrum in Enchiridio Capite 27. num. 13. Eius verba ſunt ; *Sententia excommunicationis, quantumvis iniuſta, valet regulariter, & ob id Gregorius* 11. *quæſtione* 3. *Cap.* 1. *dixit timendam eſſe, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, & aliqua nulla eſt*; quæ verba fraudulenter omiſit Bellarminus ne iniuſtam cum nulla coincidere agnoſceret. Et infra : *Vbique Gloſſa & vbique Doctores apertè dicunt, valere & ligare excommunicationem iniuſtam, & differre ab ea, quæ nulla eſt,*

Diſtinguit hoc loco Nauarrus inter excommunicationem *generalem* & *ſpecialem*, inter excommunicationem *latam à iure*, & *latam ab homine*, inter *iuſtam* & *iniuſtam*.

Excommunicatio iuſta eſt quam fert is qui poteſt, propter quod, &

quo-

quomodo debet : iniusta est quam fert qui non potest, aut aliter, & ob aliud quàm debet; Id quod etiam notatur in Glossâ. Tribus modis fit sententia iusta vel iniusta; ex animo, ex causâ, ex ordine. *Glossa.*

Ex animo, cùm zelo bono vel malo facit; Ex causâ, cùm certa causa subest, vel non subest; ex ordine, cùm seruatur vel permittitur ordo juris. Iniusta autem duplex : *valida*, & *invalida*, quæ & nulla : injusta valida duplex : *Una quæ iniusta, & invalida est, ex defectu rectitudinis animi iudicis, aut formæ, quæ non est essentialis : altera est iniusta, ex defectu iustæ causæ, ad excommunicandum, quæ multùm differunt : quamvis enim vtraq; valeat, prima tamen (quæ deficit, ex animo Iudicis, aut forma,) tantùm ligat, quantùm iusta in foro interiori & exteriori : Secunda verò* (quæ deficit in justitia causæ) *parùm plus nihilo, nisi in foro exteriori; quià non admit communionem quæ est omnino interior; neq; suffragia generalia, quæ Ecclesia, & eius ministri faciunt, quatenùs sunt tales* : id, quod etiam Glossa videtur innuere? Item sententia excommunicationis requirit ordinem, & causæ cognitionem. Et iterum; siue tamen sit iniusta, vel ex animo, vel ex ordine, semper tenet: acsi dicerer, si defectus sit ex causa non tenet.

Pergit Navarrus, reprehendit Caietanum, quod hujusmodi excommunicationem injustam, ex defectu scilicet causæ, propriè excommunicationem non esse dixerit, concludit verò contra Caietanum.

Et quamvis opinio Caietani defendi possit, quia effectu non differt à communi, relinquenda tamen videtur, quia differt à communi more loquendi Canonum, qui habent, sententiam Pastoris, etiàm iniustam, timendam esse.

Excommunicatio iniusta & invalida, siue nulla est in quinque casibus: 1. *Quando sit a non Iudice* 2. *Quando fit contra tenorem priuilegiorum*: 3. *Quando fit post legitimam appellationem* : 4. *Quando excommunicatio continet intolerabilem errorem (vt & glossa,) quem habet illa, quæ datur contra aliquem, quòd rectè aliquid fit, puta quia dedit eleemosynam pauperi aut quia non fecit aliquid illicitum, aut impossibile? 5. Quando excommunicator excommunicat eos, qui communicant cum excommunicato à se, non expresse nominato &c.*

Hic quæro a *Bellarmino* quæ sit differentia, inter excommunicationem iniustam & invalidam, ex defectu causæ, & hunc quartum casum, excommunicationis iniustæ, invalidæ, & nullæ : intolerabilis error est, cum excommunicatur qui rectè aliquid facit, aut qui illicitum non facit aut impossibile: & injusta valida est excõmunicatio ex defectu causę iustę ad excõmunicandũ, & hęc ligat parũ plus nihilo: Si hęc injusta excõmunicatio nõ differat a nulla, timenda nõ est omninò. Si differat, at teste Navar. parũ plus nihilo ligat: Si credam⁹ Caiet. imò Aug. non est propriè dicenda *De libro Arb. Lib. 1. Cap. 5.*

ex-

excõmunicatio. Verè ergo dixit Barc. *non est timenda excõmunicatio iniusta si constet manifestè iniustam esse.* *Audi vero quid in hâc causa Concilium Carthaginense 4. Irritam esse iniustam Episcoporum damnationem censemus, & idcirco a Synodo retractandam.* Item quid Gelasius: *Cui est illata sententia, deponat errorem & vacua est: Sed si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia; ita ergo eâ se non absolui desideret, quia se nullatenus perspicit obligatum.* Item quid August. *Capisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: sed vt iuste alliges vide; nam iniusta vincula disrumpit iustitia: Quem solueris, inquit, in terrâ, solutus erit in Cœlo;* Iam quid Gregorius? *Ipse ligandi atque soluendi se priuat potestate, qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet.*

11.q.3.cap. Irritam.

Cap. Cui est illata.

C. Capisti.

C. Ipse ligandi.

C. Non debet is.

Exponat vero seipsum Gregorius: *Non debet is pœnam sustinere Canonicam, in cuius damnatione, non est Canonica prolata sententia; Ex his datur intelligi,* inquit Gratianus; *quod iniusta sententia nullum alligat apud Deum, nec apud Ecclesiam eius aliquis grauatur iniquâ sententiâ;* vnum superaddam Niconem: *Sin autem Antistes præter Dei scopum punierit, Deus eum non sequitur, & ecce inuenitur pœna quæ ab eo infligitur iniusta, & propterea invalida.*

Tom. 3. Biblioth.

Thomas.

His addi possunt sanctus Thomas 2. 2. q. 70. *Art.* 4. *ad* 2. *Iniustum iudicium non est iudicium.*

Adrianus.

Adrianus sextus, Quodlib. 6. Art 2. *Sed cum ius diuinum non aliter præcipiat iniustæ excommunicationi, quàm cæteris oppressionibus, legibus, & præceptis iniustis, obtemperari debere, imò facultatem dat excommunicandi, non pro voluntate & libito, sed solùm pro mortali peccato, & quod aliter corrigi non valet, vt patet Matth. 18. non video quòd in foro conscientiæ, tenetur homo excommunicationem huiusmodi seruare &c. nec est quoàd hoc differentia inter sententiam excommunicationis nullam, & eam, quæ aliqua est, sed iniusta.*

Soto.

Dominicus Soto in 4. D. 22. *Quæst.* 1. *Artic.* 3. *Concil.* 4. *Purdenter enim Caietanus ait, in puris moralibus Theologos aliter vti nominibus iudicij, & sententia iusta & iniusta, & aliter Iureconsultos; Theologi enim solam rei veritatem contemplantes, non distinguunt inter iudicium iniustum, & nullum &c. sed quia Iurisconsulti non tam ad rei veritatem, quam ad præsumptionem iuris attendunt, distinguunt inter sententiam iniustam, & nullam, dicentes, Quod potest esse iniusta, & nihilominus non esse nulla.*

Ant. Cordubens.

Antonius Cordubensis Quæstionarij Lib. 4. Quæst. 10. Dicto. 3. *Sicut mandatum eius (id est Papæ) & ipsa sententia tam notoriè iniusta, ex parte causæ, & ipso facto nulla; & neque tenenda, neque timenda est, &c.*

Io-

Ioannes Gerson de materia excommunicationum. Considera. 7. *Hoc commune dictum, Sententia Prælati vel Iudicis etiam iniusta timenda est, indiget glossa, alioquin non est generaliter verum, si timenda dicatur, quia est sustinenda, nec repellenda, imò in casu pati illam esset asinina patientia, & timor leporinus & fatuus.* *Gerson*

Concilium Turonense sub Ludivico 12. vbi proposito, si Pontifex injuste ordine juris non seruato, procedens de facto, & manu armata pronunciet ac publicet, aliquas censuras contra Principes sibi resistentes, eorũq; subditos & confœderatos, an ei parendum sit, & quod remedium adhibendum, concluſum est vnanimiter per Concilium, *talem sententiam nullam esse nec de iure vel alio quocunq; modo ligare.* *Apud Bellum Lib. 5. Cap. 5.*

Alexander Alensis. licet injustam timendam dicat, dicit tamen esse nullam: vnde in resolutione, *Excommunicatio iniusta secundùm veritatem excommunicatio non est, sed solum secundum interpretationem*: Et ideo ait ad primum; cum dicitur *excommunicatio iniusta; dico quod (iniusta) priuat esse excommunicationis, quod consistit in separatione bonorum Ecclesiæ, quia talis excommunicatio separationem non facit &c.* *Alensis. Part. 4. q. 22. Memb. 2. Art. 1.*

Si quis plures desideret, legat Gregorium Sayrum in casibus conscientiæ Tom. 1. lib. 1. cap. 17. num. 8. vbi Theologorum ait esse opinionem, pluresq; citat.

Audi ergo Bellarmine; aut hi omnes, *Caietanus, Nauarrus*, qui omnes sequitur Doctores: *Concilium Carthaginense, Gelasius, Augustinus, Gregorius, Gratianus, Nico, &c.* boni scriptores non sunt, qui doctrinam Barclaij approbant, aut tu iniustè *Barclaium* reprehendis, qui injustam excommunicationem, non esse timendam asserit, si modò constat eam manifestè injustam esse: neq; fortè quisquam est bonorum scriptorum tuorum qui hanc sententiam *Barclaij* reprehendet; solum asserunt injustam excommunicationem esse timendam, quod nemo negat, at manifeste iniustam quis est qui timendam prædicet?

Secundum est: *Cuius generis* (scilicet manifestè iniustæ) *excommunicationis illa videtur quæ in subditos profertur, eo quod Regi, vel Principi suo, excommunicato pareant in ijs, quæ temporalis sunt iurisdictionis & Dei mandatis non repugnat.* Sic Barclaius.

Temeritas hęc est, inquit *Bellarminus*: quia per eam damnatur sententia Innocentij 4. qui in Lugdunensi Concilio *Fredericum* deposuit.

Dic verò, quæ maior temeritas est, Innocentij qui cum *horrore & stupore* omnium Fredericum deposuit, an Barclaij qui illam excommunicationem injustam & non timendam docet, qua subditi sub pœna Anathematis Regi suo excommunicato obedire prohibentur, cui jure diuino & naturali obligantur; præsertim cum nulla excommunicatio jus diuinum & naturale rescindere valeat. Temerarij omnes Pontifices, temeritatis suæ pœnas dederunt plurimi, Reges & Imperatores, depositionis mucro-

ne adorti sunt: parùm certè prudenti consilio fecerunt, qui inuito Populo & Proceribus, Reges exautorarunt.

Nonnè hęc excommunicatio intolerabilem continet errorem, quæ datur contra eum, qui rectè & ex debito aliquid facit: sicut subditus rectè & ex debito Regi suo obedientiam præstat, & quia aliquid illicitum non fecit, puta, quod potestati à Deo ordinatæ non resistit?

Barclaius. Tertium est: *Gregorius 7. primus aperte ius dandi & auferendi regna sibi asseruit: Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho.*

Bellar. Sex sunt Pontifices ante *Gregorium* 7. qui hanc potestatem dandi & auferendi regna sibi ipsis asseruerunt: sic Bell.

Primus est Gregorius primus: in priuilegio Domini Medardi: Si quis Regum Antistitum, &c. honore suo priuetur.

De hoc priuilegio multa habes Capite 3. Forma est imprecationis, non sententia depositionis: Causę depositionis friuolæ sunt: suppositicium est, malè temporibus diuisum: plura requirat lector, ibidem. & Cap. 4.

Secundus est Gregorius Secundus: qui Leonem Isauricum vectigalibus Italiæ priuauit: testibus Zonara, & Cedreno, hominibus Græcis, fide Græca in rebus Latinorum.

Verum est: Populus Italicus à *Longobardis* oppressus a Græcis vero Imperatoribus, qui & longè aberant, & parum poterant destitutus, nouis rebus studet, proditionem contra Exarchos, & magistratus Imperiales molitur, defectionem parat, diu vero prohibitus est à Gregorio 2. tandem vrgentibus periculis, cladibus & calamitatibus multis, quibus à Longobardis quotidie infestabantur, currenti cedit Gregorius furori populari, cui diutius resistere nō poterat: Populus negat vectigalia Imperatori, quia populo auxilium protectionēq; negarat. *Gregorius*, etsi *Leonem Isauricū* Iconoclastam Anathemate feriat, tamen in hac defectione ducitur potius quam ducit, tempori & necessitati cedit, in lucrum certè suum, vtpote qui in naufragio Imperij, rudera quædam principatus & Patrimonij colligit.

Solenne est apud Pontificios, si vel consilium dederit Pontifex, omnia acta Pontificis sunt: consuluit Francis, vt Rex esset, non ille iners, & inutilis larua, Regis titulo & nomine splendens, sed is potius apud quem potestas residebat regia; in legatione nuntiorum tacentur nomina *Childerici* & *Pepini*. Eccè, hic *consuluit*, *Gregorio* 7. idem est quod deposuit: Glossatori vero idem quod deponentibus consensit. Sic populus Italicus vectigalia Leoni negat, Exarchos Imperatorios exauthorauit, nonnullos eorum interfecit; *Gregorius* furori populari impar, quia diutiùs cohibere non potuit, agitur potius quam agit quicquam: hoc est *Bellarmino*: *Gregorius Leonem* vectigalibus Italiæ priuauit.

Malè factum id a Gregorio; ideo a Germano defectionis perstringuntur Itali. Peius hoc a Bellarmino collectum quia pernitiosa ista Gregorius,

ergo

ergo ipſe, & ipſe ſolus poteſtate ſua hoc fecit. Cum ſententiam priuationis protulerit Bellarminus, qua Populus ab Imperatore defecit, factum hoc eſſe Bellarminianũ dicemus: interim lectorem ad Cap. 7. de Concilijs remittimus & Cap. 48.

Tertius eſt *Zacharias*, qui authoritate ſua *Pipinum* depoſuit, vt multi authores, quorum teſtimonia citat *Bellarminus*, Cap. 42.

Totus hæret Bellar. in hoc verbo, *authoritate Zachariæ*: qua quidem voce videntur authores illi ex profeſſo vti, vt à poteſtate iudiciaria diſtinguerent: Conſuluit Franci *Zachariam* magni nominis, magnæ authoritatis Theologum, reſpondet ille parum theologicè; conſilium tamen eius ſequuntur Franci *Childericum* deſtituunt, *Pipinum* ſubſtituunt.

Si vel Patriarcham, vel Metropolitanum aliquem, vel Archiepiſcopum Gallicanum, magnæ eruditionis & authoritatis virum conſuluiſſent, eiuſq; conſilio obtemperaſſent, dicere potuiſſent omnes iſti authores & vere; Authoritate huius vel illius Patriarchæ, Metropolitani, vel Archiepiſcopi, Franci *Childericum* deſtituunt, *Pipinum* ſubſtituunt.

Præcipiunt enim & docent Epiſcopi, ſicut Dominus Ieſus, *tanquam authoritatem habentes*, non vt frigidi ſcribæ: Et tamen Epiſcopi poteſtatem Regum deponendorum, & promouendorum non habẽt: Zacharias Theologus, non Iudex: conſulit non deponit. Authoritates examinabimus. cap. 42.

Quartus eſt *Leo* 3. qui a Græcis ad Francos Imperiũ tranſtulit: Si quis è Pontificibus Imperiũ tranſtulit, *Hadrianus* Primus, qui Carolo magno Patriciatũ Romanũ contulit, prius quam Leo 3. qui *Carolum* inunxit, tranſtuliſſe dicendus eſt: Verùm nec Hadrianus, nec Leo, ſed Senatus Populuſq; Romanus Imperium tranſtulit, aut, quod verius eſt, Carolus ipſe iure belli Imperium acquiſiuit; Pontifex inunxit, Senatus Populuſq; Romanus conſenſit, nomen & titulum Imperatorium addidit; cùm poteſtatem & fines Imperij antè poſſideret Carolus.

Audi vero Gregorium 7. in Concione, *Præſentibus ſacerdotibus, Equitatu, plebe, Senatu; Caput mundi, Romani rerum domini, victor gentium Populus, & Imperium & Pontificatum, in quos libuerit transferre poteſt, ſicut ante ducentos & ſeptuaginta quinq; annos à Græcis in Germaniam tranſtulit: de qua tranſlatione vide plura in Concluſione.*

Quintus eſt *Gregorius* 4. *qui authoritate ſua decretum Francorum, quo Ludouico Pio Imperium auferebatur, reſcidit, & imperium eidem reſtituit:* id quod probat primum ex *Mariano Scoto*: Eius verba ſunt: *Ludouicus Reginam Aquis obuiam ei venientem, iubente Papa Gregorio, accepit*: Hæc verba in Mariano Scoto reperio ſicut editus eſt, a Piſtorio, Francofurti, Anno 1583. Reliqua quæ ſequuntur non reperio. *Siquidem filij Ludouici non ſolùm imperium Patri abrogauerunt, ſed etiam Iuditham vxorem ei ademerunt: ſed vtrumq;, iubente Gregorio, recepit.* Imò verò prorſus

contrarium: *Ludouicus Imperator à filijs suis*, id est Pipino, Ludovico, & Lothario, *Imperio priuatur, obuiam ei venientibus cum Gregorio Papa, in Campo magno qui est inter Argentoratum & Basileam*: Ecce filij patrem Imperio priuant, & de Papa Gregorio, qui simul venerat, nihil dicitur tale. Posteà sequitur: *Lotharius, cui fauebat Gregorius* (vti constat ex Agobardo) *Patrem Ludouicum in custodia inclusit: quem liberauit filius Ludouicus*: & tum sequitur: *Pipinus & Ludouicus, Patrem suum restituerunt in Regnum: Vxorem recepit, iubente Gregorio Papa*: sic Marianus Scotus: idque ad curam pastoralem propriè spectabat: & *Regnum, iubente Gregorio, recepit*. Id vero non dicit *Marianus Scotus*, imo vero diuersum dicit. *A filijs Imperio priuatur, obuiam ei venientibus cum Gregorio Papa*. Pro *Mariano Scoto*, parasitum aliquem supposuit *Bellarminus*.

In Synopsi.

Lib. 3. de Rebus gestis Franc.

At *Paulus Æmilius* idem asserit: atque hic *Bellarminus* mutat verba *Æmilij*, etsi non sensum: *Lugduni Concilium Episcoporum quos filij Reges contraxerant (quos Ludouici Imperatoris filij contraxerant)* sic legit Bellarminus) *habitum Imperiumq; Patri abrogatum: Quod decretum mox à Gregorio Pontifice maximo rescissum est.*

Potest quidem Pontifex vt Patriarcha quilibet, decretum Concilij sine consensu suo congregati, cuique nunquam assensum suum præbuerit, facilè rescindere. Nec enim *Decreta, Canonesq; Conciliorum generalium Occidentalium valent, sine consensu Pontificis Romani, Patriarchæ Occidentalis: & summa ratione nititur, Vt Canones Orientalium non obligent Occidentem, cui præsidet Pontifex vt Patriarcha: & solebant Pontifices in Occidente tunc celebrare Concilia, cum in Oriente generalia congregabantur.*

Vide Cusanum. Concord. Cath. lib. 2. cap. 2.

Eâdem ergo authoritate hoc decretũ rescidit, quâ & cætera omnia decreta quæ sine consensu suo fiunt, rescindit: Sed nihil hoc ad propositum. Aliud enim est rescindere decretum Concilij, aliud imperium restituere: Decreta Conciliorum rescindere potuit, qui nec Imperium dare potuit.

Illud vero silentio prætereundum non est, *Paulum Æmilium* in hac re alijs omnibus historicis aduersari; Sicut enim ex *Mariano Scoto* superius patet, sic ex alijs multis clarum est, Gregorium non Ludovico Pio, sed filio eius Lothario tunc in Italiâ regnanti fauisse, adeoq; non est verisimile, quod narrat *Æmilius*, *Gregoriũ* scilicet rescidisse decreta Concilij Lugdunensis, quo imperium *Ludouico* abrogatum est: *Ac mihi liceat, iure enim licet Gregorium accusare participem coniurationis huius*, sic Papirius Massonius, qui *Vitaldi* verba producit: Et posteà: *Hincmarus Rhemorum in Gallia, doctissimus illius ætatis Theologus, idemque Episcopus, ijs literis quas ad Adrianum 2. scribit, Gregorij huius factum exponit, reditumq; in vrbem nefario eius infamiæ plenum.*

In vita Ludouici Pij, incerto authore sed Coætaneo.

Rumor erat, Papam, ideo, vt tam Imperatorem quam Episcopos excommunicationis vinculis irretire vellet, si qui inobedientes essent suæ filiorumq;

Impera-

Imperatoris voluntati: parũ quod ſubripuit Epiſcopis Imperatoris, præſumptio audaciæ, aſſerentibus nullo modo ſe velle eius voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret, cùm aliter ſe habeat antiquorum canonum authoritas. Quin etiam & *Ebbo* & *Agobardus* qui Pontifici adhæſerunt contra *Ludouicum*, alter ceſſit, alter Epiſcopatu priuatus eſt: vt idem Author narrat.

Id quod etiam patet in Synopſi apud Agobardum ipſum. *Defectio Lotharij abripuerat omnem pene Italiam, Pontificem, multoſq; etiam Epiſcopos Gallos, quorum ope Patri eriperet Imperium, veri Galli recalcitrant, etiam Agobardum, recuſat, habent conuentum*: in cuius cap. 6. Habetur, *Agobardum Primatem Aquitaniæ, nullam deinceps habiturum poteſtatem in excommunicando, nullamq; iuriſdictionem in cæteras parochias, ſi obediret potius Pontifici quam Cæſari.* Cauſam aſſignat Agobardus in Reſponſione: Agobardus ex profeſſo reſpondet ſingulis, conſtringit quantùm poteſt iſta priuilegia, propter commune factionis cum Pontifice, & Lothario conſortium: Ecce tantum abeſt, vt Gregorius hoc decretum de abrogando Imperio Ludouici reſciderit, vt cum ijs conſpirauerit, qui Ludouicum imperio priuarunt.

Si verò dicatur Gregorium deceptum, aut metu coactum a Lothario, qui tunc in Italia regnabat, aut pacis componendæ gratia inter Patrem & filios in Franciam veniſſe, reſponderi itidem poteſt, ijsdem fraudibus aut eodem metu, in eadem ſententia perduraſſe, nec in partes Ludouici tranſijſſe: Sigebertus enim ſic loquitur: *Gregorius Papa in Galliam veniens contra Imperatorem cum filijs agebat.* *Ad Ann. 832.*

Depoſitionem hanc factam a Lothario, reſtitutionem vero à Ludouico teſtantur, *Rhegino*, *Lambertus Schafnaburgenſis*, de rebus Germ. *Lib. 2. Chron. ad an. 838.*

Ludouicus filius eius peruenit ad eum, & honeſte ſuſcepit, & reduxit iterùm ad Aquis ſedem ſuam, & Deo iubente (non *Gregorio*, qui venerat cum *Lothario*) *reſtituit eum in Regnum & locum ſuum*: ſic Theganus de geſtis Ludouici Imperatoris. Videat lector Nichardum nepotem Caroli magni. *Ad ann. 829. & 834.*

Licet Hincmarus (qui aderat & vidit) *vnanimitate Epiſcoporum & fidelis populi reſtitutum narret.* *Aimoinus. lib. 5. cap. 21.*

Ibi à ſuis deſertus ac proditus, & in filiorum poteſtatem redactus eſt: erat ibi cum filijs Gregorius Papa Romanus: Ita Annales. *Incerti Autoris ad Annum. 833.*

Sed quid authoritatibus hiſce immoror? Duas ſuperaddo. Ioannẽ Marium. *Ita vt Patrem captum Sueſſionibus, cuſtodiæ manciparent* (filij) *conſentiente in hoc facinus Gregorio 4. Pontifice Romano, idq; adiuuante, præter meritum Ludouici Imperatoris in Eccleſiam Romanam.* *De ſchiſmate & Concilijs Pa. 2. cap. 4.*

Et Vignierium. *Fratres iunctis copijs, fauente comitanteq; Romano Pontifice, in Patrem inſurgunt, illumq; fidei ipſorum ſe committentem, prætextu Lugdunenſis Concilij, rerum adminiſtratione ſummouent, & in Cœnobium detrudunt; Imperatricem vero Iuditham in Italiam iterum relegant: huius* *In Chronico rerũ Burgundiæ ad annum 833.*

Vrbs par non est orbi, sed potestas Episcopi in vrbe vna, & in orbe par est, pari præditi consortio honoris, & potestatis. Et Pontifex, & Episcopus, quilibet ligat, & soluit in foro interiori, & etiam similiter exteriori: non est ergo differentia in potestate, sed in ambitu potestatis.

Neq; verò in Christianis priuatis ex potestate spirituali, sequitur potestas hæc temporalis. Pontifex per excommunicationem non tollit hæreditatem, aut bona temporalia priuatorum Christianorum: nec potestas spiritualis potestatem habet vitæ, & necis, sed in hæreticis comburendis, eorumq; bonis confiscandis, brachium inuocat seculare: Absurdissimum autem est, vt Pontifex ipse possit Reges & Imperatores deponere, hæreditarijsq; regnis priuare, & furori populari trucidandos exponere, qui vel minimum inter Christianos exhæredare, aut bonis temporalibus spoliare, aut igni tradere, sine consensu, imò sine authoritate, & brachio Imperatoris, & Regum, non potest. Acsi diceret: Dominos deponere possum, subditos deponere non possum.

2. Sed ad rationes Barclaianas: *Honor summorum Pontificum, & præiudicata sanctitas Sedis Romanæ, non dedit ansam huius arrogantiæ* (inquit Bellarminus) *quia primis mille annis, Honor hic maximus, præiudicataq; sanctitas non defuit, imo tunc viguit maximè; Gregorius tamen 7. hanc potestatem primus vsurpauit, si Barclaio credimus.*

Honorem hunc sanctitatemq; primis illis mille annis maximè viguisse facile credo; tunc erant sacerdotes aurei, etsi calices lignei: at postremis his ferreisq; temporibus, post Satanam solutum, Calices facti sunt aurei, Sacerdotes lignei: honor in tumorem, sanctitas in hypocrisim degenerauit: signanter dicitur: *Imò tunc maximè viguit*; nunc non viget.

Primi Pontifices martyrio coronati sunt sub persecutoribus: proximi contra hæreticos & schismaticos insignes claruerunt; Tertij circa tempora Gregorij 2. (*cui patrimonium, imo principatum suum debet Roma*) declinatione & lapsu Imperij, cuius rudera colligebant, terrenarum possessionum & regni Italici fundamenta iecerunt: Quarti, quorum Princeps Gregorius 7. finibus suis spiritualibus & terrenis non contenti, Reges & Imperatores de solio deturbare satagebant: Primi purpurati passione, secundi veritate clarescentes fulgent, tertij patriæ libertatis vindices videri volunt; quarti dignitatis Imperatoriæ, Regiæq; oppressores, omnia cædibus & bellis impleuerunt.

Papirius Massonius in Greg. 2.

Primi Pontifices pacem à persecutoribus, secundi pacem ab hæreticis, tertij pacem à propinquis inimicis reportarunt, quarti pacem & tranquillitatem orbis Christiani perturbarunt. Primi patientiâ persecutores vicerunt; secundi Primatum spiritualem in Concilio Chalcedonensi

donensi ambierunt ; tertij , adepto nomine vniuersalis Episcopi, possessiones temporales congregarunt ; quarti nullis finibus contenti, regna dissipare , & destruere , & euellere conantur. Verè ergò, vt alter Caiphas, etsi inuitus, dixit Bellarminus : *Tunc maximè viguit sanctitas.*

Reuera Pontifices optimi, deteriores postea facti sunt , imò monstra hominum & portenta euaserunt, vti historiæ vestræ testantur.

Quod ad Gregorium 7. attinet, quem *virum sanctissimum , vitæ innocentiâ, & miraculis clarum* appellat Bellarminus, *testimonio omnium illius ætatis scriptorũ innixus*, illud respondendum est, non posse hoc latere Bellarminum, plurimos esse, & testes singulares, & testes innumerabiles, hoc est Concilia illius ætatis , qui Gregorium & *Pseudomonachum, necromanticum, & hæreticum, inuasorem pontificatus, Ecclesiastici ordinis subuersorum, Imperij Christiani eversorem , incendiorum, & sacrilegiorum prædicatorem, periuriorum & homicidiorum defensorem, adeoq; propter hæc & multa alia scelera , depositum testantur.* Quos , quia negare non audet, tanquam schismaticos reijcit Bellarminus; dixisset, subditos fideles in obedientia Imperatoris juxta Dei ordinationem persistentes : Sic vero res se habet : Quisquis immensæ potestati Pontificiæ resistit, Hæreticus est , Schismaticus est, etsi alioquin sit sanctissimus, doctissimus, catholicissimus ; Quisquis vestræ terrenæ amplitudini , & monarchiæ temporali astipulatur , aut Martyr , aut Confessor, aut Sanctus, in Canonem refertur : De quo Gregorio quia plura suo loco dicenda sunt, id hoc loco dixisse sufficiat : Longiùs multo a Schismate abesse eos, qui Gregorium 7. vituperant, quàm ab adulatione absunt, qui eundem, sanctitate, innocentia, fictisque miraculis, tanquàm palpones parasitiq; pessimi, depingunt.

At Innocentius 3. & 4. Pontifices laudatissimi hâc potestate præter cæteros vsi sunt. Imò abusi potiùs ; Innocentius 3. *Othonem* creaturam suam, sicut super Fredericum (cui in cunis iurauerat) instituit, sic destituit, in hoc partim laudatus, quod opera manuum suarum destrueret ; Scripsit de contemptu mundi , qui mundi monarchiam concupiuit ; Parum laudatus, *qui tuba bellorum, qui (salua reuerentia sedis Apostolicæ) secundùm æquitatem non iudicauit, Contra Philippum multa absurda, quædam falsa descripsit, frivolis insistere cæpit obiectionibus & exceptionibus contra Philippum.* Hildebrandi in eo aguoscas Spiritum, *Aut ablaturus* (inquit) *Philippo Diadema Regium, aut ipse sibi Diadema Apostolicum* : Ecce Innocentius tuus laudatissimus : De cuius temporibus dictum est. *Roma vicit orbem, non religione, sed malitiâ.*

Papirius Massonius in Philippo Augusto.

Vrspergensis ad annum 119.

Innocentius 4. Iuriconsultus , potius quàm Theologus, Fredericum Imperatorem, *cum stupore, & horrore omnium*, nec auditum deposuit :

An-

An sic solent facere Pontifices laudatissimi ? *Pontifex beneficiorum immemor* (quibus familiam Innocentij prosecutus fuerat Fredericus) *vel, vt verius dicam, potentatus auidior, mutato cum fortunâ animo, acerrimus Frederico hostis effectus est* : Ecce laudatissimus tuus Innocentius.

Iacobus Wimphelingius in Epist. Rerum Germanicarum. Cap. 37.

De quo Fredericus ipse : *Amicum habuimus Cardinalem : Pontificem inimicum habebimus : Et tamen electus Pontifex, quasi amicus Friderici Cæsaris, quod vulgo sperarent amicitiam illam non inutilem toti Italiæ futuram.*

Papirius Masson in Innocentio. 4.

2. Alteram tantæ jurisdictionis temporalis occupandæ ansam præbuit gladius excommunicationis, maximum spiritualis Imperij propugnaculum.

Respondit Bellarminus, *Excommunicatio instrumentum est, quo Pontifices plerumq; vti solent, ad coercendas huius seculi potestates : sedetiàm sine illo instrumento, non semel Pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate, & animarum salute, disposuerunt ; vt Zacharias Childericum, &c.*

» Excommunicatione vsos fuisse Pontifices posteriores ad coercendas

3. seculi potestates negari non potest ; quo jure quauè injuriâ, ipsi viderint : Aliter olim docuit Augustinus si Glossæ credimus : *Nec Rex, nec multitudo excommunicanda est* : alitèr fecerunt Pontifices Ecclesiæ Primitiuæ : *Philippus primus Imperator Christianus in ordinem pœnitentium reiectus est, ab eo qui tum præerat Ecclesiæ* : (satis *pro Imperio*, non enim, *Sic Iudam tractauit Dominus Iesus*) non tamen excommunicatus.

In Matt. 13.

Euseb. li. 6. c. 33.

Vt in notis marginalibus.

Theodosium Ambrosius ab ingressu Ecclesiæ & Sacrorum participatione prohibuit, nec tamen excommunicauit. *Qua de Archadio & Innocentio narrantur, tanquàm fabulas, non morar.* Sic Onuphrius.

In vita Greg. 7.

Primus ergo quod sciam est Gregorius secundus Iconolatra, qui Leonem Isauicum Iconoclastam excommunicauit, qui defectionis perstringitur a Germano ; & hic inuasor possessionum Imperij. Proximus est Gregorius septimus, qui excommunicationis mucrone aduersus Imperatorem vsus est, post annos mille septuaginta : cum qua excommunicatione, bella, lanienæ, cædes, strages populorum & Clericorum infinitæ Ecclesiam repleuerunt ; & Schismatibus hinc inter Antipapas, illinc inter Papas & Reges, & Imperatores, Ecclesia ipsa ad internecionem penè deducta est. Tales enim excommunicationes, maledictio Dei, & Ecclesiæ afflictio pessima subsecuta est : quo factum est, vt censura hæc excommunicationis omnium grauissima, quæq ; penè sola terribilis est, quià eam Pontifices (vt pueri pugionibus vtuntur) nullâ vel leuissimâ de

Baronius Annal. Tom. 9. Anno 730. n. 6. Massonius.

causâ,

causa fulminare solebant, maximum in contemptum venerit, vt deplorat Concilium Tridentinum, Sessione 25. Cap. 3. Si ab his excommunicationibus, & depositionibus potestatum secularium abstinuissent Pontifices, nec possessiones Ecclesiæ in prædam datæ essent, neq; Ecclesia tot hæresibus, tot schismatibus scateret.

At Pontifices sine hoc instrumento de rebus Imperatorum temporalibus disposuerunt: vt Zacharias Childericum deponi, & Pipinum invngi mandavit.

Zachariam, vt Theologum, non vt Iudicem, consuluisse, vt Childericus qui solum nomen Regium retinebat, vltrà nomen Regium non retineret; Pipinus verò, penès quem Regni tota potestas, nomine Regio veteretur, narrant Historiæ: Gregorius 7. vt suæ ambitioni viam sterneret, consilium hoc, tanquàm sententiam judiciariam, inter Decreta, vel potius argumenta suæ tyrannidis retulit: cuius impudentiæ puduit Glossatorem: ideò hoc Decretum sic glossauit: *Deposuit*, i. *deponentibus consensit*: juxta rei veritatem multorumque doctissimorum sententiam, vt suo loco videbimus. Deponentibus *consuluit*, Et consilium hoc parum Theologicum. Quid enim? An licet Proceribus Populoque, Regem suum, quià inutilis est, deponere? Si hoc verum sit, actum est de omnibus Regibus: vix enim invenitur Rex, quem tantæ potestati imparem, inutilemque inimici & ambitiosi non causabuntur. Carolus magnus, a Senatu Populoque Romano, Patricius Romanus dictus est, non ab vno Hadriano primo, qui potiùs Episcopos consecrare, quàm Patricios creare debet: Idem Senatus, populusque Romanus eundem Carolum Imperatorem Occidentis dixit: Leo tertius, quod erat Episcopi, hoc fecit, Imperatorem invnxit: de quibus suo loco plura.

Et hoc factum contra ordinem concilij Lateranensis.

Cap. 42.

Honor ergò summo Pastori debitus, præjudicataque doctrinæ, fidei, & innocentiæ opinio, magnam ansam præbuit Pontificibus ambitiosis, vt hanc potestatem temporalem arrogarent: Dum enim Pontificem pro, suâ scientiâ non posse errare dicto, proque sua integritate, nolle facto jus alienum assumere, credit popu'us (quem enim verum in multis, in omnibus veracem, quemque in plurimis iustum cognoscimus, in omnibus facilè iustum & innocentem credimus) omnem in spiritualibus, & temporalibus potestatem ei debitam agnoscere solet, quam ille vel dicto vel facto sibi vendicare velit.

Timor autem excommunicationis, tantum terrorem in animis hominum generauit, vt quiduis potius perpeti, & quemuis deserere mallent, quam à corpore Christi abscindi, & Satanæ tradi ipsos paterentur. *Atq; inde erat quod Gregorius 7. Henricum 4. & Papa Frederico 2. aduersantes, Imperatores excommunicarunt, hoc obtentu, vt, quasi iusta ex causa excommunicato, subditis contradicerent*: vt inquit Sigebertus. Idem ha-

Ad an. 1077.

Flo-

Florentius Wigornienſis, vti etiam & *Matthæus Pariſ.* in *Willielmo Conqueſtore*, eodem anno. *Per hunc gladium Romani Pontifices ſua iura tutati obedientiam in prouincijs plenam, aduerſantibus mundi poteſtatibus, ſunt conſecuti*: Quibus gradibus factum eſt, vt homines ambitioſi, qui aliorum virtutibus in rem ſuam vti nôrunt, ad Pontificatum euecti ſuſque deque omnia verterint, & Regna in præmium, imò & in prædam dare cæperint: ſicque Cathedram Petri moribus inquinatiſſimis fœdarint, Eccleſiam verò incendio & rapinis belliſque repleverint.

Trantzius in Appendice Aretrefolii.

Sed Bellarminum ſequamur: qui quinque in hoc Capite reprehendit.

4. 1 *Omnis excommunicatio timenda eſt, ſed cum hâc exceptione: i. niſi manifeſtè iniuſta ſit: tunc enim nec curanda, nec timenda eſt, modò abſit ab excommunicato contemptus & præſumptio*: ſic Barcl.

" Reſpondet Bellarminus: *Hanc Barclaij doctrinam damnant omnes*
" *boni Scriptores, qui diſtinguunt inter excommunicationem iniuſtam, &*
" *nullam &c.*

Sententia Gregorij hæc eſt: *Sententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta fuerit, timenda eſt: vti* 11. *Quæſt.* 3. Nec hoc negat *Barclaius*, ſed interpretatur: *Quia enim Iudex rectius dijudicare poteſt de facto alicuius, quam ipſe reus, qui fortè aut circumſtantias peccati fugit, quæ peccatum aggrauant, non aduertit, aut nimiùm ſibi indulget, ideo plerumque magis credendum eſt Iudici quam tibi ipſi. Et proindè omnis ſententia Iudicis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta ſit, timenda eſt: verùm ſi ſententia manifeſtè iniuſta ſit, vtpotè ſi reum condemnet, qui reus non eſt; talis ſententia nec curanda, nec timenda eſt, licèt timenda ſit præſumptio & contemptus talis ſententiæ. Eandem enim conditionem adhibet Syluester: Si præceptum ſapit peccatum; Si Papa credit mandatum iuſtum & tamen ſubdito conſtat illud in ſe continere peccatum: In verbo obedientia: Num. 5.* An omnes Doctores hanc doctrinam Barclaij damnent, non conſtat; vnum pro omnibus producit *Bellarminus*, Nauarrum in Enchiridio Capite 27. num. 13. Eius verba ſunt; *Sententia excommunicationis, quantumuis iniuſta, valet regulariter, & ob id Gregorius* 11. *quæſtione* 3. *Cap.* 1. *dixit timendam eſſe, ſiue iuſta ſit, ſiue iniuſta, & aliqua nulla eſt*; quæ verba fraudulenter omiſit Bellarminus ne iniuſtam cum nulla coincidere agnoſceret. Et infra: *Vbique Gloſſa & vbique Doctores apertè dicunt, valere & ligare excommunicationem iniuſtam, & differre ab ea, quæ nulla eſt.*

Diſtinguit hoc loco Nauarrus inter excommunicationem *generalem* & *ſpecialem*, inter excommunicationem *latam à iure*, & *latam ab homine*, inter *iuſtam* & *iniuſtam*.

Excommunicatio iuſta eſt quam fert is qui poteſt, propter quod, &

quo-

quomodo debet : iniusta est quam fert qui non potest , aut aliter, & ob aliud quàm debet ; Id quod etiam notatur in Glossâ. Tribus modis fit sententia iusta vel iniusta; ex animo, ex causâ, ex ordine. *Glossa.*

Ex animo, cùm zelo bono vel malo facit ; Ex causâ, cùm certa causa subest, vel non subest ; ex ordine, cùm seruatur vel permittitur ordo juris. Iniusta autem duplex : *valida*, & *invalida*, quæ & nulla : injusta valida duplex : *Una quæ iniusta, & invalida est, ex defectu rectitudinis animi iudicis, aut formæ, quæ non est essentialis : altera est iniusta, ex defectu iustæ causæ, ad excommunicandum, quæ multùm differunt : quamvis enim vtraq; valeat, prima tamen (quæ deficit, ex animo Iudicis , aut formæ,) tantùm ligat, quantùm iusta in foro interiori & exteriori : Secunda verò* (quæ deficit in justitia causæ) *parùm plus nihilo, nisi in foro exteriori; quia non admit communionem quæ est omnino interior; neq; suffragia generalia, quæ Ecclesia, & eius ministri faciunt, quatenùs sunt tales* : id, quod etiam Glossa videtur innuere? Item sententia excommunicationis requirit ordinem, & causæ cognitionem. Et iterum; siue tamen sit iniusta, vel ex animo, vel ex ordine, semper tenet: acsi diceret, si defectus sit ex causa non tenet.

Pergit Navarrus, reprehendit Caietanum, quod hujusmodi excommunicationem injustam, ex defectu scilicet causæ, propriè excommunicationem non esse dixerit, concludit verò contra Caietanum.

Et quamvis opinio Caietani defendi possit, quia effectu non differt à communi, relinquenda tamen videtur, quia differt à communi more loquendi Canonum, qui habent, sententiam Pastoris, etiàm iniustam, timendam esse.

Excommunicatio iniusta & invalida, siue nulla est in quinque casibus: 1. *Quando fit a non Iudice* 2. *Quando fit contra tenorem priuilegiorum*: 3. *Quando fit post legitimam appellationem* : 4. *Quando excommunicatio continet intolerabilem errorem (vt & glossa,) quem habet illa, quæ datur contra aliquem, quòd rectè aliquid fit, puta quia dedit eleemosynam pauperi aut quia non fecit aliquid illicitum, aut impossibile?* 5. *Quando excommunicator excommunicat eos, qui communicant cum excommunicato à se, non expresse nominato &c.*

Hic quæro a *Bellarmino* quæ sit differentia, inter excommunicationem iniustam & invalidam, ex defectu causæ, & hunc quartum casum, excommunicationis iniustæ, invalidæ, & nullæ : intolerabilis error est, cum excommunicatur qui rectè aliquid facit, aut qui illicitum non facit aut impossibile: & injusta valida est excõmunicatio ex defectu causę iustę ad excõmunicandũ, & hęc ligat parũ plus nihilo: Si hęc injusta excõmunicatio nõ differat a nulla, timẽda nõ est omninò. Si differat, at teste Nauar. parũ plus nihilo ligat: Si credam° Caiet. imò Aug. non est propriè dicenda ex- *De libro Arb. Lib. 1. Cap. 5.*

excõmunicatio. Verè ergo dixit Barc. *non est timenda excõmunicatio iniusta si constet manifestè iniustam esse.* *Audi vero quid in hac causa Concilium Carthaginense 4. Irritam esse iniustam Episcoporum damnationem censemus, & idcirco a Synodo retractandam.* Item quid Gelasius: *Cui est illata sententia, deponat errorem & vacua est: Sed si iniusta est, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & eius Ecclesiam neminem potest grauare iniqua sententia; ita ergo eâ se non absolui desideret, quia se nullatenus perspicit obligatum.* Item quid August. *Capisti habere fratrem tuum tanquam publicanum, ligas illum in terra: sed vt iuste alliges vide; nam iniusta vincula disrumpit iustitia: Quem solueris, inquit, in terrâ, solutus erit in Cœlo;* Iam quid Gregorius? *Ipse ligandi atque soluendi se priuat potestate, qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet.*

11.q.3.cap. Irritam.

Cap. Cui est illata.

C. Capisti.

C. Ipse ligandi.

C. Non debet is.

Exponat vero seipsum Gregorius: *Non debet is pœnam sustinere Canonicam, in cuius damnatione, non est Canonica prolata sententia; Ex his datur intelligi,* inquit Gratianus; *quod iniusta sententia nullum alligat apud Deum, nec apud Ecclesiam eius aliquis granatur iniquâ sententiâ;* vnum superaddam Niconem: *Sin autem Antistes præter Dei scopum punierit, Deus eum non sequitur, & ecce inuenitur pœna quæ ab eo infligitur iniusta, & propterea invalida.*

Tom. 3. Biblioth.

His addi possunt sanctus Thomas 2. 2. q. 70. *Art.* 4. *ad* 2. *Iniustum iudicium non est iudicium.*

Thomas.

Adrianus sextus, Quodlib. 6. Art 2. *Sed cum ius diuinum non aliter præcipiat iniustæ excommunicationi, quàm cæteris oppressionibus, legibus, & præceptis iniustis, obtemperari debere, imò facultatem dat excommunicandi, non pro voluntate & libito, sed solùm pro mortali peccato, & quod aliter corrigi non valet, vt patet Matth. 18. non video quòd in foro conscientiæ, teneatur homo excommunicationem huiusmodi seruare &c. nec est quoàd hoc differentia inter sententiam excommunicationis nullam, & eam, quæ aliqua est, sed iniusta.*

Adrianus.

Dominicus Soto in 4. D. 22. Quæst. 1. Artic. 3. Concil. 4. *Purdenter enim Caietanus ait, in puris moralibus Theologos aliter vti nominibus iudicij, & sententiæ iustæ & iniustæ, & aliter Iureconsultos; Theologi enim solam rei veritatem contemplantes, non distinguunt inter iudicium iniustum, & nullum &c. sed quia Iurisconsulti non tam ad rei veritatem, quam ad præsumptionem iuris attendunt, distinguunt inter sententiam iniustam, & nullam, dicentes, Quod potest esse iniusta, & nihilominus non esse nulla.*

Soto.

Antonius Cordubensis Quæstionarij Lib. 4. Quæst. 10. Dicto. 3. *Sicut mandatum eius (id est Papæ) & ipsa sententia tam notoriè iniusta, ex parte causæ, & ipso facto nulla; & neque tenenda, neque timenda est, &c.*

Ant. Cordubens.

Io-

Ioannes Gerſon de materia excommunicationum, Conſidera. 7. *Hoc commune dictum, Sententia Prælati vel Iudicis etiam iniuſta timenda eſt, indiget gloſſa, alioquin non eſt generaliter verum, ſi timenda dicatur, quia eſt ſuſtinenda, nec repellenda, imò in caſu pati illam eſſet aſinina patientia, & timer leporinus & fatuus.* *Gerſon*

Concilium Turonenſe ſub Ludivico 12. vbi propoſito, ſi Pontifex injuſte ordine juris non ſeruato, procedens de facto, & manu armata pronunciet ac publicet, aliquas cenſuras contra Principes ſibi reſiſtentes, eorũq; ſubditos & conſœderatos, an ei parendum ſit, & quod remedium adhibendum, concluſum eſt vnanimiter per Concilium, *talem ſententiam nullam eſſe nec de iure vel alio quocunq; modo ligare.* *Apud Bochellum Lib. 5. Cap. 5.*

Alexander Alenſis, licet injuſtam timendam dicat, dicit tamen eſſe nullam: vnde in reſolutione, *Excommunicatio iniuſta ſecundùm veritatem excommunicatio non eſt, ſed ſolum ſecundum interpretationem*: Et ideo ait ad primum; cum dicitur *excommunicatio iniuſta; dico quod (iniuſta) priuat eſſe excommunicationis, quod conſiſtit in ſeparatione bonorum Eccleſiæ, quia talis excommunicatio ſeparationem non facit &c.* *Alenſis. Part. 4. q. 22. Memb. 2. Art. 2.*

Si quis plures deſideret, legat Gregorium Sayrum in caſibus conſcientiæ Tom. 1. lib. 1. cap. 17. num. 8. vbi Theologorum ait eſſe opinionem, pluresq; citat.

Audi ergo Bellarmine; aut hi omnes, *Caietanus*, *Nauarrus*, qui omnes ſequitur Doctores: *Concilium Carthaginenſe, Gelaſius, Auguſtinus, Gregorius, Gratianus, Nico, &c.* boni ſcriptores non ſunt, qui doctrinam Barclaij approbant, aut tu iniuſtè *Barclaium* reprehendis, qui injuſtam excommunicationem, non eſſe timendam aſſerit, ſi modò conſtat eam manifeſtè injuſtam eſſe: neq; fortè quiſquam eſt bonorum ſcriptorum tuorum qui hanc ſententiam *Barclaij* reprehendet; ſolum aſſerunt injuſtam excommunicationem eſſe timendam, quod nemo negat, at manifeſte iniuſtam quis eſt qui timendam prædicet?

Secundum eſt: *Cuius generis* (ſcilicet manifeſtè iniuſtæ) *excommunicationis illa videtur quæ in ſubditos profertur, eo quod Regi, vel Principi ſuo, excommunicato pareant in ijs, quæ temporalis ſunt iuriſdictionis & Dei mandatis non repugnat.* Sic Barclaius.

Temeritas hęc eſt, inquit *Bellarminus*: quia per eam damnatur ſententia Innocentij 4. qui in Lugdunenſi Concilio *Fredericum* depoſuit.

Dic verò, quæ maior temeritas eſt, Innocentij qui cum *horrore & ſtupore* omnium Fredericum depoſuit, an Barclaij qui illam excommunicationem injuſtam & non timendam docet, qua ſubditi ſub pœna Anathematis Regi ſuo excommunicato obedire prohibentur, cui jure diuino & naturali obligantur; præſertim cum nulla excommunicatio jus diuinum & naturale reſcindere valeat. Temerarij omnes Pontifices, temeritatis ſuæ pœnas dederunt plurimi, Reges & Imperatores, depoſitionis mucro-

ne adorti sunt: parùm certè prudenti consilio fecerunt, qui inuito Populo & Proceribus, Reges exautorarunt.

Nonnè hęc excommunicatio intolerabilem continet errorem, quæ datur contra eum, qui rectè & ex debito aliquid facit: sicut subditus rectè & ex debito Regi suo obedientiam præstat, & quia aliquid illicitum non fecit, puta, quod potestati à Deo ordinatæ non resistit?

Barclaius. Tertium est: *Gregorius 7. primus apertè ius dandi & auferendi regna sibi asseruit: Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho.*

Bellar. Sex sunt Pontifices ante *Gregorium* 7. qui hanc potestatem dandi & auferendi regna sibi ipsis asseruerunt: sic Bell.

Primus est Gregorius primus: in priuilegio Domini Medardi: Si quis Regum Antistitum, &c. honore suo priuetur.

De hoc priuilegio multa habes Capite 3. Forma est imprecationis, non sententia depositionis: Causę depositionis friuolæ sunt: suppositititium est, malè temporibus diuisum: plura requirat lector, ibidem. & Cap. 4.

Secundus est Gregorius Secundus: qui Leonem Isauricum vectigalibus Italiæ priuauit: testibus Zonara, & Cedreno, hominibus Græcis, fide Græca in rebus Latinorum.

Verum est: Populus Italicus à *Longobardis* oppressus a Græcis vero Imperatoribus, qui & longè aberant, & parum poterant destitutus, nouis rebus studet, proditionem contra Exarchos, & magistratus Imperiales molitur, defectionem parat, diu vero prohibitus est à Gregorio 2. tandem vrgentibus periculis, cladibus & calamitatibus multis, quibus à Longobardis quotidie infestabantur, currenti cedit Gregorius furori populari, cui diutius resistere nō poterat: Populus negat vectigalia Imperatori, quia populo auxilium protectionēq; negarat. *Gregorius*, etsi *Leonem Isauricū* Iconoclastam Anathemate feriat, tamen in hac defectione ducitur potius quam ducit, tempori & necessitati cedit, in lucrum certè suum, vtpote qui in naufragio Imperij, rudera quædam principatus & Patrimonij colligit.

Solenne est apud Pontificios, si vel consilium dederit Pontifex, omnia acta Pontificis sunt: consuluit Francis, vt Rex esset, non ille iners, & inutilis larua, Regis titulo & nomine splendens, sed is potiùs apud quem potestas residebat regia; in legatione nuntiorum tacentur nomina *Childerici* & *Pepini*. Eccè, hic *consuluit*, *Gregorio* 7. idem est quod deposuit: Glossatori vero idem quod deponentibus consensit. Sic populus Italicus vectigalia Leoni negat, Exarchos Imperatorios exauthorauit, nonnullos eorum interfecit; *Gregorius* furori populari impar, quia diutiùs cohibere non potuit, agitur potius quam agit quicquam: hoc est *Bellarmino*: *Gregorius Leonem* vectigalibus Italiæ priuauit.

Malè factum id a Gregorio; ideo a Germano defectionis perstringuūtur Itali. Peius hoc a Bellarmino collectum quia permisit ista Gregorius,

ergo

ergo ipſe, & ipſe ſolus poteſtate ſua hoc fecit. Cum ſententiam priuationis protulerit Bellarminus, qua Populus ab Imperatore defecit, factum hoc eſſe Bellarminianũ dicemus: interim lectorem ad Cap. 7. de Concilijs remittimus & Cap. 48.

Tertius eſt *Zacharias*, qui authoritate ſua *Pipinum* depoſuit, vt multi authores, quorum teſtimonia citat *Bellarminus*, Cap. 42.

Totus hæret Bellar. in hoc verbo, *authoritate Zachariæ*: qua quidem voce videntur authores illi ex profeſſo vti, vt à poteſtate iudiciaria diſtinguerent: Conſuluit Franci *Zachariam* magni nominis, magnæ authoritatis Theologum, reſpondet ille parum theologicè; conſilium tamen eius ſequuntur Franci *Childericum* deſtituunt, *Pipinum* ſubſtituunt.

Si vel Patriarcham, vel Metropolitanum aliquem, vel Archiepiſcopum Gallicanum, magnæ eruditionis & authoritatis virum conſuluiſſent, eiuſq: conſilio obtemperaſſent, dicere potuiſſent omnes iſti authores & vere; Authoritate huius vel illius Patriarchæ, Metropolitani, vel Archiepiſcopi, Franci *Childericum* deſtituunt, *Pipinum* ſubſtituunt.

Præcipiunt enim & docent Epiſcopi, ſicut Dominus Ieſus, *tanquam authoritatem habentes*, non vt frigidi ſcribæ: Et tamen Epiſcopi poteſtatem Regum deponendorum, & promouendorum non habẽt: Zacharias Theologus, non Iudex: conſulit non deponit. Authoritates examinabimus. cap. 42.

Quartus eſt *Leo* 3. qui a Græcis ad Francos Imperiũ tranſtulit: Si quis è Pontificibus Imperiũ tranſtulit, *Hadrianus* Primus, qui Carolo magno Patriciatũ Romanũ contulit, potius quam Leo 3. qui *Carolum* inunxit, tranſtuliſſe dicendus eſt: Verùm nec Hadrianus, nec Leo, ſed Senatus Populuſq; Romanus Imperium tranſtulit, aut, quod verius eſt, Carolus ipſe iure belli Imperium acquiſiuit; Pontifex inunxit, Senatus Populuſq; Romanus conſenſit, nomen & titulum Imperatorium addidit; cùm poteſtatem & fines Imperij antè poſſideret Carolus.

Audi vero Gregorium 7. in Concione, *Præſentibus ſacerdotibus, Equitatu, plebe, Senatu; Caput mundi, Romani rerum domini, victor gentium Populus, & Imperium & Pontificatum, in quos libuerit transferre poteſt, ſicut ante ducentos & ſeptuaginta quinq; annos à Græcis in Germaniam tranſtulit: de qua tranſlatione vide plura in Concluſione.*

Quintus eſt *Gregorius* 4. *qui authoritate ſua decretum Francorum, quo Ludouico Pio Imperium auferebatur, reſcidit, & imperium eidem reſtituit:* id quod probat primum ex *Mariano Scoto*: Eius verba ſunt: *Ludouicus Reginam Aquis obuiam ei venientem, iubente Papa Gregorio, accepit*: Hæc verba in Mariano Scoto reperio ſicut editus eſt, a Piſtorio, Francofurti, Anno 1583. Reliqua quæ ſequuntur non reperio. *Siquidem filij Ludouici non ſolùm imperium Patri abrogauerunt, ſed etiam Iuditham vxorem ei ademerunt: ſed vtrumq;, iubente Gregorio, recepit.* Imò verò prorſus

Imperatoris voluntati: parũ quod ſubripuit Epiſcopis Imperatoris, præſumptio audaciæ, aſſerentibus nullo modo ſe velle eius voluntati ſuccumbere, ſed ſi excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret, cùm aliter ſe habeat antiquorum canonum authoritas. Quin etiam & *Ebbo* & *Agobardus* qui Pontifici adhæſerunt contra *Ludouicum*, alter ceſſit, alter Epiſcopatu priuatus eſt: vt idem Author narrat.

Id quod etiam patet in Synopſi apud Agobardum ipſum. *Defectio Lotharij abripuerat omnem pene Italiam, Pontificem, multoſq; etiam Epiſcopos Gallos, quorum ope Patri eriperet Imperium, veri Galli recalcitrant, citant Agobardum, recuſat, habent conuentum*: in cuius cap. 6. Habetur, *Agobardum Primatem Aquitaniæ, nullam deinceps habiturum poteſtatem in excommunicando, nullamq; iuriſdictionem in cæteras parochias, ſi obediret potius Pontifici quam Cæſari.* Cauſam aſſignat Agobardus in Reſponſione: Agobardus ex profeſſo reſpondet ſingulis, conſtringit quantùm poteſt iſta priuilegia, propter commune factionis cum Pontifice, & Lothario conſortium: Ecce tantum abeſt, vt Gregorius hoc decretum de abrogando Imperio Ludouici reſciderit, vt cum ijs conſpirauerit, qui Ludouicum imperio priuarunt.

Si verò dicatur Gregorium deceptum, aut metu coactum a Lothario, qui tunc in Italia regnabat, aut pacis componendæ gratia inter Patrem & filios in Franciam veniſſe, reſponderi itidem poteſt, ijsdem fraudibus aut eodem metu, in eadem ſententia perduraſſe, nec in partes Ludouici tranſijſſe: Sigebertus enim ſic loquitur: *Gregorius Papa in Galliam veniens contra Imperatorem cum filijs agebat.* *Ad Ann. 832.*

Depoſitionem hanc factam a Lothario, reſtitutionem vero à Ludouico teſtantur, *Rhegino*, *Lambertus Schafnaburgenſis*, de rebus Germ. *Lib. 2. Chron. ad an. 838.*

Ludouicus filius eius peruenit ad eum, & honeſte ſuſcepit, & reduxit iterùm ad Aquis ſedem ſuam, &, Deo iubente (non *Gregorio*, qui venerat cum *Lothario*) *reſtituit eum in Regnum & locum ſuum*: ſic Theganus de geſtis Ludouici Imperatoris. Videat lector Nichardum nepotem Caroli magni. *Ad ann. 829. & 834.*

Licet Hincmarus (qui aderat & vidit) *vnanimitate Epiſcoporum & fidelis populi reſtitutum narret.* *Aimoinus. lib. 5. cap. 21.*

Ibi à ſuis deſertus ac proditus, & in filiorum poteſtatem redactus eſt: erat ibi cum filijs Gregorius Papa Romanus: Ita Annal: 8. *Incerti Autoris ad Annum. 833.*

Sed quid authoritatibus hiſce immoror? Duas ſuperaddo. Ioannẽ Marium. *Ita vt Patrem captum Sueſſionibus, cuſtodiæ manciparent* (filij) *conſentiente in hoc facinus Gregorio 4. Pontifice Romano, idq; adiuuante, præter meritum Ludouici Imperatoris in Eccleſiam Romanam.* *De ſchiſmate & Concilijs Pa. 2. cap. 4.*

Et Vignierium. *Fratres inuictis copijs, fauente comitanteq; Romano Pontifice, in Patrem inſurgunt, illumq; fidei ipſorum ſe committentem, prætextu Lugdunenſis Concilij, rerum adminiſtratione ſummouent, & in Cœnobium detrudunt; Imperatricem vero Iuditham in Italiam iterum relegant: huius* *In Chronico rerũ Burgundiæ ad annum 833.*

Romanum Imperium euertat.

Iniquè ferebat Pontifex Gregorius quod Sacerdotes & Clerici Imperatorum limina tererent, Epiſcopatus & Abbatias ab Imperatore peterent qui Patrimonijs & poſſeſſionibus Imperialibus ditati erant: Omnes, inquit, Epiſcopatus & Abbatias, imo & Pontificem Romanum ex pauperibus ditiſſimos & maximos Principes fecerunt, &c.

Hunc faſtum fallu maiore conculcauit Pontifex, humilis ſeruus ſeruorum Dei. Romæ enim venalia omnia, & Simoniacus Pontifex (ſi Pontifex Simoniacus eſſe poteſt) & prouiſiones, & Gratiæ expectatiuæ, & facultates Romanæ Curiæ, omnem abuſum laicorum in inueſtituris & beneficiorum collationibus longè ſuperant: nihil negat Roma niſi tu adferas nihil: nonne hoc eſt ex ſtultis inſanos facere? Et ſtultus populus quærit Romam.

Accidit (inquit Onuphrius) *quod maximè Cæſarem angebat: quod ſi Epiſcopi Germaniæ & Italiæ cum ab Imperatore electi & inueſtiti eſſent, vix in officio contineri poterant, ne contra ipſum varias & frequentes rebelliones molirentur, quid deinceps facturi eſſent, ſi omnino ex Imperatoris poteſtate eruti, & liberati eſſent, & in cuiuſuis Eccleſiæ Capituli vel Collegij poteſtate eſſet, nobiliſſimi & potentiſſimi Epiſcopatus Antiſtitem quempiam Imperatori hoſtem acerrimum eligere, qui maximæ Imperij ruinæ deinde cauſa eſſet?*

Imperij ergo vel omnino tollendi, vel in perpetuum ſtabiliendi cauſa tunc maximè tractabatur.

Imperium dimittere noluit *Henricus*: pacem cum *Henrico* noluit *Gregorius*, niſi imperium dimitteret *Henricus*.

Hinc ortæ ſunt eruentæ & furioſæ tragœdiæ, quarum cauſa extitit decretum *Gregorij* de depoſitione *Henrici*, & de inueſtituris, quo ius Imperiale per trecentos fere annos, à *Caroli magni* temporibus, ſub ſexaginta & eo amplius Pontificibus vſurpatum reſcinditur, dimidium ferè Imperij tollitur, & rebellibus, qui antevix in officio cõtinebantur, turbarum noua data eſt occaſio.

Pro inobedientia vero *Henrici* audiamus Innocentium 4. *Papæ obediendum eſt, niſi ex præcepto iniuſto vehementer præſumeretur ſtatum Eccleſiæ turbari, vel etiam fortè alia mala ventura eſſe, quia tunc peccat obediendo, cum debeat futura mala præcauere non iuuare, &c.* Idem habet ibidem *Panormitanus*: idem *Anchoranus*. Ex hoc autem mandato Pontificis, & ſtatus Eccleſiæ turbatur & Imperiũ labefactatur, & mala omnia in Eccleſiã irrepſerũt: peccaſſet ergo *Henricus*, ſi obediſſet Pontifici: *Non eſt prudẽs Conſiliũ Pontificis, qui inuito populo, proceribuſq;, Regem illorũ quamuis ineptum, quamuis ignauum, exauthorare tentat*: ſic Bell. ipſe cap. præcedenti.

De ſententia excom. Cap. Inquiſitioni: numero 3.

In illum C.

An prudens *Gregor.* qui *Henric.* inuito populo proceribuſq; depoſuit, vti alter ille, qui *Venetos* excommunicauit? de quo Paſquillus. *Pulchrum caput*

tates, Ducatus, Marchias, Comitatus, &c. Imperio restituere subdolè promiserat: vt videre licet in Constitutione eiusdem *Henrici*, Anno 1110. In constitutionibus Imperialibus Tomo 1.

Quinetiam sanctus *Vlstanus* nostras, Episcopus Wigornienſis, ab *Edouardo Confessore* inuestituram accipiens, miraculo baculi, in marmore sepulchri Regij, defixi, quem nec Gulielmus Rex, nec Lanfrancus, sed solùm Vlstanus euellere potuit, id est, Dei Iudicio comprobatur. *Tunc enim non licuit absq; Imperatoris vel Regis authoritate Pontificem aliquem creare, Quod si in hac vsq; tempora is mos duraret, melius de Repub. Christiana ageretur*: sic Cuspinianus in Ludouico Pio. *Matth. Paris. in Guil. 2. ad annum 1095.* *Cuspinianus.*

Quintum quod reprehendit est: *Hosius vir magnus, Confessor nobilissimus, negat Ecclesiam primitiuam hanc potestatem temporalem habuisse.* Sic Barclaius. 8.

Hosius vir magnus fuit: at in haresim Arianam turpissimè lapsus est. Sic Bellar. respondet 1. ,,

Optimè nouit prudentia tua, puerilis esse iactãtiæ, quod olim adolescentuli facere consueuerant, accusando illustres viros, suo nomini famam quærere: sic olim *Augustino* Hieronymus. ,,

At verò non est puerilis hæc, sed senilis iactantia in *Bellarmino*, vt ex *Hosij* accusatione nomini suo famam quærat: Quid enim? An turpissimè in hæresim Arianam lapsus est *Hosius*, qui senio grauis in exilium eiectus, cum Arianis, metu *Constantij*, potiùs quam voluntate communicauit? *tantam enim vim intulit seni, & ita eum arctè tenuit, vt afflictus attritusq; malis, tandemq;, agreq; cum Vrsacio & Valente communicaret, sed tamen vt contra Athanasium non subscriberet*: Sic Athanasius ipse. *Epist. 91.* *Ad solitariam vitam agentes.*

Si turpissimè cadat *Hosius*, qui malo coactus cum hæreticis communicat, quis alter est comparationis gradus pluſquam superlatiuus, pluſquam turpissimè, quo in gradu reperiri possunt, qui non coacti & quasi nolentes, sed volentes videntesq; & (vt vox ipsa sonat) eligentes, hæreticos non tam sequuntur, quam ducunt?

Verum esto; turpissime lapsus est Hosius in hæresim Arianam: quid *Liberius Pontifex, qui post exactum in exilio biennium inflexus est, minisq; mortis ad subscriptionem inductus est?* An & *Liberius* turpissimè lapsus est, qui non tantum communicauit cum Arianis, sed & contra *Athanasium* subscripsit, quod *Hosius* non fecit? *Ibidem.*

Turpissimè *Hosius*, qui metu coactus communicauit: turpissimè ergo *Liberius*, qui simili metu & tormentis coactus, & communicauit & contra *Athanasium* subscripsit.

Bellarm.

2. Respondet; *Etsi nunquam lapsus fuisset Hosius, tanti tamen non est faciendus, vt Concilijs generalibus, non vni, sed multis, & Doctoribus omnibus initio a nobis citatis anteponatur.*

Abrahamicus ille senex verè Hosius, hoc est sanctus, Magnus Hosius, Pater *Athanasius vbi supra.*

ter Episcoporum, sic de illo Athanasius: de quo etiam Ariani *Constantio: Omnia quidem a nobis facta sunt, profligauimus in exilium Romanorum Pontificem, sed tamen pro nihilo sunt tanta tua opera, neq; quicquam profecimus, quādiu reliquus est Hosius: Potest ille & verbis & authoritate fidei suæ, omnes contra nos inducere. Hic princeps est Synodorum, & si quid scribit, vbiq; auditur; hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit.* Ecce iam in senio & senecta mundi cum parasitis quibusq; neotericis, cum Pontificum adulatoribus, hoc est, in hac causa scholasticis & Canonistis, cum Pedaneis quibusq; Senatoribus, i. Concilijs hisce postremis, ventosis hominibus cum Æolo dicentibus,

——Tuus, ô Regina, quid optes,
Explorare labor; mihi iussa capessere fas est.

Cum his, inquam, confertur *Hosius*: Imò inique fert *Bell.* quod cum his conferatur *Hosius*: *non tanti faciendus est ab hominibus Catholicis, vt anteponatur Concilijs generalibus, & doctoribus multis.* Imò verò, quidni anteponatur Pedaneis istis Senatoribus, Cōciliabulis fictis Schismaticisq;, qui non solùm in Concilio Sardicensi, sed etiam in Concilio illo generali, & grauissimo, 318 Episcoporum, tanquam doctissimus Synodorum Princeps, præsidebat, fidemq; Nicænam contra Arianos scribebat: quem ideò *Bell.* legatum Romani Pōtificis in illa Nicæna synodo, vna cum alijs duobus somniat, ne non Pontifex suus, sed *Hosius*, Concilio omnium quę vnquā fuerūt (Apostolico cōuētu excepto) celeberrimo præsediſſe videretur. *De cont. lib. 1.*

Ego vero in hac causa de temporali potestate Pontificis in Regibus deponendis, *Hosium*, aut *Ambrosium*, aut *Augustinum*, aut *Hieronymum*, aut alium aliquem è Patribus Ecclesiæ Primitiuæ, omnibus hisce Doctoribus Bellarminianis iure præferendum censeo, idq; non sine summa ratione: Noui enim Doctores, post controuersiam hanc inter Pontifices & Imperatores, diu & argumentis, & armis ventilatam, sententias suas, partium studijs abrepti dixerunt. *Hosius*, antequam *Gregorius* & *Henricus* nati erant, aut inter se litigabant, de hac causa iudicauit; nec amicus nec inimicus aut *Gregorio* aut *Henrico* fuit; libere dixit, quicquid dixit, liber ab adulatione, & à metu.

Illud verò vrit Cardinalem, quod cum ipse potestatis temporalis assertorem neminem, ante fictum *Gregorij* priuilegium producere possit, quo fidem suam Catholicam esse probet, quæ per sexcentos annos in ignorantia & obscuritate delituit, *Barclaius Hosium* Episcoporum Patrem, Synodorum Principem, Fidei Nicenæ Scriptorem, Arianorum malleum, quem Athanasius alijq; Patres non solum approbant, sed summopere laudant, suæ opinionis authorem producit, cuius iudicio cum non habeat quod opponat, maledicta & calumnias intentat: misera causa quæ sine *Hosij* contumelia defendi non potest.

Sed esto: turpissimè lapsus est *Hosius* in Hæresim Arianam: an in hac

hac causa de potestate temporali, itidem lapsus est? An vel adulatione vel metu *Constantio* blanditur? Annon liberè adeòq; confidenter sententiam suam profert? An quia postea malo coactus in Arianismum lapsus est, ideò ante lapsum de potestate Pontificis & Imperatoris audiendus non est? An qui falsum aliquando dicturus est, numquam vera dixisse perhibendus est? Verè de Diuinitate & consubstantialitate filij, & dixit & sensit, cum de potestate Pontificis & Imperatoris & verè & liberè scripsit: lapsus fidei de *consubstantialitate*, doctrinæ de potestate Pontificis & Imperatoris præiudicare non debet, qua in causa, numquam lapsus est. Fidem vero istam *Hosij* de *consubstantialitate Filij*, & potestate Episcopi & Imperatoris approbat laudatq; *Athanasius*, omnesq; Patres, & vniuersa demùm Ecclesia, vtpote quæ fides sit non simplicis personæ, non priuati Christiani, non vnius Episcopi, sed totius ordinis Ecclesiastici, totius Ecclesiæ primitiuæ, quam nemo improbare, aut reijcere, ausus est, ante *Bellarminum*, cui nihil arridet, nisi quod suæ causæ adstipulatur.

3. Respondet: *Verba Hosij nihil contra communem sententiam faciunt*: Et quomodo communis est sententia, cum nos ferè centum authores, qui hanc potestatem vel apertè vel directè negent, produxerimus: *li. 8. cap. 8?*

Audite verò *Bellarmini* absurditatem: Dixit *Hosius*: Non licet Pontifici Imperium gerere, vt nec Imperatoribus Pontificatum: Si hoc dixit, & verè dixit *Hosius*; quare ergo Pontifex Imperium, siue Principatum Ciuilem in Italia gerit? An illicita Pontifici licita fiunt? *Hosius* verò non solùm negat fas esse Pontificibus in terris Imperium tenere, quod tamen Pontifex tuus tenet: sed etiam difertè asserit: *qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ*: Pontifex tuus non solùm oculis malignis carpit Imperium Imperatoris, sed & ipsum Imperatorem priuat deponitq;, ordinationi ergo diuinæ resistit: nisi fortè malignis oculis imperium carpere Pontifici non liceat, tollere verò Imperium, subditos a Iuramento fidelitatis absoluere, & rebelles & perduelles in Regem legitimum armare Pontifici liceat; & tamen regula vera est. *Cui non licet quod minus est, nec quod maius est licet.*

Præterea quid est Hosio, *Imperiũ tenere in terris nobis non licet?* Annon his verbis, prohibentur Pontifices, & Imperia per seipsos administrare, & de Imperijs cum Imperio disponere? An hic est sensus *Hosij*: non licet Pontifici Imperiũ administrare, licet tamen Imperiũ tuum, ô Constanti hæretice, tollere, teq; Regno tuo priuare, & de solio deturbare? Non sic solet Hosius æquiuocare. Si sic *Hosium* intellexisset *Constantius*, an non proditionis reũ peregisset? Si sic locutus fuisset *Christus* Dominus *Pilato*: *Regnũ meũ non est de hoc mundo*, Regnũ tamen Domini tui *Cæsaris*, propter

infi-

infidelitatem, & perſecutionem & tyrannidem tollo, an tale teſtimonium perhibuiſſet Chriſto Pilatus, *nullam in eo inuenio cauſam*; qui ad hæc verba Iudæorum, *Si hunc dimittis non es amicus Cæſaris*, expaueſcens, Chriſtum militibus crucifigendum tradidit?

Ioan. 18.31. 19.12.

Quinetiam verba Hoſij ſunt, *Tibi Deus Imperium commiſit: nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit*: Si Imperatori commiſit Imperium, quid Pontifici cum Imperio? Quid Pontifici cum ijs quę ſunt *Cæſaris?* diſtincta ſunt hæc, nec magis licet Pontifici Imperium, & quæ *Cæſaris* ſunt tractare, quam Imperatori licet Eccleſiam, quæq; Dei ſunt peragere.

Bellarminus ergo prauo propriæ opinionis ſuæ affectu cæcus, in *Hoſij* verbis non videt, quod non ſolùm oculati, *ſed & currentes non videre non poſſunt.*

Verè dicit Bellar. *In primis mille annis honor ſedis Romanæ maximus fuit, ſanctitaſq; ſumma?* nec tamen Pontifices illorum temporum, hanc temporalem poteſtatem ſibi arrogarunt. Rationem ſi quis a me exigat non ſubeſt alia, niſi illa quam arbores aſſignant: Iud. 9. *Oliua dicit, Nunquid poſſum deſerere pinguedinem meam, qua & Dij vtuntur & homines?* Ficus dicit: Nunquid poſſum deſerere dulcedinem meam, fructuſq; ſuauiſsimos? Vitis dicit; Nunquid poſſum deſerere vinum meum quod lætificat Deum & homines? Martyres dicunt; Nolumus deſerere coronam Martyrij quam in conflictu perſecutionum conſecuti ſumus: Confeſſores dicunt, Nolumus deſerere palmam veritatis, quam ex conflictu hæreticorum reportauimus: Sancti Dicunt: Nolumus deſerere ſtolam iuſticiæ, qua reſplendeſcimus inter corruptos mores domeſticorum: *non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei & miniſtrare menſis:* Non eſt æquum vt derelinquamus Regnum dei, vt Regna mundi dare, & auferre poſsimus. Sic Oliua, ſic ficus, ſic vitis reſpondent. Audi vero quid Rhamnus .i. ambitio, dicat. *Si verò me Regem vobis conſtituitis, venite & ſub vmbra mea requieſcite: ſi autem non vultis, egrediatur ignis de Rhamno, & deuoret Cedros Libani.* Sic factum eſt, vt ſub vmbra ambitioſorum Pontificum requieuerit (dicam? an verius, conquaſſata fuerit) Eccleſia, & ignis ſeditionum, ſchiſmatum, bellorum & turbarum cedros libani deiecerit. Sic primi Pontifices coronantur martyrio, poſteriores plumbo. Atq; hoc eſt gentile Romanenſium & Italorum malum: Quamprimum Roma erat, ſtatim de Imperio & Dominio pugnabat, in parricidio fundata, omnium Dominiorum æmula eſt, omnibus dominari ſatagit. Romanum Imperium de fonte naſcitur pietatis, imò Parricidij.

Iud. 9.

Act. 6.2.

Habent ſingulæ gentes ſuas artes, in quibus dominantur; dominari, hęc ars eſt Romanorum. *Quidam homines apti nati ſunt ad principari, quidam ad ſubijci & miniſtrare. Natura locum & gentem diſpoſuit in mundo ad vniuerſaliter principandum, aliter ſibi defeciſſet, quod eſt impoſſibile*; Gens Itali, locus Romæ: *Romanus populus ad imperandum fuit ordinatus a natura*: id

Dantes de Monarchia lib. 2.

olim

olim ab Orco reuelauit Anchises.

Excudent alij spirantia mollius æra, AEneid. lib. 6.
Credo equidem, viuos ducent de marmore vultus,
Orabunt causas melius, cœliq; meatus
Describent radio, & surgentia sydera dicent:
Tu regere Imperio populos, Romane, memento,
Hæ tibi erunt artes: pacique imponere morem,
Parcere subiectis & debellare superbos.
Sic Pater Anchises.

Quæ verba *Bellarminus* ipse vrget vt subordinationem omnium artium ad artem regendi probaret. Potuit & eodem modo subordinationē omnium populorum, ad Populum Romanum, idq; multo rectius, ab Orco deducere. cap. 3.

De *Iasone* refert AEneas Syluius, *Grauiter ferebat si non regnaret, quasi nesciret priuatus esse.* Morbus ille Pontifices Romanos peruasit; grauiter ferunt, si non regnant, nesciunt esse priuati: omnes de dominio acquirēdo retinendoq; quam de fide *Christi* propaganda solicitiores: id experimento manifestissimum, dum enim Principes Christiani in terra sancta recuperanda & religione Christiana propagandá belligerabant, Pontifices domi seditiones moliebantur, patrimonia & prædam captabant. Epist. 45.

Roma Ethnica Victoriæ alas abscidit, ne aufugeret, semper victores esse volunt Romani; Roma Christiana, veritatis itidem abscidit alas, ne avolaret, semper veri & orthodoxi esse volunt: *ij sunt Romani, ad quos perfidia (id est, si nouæ Romanensium grammaticæ credimus, error sivè hæresis) habere non potest accessum:* Roma & Ethnica & Christiana alas Imperij & dominatus prorsus amputauit, ne vnquam aufugeret:

Sed fore qui grauidam Imperijs, belloq; frementem
Italiam regeret.

Verè grauida & grauata Imperijs Roma, vbi Pontifex Rex Regum, Dominus dominantium: quot vero Cardinales, tot Reges, aut Regum socij paresq; miseram procul dubio puerperam, quæ tot simul Reges enixa est: tot Regna, tot Reges; non ibi Patrocinium, sed latrocinium totius orbis: Grauida Roma diu pertulit Imperatores infideles, *Christi* hostes, Christianorum persecutores: Ideò à Romanis ad Græcos migrauit Imperium: At Roma artis suæ, regendi scilicet non oblita, Imperium à Græcis trāstulit ad Francos & Germanos; Et statua hæc pedes habebat partim ferreos, partim luteos, diu stare nō potuit: *Quod non capit fiscus, rapit Christus.* Imperio Politico & Ciuili per dissidia & schismata inter Ecclesiā & regnū eneruato, & languente, succreuit Cornu paruulum, quod Imperatoriā curauit plagam, Pontificia scilicet potestas & temporalis & spiritualis;

Quantum alijs præstat Romana potentia Regnis,
Imperium supra tantùm se Ecclesia tollit.

Verum

Verùm quid multis opus? Ambitio ambientium crux, quos alit eosdem enecat. *Causa destructionis Imperij Romani fuit ambitio propria dominandi:* Sic Ioan. de Parisijs *ex Augustino*: Ambitio itidem nimia dominandi causa fuit destructionis Imperij Romani Ecclesiastici. Dum cupiditatibus rebusq; suis modum non statuunt, semper cum sanguisugæ filiabus clamant, *Affer, Affer*; quod suum erat id est decimas, in multis regionibus, amisit Ecclesia, dum gladio spirituali non contenta Ecclesia, temporalem gladium & potestatem ambitiosè è manibus Imperatorum & Regum retorquere conatur, & Gladius verbi spiritualis, & censura excommunicationis, quæ sola omni honore & reuerentia prosequenda erant, summopere contemnuntur: Sicq; quos minis & afflictionibus dejicere non potuit hostis humani generis, affluentia & potentia deiecit, dum omnia illa negata ambit, quæ Dominus noster oblata reiecit.

De potestate Eccles. & Regia, cap. 3.

Prouerb. 30. 15.

Nullum crimen abest, facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Audi vero Bernardum. *Quid vero tam notum quam protervia & fastus Romanorum? Qui etiam ab Apostola superbiæ arguuntur*, vt Hieronymus. *Nonne eximia lumina Apostolorum pluriam ambitio quam denotio terit*; vt Bernardus: *Et in sinu Sacerdotum dormit*; vt Cyprianus? Nonne hoc est *terrorem Imperatoribus, Regibus, Principibus, Nationibus, & Populis, potius quam religionem injcere*, cum Bonifacio 8? Referam hoc loco verba Werneri; *Hic notat Ptolomeus, quòd fastus Summorum Pontificum habuit semper malum exitum, & fuit occasio, & est causa multorum schismatum, notabile est.*

Bern. li. 4. ca. 2.

Hieron. in Prol. 2. lib. 1. ad Galatas.

Bern. li. 3. c. 1.

Cyprian. de Ieiunio & tentatione.

Platina in Bonifacio 8.

Enecauit namq; illos ambitio, inquit AEneas Siluius, *à qua non solùm hoc moderuum, sed omnia vsq; in hanc diem schismata suborta reperiuntur: Nam, vt olim pestiferam illam bestiam, quæ per Arium primo, quasi de infernis, extulerat caput, cupiditas Episcopatus induxit, sic hodiernam hæresim præcipuè nutriunt, quos iam mendicare subpudet; quorum alius clamat subditorum facta iudicari à Papa, Romanum verò Pontificem solius Dei reseruari iudicio: Alius dicit, quia primam sedem nemo iudicabit, quod neq; ab Augusto, neq; ab omni clero, neq; à Regibus, neq; à Populis, neq; à Populo valeat iudicari: Alius asserit, Electionem Summorum Pontificum, sibi Dominũ reseruasse. Alius verò asserere non veretur Romanũ Pontificem quamuis animas caternatim secum ad inferos trahat, nullius reprehensioni fore subiectum: Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tantopere verba, aut ipsorum summorum Pontificum sunt, suas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulantur.* Hæc Pius 2. *Cum ergo tantus esset Pontificum Romanorum honor vt præ timore sedis Apostolicæ contremiscerent potestates, & curuarentur qui orbem portant*; vti Krantzius: *Cum excommunicationis pœna tum grauis erat, quia id fulmen iaculari Pontifices rarò consueuerant, solaq; eorum arma excommunicationis erant, sed ità valida plerunq; vt genus mortalium nihil formidabilius putaret* vti Papirius Massonius. *Cum hæc pœna olim, quia rarò infligebatur, pungentes aculeos in animis mortalium relinquebat: Ex quo autem*

AEneas Siluius in Concilio Basiliensi lib. 7.

Krantzius in metropoli, lib. 5. cap. 14.

De Episcopis Vrbis In Gregorio 7.

Romani

Romani Pontifices diarum prodigi fuere, minus virium habuit: nec mirum, ſiquidem admirari & quotidiana deſpicere humanum eſt, vti idem Maſſonius.

Idem l. 1 abet Annalium lib. 3. in Philippo Auguſt.

Hunc ſanctitatis veritatiſq; opinio, illinc excommunationis formido (*virtutibus enim inſidiatur elatio: &*

Faſtus ineſt pulchris, ſequiturq; ſuperbia formam,)

Leo de Quadrag. Serm. 4.

Ambitioni viam ſternunt, vnde facile Pontifices, vti Barclaius, anſam arripuerunt, vt ſuper Aſpidem & baſiliſcum ambularent, & capita collaq; Imperatorum & Regum, tanquam Dracones conculcarent, Iuſq; dandi & auferendi regna terrena vſurparent, qui Regnum Cœlorum, & claudere & aperire poterant.

CAP. V.

Papa non habet poteſtatem Regum deponendorum indirectè.

1. *Artificio verborum & diſtinctionum, Pontificij poteſtatis temporalis corruptelam obtegunt:* 2. *Obſcuritas diſtinctionis* directè & indirectè *cachinno digna: confuſio eſt, non diſtinctio.* 3. *In eadem uoce ligandi & paſcendi, non continetur poteſtas directa & indirecta.* 4. *Non ſubordinatur caro ſpiritui, corpus animæ, Luna ſoli, indirectè.* 5. *Indirectè non eſt idem, quod caſualiter vel incidenter.* 6. *Innocentius 4. vtitur hac diſtinctione, & Caietanus, & alij.* 7. *Non curat Bellarminus, ſiue directè, ſiue indirectè hanc poteſtatem habeat Pontifex, modo habeat.* 8. *Rationes Bellarmini contra poteſtatem directam, à Barclaio contra indirectam retorquentur. Poteſtas ipſa Regum immediatè eſt a Deo.* 9. *An ſine cauſa poſſit Reges deponere Pontifex, ſi poteſtatem directam habeat.* 10. *Fluctuat Bellarminus: quandoq; poteſtas hæc temporalis, quandoq; in temporalibus. Si Papa deponit Reges, idem poteſt quilibet Epiſcopus.* 11. *Populus poteſt Reges deponere, authore Bell.* 12. *Eodem iure per conſenſum hominum, deſtitui poteſt pontifex, quo Imperator.* 13. *Pontifex non conſtitutus ſuper totam familiam. Non habet mandatum expreſſum aut tacitum, Regum deponendorum, qua paſtor eſt, quia non priuatorum.* 14. *Non in genere expreſſum, ſed in allegoria.* 15. *Poteſtas iſta nec ſcripta nec tra-*

traditam non 7. Cor. 6. nec 1. Cor. 9. 16. *Nemo docuit, aut exercuit hanc potestatem per 700. annos, & tamen & necessitas summa, & oportunitas.* 17. *Potestas temporalis, non est annexa spirituali.* 18. *De sententia Thomæ. Deerat potestas, non tantum vsus.*

1. *Hilarius.*

Callidi & astuti artificio quodam vtuntur, inclusam pernicioſam corruptelam exquisitorum verborum velamine, contegunt: sic ad *Constantium* Hilarius de Arianis, qui vnâ literâ ὁμοιούσιος pro, ὁμούσιος tantum à Diuinitate *Filij* distabant, quantum similitudo à veritate, Creatura distat à Creatore. Quantum à sinceritate & simplicitate antiquæ & primævæ fidei degeneraverit noua illa Romanensium doctrina, ex multitudine distinctionum & subtilitatum quibus scatent illorum libri facile dignoſci potest, sic vt in ipsos rectissimè quadret illud Hilarij: Inclusam pernicioſam corruptelam (exquisitorum dicam? an) barbarorum verborum velamine contegunt. *Propriè & impropriè; principaliter & reductivè; primariò & secundariò; largè & strictè; per se, per accidens; simpliciter & secundum quid; absolutè & quodam modo; merè & non merè; mediatè & immediatè; per se & propter se*, vt de cultu imaginum Bellarminus: *De facto & de iure; quâ leges & quâ rationes; directè & indirectè; directe & propter finem, directè & casualiter; hoc agens, & incidenter*: non vt Papa, sed *vt Princeps spiritualis; temporalis*, & *non merè temporalis*; aliaq; id genus infinita hoc efficiunt, vt magnæ scientiæ sit esse Christianum; sic vt *non iam credendi simplicitas, sed intelligendi vacitas in Christiano requiratur*: verum enimverò, *veritas rei divinæ ex fide magis quam ex ratione percipitur: si enim fides sanctæ Ecclesiæ ex disputationis ratione, non ex credulitatis pietate apprehenderetur, nemo, præter Philosophos & Oratores, beatitudinem possideret.* Si his distinctionibus constet fides Christiana, quin ergò Christiani omnes artes mechanicas, agriculturam, mercaturam deserant, ad studia & Academias se conferant, oleam operamq; omnem in eo collocent, vt Doctores evadant, quo, hac distinctionum supellectile ditati, soli *in cœlum cum suis sine corde doctrinæ* (vt Augustin.) *ascendant.*

Contra Epistolam fundam. c. 4.

Consentius Augustin. Epist. 121.

Confess. li. 1. ca. 8.

Observet verò Lector, quomodo fides non plebiorum, sed summorum Doctorum, imò authorum & conditorum fidei, per has distinctionum subtilitates tota vacillet, nec tam fides quam opinio, imò vero vmbra & larua opinionis sit.

In Tortura Tort. Pag. 27. ex Lib. 3. de Pont. Rom.

Audi ergò collectionem Doctissimi & Reuerendissimi Eliensis Episcopi, ex verbis *Bellarmini*, in hâc ipsâ in qua nunc versamur, causâ. *Credo quod Papa, non vt Papa, habet aliquo quidem modo, sed modo tamen indirecto, potestatem saltem quandam, temporalem, sed non merè, non absolutam, sed ad aliquid*

aliquid relatam, non perpetuam, sed casualem. Motus hic procul dubio non est fidei sed trepidationis, Academicos magis decet quam Christianos Catholicos, quibus fide tuta nihil certius. Laudem habet distinctio illa quæ perspicuitatem lucemque, non tenebras inducit: *faciunt ne istæ distinctiones intelligendo ut nihil intelligant.* Sed distinctionem ipsam perpendamus.

Voces, directè & indirectè, non intelliguntur, ut aliqui per iocum dicunt, potestatem spiritualem esse in Pontifice directè id est iustè & legitimè, temporalem autem indirectè id est iniustè & usurpatiuè.

——*Ridentem dicere verum*
Quis vetat?——

Præsertim cum multa dicere soleant homines ioco, quæ seriò dicere vix audent: Et potestas spiritualis in Pontifice, sicut in quolibet alio Episcopo, directe, id est justè & legitimè, (justitia enim rectitudo est, injustitia obliquitàs siue curvitas) hanc exerceat: Potestas temporalis in Pontifice nulla est directè, id est juste & legitimè, quià nullum talem aut exercuit *Christus*, aut Apostolis suis commisit: si ergo *indirectè* potestatem hanc temporalem habet Pontifex, injustè, usurpatiuè, & obliquè hanc potestatem arrogat; non ex institutione *Christi*, qui nihil indirectum, nihil obliquum ordinauit, sed ex usurpatione hominum, qui sæpiùs obliquè & indirecte assumunt quod directè concessum non est. 2.

Et quidem distinctio ista cachinno dignissima: jocatur enim qui in operibus Dei & naturæ, indirectum aliquid aut obliquum aut inordinatum somniat. Quid enim? An à Deo, omnis recti ordinisq; authore, aliquid indirectum aut curvum, aut inordinatum? Annon monstra sunt & portenta in naturâ, quæ à directo naturæ cursu deviant? Serionem ante hos Pontificum Parasitos dixit quisquam, Christum aut Evangelium, aliquid indirectum ordinasse, vel verius deordinasse? Quid opus erat hâc indirectâ potestate, quid ambagibus, quid circuitione opus? Si talem temporalem potestatem ordinâsset Christus, cur non & explicite, & directe dedit? Et termini ipsi, & nouitas terminorum, & deordinationem & confusionem sapiunt. Sed ipsam distinctionem extrà jocum consideremus. *Potestas Pontificis per se & propriè spiritualis est, & directè respicit, ut obiectum suum primarium spiritualia negotia; indirectè verò, id est per ordinem ad spiritualia, reductiuè & per necessariam consequentiam, ut sic loquamur, respicit temporalia, ut obiectum secundarium, ad quod non convertitur hæc spiritualis potestas, nisi in casu, ut Innocentius 3.*

In omni distinctione membra contradiuisa opposita sunt, nec

coincidunt; Quæ sunt hæc membra contradivisa? Potestas spiritualis directe respicit negotia spiritualia, indirectè respicit temporalia. Vbi sunt duo membra? Duo video opera, duos respectus', respicit spiritualia, respicit temporalia; at duo membra, duas potestates non video. Expectàram ego duas potestates Pontificis, vnam spiritualem, eamq; directam, quæ spritualia respiceret, temporalem alteram, sed indirectam, quæ obliquè temporalia respiceret: Malè agit causam Pontificis sui Cardinalis, qui, dum vnam eandemq; potestatem duos habere oculos statuit, vnum quo spiritualia directè, alterum quo temporalia à latere vel à tergo respiciat, & potestatem Pontificis temporalem, & suam de temporali Pontificis potestate defensionem, vnâq; testes suos, qui temporalem potestatem asserunt, deseruit: nec enim quæstio est, an potestas spiritualis respiciat temporalia, sed an potestas aliqua temporalis Pontifici commissa sit?

Distinguit Schola de *actibus virtutum*, quidam sunt *proprij* siue *eliciti*: vt oratio, gratiarum actio, Sacrificium, actus religionis proprij & eliciti dicuntur: quidam sunt *imperati & alieni*, vtpotè visitatio viduarum & pupillorum, abiectio omnis immunditiæ in hoc seculo, quæ in Deum sed per proximum tendunt; quæ à misericordia & sanctitate profluunt, & dicuntur actus religionis, sed imperati, non eliciti: Pura Religio & immaculata apud Deum Patrem est &c. An verò hic est sensus huius distinctionis, directè & indirectè? Actus potestatis spiritualis Pontificiæ proprius & elicitus, hoc est, directus, est tractare negotia spiritualia; actus verò imperatus & indirectus, est tractare negotia temporalia. Si hic sit sensus huius termini, indirecte, depositio Regum est actus alterius potestatis, hoc est, procerum & populi, non actus Pontificis, etsi ad nutum Pontificis exercendus sit: sicut visitatio viduarum & pupillorum actus proprius & elicitus est misericordiæ, etsi imperatus à religione, cui aliæ virtutes subordinantur: sic depositio Regum non est actus potestatis spiritualis Pontificiæ elicitus & proprius, sed imperatus, id est improprius & alienus. Potestas per se & propriè spirtualis est, & negotia spiritualia, vt objectum suum primarium directè respicit. Respondè verò; potestas spiritualis quæ spiritualia negotia, tanquam objectum primarium, respicit, an spiritualia respicit sine ordine ad finem spiritualem? An non hæc spiritualia per necessariam consequentiam tractat? Si negotia spiritualia in ordine ad spiritualia propter finem spiritualem, & per necessariam consequentiam tractat directè; quæ est hæc distinctio, directè respicit & indirectè respicit? Potestas vna est, non duæ; spiritualis est, non temporalis: potestas spiritualis, directè respicit spiritualia per necessariam consequentiam; propter finem, in ordine ad Deum: aut ergò male describit *Bellarminus* potestatem spiritualem indirectam, aut

Iacob.1.

pote-

poteſtas directa eſt etiam indirecta; quià agere propter finem in ordine ad Deum, poteſtati directæ competit. Confuſio hæc eſt, non diſtinctio.

Non ſic deponit Pontifex Reges, ſicut deponit Epiſcopos; directè deponit Epiſcopos, Reges indirectè; & tamen eadem poteſtate ſpirituali: eadem ergò poteſtas ſpiritualis & directa eſt & indirecta; & recta & obliqua, ſiue curua; & propria & impropria; & eſſentialis & accidentalis. Quid verò? An non eodem modo excommunicat Reges, quo excommunicat Epiſcopos? An directè Epiſcopos excommunicat, indirectè verò Reges? An verò directè excommunicat Reges, ſicut & Epiſcopos? Directe excommunicat omnes: Eſto: At Rex excommunicatus deponitur: hæreſis privat jure naturali, ciuili, politico. Directè excommunicat; quià ſequitur ad excommunicationem depoſitio, quid ni ergò directè deponit? Præterea Hæreticus manifeſtus ipſo facto ante latam ſententiam deponitur. Si Reges aut alij Principes Chriſtiani facti ſunt hæretici, protinus ſubjecti & vaſſalli ab eorum dominio liberantur. Protinus liberantur de facto, ſine ſententiâ Iudicis. Iure & merito Scythæ Regem ſuum Scylem occiderunt; & nulla ibi præceſſit ſententia. An iſta omnia indirectè procedunt? 3.

Simancha tit. 27 de excommuni. num. 11.
Vide Simanchan tit. 46. de hæreſi, num. 74.
De Dominio temporal, tit. 23.

Mira verò eſt horum novatorum ſubtilitas, acumen egregium. In eadem voce Chriſti, vtrumque membrum huius diſtinctionis facile iegunt. *Quicquid ligaueris in terrâ, ligatum erit & in cœlis; quicquid ſolueris in terrâ, ſolutum erit & in cœlis.* Liga Epiſcopos directe; liga Reges indirecte; vel potius ſolue, id eſt relaxa iura Regum indirecte. Liga peccatores in peccatis directe: liga Reges (etiam præter merita peccatorum (Childericus enim non quià peccater, ſed quià invtilis, depoſitus eſt) indirecte Liga Reges, id eſt depone Reges indirecte: privatos nec indirecte depone. Quicquid tu, *Petre*, ligaveris in ſingulari, quoſcunque Reges depoſueris, ligati, depoſiti ſunt: *Quæcunque aligaueritis* vos, Apoſtoli, in Plurali; id eſt quoſcunque Reges depoſueritis, ligati, depoſiti non ſunt: ſolus Pontifex deponit Reges; alij Apoſtoli, Patriarchæ, Epiſcopi, Reges ſuos deponere non poſſunt: Acutiſſimi paraſiti, qui in eadem voce poteſtatem directam & indirectam, in ijſdem verbis poteſtatem Pontificis vident, poteſtatem Epiſcoporum non vident. Paſce oues, paſce agnos, id eſt omnes; paſce cibo ſpirituali directe; paſce cibo temporali indirecte: non paſce, id eſt depone Epiſcopos directe, non paſce, id eſt depone Reges indirecte. *Lynceis* opus eſt oculis, vt has fidei Pontificiæ ſubtilitates perſpiciat Chriſtianus fidelis: nobis non licet eſſe tam acutis.

Præterea poteſtas temporalis ſpirituali ſubordinatur, vt caro ſpiritui, & corpus animæ; vel luna Soli. Quæro hic: caro ſpiritui 48.

ſubjecta eſt directè, an indirectè? Si directè; directam ergò habet poteſtatem temporalem Pontifex in Imperatores & Reges; ſicq; ſimilitudo hęc, quam tantopere approbat Bellarminus, ſtatum Bellarminianum prorſus everſit. Si indirecta, omnes ergò nutus & actus corporis ab animâ ſunt indirectè, corpus animæ ſubijcitur ſolum indirectè & in ordine ad ſpiritualia: ſi ſol lumen ſuum lunæ communicat ſolum indirectè & propter finem, linea à ſole ad lunam ducta indirecta & obliqua erit: ſimilitudines iſtæ non currunt quatuor pedibus, imò illo pede claudicant quo maximè currere deberent.

At verbum illud (indirectè) minus placet; leuioribus & mollioribus vtamur, *In alij regionibus, certis cauſis inſpectis temporalem iuriſdictionem caſualiter exercemus, ſic Innocentius* 3.

In Cap. per venerabilem, qui filij ſint legitimi.

Sed aliud eſt incidenter excurrere in iſta (temporalia negotia) *cauſâ quidem vrgente, aliud vero vltro incumbere iſtis tanquam magnis, dignisque tali*: ſic Bernardus. Temporalem iuriſdictionem *caſualiter* exercemus; ſic Innocentius: ſpiritualem iuriſdictionem in rebus temporalibus *indirectè* exercemus; ſic Bellarminus: ſed multùm mutatus ab illo *Innocentio*: *temporalem* enim iuriſdictionem in ſpiritualem mutauit *Bellarminus* & pro (*caſualiter*) *indirectè* dixit. *Caſualiter* exercemus, id eſt in caſu: ſic Innocentius. Quis ille caſus ſit ſatis conſtat: Rex Franciæ qui ex ſecundâ vxore, primâ ſuperſtite, liberos ſuſceperat, ſponte ſua, non ſubjectus iuriſdictioni Pontificis Romani (vtpote qui ſuperiorem in temporalibus non agnoſcit) petijt ab *Innocentio* tertio: vt hoſce liberos ſpurios nothoſq; legitimos faceret, aut ſaltem declararet: annuit *Innocentius*, adulterinos declarat legitimos eodem jure quo adulteram conjugem legitimam declarat: quid non poſſunt Pontifices, qui adulterium in matrimonium tranſmutare poſſunt? Hoc exemplo permotus *Nobilis* quidam *Montis Peſſulani* ſimiliter petit vt liberos ſuos ex adulterio, viuente legitimâ conjuge, ſuſceptos legitimaret; negat Pontifex; quià *Nobilis* ille ordinarium haberet ſuperiorem, à quo legitimationem iſtam petere poſſit. Vtriuſque idem finis, & Regis, vt Regni, & Nobilis, vt patrimonij hæredem relinqueret: ſed ſucceſſus diſpar: judicat Pontifex de cauſâ Regis, de cauſâ Nobilis non judicat; vt ſolet Pontifex Reges exauthorare, qui Nobiles privatos exhæredare non poteſt. Rationem ſi quæras, manifeſta eſt: Nobilis ille judicem habebat ordinarium, ſine cuius injuriâ de filiorum legitimatione ſtatuere non poterat Pontifex: Rex ſuperiorem non habebat in temporalibus: Pontificem, vt arbitrum honorarium, magnæ, vt videbatur, & doctrinæ & ſanctitatis virum conſulit, eius judicium de liberorum ſuorum legitimatione ſubit, ſine cuiuſquam ſuperioris injuriâ. *Inſuper cùm Rex ſuperiorem in temporalibus minimè recognoſcat, ſine iuris alterius læſione in eo: ſe iuriſ-*

Lib. 1. de conſid. Cap. 5.

iurisdictioni nostræ subijcere potuit ; in quo videretur aliquibus quod per seipsum, non tanquam Pater cum filijs, sed tanquam Princeps cum subditis potuit dispensare. Iudicium ergo hoc arbitrarium, nec ordinarium; si enim ordinarium, iustitia tam nobili priuato, quam Regi supremo ministranda erat; *Casualiter* ergò, hoc est, vt arbiter, non vt judex, exercet *Innocentius* iurisdictionem temporalem, id est in casu; vtpotè qui de legitimatione filiorum judicat, *casualiter* de Regni hærede vel successore judicat; sed tamen aliud agens : Id quod potest etiam quilibet Episcopus.

At Pontifices qui de Regum depositionibus non *casualiter*, sed ex *professo*, certo scilicet & determinato proposito, non aliud, sed hoc solum & præcipuum agentes, statuunt; nec tanquam *arbitri electi* & honorarij, sed tanquam Iudices ordinarij sententiam ferunt. Id quod præcise cauet Innocentius: *in alijs Regionibus temporalem iurisdictionem casualitèr exercemus, non quod alieno iuri præiudicare velimus.* An depositio Regum, sine præjudicio Regum fieri potest? *Casualiter* ergo hoc loco apud *Innocentium* nihil minus sonat, quam *indirectè*: nec ad depositionem Regum, quæ potestas est temporalis & ciuilis, sed ad legitimationem liberorum, quæ aliquo modo ad cognitionem Ecclesiæ spectat, extenditur; idq; ad aliquem, non tamen omnem effectum, vt docet glossa; vbi habetur hæc distinctio, *directè & indirectè*: nec hoc latuit *Bellarminum*, sed subticuit, quia parum in rem suam.

Ex eo enim quòd legitimat aliquem in spiritualibus, per consequentiam, & in temporalibus, prout ipse Papa argumentatur hic, propter hoc tamen quod legitimat aliquem in spiritualibus ; non probatur quod habeat iurisdictionem in temporalibus, legitimare enim pertinet ad voluntariam iurisdictionem. Item quod ad Papam nihil spectat in temporalibus : & sic videtur quod Papa quoad temporalia legitimare non possit, vbi non habet temporalem iurisdictionem : ad hoc dixit Innocentius, quod Dominus Papa non habet potestatem legitimandi in temporalibus, sed eo ipso, quod legitimat aliquem quoad spiritualia, & per consequens legitimat eum quoad temporalia, qua sunt minùs digna. Et sic legitimat per consequentiam, sed non directè; sæpe enim permittitur aliquid indirectè, quod non permittitur directe : Ecce distinctio tua in glossa : sed, quid de hâc re sentiat glossator, audi : *Ioannes adhæsit allegationi, quam ponit hic Dominus Papa; Sed contrarium credo, scilicet quod Dominus Papa non possit legitimare aliquem, quantum ad hoc, vt succedat in hæreditate, tanquam legitimus hæres, qui non sit : dico, de sua iurisdictione temporali; sic enim esset mittere falcem in alienam messem, & vsurpare alienam iurisdictionem, quod esse non debet; & priuare aliquem iure succedendi; vnde credo quod non possit legitimare; nisi quoad actus spirituales, &c.* *In verbo: habent potestatem.*

Hæc gloſſa. Non placuit *Bellarmino* hinc diſtinctionem petere, quia cauſæ ſuæ parum fauet.

Sequitur *Bernardus*, qui voce iſtâ (*incidenter*) vtitur: ſed parum fauet cauſæ Bellarminianæ; *Aliud eſt incidenter excurrere in iſta, cauſâ quidem vrgente*: excurrere enim eſt extra metas & limites ſiue fines proprios currere: & *incidenter* à cadendo deriuatur, non fit excurſus iſte ſine lapſu; certè ſi non lapſus, deſcenſus eſt, excurſus iſte, porta ciuitatem devoravit. Non ſolent rerum temporalium judices ordinarij, in temporalia iſta *incidenter*, cauſâ quidem vrgente, excurrere, quia Iudices ordinarij ſunt, nec excurrunt, ſed in ſuo, vt ſic loquar, orbe, in ſuo elemento proprio verſantur. Noua hæc eſt & inaudita, certè impropria loquendi phraſis, vt dicatur judex ordinarius *excurrere*, in ijs cauſis, quæ ad illum ſolum ſpectant; & ſolus Pontifex Regum caſtigator & depoſitor. Excurebat ergò in temporalia, non vt *Iudex ordinarius*, ſed vt *arbiter* electus; *incidenter* ergò, id eſt commiſſionis, ſiue arbitrij, vt & ſinguli Epiſcopi in ſuis Dioceſibus, & ſinguli parochi in ſuis parochijs etiam hodie faciunt: Id docent verba ſequentia. *Aliud vero vltro incumbere iſtis, tanquam magnis digniſq; tali*: vltrò & ſponte incumbere, hoc debet Iudex ordinarius: invitus ergò, & coactus, & rogatus, tanquam arbiter, hoc facere debet Pontifex. Et illa nec magna nec digna Pontifice: At depoſitio Regum res maxima & ſolo Pontifice digna, ſolli *Petro* & ſucceſſoribus eius, ſi *Bellarmino* credimus, commiſſo & reſeruata. Et *Bernardus* poteſtatem Pontifcis in *criminibus non in poſſeſſionibus* circumſcribit: *Propter hæc, non propter illas accepiſtis claues Regni cælorum prævaricatores vtique exeluſuri, non poſſeſſores.* (*Incidenter*) ergo *Bernardi*, nihil ad (*indirecte*) tuum, indirectus enim Iudex tuus, ordinarius eſt.

De conſid. l. 1. c. 6

6. At Author huius diſtinctionis *Innocentius* 4. dignum tali patellia operculum: depoſuit ille *Fredericum* in Concilio Lugdunenſi *cum horrore & ſtupore omnium*: nouas has voces, nouam hanc ſubtilitatem adinvenit ad confuſionem totius orbis Chriſtiani. Quid verò *Innocentius*, cum in Concilio Lugdunenſi *Fredericum* & excommunicat & imperio priuat, an directè excommunicat, indirectè verò deponit? Si quis *Innocentio* joco dixiſſet, potes quidem Imperatorem directè excommunicare, at deponere non potes niſi indirectè; fortaſſe ſeriò pœnas dediſſet: verum quid in cauſâ ſuâ ſenſerit *Cauſidicus* ille *Innocentius*, magnus phylacterij Pontificij dilatator, parum refert.

Qui filij ſunt legit. C. per venerabilem.

Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum Regem ſpectat iudicium, ſed decernere de peccato: ſic Innocentius 3. Non intendimus iudicare de feudo, *directè*, ſecus *indirectè*, quia non poteſt agere niſi reſtituat: ſic gloſſa *Innocenij* 4. nouâ diſtinctione textum corrumpit. Pontifex

fex directè non judicat de feudis, secus autem indirectè, ratione peccati: sic malâ fide *Bellarminus*: secus indirectè, quia non potest agere pœnitentiam, nisi restituat; sic Innocentius quartus: acsi diceret: indirectè iudicat de feudo, quia non dimittitur peccatum, nisi feudum injustè ablatum & detentum restituatur. Restitutio pars est pœnitentiæ, & in foro pœnitentiæ à quolibet Sacerdote iniungitur, sicut à Pontifice; sic ergò Pontifex judicat de feudo indirecte, sicut quil bet Sacerdos & Confessarius, juxta *Innocentium* quartum: secus indirecte: sic *Bellarminus*, acsi Pontifex ratione peccati posset feudo priuare & deponere Regem: videat Lector quomodo Pontifices recitando, Pontificum suorum sententias adaugeaut: Pontifex non iudicat de feudo: sed decernit de peccato; sic *Innocentius* tertius: Pontifex non iudicat de feudo directè, secus indirectè, propter restitutionem: sic *Innocentius* quartus: Pontifex iudicat de feudo indirectè ratione peccati propter abalationem vel privationem, sic *Bellarminus*. Crescit eundo, vt fama, sic doctrina Pontificia. Et vt nobilis ille Iureconsultus Cynus (cujus etiam verba l. 1. Cap. 8. citavimus) *Secundum Canonistas qui fecerunt sibi iura pro libito voluntatis, Lex ista (scilicet interdum licet per consequentiam quod non licet directè) seruaretur ad commodum ipsorum, non tamen contra eos, quia dicunt quod Iudex secularis, qui non potest principaliter cognoscere de spiritualibus, non potest cognoscere, etiam incidenter; sed è contrà Iudex Ecclesiasticus benè cognosceret de causa seculari etiam incidenter; & sic faciunt contra legem istam, propter ambitionem iurisdictionis secularis vsurpandæ, & non propter aliud.* *Cynus L. Quoties? Cod. de Iudicijs.*

Thomas Caietanus hac distinctione vtitur: sed de potestat^e Regum deponendorum silet: *Ioannem de Turrecremata, Petrum de palude, Durandum, Victoriam, Sotum, Ledesmium, Simancam, Cordubensem, Navarram, Molinam*, tanquam parasitos Pontificiæ potestatis, & homines nouos & nuperos, quiq; & partibus addicti, & pòst nati, & parum liberi, parùm moramur: quibus, tanquam impijs politicis, quia sub specie pietatis *Machiavellum* obtegunt, Anathema non potest non dicere *Carerius*, qui *Bellarmino*, vti *Nestorio*, aut *Eutycheti* dicit.

Distinctio ergo ista potestatis spiritualis, quæ quandoque rectis siue directis spiritualia, quandoque *transuersa tuentibus hircis*, siue obliquis, id est indirectis oculis temporalia respicit, quæq; quandoq; rectis, quandoque divaricatis pedibus graditur; quæq; proinde, *serpit vt Cancer*, & motu fertur laterali siue cancerino, authores suos repetat, nè morbo lethali, vt Cancer, pectora, adeoq; cor ipsum potestatis Ecclesiasticæ, sicut & Imperialis, devoret & consumat, adeoq; bellis & discordijs & intestinis orbem Christianum incendat, & tauquam prædam Turcis & Mahumetanis diripiendum exponat. *Virgil.*

Egregie diſputat *Bellarminus* Lib. 5. de Pontifice Romano, contrà temporalis Monarchiæ Pontificiæ Authores; qui directam Pontifici in omnes Reges, tanquam vaſallos ſiue proreges ſuos, poteſtatem, eoſdem pro arbitrio ſuo remouendi ſiue deponendi, aſtruunt: quorum argumenta & propugnacula fortiter demolitur. Male hoc ceſſit *Bellarmino*: *Sixto quinto*, homini ambitioſiſſimo, imperioſiſſimo parum placuit verſuta illa diſtinctio, quæ eandem poteſtatem Pontifici indirectè & in ordine ad Deum, hoc eſt *obliquè* tribuit: Non placet Pontifici reddere rationem facti ſui: *ſtat pro ratione voluntas*: volo ad libitum meum Reges exauthorare, hoc Papale eſt, hoc placet: cauſa' vrgente Reges deponere, hoc anguſtum eſt. *Bonifacius* octauus Cæſareâ inſulâ incutus, & exclamans, *ecce duo gladij*, an hanc diſtinctionem æquo animo patietur?

Krantius in Saxonia.

Vidit præterea *Bell.* rationes ſuas, quibus poteſtatē directam demolitur, in caput ſuum à Barcl. doctiſſime retorqueri, eodem ariete vtranque opinionem labefactari: hoc male habet Cardinalem; ideo præfatur. *Et quoniam Barcl. poteſtatem ſummi Pontificis in temporalibus vniuerſe negat, Ego quoque poteſtatem eandem vniuerſe aſtruam, non multum laborans, ſi ea poteſtas ſit abſoluta, vel in ordine tantum ad ſpiritualia ſe extendat.*

In Præfat.

Id eſt, non laboro de jure, non laboro de præmiſſis ſiue de Principijs; de poſſeſſione laboro, concluſionem defendo: hoc eſt, Sophiſtam, aut leguleium ago; non Dialecticum, non iuriſtam, non Theologum, qui eas ſolent defendere concluſiones, quarum principia firma & certa ſunt.

Iam ergo videamus quomodo contrà gladium ſuum ſeipſum protegat, quomodo argumentis ſuis in ſuum caput retortis, Tortus noſter reſpondeat. Sic ergo contrà eos, qui poteſtatem Pontificis & Spiritualem & temporalem, & Pontificiam ſimul & Regiam eſſe volunt; quiq; Reges non Reges, ſed miniſtros & executores Pontificiæ poteſtatis & voluntatis eſſe contendunt, diſputat Bell.

Poteſtas Regum terrenorum eſt à Deo; ex Pontificibus, Leone, Gelaſio, Gregorio, Nicolao.

Poteſt ergo ſummus Pontifex tollere executionem adminiſtrationis a Regibus & Imperatoribus, tanquam ſummus ipſe Rex & Imperator, vel non poteſt.

Si poteſt, ergo Pontifex eſt maior Chriſto, cum poſſit auferre quod Chriſtus dedit: Si non poteſt, ergo non habet vere poteſtatem Regiam in ipſos Reges & Imperatores. Hæc eſt argumentatio Bellarminiana.

Hanc ſic retorquet *Barcl.*

Aut

Aut poteſt ſummus Pontifex aliquo modo, hoc eſt, directe vel indirecte, auferre Regibus & Imperatoribus regna atque Imperia, aliiſq; conferre, aut non poteſt.

Si poteſt, ergo eſt aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit ipſe aufert: minor enim vel par non poteſt auferre, quod à maiore vel æquali conceſſum eſt: ac ne Vicarius quidem eius qui conceſſit, ſine expreſſo Domini mandato; ne quis reponat, Papam tanquam Chriſti Vicarium id facere, cum ipſe nullum de eâ re mandatum, neque expreſſum, neque tacitum accepiſſe inueniatur.

Si non poteſt, ergo falſum eſt quod dicunt, eum habere ſummam poteſtatem indirecte diſponendi de omnibus rebus temporalibus Chriſtianorum, ac deponendi de ſolio Reges & Imperatores, alioſq; in eorum locum ſufficiendi. Ad hæc reſpondet Bellarminus. *Poteſtas Regum eſt à Deo, vt dicunt Pontifices prædicti, ſed non immediatè, ſicut poteſtas Pontificis ſummi eſt immediatè à Deo.*

Diſtinctio iſta, *mediatè & immediatè*, ſicut & *directè & indirectè*, vna earum eſt, quæ non lucem ſed tenebras inducit, quæ non explicat & illuſtrat, ſed ſubtilitatibus & obſcuritatibus omnia inuoluit: id quod ex ſequentibus patebit: *poteſtas Regum, non eſt à Deo immediatè; quia homines per inſtinctum quendam naturalem eligunt ſibi Magiſtratus, à quibus reguntur*: acſi diceret Bellarminus. Aliquis per quaſdam feneſtras recipit lumen ſolis, ergo lumen ſolis non eſt *immediatè* à ſole: Electio enim *principantis*, aut formæ *Principatus*, ſiue ea Monarchia, ſiue Ariſtocratia, ſiue Democratia ſit, ad homines ſpectat, at Principatus ipſe, ſiue ipſe poteſtas, nullo modo eſt ab hominibus, ſed à Deo ſolo. Exemplo res ipſa manifeſta eſt. Lex Dei dicit; *non occides*, & qui hominem occiderit reus erit peccati: an Poteſt Populus dare cuiquam poteſtatem, vt hominem occidat, & à peccato immunis ſit: cum vltio & vindicta Deo propria & reſeruata ſit; (*mihi vindictam, ego rependam*, inquit Dominus, non populus) niſi Deus ipſe talem poteſtatem in terrâ inſtituiſſet.

Præterea vnuſquiſque Rex & Iudex in tribunali & ſolio Dei terreſtri tanquam Deus ſedet. *Dixi Dij eſtis.* An populus poteſt deputatum aut iudicem, loco Dei, ſine Deo, in eius ſolio conſtituere? Imo an poteſt Populus ſolium Dei erigere, & poteſtatem Dei hominibus communicare ſine Deo? Poteſtas ergo à Deo eſt *immediatè*, etſi in hunc vel illum hominẽ, mediantibus hominibus quandoq; transferatur. Poteſtatis enim huius Sol & fons eſt Deus, homines tantum radij & riuuli huius poteſtatis: Dicat verò *Bellarminus*, aut alius quiſquam; an radius dicere poteſt Soli, lumen non eſt *immediatè* à Sole, quia per radium communicatur? An riuulus dicere poteſt fonti: aqua non eſt *immediatè* à

fonte

fonte, quia per rivulos derivatur? Annon hoc est instrumentum contrà Deum erigere; causas secundas, contra primam omnium causam magnificare? Præterea, potestas omnis à Deo volita bona est, omne bonum à Deo est, primo & vnico fonte omnis boni: Executio ergo & communicatio potestatis huius *mediantibus hominibus* facta est: at potestas ipsa à Deo est *immediatè*, & non solum volentibus & consentientibus, sed etiam nolentibus & non consentientibus hominibus, à Deo ipso, & meliore naturâ stabilita est.

Potestas enim patria & regia, quoad essentiam & rem eadem sunt, etsi ambitu & extensione differant: eadem enim est potestas in vnâ familiâ & in multis; quod est Pater in vnâ familiâ, hoc est Rex in multis: Pater in familia sua Rex quidam, siue Regulus: Rex in regno Pater quidam patriæ: *ut prudentia domestica quadam regia familiæ potestas est, sic regalis potestas ciuitatis est, & vnius gentis, aut maioris re familiari*: sic Aristoteles. Quid vero? An potestas *Adami* in filios & nepotes, adeoq; omnes vbique homines, ex consensu filiorum & nepotum dependet, an à solo Deo, & Naturâ profluit? An *Moses* qui regiâ potestate sine nomine regio pollebat, mediante Populo, Dux & iudex Israelis factus est, an à solo Deo institutus? Ibi & Princeps & Principatus à Deo *immediate*. An Reges illi qui successione hæreditariâ non tam facti quã nati sunt, *mediante consensu hominum* Reges fiunt, cum eodem instanti quo Pater moritur filius Rex sit? *Ad vtilitatem gentilium terrenum Regnum positum est à Deo, sed non à diabolo, qui nunquam omnino quietus est, &c.* Sic Irenæus. *Deum qui vere Deus est adorabo, sciens Cæsarem ab ipso esse ordinatum.* Sic Theophylus Antiochenus. Infinitus essem, si omnes authores vel solùm nominarem, qui potestatem regiam à Deo esse vnanimiter prædicant: id potius conabor ostendere, non aliundè esse potestatem ipsam Regiam nisi ex Deo.

Polit. l. 3. c. 11.

L. 5. c. 24.

Ad Autolycum l. 1.

Epiphanius ex illis verbis Rom. 13. *Quæ enim potestates sunt, à Deo ordinatæ sunt, &c.* infert: *Et vides, quod potestas hæc mundana ex Deo ordinata est, & gladij potestatem accepit; non autem aliunde, sed ex Deo ad vltionem*; (si non aliunde, quomodo mediantibus hominibus. *Opus hoc est Dei prouidentiæ, in eos qui Magistratus gerunt, & in eos qui illis parent, vniuersum dimisisse.* Et infra; *Sed Magistratus constituere fuit opus Dei.* Et infra: *Ne plus quam ferina ritu multi viuerent, prouidens, veluti quandam currus regendi artem, & nauis gubernandæ scientiam Magistratus & Regna largitus est*: sic Chrysostomus.

Hæres. 46 contra Archontices.

In Psalm. 148.

Isidorus Peluſiota, sicut supra ex Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto, & alijs docuimus, distinguit inter principatum & Principem: non dixit Paulus; non est Præfectus nisi à Deo: verum de re ipsa differit his verbis vtens: *non est enim potestas nisi à Deo. Nam quod inter homines imperia & magistratus sint, atque alij imperent, alij pareant, ac non temera-*

L. 2. Ep. 216.

rario nec cæco impetu omnia ferantur, Populus videlicet fluctuum instar huc atque illuc se agitantibus, hoc à diuinâ sapientiâ proficisci ait. Hinc etiam lucrum facis, ait, quod subderis, non solum quia præceptum comples, verum quia Deum honoras, potestatem ab ipso ordinatam ac traditam honoras; beatus qui hoc modo & propter ista potestatem honorat, eiq; subditur, quemadmodum miser est qui propter ista non subditur; & ordinata ergo à Deo & tradita. Sic Photius. In c. 13. ad Rom.

Omne conuitium quod in verum iactatur Principem falsum est: propterea qui detrahit iudicibus spernit legem, ipsumq; qui nobis legem dedit: sic Procopius Gazeus. Ad Exod. c. 22.

Est diuinæ sapientiæ opus, vniuersum orbem in Principes atque subditos distinxisse. Et infra? *Quod Principes imperent & dominentur, diuinum quidem opus est, hoc est, à Deo datum:* sic Euthymius. In Psalm. 148.

Non tribuamus dandi Regni & imperij potestatem, nisi vero Deo, qui dat fœlicitatem in regno cœlorum solis piis: regnum vero terrenum & pijs & impijs, sicut ei placet, cui nihil iniustè placet. Qui Mario, ipse C. Cæsari; qui Augusto, ipse & Neroni; qui Vespasiano vel patri vel filio, suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo; & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse & Apostatæ Iuliano: Hæc plane vnus Deus & verus regit & gubernat, vt placet: etsi occultis causis, nunquã iniustis? Hæc August. De Ciuit. Dei. lib. 5. c. 21.

Meminerunt à Deo potestates has fuisse concessas, & propter vindictam noxiorum gladium fuisse permissum, & Dei esse Ministrum, vindicem in huiusmodi datum: Quomodo ergo reprehenderent factum, quod authore Deo viderent esse concessum: sic Innocent. 1. Epist. 3. ad Exuperium, c. 3.

Audi vero Concilium eldense: *Si quis Mpotestati regiæ, quæ non est, iuxta Apostolum nisi à Deo, contumaci & inflato spiritu, &c. obtemperare irrefragabiliter noluerit, anathematizetur.*

Concludo vero cum Brunone Carthusiano; *Nam non est aliqua potestas siue bona, siue mala, nisi à Deo: nec sic à Deo, vt hoc nolens permittat, quia quæcunq; sunt, sunt à Deo ordinata.* In 13. ad Rom.

Cum ergo Reges & Principes, vices Dei gerant in terris, per quos Deus mundum gubernat, sicut per causas secundas, vnde & Samuel Propheta, spretus in dominio, cum querelam proponeret coram Deo, responsum habuit, quod non ipsum Israeliticus populus sprouerat, sed Deum; vti Thomas. An quisquam sanus hoc affirmare audeat, esse in consensu vel potestate omnium hominum, vt quisquam potestatem Dei in terris exerceat, nisi talem prius ipse Dominus potestatem & voluerit, & disposuerit & ordinauerit? Et proindè; licet communicatio potestatis quandoq; sit per consensum hominum, at potestas ipsa *immediate* est à Deo, cuius est potestas; sicut aqua *immediate* à fonte fluit, licet in riuulo cursum habeat: Non ergo solum permisit Deus, vt homines regna & imperia constituerent, sed etiam De regimine Principum l. 2. cap. 15.

voluit

Lib.5.c.24. voluit,& ordinavit & depoſuit, & iuſſit.*Cuius iuſſu, homines naſcuntur, huius iuſſu & Reges conſtituuntur*:ſic Irenæus.

In Apolog.c.30. *Inde eſt Imperator, vnde & homo antequam Imperator, inde poteſtas illi vnde & ſpiritus*: ſic Tertullianus : & anima à Deo creando infunditur :& Imperium creatura Dei eſt; & ad creationem creatura nihil confert : *Sed vt in conſcientiâ tuâ certus ſis, illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris*

In Rom.13. *iuſſu Dominî tui* : vt Auguſt. Ecce Imperium & Regnum non ſolum permiſſio, ſed & diſpoſitio, &ordinatio, & voluntas, & mandatum Dei eſt.

Id quod expreſſè habetur in Decalogo; *honora Patrem tuum & matrem tuam*, in quo datur præceptum de obedientiâ Regibus & Patribus patriæ debita,vti omnes agnoſcunt.Et hoc præceptum, & ius natura eſt, & lex Dei moralis & æterna in ipſa hominum creatione in cordibus deſcripta:Et qui legem Moſis non habent, hanc legem habent ; *ipſi ſibi lex*

Rom.2.14. *ſunt*, vt Apoſtolus;proinde poteſtas ipſa,de quâ cauetur hac lege divinâ & naturali, à Deo ipſo manat *immediate*, quia bona eſt, & poteſtas Dei eſt, non hominis;homo enim in hominem imperium non habet,niſi vices Dei agat,& proinde ab hominibus ordinari non potuit; & à Deo diſpoſita & ordinata, & etiam iuſſu Dei inſtituta eſt.

Sed rationem audiamus Bellar. *Regnum eſt à Deo, ſed non immediate;*
" *quia Deus voluit eſſe in genere humano politicum regimen, & ideo inſtin-*
" *ctum quendam naturalem dedit hominibus, vt eligant ſibi magiſtratus, a*
" *quibus regantur* : *& voluit Deus regimen politicum eſſe diſtinctum ab Ec-*
" *cleſiaſtico*.Hæc Bellarm.

Quam frigidè de regimine politico hic loquitur *Bellar*! *Voluit* Deus; Apoſtolus dicit, *ordinauit*;Patres dicunt, *inſtituit & iuſſit*: *voluit Deus*, ſic *Bellarminus*:quam parum hoc aut nihil diſtat à permiſſione! voluit Deus bona,mala permiſit:voluit voluntate ſigni;de voluntate beneplaciti non hic agitur;ergo poteſtas hæc bona eſt:voluit vt homines poteſtatem ſuam,i.Dei,exercerent(Dei enim vices gerunt Reges & Imperatores)& tamen hæc poteſtas non eſt à Deo *immediate* conceſſa Regibus & Imperatoribus. Aut ergo poteſtatem Dei, conferre poſſunt homines in Regem vel Imperatorem ſicq; Deo maiores & ſuperiores ſunt; aut poteſtas Dei alicubi multitudini & populo collata eſt *immediate*, hâc lege, vt eam ipſi Regibus & Imperatoribus conferant,quod nullibi conſtat.Poteſtas ergo regia,quæ Dei eſt,aut *immediate* Regibus à Deo, collata eſt,aut *immediate* populo collata eſt, vt eam in Reges conferat : homo enim in hominem,parem in parem imperium non habet,niſi quatenus ſuperioris, id eſt, Dei vices gerit.

At *inſtinctus* quidam eſt naturalis,vt homines eligant ſibi Magiſtratus à quibus regantur.Imo *lex* eſt naturalis, quâ tenetur qui præeſt, vtpotè maritus,Dominus,Pater,Rex,ſubditos regere: qui vero ſubſunt ſuperioribus ſuis obedire;& peccât,qui hanc obedientiam debitam negant;quique curam reginimis ſibi commiſſam negligunt.

Imperia

Imperia ergo & Regna non solum de iure gentium ex consensu hominum instituta sunt, sed etiam *de iure diuino* sunt, & *naturali*: nunquam enim cauisset lex diuina & naturalis, de obedientia Regibus & Patriq; Patribus præstanda, nisi eâdem lege diuinâ & naturali fundata & stabilita essent Imperia & Regna: & proinde potestas ista, vtpotè potestas Dei non hominum, à Deo *immediate* ortum habet, licet, mediantibus hominibus, quandoq; in hunc vel illum hominem deriuetur.

Et sic quoad principium paria sunt potestas Ecclesiastica & Regia; vtraque à Deo oritur, à quo omnis paternitas & temporalis & spiritualis in cœlo & in terra nominatur: etsi vtraq; per consensum hominum electionem huic vel illi homini communicetur. Quod hi præter cæteros authores confirmant.

Card. Cusan. de Concord. Cathol. l. 3. c. 5. *Primo præsupponitur id quod vulgo notissimum est, quod Imperialis celsitudo est independens quoad sui naturam, imo primo & supremo distincta à spirituali sacerdotali potestate, habens dependentiam immediatam à Deo.* Card. Cusan.

Dantes de Monarchiâ l. 3. per totum, & in fine. *Sic ergo patet quod authoritas temporalis Monarchæ sine vllo medio in ipsum de fonte vniuersalis authoritatis descendit.* Dantes de Monarchia.

Lupoldus de Babenberg. de Iure Regni, c. 9. *Imperator indistinctius se intromittit, qui à Deo hoc est sibi commissum mediate.* Lupoldus de Babenberg.

Ioannes de Parisijs, de potestate Regali & Papali. *Ambæ oriuntur ab vnâ suprema potestate scilicet diuinâ immediate*; & vide apud eum cap. 15. & 18. Ioan. de Paris.

Antonius de Rosellis, Monarchiæ part. 1. 37. *Ex quibus infertur conclusiue Cæsarem à Deo immediate dependere, &c.* Antonius de Ros.

Michael Vleurrunus, de Regim. Mundi, p. 2. q. 2. num. 63. *Summus Apostolatus & Imperium quilibet eorum immediate ab vno principio, puta à Deo, procedunt.* Michael Vleur.

Theodoricus à Niem de Schismate lib. 3. cap. 7. *Quod autem Imperium principaliter & immediate pendet à Deo, sicut Ecclesia seu Ecclesiastica potestas, patet per rationes euidentes.* Theod. à Niem.

Iacobus Almain, de Authorit. Ecclesiæ cap. 8. ad 5. *Ad quintum dicitur quod potest intelligi multipliciter quod Papa sit proximus & immediatus Vicarius Christi, vno modo quod immediate sit à Christo sine quocunq; actu humano, seu sine consensu subditorum in se, vel in gerentibus vices eorum, & sic certum est nullum fuisse immediatum Christi Vicarium quoad potestatem spiritualem præter Petrum; Alio modo quod sit immediatus Vicarius Christi quantum ad exercitium potestatis immediate à Christo institutæ, (cum inter homines visibiliter conuersaretur) & Ecclesiæ collatæ, & sic concedendum est quemlibet summum Pontificem esse immediatum Christi Vicarium, quemadmodum Reges singuli (iuxta dictum Pauli) sunt Ministri* Iacob. Almain.

ſtri Dei in vindictam malefactorum; non quod illam immediate à Deo ſuſceperunt primo modo, ſed quia ex conſenſu populi habent exercitiũ poteſtatis quam Deus indidit populo, &c.

Guilel. de Rub. Guilielmus de Rubione in 2. Sent. q. 44. *Quantum ad ſecundum. Aliquam poteſtatem Deus per ſe immediate inſtituit, vt Eccleſiaſticam, quæ reſpicit aliquid ſoli Deo poſsibile, puta conuerſionem panis in corpus ſuum, &c. Et etiam poteſtas aliqua ſecularis, & Monarchia, & notabiles Principatus fuerunt à principio iſto modo à Deo.*

Cunerus Epiſc. Cunerus Epiſcopus Leovardienſis, de officio Principis Chriſtiani c. 5. *Si ex ſola in Principem conſenſione populus ei ſubeſſe teneretur, tam, non obediendo, fœderi quidem & pacto, ſed non proprie ac directe Dei ordinationi reſiſtere diceretur, quam Paulus in reſiſtendo proprie & immediate violari ſignificat; quoniam poteſtas cui reſiſtitur, à Deo ordinata eſt, ſic vt rebellio non iam contra hominem, ſed contra Deum eſſe cenſeri debeat.*

Thomas Wald. Thomas Waldenſis Tom. 1. lib. 2. Art. 3. cap. 78. per totum. Quod poteſtas & Regalis authoritas ſit immediate à Deo donata, in concluſione ait, *Hoc dicimus quod poteſtas Regis, eius, id eſt Dei tantum eſt, ipſi immediate à Deo largita.*

Somnium Virid. Somnium Viridarij lib. 1. cap. 78. *Spiritualis poteſtas licet maior dignitate, non tamen cauſalitate; imo ambæ ab eodem fonte, ſcilicet à Deo immediate proceſſerunt.*

Albericus de Roſ Albericus de Roſate, vt habetur in Rubrica eius ad L. Bene à Zenone, Cod. de Quadrien. præſcriptione num. 10. *Poteſtas Papalis in hoc ab Imperali differt, quod hæc à Domino Deo eſt, cui omnis anima ſubdi debet, illa vero non.*

Ludou. Bauarus. Ludouicus Bauarus in Apologia contra Ioannem. 22. *Imperium quod eſt immediate à ſolo Deo.*

9. Duo hoc loco fundamenta poſuit Bellarminus: alterum, *poteſtas Regia ſiue Imperialis, non eſt à Deo immediate, ſicut poteſtas Eccleſiaſtica:* atque hoc fundamentum arenoſum eſt & ſine fundamento vacillat: ſecundum, quod & à nobis conceſſum eſt; *poteſtas Regia & Pontificia diſtincta ſunt.* Ex his argumentum ſuum contra directam poteſtatem Pontificis ſtabilire, & idem argumentum contra indirectam poteſtatem Pontificis in temporalibus à *Barclaio* retortum conatur infirmare hoc modo.

Ex his perſpicuum eſt argumentum meum ſolidum eſſe, argumentum Barclaij omnino infirmum: nam ſi in ſummo Pontifice eſſet poteſtas ſpiritualis & temporalis directe, & eſſet Pontifex Rex mundi, vt eſt Pontifex Eccleſiæ vniverſæ, & Reges cæteri eſſent meri executores temporalis iuriſdictionis, certe poſſet Pontifex pro arbitrio ſuo priuare quoſlibet Reges adminiſtratione & executione iuriſdictionis temporalis, & hoc modo poſſet tollere regimen politicum vel confundere cum Eccleſiaſtico, & eſſet maior Chriſto, cum poſſit tollere, vel confundere poteſtates, quas ille voluit eſſe, & eſſe diſtinctas.

Ratio

Ratio hæc satis firma & stabilis est, contra potestatem temporalem Pontificis directam: in hoc solum peccat quod dicit; posset Pontifex *pro arbitrio suo*, Reges quoslibet administratione suâ, & executione iurisdictionis temporalis privare; dixisset, *pro causæ exigentiâ*, non, *pro arbitrio suo*: nec enim potest Pontifex, qui habet directam potestatem spiritualem in Episcopos sibi subiectos, eos deponere, *pro arbitrio suo*, sed tantum *causa vrgente*: nec potest Rex, qui directe potestatem habet temporalem, subditos suos *sine causa, pro arbitrio suo* exhæredare, aut legitimâ successione privare, Et absolutam illam potestatem, quæ omnia pro arbitrio suo disponat, nec mundus iste inferior, nec Ecclesia militans agnoscit, in qua omnia sunt ordinata: solus Deus omnia pro arbitrio suæ voluntatis iustissime disponit. Somniat Cardinalis de imperio aliquo Turcico, aut tyrannico, in quo omnia ad libitum vnius disponuntur; quod quidem potestatis directæ assertores, Pontifici facile non concedent.

At si in summo Pontifice ponatur potestas spiritualis, tantum directe, & temporalis indirecte. i. in ordine solum ad spiritualia, non sequitur posse Pontificem tollere vel confundere politicum regimen, sed solum sequitur, posse Pontificem per spiritualem, atq; Apostolicã eminentissimam suam potestatẽ dirigere & corrigere, potestatem politicam, eamq; si opus sit, ad finem spiritualem, vni Principi adimere, & alteri conferre. Hæc Bellarm. 10.

Quam inconstans *Bell.*! superius dixerat, potestas spiritualis respicit spiritualia directe, temporalia indirecte; ibi vna potestas, & vnius potestatis opera duo: hic dicit; potestas *spiritualis* in Pontifice directe, & *temporalis* indirecte: ecce iam non tantum duo sunt opera vnius potestatis, sed duæ etiam potestates, spiritualis & temporalis: Catulus vrsinus est, nondum satis formatus: proculdubio fides hæc informis est: Constans est Cardinalis in inconstantiâ suâ; etiam in hâc ipsa sententia leuitatem ipsam superat.

In Pontifice potestas spiritualis directe, temporalis indirecte; & sequitur; *potest Pontifex per spiritualem potestatem* (quam ille Apostolicam & eminentissimam somniat) *vni adimere & alteri potestatem politicam conferre.* Si potest per spiritualem potestatem Regna vni adimere, alteri conferre, quid opus est temporali potestate *indirectâ*? Si opus est *indirectâ* potestate temporali, non potest per spiritualem potestatem Reges deponere.

At quomodo sequitur? Si in Pontifice sit potestas spiritualis *directe*, & temporalis *indirecte*, etsi non potest confundere, aut prorsus tollere potestatem politicam, potest tamen vni adimere, & alteri conferre. Si enim potestatem spiritualem sequitur potestas deponendorum Regum, in quocunq; est potestas spiritualis, in eodem est potestas Regum deponendorũ sic singuli Episcopi possunt Reges suos deponere, in suis Diocesibus, sicut Pontifex Reges deponit in vniuersali Ecclesia. Eadem enim est potestas

&

& directe & *indirecte* in Episcopo Romano, & in alijs Episcopis; licèt orbis maior sit vrbe, at potestas in vrbe eadem est quæ in orbe. *Quod enim est Papa in vniuersa Ecclesia, hoc est quilibet Episcopus in particulari*: sic Bell. Papa deponit Reges in vniversa Ecclesiâ *indirecte*, ergo quilibet Episcopus in particulari Ecclesiâ deponit Reges *indirecte*.

De Pont. Rom. lib. 5. c. 3. item. Papa.

At Papæ potestas est Apostolica & eminentissima: eminentia ordinis aliqua esse potest, at potestatis nulla: *pari consortio præditi sunt & honoris & potestatis* omnes Apostoli, & proinde omnes eorum successores *eiusdē sunt meriti, eiusdem Sacerdotij*. Quod potest Pontifex hoc potest quilibet Episcopus in particulari Ecclesia: non Ergo consequitur potestatem spiritualē potestas deponendorū Regū; de qua consecutione vide supra. c. 4.

Hieron. Ad Euagr.

Atque vt respondeamus in formâ ad argumentum; cum ille dicit: Aut potest Pontifex aliquo modo, hoc est, directe vel indirecte, auferre Regibus aut Imperatoribus Regna atque imperia, aliisq; conferre, aut non potest: Respondeo, potest.

Respondeo, potest: ad partes, *si directe, maior est Christo, cum possit tollere vel confundere potestates quas ille voluit esse, & esse distinctas*: sic supra Bell. Si indirectè, cur ergo non eloqueris? an pudet huius obliquæ defensionis? an iam pendet Bell. in aëre inter cœlum & infernum? an vero quia *Paridi* periculosum & perniciosum erat, è tribus vnam eligere, ideo *Bell.* è duobus nentrem eligit? Potest ergo, sed nec iure directo, nec indirecto; potest tamen: Vtriuq; est periculum: si, directè, dixerit, rationes & argumenta sua effugere non potest: si, indirectè, dixerit, multos quos producit testes, habet aduersarios infestissimos, Pontificibus placebit parum: potest ergo; sed de modo, vel potius de iure non curo, non respondeo; modo possit, habeo quod volo: pereant principia & præmissæ, modo stet conclusio; stet domus, & ruant columnæ, & fundamenta conculcentur. Sic decet malam causam agere.

Cum ille colligit, si potest, ergo est aliquo modo maior Deo, quia quod Deus dedit, ipse aufert. Nego consequutionem; nam Deus non dedit immediate regnum huic aut illi, &c. proinde cum summus Pontifex transfert regnum ab vno ad alium, non tollit quod Deus dedit, sed ordinat.

Imò verò valet consecutio: Qui enim tollit, quod Deus dedit, aliquo modo maior est Deo: quæ enim à Deo facta sunt, infecta fieri non possunt, nisi ab eo, qui Deo maior, Deum potestate superat, & minor virtus non vincit maiorem; quiq; tollit legem Dei & naturæ, aut contra eam dispensat, maiorem se Deo facit, & naturâ.

Laborat multum Cardinalis in hac distinctione: Potestas Regum est à Deo non *immediate*, sed *mediante consensu hominum*; sed parum in rem suam: Si enim potestas Regum à Deo sit *immediate*, vt supra probavimus, non potest per Pontificem tolli, nec id audet Bellarm. affirmare. Si potestas Regum sit à Deo, sed mediante consensu hominum, non potest

Nil.

hanc

hanc poteſtatem vni adimere, & alteri conferre Pontifex: nam eodem cõſenſu deſtituitur Rex quo inſtituitur: eadem ſunt principia conſtitutionis & deſtitutionis: Poteſtas Regis à Deo, mediante conſenſu hominum, inſtituitur: Ergo poteſtas Regis à Deo, mediante conſenſu hominum deſtituenda eſt.

Non inſtituitur poteſtas Regum ab hominibus ſine Deo: Non ergo deſtituitur poteſtas Regum ab hominibus, ſine Deo. Conſenſus hominum ſine Deo non inſtituit Regem; Conſenſus ergo hominum ſine Deo, non deſtituit Regem. Quid vero hæc ad Pontificem? Pontifex nec Deus eſt, nec homo; ſi mendax non ſit Innocentius 3. *Inter Deum & hominem medius conſtitutus; citra Deum, ſed vltra hominem; minor Deo, ſed maior homine.* Sic nec author eſt poteſtatis Regiæ, vt Deus; nec inſtrumentum, vt homo: nec eligit Imperatorem, nec in aliquem conſentit. Ergo Pontificis conſenſu mediante, nemo Rex conſtituitur, & proinde nec deſtituitur: eodem enim conſenſu mediante deſtituitur, quo inſtituitur, ab eodem conſenſu & inſtitutio & deſtitutio. *In conſecratione Pontif. maximi Serm. 2.*

Præterea Pontifex homo eſt vnicus: Et verba Bell. ſunt: *Quemadmodum Deus dat Reges hominibus, mediante conſenſu & conſilio hominum, & poteſt & ſolet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante conſilio & conſenſu eorundem hominum.* Mediante ergo conſenſu hominum; non hominis, niſi fortè Pontifex grauida facta ſit, vt *Ioanna* illa (da veniam *Priſciane:*) An Conſenſus Pontificis, procerum & populi conſenſum ſupplet & continet? quid ſolus arrogat quod ab omnium hominum conſenſu dependet? Siccine vero? An Pontifex Vicarius *Chriſti* hominis, imò Dei & hominis, ſucceſſor *Petri* & *Pauli*, hæres prophetarum, factus item eſt Vicarius Populi? An à Populo hanc poteſtatem Regum deponendorum accepit? *Belluæ multorum capitum* Populus: In hoc capite Pontificio capita multa, multæ belluæ multorum capitum, imò omnium capitum, quia pro omnibus conſentit in Regum deſtitutione, qui in nullius Regis, aut ſolius ſaltem Imperatoris inſtitutione conſentit: Poteſtas iſta Regum deponendorum verè indirecta, vtpotè quæ non à Deo, non à Chriſto, non à Petro, ſed à Populo in Pontificem deriuatur.

Audi vero *Bell.* quod te dignum eſt; tuba ſeditionis, rebellionum Doctor, perduellionum præco, proditionum Archidux & machinator: Deſinant poſthæc Ieſuitæ *Puritano-papiſtæ Buchanano*, Authori illius libri de iure ſubditorum in Magiſtratus, alijſq; ſimilibus hanc doctrinam de populi poteſtate in Regibus deponendis improperare: non ſolùm Boucherius, author illius libelli famoſi de juſta abdicatione Henrici 3. ſed & *Bellarm.* Archi-Ieſuita, doctiſſimus in palatio Romano Præfector, intimus & à Conſilijs Papæ; qui, quæ in ſcrinio pectoris Pontificij, quaſi depoſita

Apoſtolica, delitescunt, optime nouit, author eſt & defenſor tumultuum & ſeditionum popularium contrà Principes ſuos. *Quemadmodum Deus dat regna hominibus, mediante conſenſu & conſilio hominum, & poteſt & ſolet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante conſilio & conſenſu eorundem hominum.* Licet ergo Populo, regna transferre, Reges deponere: Popularis ergo iam factus Bellarm. populi poteſtatem in Reges confirmat, ſed impius in Pontificem, cui hoc proprium & peculiare, deponere Reges: ſolus Papa deponit Reges, quia ſolus Regibus ſuperior: in Reges vero & Imperatores iniquiſſimus, quos non ſolum Pontificiæ tyrannidi, ſed & furori Populari deponendos exponit.

Sed propoſitionem iſtam penitiùs expendamus. *Deus dat regna hominibus mediante conſilio & conſenſu hominum, & poteſt & ſolet ea mutare & transferre de gente in gentem, mediante conſenſu & conſilio eorundem hominum.* Deus dat Regna & transfert, mediante conſilio & conſenſu hominum: eſto: Poteſt enim Deus & per homines, & ſine hominibus, per cauſas ſecundas, & ſine cauſis ſecundis regna conferre & transferre: An vero, quia Deus Regna & confert & transfert, mediante conſilio & conſenſu hominum, ſicut tranſtulit regnum *Saulis* ad *Danidem*, & regnum *Ioram* ad *Iehu*, & quandoq; etiam ſine conſilio & conſenſu hominum, ſicut tranſtulit regnum *Cananitarum* ad *Hebræos*, & *Medorum* ad *Cyrum*, & *Perſarum* ad *Alexandrum*, & plurimorum Regum ad *Romanos*, nec tamen conſenſerunt iſti, ſed potius bello victi colla ſubdiderunt: an ideò ſequitur, quod Populo liceat, ſine Deo, ſine expreſſa reuelatione voluntatis Dei, reges ſuos deſtituere & exauthorare; præſertim cum eadem ſint principia inſtitutionis & deſtitutionis? Et Deus & Populus inſtituunt Reges, Populus ergo ſine Deo eiuſq; cognita per reuelationem voluntate Regem deſtituere non poteſt. Deus & Populus inſtituunt & deſtituunt Reges: ergo Populus ſine Deo eiuſq; reuelata voluntate Reges inſtituere & deſtituere poteſt: *antecedens* hæc ſunt: nec ſequitur vnum ex alio. Plus enim eſt deſtituere quam inſtituere; Et Deus agens eſt primarium & principale, Populus tantūm inſtrumentum eſt. Sicut ergo inſtrumentum ſine artifice nihil operatur, ſic nec Populus in hac re ſine Deo quicquam poteſt.

In Regnis hæreditarijs Populus & Proceres nihil faciunt, ſolùm cum applauſu proclamant & admittunt, & declarant; ius autem nullum addūt: multò ergò minus regno priuant eum quem Deus & natura Regē, faciūt; & plus eſt deſtituere quam inſtituere; plus eſt ius auferre, quam conferre;

In regnis electiuis, Electores qui Populum repræſentant, regna conferunt; ſed per hos operatur ſummus moderator & Rex totius orbis Deus, per quem Reges regnant: at Electores Regem electum deſtituere non poſſunt: iniquè ferent & Imperator & Rex Poloniæ, ſi Electores aut proceres hanc poteſtatem ſibi arrogarent, vt Imperatorem & Regem deſtituerent. Deo moderatore & directore, *in cuius manu corda Regum &*

popu-

populorum, Imperatores & Reges instituere possunt; destituere non possunt, sine particulari Dei reuelatione, qui Tribunalia procerum aut populorum supra Imperatores & reges non erexit; imò nec ordinarium aliquod tribunal instituit, in quo Regum causæ iudicarentur, quos suo solius judicio reseruauit, Deus, qui *stans in Synagoga Deorum*, hoc est Regum, *Deos*, Reges, *diiudicat*: vt supra probauimus, l. 1. c. 8. *Psalm.* 81.

Verùm si propositio Bellarm. vera sit: *Qui mediante consilio & consensu hominum ad Regnum promouentur, iidem mediante consensu hominum regno priuantur*: Quidni & Papa, qui a Cardinalibus eligitur, sicut ab Electoribus Imperator, à Cardinalibus itidem Pontificatu priuatur. Eadem enim est ratio: Deus, mediante consensu hominum, & Imperatorem & Pontificem instituit: ergò mediante consensu hominum, Pontifex destitui potest, sicut destituitur Imperator. Pares enim sunt Imperator & Pontifex, potestas vtraq; & Imperialis & sacerdotalis *immediatè* à Deo est: Deus, mediante consensu hominum, & huic Imperium, & illi Pontificatum cõfert: Ergo si per consensũ hominũ destituitur Imperator, per consensum itidem hominum destituitur Pontifex. Parum placebit Romæ hæc cõsecutio. 12.

Quia verò hæc Populi authoritas nihil ad Pontificem spectat; ideò addit Bell. *Ita potest maiore ratione ea mutare & transferre propter finem spiritualem, per Vicarium suũ generalem, quem cõstituit super totam familiã suã.*

Maiore ratione: Quæ vero est illa maior ratio? Summa est ratio quæ pro religione facit, at pro Pontifice nulla est ratio.

Dat Deus regna, eademq; aufert *mediante consensu hominum*; at fiunt Reges à Deo, mediante consensu hominum, non Pontificum, quorum cõsensus nunquam requiritur: Proinde si consensus in Rege instituendo, dat potestatem hominibus, eundem Regem destituendi, non dat Pontifici potestatem deponendorum Regum, quia consensus Pontificum in Rege creando non adhibetur. Tantùm ergo abest, vt, quia Proceres & Populus, quorum consensu mediante Deus Reges instituit, Reges itidem destituere possunt, ideo etiam Pontifex possit Reges destituere, vt ratio illa prorsus potestatem Pontificiam in Regibus deponendis euertat: Si enim eiusdem sit destituere cuius est instituere, imò plus sit destituere, quam instituere: & Electores, qui Imperatorem eligunt, Imperatorem deponere non possint; nec accedat consensus Pontificis in electione, & institutione Regum; ad Pontificem nulla ratione spectat destitutio Regum: præsertim cum via ordinaria instituendi & destituendi Reges, sit per consensum hominum: & quid opus est via extraordinaria per consensum Pontificis, cum constet de via ordinaria per populum?

At Pontifex super totam familiam *Dei* constitutus est; dixisset *Christi*, cuius vicarium se venditat, non Dei; nec *Christi* Dei, sed *Christi* hominis, aut alicubi fallitur Bell. Et nec constituitur super *totam* familiam Dei, hoc est, super *totum* mundũ, tuncenim ad deponẽdos Reges infideles qui foras

13. sunt, de ouili Christi non sunt, potestas Pontificia se extenderet. Nec in eum finem super *totam* familiam Christi constitutus est (si constitutus) vt Reges deponat, sed vt familię *panem frangat, & mensuram tritici vnicuiq; distribuat.* Deponere Reges non est panem aut triticum familiæ distribuere, sed conseruos & con-vicarios percutere : Reges enim Vicarij Dei sunt, sicut & Pontifices : talem seruum *diuidet Deus, & partem eius ponet cùm Hypocritis & infidelibus.*

Luc 12. 42. 45.

Matt. 24. 51.

At Pontifex Vicarius tantùm Christi est; & vicarius sine expresso Domini mandato, non potest Reges deponere : nec habet mandatum expressum nec tacitum: sic Barcl.

Imò habet expressum, sed in genere, quia Pastor est: sic Bell.

Imò verò, non habet expressum in genere mandatum, quia Pastor est: quin potius eo ipso non habet, quia Pastor est.

Pastor enim curam habet ouium pascendarum, regendarum, dirigendarum, & etiam curandarum; ipsi incumbit cura vt lupos arceat, vt oues à pascuis nociuis retrahat, vt ipsas in ouili contineat, & si morbo contagioso laborent, vt à caula arceat : vt baculo etiam pastorali & regat & dirigat, vt voce & verbo Dei ducat (vtinam sic pascerent Pontifices.)

At verò Pastor potestatẽ ouium occidendarum non habet: pœnis salubribus cogere potest, eradicare non potest; at depositio eradicatio est, & mors ciuilis; *mulgere & tondere licet, at deglubere non licet.*

Vide Augustin. Psal. 34. Conc. 2. in Fine. & in Ps. 149.

Macta & manduca; occidatur Saulus sed viuat *Paulus*, occidatur Paganus, sed viuat Christianus; occidatur Magdalena peccatrix, viuat Magdalena deuota: occidatur *Petrus* negator, viuat *Petrus* confessor: sic solent Pastores occidere, vt vitam dent ampliorem & meliorem: *pascendas vtiq: non premendas suscepisti*, sic Bernardus. Ideo Pastori datur baculus, Regi gladius: Occidere Pilati est officium, non Præsulis. Hinc oues contagiosę, lepra hæreseos laborantes, brachio seculari traduntur : quia Ecclesia neminem extremo supplicio, gladio scilicet corporali afficit.

Bern. l. 2. de Consid. c. 6.

Si in mandatis habeat Pontifex vt Regna tollat & transferat, Reges deponat, & vsq; ad mortem prosequatur temporalem : quidni etiam in mandatis habeat vt priuatos hæreditatibus & bonis temporalibus priuet? Cum Pontifici, sicut & omnibus alijs iudicibus incumbat, vt *sic magnum iudicet, sicut & paruum, sic paruum sicut magnum* : Iustitia æqualis est, & æqualiter omnibus ministranda, non potest Pontifex priuatos exhæredare; ergo à minori ad maius, non potest Reges deponere. Reges & Imperatores oues sunt, serui sunt; membra sunt Christi; sed non sunt oues Pontificis. Ideo Petro dictum est, *pasce oues meas*, non tuas; Tu pastor, at ego Dominus: non sunt serui Pontificis, sed conserui: non sunt membra Pontificis, sed commembra: Pontifex oculus est, portat lumen; Imperator manus est, portat gladium: Nec potest oculus dicere manui : opera tua non indigeo : nec caput dicit pedibus, vobis non indigeo: Potest fortè Pontifex, vt caput, membrum putridum à corpore;

1. Cor. 12. 21.

i. Eccle-

i. Eccleſia & Regno Chriſti abſcindere, ſed non è mundo proijcere: poteſt, vt Oeconomus conſeruum inobedientem & rebellem, è domo Chriſti Eccleſia eijcere, at non de mundo tollere: poteſt vt Paſtor ouem contagioſam, aut lupum à cauli Chriſti arcere; & pabulum gratiæ tollere; at pabulum naturæ tollere non poteſt: poteſt regere, dirigere, & corrigere; ſed per quas cenſuras? Per ſuas, non alienas; & depoſitio temporalis inter cenſuras ſpirituales cenſeri non debet; vt ſuo loco patebit. Et ſi ad officium paſtorale ſpectat depoſitio Regum; ad omnes Paſtores. i. Epiſcopos in ſuis Dioceſibus pertingit depoſitio Regum; ſicut Pontifici competit in Eccleſia vniuerſali: quod enim eſt Papa in vniuerſa Eccleſia, hoc eſt quilibet Epiſcopus in particulari.

Vide vero quomodo ludat in referia Bell. Dixit Barcl. *Pontifex Vicarius Chriſti, de Regibus depenendis non habet mandatum Domini, neq; expreſſum neq; tacitum.* Imò, inquit Bellarminus, *habet expreſſum, ſed in genere.* Tacetur hoc mandatum, nec explicat Cardinalis vbi exprimatur, & tamen expreſſum eſt mandatum: idem ergo Cardinali expreſſum, quod tacitum.

At *expreſſum eſt in genere*: Ergò depoſitio Regum ſpecies eſt *ligandi* vel potius *ſoluendi*, quia *relaxandi*: ſpecies eſt itidem *paſcendi*; nam in vtroq; expreſſum eſt in genere, iuxta *Bell.* c. 3. Ligare genus eſt, deponere ſpecies eſt; paſcere genus eſt, deponere ſpecies eſt: & ligare & paſcere diſtincta ſunt: vna ergò ſpecies, ſcilicet depoſitio Regum, ſub diuerſis & diſtinctis ponitur generibus, iuxta Dialecticam, & Theologiam Bellarmini.

Quinetiam malè dixit Bellarminus: *mandatum expreſſum eſt, ſed in genere*: dixiſſet potius in ſpecie, vel in particulari: Ligare enim in genere, ad omnes pertinet Apoſtolos, & Epiſcopos, & Sacerdotes in foro pœnitentiali: nec tamen omnes Apoſtoli, Epiſcopi, & Sacerdotes habent hoc mandatum expreſſum in genere, de depoſitione Regum. Ligare in genere in foro exteriori ad omnes Apoſtolos & Epiſcopos pertingit: *Quæcunq; alligaueritis*: nec tamen omnes Apoſtoli & Epiſcopi habent hoc mandatum expreſſum in genere de deponendis Regibus. Particularis & ſpecialiſſima eſt hæc ligandi ratio, quæ depoſitionem complectitur, quæ *Petro* in particulari commiſſa eſt; mandatum ergo in genere expreſſum non eſt. Aliud ſonat, cum *Petro*, dicitur, *Quicquid ligaueris*; aliud verò cum Petro & omnibus Apoſtolis dicitur; *Quæcunq; alligaueritis*. Hoc expreſſum in genere mandatum ſic audiunt, ſic intelligunt, *Gregorius* 7. & *Innocentius* 4. Pontifices ambitioſiſſimi, & imperioſiſſimi, & pauci eorum Paraſitaſtri. Antiqui Patres, & tota præterea Schola ſic nec audit, nec intelligit. Senſus iſte à *Petro ad Gregorium* 7. deſcendit per ſaltum, imò per præcipitium. Similiter, *paſcere* in genere, ad omnes pertingit Apoſtolos & Epiſcopos, eorumq; Succeſſores; nec tamen omnes Apoſtoli & Epiſcopi Reges

deponere possunt. *Pascite*, siue regite, ô Apostoli, ô Episcopi, gregem Domini, quem acquisiuit sanguine suo; sed non deponite Reges; *Pasce oues, pasce agnos*, tu Petre. i. depone Reges. Eadem vox depositionem sonat & non sonat: Auritos verè dicas Pontifices, Cardinales, & Parasitos, qui id audiunt & legunt in verbis Christi, quod nec Apostoli, nec Patres, nec totaferè Catholicorum Doctorum & Scriptorum turba vnquam audiuit, aut somniauit: imò plurimi talem sensum negant.

Non est expressum nec in genere quidem mandatum hoc de Regibus deponendis: non est hoc mandatum Domini, sed decretum Ecclesiæ, si Thomæ & eius sequacibus fidem habeamus.

14. At expressum, non tantum tacitum, & expressum in specie, & in particulari, non tantum in genere esse oportuit, vt inter articulos fidei poneret? *Theologia enim symbolica argumentatiua non est*, vti Dionysius. Allegorica fides hæc est, quæ in solis allegorijs *ligandi* & *pascendi* fundata est. *Epist. 48. ad Vincentium.* *Quis autem non impudentissime nitatur aliquid in allegoria positum, per se interpretari, nisi habeat & manifesta testimonia, quorum lumine illustrentur obscura*: Sic August.

Allegorias ligãdi & pascẽdi video, manifesta testimonia nõ video. Vt ergo hæc potestas depositionis inter articulos fidei reponatur, manifestis testimonijs, nõ obscuris allegorijs ligandi & pascendi opus est. Quin etiã priuilegia omnia strictè & iuxta verba ipsa intelligẽda & restringẽda sunt, vtpotè quæ stricti juris sunt, & juri communi derogant. Et proinde non tantùm in genere, sed & in particulari, idq; disertis verbis exprimi dẽbent. Et hæc potestas inter priuilegia *Sancti Petri*; vt ergo Pontifices hanc potestatem libere exercere possent, quia fines alios inuadunt, & falcem suam in alienam messem mittunt, opus erat mandato expresso, non tacito, non allegorico, in particulari, non in genere. Vt Reges & Imperatores qui Regna & colla sua *Christi* regno submiserunt, seipsos etiam huic depositionis sententiæ à Vicario *Christi* prolatę submitterent, Regnis & Imperijs suis depositi renunciarent, aut reconciliati pœnitentiam agerent, opus erat mandato expresso cum allegorico eoq; speciali & particulari. Quia vero authoritas hæc deponendorum Regum, nec expresso & particulari, nec generali mandato, sed solùm malè intellectis allegorijs innititur, non tam potestas, quam vsurpatio & tyrannis dicenda est.

Secunda ratio Bell. contra potestatem directam, quam mutato solùm
15. nomine, indirectè pro directe, retorquet *Barcl.* hæc est.

Si verum est, Papam habere potestatem indirectè (dixerat Bellarm. directè) disponendi de rebus temporalibus omnium Christianorum, aut eam habet iure diuino, aut iure humano.

Si iure diuino, deberet id constare ex Scripturis, aut certè ex Apostolorum,

rum, traditione. Et ſcripturis nihil habemus, niſi datas Pontifici claues regni cœlorum; de clauibus regni terrarum nulla mentio fit. Traditionem Apoſtolorum nullam aduerſarij proferunt; neq; ſcilicet Canoniſtæ, nec Theologi.

Si iure humano, proferant ius illud, vt ſimul cum illis ſentiamus. Reſpondet Bell. *Habet Pontifex iure diuino poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus Chriſtianorum, in ordine ad finem ſpiritualem: id conſtat ex ſcripturis. In clauibus regni cœlorum, Petro Apoſtolo proſe & ſucceſſoribus ſuis traditis:* Mat. 16. *Non intelliguntur claues regni terrarum, de quibus nulla mentio facta eſt in Euangelio; quia non erat neceſſarium, vt ſummus Princeps Eccleſiæ ſimul eſſet Monarcha temporalis huius mundi. Sed intelligitur poteſtas diſponendi de temporalibus, quatenus ea iuuant ad aperiendum fidelibus regnum cœlorum, vel impediunt atq; obſtant, ne fidelibus aperiatur regnum cœlorum.*

In hac reſponſione *Bell.* omnes teſtes qui directæ poteſtati & Monarchiæ temporali fauent, reijcit: qui omnes Papam totius orbis, non ſolùm ouilis *Chriſti*, non ſolùm eorum qui intus ſunt, ſed etiam qui foras Monarcham conſtituunt: qui dum hinc inde ſeipſos lancinant, nec tam de modo quam de jure contendunt, concluſionem ipſam prorſus euertunt. In clauibus regni cœlorum, Petro Eccleſiam repræſentanti (vt multi ex Patribus & Doctoribus, vt ſupra: cap. 3.) hoc eſt omnibus Apoſtolis, commiſſis, non intelliguntur claues regni terrarum, quarum nulla mentio facta eſt in Euangelio. At intelligitur poteſtas diſponendi de temporalibus: Pugnantia loquitur *Bell.* claues enim ſignificant poteſtatem; hoc omnes agnoſcunt: Ergo ſi nulla mentio clauium, nulla itidem mentio poteſtatis; ſi non ſunt datæ claues, non eſt data poteſtas: Qui ſine clauibus, ſine poteſtate eſt: Aut ergo accepit *Petrus* claues temporalium, aut non accepit poteſtatem temporalium. Qui intrat ſine clauibus, *per oſtium* non intrat, ſed *per feneſtram*, vt ſolent fures. Pontifex ergo, qui ſine clauibus in temporalia ſe ingerit, per *feneſtram intrat* vt fur, non per oſtium, vt Paſtor.

Præterea claues, quæ *Petro* promiſſæ ſunt: Matt. 16. nomine Eccleſiæ Apoſtolis omnibus donatæ ſunt: Ioan. 20. In illis verbis; *Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiſeritis peccata, &c.* Peccata enim excludunt e regno cœlorum, remiſſio ergo peccatorum, quam omnes Apoſtoli conferunt, ſicut & *Petrus*, clauis eſt, quæ oſtium regni cœlorum aperit: Omnes ergo Apoſtoli, Epiſcopi & Sacerdotes, qui has claues acceperunt, eandem habent poteſtatem diſponendi de temporalibus quam *Petrus* habet; & proinde ſi in clauibus Regni cœlorum, ſit poteſtas diſponendi de temporalibus, eadem poteſtate Regum deponendorum pollent reliqui Epiſcopi, qua ſummus Pontifex.

Non erat neceſſarium, vt ſummus Princips Eccleſiæ, ſimul eſſet Monarcha totius mundi temporalis. Rationem huius aſſertionis ſubticet hic *Bell.* Nos addimus: ſumma hæc poteſtas & Monarchia nihil confert prædicationi Euangelij, imò impedit plurimum. Non ergo neceſſariũ eſt, vt ſummus Princeps Eccleſiæ, ſimul habeat poteſtatem deponendorum Regum annexam: poteſtas enim iſta ſiue directa, ſiue indirecta, (neq; enim conuenit, qua poteſtate vſi ſint Pontifices in Regum priuatione) non promouet, ſed impedit Regnum Chriſti, & cauſa eſt plurimorum bellorum, ſchiſmatum, nec non hæreſium, quibus iam oppreſſa ſuccumbit Eccleſia: niſi enim Pontifex tyrannidem in Reges exercuiſſet, numquam à Pontifice defeciſſent Principes Chriſtiani: Primatus ſpiritualis occaſionem dedit ſchiſmati Græcorum: Primatus temporalis, inter alia multa, occaſionem dedit reformationi Eccleſiaſticæ.

At poteſtas diſponendi de regnis Chriſtianorum Regum, acceſſio eſt inſeparabilis, & ſequela, & appendix poteſtatis ſpiritualis; qua ſupremus animatum Paſtor in omnes Chriſtiani gregis oues præditus eſt: Eſto: nos ab ijs petimus aliquod acceſſionis huius ſiue coniunctionis teſtimonium ex Scripturis, vel traditione Apoſtolorum: ſic Barclaius.

„ *Ex illis teſtimonijs, Matt. 16. Tibi dabo claues: & Ioan. 21. Paſce oues;*
„ *generatim non in particulari, particularis illa acceſſio & coniunctio poteſtatis*
„ *diſponendi de temporalibus in ordine ad ſpiritualia colligitur, idq; ſatis aper-*
„ *te:* ſic Bell.

Si ſatis apertè; quomodo hoc latuit Pontifices, Martyres, Confeſſores, & Sanctos? Quomodo hoc non viderunt Patres? Imò, quomodo contrarium docuerunt & fecerunt? At qui ſunt qui ſatis apertè hoc viderunt? Pontifices duo ambitioſiſſimi, tubæ bellorum & ſeditionum; & pauci Paraſiti, canes aulæ Pontificiæ, quibus eſt ratio, non quæ pro Chriſto, eiuſq; religione, ſed quæ pro Pontifice, eiuſq; plenitudine facit. Si hanc poteſtatem ſatis aperte vidiſſent primi illi Pontifices, corona martyrij illuſtres, numquam jus ſuum perdidiſſent: aliquis eorum, iam tum ſacrificandus, veritatem hanc promulgaſſet. An timebant Imperatorem, qui iam tum mortem ſubegerant, & non tam moriebantur, quam de tormentis & tortoribus ſuis triumphabant? Noua eſt hæc interpretatio, nouus ſenſus, non Catholicus, quem nemo publicè docuit, nemo priuatim, quaſi per manus, Succeſſori ſuo tradidit.

„ *At inquit Bell. Apoſtolus huius poteſtatis meminit* 1. *Cor. 6. Neſcitis quia*
2. Cor. 6. *& Angelos iudicabimus? quanto magis ſecularia?* Si vlla hic ſit poteſtas deponendorum Magiſtratuum, nec ad *Petrum*, nec ad *Pontificem* ſpectat: *Corinthios* alloquitur; non *Petrum*, non *Pontificem*, non *Preſbyteros*, ſed *Populum:* ij enim tunc litigabant coram Magiſtratibus Ethnicis: hic conſulit *Paulus*, vt ſcandali vitandi cauſa, judices honorarios, non ordinarios eligerent, non Pontificem Rõmanum, non *Petrum*, non Epiſcopum, non

Pres-

Presbyterum, ſed contemptibiles in Eccleſia: de *Populo* certè, non de *Clero*; idq; ſine contemptu vel depoſitione Magiſtratuum: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam:* ſic Paulus; nec tamen blanditur Principibus. Rom 13.1.

Hoc ipſum fit in cauſis Eccleſiaſticis & ciuilibus quotidie, & vbiq; per orbem Chriſtianum: ſoli contentioſi Magiſtratum adeunt, niſi vrgente neceſſitate; nec tamen Magiſtratibus Eccleſiaſticis, vel ciuilibus fit iniuria. Voluntaria hæc erat ſubmiſſio, non neceſſaria, non ordinaria: & proinde nihil ad inſtitutum Bell. facit.

At poteſtas hæc à Succeſſoribus Petri & Pauli, Romanis Pontificibus reipſa demonſtrata eſt, in depoſitione Regum & Imperatorum, iam inde ab anno Domini 700. nam ante illud tempus, vel defuit neceſſitas, vel opportunitas: ſic Bellarm.

Populus Italiæ *Leonem Iſauricum* vectigalibus Italiæ priuauit, exarchos Imperatoris interfecit, ab Imperatore defecit, quos cohibuit & compeſcuit *Gregorius* 2. quandiu potuit: cum diutius in officio retinere non potuit, currenti ceſſit furori Populari, cuius defectionis perſtringuntur Itali à *Germano*. Dic verò *Bell.* An docuit vnquam *Gregorius* 2. hanc poteſtatem deponendorum Regum, in illis verbis Chriſti, *Tibi dabo claues: & Paſce oues;* in genere contineri? Annon hiſtorici Latini hoc factum Gregorij in populum reijciunt? Annon *Græcos* reprehendunt, quod odij concitandi cauſa, hoc factum Gregorio imponunt. Primus qui depoſuit Imperatorem fuit *Gregorius* 7. poſt mille annos, ſummo cum ſuo & totius Occidentalis Eccleſiæ malo: *Gregorius* enim depoſitus in exilio moritur; ſuperuixit Imperator, & vidit vindictam Dei, in perduelles ſuos Gregorij emiſſarios; & huius facti tum *Gregorium*, tum *Rodolphum* pœnituit.

Primus ex verbis Chriſti, *Quicquid ligaueris*, hanc poteſtatem collegit *Gregorius* 7. Oſor Regum, vt *Timon* ille μισάνθρωπος; qui Reges & duces non à Deo, ſed à Diabolo, mediante conſenſu, non hominum, ſed Deum ignorantium, qui ſuperbia, rapinis, perfidia, homicidijs, poſtremo vniuerſis penè ſceleribus abundabant, principium habuiſſe docuit. *Lib. 8. Epiſt. 21.*

Hunc ſecutus eſt *Innocentius* 4. qui in decretis Pontificum doctior quã in verbis Dei, aut Patrum ſententijs: rectius nouerat cauſas agere quam Euangelizare; Canoniſta, non Theologus. Amicus ingratus; verbum non addam; ſepulchrum fuit beneficiorum, quæ in familiam eius contulerat *Fredericus*. Talem interpretem non moramur.

Vrit verò Cardinalem, quod per ſeptingentos annos nemo hanc poteſtatem docuit, nemo vſus eſt: ideò addit; *antè illud tempus defuit neceſſitas, vel oportunitas*. Nunquid defuit neceſſitas, cùm perſecutores eſſent immaniſſimi, hæretici verò turpiſſimi? Monſtra inter Perſecutores *Nero* & *Docletianus*: vtinam *Populus Romanus* (imò Chriſtianus) *vnam haberet cerui-*

cem

cem: Vox digna *Nerone*: omnes eradicare studebat. His Sol nihil vnquam vidit immanius.

Monstra & portenta inter Hæreticos *Arius* & *Macedonius*, non ramos, sed radicem, nec membra sed cor Christianismi petebant: Mundus sub Constantio Persecutore Ariano ingemuit se factum Arianum.

Hieronymus contra Luciferianos.

Tartarus his nihil vnquam euomuit sædius. *Iulianus* primogenitus Diaboli, qui solus sobrius venit ad euertendam rempublicam Christianam; hinc fraudibus, illinc malitia armatus bellum *Christo* ipsi indixit. An his temporibus defuit necessitas? Nostris temporibus, vel vnum lapidem fundamenti nemo mouet, antiquos limites nemo mouet; antiquam fidem nemo vel imminuit, vel mutat. *Christo* ipsi defertur omnis honor, Vicarij non honor debitus, sed vsurpata & indebita potestas intra proprios fines coarctatur: & tamen maxima est huius potestatis necessitas.

At defuit opportunitas; impares erant viribus. Siccinè vero? An impares viribus, qui cuilibet bello apti, qui si discessissent, ciuitates, & tribunalia deserta reliquissent? An impares viribus, qui omnes exclamant: Christiani sumus; Christianis imperatis? de qua re fusius suo loco; Non defuit ergo aut necessitas aut opportunitas.

Cum ergo tanta sit huius potestatis amplitudo siue plenitudo, qua nihil in rebus humanis præcelsius; concludo cum Barcl. non tantum in genere, sed etiam in particulari, expresse & disertis verbis in Euangelio describi & explicari debuit: vt ab authoritate diuina, cui soli fides innititur, hic articulus fidei deduceretur.

17. *Si vtraq; potestas ab altera, spiritualis scilicet & e contra, separari potest; locus erit sententiæ qua quod directè fieri non permittit, id nec indirectè fieri posse statuit. Vt qui solus rem alienare non potest, ne cedere quidem potest, liti super ea re mota: quod nimirum obliquè & indirectè hoc modo rem alienaret.* Sic Barcl.

„ *Coniunctio & separatio ista dupliciter intelligi potest* 1. *vt sit potestas politica in aliqua gente vbi non est potestas Ecclesiastica: itemq; potestas Ecclesiastica in aliqua gente, vbi non sit politica: sic in regnis Infidelium multi sunt Prælati Ecclesiastici.* 2. *vt sit summa potestas Ecclesiastica, quæ non habeat annexam potestatem disponendi de temporalibus, in ordine ad spiritualia: sic summæ potestati Ecclesiasticæ semper annexa est potestas temporalis disponendi de temporalibus in ordine ad spiritualem finem.* hæc Bellarmin.

Semper fluctuat *Bell.* Modo annexa est potestas disponendi de temporalibus, modo temporalis potestas annexa est spirituali: credo potestatem spiritualem quæ in ordine ad finem respicit temporalia; & credo potestatem temporalem, annexam spirituali quæ de temporalibus propter finem & deponit Reges: Incerta est vacillans hæc fides, quæ de obiecto dubitat, fides non est.

Quod

Quod ad 1. membrũ: Esse aliquam gentem in qua non sit sacerdotium aut legale ante Christum, aut Euangelicum post Christum, nemo dubitat: nec de hac separatione potestatis Ecclesiasticæ & politicæ locutus est *Barcl.* quamuis in vnaquaq; parte orbis & religio aliqualis si, et quidam Sacerdotes etiam inter Turcas et infideles, qui illorum religioni inseruiant. Verum de alia separatione loquitur *Barcl.* eaque duplici: vna rerum qua scilicet distinctę sunt dignitates, distincta officia, actus distincti potestatis Ecclesiasticæ & politicæ, quę prorsus impermixtę sunt, sic vt neutra in alterius messem falcem suam intromittere possit. Si ergo depositio et exhæredatio actus sit potestatis politicæ, non potest esse actus potestatis Ecclesiasticę: altera personarum, quia distinctæ istæ dignitates in lege Mosaica et Euangelica in vnam personam non cadant; sicut in primogenito in lege naturæ inuentę sunt. Cum ergo & dignitates distinctæ sunt, et actus et officia distincta, et personæ distinctæ quæ hisce dignitatibus ornantur, talis est separatio harum potestatum, vt neutri in alteram sit imperium; sicut cap. 2. docuimus ex *Barcl.*

Quod ad secundum membrum: Si actus harum potestatum Ecclesiasticæ et ciuilis separati sint, dispositio temporalium coactiua vsq; ad depositionem Regum (nam de directiua non instituitur quęstio) non potest esse appendix siue accessio potestatis summæ Ecclesiasticæ, quia depositio hęc coactiua temporalis, actus est potestatis ciuilis proprius: & baculo pastorali contentus sit oportet Pontifex, gladium enim portat Imperator & Rex; & cum gladio indiget Ecclesia, inuocare solet brachium seculare; istum gladium, quia vibrare ausus est *Petrus*, reprehenditur à Domino & in vaginam recondere iubetur, auditq; *Qui gladio percutit, gladio peribit.* Prophetia hęc est; perijt Romana Ecclesia ex quo claues *Petri* in Tiberim proiecit Pontifex, vt *Pauli* gladium vibraret. Verum quid opus est summa potestate Ecclesiastica? *Nonne idest quilibet Episcopus in particulari quod est Papa in vniuersa Ecclesia?* *Bell. de Rom. Pontif. lib. 5. c. 3*

Et Episcopus quilibet in sua Diœcesi summus est, licet ab eo ad Archiepiscopum detur appellatio: aut ergo quilibet Episcopus potest indirectè deponere Regem in sua Diœcesi, aut Pontifex in vniuersa Ecclesia nõ potest; Episcopus enim et Pontifex potestate pares, ambitu siue circuitu impares sunt. Sed videamus argumenta & probationes Bell.

Potuit Princeps Ecclesiasticus iubere fidelibus vt de bonis temporalibus "
alerent ministros sacramentorum, itẽ vt fideles dirimerent inter se lites ci- "
viles, & non adirent pro his rebus tribunalia infidelium, vt 1. Cor. 6. & 9. Imò vero neutrum horum iussit Princeps Apostolicus de decimis siue alimento ministrorũ, sed ordinatio erat diuina; *sic ordinauit Dominus,* & lex naturalis vt patet in exemplis militiæ, vineæ, gregis, & lex Mosaica: *nunquid secundum hominem hæc dico? Annon & lex eadem dicit?* Non est ergo potestas Principis apostolici qui hoc iubet, sed & lex

lex naturalis, & Mosaica, & ipse Dominus, id est, *Christus*.

Potestas Apostoli non in iubendo, sed in *percipiendo* quod à Deo in lege naturali, & Mosaica ordinatum est: neq; etiam iubet vt Corinthij à Magistratibus Ethnicis deficerent, & nouos sibi constituerent, sed suadet vitandi scandali causa; *ad verecundiam vestram dico*: nec de iudicibus ordinarijs, sed de arbitris loquitur: neq; Principem Apostolicum, nedum Episcopos aut Presbyteros, sed populum alloquitur: Populus ergo, si quid hic textus concludat, habet potestatem deponendi Reges sine sententia summi Pastoris; non Princeps Apostolicus.

Præterea si hoc posset iubere *Paulus* Apostolus, qui non erat Vicarius *Christi*, nec successor *Petri*, sed sub Vicario, quidni & quilibet Episcopus hoc posset? Sic Regum tot Domini, quot Episcopi. An in vna ciuitate duo Episcopi? An duo simul Vicarij Christi æquales?

Tertia probatio est: *potuit Ecclesia non tolerare supra se Principem infidelem, si is auertere conaretur fideles à cultu veri Dei, vt Thomas*, 2. 2. *q.* 10. *Art.* 10.

Thomas de hac re sic statuit. *Ius diuinum quod est ex gratia, non tollit ius humanum quod est ex iure naturali: potest tamen iustè per sententiã vel ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis, tale ius Dominij vel prælationis tollere.* Ecclesia tollit, quod ius diuinum ex gratia non tollit; & ius naturale, quod & morale, & diuinum est, ordinauit.

Potestas ista iuxta Thomam & sequaces eius est de iure Ecclesiastico, non de iure diuino: iuxta *Bellarm.* est de iure diuino, & inter articulos fidei. Caue Anathema illud quod in addentem vel detrahentem libro vitæ cadit. *Apocal.* 22. 18.

Subiungit *Bell. deerat illis temporibus vsus illius potestatis, sed non deerat potestas ipsa.* Imo vero deerat potestas ipsa; non enim deerant Pontifices animosi, victores & contemptores mortis, qui si hac potestate armati fuissent, gladium in vagina non continuissent; non deerant vires, non necessitas, nec opportunitas, vt sequentibus capitibus apparebit.

At in Ecclesia potestas Ecclesiastica & politica coniunctæ sunt, vinculo arctiore, & Princeps politicus Principi spirituali subiectus est, vt filius Patri, vt membrum capiti, sic Bell.

Quid Bellarminus censeat in hac causa parum refert, aliter olim censuit *Hugo. Clerici dextra pars Christi sunt, Laici pars sinistra; in vtraq; potestate diuersi sunt gradus & ordines potestatum, sub vno tamen vtrinq; capite distributi, & quasi ab vno principio deducti: terrena potestas caput habet Regem; spiritualis potestas habet summum Pontificem: & clerici temporalibus propter temporales possessiones subditi sunt:* (vt pluribus docet idem Hugo, c. 7.) *sic tamen vt & ipsum, quod potestatem habeat, à Principe terreno se habere agnoscat*, inquit Hugo. Lib. 2. p. 2. c. 3.

Omnis

Omnis ergo poteſtas quam habet Eccleſia in temporalibus, à Principibus terrenis habet. Si ergo Princeps politicus Principi Eccleſiaſtico ſubiectus ſit in ſpiritualibus, vt filius patri, & membrum capiti: certe Princeps Eccleſiaſticus ſubiectus eſt Principi politico, vt ſeruus domino, & vt membrum capiti, vtra vero maior ſit ſubiectio, ſerui reſpectu Domini, an filij reſpectu Patris, iudicet Lector: Interim in his omnibus reſponſionibus petit principium *Bell.* ſupponitq; poteſtatem Pontificis in temporalibus coactiuam, quæ ſola in dubium vocatur. Validæ ſunt ergò duæ rationes iſtę quas *Barcl.* in *Bell.* retorſit.

CAP. VI.

Primis 700. annis, ſummi Pontifices non depoſuerunt Reges hæreticos, & tyrannos: non quia deerant vires, ſed quia illicitum putabant.

1. *Duæ cauſæ in verbis Romuli, cur hæreticos Reges non depoſuerunt: tempus erat, in quo ad martyrium parati eſſe debebant.* 2. *An vox illa,* debent, *arguat Pontifices debiti omiſſi, & peccati? Deerant vires ad executionem, an ad ſententiam depoſitionis deerant? Similiter an debeat populus.* 3. *Non ſunt Martyres, qui in Britannia, pro rebellione & proditione patiuntur.* 4. *Non licet ſubditis, vim Regum ſuorum, vi repellere.* 5. *Reſpondetur Exemplis Machabæorum: Gennadij: Albigenſium, Heluetiorum.* 6. *Et Conſtantis, & Athanaſij & Conſtantij.*

IN Eccleſia primitiua multi fuerunt Principes Chriſtiani, qui impiè, peruerſè, crudeliter, & magno cum Eccleſiæ detrimento, Regnis & imperijs abutebantur: contra quos per mille annos nullum extitit exemplum depoſitionis, nullus vſus huius poteſtatis Pontificiæ. Rationem huius rei, quam in Reſponſione ad Apologiam Catholicam aſſignat *Franciſcus Romulus.* i. *Robertus Bell.* (noſti hominem tanquã te) in hoc cap. & ſequentibus confutat *Barclaius.* 1.

Extant verba *Romuli* & apud *Barclaium*, & apud *Bellarminum*. Summa eſt, Pontifices non depoſuerunt Principes hæreticos, nec *Conſtantium* nec *Valentem* Arianos, nec *Anaſtaſium* Eutychianum, nec *Hera-*

Heraclium Monothelitam : *Siquidem ea erant tunc tempora, vt potius ad Martyrium subeundum Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent. At vbi vidit Ecclesia sua potestati locum aliquem aperiri vel cum ipsorum Principũ & Spirituali vtilitate, vel certè sine detrimento populi;* id est;postquam Ecclesia vires habuit, *Leonem Isauricum, parte Imperij; Henricum & Childericum Imperio priuauit, vt reipsa deinceps & Leo parte Imperij, & Henricus toto Imperio, & Childericus regno caruerit. Itaq; veteres illos Imperatores, Constantium, Valentem & cateros, non ideò toleranit Ecclesia (vt aduersarius somniat) quod legitimè in Imperium successissent; alioqui enim Leonem etiam, & Henricum, & Childericum, qui non minus legitime successerant, pertulisset; sed quod illos sine Populi detrimento coercere non poterat, istos poterat.* Sententia *Romulo* quàm *Petro* dignior, qui fratrem *Remum*, & *Tatium Sabinum* tandiu pertulit, donec viribus superior eosdem perimeret. Sed ex his verbis duas colligit rationes *Barclaius.*

1. Temporibus illis Episcopi Martyrio paratiores erant, nunc verò militiæ.

2. Ecclesia illos Principes sine detrimento Populi coercere non poterat, *Leonem, Henricum, Childericum* poterat.

De secunda, in capitibus sequentibus, controuersia instituitur inter *Barcl.* & *Bellarm.* in hoc capite nugatur *Bellarm.*

Non diuisit, inquit *Bell. Franciscus Romulus* responsionem in duas partes, sed vna & simplex est responsio; scilicet non potuisse Ecclesiam illo tempore vti potestate sua; ideo subeudum erat martyrium, potius quàm fides abneganda.

Quid verò refert, vtrum sic diuiserit *Romulus?* siue vna ratio hæc sit, siue plures in eadem sententia, quasi permixtæ rationes, nihil ad causam & quæstionem; facile ego vnam esse rationem siue causam agnoscerem, nisi in sententia *Romuli*, verbum illud, *debiti*, obseruarem. *Siquidem ea tunc erant tempora, vt potius ad subeundum martyrium Episcopi, quam ad Principes coercendos parati esse deberent.* Sunt enim singula suis quæq; temporibus diuisa; *tempus est plantandi, & tempus euellendi quod plantatum est.* Ceremoniala, quæ in morte Christi mortua erant, & nunc mortifera sunt, ad tempus tamen permittebant, vt Synagoga cùm honore sepeliretur. Omnia factus est omnibus Apostolus *Paulus*, vt aliquos lucrifaceret; Primi Pontifices Martyrio coronati sunt, vt successores sui triplici corona, pro triplici potestate, spirituali scilicet, ciuili in Patrimonio *Petri*, & temporali in Regum exauthoratione, insignirentur. Hac itur ad dignitatem Pontificiam: per coronas Martyrij & confessionis & sanctitatis, ad Regna mundi auferenda & transferenda: Parati ergò esse debebant Episcopi ab subeundum Martyrium primis illis temporibus, vt in secta mundi parati essent ad Principes coërcendos.

Eccles. 3.

Tunc

Tunc enim Reges patientia & martyrio in ouile Christi perducendi erant; nunc ex ouili Christi, imò etiam è Regnis suis vi & armis eijciendi sunt: Tunc pietate, nunc ambitione certatur; in spiritu inceperunt, vt in carne desinerent. Quod pulchrè describit Satisburiensis in Polycratico. *Antiqui quondam trahebantur inuiti, (ad Pontificatum,) & proni ad Martyrium: primas cathedras carcere petius & cruce fugiebant, contra iam palam loquuntur Sacerdotes, & prouerbium nullum dicunt; Nolumus, inquiunt, Martyres esse, sed sedium nostrarum gloriam non damus alteri:* Nomen ergò hoc debiti, non temporis illius necessitatem sed officij rationem designat. *Ioan. Sarisburiensis. Lib. 8. cap. 23.*

Forte ergò *Romulus* hic verbis hoc agit, vt Lectori persuadeat, non solùm defuisse vires Christianis quibus Persecutores & hæreticos Principes in ordinem cogerent, sed etiam tunc in infantia Ecclesiæ debuisse Pontifices per Martyrium, magnitudini & amplitudini Regni Christi viam sternere, vt scilicet dignitatem Pontificalem, quam lateritiam inuenerant, marmoream relinquerent.

Illud verò pretereundum hoc loco non est: debita officij Pastoralis propter quæuis pericula omittenda non sunt: *Ego non solùm alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesu:* sic Paulus. 2. *Act. 21. 13.*

S. Ambrosius (solus dignus nomine Episcopi, si *Theodosio* credimus) *hæc*, inquit, *vt humiliter dicimus, sic constanter exponimus; sed incendia aliqui, gladium, deportationem minantur: didicimus Christi seruuli, non timere: non timentibus nunquam est grauis terror*, Et iterum *Rogamus, Auguste, non pugnamus, non timemus, sed rogamus, hoc Christianos decet; vt & tranquillitas pacis optetur, & fidei veritatis constantia nec mortis reuocètur periculo.* Et iterum: sic Ambrosio Calligonus, Præpositus cubiculi; *Me viuo tu contemnes Valentinianum? caput tibi tollo:* Cui Ambrosius; *Deus permittat tibi, vt impleas quod minaris; Ego quidem patiar quod Episcopi; tu facies quod spadonis.* *Theodoret. l. 5. cap. 17. Ambros. l. 5. Epist. 32.*

Deposuit *Christus* Dominus noster vitam, ne deponeret obedientiam, vt dereliquit *Iosephus* vestem, ne relinqueret castitatem; mille mortes perferendæ sunt, potiùs quam vt deseratur officium pastorale: Si ergò depositio Regum pars sit officij Pastoralis, non magis omittenda, quam verbi diuini prædicatio aut sacramentorum administratio; *& væ mihi nisi Euangelizauero, etsi per mille mortes transeundum sit.*

At deerant illis vires. An vero *Christo* ipsi deerant vires, cui militabant Angelorum legiones, cuius mandato venti, & mare, & omnes creaturæ obtemperabant, cui mors & infernus famulabantur, qui vel vnica voce, *Ego sum*, milites prostrauit? Et proinde si deberet sic ligare, sic regere, sic deponere, cum *Pilatum & Herodem* non deposuerit, quomodo liber à peccato omissionis esse possit? Verùm vt sine peccato, sic sine hoc debito *Christus*, quidni ergò & Vicarius?

At si non Domino, certè Vicarijs Pontificibus deerant vires: Esto.

Si de-

Si desint vires tamen est laudanda voluntas.

Deerat illis potestas, an itidem voluntas? In depositione duo sunt; sententia ipsa depositionis, & sententiæ huius executio: deerant fortè ad executionem, ad sententiam non deerant vires. Quid vero? an quia, *vana est sine viribus ira*, ideo nec ira quidem dicenda est? An quia deerant vires Pontificibus quibus sententiam suam exequerentur, ideo quod in se erat (vt fecit *Innocentius*) facere noluerunt .i. depositionis sententiam proferre?

Deerat antiquis Pontificibus & potestas & voluntas deponendi. Facilè enim poterat quilibet per sententiam, Principem quemvis hæreticum deponere. *Tyrannis Sacerdotis infirmitas est; cum infirmor, inquit, tum potens sum:* Sic Ambrosius. *Dic verbo & sanabitur seruus meus:* sic Centurio. Dic verbo & regno cadet persequutor & hæreticus; sic Parasiti Pontificij.

L. 5. Epist. 33.

Matt. 8, 8.

Et si rei veritatem consideremus, depositio non in executione sententiæ, sed in prolatione consistat; nunquam enim quoad executionem quenquam deposuit Pontifex, & tamen solus deponit Imperatores & Reges. Depositus fuit *Henricus* 4. *Fredericus*, *Ludouicus*; omnes tamen moriuntur Imperatores. Nam de *Frederico* dicitur, etiam in additione in glossa; & refert hic *Franciscus quod ipse Fredericus post depositionem tenuit regnum, &, eo mortuo, filius eius Corradus, &, eo mortuo, filius eius Manfredus* ex Ioanne Andrea.

Ad Caput. Ad Apostol.

Quod autem debitum sit officium vniuscujusq; Pōtificis deponere Reges persecutores & hæreticos: audi Innocentium. *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (Regem) spectat iudicium, sed decernere de peccato, cuius ad nos pertinet sine dubitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & debemus.* Possumus & debemus; debitum ergo est; iustitia vnicuiq; petenti ministranda est: Qui non deponit Regem depositione dignum, huius debiti & peccati debitor est.

De Iudicijs. c. Nouit.

Imo teipsum audi Bell. *Potest Pastor & debet omnes oues ita pascere vt eis conuenit; ergo potest Pontifex & debet omnibus Christianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum statum suum tenetur, &c. Ergo potest ac debet Regibus iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excommunicationem & alias commodas rationes.*

L. 5. c. 7. §. Tertium argumentum.

At debiti alicuius omissio in Pontifice peccatum est; sic omnes illi Pōtifices, antiqui, qui non deposuerunt Reges indignos, peccatores erant; & in hoc peccato, de quo nunquam pœnitentiam egerunt mortui & proinde damnati. Et reuera non potest hæc potestas defendi, nisi damnentur alij omnes Pontifices qui hoc debitum omiserunt.

At quo in statu Populus? An in meliore? *Non tenentur Christiani, imò nec debent tolerare.* sic Bell.

Peccat ergo & Populus: parum tibi ergo debet Populus, parū Pontifex, qui noua officij impositione omnes, quātum in te est, in Tartarū detrudis.

Non

Non potuit Ecclesia illo tempore uti potestate sua, ideo subeundam fuit Martyrium potius quam fides abneganda: sic Bellar. "

Et subeundum etiam Martyrium potius quam fides hæc de depositione Regum reticenda: Quid enim? An fides quæ negari non debet, taceri & celari debet? *Et ego etiam Christianus sum*; sic multi, non rogati, nemo verò rogatus negauit se esse Christianum. *Christianis pene idem est fidem nolle asserere quod negare, & dominicam fidem qui non firmarit euacuat, & diuinam contumeliam qui non refutat adcumulat*, Si hæc itaq; de Regum depositione fuisset fides antiquæ Ecclesiæ, quorsum per tot ætates à doctissimis & sanctissimis Patribus & Pontificibus silentio prætermittitur? *Fides autem hæc non Euangeliorum sed temporum, & tot procul dubio iam sunt fides quot voluntates, & tot vobis doctrinæ quot mores*, vt de suis temporibus Hilarius. Posiquam enim Pontifices dominio Reges priuare cœperunt, à facto ad ius valuit argumentum, & tot sunt doctrinæ quot mores; & pro temporum varietate varia & multiplex facta est fides: nec est hac ætate exploratum quid proxima sit credendum.

Fulgen. ad Thra sim. l. 1. c. 1

Ad Constantium

Quod verò de Martyrio in *Britannia* subiungit *Bellarm.* merum est conuitium & maledictum. *Quemadmodum etiam hoc tempore vbi Ethnici præualent, vt in Insulis Iaponijs, vel hæretici, vt in Britannia, plurimi ad Martyrium animantur; & re ipsa Martyrium fortissimo animo suscipiunt potius quam ad fidei abnegationem perduci se sinant.* " 3 " " "

Qui verò sunt illi qui in Britannia ad Martyrium animantur? Quę est fidei in Britannia abnegatio? An quisquam pro fide Christiana, pro symbolo Apostolorum, vel Niceno, vel Athanasiano Martyr in *Britannia*? Igni traditos qui hanc fidem abnegarunt, noui; qui profiterentur, igni aut morti traditos non noui. Sed noua est & nupera fides, quam intelligit *Bellarm.* ad quam negandam coguntur qui ad pœnam Martyrij non ad causam sic animantur; in *Britannia* perduelles & rebelles obedientiam, Regi ligitimo, iure diuino & naturali debitam, aut negant, aut negandum docent. Quo in genere sunt omnes illi Sacerdotes profugi, qui fidem iuramento fidelitatis confirmare & verbo & factis recusant; qui suos Catholicos sic instituunt, vt patienter ferant expectentque, sed donec supperãt vires ad Regem deponendum. Patiuntur isti in *Britannia* vt malefactores & proditores pessimi, non vt Martyres: quomodo enim Martyres, qui non de fide, vel de vllo religionis articulo, sed solum de obedientia & fidelitate Regi præstanda interrogantur?

Si causa itaque faciat Martyres non pœna, quomodo hi Martyres? Qui non pro fide, sed pro inobedientia, & perduellonis & proditionis doctrina patiuntur. *Beati illi qui persecutionem patiuntur, sed propter iustitiam*; maledicti illi qui propter iniustitiam: quales illi qui debitam obedientiam negant. Si Martyres sunt qui patiuntur, persecutores omnes qui

suos rebelles Imperator legitimus vi & armis debellare; & iustè laudatur *Gennadius* iste Exarchus quod fortiter magnoq; zelo tales persequeretur. Sed ad propositum non spectat laus ista *Gennady*; si subditos hos rebelles laudasset *Gregorius*, quod vim Imperatoriam vi repulissent, *Bellarmini* instituto favere videretur.

Albigenses à *Simone* Comite Monfortio & Cruce-signatis & Gallis debellati sunt. Hi subditi erant Regis Francorum, provinciamque Tholosanam sub *Raimundo* Comite occupabant, Regique rebelles existebant. Ideo potentia Regis Francorum & Cruce-signatorum, vna cum Rege Tarraconensium, cæsi sunt eorum centum ferme millia. Illi, vt rebelles & seditiosi cives, armis & bello ita omnia implebant, vt *Memelinum* Regem Afrorum in auxilium advocarent; qui Hispaniam cum incredibili & inaudita copiarum multitudine intravit, & totam Europam falsa quàdam spe devorauit. Igitur vt subditi & rebelles iusto bello oppressi sunt. Ergo *Bellarminus* in hoc exemplo Regum in subditos, non subditorum in Regem causam agit: neque hinc igitur propositum concludit. *Ad Tertium.*

Heluetij contra *Helvetios*, Catholici contra Protestantes (quos odioso falsoque nomine hæreticos vocat) bella movent: hoc est, liberæ civitates siue Cantones contra liberas civitates, socij contra socios aciem instruunt. Bellum hoc est sociale, quod nulla ratione legitimum, qui à nullo superiore, penes quem potestas belli indicendi, indictum. *Causa huius belli, partim dissentio in religione, partim ciuiles quædam, vt victualium & Mercatus publici siue commercij denegatio; vt compellatis nos hâc ratione ad famem, sic Cochlæus tuus.* *Ad quartum.*

Vtrum vero liceat religionis propagandæ vel restaurandæ causa fines alienos invadere (vti in hoc bello Classicum canunt Catholici tui. *Et volumus, si Deus nobis gratiam, virtutemq; & fortitudinem concesserit, ista potenter manu ac facto de vobis vindicare*) & bellum alteri genti vel civitati non subditæ inferre, iudicet *Franciscus de Victoria* in Relect. de Indis: cuius hæc est propositio. *Quantumcunque fides annunciata sit Barbaris probabiliter & sufficienter, & noluerint eam recipere, non tamen hac ratione licet eos bello persequi & spoliare bonis suis*: id quod probat ex Thomâ: qui dicit. *Quod Infideles qui nunquam susceperunt fidem, sicut Gentiles & Iudæi, nullo modo compellendi sunt ad fidem.* Et iterum. *Si Barbari permittant Hispanos liberè & sine impedimento prædicare Euangelium, siue illi recipiant, siue non, non licet hac ratione intentare illis bellum, nec alios occupare terras eorum.* Ratio vero Infidelium & hæreticorum in hâc causâ par atque eadem est: *Religio enim suadenda est, non cogenda*; non licet ergo Pontificijs eo nomine Protestantibus bellum inferre; nec è contra. Non licet religionis causa vni Regno aut civitati *Sect. 2 sit. 4. prop. 6. num. 15.* *2.2.q.10.art.8.* *Sect. 3. concl. 3. num. 11.* *Hilarius.*

civitati in aliud Regnum aut civitatem non ſubiectam exercitum ducere: hoc ergo exemplum Catholicorum, in Proteſtantes ſocios ſuos bella moventium propter cauſam religionis iniuſtum fuit. Præterea nihil ad inſtitutum facit *Bellarmini* non enim ſequitur.

Licet vni civitati, religionis cauſa, bellum inferre alteri ſibi non ſubiectæ. Ergo licet ſubditis propter religionem, bellum movere in Regem ſiue Principem ſuum, eumque dominio ſuo privare.

Sic exempla Bellarmini cauſam eius non iuvant.

6. *At Catholici à Conſtantio Ariano Imperatore vexati, ad Conſtantem* „ *Orthodoxum Imperatorem Occidentis confugiunt; literas minaces pro re-* „ *ſtitutione Athanaſij ad Conſtantium impetrant*, vt hiſt. tripart. l. 4 c. 25.

Nec valet hoc exemplum ad inſtitutum *Bellar.* non enim ſequitur; Imperator Orthodoxus *Conſtans* Imperatori *Ariano Conſtantio* per literas minatur; vt *Athanaſium* in Patriarchatū Alexand. reſtituat: ergo licet ſubditis Catholicis armis Regem hæreticum ad veram religionem cogere, aut dominio privare: ſcopæ iſtæ diſſolutæ ſunt nec cohærent: præmiſſæ de Imperatore enunciant, concluſio ad ſubditos extenditur.

„ *Literæ non ſolum monitionem habuerunt & conſilium, ſed etiam in-* „ *terminationem pro Principe condecentem.* Et infra.

„ *Adiecitq; quod niſi vellet quod iuſtum eſt facere, ipſe Alexandriam pro-* *ficiſceretur & Athanaſium ciuibus deſiderantibus reſtitueret; inimicorumq;* Lib. 2 cap. 18. *easternas procul expelleret*: Sic hiſt. tripart. Et refert Socrates: *Sin autem recuſes iſta hoc modo perficere pro certo velim cognoſcas me eo venturum, & te inuito, illis ſuas ipſorum ſedes reſtituturum.* Minæ hæ ſunt pio Principi condecentes; ſic frater fratri, Imperator Imperatori, hæretico Orthodoxus minatur.

Co-imperatores fuerunt iſti; ſic quiſque ſuas partes curabat, vt totum etiam Imperium non negligeret. Proinde & *Conſtantinus* frater iunior *Athanaſium* à Patre *Conſtantino* in Gallias relegatum, primus poſt pa- Socr. l. 2. c. 2. tris mortem Alexandriam remiſit; vt ex Epiſtola illius apud *Socratem* & Theod. l. 2. c. 1. *Theodoretum* conſtat: Et quidem armis defendi vera & Orthodoxa religio poteſt, ab ijs qui vtriuſque tabulæ, & primæ & ſecundæ cuſtodes à Deo conſtituti ſunt, & Eccleſiæ nutricij, qui gladium pro religione acceperunt, (Defenſores enim fidei & religionis meritò audiunt:) ad populum vero nulla ratione ſpectant arma, nec ad Pontificem: arma enim eorum preces & lachrymæ, non gladij, nec factum *Conſtantis* vel populari ſeditioni vel Pontificiæ vſurpationi quicquam fauet.

Audi vero quam tacitè & ſubdolè cauſam Arianorum agat *Bellarmi-* „ *nus, S. Athanaſius aliiq; Epiſcopi Catholici confugientes literas impetra-* „ *runt minaces ad Conſtantium*: ſic Bellarm.

„ Si impetrarunt & conſenſerunt, & authores erant earum literarum

mina-

minacium, & proinde bellorum & depositionis *Constantij*, si aut bella aut depositio inde consecuta esset. Quid vero in hac causa Arianis? *Constantio (qui, quò volebant, duci consueuerat) in memoriam reuocat fraternum dissidium; cuius causa fuisset Athanasius, quamque parum abfuisset quin illi, ruptis naturæ vinculis, bellum aduersum se mutuum susciperent.* Communis est hæc Bellarmini & Arianorum in Athanasium calumnia. Non enim mouet seditionem *Athanasius*; fratrem contra fratrem, Imperatorem contra Imperatorem non concitat; ad arma non incitat, classicum non canit: si mihi non credis, ipsi crede Athanasio, etiam iuranti: sic enim præfatur. *De mea autem in te maledicentia, qua vsum me singunt apud pissimum Augustum beatæ & æternæ memoriæ Constantem, &c. non insanio ego, nec mente captus sum, vt cogitasse vnquam me tale quid suspiceris, &c. Tuæ autem pietati magna & clara voce respondeo, manuq; extensa, quod didici ab Apostolo; Deum in meam ipsius animam testor; &, vt scribitur in libris Regum, iusiurandum concipio, testis sit Dominus, & testis sit Christus eius, sinas me quæso loqui, nunquam in malum tui mentionem feci apud Fratrem tuum beatæ memoriæ Constantem pissimum Augustum, neque illum aduersum te irritaui, vt calumniantur isti.* Quod vlterius prosequitur plurimisq; argumentis ostendit *Athan.* Qui verba Hosij superius memorata citans & approbans, obedientiam suam Principi hæretico testatissimam fecit. Et in hac ipsa Apologia. *Ausi sunt inter crimina iactare quod tuis mandatis, quibus iniunctum est vt Alexandriâ excederem, non obtemperauerim, &c. Nequaquam restiti mandatis Pietatis tuæ; minime gentium: absit; non enim ego is sum qui vel Quæstori ciuitatis restitero, ne dum tanto Imperatori.* *Athanasius* ergo nec accusator *Constantij*, nec inobediens Imperatori hæretico & Persecutori, sicut & Ariani eum insimulant & *Bellarminus* innuere videtur, dum literas minaces impetrasse affirmat.

Theod. l. 2. c. 13.

In Apolog. ad Constant.

Ad solitariã vitam agentes.

Quæ ergo causa harum literarum minacium? Audi Socratem: *Statim post, Imperator qui partium ad Occidentem vergentium dominabatur, ea quæ in Concilio Sardicensi acta erant, fratri suo Constantio significat; hortaturq; vt Paulum & Athanasium ad proprias sedes restituendos curet. Vbi autem Constantius fratris postulata de die in diem differebat, ille (Imperatorem dico Occidentis) optionem fratri dat, vel Paulum & Athanasium ad suas ipsorum sedes Ecclesiasq; restituendi, vel si hoc minus præstaret ipsum sibi hostem reddendi, nihilq; aliud quam bellum expectandi:* & in principio ipsarum literarum: *sunt hic apud me Athanasius & Paulus quos auditione accepi, pietatis causa persecutionem passos esse.*

L. 2. c. 18.

Ecce tres causæ harum literarum. Prima, *Athanasius* & *Paulus* pietatis causa persecutionem passi. Secunda, Decretum Concilij *Sardicensis* de Consubstantialitate filij, & *Athanasij* innocentia.

Tertia, Contemptus, & procrastinatio *Constantij. Haec cognoscens Constans & doluit quidem lenitatem fratris inspiciens, & infremuit aduersus instigatores malorum, & Imperatoris facilitatem ita decipientes.* Sic ibidem hist. tripart. Non ergo impetrauit *Athanasius*, sed compassio erga Episcopos propter pietatem persecutionem passos, & Clementia Imperatoris, & veritatis, diuinæ & fidei zelus has adeo minaces literas procuarunt.

Sed quæro hic obiter à Bellarm. an *Constanti* deerant vires, vt *Constantium* Arianum deponeret: cur ergo non deposuit? An quenquem latere potuit *Arianismum* hæresin fuisse? Aut *Constantium* Ariana impietate infectum in exilium *Athanasium* & *Paulum* protrusisse? Cur *Athanasius*, qui (*Bellarm.* Authore) à *Constante* minaces literas impetrat, ad Pontificem Romanum non provocat: vt ipse, tanquam Princeps summus spiritualis, *Constantium* & excommunicaret & Imperio privaret, & Catholicos à iuramento fidelitatis absolueret? Sed hanc doctrinam vel ignorauit *Athanasius*, vel causam suam negligenter egit, dum ad ordinarium Principem & Regum Tribunal, hoc est, Pontificem Iulium sui amantissimum non provocat? De *Constantio* post mortem *Constantis*, quo tempore nemo erat qui illi resistere auderet, vti asserit *Bellarm.* plura dicturi sumus Capite sequenti.

CAP VII.

Ecclesia Constantium hæreticum, & Iulianum Apostatam non deposuit, & tamen non deerant vires.

1. *Vires Christianorum, etiam tempore persecutionis, ex Tertulliano; ex Marco Imperatore.* 2. *De verbis Thomæ; Non habebat Ecclesia potestatem: Bellarm. legit: Non habebat vires.* 3. *Christiani viribus superiores Constantio: totus orbis Christianus quo sensu.* 4 *Non deerat Dux.* 5. *De viribus Ecclesiæ in Leone, Childerico, Henrico deponendis: vbi de Assassinis Monachis.* 6. *Non deerant vires ad Iulianum deponendum.* 7. *De sententia Gregorij Nazianzeni, & Augustini.* 8. *Non deerant vires ad Valentem deponendum.*

IN hoc capite instituitur controuersia inter *Barclaium* & *Bellarminũ*: de secundâ ratione, vel saltem secunda parte rationis *Franciſci Romuli* (nec enim de numero, sed de pondere rationum contendimus) an scilicet Ecclesia *Constantium, Iulianum, Valentem*, cæterosq; Imperatores non

non depoſuerit, quia vires deerant, *Leonem, Henricum, Childericum* verò depoſuerit quia vires aderant.

Antequam verò ad reſponſionem *Bellar.* deſcendamus, operæ pretium erit, quid de temporibus perſecutionis ſenſerit *Tertullianus*, paſſari; vt facilius de temporibus pacis dijudicare poſſimus: Si enim tempore perſecutionis vires ad deponendos Reges infideles & perſecutores non deerant, vix credibile eſt tempore pacis defuiſſe vires ad Hæreticos exauthorandos.

Sic ergo Tertullianus, *Si inimicos (vt ſupra diximus) iubemur diligere, quem habebimus odiſſe? Item ſi laſi vicem referre prohibemur, ne de facto pares ſimus, quem poſsimus ledere? Nam de iſto ipſi recognoſcite. Quoties enim in Chriſtianos deſæuitis, partim animis propriis, partim legibus obſequentes? Quoties etiam præteritos à vobis, ſuo iure inimicum vulgus invadit lapidibus & incendijs, ipſis Bacchanalium furijs? Nec mortuis parcunt Chriſtianis: quin illos de requie ſepulturæ, de aſylo quodam mortis, iam alios, iam nec totos avellant, diſſecent, diſtrahant. Quid tamen de tam conſpiratis vnquam denotatis, de tam animatis ad mortem vſque pro iniuriâ repenſatis? Quando vel vna nox pauculis faculis largitatem vltionis poſsit operari, ſi malum malo diſpungi penès nos liceret. Sed abſit vt aut igni humano vindicetur diuina ſecta, aut doleat pati in quo probatur. Si enim hoſtes extraneos, non tantum vindices occultos agere vellemus, deeſſet nobis vis numerorum & copiarum? Plures nimirum Mauri & Marcomanni ipſiq; Parthi, vel quantacunque, vnius tamen loci & ſuorum finium gentes, quam totius orbis? Externi ſumus, & veſtra omnia impleuimus, vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, palatium, ſenatum, forum, ſola vobis relinquimus templa: Cui bello non idonei, non prompti fuiſſemus, etiam impares copijs, qui tam libenter truncidamur, ſi non apud iſtam diſciplinam, magis occidi liceret quam occidere. Potuimus & inermes, nec rebelles, ſed tantummodo diſcordes, ſolius diuortij inuidiâ adverſus vos dimicâſſe. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti ſinum abrupiſſemus a vobis, ſuffudiſſet vtiq; damnationem veſtram tot qualiumcunque amiſsio ciuium: imo etiam & ipſâ deſtitutione puniſſet: procul dubio expaviſſetis ad ſolitudinem veſtram, ad ſilentium rerum, & ſtuporem quendam; quaſi mortuæ vrbis reliquias quaſiniſſetis, quibus in eâ imperaretis. Plures hoſtes quam ciues vobis remanſiſſent: nunc enim parciores hoſtes habetis præ multitudine Chriſtianorum penè omnium ciuium; penè omnes ciues Chriſtianos habendo.* Hæc Tertullianus. *Apolog. ca. 37.*

In quibus luce meridianâ manifeſtius, non defuiſſe vires Chriſtianis temporis perſecutionis, quibus Imperium perſecutoribus ſuis abrogarent. Vna nox pauculis faculis largitatem vltionis potuit operari: non deerat vis numerorum & copiarum: Chriſtiani vrbes, inſulas, caſtella, manu-

mancipia, conciliabula, castra, tribus, decurias, palatium, Senatum, forum, omnia replent: sola templa vobis relinquimus si discessionem fecissent, suffudissent damnationem vestram, destitutione punisset: ad solitudinem suam expavissent persecutores, mortuæ Vrbis reliquiæ fuissent; plures hostes quam ciues, omnes penè ciues Christiani erant: Multitudine ergò & copijs & viribus superiores erant Christiani; vnico hoc vinculo à vindicta retinebantur, quod malum malo dispungere non liceret; quod apud istam disciplinam occidi magis quam occidere liceret. Eo proinde, vti observat *Pamelius*, in codice manuscripto Vaticano titulus huius capitis est; *Quod ad Christianos spectat neminem ladere, quanquam præ multitudine possint se vindicare. Iovinus* etiam *Maximianus* Imperator confitetur scribens ad *Sabinum*, *omnes ferè mortales*, *Deorum cultu relicto*, *se Christianorum genti commiscere.* Audi verò quid de Christianorum obedientia illis temporibus senserit Fevardentius in annotationibus in Irenęum. *Hinc liquet quanta pietate, veneratione, fide & obedientiâ Imperatores & Reges & Magistratus politicos exceperint primarij nostræ Religionis Antistites, etiamsi illius pietatis ignari essent, imo & acerrimos oppugnatores eos haberent, quos vtinam vel hac saltem in parte imitarentur nostræ ætatis Gnostici. Porrò qualis illorum disciplina de Magistratu ciuili fuerit, cum Irenæo pluribus enarrant Iustinus, Athenagoras, Tertullianus in Apologijs, Theophilus Antiochenus Lib. 1. & 2. ad Autolycum; Origenes Lib. 4. in Iud &c.*

Vide Paraphra. Franc. Zephyri in hoc caput apud Pamelium.

Euseb. Lib. 9. c. 9.

Lib. 5. c. 24. nu. 5.

Magnum numerum Christianorũ fuisse suis temporibus fatetur *Marcus* Imperator, quorum precibus victoriam assecutus est: vnde in Epist. ad Senatum Romanum: *Permittemus* (inquit) *hisce Christianis esse, vt nè id genus armorum, hoc est orationes, adversus nos impetrantes (sine ad hibentes) voti compotes fiant.* Cum ad decollandum *Cyprianus* duceretur; sequebatur eum multitudo Populi, & alij clamabant; *Moriamur cum sancto Episcopo.* Etsi ergò numero pares essent illis temporibus Christiani, martyrio tamen coronari maluerunt, quam perfidiæ, perduellionis, aut inobedientiæ crimine notari. Quod etiam ipse Cyprianus disertè pronunciat ad *Demetrianum.* *Ladere seruos Dei & Christi persecutionibus tuis desine, quos læsos vltio diuina defendit: inde est n. quod nemo nostrûm quandò apprehenditur, reluctatur, nec se adversus iniustam violentiam vestram, quamuis nimius & copiosus noster populus, vicissitur: patientes facit de secuturâ vltione securitas.* Atq; hæc verba quæstionis caput attingunt. Quod si tempore persecutionis vires non deerant ad Reges Infideles & Persecutores abrogandos, an veri simile est defuisse Ecclesiæ vires ad vnum vel alterum hæreticum vel Apostatam deijciendum, cum hæresis plerumque Episcopos potius quam plebem pervaderet? Sed ad Bellarminum redeamus.

Iustin. in Apol. 2.

In vita Cypriani per Paulum Diaconum.

Cyprian ad Demetrian.

Constantium, Iulianum, Valentem, aliosq; Imperatores Hæreticos

non

non ideo tolerauit Ecclesia, quod legitimè in Imperium succesſerunt, ſed quia illos ſine populi detrimento coërcere non poterat: Leonem, Henricum, Childericum non tolerauit, etſi illi non minus legitimè ſucceſſerunt quia iſtos ſine detrimento populi coërcere poterat. Id eſt, tunc vires non aderant at iam non deſunt: qua etiam in ſententia eſt Bellarminus Libro quinto de Pontifice Capite ſeptimo *Quinetiam idem* (inquit Bellarminus hoc loco) *ſenſit Thomas* 2. 2. *Quæſt.* 12. *Art.* 2. ad primum: vbi dicit *Eccleſiam toleraſſe, vt fideles obedirent Iuliano Apoſtatæ, quia in ſui nouitate nondum habebat vires compeſcendi Principes terrenos.*

Thomæ verba mutàvit Bellarminus, *Eccleſia in ſuâ nouitate nondum habebat poteſtatem compeſcendi Principes terrenos, nondum habebant* vires; ſic legit Bellarminus: & in fine capitis: *Cum ſatis virium ad eum deponendum non haberet vt Sanctus Thomas ad hoc ipſum argumentum reſpondet ibidem.* Non ſatis conſtat quid per nomen poteſtatis hoc loco intelligat *Thomas*: Si poteſtas pro viribus intelligatur, vt & legit & intelligit *Bellarminus*, falſus eſt *Thomas*, vt poſt patebit, vires enim non deerant: Si poteſtas pro ipſâ authoritate, ſiue poteſtate iudiciariâ intelligitur, vt ſcilicet Pontifex ſit Iudex ordinarius, qui poteſtate Eccleſiæ authoritatem Dei habentis, omnes Reges & Principes terrenos compeſcat, verè dixit nondum poteſtatem habebat Pontifex: Nondum enim Pontifices hanc poteſtatem ſibi ipſis arrogauerant. Primus juxtà *Gregorium ſeptimum* hoc ſibi vſurpauit *Zacharias in Childericum* 15. *Quæſt.* 6. *C. Alius.* Et ſi verò de poteſtate iſtâ Pontifices ipſi (in cauſâ ſuâ Iudices non ferendi) decreta ediderint, nondum tamen extat decretum Eccleſiæ aut alicujus Concilij generalis, quo poteſtas iſta Pontificia ſtabilita eſt.

Præterea *Thomas* quæſtione 10. Art. 10. negat hanc poteſtatem eſſe de jure diuino: *Ius diuinum* (inquit) *quod eſt ex gratiâ, non tollit ius humanum quod eſt ex naturali ratione*: Quinetiam apertè aſſerit, quod ſit de jure Eccleſiaſtico: *poteſt tamen iuſtè per ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ authoritatem Dei habentis, tale ius Dominij vel Prælationis tolli.* Priuatio ergò ſiuè depoſitio Regum eſt de jure Eccleſiaſtico, id eſt, Canonico, vti explicant *Gregorius de Valentiâ*, & *Bannes* (licet ille nouo nomine *ius diuinum poſitiuum appellet*) & *Peſantius*. Poteſtas ergò hæc de quâ *Thomas* loco citato loquitur, poteſt (idque non ſinè ratione) de ipſâ poteſtate, ſiue ſupremo Dominio deponendorum Regum, quæ in nouitate Eccleſiæ, nullo decreto, aut Pontificis, aut Concilij concluſa erat, intelligi, non de externis viribus, quibus reipſa regnis ſuis ſpoliantur Reges; quia de poteſtate ipſa nihil decretum erat per primos 700. annos, vſq; ad *Gregorium ſecundum* vel fatente *Bell.* At vires aderant, milites enim penè omnes *Iuliani*, de quo in hâc reſponſione agit

Thomas.

in concivem infert, ad inſtitutum non facit, legibus non armis tranſigenda ſunt iſta. Quæſtio ergo eſt de vi illa quam infert tyrannus ſive hæreticus quamvis Princeps legitimus, in inferiorem & ſubditum ſuum. Aut ergo non ad propoſitum, aut hoc reſpondet *Bellarminus*: Si premat Princeps hæreticus & tyrannus, martyrium pati potius quàm fidem abnegare debes. Sed omnia prius experiri oportet; fugâ tibi conſulendum eſt, ſi hâc non ſucceſſit, iuſtâ defenſione opus eſt, vim vi repellere potes; namque hoc nunquam in Evangelio prohibuit Dominus: Hæc explicâſſe confutâſſe eſt: Aliter *Chriſtus* iuſſit & geſſit: quare, vt inquit Sarisburienſis, *Meminerit* (Bellarminus) *eius qui cum poſſet producere pluſquam duodecim legiones Angelorum, exaltatus in crucem omnia acquiſiuit.* Aliter primus *Chriſti* Vicarius: *Serui, ſubditi eſtote in omni timore, Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis. Hac eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias patiens iniuſte*; non vero ſi repellat impatiens. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo*; ſic Chriſtus. Matth. 5. 39. Annon hic prohibuit Chriſtus vim vi repellere? Sic intellexit Cyprianus. *Zabulus dicit; fruere vindicta & perde vitam æternam; Deus dicit, vince in bono malum; & noli reſiſtere malo; & accipe cum Filio meo poſſeſſionem Regni cœleſtis: mox diſpice vtri potius expediat obtemperare.* Et alibi dicit. *Milites Chriſti hoc ipſo inuictos eſſe, qui nec mori timent nec repugnare contra impugnantes, cum occidere innocentibus nec nocentem liceat, ſed promptè & animas & ſanguinem tradere.* Ex quibus verbis Eraſmus Manutiuſque colligunt; *Cyprianum ſentire, non eſſe fas Chriſtianis armis ac vi tueri ſe aduerſum impetum perſecutorum.* Quin & Auguſtinus. *Parum videtur Domino, ſi pro malo quod acceperis nihil reddas mali, niſi etiam & amplius ſis paratus accipere. Quapropter non ait: Ego autem dico vobis non reddere malum pro malo, quanquam hoc etiam magnum præceptum ſit, ſed ait, non reſiſtere aduerſus malum, vt non ſolum non rependas quod tibi fuerit irrogatum, ſed etiam non reſiſtas quo minus aliud irrogetur: vt in maxilla & tunica patet. Lex talionis quam tradidit Moſes; oculus pro oculo, dens pro dente, non fomes, ſed limes erat furoris: at lex Chriſti non tantum limites furori & habenas imponit, ne modum ſuperet vindicta, ſed & initia peccatorum truncat.* In lege emendabantur culpæ, hic in Evangelio, peccatorum auferuntur exordia: lex non excedit vindictæ modum; Evangelium non vult vindictam. Non iniuſtè vindicabis, ſic *Moſes*: non vindicabis omnino, ſic *Chriſtus*. Nolite reſiſtere malo; malũ patienter ferte; imò ad nova mala ferenda parati eſtote; ſic *Chriſtus*. Imo vero, malo reſiſtite; vim vi repellite; Dominus hoc in Euangelio non prohibuit; ſic *Bellarm.*

Polycr. l. 8. c. 23

1. Pet. 2. 18.

De dup. Martyr.

Idem Epiſt. 1.

In annotation.

De Serm. Dom. in Monte. Thom. in Catena in 5. Matth.

quæ in locis ad Orientem spectantibus habitant, idcirco omnes in præsentiâ rectè se habere arbitrati sunt. Deinde enumerat, quod in Vrbe *Româ*, in *Italiâ*, in *Africâ*, in *Ægypto*, in *Hispaniâ*, *Galliâ* & *Britannia*, in *Lybiâ* & vniuersa *Græciâ*, in *Dioceſi Aſiaticâ & Ponticâ*, in *Ciliciâ* deniq; vnâ & conſentiente ſententiâ conſeruatur, &c. vt omnes communi conſilio id ratum cupiunt. Ecce manifeſtò *Conſtantinus* totum orbem, id eſt maiorem eiuſdem partem, ſuo tempore Chriſtianam Religionem profiteri, & in formâ & in die Paſchatis celebrandi convenire affirmat. Nec magis reprehendendus eſt *Barclaius*, quod totum orbem Chriſtianum fuiſſe ſub *Conſtantio* aſſerat, quam redarguendus *Gregorius Nazianzenus* quod Imperatorem ſic alloquatur: *Orbis hic vniuerſus ſub manu veſtrâ eſt.* *Oratione de ſe ipſo.*

At Symmachus Prefectus Vrbis longâ oratione apud Ambroſium, perſuadere conatur Valentiniano Iuperatori, vt ſacra Gentilibus Romanis reſtitueret. ſic Bell.

Symmachus tria propoſuit, vti in reſponſione ſuâ *Ambroſius*: Vt Imperator cultus Gentilium reſtitueret, vt Sacerdotibus & Veſtalibus virginibus emolumenta rependeret, vt fami publicæ quæ hinc inſecuta eſt, conſuleret. Iſta aperte id convincunt quod *Barclaius* affirmat. Veteres enim cultus Gentilium abrogati erant; patrimonia Sacerdotum & Veſtalium in fiſcum redacta. Pauci ergo Pagani relicti erant; *Orbis totus* id eſt maior pars in ſagenâ *Chriſti* erat, *Chriſtum* profitebatur. Legatio hæc fuit Senatus, vel potius paucorum, qui Idola ſua, quæ in templis deleta, in cordibus ſuis erigebant: & *Valentinianum* in minoris ætui tyrocinio adoritur *Symmachus*, & eâ ſpe hanc legationem adornat, quod, vti ipſe etiam *Bellarminus*, Cap. 8. puer erat *Valentinianus*, & non proprio iudicio, ſed matris authoritatem ſequutus, Eccleſiam perſequi cœpit. Præterea *Valentinianus* iſte filius *Valentiniani* Senioris, poſt Paganiſmum à *Iuliano* reſtitutum imperauit, & inter mortem *Iuliani* & *Symmachi* orationem, intereſſerunt anni circiter viginti. Male ergò diuiſa ſunt iſta temporibus; mala proculdubio hæc eſt collectio *Bellarmini*. *Symmachus* nomine Senatus Romani petit à *Valentiniano* iuniore reſtitutionem cultuum Gentilium; ergò totus orbis tempore *Conſtantij* Chriſtianus non fuit.

At multa diſputant Chryſoſtomus, Theodoretus, Auguſtinus & Oroſius aduerſus Gentiles ſuorum temporum; ſic Bell.

Et multa ſcripſerunt multi contra Gentiles inter Scholaſticos: Extat Summa *Sancti Thomæ Aquinatis* contra Gentiles. Vnuſquiſq; qui Symbolum explicat Apoſtolorum, aut Decalogum Moſis, contra errores Gentilium, qui multos Deos colebant, taleſq; quales nemo vellet filios vel filias, ſcribat neceſſe eſt. Quid ergo? Quia Scholaſtici, ſicut & Patres, contra errores Gentilium ſcripſerunt, an ideò ſequitur *totum orbem* tempore

pore *Constantij* Christianum non fuisse; cum inter *Constantium* & *Chrysostomum* & *Augustinum* multi intersint anni? Exempla ista, quę a *Bellarmino* adducuntur singularia sunt, & contra errores potius Paganorum quam contrà Paganos ipsos, in Ecclesiá vel Imperio Romano degentes scripserunt Patres isti. Pagani enim tunc temporis publicè non permittebantur sacra sua prophana peragere, & externi erant, & inimici hostesq; & Ecclesiæ & Imperij, vt Gothi alijq; qui clades multas Romanis intulerunt.

Cod de Paganis, &c. Verum vt caput causæ petamus, extat lex *Constantij* ipsius contra Paganos, quâ cautum est, vt *templa Paganorum clauderentur, sacrificia eorum abolerentur, qui huiusmodi aliquid perpetrauerint gladio vltore sternantur, facultates fisco vindicentur: Rectores provinciarum, si huiusmodi aliquid permiserint, similiter puniantur*: contra quos etiam *Theodosius, Gratianus, Valentinianus*, ante tempora *Chrysostomi* & *Augustini* leges similes sanxerunt: vndè manifestum est tempore *Constantij*, in Imperio solam Religionem Christianam publice viguisse.

„ *At Parthi, Persæ, Sarmatæ, Gothi, maximâ ex parte Gentiles erant*; sic *Bellarminus*. Esto: hoc non ignoravit *Barclaius*, nec ad institutum facit; nec enim suberant isti Imperio Romano: sed inimici hostesq; acerrimi erant; & tamen inter eos multi Christiani erant nec altera Romanæ vrbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est *Et Gallia, & Britannia, & Africa, & Persia, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ Nationes Christum adorant, vnam obseruant regulam veritatis*. Sic Hieronymus ad *Euagrium*. Imperium ergò *Christi* Imperio Romano maius & augustius; gentesq; istæ, quæ Imperatori Romano colla non subdiderunt, *Christo* nomina sua dederunt.

Epist. 85.

Quorsum verò tam multa de Paganis respondet *Bellarminus*, nec enim de Paganis, sed de Christianis quæstio instituitur: an Ecclesia vires habuerit, quibus *Constantium Arianum* deponeret? an tantum fisus Paganis Constantius, vt eorum armis se tutum contra Pontificem & Orthodoxos sentiret? Asserit *Barclaius*, totum orbem tempore *Constantij* Christianum fuisse, maximam verò partem eius Orthodoxam.

„ Respondet *Bellarminus*. *Totus orbis* Christianus non fuit tempore
„ *Constantij*; quià *Symmachus à Valentiniano* iuniore restitutionem cul-
„ tuum Gentilium petijt, annis post *Constantium* mortuum circiter vigin-
„ ti, quos interim restituerat *Iulianus*: De Christianis & Orthodoxis altum silentium. An Pagani Imperatoribus fideliores sunt, quam Christiani? An hæretici fideliores Orthodoxis? Solent Romanenses de suâ Religione jactabundi prædicare, quod sola veram doceat Regibus obedientiam: sola verò inobedientiam & rebellionem docet. Hæretici & Pagani fideliores *Constantio*, vt videtur quam Orthodoxi; ideò de Paganis respondet, de Christianis & Orthodoxis tacet.

At

At licet tempore *Constantini* Patris, Christiani Orthodoxi, & Paganis & hæreticis & numero & viribus potentiores, post mortem tamen *Constantini* prævaluerunt hæretici Ariani; & deerant tunc vires ad *Constantiũ* exauthorandum. Nec hoc quidem affirmat *Bellarminus*, & si affirmaret, literæ *Constantis* de *Athanasio* restituendo satis probant, *Constantium* vires fraternas & Orthodoxorum timuisse. Imò literæ *Constantij* plures, quibus *Athanasium*, vt ad sedem suam rediret, rogat & invitat, *Constantij* timorem satis loquuntur. Quinetiam mortuo *Constante* vnaq; reviuiscente *Arianismo*, accusatur *Athanasius*, quod discordiæ inter fratres beliq; nisi de jure suo cessisset *Constantius*, author fuisset: ideoq; fugâ sibi consulit, sedemq; suam necessitate coactus deserit. Nec adhuc tamen vires deerant Ecclesiæ, quibus *Constantium* de sede suâ deturbaret. Si enim post mortem *Constantis*, Orthodoxi *Magnentio* adhæsissent, impar fuisset *Constantius* eorum viribus; facile fuisset vni vel alteri ferro vel veneno *Constantium* è medio tollere. Alienæ enim vitæ dominus est qui contemptor est suæ.

Imò eo ipso tempore, quo *totus mundus ingemuit, videns se factum Arianum*, (obseruet Lector, quo sensu *Hieronymus* dixerit, *Totus mundus*) non deerant è populo multi, qui etsi metu maloq; coacti cum *Arianis* communicabant, corde tamen Orthodoxi erant. Exemplo sit ciuitas ipsa Romana, Orbis Domina; quæ redeuntem ab exilio *Liberium* Episcopum suum, qui & cum *Arianis* communicauerat: & contra *Athanasium* subscripserat, magno cum gaudio recepit, non tanquam *Arianum* sed tanquam Orthodoxum: qui tamen linguâ manuq; in verba *Arij* iurauerat, mentem injuratam gesserat.

Tanta enim vis Romanorum, vt teste *Socrate*, *Liberius*, non multo post ab exilio reuocatus, sedem Episcopatus propterea recuperauit, quod Populus Romanus seditione conflata *Fœlicem* Ecclesia illa eiecerat, Imperatorq; ipse inuito animo consenserat. Quinetiam narrat *Theodoretus* Magistratuum & primariorum ciuium conjuges obsecrâsse maritos (Romæ tunc præsente *Constantio*) vt *Constantio* supplicarent pro Pastore, qui restituatur Ecclesiæ suæ, seq; nisi impetrassent, desertis ipsis ad magnum illum Pastorem deventuras minantur; respondent, se formidare iracundiam Imperatoris, sibiq; non magnam esse spem veniæ quod viri essent; *Vos autem si supplicetis illa, non ladet; & horum alterum consequemini, vt aut admittat deprecationem vestram, aut certè nullo modo affectas dimittat: hâc viâ demonstrata accedunt laudabiles matronæ ad Imperatorem pretiosissimis vestibus ornatæ, quo magis Imperator nobiles ratus precibus voluntatique ipsarum gereret morem, erat autem deprecatio talis: Misereri vellet tantæ ciuitatis spoliatæ Pastore suo, & expositæ luporum insidijs; sed Imperator respondet, non illam Pastore alio indigere, quæ prudentem bonumque haberet: fuerat autem creatus post Libertum vnus ex Diaconis*

Lib. 2. Cap. 29.

Lib. 2. Cap 17.

illius,

illius, vir fidelis, Fœlix nomine, qui incorruptam quidem ſervabat expoſitam Nicæa fidem, ſed violatoribus eius coniungi non verebatur; nemo tamen omnium ciuium Romanorum in eadem orationis eſt ingreſſus cum ipſe intus foret: Quod ipſum & Matrona tum Regi ſignificarunt; itaq; flecti ſe paſſus, inſſit optimum quidem Liberium de exilio reuocare; ſed amborum communem eſſe Eccleſiæ adminiſtrationem; his literis lectis, in Circo, exclamauit multitudo: egregiam eſſe Imperatoris ſententiam, qui ſpectatoribus in duas partes diviſis & à colore cognominatis, his vnum, alteris vnum præficeret: ita dictis inceſſentes Imperatoris literas; exclamat vno ore (nam & voces ipſas ponere viſum eſt:) Vnus Deus, vnus Chriſtus, vnus Epiſcopus.

Quinetiam contagio illa *Ariana* Epiſcopos & Clericos pervaſerat, at plebs militeſq; vt difficultatis hujuſce incapaces Deitatem Chriſti credebant, vt par erat, explicitè, de Conſubſtantialitate non contendebant; ducebantur, non ducebant; nec facile ad injuriam & blaſphemiam Creatoris irruebant. Et hi ſunt, populus nimirum, militeſque quorum viribus armiſque Reges & Imperatores deponit Eccleſia: Satis ergò vitium habuit ad *Conſtantium* privandum, etiam cum ſolus regnaret, & Epiſcopos in exilium cogeret. Iulianus enim qui à Conſtantio in Imperium aſcitus eſt, optimè ſciuit, *Chriſtianos multitudine impleſſe Romanum Imperium, vt ipſe narrat Baronius.*

Tom. 4. ad an. 361. num. 17.

" *At Conſtantius & Iulianus Imperatores potentiſſimi erant; multas* " *legiones armatas ducebant, adverſus quas nihil poterat inermis multi-* " *tudo, præſertim cum Principem aliquem Chriſtianum non haberet qui vel-* " *let aut poſſet eam armare, & armatam ducere adverſus Imperatores.* " Hæc Bell:

Imò verò & *Conſtantius* & *Iulianus* ideo potentiſſimi Imperatores erant, quià multas legiones armatas ducebant, easque Chriſtianas. Quomodo enim Romanum Imperium implere potuit Religio Chriſtiana, ſi exercitum & legiones Imperatorias non impleret? An quiſquam hoc ſanus dixerit, Imperatorem Chriſtianum, qui per orbem vniverſum Religionem Chriſtianam propagauerat, ſolos milites Paganos conſcripſiſſe, ſolos Chriſtianos amouiſſe? Si multæ illæ Legiones armatæ Chriſtianæ erant; non deerant vires quibus Conſtantium Imperio priuarent.

4. *At deerat illis Princeps aliquis Chriſtianus*: Si de externo Principe agatur, vtpotè emiſſario aliquo qui in luctum Pontificis, ſuumque, aliena Regna diripere & invadere vellet (quales *Henrico* quarto, *Rodulphus* & *Hermannus* & *Eggebertus*) deſuit procul dubio Princeps qui dandi auferendique Regna poteſtatem Pontifici datam crederet; at in Imperio adeoque in ipſo exercitu non deſuerunt Principes Duceſque multi, quales, devicto Iuliano, extiterunt *Iouinianus* & *Valentinianus*, *Valenſque*, Prin-

Principes Augustiq; potentissimi, qui & Christianis imperare, & eos contra omnes hostes propugnare, si fas, optimè & norant & poterant: Quid enim? An solus *Constantius* in toto exercitu & Imperio dignus qui imperaret? An inter tot duces eximios nemo dignus inveniri poterat, qui ad Imperium promoueretur? Languebat proculdubio virtus Romanorum, & ad summam Principum penuriam redacti sunt, si nullum Orthodoxum haberent, qui sceptrum Imperiale tenere posset. An de solo *Constantio* dici potuit.

Tu regere Imperio populos Romane memento?

In exercitu ergo *Constantij*, & Principes & Legiones armatæ aderant, à parte Christianorum, quibus satis erat virium ad Constantium deponendum, si sic jussisset Pontifex.

Perperam verò *Bellarminus: Christianos, sub Constantio & Iuliano cum Christianis sub Imperio Turcarum, aut cum Italis sub iugo Gothorum, aut cum Africanis sub potestate Vandalorum, aut cum Gallis sub Francorum regimine degentibus confert.* Duces enim & milites in exercitu *Constantij & Iuliani*, vt & Magistratus Rectoresquè Ciuitatum primarij, Christiani erant, in quorum potestate proximè post Imperatorem tota fermè Respub. erat. Christiani verò sub Imperio *Turcarum* miseri, captiui & inermes, qui, si non vitâm ipsam, at Religionem vitâ charioremm pretio redimant, nec ad præfecturam, nec ad Ducatum, nec ad militiam admittuntur. Imò præda militum & *Turcarum* fiunt; *Itali* verò, *Africani*, *Gallíq;*, multis cladibus, continuis hostium incursionibus & depopulationibus oppressi, exhausti, & ad internecionem extremamque miseriam deducti, viribus prorsus impares erant: ad nutum, imò ad jussum Pontificis, non potuerunt Reges Ducesque *Gothorum*, aut *Vandalorum*, aut *Francorum* exauthorare. Interim tamen statum quæstionis mutat *Bellarminus*, non enim de *Turcis*, aut *Italis*, aut *Africanis*, aut *Gallis* quæritur; sed an Ecclesia vires habeat, & possit Pontifex, (si hanc potestatem haberet) vires totius Ecclesiæ congregare, ijsque hodie imperare, vt *Turcarum* Imperium vastarent. Potuerunt olim Pontifices Catholicæ Ecclesiæ imperare vt *Gothos*, aut *Vandalos*, aut *Francos*, debellarent: nec defuerunt vires, sed defuit potestas, defuit voluntas; *Christi* & Apostolorum doctrinâ & exemplis imbuti, Dominis etiam dyscolis, etiam cum vires suppeterent, obedire didicerunt.

5. Quod autem Ecclesia vires habuerit ad *Leonem*, *Childericum*, *Henricumq; deponendos*, non ita constat. Nullę erant vires Ecclesię quibus mulctatus est *Leo* Isauricus Vectigalibus id est partę Imperij, siquid Ecclesia id est Pontifex fecit, consensit solum, currenti furori populari quem diutius cohibere non potuit, locum dedit: invitus accedebat ad indebitam vindictam *Childericum* exauthorandum, *Pipinum* verò, qui æstum laborem-

remq; Regni ferebat, promouendum conſuluit *Zacharias*, aut ſaltem conſenſit; Proceres populuſq; Franciæ revera Regno exuerunt, & in monaſterium detonſum detruſerunt; animos addere potuit Pontifex, vires non addidit.

Henricum quartum depoſuit *Gregorius* ſeptim⁹ verbo teu⁹ non reipſa, *poteſtas pontificis verbalis erat, Henrici vtero realis*; quâ tutus ſupervixit & imperauit diu: viditque *Gregorium* depoſitum, in exilio mortuum, pœnitentem: Vidit *Conradum* filium proprium in viſcera & Imperium paternum, armatum, animatum, & exanimem; vidit & quatuor perduelles ad Imperium per fraudem Pontificis prouectos, juſto Dei judicio fato functos: quamuis tandem alterius filij *Henrici*, proceres, populumquè, adeoque vires Reipubli. in eum concitantis impietate, non viribus Pontificis fractus, Imperio ceſſerit.

Sic non Eccleſiæ, ſed Reipub. viribus, Reges iſti vel depoſiti vel mulctati ſunt.

At Monachi in Ægypto, Lybiâ aliiſque Aſiæ & Europæ locis, multi in quibus non minor zelus quàm in illo qui Henricum tertium Francorum Regem confôdit, qui, ſi licuiſſet, Conſtantium de medio tollere potuiſſent. Sic Barc.

« Reſpondet Bell. *Non pertinet ad Monachos aut Eccleſiaſticos cædes* « *facere, multo minus per inſidias Reges occidere.*

Et tamen laudatur *Monachus* ille *Clemens qui Hẽricum tertiũ Francorum* Regem confôdit, idque à Pontifice Sixto quinto, & Canonizationi proximus fuit, aut è Catholicis multi mendaces ſunt: & Monachum fuiſſe, qui *Ioanni* Anglorum Regi venenum propinauit, author eſt *Caxtonus*. Et Monachos fuiſſe prædicatores qui *Henricum ſeptimum* Imperatorem veneficio ſuſtulerunt author eſt eiuſdem temporis *Beneuenutus Imolenſis*. Sed zelus hic Monachorum, furor eſt, Iuſtitia crudelitas eſt, correctio diffamatio eſt, prudentia calliditas eſt, vt de zelo quorundam Gerſon.

Apud Ioan. Maior de geſtis Scotorum: vide Polydorum in Ioan. Lib. Auguſtalium vita Hen. 7. De Conſol. Theol. lib. 3. proſa 2.

Albertus Stadẽſis ad ann. 1077.

Noueris hoc conſpirationis malum, de fonte Romanæ perfidiæ manâſſe; ſic Epiſcopus Straceburgenſis *Henrico quarto. Nihil excellenter malum in Eccleſiâ Catholicâ patratur, cuius prima origo à Sacerdotibus non dependeat*; vt olim dixit *Pius* ſecundus (in hiſtoriâ Auſtrali). Exempla huius generis multa requirat Lector, apud doctiſſimum & nobiliſſimum Comitem *Northamptoniæ* in Actione proditoriâ. Non ergo pertinet ad Monachos aut Eccleſiaſticos, cædes facere Reges occidere: faciunt tamen quod ad eos non pertinet, Regicidæ ſunt, cædes faciunt Regum, qui cædes peccatorum facere debebant; vt hæreſum, ſic conſpirationum Authores ſunt. Quam diſpares, quam diſſimiles ſunt nouatores iſti, Monachis illis antiquis: qui labori manuum, ſtudio, lectioni, meditationi, orationi operam nauantes, obedientiam & patientiam, non rebellionem, non proditionem non Regicidiũ, vel didicerunt, vel docuerunt. Inter nouatores, præcipue

24. Queſt. 3. C. Tranſferunt.

in

in Angliâ facultatibus privantur, fame & paupertate pereunt Sacerdotes illi, qui obedientiàm & allegiantiam ſuam Regi debitam, juramento fidelitatis teſtatam faciunt: Moribus antiquis res ſtat Romana viriſquè.

Neque conſueverunt ſummi Pontifices iſta ratione Principes coercere; alius ipſorum mos eſt; ſic Bell.

Nequè etiam conſueverunt ſummi Pontifices ſubditos â juramento fidelitatis abſoluere, Principeſque dignitate & authoritate Regiâ privare; contra factum *Gregorij* 7. Principes præſcribere poſſunt, & mille annorum conſuetudinem producere. Nequè etiam conſueuerunt, Principes per cenſuras Eccleſiaſticas Sacramentorum communione privare: Mos iſte novitatem ſapit; at quod primo loco adhibet *Bell.* ipſis in more poſitum primum paternè corripere hoc rarum eſt; fulminare, tonare, totum orbem permiſcere (*vt de Pericle Plutarchus*) melius norunt Pontifices quam patrem nè corripere. Dic verò *Bell.* quæ monitio, quæ correptio paterna in depoſitione *Childerici* præceſſit? Nec paternè corripuit, nec à communione Sacramentorum removit, nec a corpore Chriſti ſeparauit; quæ ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ; ſed inauditum, ad petitionem *Pipini*, Regnum alienum ambientis, depoſuit (vt vos contenditis). Leges iſtæ aranearum telæ ſunt; muſcas magnas, Pontifices ambitioſos, Reges potentes non tenent; nam ſine iſto inſtrumento excommunicationis non ſemel Pont. max. de temporalibus dignitatibus diſpoſuerunt; antea dixeras Cap. 4. Sed mos & conſuetudo eſt Pontificum vt nulli mori, nulli conſuetudini ſint alligati, ſed pro libito voluntatis, ſine more, ſine ordine, etiam ſine ratione agunt omnia.

Executio, inquit Bell. ad alios pertinet; Innocentius 4. *dixit in Concilio Lugdunenſi: Ego quod meum eſt feci, faciat & proſequatur ſuper his Deus quod voluerit.*

Bene eſt; executio ad alios pertinet; ſententia ad Pontificem, executio ad Populum: imò nec ſententia ad Pontificem, quia non executio; ad eundem enim pertinet ſententia, & ſententiæ executio; & cuicunque datur poteſtas, dantur eidem omnia media ad illius executionem. Dic verò ingenuè *Bell.* annon hoc idem potuit reſpondere *Liberius* aut *Fœlix*, qui *Conſtantium* hæreticum promulgauit, ſi *Conſtantium* aut *Iulianum* depoſuiſſent, quod hic *Innocentius* 4. *Ego quod meum eſt feci*; hæreticum vel Apoſtatam, meritoq; deponendum depoſui; *faciat & proſequatur ſuper his Deus quod voluerit?* Audacem & temerarium *Innocentium* 4. eſſe oportet, qui Imperium Frederico abrogare, cum deeſſent vires auſus ſit, negligentes verò & Paſtoralis officij reos, *Liberium*, *Fœlicem*, *Damaſum*, qui *Conſtantium* & *Iulianum* tolerarint, cum vires Eccleſiæ non deeſſent. Vtrinq; peccat *Bell.* dum illinc antiquos Pontifices negligentiæ, hinc poſteriores imprudentiæ reos peragit.

Platina in vita Fœlicis.

Barclaius ad *Iulianum* pergit: *Apoſtata, inquit, fœdiſſimus fuit, & qualis* 61 De Iuliano.

qualis nemo alter inuentus est inter Christianos Imperator. Sine vllo Populi detrimento coerceri potuit; totum fere exercitum ex Christianis habuit. Cum post mortem Iuliani Iouinianus Imperator electus, proclamasset, Christianus sum, Exercitui Ethnicorum præesse nolo, exclamârunt communiter vniversi; nè dubites, Imperator, neue repellas Imperium nostrum vt improbum; Imperator enim es Christianorum futurus, qui in pietatis disciplinâ educati sumus: Nos enim Christiani sumus, & grandiores quidem inter nos doctrinam Constantini perceperunt, minores verò, illos Constantius instruxit; (Ecce, verba hæc satis probant exercitum Con-
Theod. li. 4. ca. 1. *stantij Christianum fuisse:) neq; istius proximè mortui diuturnum Imperij tempus fuit, vt circumventis quibusdam ad infigendum malum suffecerit. Et Imperatores tunc à solis militibus creabantur, vt & ab hoc ipso exercitu Iouinianus primum, mox Valentinianus.*

" Respondet Bellarminus: *Difficillimum fuisset, primo quia solus Impe-*
" *rium regebat; 2. quia totus eius exercitus non fuit Christianus totus enim*
Lib. 2. Cap. 1. " *Iuliani sacrilegijs, sacrificijs viz Idololatricis prophanatus erat: sic Ruffi-*
" *nus. Electionem militibus proposuit Iulianus, vt aut sacrificarent, aut mi-*
Lib. 7. Cap 1. *litiâ cederent?* sic Hist. Tripart.

Imò verò facillimum fuisset *Iulianum* deponere quia solus imperabat. Exercitus enim Imperatorem creare, Imperator verò alium vel alios ad
Lib. 6. Cap. 6. Imperium asciscere solebat; vt *Valentinianus* apud *Sozomenum* profitetur. Cum ergo plures erant simul Imperatores, aut fratres aut filij aut genери erant; sic quo plures imperabant, eò potentior plerumq; Imperator ille, qui alios ad Imperium asciuit: Solus *Iulianus* imperabat, nec filium, nec nepotem, nec alium quenquam Imperij consortem habebat, qui eius injurias vindicaret: facilè ergo à suis destitui, facile solus opprimi potuit.

Facillimum præterea fuit *Iulianum* deponere, quia totus eius exercitus Christianus non fuit, sed Paganis, qui à Christo defecerant, hoc est fictis Christianis plenus, qui Dijs sacrificare, quàm militiâ excedere maluerunt; quod enim facinus est aut flagitium tam nefandum, a quo abhorrebit miles Apostata? *Falsi in amore odia non fingunt*; qui in Deum falsi, quomodo ergo Reges & Imperatores, qui Dei in terris vices tantum gerunt, fideles erunt. Et hi quidem corde Christiani erant, licet formidine pœnæ fictè Dijs sacrificabant, & proinde eò magis Iuliani Apostasiam oderant, quo graviora propter Christi professionem supplicia timuerunt: si ergo mandatum Dei per Pontificem de Imperatore abrogando accepissent, facile in caput *Iuliani* conspirassent, qui solo Dei timore à proditione & rebellione retinebantur. Atqui cordati hi Christiani milites, Pagani verò ficti, non numero pauci, non viribus impares, sed totus penè exercitus corde fuit Christianus, *exclamauerunt,*
Theod. li. 4. ca. 1. *communiter vniuersi, Christiani sumus, veterani in doctrinâ pietatis à*

Con-

Constantino Magno, tyrones in errore à Constantio instructi: at veritati Catholicæ & hæreticæ pravitati odiosissima est Apostasia, & abnegatio Iulianicæ. Atque hi quidem milites tante amore flagrabant ergà *Iovinianum* Christianum (qui cingulum magis elegit amittere quam Imperatoris præceptis impijs obedire; quemque *Iulianus* propter belli necessitatem inter viros militares habebat) vt violenter à militibus ad Imperium traheretur: reclamante verò *Iouiniano*, Christianus sum, Paganis hominibus imperare nolo, vox omnium communiter proclamat, *Christiani sumus*: subita hæc mutatio non timoris (nondum enim Imperatorem quem timerent sibimet præfecerant) sed pietatis: *omnes pari eâdemque voce respondisse perhibentur, & nos Christiani sumus*: sic Ruffinus: *At vbi omnes vnâ vocè confessi sunt se esse Christianos capessit Imperium*; sic Socrates. *Milites, cognita recusationis causa se itidem Christianos esse clamant*, sic Sozomenus, non ergò pauci aliquiè militibus sed plurimis adeoque omnes Christiani erant, ideoquè nullo labore, nullo populi detrimento *Iulianum* destituere potuerunt. Et Regnum *Iuliani* post mortem *Constantij* vix spatium vnius anni superabat; *Istius proxime mortui diuturnum Imperij tempus non fuit, vt circumventis quibusdam ad infigendum malũ suffecerit*: & optimè nouerat *Iulianus* Christianos in ingressu Imperij sui multitudine implêsse Imperium, qui vnius anni intervallo vix à fide deterreri poterant, præcipuè ab eo qui fraude potius quam vi apertâ Christianam Religionem aggressus est, Præterea, sicut de *Iouiniano* supradictum est, *Iulianum* propter belli necessitatem inter duces & viros militares eum habuisse, sic etiam non sine ratione de alijs multis, tum ducibus tum militibus conijci potest, belli necessitate coactũ *Iulianum*, eos etsi Christianos non obscuros in expeditione illâ secum duxisse: Consultantibus enim Prætoribus, Ducibus exercitus, de nouo Imperatore creando, exercitus omnis vnà voce *Iovinianum* Imperatorem postulat: *Duces interpretati consensionem exercitus diuinum quoddam esse suffragium, Augustum ac Cæsarem appellant, qui se Christianum palam est professus*. Et sicut *Iouinianus*, sic & alij Duces Christiani, fortè & Christianam Religionem libere professi, eâdem necessitate vrgente, in exercitu *Iuliani* in hâc contra Persas expeditione erant: vbi enim vnico illo Imperij sui anno alios haberet duces veteranos qui Christiani non erant.

Hist tripart. lib.7.cap.1.

Lib.2.Cap.1.

Lib.3.Cap.19.

Lib.6.Cap.3.

Theod.l.4.c.1.

Socrat.l.3.c.11.

Nec obstat quod *exercitus Iuliani sacrilegijs prophanatus* erat, vt Ruffinus; exercitus sacrilegijs prophanari potuit, si in eo *Iulianus* Imperator pauciq; alij Dijs sacrificarent. Et prophanatio illa publica erat & edicto Imperatoris peracta, etsi plurimi milites idolis non sacrificabant: *pleriq; corde & voto Christiani, erant etsi non manifestâ professione, occultè erant Christiani, sed communicatione sacrilegorum sacrorum maculati*: sic Bell.

Lib.2.Cap.1.

Exercitus prophanatus est, sic Ruffinus; *totus exercitus*, sic Bellarminus. At apertè *Augustinus*, milites in exercitu fuisse asserit qui Idolis jussi non sacrificarent. *Milites Christiani servierunt infideli Imperatori; Vbi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo est: Quando volebat vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum; quando dicebat, producite acies, ite contra illam gentem, statim obtemperant*; & solum hanc Iuliani contrà Persas expeditionem in quâ perijt, memorant historiæ. In exercitu ergò milites ijsq; numero multi, ad gentem aliquam subjugandam idonei, alàs non dixisset *Augustinus*, ite contra illam gentem, qui tamen idola colere & Dijs thurificare noluerunt, & in hâc causâ magis credendum *Augustino* quàm *Bellarmino*.

In Psal. 124.

Instat Barclaius ex Gregorio Nazianzeno: *Coercitus est Iulianus Dei clementiâ & lachrymis Christianorum quæ multæ iam & à multis erant effusæ, cum solum hoc contra Persecutorem haberent remedium.*

Orat. 1. in Iulianum.

Respondet Bellarminus: *Sanctus Gregorius dicit, nullum adversus* » *Iuliani, persecutionem, fuisse remedium præter lachrymas, quoniam non* » *habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resisteret, de facto loquitur,* » *non de iure; disertis enim verbis dicit (in oratione ad Populum pertimescentem & Præsidem iratum) potestatem politicam potestati spirituali Pontificum subiectam esse debere.*

Imò verò *Sanctus Gregorius* de jure loquitur, non de facto; nullum aliud erat remedium legitimum; remedium enim illegitimum non deerat; Poterat *Liberius* aut *Fœlix Iuliano* Imperium abrogare, poterat tribunos illos, postea ab exercitu Imperatores creatos, *Iovinianum, Valentem* & *Valentinianum* à *Iuliano* propter *Christum* exauthoratos, Imperatores creare, milites omnes à Iuramẽto fidelitatis absoluere, poterat sub pœnâ excommunicationis ijsdem imperare, vt *Iuliano* Regnum simul & vitam eriperent; potuit & à priuato aliquo fortiquè Christiano *Iulianus* occidi, (vt & occisum fuisse referunt nonnulli, quod & jure & cum laude factum asserit *Mariana* ex *Sozomeno*): poterant milites illi, qui fraude pretioque decepti, thura in ignem conjecerunt, animis tamen ab Idololatriâ liberrimi erant; adeò vt postea pœnitentiâ permoti, fraudem Imperatori objicerent, & propterea Martyrio damnati, etsi non coronati, poterant, inquam, pauci illi mortis contemptores victoresq;, insidijs *Iulianum* adoriri, vt à *Iuliano* ipsi circumvẽnti sunt. Nec latuit *Sanctum Gregorium Nazianzenum* exercitum *Iuliani* Christianum fuisse; adeoq; vires non defuisse; de jure ergo non de facto loquitur, & non sine injuriâ Patrum dicitur eos de facto docuisse & scripsisse; id est hypocritas & parasitos & veteratores esse.

Theodoret. lib. 3. cap. 16. & 17. De Regel, l. c. 2.

» *At disertis verbis asserit Sanctus Gregorius potestatem politicam* » *iure subiectam esse debere Spirituali Pontificum potestati*; sic Bellar» minus.

Imò

Imo vero diſertis verbis non aſſerit; neque enim verba illa (*iure ſubiectam*) apud *Nazianzenum* habentur: nec magis addi debuit vox iſta, jure ſubiecta, hoc loco, quam alterò illo ſolum hoc lachrymarum contrà perſecutores remedium (iure) haberent. 2. *Gregorius Nazianzenus* non tam de poteſtate, quam de Præſide loquitur: Non dicit, veſtra poteſtas, veſtrum Imperium, mihi, meo ſolio, meaq; poteſtati ſubijcitur, ſed lex Chriſti vos meo tum Imperio, tum ſolio ſubijcit. 3. non dicit, poteſtas noſtra ſuperior eſt, veſtramq; poteſt cogere, voſq; ab eâdem remouere, de depoſitione aut priuatione non loquitur; ſed poteſtas noſtra amplior & perfectior: poteſt eſſe amplior quoad circuitum, poteſt eſſe perfectior quoad finem; & tamẽ ſuperior maiorq; quoad depoſitionem priuationẽq; non erit. 4. Præſidem alloquitur, non Imperatorem, & poteſt Epiſcopus ſuperior *forſitan* eſſe Præſide, Imperatore tamen & Rege inferior. 5. Nihil hic Pontifici ſummòq; animarum Paſtori & Principi proprium aut peculiare, ſed omnibus Epiſcopis commune, & ſic poteſt quilibet Epiſcopus Imperatorem vel Præſidem deponere in ſuâ Diœceſi, ſicut & Pontifex in Eccleſiâ vniverſali, ſi hic ſit Gregorij ſenſus; de ſuo enim ſolio & Imperio loquitur, non de ſede Romana, *Lex Chriſti vos meo tùm Imperio, tum ſolio ſubijcit*; aut ergo *Gregorius* potuit deponere, aut Pontifex Romanus iuxta Nazianzenum non poteſt deponere Imperatorem. Quid verò de obediẽtiâ & ſuâ & populi ſẽſerit Sanctus Pater, ex verbis paulò antè locum citatum ſatis liquet. *Quemadmodum heris ſerui, vxores maritis, Eccleſia Domino, diſcipuli doctoribus & Paſtoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis poteſtatibus ſubiecti ſimus, non tantum propter iram ſed etiam propter conſcientiam, vt qui pendendo tributo ſimus obnoxij, atque hæc inquit lex in nũero eſt legũ laudabiliũ & clariſſimè promulgatarũ à ſpiritu ſancto.*

Gregorium Nazianzenum ſequitur Auguſtinus: *Milites Chriſtiani ſeruierunt infideli Imperatori*, (Iuliano): *vbi veniebant ad cauſam Chriſti non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat; quãdo volebat vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum; quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant, diſtinguebant Dominum æternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.* In Pſal. 124.

Reſpondet Bell. *S. Auguſtinus rectè dicit milites Chriſtianos ſeruiuiſſe Iuliano Imperatori infideli, quia initio Imperij ſui tolerabat Chriſtianos, nec ſolum milites Chriſtianos eſſe patiebatur, ſed etiã Epiſcopos Catholicos à Conſtantio relegatos reuocauit; poſtea verò milites cogebat aut Idolis ſacrificare, aut militiâ excedere.*

Verum eſt quod reſpondet *Bellarminus*: *Iulianus* initio Imperij ſui Chriſtianos tolerabat, Epiſcopos relegatos ad ſuas ſedes redire permiſit; milites Chriſtianos eſſe patiebatur; ſed malè diuiſa ſunt hæc temporibus. *Auguſtinus* enim non de initio ſed de fine Imperij *Iuliani* loquitur;

quando dicebat producite aciem, ite contra istam gentem, at nullam nisi illam contra Persas expeditionem adornauit *Iulianus*. Loquitur ergò de fine Imperij *Iuliani*, non de initio. Quod etiam ex eo patet, quod *Iulianum* Imperatorem dicat infidelem, qui tamen in initio Imperij vel talis non fuit, vel non apparuit. Præterea etsi lex illa à *Iuliano* promulgata sit, necessitas tamen belli *Iulianum* coegit, vt *Iouinianum* fortè & multos alios Christianos milites secum haberet; *exercitus enim iste non fuit per fidiā Iulianicus, sed Religione Christianus*; *vt Nimianus Winzetus In flagello sectariorum p.*100. Loquitur præterea de jure non de facto, subditi erant *propter Dominum aternum* etiam Domino temporali *Iuliano* Apostatæ. *Propter Dominum aternum*, non propter metum, non propter necessitatem, sed vt præcepto diuino propter conscientiam obtemperarent.

Vbi veniebant ad causam Christi non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat; hic si imperâsset Pontifex, hisce militibus, vt *Iulianum* deponerent, alium verò Imperatorem Christianum subrogarent, nonnè hæc esset causa Christi? Causa enim Ecclesiæ, Christi causa est; qui in causâ Christi solum illum agnoscebant qui in cœlo est, quomodo in hâc causâ a fide & doctrina summi Pastoris defecissent? Non adeo tenuiter senserunt & de Ecclesiæ causa, & de Sacerdotum doctrina *Iuliani* milites.

At inquit Bellarminus, *Sanctus Augustinus seipsum explicat, quando*
" *volebat Iulianus vt Idola colerent, præponebant illi Deum; hanc vocat Au-*
" *gustinus causam Christi; quamuis autem sit etiam Christi causa Ecclesiæ*
" *causa, tamen non tenebantur milites Christiani in Imperatorem suum,*
" *quamuis Apostatam & Persecutorem, arma convertere, nisi antea hostis*
" *iudicatus esset.*

At quid opus declaratione vel judicio, cum crimen notorium est, cum apertè & ex professo hostis fuerit? Quid opus excommunicatione, cum seipsum ex Ecclesiâ ejecerat? Quid opus vt tanquam Ethnicus haberetur qui verè fuerit. Imò verò, quare hostis iudicatus non est, cum satis virium haberet Ecclesia ad eum deponēdum? præcipuę enim vires *Iuliani*, id est milites populique Ecclesiæ vires erant.

Verè ergo concludit *Barcl.* aut defuerunt officio suo Pontifices, qui *Iulianum* hostem non declarârunt, aut talem jurisdictionem Regum deponendorum non agnouerunt.

8. Tertius, de quo in hoc C. agit *Barclaius*, est *Valens* Imperator *Arianus*, qui Orthodoxos persequebatur: *homo reses & secors, qui bella per Duces & præfectos administrabat*; ipse enim in villa delituit, dum exercitus profligatur; in quâ etiam crematus est. Præcipui Duces & Præfecti exercitus per quos bella conficiebat, fuere Catholici constantissimi; vtpote *Terentius*, *Traianus*, *Arintheus*, *Victor* alijq; qui Imperatori hæresin & Theomachiam in os intrepide exprobrabant. *Non ego sum victus, sed tu victoriam corrumpis Imperator, qui aduersus Deum aciem in-*

Theod. li. 4. c. 36. De Valente.

Idē Ibidem c. 33.

inſtruis, & fortunam belli concilias Barbaris; ſic *Traianus* libere, vt virum fortem decebat: Facile itaq; fuit, vivente fratre *Valentiniano*, qui *Valentem* ad imperium vocauit, Valentem deponere. Poſt mortem etiam fratris, facile fuiſſet his ducibus fœdus inter ſe aduerſus Principem hæreticum icere, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Milites, populum ipſum, maximâ ex parte Orthodoxos, congregare, ad Imperatorem hæreticum deſtituendum, ſi vt vitia Principis iudicare, ſic etiam vindicare liceret.

Reſpondet Bellarminus. *Pauci in exercitu Valentis Catholici erant; multitudo Principis ſequebatur errores; Valentinianus fratrem hæreticum toleravit, quia facile non fuit ſine periculoſo & ambiguo bello, de Imperatorio ſolio illum deijcere.* ” ” ” ”

Gratis hæc à *Bell.* dicuntur, ſine authoritate, ſine ratione: nullam enim adhibet, nullam habuit. In Occidente enim imperabat *Valentinianus* & poſt eum *Gratianus* eius filius, ambo Orthodoxi & Catholiciſſimi Impp. in Oriente vbi imperabat *Valens* Conſtantinopolim obtinebat *Procopius*; Thraciam occupabant *Gothi*, qui à *Valente* Arianiſmo infecti; in *Athanaſium* nihil triſte auſus eſt in Alexandria, quia Populi tumultum, qui Patriarchæ ſuo adhærebat, iram fratris, qui fidem Nicænam propugnabat timet, vt rationem adhibet *Sozomenus*. Præfectum Cæſareæ qui *Baſilium* magnum de ſede ſua deturbare conabatur, populus tumultuans occidiſſet, niſi *Baſilius* authoritate ſua tumultum ſedaſſet; *in ſummâ nullus fuit qui non ad ſe ſuamq; ſalutem hoc pietatis opus, vt virum ſanctiſſimum tueretur pertinere putaret*: vt teſtatur Nazianzenus. Hinc itaq; videre eſt quam angũſtis cancellis *Valentis* potentia concluſa fuerit; quod ſi Orthodoxis, viribus forte ſuperior fuiſſet, tantis tamen Patrum Orthodoxorum ſanctitatem Deus miraculis illuſtrauit, vt Dei auxilium implorâſſe ſatis illis ad vindictam fuiſſe videatur. Nulla enim ætas Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos tulit illuſtriores, magiſq; Orthodoxos; vipote *Damaſum* Pontificem maximum, *Ambroſium*, *Hilarium*, &c. & in Oriente præter *Athanaſium*, *Petrum* eius ſucceſſorem, duos *Gregorios*, *Nyſſenum*, & *Nazianzenum*, *Baſilium* magnum, *Apollinarium*, *Amphilochium*, *Ephraem*, *Epiphanium*, innumerabiles in *Ægypto*, in *Thebaide*, in *Edeſſa*, in Monaſterijs *Scetis*, in *Nitria*, in *Paleſtinâ*, *Syriâ* Monachos, quos enumerare longum eſſet. Videt hęc ætas lumina Eccleſię poſt Apoſtolos maxima clariſſimaq;, iſtis quã præſens fuerit divinum auxilium, ex vnico *Baſilij* magni exemplo colligi poteſt; *cuius, dum Imperator ipſe Valens vitam eripere conatus eſt, vxore ipſius noctu quaſi à tortoribus cruciata, filioq; vnico extincto, coactus eſt opẽ flagitare, & ad illius preces confugere*. Teſte Ruffino.

Ruff. l. 2. c. 1.

L. 6. c. 12.

In Monodia.

I. 2. c. 9.

His temporibus ſi ſententiã depoſitionis contra *Valentẽ* protu iſſet *Damaſus*, ſi *Valentinianum* & *Gratianum* contra inertẽ, timidum, perſecutorem tamen & Arianũ excitaſſet; ſi Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos ab obedientia & fidelitatis iuramento liberaſſet; ſi vel populo Epiſc. ſuorum

Ortho-

Orthodoxorum amantiſſimo licentiam conceſſiſſet, vt ducibus ſuis Orthodoxis adhærerent, facilè nulloque negotio à ſuis deſtitutus imperio excidiſſet.

Ridiculum vero eſt quod ſubiungit *Bell.* de bello periculoſo & ambiguo: *Non erat facile ſine bello periculoſo & ambiguo Imperatorem de ſolio deijcere.* Quid enim? An bellum vllum ſine periculo ſine ambiguitate? An quiſquam Dux vel Imperator, viribus, diſciplinaque militari licet ſuperior, certus de victoria? *Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.* Pugnat exercitus, at Dominus exercituũ eſt qui dat victoriam; quidni & ſuis certius quam alienis? Verum itaque ſit quod Bell? Quare ergo *Gregorius* 7. *Henricum* 4. aut *Innocentius* 4. *Fredericum* 2. *Gregorius* 9. aut *Ioannes* 22. *Ludouicum Bauarum* deponere auſi ſunt, cum ſine bello periculoſo & ambiguo eos de ſolio imperiali dejicere non potuerint, imo poſtmulta bella & periculoſa & ambigua nõ deiecerint? *Damaſus* & pius prudenſq; qui *Valentem* Arianum impotentem & ſecordem, quem deponere potuit, non depoſuit; non quia deerant vires, ſed quia deerat poteſtas temporalis: *Gregorius* 7. *Innocentius* 4. *Gregorius* 9. *Ioannes* 22. ambitione & nimiâ dominandi cupiditate cæci & imprudentes, quia nec viribus nec poteſtate pollentes Imperatores Catholicos deponere, vel potius bella periculoſa & ambigua excitare, & Chriſtianum orbem in viſcera ſua armare aggreſſi ſunt.

In flagello ſectariorum.

Concludo hoc caput cum Niniano Winzeto: *Noluit, inquit, exercitus Chriſtianorum vllâ rebellione, Cæſari licet Idololatræ & Apoſtatæ, in fidelium fratrum defenſionem ſeſe opponere: exiſtimauêre enim iſti Chriſti agnelli ſatius multo eſſe vt iuſti ininſtè à Cæſare propter veram iuſtitiam paterentur, quàm vt ipſi Cæſaris authoritati vim vllam licet impiè agenti vllius fucatæ iuſtitiæ prætextu inferrent.*

CAP. VIII.

Eccleſia Valentinianum Iuniorem Arianum non depoſuit, etſi vires non deeſſent: ſententia antiquorum de puniendis Regibus.

1. *Valentinianus non deponitur, ſed ad Imperium reſtituitur ob maieſtatis reuerentiam.* 2.3.4. *Poteſtas depoſitionis refellitur ex verbis Tertulliani, Ambroſii,* 5.6. *Gregorii Turonenſis, Gregorij magni. Othonis Friſingenſis.* 7. *Huic poteſtati non fauet Cyprianus, nec Irenæus, nec Gregorius Nazianzenus, nec Gregorius magnus; nec*

nec Bernardus, nec Hugo. 8. *Magis credendum Conciliis generalibus antiquis quam posterioribus.*

Valentinianus iunior Arianus, facillimè omnium qui vnquam regnarunt ab Ecclesia coërceri potuit, à summo Pontifice; imo ab vno Episcopo solo; *Ambrosij* scilicet nutu, à proprijs stipatoribus & militibus destitui poterat. Ariani pauci erant, de familiâ Regis, & *Gothi* nonnulli, quibus vt olim plaustrum sedes erat, ita nunc plaustrum Ecclesia est: prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quisquam de civibus erat. *Ego*, inquit Ambrosius, *tyrannus appellor, & plus etiam quàm tyrannus: nam cum Imperatorem comites obsecrarent, vti prodiret ad Ecclesiam, idq; petitu militum facere se dicerent, respondit: si vobis insserit Ambrosium vinctum me tradetis.* 1. *Ad sororem Marcell. l. 5. Epist. 33.*

Præterea aderat *Maximus* cùm exercitu, curaturus, ne quid vltrà religio Catholica detrimenti caperet, & ad vindictam *Ambrosij* vt innuere videtur *Nicephorus*: sed revera flagranti regnandi cupidine permotus: *Gratianum* enim *Lugduni* occiderat: Fugit *Valentinianus* ad *Theodosium* hæreticus ad Catholicum: reprehenditur propter hæresin, & in regnũ restituitur. *Maximus* tyrannus & rebellis occiditur; nec Imperij reformator, nec Ecclesiæ restaurator habetur. Non ergo defuerunt vires Ecclesiæ, quibus Valentinianum iuniorem hæreticum ab Imperio deponeret. Hæc multis *Barclaius*. *Niceph. l. 12. cap. 20.*

Respondet *Bellarminus*; *Facile fuit Ambrosio Valentinianum deijcere; præsertim cum Maximus Catholicus in armis esset, & milites Valentiniani ab Ambrosio starent.* Ecce iam confitentem reum habemus *Bellarminum*: habuit vires Ecclesia quibus *Valentinianum* iuniorem hæreticum deponeret, nec deposuit: non est ergo hæc ratio, cur antiqui Pontifices à depositione hæreticorum abstinuerint, quam assignavit *Franciscus Romulus*: quia habuit vires non solum *Damasus*, sed etiam *Ambrosius*, Episcopus vnius Ecclesiæ particularis, quibus Imperatorem in ordinem cogeret.

Quâ ergo de causa roleravit Ecclesia *Valentinianum*? *Puer* (inquit Bellarminus) *fuit; non suum iudicium, sed matris Iustinæ authoritatem secutus Ecclesiam persequitur, & spes erat breui Valentinianum ad gremium Ecclesiæ reuersurum.*

Iuvenem potiùs quam puerum fuisse, matrisq; authoritatem secutum *Valentinianum* satis constat; At spei quam memorat *Bellarm.* spes nulla. Quis enim sperare poterat vel *Maximi* insurrectionem, aut *Valentiniani* fugam? & tamen dum persecutor *Valentinianus Maximi* persecutionem & arma fugit, auxilio & doctrinâ *Theodosij*, ad Ecclesiam & Imperium simul restituitur. *Quod à te infusum, sibi ita tenuit, vt matris persuasionem*

suasionem excludere: Et supra; *Informatus fide & tuis institutis*: sic de hoc ipso *Valentiniano* iam mortuo *Ambrosius Theodosio* scribit. Non ergo hac spe tolerauit *Valentinianum*, sed hanc depositionis potestatem ignorauit.

L.5.Epist.34.

Hæc omnia vera esse intelliget, qui orationem eiusdem S. Ambrosii in „ *funere Valentiniani Imperatoris habitam legere voluerit*: Sic Bellarm.

„ Ego vero eandem orationem perlegi, & nihil tale, de matris *Iustinæ* authoritate, aut Ecclesiæ persecutione, aut spe reditus *Valentiniani* ad Ecclesiam ibidem reperio. Sed hunc lapsum memoriæ in Cardinale iam sene, sine aliqua indulgentia Papali remittendum censeo. *Ea vero quæ a-* „ *pud Bellarm. sequuntur, de causis quibus permotus Theodosius Valentinia-* „ *num iuuerit contra Maximum, quod à Valentiniani fratre Gratiano ad* „ *imperij societatem vocatus fuerat, quod Maximus pretextu Catholicæ re-* „ *ligionis imperium vsurpauerat, quod Gratianum Imperatorem legitimum* „ *interfecerat*, non faciunt contra *Barclaium*; dixerat enim *Barclaius*, Hæreticus à Catholico auxilium petit, reprehenditur propter hæresin, propter *reuerentiam Maiestatis* humaniter excipitur & in regnum restituitur. Alias adhibet causas veras *Bellarm.* sed hanc itidem veram non negat: Res ergo notatu digna est, Catholicus hæreticum à Catholico fugatum in regnum restituit; Catholicum rebellem occidit: inter alias causas propter Maiestatis reverentiam: si enim Maiestati ipsi vilescat Maiestas, quis Maiestatem reverebitur.

Hæc cum ita sint, desinant nunc velim aduersarij commento suo nobis imponere; aut saltem dicant vnde id hauserint: sic Barclaius.

„ *Commentum dici non potest, quod omnes Doctores & ipsa Concilia gene-* „ *ralia tradiderunt*. Sic Bellarm.

Quid sit hoc commentum ostendit Barcl. in sequentibus: hoc scilicet: *quod Christiani viribus suis & copijs sic diffisi sunt, vt nec tentare ausi fuerint, quod fortiter aggressi facile perfecissent*. Commentum ergo hoc est noua hæc & nupera commentatio Franciſci Romuli, *Ecclesia hæreticos Imperatores tolerauit, quia deerant vires.*

„ Qui vero sunt isti Doctores, quæ Concilia generalia, quæ hoc commentum tradiderunt? Vnus inter omnes & pro omnibus citatur *Thomas*; in quo pro (*potestate*) legit *vires* Bellarm. quâ fide ipse viderit: nos interim clariorem demonstrationem expectabimus.

3.2.q.12.art.2. ad 1.

2. Male vero habet Cardinalem, quod *Barclaius* asserit; *omnes ea ætate sensisse, nullum vel Episcopo Romano, vel Ecclesiæ vniuersæ temporalem potestatem vllo modo, vllaue ex causa in eos competere, sed solius Dei iudicio, quantum ad pœnas temporales relinquendos. Falsum* (inquit Bellar.) *hoc est*: & quare falsum? quin ergo potestatis huius spiritualis vel temporalis vel mixtæ, id est, spiritualis sed non merè, assertores & authores producunt Patres? Ante septingentos annos ne verbum quidem vllum

vllum præter illud S. *Medardi* confictum priuilegium producitur, quod huic Chimeræ faueat: multos à Patribus in contrarium teſtes adhibuimus cap. 8. lib. 1. Quid ni ergo conſtat Patres hanc poteſtatem ignoraſſe, quam nec verbo nec facto, nec publicè nec priuatim, nec ſcripto, nec per traditionem, poſteris teſtatam reliquerunt.

Vrget deinde *Barclaius* verba Tertulliani. *Sentiunt Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſolo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos & ſupra omnes homines.* Et alibi. *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem: hoc & ipſe volet; ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Hæc Tertullianus non ex ſua, ſed ex communi Chriſtianorum omnium perſona. *In Apolog. c. 30.* *Ad Scapulam.*

Reſpondet Bellarm. *Authores & pauciſſimi ſunt, & non dicunt quod ipſe affirmat.* „ „

Imo vero multi ſunt, vt cuivis, caput noſtrum octavum libro primo legenti, manifeſtũ erit: licèt paucos *Barc.* adhibuerit, quorũ authoritati magis ſtandum quam mille Paraſitis. Et *Tertullianus* hoc dicit quod *Barcl.* affirmat: *In ſolius Dei poteſtate ſunt*; aut ergo Pontifex Deus, aut in poteſtate Pontificis non ſunt: *Idem eſſe tribunal Chriſti & Pontificis* dixit Reſtaurus Caſtaldus: *ſed Chriſti puri hominis mortalis, non Dei*; ſi Bellarmino fides adhibenda ſit: at idem eſſe tribunal Pontificis & Dei, nullus Paraſitorum dicere auſus eſt: non ſunt ergo in poteſtate Pontificis, ſed in Dei ſolius poteſtate ſunt: *A ſolo Deo ſecundi, poſt Deum primi: ante omnes Deos, ſuper omnes homines.* Nondum in Eccleſia ſuperbiam ſuam euomuerat *Innocentius* tertius Pontifex, *Inter Deum & hominem medius conſtitutus; citra Deum, ſed vltra hominem; minor Deo, ſed maior homine*: non hoc didicerat *Tertullianus*; aliàs inter Deum & Imperatorem, Pontificem medium ſtatuiſſet. *A Deo ſolo ſecundi*; imo tertij, ſecundus enim Pontifex: *Poſt Deum primi*: imo poſt Deum ſecundi; primus enim poſt Deum Pontifex: *Ante omnes Deos*, ergo ante Pontificem, qui Dominus Deus noſter; *ſuper omnes homines*, ergo & ſuper Pontifices; ſi Pontifices homines ſunt. Dicit ergo *Tertullianus* quod *Barclaius* affirmat. *Lib. de Imperare quæſt. 81.* *L. 5. de Rom. Pontif. ca. 4. §. Sediam.* *Serm. 2. de Conſecrat. ſua.*

At loquitur Tertullianus, de Principibus Ethnicis qui totì orbi Romano imperabant, & nondum ſceptra ſua Chriſto ſubiecerant. Itaque ſecundi à Deo in rerum temporalium adminiſtratione de facto dici poterant: ſic Bellarminus. „ „ „ „

De Principibus loquitur *Tertullianus* ſimpliciter: Ethnici reuera tunc erant; ſed de Principibus itidem Chriſtianis eadem, forte etiam & plura dicturus, ſi occaſio daretur: nec enim latebat *Tertullianum* authoritas Regum Iſraeliticorum, *Moſis*, *Ioſue*, *Dauidis*, *Salomonis*, *Ioa*, *Ezechiæ*, *Ioſiæ*, & aliorum, qui & in temporalibus poſt Deum ſecundi erant, & in rebus etiam ſpiritualibus cum Imperio præerant: & idem, aut maius,

eſt.

remq; Regni ferebar, promouendum conſuluit *Zacharias*, aut ſaltem conſenſit; Proceres populuſq; Franciæ revera Regno exuerunt, & in monaſterium detonſum detruſerunt; animos addere potuit Pontifex, vires non addidit.

Henricum quartum depoſuit *Gregorius* ſeptim⁹ verbo teu⁹ non re ipſa, *poteſtas pontificis verbalis erat, Henrici vtero realis*; quâ tutus ſupervixit & imperauit diu: viditque *Gregorium* depoſitum, in exilio mortuum, pœnitentem: Vidit *Conradum* filium proprium in viſcera & Imperium paternum, armatum, animatum, & exanimem; vidit & quatuor perduelles ad Imperium per fraudem Pontificis prouectos, juſto Dei judicio fato functos: quamuis tandem alterius filij *Henrici*, proceres, populumquè, adeoque vires Reipubli. in eum concitantis impietate, non viribus Pontificis fractus, Imperio ceſſerit.

Sic non Eccleſiæ, ſed Reipub. viribus, Reges iſti vel depoſiti vel mulctati ſunt.

At Monachi in Ægypto, Lybiâ aliiſque Aſiæ & Europæ locis, multi in quibus non minor zelus quàm in illo qui Henricum tertium Francorum Regem confôdit, qui, ſi licuiſſet, Conſtantium de medio tollere potuiſſent. Sic Barc.

« Reſpondet Bell. *Non pertinet ad Monachos aut Eccleſiaſticos cædes* « *facere, multo minus per inſidias Reges occidere.*

Et tamen laudatur *Monachus* ille *Clemens qui Hẽricum tertiũ Francorum* Regem confôdit, idque à Pontifice Sixto quinto, & Canonizationi proximus fuit, aut è Catholicis multi mendaces ſunt: & Monachum fuiſſe, qui *Ioanni* Anglorum Regi venenum propinauit, author eſt *Caxtonus*. Et Monachos fuiſſe prædicatores qui *Henricum ſeptimum* Imperatorem veneficio ſuſtulerunt author eſt eiuſdem temporis *Benevenutus Imolenſis*. Sed zelus hic Monachorum, furor eſt, Iuſtitia crudelitas eſt, correctio diffamatio eſt, prudentia calliditas eſt, vt de zelo quorundam Gerſon.

Apud Ioan. Maior de geſtis Scotorum: vide Polydorum in Ioan. Lib. Auguſtali in vita Hen. 7.

De Conſol. Theol. lib. 3. proſa 2.

Albertus Stadenſis ad ann. 1077.

Noueris hoc conſpirationis malum, de fonte Romanæ perfidiæ manâſſe; ſic Epiſcopus Straceburgenſis *Henrico quarto*. *Nihil excellenter malum in Eccleſiâ Catholicâ patratur, cuius prima origo à Sacerdotibus non dependeat*; vt olim dixit *Pius* ſecundus (in hiſtoriâ Auſtrali). Exempla huius generis multa requirat Lector, apud doctiſſimum & nobiliſſimum Comitem *Northamptoniæ* in Actione proditoriâ. Non ergo pertinet ad Monachos aut Eccleſiaſticos, cædes facere Reges occidere: faciunt tamen quod ad eos non pertinet, Regicidæ ſunt, cædes faciunt Regum, qui cædes peccatorum facere debebant; vt hæreſum, ſic conſpirationum Authores ſunt. Quam diſpares, quam diſſimiles ſunt nouatores iſti, Monachis illis antiquis: qui labori manuum, ſtudio, lectioni, meditationi, orationi operam nauantes, obedientiam & patientiam, non rebellionem, non proditionem non Regicidiũ, vel didicerunt, vel docuerunt. Inter nouatores, præcipue

24. Queſt. 3. C. Tranſferunt.

in

in Angliâ facultatibus privantur, fame & paupertate pereunt Sacerdotes illi, qui obedientiàm & allegiantiam ſuam Regi debitam, juramento fidelitatis teſtatam faciunt: Moribus antiquis res ſtat Romana virisquè.

Neque conſueverunt ſummi Pontifices iſta ratione Principes coercere; alius ipſorum mos eſt; ſic Bell.

Nequè etiam conſueverunt ſummi Pontifices ſubditos à juramento fidelitatis abſoluere, Principeſque dignitate & authoritate Regiâ privare; contra factum *Gregorij* 7. Principes præſcribere poſſunt, & mille annorum conſuetudinem producere. Nequè etiam conſueuerunt, Principes per cenſuras Eccleſiaſticas Sacramentorum communione privare: Mos iſte novitatem ſapit; at quod primo loco adhibet *Bell.* ipſis in more poſitum primum paternè corripere hoc rarum eſt; fulminare, tonare, totum orbem permiſcere (*vt de Pericle Plutarchus*) melius norunt Pontifices quam paternè corripere. Dic verò *Bell.* quæ monitio, quæ correptio paterna in depoſitione *Childerici* præceſſit? Nec paternè corripuit, nec à communione Sacramentorum removit, nec a corpore Chriſti ſeparauit; quæ ſunt cenſuræ Eccleſiaſticæ; ſed inauditum, ad petitionem *Pipini*, Regnum alienum ambientis, depoſuit (vt vos contenditis). Leges iſtæ araneārum telæ ſunt; muſcas magnas, Pontifices ambitioſos, Reges potentes non tenent; nam ſine iſto inſtrumento excommunicationis non ſemel Pont. max. de temporalibus dignitatibus diſpoſuerunt; antea dixeras Cap. 4. Sed mos & conſuetudo eſt Pontificum vt nulli mori, nulli conſuetudini ſint alligati, ſed pro libito voluntatis, ſine more, ſine ordine, etiam ſine ratione agunt omnia.

Executio, inquit Bell. ad alios pertinet; Innocentius 4. *dixit in Concilio Lugdunenſi: Ego quod meum eſt feci, faciat & proſequatur ſuper his Deus quod voluerit.*

Bene eſt; executio ad alios pertinet; ſententia ad Pontificem, executio ad Populum: imò nec ſententia ad Pontificem, quia non executio; ad eundem enim pertinet ſententia, & ſententiæ executio; & cuicunque datur poteſtas, dantur eidem omnia media ad illius executionem. Dic verò ingenuè *Bell.* annon hoc idem potuit reſpondere *Liberius* aut *Felix*, qui *Conſtantium* hæreticum promulgauit, ſi *Conſtantium* aut *Julianum* depoſuiſſent, quod hic *Innocentius* 4. *Ego quod meum eſt feci*; hæreticum vel Apoſtatam, meritoq; deponendum depoſui; *faciat & proſequatur ſuper his Deus quod voluerit?* Audacem & temerarium *Innocentium* 4. eſſe oportet, qui Imperium Frederico abrogare, cum deeſſent vires auſus ſit, negligentes verò & Paſtoralis officij reos, *Liberium*, *Felicem*, *Damaſum*, qui *Conſtantium* & *Julianum* tolerarint, cum vires Eccleſiæ non deeſſent. Vtrinq; peccat *Bell.* dum illinc antiquos Pontifices negligentiæ, hinc poſteriores imprudentiæ reos peragit.

Platina in vita Felicis.

Barclaius ad *Julianum* pergit: *Apoſtata, inquit, fœdiſſimus fuit, & qualis* 6: *De Juliano.*

qualis nemo alter inuentus est inter Christianos Imperator. Sine vllo Populi detrimento coerceri potuit; totum fere exercitum ex Christianis habuit. Cum post mortem Iuliani Iouinianus Imperator electus, proclamasset, Christianus sum, Exercitui Ethnicorum præesse nolo, exclamârunt communiter vniversi; nè dubites, Imperator, neue repellas Imperium nostrum vt improbum; Imperator enim es Christianorum futurus, qui in pietatis disciplinâ educati sumus: Nos enim Christiani sumus, & grandiores quidem inter nos doctrinam Constantini perceperunt, minores verò, illos Constantius instruxit; (Ecce, verba hæc satis probant exercitum Constantij Christianum fuisse:) neq; istius proximè mortui diuturnum Imperij tempus fuit, vt circumventis quibusdam ad infigendum malum sufficerit. Et Imperatores tunc à solis militibus creabantur, vt & ab hoc ipso exercitu Iouinianus primum, mox Valentinianus.

Theod. li. 4. ca. 1.

« Respondet Bellarminus: *Difficillimum fuisset, primo quia solus Imperium regebat; 2. quia totus eius exercitus non fuit Christianus totus enim Iuliani sacrilegijs, sacrificijs viz Idololatricis prophanatus erat: sic Ruffinus. Electionem militibus proposuit Iulianus, vt aut sacrificarent, aut militiâ cederent?* sic Hist. Tripart.

Lib. 2. Cap. 1.

Lib. 7. Cap 1.

Imò verò facillimum fuisset *Iulianum* deponere quia solus imperabat. Exercitus enim Imperatorem creare, Imperator verò alium vel alios ad Imperium asciscere solebat; vt *Valentinianus* apud *Sozomenum* profitetur. Cum ergo plures erant simul Imperatores, aut fratres aut filij aut genetti erant; sic quo plures imperabant, eò potentior plerumq; Imperator ille, qui alios ad Imperium asciuit: Solus *Iulianus* imperabat, nec filium, nec nepotem, nec alium quenquam Imperij consortem habebat, qui eius injurias vindicaret: facilè ergo à suis destitui, facile solus opprimi potuit.

Lib. 6. Cap. 6.

Facillimum præterea fuit *Iulianum* deponere, quia totus eius exercitus Christianus non fuit, sed Paganis, qui à Christo defecerant, hoc est fictis Christianis plenus, qui Dijs sacrificare, quàm militiâ excedere maluerunt; quod enim facinus est aut flagitium tam nefandum, a quo abhorrebit miles Apostata? *Falsi in amore odia non fingunt*; qui in Deum falsi, quomodo ergo Reges & Imperatores, qui Dei in terris vices tantum gerunt, fideles erunt. Et hi quidem corde Christiani erant, licet formidine pœnæ fictè Dijs sacrificabant, & proinde eò magis Iuliani Apostasiam oderant, quo grauiora propter Christi professionem supplicia timuerunt: si ergo mandatum Dei per Pontificem de Imperatore abrogando accepissent, facile in caput *Iuliani* conspirassent, qui solo Dei timore à proditione & rebellione retinebantur. Atqui cordati hi Christiani milites, Pagani verò ficti, non numero pauci, non viribus impares, sed totus penè exercitus corde fuit Christianus, *exclamauerunt, communiter vniuersi, Christiani sumus, veterani in doctrinâ pietatis à*

Theod. li. 4. ca. 1.

Con-

Conſtantino Magno, tyrones in errore à Conſtantio inſtructi: at veritati Catholicæ & hæreticæ pravitati odioſiſſima eſt Apoſtaſia, & abnegatio Julianicæ. Atque hi quidem milites tante amore flagrabant ergà *Iovinianum* Chriſtianum (qui cingulum magis elegit amittere quam Imperatoris præceptis impijs obedire; quemque *Iulianus* propter belli neceſſitatem inter viros militares habebat) vt violenter à militibus ad Imperium traheretur: reclamante verò *Iouiniano*, Chriſtianus ſum, Paganis hominibus imperare nolo, vox omnium communiter proclamat, *Chriſtiani ſumus*: ſubita hæc mutatio non timoris (nondum enim Imperatorem quem timerent ſibimet præfecerant) ſed pietatis: *omnes pari eâdemque voce reſpondiſſe perhibentur, & nos Chriſtiani ſumus*: ſic Ruffinus: *At vbi omnes vnâ vocè confeſſi ſunt ſe eſſe Chriſtianos capeſſit Imperium*; ſic Socrates. *Milites, cognita recuſationis cauſa ſe itidem Chriſtianos eſſe clamant*, ſic Sozomenus, non ergò pauci aliquiè militibus ſed plurimis adeoque omnes Chriſtiani erant, ideoquè nullo labore, nullo populi detrimento *Iulianum* deſtituere potuerunt. Et Regnum *Iuliani* poſt mortem *Conſtantij* vix ſpatium vnius anni ſuperabat; *Iſtius proxime mortui diuturnum Imperij tempus non fuit, vt circumventis quibuſdam ad infigendum malũ ſuffecerit*: & optimè nouerat *Iulianus* Chriſtianos in ingreſſu Imperij ſui multitudine implêſſe Imperium, qui vnius anni intervallo vix à fide deterreri poterant, præcipuè ab eo qui fraude potius quam vi apertâ Chriſtianam Religionem aggreſſus eſt, Præterea, ſicut de *Iouiniano* ſupradictum eſt, *Iulianum* propter belli neceſſitatem inter duces & viros militares eum habuiſſe, ſic etiam non ſine ratione de alijs multis, tum ducibus tum militibus conijci poteſt, belli neceſſitate coactũ *Iulianum*, eos etſi Chriſtianos non obſcuros in expeditione illâ ſecum duxiſſe: Conſultantibus enim Prætoribus, Ducibus exercitus, de nouo Imperatore creando, exercitus omnis vnà voce *Iovinianum* Imperatorem poſtulat: *Duces interpretati conſenſionem exercitus diuinum quoddam eſſe ſuffragium, Auguſtum ac Ceſarem appellant, qui ſe Chriſtianum palam eſt profeſſus*. Et ſicut *Iouinianus*, ſic & alij Duces Chriſtiani, fortè & Chriſtianam Religionem libere profeſſi, eâdem neceſſitate vrgente, in exercitu *Iuliani* in hâc contra Perſas expeditione erant: vbi enim vnico illo Imperij ſui anno alios haberet duces veteranos qui Chriſtiani non erant.

Hiſt tripart. lib.7.cap.1.

Lib.2.Cap.1.

Lib.3.Cap.19.

Lib.6.Cap.3.

Theod.l.4.c.1.

Socrat.l.3.c.11.

Nec obſtat quod *exercitus Iuliani ſacrilegijs prophanatus* erat, vt Ruffinus; exercitus ſacrilegijs prophanari potuit, ſi in eo *Iulianus* Imperator pauciq; alij Dijs ſacrificarent. Et prophanatio illa publica erat & edicto Imperatoris peracta, etſi plurimi milites idolis non ſacrificabant: *pleriq; corde & voto Chriſtiani, erant etſi non manifeſtâ profeſſione, occultè erant Chriſtiani, ſed communicatione ſacrilegorum ſacrorum maculati*: ſic Bell.

Lib.2.Cap.1.

Exercitus prophanatus est, sic Ruffinus; *totus exercitus*, sic Bellarminus. At apertè *Augustinus*, milites in exercitu fuisse asserit qui Idolis jussi non sacrificarent. *Milites Christiani servierunt infideli Imperatori; Vbi veniebant ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum qui in cœlo est: Quando volebat vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum; quando dicebat, producite acies, ite contra illam gentem, statim obtemperant*; & solum hanc Iuliani contrà Persas expeditionem in quâ perijt, memorant historiæ. In exercitu ergò milites ijsq; numero multi, ad gentem aliquam subjugandam idonei, alàs non dixisset *Augustinus*, ite contra illam gentem, qui tamen idola colere & Dijs thurificare noluerunt, & in hâc causâ magis credendum *Augustino* quàm *Bellarmino*.

Lib. Psal. 124.

Orat. 1. in Iulianum.

Instat Barclaius ex Gregorio Nazianzeno: *Coercitus est Iulianus Dei clementiâ & lachrymis Christianorum quæ multæ iam & à multis erant effusæ, cum solum hoc contra Persecutorem haberent remedium.*

Respondet Bellarminus: *Sanctus Gregorius dicit, nullum adversus* » *Iuliani, persecutionem, fuisse remedium præter lachrymas, quoniam non* » *habebat Ecclesia vires, quibus illius tyrannidi resisteret, de facto loquitur,* » *non de iure; disertis enim verbis dicit (in oratione ad Populum pertimescentem & Præsidem iratum) potestatem politicam potestati spirituali Pon-* » *tificum subiectam esse debere.*

Imò verò *Sanctus Gregorius* de jure loquitur, non de facto; nullum aliud erat remedium legitimum; remedium enim illegitimum non deerat; Poterat *Liberius* aut *Fœlix Iuliano* Imperium abrogare, poterat tribunos illos, postèà ab exercitu Imperatores creatos, *Iovinianum, Valentem* & *Valentinianum* à *Iuliano* propter *Christum* exauthoratos, Imperatores creare, milites omnes à Iuramẽto fidelitatis àbsoluere, poterat sub pœnâ excommunicationis ijsdem imperare, vt *Iuliano* Regnum simul & vitam eriperent; potuit & à priuato aliquo fortiquè Christiano *Iulianus* occidi, (vt & occisum fuisse referunt nonnulli, quod & jure & cum laude factum asserit *Mariana* ex *Sozomeno*): poterant milites illi, qui fraude pretioque decepti, thura in ignem conjecerunt, animis tamen ab Idololatriâ liberrimi erant; adeò vt postèà pœnitentiâ permoti, fraudem Imperatori objicerent, & propterea Martyrio damnati, etsi non coronati, poterant, inquam, pauci illi mortis contemptores victoresq;, insidijs *Iulianum* adoriri, vt à *Iuliano* ipsi circumvẽnti sunt. Nec latuit *Sanctum Gregorium Nazianzenum* exercitum *Iuliani* Christianum fuisse; adeoq; vires non defuisse; de jure ergo non de facto loquitur, & non sine injuriâ Patrum dicitur eos de facto docuisse & scripsisse; id est hypocritas & parasitos & veteratores esse.

Theodoret. lib. 3. Cap. 16. & 17. De Regel. l. c. 2.

» *At disertis verbis asserit Sanctus Gregorius potestatem politicam* » *iure subiectam esse debere Spirituali Pontificum potestati*; sic Bellar- » minus.

Imò

Imo vero diſertis verbis non aſſerit; nequè enim verba illa (*iure ſubiectam*) apud *Nazianzenum* habentur: nec magis addi debuit vox iſta, jure ſubiecta, hoc loco, quam altero illo ſolum hoc lachrymarum contrà perſecutores remedium (iure) haberent. 2. *Gregorius Nazianzenus* non tam de poteſtate, quam de Præſide loquitur: Non dicit, veſtra poteſtas, veſtrum Imperium, mihi, meo ſolio, meæq; poteſtati ſubijcitur, ſed lex Chriſti vos meo tum Imperio, tum ſolio ſubijcit. 3. non dicit, poteſtas noſtra ſuperior eſt, veſtramq; poteſt cogere, voſq; ab eâdem remouere, de depoſitione aut priuatione non loquitur; ſed poteſtas noſtra amplior & perfectior: poteſt eſſe amplior quoad circuitum, poteſt eſſe perfectior quoad finem; & tamē ſuperior maiorq; quoad depoſitionem priuationēq; non erit. 4. Præſidem alloquitur, non Imperatorem, & poteſt Epiſcopus ſuperior *forſitan* eſſe Præſide, Imperatore tamen & Rege inferior. 5. Nihil hic Pontifici ſummòq; animarum Paſtori & Principi proprium aut peculiare, ſed omnibus Epiſcopis commune, & ſic poteſt quilibet Epiſcopus Imperatorem vel Præſidem deponere in ſuâ Diœceſi, ſicut & Pōtifex in Eccleſiâ vniverſali, ſi hic ſit Gregorij ſenſus; de ſuo enim ſolio & Imperio loquitur, non de ſede Romana, *Lex Chriſti vos meo tùm Imperio, tum ſolio ſubijcit*; aut ergo *Gregorius* potuit deponere, aut Pontifex Romanus iuxta Nazianzenum non poteſt deponere Imperatorem. Quid verò de obediētiá & ſuâ & populi ſēferit Sanctus Pater, ex verbis paulò antè locum citatum ſatis liquet. *Quemadmodum heris ſerui, vxores maritis, Eccleſia Domino, diſcipuli doctoribus & Paſtoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis poteſtatibus ſubiecti ſimus, non tantum propter iram ſed etiam propter conſcientiam, vt qui pendendo tributo ſimus obnoxij; atque hac inquit lex in nūero eſt legū laudabiliū & clariſſime promulgatarū à ſpiritu ſācto.*

Gregorium Nazianzenum ſequitur Auguſtinus: *Milites Chriſtiani ſeruierunt infideli Imperatori*, (Iuliano): *vbi veniebant ad cauſam Chriſti non agnoſcebant niſi illum qui in cœlo erat; quādo volebat vt Idola colerent, vt thurificarent, præponebant illi Deum; quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant, diſtinguebant Dominum aternum à Domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum aternum etiam Domino temporali.* In Pſal. 124.

Reſpondet Bell. *S. Auguſtinus rectè dicit milites Chriſtianos ſeruiuiſſe Iuliano Imperatori infideli, quia initio Imperij ſui tolerabat Chriſtianos, nec ſolum milites Chriſtianos eſſe patiebatur, ſed etiā Epiſcopos Catholicos à Conſtantio relegatos reuocauit; poſtea verò milites cogebat aut Idolis ſacrificare, aut militiā excedere.*

Verum eſt quod reſpondet *Bellarminus*: *Iulianus* initio Imperij ſui Chriſtianos tolerabat, Epiſcopos relegatos ad ſuas ſedes redire permiſit; milites Chriſtianos eſſe patiebatur; ſed malè diuiſa ſunt hæc temporibus. *Auguſtinus* enim non de initio ſed de fine Imperij *Iuliani* loquitur;

quando dicebat, producite aciem, ite contra istam gentem, at nullam nisi illam contra Persas expeditionem adornauit *Iulianus*. Loquitur ergò de fine Imperij *Iuliani*, non de initio. Quod etiam ex eo patet, quod *Iulianum* Imperatorem dicat infidelem, qui tamen in initio Imperij vel talis non fuit, vel non apparuit. Præterea etsi lex illa à *Iuliano* promulgata sit, necessitas tamen belli *Iulianum* coegit, vt *Iouinianum* fortè & multos alios Christianos milites secum haberet; *exercitus enim iste non fuit per fidiâ Iulianicus, sed Religione Christianus*; *vt Ninianus Winzetus In flagello sectariorum p.* 100. Loquitur præterea de jure non de factò, subditi erant *propter Dominum æternum* etiam Domino temporali *Iuliano* Apostatæ. *Propter Dominum æternum*, non propter metum, non propter necessitatem, sed vt præcepto diuino propter conscientiam obtemperarent.

Vbi veniebant ad causam Christi non agnoscebant nisi illum qui in cœlo erat; hic si imperâsset Pontifex, hisce militibus, vt *Iulianum* deponerent, alium verò Imperatorem Christianum subrogarent, nonnè hæc esset causâ Christi? Causa enim Ecclesiæ, Christi causa est; qui in causâ Christi solum illum agnoscebant qui in cœlo est, quomodo in hâc causâ a fide & doctrina summi Pastoris defecissent? Non adeo tenuiter senserunt & de Ecclesiæ causa, & de Sacerdotum doctrina *Iuliani* milites.

At inquit Bellarminus, *Sanctus Augustinus seipsum explicat, quando*
« *volebat Iulianus vt Idola colerent, præponebant illi Deum; hanc vocat Au-*
« *gustinus causam Christi; quamuis autem sit etiam Christi causa Ecclesiæ*
« *causa, tamen non tenebantur milites Christiani in Imperatorem suum,*
« *quamuis Apostatam & Persecutorem, arma convertere, nisi antea hostis*
« *iudicatus esset.*

At quid opus declaratione vel judicio, cum crimen notorium est, cum apertè & ex professo hostis fuerit? Quid opus excommunicatione, cum seipsum ex Ecclesiâ ejecerat? Quid opus vt tanquam Ethnicus haberetur qui verè fuerit. Imò verò, quare hostis iudicatus non est, cum satis virium haberet Ecclesia ad eum deponendum? præcipuè enim vires *Iuliani*, id est milites populique Ecclesiæ vires erant.

Verè ergo concludit *Barcl.* aut defuerunt officio suo Pontifices, qui *Iulianum* hostem non declarârunt, aut talem jurisdictionem Regum deponendorum non agnouerunt.

8. Tertius, de quo in hoc C. agit *Barclaius*, est *Valens* Imperator *Arianus*, qui Orthodoxos persequebatur: *homo resos & secors qui bella per Duces & præfectos administrabat*; ipse enim in villa delituit, dum exercitus profligatur; in quâ etiam crematus est. Præcipui Duces & Præfecti exercitus per quos bella conficiebat, fuere Catholici constantissimi; vtpote *Terentius*, *Traianus*, *Arintheus*, *Victor* alijq; qui Imperatori hæresin & Theomachiam in os intrepide exprobrabant. *Non ego sum victus, sed tu victoriam corrumpis Imperator, qui aduersus Deum aciem in-*

Theod. li. 4. c. 36. De Valente.

Idē Ibidem c. 33.

inſtruit, & fortunam belli concilias Barbaris; ſic *Traianus* libere, vt virum ſortem decebat: Facile itaq; fuit, vivente fratre *Valentiniano*, qui *Valentem* ad imperium vocauit, Valentem deponere. Poſt mortem etiam fratris, facile fuiſſet his ducibus fœdus inter ſe aduerſus Principem hæreticum icere, Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos, Milites, populum ipſum, maximâ ex parte Orthodoxos, congregare, ad Imperatorem hæreticum deſtituendum, ſi vt vitia Principis iudicare, ſic etiam vindicare liceret.

Reſpondet Bellarminus. *Pauci in exercitu Valentis Catholici erant; multitudo Principis ſequebatur errores; Valentinianus fratrem hæreticum toleranit, quia facile non fuit ſine periculoſo & ambiguo bello, de Imperatorio ſolio illum deijcere.*

Gratis hæc à *Bell.* dicuntur, ſine authoritate, ſine ratione: nullam enim adhibet, nullam habuit. In Occidente enim imperabat *Valentinianus* & poſt eum *Gratianus* eius filius, ambo Orthodoxi & Catholiciſſimi Impp. *Ruff. l. 2. c. 1.* in Oriente vbi imperabat *Valens* Conſtantinopolim obtinebat *Procopius*; Thraciam occupabant *Gothi*, qui à *Valente* Arianiſmo infecti; in *Athanaſium* nihil triſte auſus eſt in Alexandria, quia Populi tumultum, qui Patriarchæ ſuo adhærebat; iram fratris, qui fidem Nicænam propugnabat *L. 6. c. 12.* timet, vt rationem adhibet *Sozomenus*. Præfectum Cæſareæ qui *Baſilium* magnum de ſede ſua deturbare conabatur, populus tumultuans occidiſſet, niſi *Baſilius* authoritate ſua tumultum ſedaſſet; *in ſummâ nullus fuit qui non ad ſe ſuamq; ſalutem hoc pietatis opus, vt virum ſanctiſſimum tueretur pertinere putaret*: vt teſtatur Nazianzenus. Hinc itaq; videre eſt quam anguſtis cancellis *Valentis* potentia concluſa fuerit; quod ſi Orthodoxis, viribus forte ſuperior fuiſſet, tantis tamen Patrum Orthodoxorum ſanctitatem Deus miraculis illuſtrauit, vt Dei auxilium implorâſſe ſatis illis ad vind &tum fuiſſe videatur. Nulla enim ætas Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos tulit illuſtriores, magiſq; Orthodoxos; vt pote *Damaſum* Pontificem maximum, *Ambroſium*, *Hilarium*, &c. & in Oriente præter *Athanaſium*, *Petrum* eius ſucceſſorem, duos *Gregorios*, *Nyſſenum*, & *Nazianzenum*, *Baſilium* magnum, *Apollinarium*, *Amphilochium*, *Ephraem*, *Epiphanium*, innumerabiles in *Ægypto*, in *Thebaide*, in *Edeſſa*, in Monaſterijs *Scetis*, in *Nitria*, in *Paleſtinâ*, *Syriâ* Monachos, quos enumerare longum eſſet. Videt hęc ætas lumina Eccleſię poſt Apoſtolos maxima clariſſimaq;, iſtis quã præſens fuerit divinum auxilium, ex vnico *Baſilij* magni exemplo colligi poteſt; *cuius, dum Imperator ipſe Valens vitam eripere conatus eſt, vxore ipſius noctu quaſi à tortoribus cruciata, filioq; vnico extincto, coactus eſt opẽ flagitare, & ad illius preces confugere.* Teſte Ruffin. *I. 2. c. 9.*

His temporibus ſi ſententiã depoſitionis contra *Valentẽ* protu iſſet *Damaſus*, ſi *Valentinianum* & *Gratianum* contra inertẽ, timidum, perſecutorem tamen & Ariã excitaſſet; ſi Epiſcopos, Sacerdotes, Monachos ab obedientia & fidelitatis iuramento liberaſſet; ſi vel populo Epiſc. ſuorum

Ortho-

Orthodoxorum amantiſſimo licentiam conceſſiſſet, vt ducibus ſuis Orthodoxis adhærerent, facilè nulloque negotio à ſuis deſtitutus imperio excidiſſet.

Ridiculum vero eſt quod ſubiungit *Bell.* de bello periculoſo & ambiguo: „ *Non erat facile ſine bello periculoſo & ambiguo Imperatorem de ſolio* „ *dejicere.* Quid enim? An bellum vllum ſine periculo ſine ambiguitate? An quiſquam Dux vel Imperator, viribus, diſciplinaque militari licet ſuperior, certus de victoria? *Fortuna belli ſemper ancipiti in loco eſt.* Pugnat exercitus, at Dominus exercituũ eſt qui dat victoriam; quidni & ſuis certius quam alienis? Verum itaque ſit quod Bell? Quare ergo *Gregorius* 7. *Henricum* 4. aut *Innocentius* 4. *Fredericum* 2. *Gregorius* 9. aut *Ioannes* 22. *Ludouicum Bauarum* deponere auſi ſunt, cum ſine bello periculoſo & ambiguo eos de ſolio imperiali dejicere non potuerint, imo poſt multa bella & periculoſa & ambigua nõ deiecerint? *Damaſus* & pius prudenſq; qui *Valentem* Arianum impotentem & ſecordem, quem deponere potuit, non depoſuit; non quia deerant vires, ſed quia deerat poteſtas temporalis: *Gregorius* 7. *Innocentius* 4. *Gregorius* 9. *Ioannes* 22. ambitione & nimiâ dominandi cupiditate cæci & imprudentes, quia nec viribus nec poteſtate pollentes Imperatores Catholicos deponere, vel potius bella periculoſa & ambigua excitare, & Chriſtianum orbem in viſcera ſua armare aggreſſi ſunt.

In flagello ſectariorum. Concludo hoc caput cum Niniano Winzeto: *Noluit, inquit, exercitus Chriſtianorum vllâ rebellione, Cæſari licet Idololatræ & Apoſtatæ, in fidelium fratrum defenſionem ſeſe opponere: exiſtimauêre enim iſti Chriſti agnelli ſatius multo eſſe vt iuſti iniuſtè à Cæſare propter veram iuſtitiam paterentur, quàm vt ipſi Cæſaris authoritati vim vllam licet impiè agenti vllius fucatæ iuſtitiæ prætextu inferrent.*

CAP. VIII.

Eccleſia Valentinianum Iuniorem Arianum non depoſuit, etſi vires non deeſſent: ſententia antiquorum de puniendis Regibus.

1. *Valentinianus non deponitur, ſed ad Imperium reſtituitur ob maieſtatis reuerentiam.* 2.3.4. *Poteſtas depoſitionis refellitur ex verbis Tertulliani, Ambroſii,* 5.6. *Gregorii Turonenſis, Gregorij magni. Othonis Friſingenſis.* 7. *Huic poteſtati non fauet Cyprianus, nec Irenæus, nec Gregorius Nazianzenus, nec Gregorius magnus;*

nec

nec Bernardus, nec Hugo. 8. *Magis credendum Conciliis generalibus antiquis quam posterioribus.*

VAlentinianus iunior Arianus, facillimè omnium qui vnquam regnarunt ab Ecclesia coërceri potuit, à summo Pontifice; imo ab vno Episcopo solo; *Ambrosij* scilicet nutu, à proprijs stipatoribus & militibus destitui poterat. Ariani pauci erant, de familiâ Regis, & *Gothi* nonnulli, quibus vt olim plaustrum sedes erat, ita nunc plaustrum Ecclesia est: prodire de Arianis nullus audebat, quia nec quisquam de civibus erat. *Ego*, inquit Ambrosius, *tyrannus appellor, & plus etiam quàm tyrannus: nam cum Imperatorem comites obsecrarent, vti prodiret ad Ecclesiam, idq; petitu militum facere se dicerent, respondit: si vobis inferit Ambrosius vinctum me tradetis.* 1. *Ad sororem Marcell. l. 5. Epist. 33.*

Præterea aderat *Maximus* cùm exercitu, curaturus, ne quid vltra religio Catholica detrimenti caperet, & ad vindictam *Ambrosij* vt innuere videtur *Nicephorus*: sed revera flagranti regnandi cupidine permotus: *Gratianum* enim *Lugduni* occiderat: Fugit *Valentinianus* ad *Theodosium* hæreticus ad Catholicum: reprehenditur propter hæresin, & in regnũ restituitur. *Maximus* tyrannus & rebellis occiditur; nec Imperij reformator, nec Ecclesiæ restaurator habetur. Non ergo defuerunt vires Ecclesiæ, quibus Valentinianum iuniorem hæreticum ab Imperio deponeret. Hæc multis *Barclaius*. *Niceph. l. 12. cap. 20.*

Respondet *Bellarminus*; *Facilè fuit Ambrosio Valentinianum deijcere: præsertim cum Maximus Catholicus in armis esset, & milites Valentiniani ab Ambrosio starent.* Ecce iam confitentem reum habemus *Bellarminum*: habuit vires Ecclesia quibus *Valentinianum* iuniorem hæreticum deponeret, nec deposuit: non est ergo hæc ratio, cur antiqui Pontifices à depositione hæreticorum abstinuerint, quam assignavit *Franciscus Romulus*: quia habuit vires non solum *Damasus*, sed etiam *Ambrosius*, Episcopus vnius Ecclesiæ particularis, quibus Imperatorem in ordinem cogeret. „ „ „

Quâ ergo de causa roleravit Ecclesia *Valentinianum*? *Puer* (inquit Bellarminus) *fuit; non suum iudicium, sed matris Iustinæ authoritatem secutus Ecclesiam persequitur, & spes erat breui Valentinianum ad gremium Ecclesiæ reuersurum.* „ „ „

Iuvenem potiùs quam puerum fuisse, matrisq; authoritatem secutum *Valentinianum* satis constat; At spei quam memorat *Bellarm.* spes nulla. Quis enim sperare poterat vel *Maximi* insurrectionem, aut *Valentiniani* fugam? & tamen dum persecutor *Valentinianus Maximi* persecutionem & arma fugit, auxilio & doctrinâ *Theodosii*, ad Ecclesiam & Imperium simul restituitur. *Quod à te infusum, sibi ita tenuit, vt matris persuasionem*

vllum præter illud S. *Medardi* confictum priuilegium producitur, quod huic Chimeræ faueat: multos à Patribus in contrarium teſtes adhibuimus cap. 8. lib. 1. Quid ni ergo conſtat Patres hanc poteſtatem ignoraſſe, quam nec verbo nec facto, nec publicè nec priuatim, nec ſcripto, nec per traditionem, poſteris teſtatam reliquerunt.

Vrget deinde *Barclaius* verba Tertulliani. *Sentiunt Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt, à quo ſolo ſunt ſecundi, poſt quem primi, ante omnes Deos & ſupra omnes homines.* Et alibi. *Colimus Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, vt hominem à Deo ſecundum, & quicquid eſt, à Deo conſecutum, ſolo Deo minorem: hoc & ipſe volet; ſic enim omnibus maior eſt, dum ſolo vero Deo minor eſt.* Hæc Tertullianus non ex ſua, ſed ex communi Chriſtianorum omnium perſona. *In Apolog. c. 30.* *Ad Scapulam.*

Reſpondet Bellarm. *Authores & pauciſſimi ſunt, & non dicunt quod ipſe affirmat.* „

Imo vero multi ſunt, vt cuiuis, caput noſtrum octauum libro primo legenti, manifeſtũ erit: licèt paucos *Barc.* adhibuerit, quorũ authoritati magis ſtandum quam mille Paraſitis. Et *Tertullianus* hoc dicit quod *Barcl.* affirmat: *In ſolius Dei poteſtate ſunt*; aut ergo Pontifex Deus, aut in poteſtate Pontificis non ſunt: *Idem eſſe tribunal Chriſti & Pontificis* dixit Reſtaurus Caſtaldus: *ſed Chriſti puri hominis mortalis, non Dei*; ſi Bellarmino fides adhibenda ſit: at idem eſſe tribunal Pontificis & Dei, nullus Paraſitorum dicere auſus eſt: non ſunt ergo in poteſtate Pontificis, ſed in Dei ſolius poteſtate ſunt: *A ſolo Deo ſecundi, poſt Deum primi: ante omnes Deos, ſuper omnes homines.* Nondum in Eccleſia ſuperbiam ſuam euomuerat *Innocentius* tertius Pontifex, *Inter Deum & hominem medius conſtitutus; citra Deum, ſed vltra hominem; minor Deo, ſed maior homine*: non hoc didicerat *Tertullianus*; aliàs inter Deum & Imperatorem, Pontificem medium ſtatuiſſet. *A Deo ſolo ſecundi*; imo tertij, ſecundus enim Pontifex: *Poſt Deum primi*: imo poſt Deum ſecundi; primus enim poſt Deum Pontifex: *Ante omnes Deos*, ergo ante Pontificem, qui Dominus Deus noſter; *ſuper omnes homines*, ergo & ſuper Pontifices; ſi Pontifices homines ſunt. Dicit ergo *Tertullianus* quod *Barclaius* affirmat. *Lib. de Imperare quæſt. 81.* *L. 5. de Rom. Pontif. ca. 4. §. Sediam.* *Serm. 2, de Conſecrat. ſua.*

At loquitur Tertullianus, de Principibus Ethnicis qui totì orbi Romano imperabant, & nondum ſceptra ſua Chriſto ſubiecerant. Itaque ſecundi à Deo in rerum temporalium adminiſtratione de facto dici poterant: ſic Bellarminus. „ „ „ „

De Principibus loquitur *Tertullianus* ſimpliciter: Ethnici reuera tunc erant; ſed de Principibus itidem Chriſtianis eadem, forte etiam & plura dicturus, ſi occaſio daretur: nec enim latebat *Tertullianum* authoritas Regum Iſraeliticorum, *Moſis*, *Ioſuæ*, *Dauidis*, *Salomonis*, *Ioæ*, *Ezechiæ*, *Ioſiæ*, & aliorum, qui & in temporalibus poſt Deum ſecundi erant, & in rebus etiam ſpiritualibus cum Imperio præerant: & idem, aut maius,

eſt ius Regis Chriſtiani, quod Ethnici, aut meliore conditione ſunt Reges Ethnici quam Chriſtiani. At de facto loquitur *Tertullianus*, id eſt, blandi tur, *noluit enim Gentiles offendere*, vel veriùs mentitur; accuſabantur Chriſtiani quod poteſtatibus ſublimioribus immorigeri eſſent: *Plurima tunc temporis*, (inquit Chryſoſtomus) *circumferebatur fama, traducens Apoſtolos, veluti ſeditioſos, rerumq; nouatores, qui omnia ad euertendum leges communes, & facerent & docerent*: Hanc calumniam vt depelleret *Tertullianus*, ſcripſit: Apologeticum, ſicut & alij multi Patres, quo non ſuam tantum, ſed omnium Chriſtianorum de fidelitate & obedientiâ Imperatoribus & Poteſtatibus ſublimioribus præſtandâ, ſententiam fidemque (ſi fides ſit faciendorum) & verè & manifeſtè demonſtrat. Quæ vero ſiue iniuria, ſiue calumnia, ſiue perfidiæ nota gravior, in *Tertullianum* intentari poteſt, quam quod Chriſtianorum cauſam acturus, ipſorum fidem & doctrinam coram Deo & hominibus profeſſurus & Imperatoribus ac poteſtatibus fidelitatem & obedientiam ſuam, ſuorumq; omnium, probaturus, de facto loquatur non de iure? Acſi diceres: *Tertullianus*, alijq; Patres, Martyres & Confeſſores, mortis & tormentorũ victores timore mortis cauſam *Chriſti*, & Eccleſiæ, & Pontificis produnt: de facto loquũtur, ius ipſum, veritatem ipſam, fidem denique ipſam occultant. *Chriſtus Dominus noſter, qui via, veritas & vita, aliquando mortuus at falſus nunquam, vita mori potuit, veritas mentiri non potuit*: Patres iſti pro veritate mori potuerunt, veritatem ipſam nec in vitâ nec in morte deſerere potuerunt. Quod vero ſimulatè, hoc eſt de facto non loquatur, audi Tertullianum ipſum, ironicè commentum hoc irridentem. *Adulati nunc ſumus Imperatori, & mentiti vota quæ diximus.* Super quæ verba Franciſcus Zephyrus annotat. *Septimius igitur, vt omni ſuſpicione animos Iudicum liberet, duas aduertit cauſas, quibus neceſſarium quodammodo Chriſtianis eſſe teſtatur; vt, quæ de Imperatorum ſalute loquantur, ea ſentiant & operentur.*

Laurentius de Barre.

Hom. 23. in Rom. cap. 13.

In Apolog. c. 31.

Audi verò, *Bellarmine*: Priſcillianiſtarum peſſime, qui in cauſa fidei, æquivocare, mentiri, veritatem occultare liberum facis; audi inquam *Tertullianum* tuo idiomate loquentem, & obſtupeſce. *Sentiunt Chriſtiani Deum eſſe ſolum, in cuius ſolius poteſtate ſunt Imperatores*, de facto, licèt de iure ſint in poteſtate etiam Pontificis: *à Deo ſolo ſunt ſecundi*, de facto; at de iure tertij, interiacet Pontifex: *poſt Deum primi*, de facto, de iure ſecundi: *ante omnes Deos & ſuper omnes homines*, de facto, at poſt & infra Dominum Deum noſtrum Papam de iure. *Colimus Imperatorem, vt hominem à Deo ſecundum, & ſolo Deo minorem*, de facto, de iure enim eſt tertius à Deo; minor & Deo & Vicario Chriſti: *Sic omnibus maior eſt, dum ſolo Deo minor eſt*, de facto; de iure vero non eſt maior Pontifice, ſed Deo & Pontifice minor. Sic ſolent docere Veteratores, non Patres, Sophiſtæ, non Theologi; Gnathones, non Chriſtiani: Scholam mundi hæc ſapiunt; in ſcholâ Chriſti, *qui erubuerit me, veritatem meam, ſermones meos*

meos, hunc Christus in die iudicij coram Patre suo & sanctis Angelis erubescet. Luc. 9 26. Non est hoc fidem Christianam propugnare aut defendere, sed & causam Christi prodere, & Christianos tum falsitatis, tum infidelitatis reos, tanquam bilingues, & dolorum & fraudum concinnatores & architectos peragere.

At lex Christi neminem priuat iure suo: proinde Reges & Imperatores accedendo ad Ecclesiam, nihil iuris sui temporalis amittunt: sic Barclaius. *Verum est, nihil amittunt sed multa lucrantur; sic Bellarminus, Reges & Imperatores cum ad Ecclesiam veniunt, Regni cœlestis heredes fiunt, quod ante non erant: & hoc lucrum est supra fidem, quod nullo pretio æstimari potest: maius enim est renasci in regno Christi quam nasci ad regna mundi.* Hoc vere dixit Bellarminus: *At nihil amittunt*, hoc male.

Amittunt locum & ordinem suum siue primatum: post Deum primi erant; in Ecclesia post Deum primus est Pontifex, Imperator in secundis, vel etiam infra secundos consistere debet, ex primo non primus fit. Amittunt ius suum, tacitâ quâdam conditione, regna & coronas, necnon & capita sua, non solum Deo & *Christo* eius, cui anteà subditi erant, sed etiam Vicario eius Pontifici submittunt, cui antea subditi non erant. Soli Deo stabant & cadebant: Deo soli peccabant, vt *Dauid*: (& tamen non deerat summus Sacerdos tempore *Dauidis*.) solum Deum Iudicem agnoscebant, cui soli rationem reddere tenebantur: iam Deo peccant & Pontifici, Deo & Pontifici stant caduntque, Iudicem in Cœlo Deum, in terra Pontificem agnoscunt, cui rationem reddere tenentur, *Omne sub regno graniore regnum est*. Verè ante regnabant, iam regnant precariò ad nutum Papæ. Regnum absolutum in limitatum, Regnum supremum in subordinatum, regnum in non regnum mutatum est; & tamen (vt *Bellarminus*) nihil amittunt. Imo vero, quia nihil amittunt; ideo & supremi sunt, vt antea erant, & absoluti sunt, vt antea erant, & soli Deo, non homini, non Pontifici subordinantur: Deos istos, non iudicat homo, sed Deus solus, qui *in Synagogâ stat Deorum & Deos dijudicat.* Psalm. 81.

Sequitur authoritas Ambrosij: in Apologiâ *Dauid* cap. 10. *Rex vtiq; erat, nullis ipse legibus tenebatur, quia liberi sunt Reges à vinculis delictorum: neque enim vllis ad pœnam legibus vocantur, tuti Imperij potestate.* Sic Barclaius. 3. Ambros.

Respondet Bellarm. *Reges liberi sunt à legibus politicis, tum suis, tum prædecessorum suorum, quia par in parem non habet potestatem; non tamen sunt liberi à legibus Dei & Ecclesiæ.*

Reges liberos non esse à legibus tum suis, tum prædecessorum suorum, optime novit *Bellarm.* & experientiâ ipsa testatur, in omnibus gentibus; non potest Rex quicquam facere contra leges suas, & si quicquam fecerit

fecerit, irritum eſt. Ideo Thomas; *Princeps ſolutus eſt à legibus, quoad vim coactiuam legis quia nullus in eum poteſt ſententiam condemnationis ferre: at quoad vim directiuam ſolutus non eſt.* Patere legem quam ipſe tuleris: In lege ergo eſt & lex ipſa ſiue æquitas legis, & pœna legis: ſolutus eſt à pœnâ, non ab æquitate, ſiue vinculo legis. Ideo legem illam, *Princeps legibus ſolutus eſt*, ſic interpretatur Harmenopulus: id eſt, *nequaquam punitur; peccatum meum tibi ſoli relinquitur puniendum, eo quod alium non habeam ſuperiorem*: ſic Innocentius: *Tibi ſoli peccaui; nimirum vt Iudici, apud quem ſolum conuinci poterat*: ſic Bellarm. ipſe. Conſulat Lector cap. octauum l. 1. multos videbit in eadem ſententia: Liberi ergo Reges à pœna legum ſuarum, non tamen ab æquitate.

1.2.q. 96. Art. ad 3.

L. 1. Tit. 1. leg. Princeps legibus.

In 4. pœnit. Pſal.

In Pſal. 50.

Ibidem.

At non ſunt liberi à legibus Dei & Eccleſiæ. Reges à legibus Dei nemo vnquam liberauit, *Ambroſius* autem ipſos magis teneri legibus Dei, quam alios diſerte aſſerit: *Sed quamuis tutus Imperio, deuotione tamen & fide erat Deo ſubditus, & legi eius ſubiectũ ſe eſſe cognoſcens peccatũ ſuum negare non poterat, ſed quaſi reus, cum amaritudine fatebatur, qui ſciret maioribus vinculis ſe teneri, quia maiora deberet.* Nõ ignorabat *Dauid* leges Eccleſiæ, non authoritatem Sacerdotis ſummi: & tamen ſoli Deo ſe peccaſſe confitetur; cum in hominem etiam peccâſſet, quia à ſolo Deo puniri poſſet, non ab homine: vt *Innocentius* alijq; plurimi docent. Nullis ergo legibus tenebatur, qui tenebatur legibus Dei. in quibus & adulterium & homicidium morte plectebantur, ſed per Magiſtratum ciuilem; lex ergo Dei moralis diſtinguitur apud *Ambroſium*, contra omnes alias leges, ſiue politicas, ſiue Eccleſiaſticas iudiciales: vniuerſale enim negatiuum omnia particularia excludit; nullis legibus, niſi Dei, nec politicis ergo nec Eccleſiaſticis legibus tenebatur, quoad pœnam, etſi quoad conſcientiam tenebatur: nec in legibus politicis aut Eccleſiaſticis illius populi mentio vlla depoſitionis.

Omiſit vero & *Barclaius* & *Bellarm.* verba illa quæ maximè vrgent: *Homini ergo non peccauit, cui non erat obnoxius.* Non erat obnoxius homini, non populo, non Principibus populi, non ſummo Sacerdoti: hi enim homines. Ideo fatetur *Innocentius* eiuſque ſequaces, *Dauidem* ſummo Pontifici non peccâſſe. Peccauit *Dauid* Deo ſoli, peccant Reges Chriſtiani Deo & Pontifici; quia à Deo & etiam à Pontifice puniri poſſunt: quam novam commentationem non noverat *Ambroſius*: Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius: Si homini non erat obnoxius, nec ſummo Sacerdoti, & proinde nec legibus tenebatur Eccleſiaſticis, nec politicis iudicialibus, ſed ſola morali lege Dei ligabatur.

De *Ozia* leproſo acturi ſumus ſuo loco, cap. 37. vbi de eius depoſitione agitur.

4. Tertius eſt Gregorius Turonenſis: Eius verba ſunt. *Si quis de nobis, ô Rex, inſtitiæ tramites tranſcendere voluerit, à ſacerdote corripi poterit: ſi verò tu exceſſeris,*

exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi; ſed, ſi volueris, audis: ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is qui ſe prouncianit eſſe iuſtitiam. Greg. Turonenſis l. 5. hiſt. Franc. c. 18.

Reſpondet Bellarm. *Loquitur Gregorius de poteſtate, quam habent Reges de facto cogendi homines particulares; & quam non habent homines particulares ad cogendos Reges, &c.* ,, ,,

Et quare loquitur de poteſtate Regum de facto? In Concilio Pariſienſi, in quo, vt videtur, Regi fauebant, nemo loquenti *Gregorio* aſſurgit, nemo reſponder. An in illo Concilio nullus, qui hoc ipſum in *Gregorio* reprehenderet, quòd poteſtatem indebitam Regi aſcriberet? Cur illi Epiſcopi delatores, qui Regi omnia quæ in Concilio acta ſunt; quæq; *Gregorius*, qui ſolus Regi adverſabatur, dixerat, referunt, inter cætera hoc non deferunt, quod contra ſenſum Concilij, talem ille Regis poteſtatem de facto, i.e. tyrannicam, palam & in os prædicaret, quam de iure non habebat? Vide vero quomodo loquentem introducat Gregorium *Bellar. Si quis de nobis, O Rex, iuſtitiæ limites tranſcendere voluerit, à te corripi poteſt*, de facto per vim & tyrannidem: de iure enim non poteſt: *Si vero tu exceſſeris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi, ſed ſi volueris, audis, ſi autem nolueris, quis te condemnabit, niſi is, qui ſe pronunciat eſſe iuſtitiam:* eiuſq, Vicarius Pontifex ſummus, qui tuus aliorumq; Regum Chriſtianorum Iudex ordinarius, téq; caſtigare & de regno dejicere poteſt.

Abſurdiſſimum vero eſt, vt *Chilpericus* petens à *Gregorio* iuſtitiam, tam iniuſtam, tam æquivocam, tam doloſam acciperet reſponſionem; quæ, Sophiſtam vafrum & verſipellem, quam Theologum & Epiſcopum veritatis præconem magis deceat. At *Gregorius*, qui innocentiæ *Pretextati* Epiſcopi Rothomagenſis, (qui læſæ Maieſtatis reus agebatur, quod Meroveo filio à Patre tonſurato communicaret) ſolus penè patrocinabatur in Concilio, in hiſtoriâ ſuâ refert. *Pretextatum incondemnatum vi in carcerem conjectum, necnon à ſicario poſtea dolo Fredegundis Regina occiſum*; ideoq; de poteſtate tyrannicâ loquitur, non de legitimâ. ,, ,,

Siquidem poſtquam hæc facta vidiſſet, hæc locutus fuiſſet *Gregorius*; veriſimilitudo aliqua ſubeſſet. At verba hęc incarcerationem præcedunt, quæ ex *Pretextati*, ſed ſeducti confeſſione potius quam ex teſtium ſubornatione profecta eſt: nec quicquam violentum ante *Pretextati* confeſſionem illatum eſt; vt ex actis illius Concilij apud *Gregorium* conſtat; nulla ergo ratio erat. Sed audiamus Gregorium ipſum. *Attenti eſtote quæſo ſermonibus meis, O ſanctiſſimi Sacerdotes Dei, & præſertim vos, qui familiariores eſſe Regi videmini: adhibete ei conſilium ſanctum atque Sacerdotale, ne excandeſcens in Miniſtrum Dei, pereat ab ira eius, & Regnum perdat & gloriam.* *Actione 3.*

An hoc eſt ſanctum & Sacerdotale conſilium, in cauſa fidei æquivocare, & de facto docere, non de iure? *Quod ſim iniuſtus tu neſcis; ſcit enim conſcientiam meam, cui occulta cordis ſunt manifeſta.* Qua vero con-

metuant, eo erit horribilius, quo ipsi cæteris possunt peccare liberius.

Respondet Bellarm. *Otho Frisingensis apertè loquitur de legibus seculi, quibus sine dubio Reges subiecti non sunt subiectione coactiuâ; at subijciuntur legibus Pontificijs, &c.*

Aperte loquitur *Otho Frising.* de legibus seculi; id ipsa verba exprimunt: *seculi legibus non cohibentur Reges.* At quæ sunt *Oth.* leges seculi? Omnes proculdubio leges, siue Reipublicæ, siue Ecclesiæ *Othoni* sunt leges seculi, quæ sub examen divinum non cadunt. Examen divinum legibus mundi siue seculi opponitur.

Præterea, cum nulla inueniatur persona mundialis, quæ mundi legibus non subiaceat, subiacendo coerceatur, soli Reges, vtpotè constituti supra leges, diuino examini reseruati, seculi legibus non cohibentur; omnes aliæ personæ legibus seculi siue mundi & Ecclesiæ subiacent, Reges soli, legibus mundi siue seculi non cohibentur, quia constituti supra leges examini divino reservantur.

Examen ergo divinum, & leges siue iudicia seculi hoc loco contradivisa sunt. Leges ergo seculi siue mundi, & ciuiles sive temporales & Ecclesiasticas complectuntur: nec enim leges Ecclesiæ dicuntur ab *Othone* examen divinum; Ideo infert Otho ex verbis *Danidis: Tibi soli peccaui. Decet ergo Regem, non solum animi magnanimitate nobilitatum, sed & ad cognoscendum Creatorem suum diuina gratia illuminatum; Regem Regum, Dominum Dominantium Deum præ mente habere, & ne in manus eius incidat quantum potest modis omnibus precauere.*

De Rege Christiano loquitur *Otho*, & Regem Christianum re & nomine pacificum alloquitur (vti ibidem). Reges ergo Christiani, *Othone* authore, nullum præter Deum super se habent quem metuant. Et superior sit in eodem genere qui deponit, quam qui deponitur necesse est.

Cum ergo Reges Christiani, iuxta *Othonem*, nullum habeant in temporalibus supra se quem timeant (ne Pontificem quidem) nisi solum Deum, & à legibus non solum Reipub. sed etiam Ecclesiæ, saltem quoad temporalem pœnam liberi sint, idq; non tantum de facto, sed etiam de iure; necnon diuino solius Dei examini reserventur, consequens est, quod iudicio Papæ in temporalibus non subjiciuntur.

Respondet Bellarm. *Otho pius & Catholicus Episcopus non voluit dicere, Reges non teneri legibus Pontificijs, & non habere super se Christi Vicarium quem timeant; vel non subiacere summi Pontificis examini saltem in rebus spiritualibus, & quoad pœnas spirituales; si enim id vellet hæreticus esset.*

Non hic quæritur, quid dicere voluerit *Otho* Catholicus & pius Episcopus, sed quid iam dixerit; neq; vero hæreticus audit *Augustinus* quod dixerit, vti glossa, *Multitudo non est excommunicanda, nec princeps populi:* neq; enim hic controvertitur, an Reges legibus teneantur Pontificijs, an *In Matth. 13.*

Henricum Imperatorem à Gregorio 7. exauctoratum non ignorabat; vtriusq; rei meminit, neque reprehendit factum, imo videtur approbare dum Gregorium laudat. Lib. 6. c. 34. & 36.

Noverat *Otho Childericum* Regem depositum à summo Pontifice.

Cur non dicis, à quo Pontifice? subest fraus aliqua; Non placet testimonium testis tui. *Anno ab incarnatione Domini*, 754. *Pipinus à Stephano Papa, primo à fidelitatis Sacramento, quod Childerico promiserat, cum aliis Regni Francorum primoribus absolvitur.* Hæc est depositio *Childerici*. *Zacharias* respondit, vt Theologus: vt cap. 42. *Stephanus Zachariæ* successor deponit, vt Iudex, dum Pipinum & Francos à iuramento fidelitatis absolvit: Falsus ergo *Bellarm.* qui *Zachariam* deposuisse *Childericum* multoties asserit. Verum *Othoni*, vt videtur, parum placet hoc factum siue *Zachariæ*, siue *Stephani*. *Ex hoc* (inquit) *Romani Pontifices regna mutandi authoritatem trahunt*: id est, ex facto ius trahunt. L. 5. c. 21. 23. Cap. 23.

Deposuit *Zachariæ* siue *Stephanus Childericum*; ergo Pontifex Romanus habet authoritatem, siue potestatem regna mutandi: fecerunt, ergo facere licet, sic argumẽtari solẽt pro malefactis suis peccatores pessimi.

Narrat itidem *Otho* depositionem *Henrici* 4. sed improbat: Ideo capite 34. hæc habet. *Saxonibus rebellionem machinantibus, conspirationes fiunt, detractiones in Principem dictantur*: ecce, principia huius depositionis sunt rebellio, conspirationes, detractiones. c. 35. post excommunicationem *Henrici* & mortem *Rodolphi*, necnon *Hermanni* qui à fidelibus Regis occiditur (obserues Lector, dicuntur fideles Regis qui Hermannum occidunt, non hæretici, non excommunicati) statim addit Otho: *Lego & relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nunquam inveni quenquam eorum, ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum vel Regno priuatum.* Annon hæc sunt improbantis? Deinde cap. 36. post applicationem illius prophetiæ; quod scilicet, *Lapis de monte præcisus, i. Ecclesia; pedes imaginis partim ferreos, partim fictiles, id est, Imperium Romanũ, contereret*: hæc addit. *Quanta autem mala, quot bella, bellorumq; discrimina inde subsecuta sint, quoties misera Roma obsessa, capta, vastata, quod Papa super Papam, sicut Rex supra Regem, positus fuerit, tædet memorare. Deniq; tot mala, tot schismata, tot tam animarum quam corporum pericula, huius tempestatis turbo inuoluit, vt solus ex persecutionis immanitate, ac temporis diuturnitate ad humanæ miseriæ infœlicitatem sufficeret comprobandam. Vnde à quodam Ecclesiastico scriptore, densissimis Ægypti tenebris comparatur.*

His addamus ea quæ idem Otho habet, in prologo libri 7. *Sic & Regnorum mutationes*, &c. vt supra ca. 8. lib. 1.

At laudat Otho Gregorium 7. *Forma gregis factus, quod verbo docuit, exemplo demonstrauit, ac fortis per omnia Athleta, murum se pro Domo Domini ponere non timuit.* Lib. 6. c. 34.

Laudat revera *Gregorium*, non quia *Henricum* depoſuit; ſed quia Simoniacos incontinentes Clericos, hoc eſt vxoratos, & connubia cohibuit; quæ ad ſua vſque tempora in Eccleſia permiſſa ſunt; mala enim illius ſententiæ enim tædio memorat. Cap. 36. lib. 6.

Et cap. 36. *Eccleſia tanto Paſtore qui inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli & authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit.*

Sigebert. ad an. 1074. Si de zelo *Gregorij* intelligas *Othonem*, nimius fuit, & inconſideratus, & cæcus; vtpotè qui plura mala in Eccleſiam invexerit quam bona. *Sacerdotibus magna ratione ſublatæ nuptiæ, maiori reſtituendæ*: Sic Pius 2. *Plat. in Pio. 2.* Qui vero magis Simoniaci, quam Aulici Pontificis? Si de dolore Eccleſię, mala fide retulit *Bellarm.* non enim mors *Gregorij*, ſola cauſa mœroris huius, ſed etiam ſchiſma inter Regnum & Eccleſiam. *Quia ergo Principe ſuo Regnum ab Eccleſia præciſum grauiter percuſſum eſt, Eccleſia quoq; tanto Paſtore, qui inter omnes ſacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli & authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit*: dolor ergo non ex morte Paſtoris tantum, ſed etiam ex ſchiſmate Regni & Sacerdotij.

Otho igitur noſtras agit partes, qui neminem Rege ſuperiorem in temporalibus facit; quiq; Reges ſolius Dei examini reſervat, qui nullis legum pœnis ſubijcit, quiq; mutationes depoſitioneſq; iſtas Papales tanquã multorum malorũ & cladium cauſas improbat. Quique Sacerdotes per omnia culpat, quòd Regnum beneficentia ſua erga Eccleſiaſticos eviſceratum, gladio ſuo, à Regibus conceſſo ferire conentur.

Adhibet Barclaius teſtes quinque, cauſæque ſuæ patronos: *Tertullianum, Ambroſium, Gregorium Turonenſem, Gregorium magnum*, & *Othonem*, Epiſcopum Friſingenſem: plures multos in eundem ſenſum, ipſum etiam *Bellarm.* adduximus cap. 8. quos facile potuit *Barclaius* produce- *Lib. 1.* re, ſi teſtimonijs hominum cauſa hæc terminanda eſſet: verum articulus fidei, non humanâ, ſed divina authoritate nititur. Contrariæ vero partis aſſertorẽ nullum è Patribus producunt, qui diſerte aſſerat Eccleſiam vel Pontificem poſſe Reges & Principes directè vel indirectè deponere.

An veriſimile eſt Patres, qui de ſumma Regum & Principum poteſtate ſcripſerunt, aut negligentes fuiſſe, vt Principes huius poteſtatis Pontificiæ non admonerent, aut hypocritas, vt Principes fallerent, aut ignaros vt hanc poteſtatem non intelligerent; aut timidos fuiſſe, vt non auderent vera Regibus prædicare.

Reſpondet Bellarminus: „ *Non ſcripſerunt diſertè authores Barclaiani, Reges non poſſe ab Eccleſia vel Pontifice, pœnis temporalibus directè vel indirectè coerceri, aut Regno privari, Regnine parte mulctari.*

Etſi non ijſdem verbis, at æquipollentibus hoc ipſum dicunt: id quod

non

non latuit *Bellarm.* & proinde in reſponſionibus ſuis, non negat conſequentiam, ſed loquutos eos de facto non de iure, ſine ratione affirmat; vt in ſingulis ſupra docuimus.

Si diſerte dixiſſent, poſſumus Tertulliano Cyprianum, Irenæum, Sanctum Paulum opponere. Sic Bellarm. 7:

Suadet *Cyprianus*, vt nulla cum talibus (hæreticis ſcilicet) commercia copulentur: ſed commercia prohibet ſpiritualia, non civilia; *nulla eum malis conuinia vel colloquia commiſceantur; ſimus, inquit, ab ijs tam ſeparati quam ſunt illi de Eccleſia profugi.* De Eccleſia, non de republica profugi erant: *Si Eccleſiam contempſerit, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus:* & Ethnici & Chriſtiani in vna Republica ſimul vivebant, in divinis ſeparati, in naturalibus coniuncti. Prohibet ergo *Cyprianus* commercia Eccleſiaſtica, non civilia. *Lib. 1. Epiſt. 3.*

Irenæi verba hæc ſunt. *Tantum Apoſtoli & horum diſcipuli habuerunt timorem, vt neque verbo tenus, communicarent alicui eorum qui adulterauerant veritatem: vti Paulus: Hæreticum hominem poſt vnam correctionem deuita.* Narrat *Irenæus* factum *Ioannis* Apoſtoli, *qui de balneo non lotus exilierat, quod timeret ne concideret balneum, cum intus eſſet Cerinthus inimicus veritatis.* Narrat & reſponſum *Polycarpi*, ad *Marcionem; dixerat Marcion, Cognoſce nos: reſpondit Polycarpus, cognoſco te primogenitum Satanæ*: tum addit verba præcedentia. *Tantum Apoſtoli & horum diſcipuli, &c.* *Lib. 3. cap. 3.*

Apoſtoli & eorum diſcipuli cum ijs qui veritatem adulterauerant, non communicaverunt in ſpiritualibus; in carnalibus cum Ethnicis communicare non refugiebant. Ideo Sanctus *Paulus* ad feſta Ethnicorum ire non prohibet: *Si quis vos vocat infidelium, & vultis ire, omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conſcientiam.* *1. Cor. 10. 27.*

Et neque Apoſtoli, neque Irenæus, alijq; Patres, ſine commercio civili infidelium vivere poterant. Et Catholici cum *Turcis* Ethnicis & barbaris infidelibus incivilibus cõmercia exercere permittuntur. Patres ergo iſti de commercio ſpirituali & ſupernaturali loquuntur, non de commercio naturali & ciuili.

Mala ergo eſt concluſio Bellarm. *Rex ergo hæreticus, ſi id fieri poteſt, ab Eccleſiâ tolerandus non eſt, ſed excommunicandus, & fidelis populus ab eius obedientia remouendus.* Non enim ſequitur, prohibent Apoſtoli & Patres, commercia Chriſtianorum cum hæreticis in ſpiritualibus, Ergo etiam prohibent Chriſtianorum commercia cum Regibus hæreticis in naturalibus & ciuilibus: In promptu ratio eſt: Apoſtoli enim & Patres ipſi commercia cum Ethnicis habuerunt, & alijs Chriſtianis & olim & hodie habere permiſerunt.

S. Ambroſio, Gregorium Nazianzenum opponeremus, qui poteſtatem ſpiritualem animæ, temporalem carni comparauit; & temporalem ſpirituali ſubiecit, vt caro anima ſubiecta eſt. Sic Bellarm. Grego-

Gregorius, non de poteſtate Imperatoris ſed præſidis, nec de poteſtate ſummi Pontificis, ſed cuiuſvis Epiſcopi loquitur: nec poteſt quilibet Epiſcopus Reges, vel eorum Præſides deponere. Similitudo vero in *Bellarminum* retorquetur. Anima non poteſt corpus deponere: ergo Pontifex non poteſt depone regem.

» *Gregorio Turonico opponeremus Gregorium Magnum in priuilegijs;*
» *Si quis Regum, Antiſtitum, &c.*

De illis privilegijs ſæpius diximus, privilegium S. *Medardi* non poteſt eſſe *Gregorij*: nec de depoſitione intelligi poteſt: & frivolæ & inaniſſimæ ſunt depoſitionis cauſæ: vt ſuo loco patebit fuſius. c. 40.

Othoni Friſingenſi Greg. 7 opponeremus; Bernardū, Hugonē de S. Victore.

Bernardus & Hugo de Sancto Victore, noſtri ſunt, vt ſupra ca. 8. lib. 1. docuimus: *Gregorium* in cauſa ſua, nec teſtem, nec iudicem ferendum ducimus. Dignus eſt, qui primus inter teſtes Bellarminianos reponatur, qui primus lanceâ excommunicationis & depoſitionis caput Imperiale ferire auſus eſt. De quo ſupra fuſius ſuo loco. Lib. 1. c. 2.

» *Quinque teſtimonijs veterum, ſeptuaginta teſtimonia, & decem Concilia*
» *opponeremus.*

Et plus valent quatuor illi Patres, *Tertullianus*, *Ambroſius*, *Gregorius Magnus*, & *Gregorius Turonicus* in hac cauſa, quam mille poſt nati Doctores, aut decem millia Senatorum Pedaneorum, qui pedibus potius quam cordibus ſententiam ſuam protulerunt. De quibus tuis locis ſupra dictum eſt ſatis.

8. *Nec ideo Conciliis præſertim Generalibus minus credendū eſt, quia poſteriora ſunt; nam eadē eſt Eccleſiæ, & eadē Conciliorum authoritas ſive priora ſint, ſive poſteriora: Et quemadmodum in Concilio Nicæno poſt annos trecentos, ab aduentu Domini licitum fuit Eccleſiæ Scripturas de Filij Dei conſubſtantialitate declarare, ac illam præcipuè, Ego & Pater vnum ſumus: ſic etiam licitum fuit poſt ſeptingentos annos eidem Eccleſiæ ſcripturas de poteſtate ſummi Pontificis explicare; qualis eſt illa: Quicquid ligaueris, &c.* Hęc Bellarm.

Ecce iam ad caput & cardinem totius cauſæ deventū eſt: Deſunt verba Scripturæ expreſſa & explicita de poteſtate Pontificis in Regibus deponēdis: Deſunt teſtimonia Patrū antiquorū, & Conciliorū Eccleſiæ primitiuæ, quibus inniti poſſit ſtructura ambitionis Papalis. Imo & Scripturæ, & Patres antiqui, & Concilia prima huic immenſæ poteſtati repugnant. Pontifices aliqui ambitione inſtigante, hanc regni dandi & auferendi poteſtatem vſurpârunt de facto: Ius aliquod conquirendum eſt: quia nec Scripturæ, nec Patres, nec Concilia antiqua aſtipulantur; ad poſteriora confugiendum eſt: Magni facienda ſunt Concilia poſteriora. *Gregorius* 1. qui 5. Concilium generale veneratur, quatuor prima tanquam 4. Euangelia ſuſcipit. *Bellar.* prætermiſſis illis antiquioribus, poſteriora duo generalia, tanquam Evangelia adorat; ſcoriā pro auro, paleā pro frumento amplectitur.

Lib. 1. Epiſt. 24.

Late-

Lateranenſe ab *Innocentio*, aut potius à Paraſito aliquo ſub nomine *Innocentij* confictum, factum *Innocentij quarti* in Concilio Lugdunenſi, pro decreto Concilij veneratur: poſteriora Concilia eandem authoritatem in articulis fidei declarandis obtinent, quam priora: eiuſdem ſunt authoritatis, cum primis.

At vide quo tendant iſta; vt ſcilicet Antiquitati valedicamus, omnia pendeant ex judicio præſentis Eccleſiæ: præſens verò Eccleſia ex ſcrinio pectoris Pontificij omnem fidem, leges omnes hauriat: reijciantur oracula antiquitatis, ad oraculum Papale, tãquã ad Deũ ipſum, recurramus.

Quid verò? An eadem vnguenti illius pretioſi menſura in qualibet fimbriæ parte, quę in barbâ, aut in capite Aaronis, effuſa eſt? An eadem Spiritus ſancti menſura, in extremitatibus fimbriæ, in poſtremis mundi ætatibus, quę in capite Chriſto, aut in barbâ, hoc eſt, Apoſtolis, primiſq; Eccleſiæ Præſulibus abundauit? Poſteriora iſta Concilia, Patres & Doctores iſti, poſtuminij iure nati, cum primis illis Concilijs & Patribus non ſunt conferendi. *Quotieſcunquè in geſtis Conciliorum diſcors ſententia inuenitur, illius ſententia magis teneatur, cuius antiquior & potior extat authoritas:* ſic Iſidorus *Illud enim verius quod prius, id prius quod ab initio, id ab initio, quod ab Apoſtolis. Inter cætera Concilia, 4. ſunt venerabiles Synodi, quæ totam principaliter fidem complectuntur; quaſi Evangelia, vel totidem Paradiſi flumina.* Et infra: *Hæ ſunt quatuor principales Synodi, fidei doctrinam pleniſſime prædicantes: ſed & ſiquæ ſunt Concilia, quæ ſancti Patres Spiritu Dei pleni ſtruxerunt, poſt illorum 4. authoritatem omni manent ſtabilita vigore*: ſic Idſiorus; ſic Hugo de ſancto Victore.

Diſt. 50 Cap. Domine ſancto.

Tertull. Lib. contra Martionem.

In præfat. Coll. Canon. apud Merlinum. Erudit. Didaſcal. Lib. 4. Cap. 12.

Prima Concilia fidei doctrinam pleniſſime prædicant, & principaliter fidem complectuntur. Quid opus eſt novis Concilijs poſt mille annos, quę nouos & incognitos fidei articulos cudant? Illud enim in primis 4. Concilijs obſervatu dignißimum eſt: omnes fidei articulos ex Patribus & conſenſu antiquę & Catholicę Eccleſię per ſingulas ętates dilucidè & copioſè probant; eoq; nomine malè ab hæreticis audiunt, quod teſtimonia Patrum non Scripturarum adhibent. Hæretici ad Scripturas, Catholici & ad Scripturas & ad ſenſũ. hoc eſt, ad expoſitionẽ ſiue traditionẽ Catholicam prouocant. Adeoq; poſteriora Cõcilia nouitatis arguuntur quod nouos fidei articulos, nouos Scripturarũ ſenſus excogitãt quos antiquitas ignorauit. At quæ ſunt iſta Concilia, quæ ex Chriſti verbis, *Quicquid ligaueris &c.* hanc poteſtatem Regũ deponendorum colligunt? *Greg. 7.* & *Innocẽt. 4.* hęc verba ad ſenſum ſuum detorquent, ſed omni antiquitate deficiuntur. In decreto fictũ illius Concilij Lateranenſis nulla mẽtio huius loci: In Concilio Lugdunenſi factũ aliquid, at decretũ nihil: & factũ hoc non Cõcilij, ſed Põtificis, quod in Concilio *cum horrore & ſtupore omniũ* geſtũ eſt.

Verba illa; *Ego & pater vnum ſumus*; Concilium Nicęnũ, ſicut & multi antea Patres, de conſubſtantialitate patris & filij juxta ſymbolum Apoſtolorum in-

interpretantur: Verba hæc, *Quicquid ligaueris*, de poteſtate Regum deponendorum intelligunt *Gregorius* 7. & *Innocentius* 4. nec quenquam è Patribus huius ſenſus Authorem producunt, nec hanc poteſtatem quoad materiam in Symbolo Apoſtolorum inveniunt. Hinc eſt quod plurimi è teſtibus *Bellarminianis* pro verbis Chriſti, verba Canonum; Cap. *Alius:* C. Ad Apoſtolicæ; C. Solitæ ſubſtituunt. Poteſtas iſta non de jure diuino, ſed de jure Eccleſiaſtico, vt *Thomas* & eius ſequaces. Quo etiam in numero reponendi ſunt omnes qui ex Canonibus, non ex ſcripturis hanc poteſtatem probant.

Pauciſſimi vero ſunt, obliquæ huius poteſtatis aſſertores, ijque poſtremi, qui verba Scripturarum in ſenſum ſuum detorquent. Qui vero Concilium *Lateranenſe* aut *Tridentinum*, *Nicæno* aut *Conſtantinopolitano conferunt*, næ, illi Soli lucernam, igni ſcintillam, rivulo guttam æquare videntur.

Quod ad nos attinet, malumus antiquorum Patrum, & primorum Conciliorum negligentiam ſequi, quam iſtorum *Lateranenſium* & *Lugdunenſium* Patrum obſcuram imitari diligentiam: Nos antiqua Concilia veneramur; poſteriora veſtra vobis relinquimus

CAP. IX.

Reges ſine Regni & Eccleſiæ detrimento deponi non poſſunt, & Henricus quartus injuſte à Gregorio ſeptimo depoſitus eſt.

1. *In Henrici quarti depoſitione detrimenta maiora emolumentis* 2. *De Concubinarijs & inveſtituris.* 3. *De verbis Othonis:* Lego & Relego. 4. *Sententia Gregorij ſeptimi contra Henricum iniuſta. vbi reſpondetur Concilijs.* 5. *Reſpondetur* 12. *ſcriptoribus, qui hanc ſententiam Gregorij approbant.* 6. *Concilia, & Scriptores, qui hanc ſententiam arguunt iniuſtitiæ.* 7. *Iniuſtitia huius ſententiæ, ratione probatur, ob defectum cauſæ,* 8. *Et ordinis.* 9. *Veræ cauſæ huius depoſitionis.* 10. *Iniuſta probatur ab euentu,* 11. *Et pœnitentia Gregorij.* 12. *Doctrina Auguſtini de excõmunciatione multitudinis.* 13. *Locus Matt. Sinite vtraq; creſcere explicatur.*

1. VIres non defuiſſe Eccleſiæ, quibus *Conſtantium*, *Julianum*, *Valentem*, hæreticos imperatores deponeret, præcedentibus duobus proximis capitibus, contra *Bellarminum* demonſtrauimus. Vires non defuiſſe *Ambroſio*, quibus *Valentinianum* juniorem hæreticum regno deturbaret, agnoſcit *Bell.*

In

In hoc Cap, controuertitur, an Ecclesia sine detrimento populi potuerit parte Regni *Leonem Isauricum*, Regno integro *Childericum* & *Henricum* quartum mulctare; quæ secunda pars est rationis Romulianæ.

De Leone Isaurico & Childerico, quos parte, vel toto Imperio mulctatos scribit Romulus, nihil respondet Barc. Neutrum enim horum factum est Ecclesiæ, sed Populi & Reipub. Pontifex *persuasit* vt Itali vectigalia *Leoni* non penderent. *Zacharias consuluit*, aut (quod maximum est) *consensit* in gratiam *Pipini*, vt Proceres & Populus *Childericum* detonsum, Regno, vel potius nomine Regio privarent; tota enim potestas Regia penes *Pipinũ* erat. Quia ergò nulla in his forma, nulla sententia depositionis Papalis, ideò hæc exempla, tanquam extrà oleas silentio prætermittit, ad *Henricum* quartum se accingit. Interim maiori ratione *Bell.* eiusdem omissionis reus, de *Philippo Pulchro* nihil respondit.

Tertium exemplum addit *Bellarminus*: vt ternarium numerum impleat. *Leo* tertius transtulit Imperium à *Græcis* ad *Francos*, sine detrimento Populi.

De translatione Imperij suo loco dicturi sumus: Interim vt Lectori satisfaciamus, duo præmonenda duximus. 1. *Carolus* Imperator dictus est à *Senatu, Populoque Romano, non à Pontifice solo*: Pontifex inungit, non confert Imperium, nec habet quod conferat. Sed si vel vnguentum effundat, aut missam celebret Pontifex, statim Imperium vel Regnum cõferre dicitur. Imò ipse Principatum Italiæ rapit, nomen & titulum *Carolo* confert. 2. Hâc Imperij translatione nihil præter nomen *Carolo* accessit; totum quod obtinebat Imperium *Carolus*, anteà jure belli, vel consensu populi acquisiuerat. In *Græciâ* vel vnam prouinciolam, nec Pontifex nec Populus Romanus dare poterat: Nomen ergò & titulum Imperatoris Romani transtulit, vel veriùs contulit, siue Pontifex siue Populus Romanus: & nomina sine Populi detrimento facile dantur. *In conclusione.*

De *Henrico* 4. respondet Bell. *Detrimenta aliqua Populum Christianum accepisse, sed emolumenta maiora detrimentis fuisse, &c.*

Atq; hic iterum confitentem habemus reum *Bellarminum*. Potuit *Sanctus Ambrosius* sine detrimento populi *Valentinianum* deponere, sic Cap. 8. Populus Christianus aliqua detrimenta accepit ex *Henrici* excommunicatione; falsa ergò ex vtraque parte est responsio *Francisci Romuli*: Non deerant vires, quibus Ecclesia *Valentinianum* deponeret; & deerant vires, quibus Ecclesia *Henricum* 4. deponeret; quia sine aliquibus detrimentis non est depositus.

Obseruet vero Lector *Proteum* istum, quam facilè in aliam formam sese transmutet. Quæstio erat, An Ecclesia à depositione *Constantij, Iuliani, Valentis* & *Valentiniani* abstinuerit, quia vires deerant: *Henricum* verò, *Fredericum, Ludovicum*, alioquè deposuerit, quia vires aderant.

De

De prioribus conatur probare, vires Eccleſiæ defuiſſe quo ſucceſſu iudiceet Lector. De poſterioribus verò, quià luce clarius eſt vires Eccleſiæ defuiſſe, ideoque illos verbo tenus, non reipsâ depoſitos fuiſſe; ideò mutat ſtatum quæſtionis; à viribus ad detrimenta confugit; quià verò detrimenta ex hujuſmodi depoſitionibus conſequi nemo negare poteſt, ideo à detrimentis ad emolumenta ſe confert. Gnauiter impudentem & inconſtantem eſſe oportet, qui hanc cauſam Pontificiam agat. Quid enim? Annon deerant vires Eccleſiæ, quibus *Henricum*, *Fredericum*, *Ludouicum*,, alioſq; deponeret, cum ſine detrimento & Eccleſiæ & Reipublicę, imò verò cum detrimento Eccleſiæ & Reipublicæ deponi non potuerint? ſed in Imperio mortui ſunt, & Imperia ſua hæredibus & ſucceſſoribus ſuis reliquerunt. Vires ergò deerant, detrimenta, aderant; bella, ſtrages, lanienæ, ſubſecutæ ſunt; hi ſunt fructus huius vſurpationis Papalis.

At detrimenta aliqua, hoc eſt, exilia & exigua, nullius ponderis, nullius momenti ſubſecuta ſunt.

Chron. l. 6. c. 36. Imò verò maxima; *tot mala, tot Scbiſmata, tot tam animarum quàm corporum pericula, huius tempeſtatis turbo involuit, vt ſolus ex perſecutionis immanitate ac temporis diuturnitate, ad humanæ miſeriæ infelicitatem ſufficeret comprobandum.* Sic Otho Friſingenſis. *In tantum excreuit hoc malum, vt Apoſtolica cenſura pro nihilo haberetur, &c.* ſic Dodechinus: *Romana ſedes adhuc hodie luit factum illud:* ſic Helmoldus.

Dodechinus in Append. Mariani 1106.

Helmoldus C. 33.

Maxima ergò detrimenta, quia non Ethnici in Chriſtianos, ſed Papa in Papam, Papa in Imperatorem, Imperator in Papam, Imperator in ſubditos, ſubditi in Imperatorem, Clerici in Clericos, Clerici in Laïcos, Laïci in Clericos, Chriſtiani in Chriſtianos, in Patrem filij; in viſcera ſua quiſque ſæuiebat. Strages hæc *Epitome* quaſi & *ſumma* omnium malorum & miſeriarum quas vnquam pertulit Eccleſia. Et tamen *Bell.* detrimentum hoc aliquid eſt, exiguum, exile & contemnendum.

„ *At emolumenta maiora detrimentis fuerunt: Detrimentum nõn patitur, qui iacturam facit ſeminis, quod ſeminando ſpargit in ſulcos, ſi tempore meſſis multiplicatum cum exultatione reportet.* ſic Bell.

Quid hoc eſt? Multæ animæ in inferno dimerſæ, vt Pontifex inveſlituras relumeret. *Sanguis Martyrum ſemen Eccleſiæ*; an & ſanguis tot Pontificiorum & Imperialiſtatum ſemen itidem Eccleſiæ? An ſicut ex perſecutione tyrannorum aucta eſt Eccleſia, ſic itidem ex bellis pluſquam ciuilibus Chriſtianorum aucta etiam eſt Eccleſia, an verò ad internecionem vſquè perducta? Annon propter auaritiam & tyrannidem Eccleſiæ Romanæ, & olim Eccleſia Græcorum, & hodie multa Regna, Reges multi, magna ſcilicet pars Eccleſiæ Occidentalis ab Eccleſiâ Romanâ ſeceſſionem feceruut? *Diuiſio noſtra vnitatis proceſſit à tyrannide veſtra oppreſſionis, & exactionum Romanæ Eccleſiæ, quæ de matre facta nouerca, ſuos,*

quos

quos diu educauerat, more rapacis volucris pullos expellentis, filios elongauit: sic *Mat Pariſ. in Henrico tertio ad annum* 1237. *in Epiſt. Germani.* Principes Chriſtiani nunquam ab Eccleſiâ Romanâ deſeciſſent, ſi jugum hoc poteſtatis temporalis aliter excutere potuiſſent: Principes Chriſtiani paritatem Eccleſiaſticam nunquam admiſiſſent, ſi Hierarchiam Eccleſiaſticam intolerabilem prius perpeſſi non eſſent. Poteſtas hæc temporalis, vt corpus eſt *Aſahelis*, omnes Catholici qui tranſeunt per locum illum, per poteſtatem illam ſubſiſtunt: nunquam coibunt Chriſtiani in vnum, antequam corpus hoc emortuum *Aſahelis*, poteſtas hæc languida, è medio tollatur. Hæc ſunt emolumenta detrimentis maiora. Quæ verò ſunt emolumenta majora? Duo recenſet Bell. *Concubinarios & Simoniacos ex Eccleſiâ eiecit, & quod omnium difficillimum, inveſtituras Epiſcoporum è manu Laica extorſit.* 2. Reg 2. 23.

Hoc quidem eſt, *faſtum Platonis maiore faſtu conculcare*: pro concubinarijs, id eſt conjugatis Presbyteris caſtis, ijſq; paucis, introducti ſunt adulteri, & fornicarij Epiſcopi, Sacerdotes, Monachi, Moniales, innumerabiles: pro Simoniacis Laïcis in Aulis Principum paucis, introducti ſunt & Pontifices & Cardinales, & Curiales, & Epiſcopi, & Sacerdotes plurimi; pro inveſtituris Epiſcoporum introductæ ſunt proviſiones, Gratiæ expectatiuæ, diſpenſationes & facultates Papales, (quibus obruebatur Eccleſia, & Epiſcopatus alienigenis Romæ degentibus dabantur) contra quas, & *Sanctio pragmatica* in Franciâ, & in Angliâ lex quæ vulgo *Præmunire* dicitur, necnon in alijs Regionibus aliæ itidem leges ſalubres, latæ ſunt; quibus contrà vſurpationes Papales cautum eſt. Igitur hæc nemo ſanus emolumenta dicet.

Miror verò, quid Cardinali in mentem venerit, quod emolumenta detrimentis maiora dixerit. *Tot mala, tot ſchiſmata, tot tum animarum quam corporum pericula &c.* Hæc recenſet *Otho*. Quid enim? Annon altera pars huius ſchismatis excommunicationis vinculo innodata ab Eccleſiâ præciſa eſt, & æternæ damnationi propter impœnitentiam addicta? Siue illa fuerit pars *Gregorij*, vt nos; ſiue *Henrici quarti*, vti vos, parum refert. Iuſta cauſa niſi vnius partis eſſe potuit; juſtum ergo bellum niſi vnius partis, ſiue illius, quæ Regem ſuum deponere, ſiue illius quæ rebelles ſuos in ordinem cogere voluit. Qui ergò ex alterâ parte propter injuſtitiam ſuam, ſorte belli interierunt, quorum numerum maximum fuiſſe nemo ambigere poteſt; illi omnes in flagranti crimine, in actu rebellionis & peccati ſui, mortui, æternâ pœnâ juſto DEI judicio caſtigantur.

Quæ ſunt ergò detrimenta? Præter infinitas miſerias orbis Chriſtiani, hoc vnum inſigne eſt: infinita millia animarum in Gehennam occaſione huius depoſitionis detruſa ſunt. Quæ ſunt emolumenta? Expulſi ſunt Concubinarij, id eſt, Clerici conjugio legitimo copulati; excluſi ſunt Simona-

moniaci ex aulis Principum, vt in Curiâ Romanâ regnarent: Inveſtituræ è manu Laïca extortæ ſunt, vnaq; Proviſiones & Gratiæ expectatiuæ in multa Regna Chriſtiana introducta ſunt. An maius hoc eſt emolumentum, quod Eccleſia à cõjugatis Clericis liberetur, adulteris verò abundet; quod Simoniam è Repub. in Eccleſiam tranſtulerit quod inveſtituras extorſit, vnáq; proviſionibus & Gratijs expectatiuis abundauerit? An vero maius eſt hoc detrimentum, quod ſummam & Epitomen omnium miſeriarum in Eccleſiam & Rempublicam ſimul introduxerit, vnaquè multas animarum Chriſtianarum myriadas ad infernum miſerit, æternoquè ſupplicio addixerit. Homini càrnali, Monarchiam temperalem, Regnum mundi ſomnianti, maius eſt lucrum, Sceptra Regum pedibus conculcare; Regna mundi cum Principe mundi dare & auferre; quam multas animarum myriadas lucrari, & è Regno *Satanæ* in Regnum *Chriſti* transferre. At homini ſpirituali Regna & diuitias mundi pro *Chriſto* contemnenti, maius lucrum eſt, vel vnam animam è laqueis Diaboli liberare, quam totum mundum lucrari. *Quid enim proderit totum mundum lucrari, animæ verò ſuæ, aliarumque multarum detrimentum facere?* Cauteriatam habet conſcientiam qui poteſtatem dandi & auferendi Regna mundi, animarum ſaluti præferendam cenſet.

Matth. 16.

„ *At Inveſtituræ Epiſcoporum, iuxta Canones octauæ Synodi à Laicis ſumenda non eſt.*

Edidit *Matthæus Raderus* Ieſuita Canones octauæ Synodi Græco Latinos Anno 1604. de quibus teſtatur; Non plures Canones numerantur in Græcis codicibus: in illis verò Canonibus nihil tale de Epiſcoporum inueſtituris habetur.

Actor. 10.

In fragmentis Canonum à *Surio* collectis, de electione ſiue promotione Epiſcoporum mentio eſt, de inveſtituris altum ſilentium: *Electio ſiue promotio ad Collegium Epiſcoporum pertinet: Principes & Potentes ſilere & attendere debent, vſquequò regulariter à Collegio Eccleſiæ ſuſcipiat finem electio futuri Pontificis.* De Electione, quin etiam de conſecratione cautum eſt, ne ſe intromittant Principes: De Inveſtiturâ per annulum & baculum nihil cautum eſt.

Can. 25.
Can. 12.

Adrianus vero Papa Romanus, cum vniuerſa Synodo (Lateranenſi 153. Epiſcoporum) tradiderunt Caroloius & poteſtatem eligendi Pontificem, & ordinandi ſedem Apoſtolicam.

Diſt. 63. c. Adrianus.

Et infra: *Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias ab eo inveſtituram accipere definiuit; vt niſi à Rege laudetur & inveſtiatur Epſicopus, à nemine conſecretur, ſub pœna Anathematis: Quod Decretum à Leone in Synodo Romæ congregata, Ottoni primo confirmatum eſt.*

C. In Synodo.

Nequè verò nouum hoc eſt ius Imperatorum, ex *Adriani* conceſſione acquiſitum: *Tunc primum tutela Romani Pontificis, à Conſtantinopolita-*

nis

pis Imperatoribus ad Carolum Magnum Imperatorem & eius ſucceſſores, quorum eſt confirmare electionem, tranſlata eſt. Sic Arnoldus Pontacus in Chronographia, ad annum 794. Quinetiam *Gregorius* ipſe, qui circà Epiſcoporum Inveſtituras tantas inter Eccleſiam & Regnum turbas cõcitavit, *nulla vnquam ratione adduci potuit, vt conſecrari vellet & coronari, donec Imperatoris & Principum ſuper electione ſuâ exquireret voluntates* vt *Lambertus*; & *Onuphrius*: Et *Sigonius* de Regno Italiæ. *Arnol Pontacus.* *Ad an.1073.* *In vita Grego.7.* *L.9.1072.*

Vrget Barclaius verba Othonis Friſingenſis: *Lego & relego Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio quenquam eorum ante hunc â Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno privatum: niſi forte quis pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breve tempus inter pœnitentes collocatus, & Theodoſius à B. Ambroſio propter cruentam cedem, à liminibus Eccleſiæ ſequeſtratus ſit.* De priuatione Regni exemplum nullum; de excommunicatione exempla duo, non vera, ſed quæ verorum ſpeciem habent. 3.*

At Otho legendo & relegendo non invenit omnia: Nam Archadium Innocentius primus propter electionem Chryſoſtomi excommunicauit, vt Nicephorus L.13.C.34. cuius etiam meminit Gregorius.7. in Epiſt. ad Epiſcopum Metenſem. ſic Bell. „ „ „ „

Fabulas quæ de Archadio, Anaſtaſio & Leone circumferuntur, non moror: ſic Onuphrius ex his verbis *Othonis Lego & Relego.* Verum quod *Onuphrio* fabula, hoc *Bell.* veritas eſt: imo quod *Socrati, Sozomeno, Theodoreto* ignotum & proinde fabuloſum, quià circa illa tempora ſcripſerunt, hoc *Bell.* verum & exploratum. At vnde certum & exploratum? Ex *Nicephoro*, homine Græco, Græcâ fide: qui per 1000. ferè annos, *Socrate, Sozomeno, Theodoreto*, iunior, ea quæ in Eccleſiâ Romana geſta ſunt, rectius nouit, quàm coætanei fere & contemporanei *Archadij* & *Innocentij*. *In vita Grego.7.*

In hiſtoria veritate multa habet digna quæ præcaveantur; ſic de *Nicephoro* Poſſevinus. Sed huius fabulæ vanitatem docet Bulla ipſa: Ex *Socrate*, enim *Lib.6.cap.*17.18. *et* 19. conſentientibus omnibus alijs Hiſtoricis, *Eudoxia* eodem anno moritur, quo *Ioannes Chryſoſtomus* in exilium *deportatus* eſt: 4. ſcilicet die poſt grandinem magnitudinis inuſitatæ: 3. poſt anno, *Honorio* ſeptimùm & *Theodoſio* ſecundùm Conſulibus, moritur in exilio *Chryſoſtomus*. Audi vero Bullam Nicephorianam. *Verum accipiet illa* (Eudoxia) *& præſentem hic pœnam, & futurum ſempiternum ſupplicium non poſt multos hoſce dies ei adveniens tametſi enim Beatus Ioannes vitam reliquit &c.* Ioannes ergò Chryſoſtomus mortuus erat, *Eudoxia* in viuis erat juxtà Bullam; juxtà vero hiſtoriæ veritatem, *Ioannes Chryſoſtomus* poſt mortem *Eudoxiæ* tribus annis ſupervixit: falſa ergo Bulla *Nicephori*. *In Apparatu.*

Quinetiam non tam excommunicatio eſt quam ſuſpenſio à communione

Henrici 4. depoſitionem conſecuta ſunt: *Roma obſeſſa, capta, vaſtata, Papa ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus eſt: tot mala, tot Schiſmata*, &c. vt ſupra Cap præcedente.

Reſpondet vero: *Prædicationem Euangelij ſubſecutæ ſunt perſecutiones grauiſſimæ, ſtrages Sanctorum toto orbe factæ ſunt innumerabiles. Quæro an Euangelium cum detrimento, an cum ſalute populorum prædicatum ſit? carnalibus oculis videtur Euangelium non ſalutem, ſed perniciem attuliſſe, at mentis oculo fidei lumine repurgato, apparet Idololatriam de mundo pulſam, Eccleſiam propagatam, Martyres coronatos, omnia bona per Euangelium ad nos veniſſe. Tale aliquid accidit Eccleſiæ, cum Papa Gregorius Henricum Imperatorem excommunicatione coercuit.*

Articulus iſte de Regum depoſitione maximus & præcipuus in Synodo Bellarminiana: Supra Capite octauo: declarationem huius poteſtatis cum declaratione Nicænâ de Deitate & Con ſubſtantialitate filij confert: hîc totius Euangelij prædicationi comparat; ſed perperam & iniquè. In primâ Evangelij prædicatione, Eccleſia infinitas & innumerabiles perſecutiones perpeſſa eſt: In Regum depoſitione infinitas & innumerabiles perſecutiones Eccleſia mouit: tunc Reges terræ conſpiraverunt contra Eccleſiam, nunc Eccleſia contra Reges Eccleſiæ filios, conſpirauit: tunc Reges Ethnici Eccleſiam vexabant, nunc Eccleſia Reges Chriſtianos peſſundat. Et beata olim Eccleſia quæ perſecutionem patiebatur, quomodo verò nunc beata & non potius maledicta malignantium Eccleſia, quæ filios ſuos perſequitur: quæ ſtrages olim paſſa eſt, jam ſtrages facit; quæ Martyrio olim coronata eſt, jam Martyrio coronat. Inter Primitiuam ergò illam, quæ ſub gladio, & poſteriorem hanc, quæ gladio materiali ferit, nulla comparatio ſimilitudo nulla.

Cæterum obſeruet Lector, quomodo hîc etiam mutetur ſtatus quęſtionis; quęro inquit, an ſine detrimento, an cum ſalute populorum Euangeliũ prędicatũ ſit? ſupra controvertebatur, an deeſſent vires ad *Conſtantium, Julianum, Valentem, Valentinianum* juniorem deponendos. Deerant vires, quia ſine populi detrimento deponi non poterant, ſic *Romulus*. Detrimentum hoc loco, jactura eſt temporalis, ſed cum lucro ſpirituali.

Reſpondet hic Bellarminus: *Detrimentum hoc temporale, quo Apoſtoli Martyreſque exilio, fame, tormentis, morte denique ipſa conſummantur, non eſt detrimentum, ſed ſalus populorum, Euangelium non perniciem, ſed ſalutem populis affert: Detrimentum affert, temporale, at lucrum æternum.*

Quid hoc ad propoſitum noſtrum? Depoſitio *Conſtantij, Juliani, Valentis* ſine detrimento temporali fieri non poterat, cum lucro ve-

ro ſpirituali fieri poterat, quià ab hęreticis perſecutoribus hoc facto liberandi erant. Eadem ratione *Henricus*, *Fredericus*, & *Ludovicus*, cum detrimento temporali & lucro ſpirituali & æterno deponi poterant, ſi vires non defuiſſent.

Cum ergo, quæritur, an ſine populi detrimento depoſitus fuerit *Henricus*, dupliciter peccat *Bell.* hac reſponſione; 1. agnoſcit detrimentum temporale de quo inſtituitur quęſtio; ſic cauſam prodit amiciſſimi ſui *Romuli*. 2. pro reſponſione Categorica comparatiuam ſupponit: Eſt detrimentum temporale, ſed lucro & emolumento ſpirituali non conferendum: majus eſt lucrum quam detrimentum, proinde detrimentum hoc ne detrimentum quidem eſt.

Sequamur igitur *Bellarminum*: Lucrum hoc ſpirituale quale eſt? Ad prædicationem Euangelij Idololatria pulſa eſt, Eccleſia propagata, Martyres coronati: bona omnia cum Evangelio venerunt: Ad propagationem huius poteſtatis temporalis, in Regibus deponendis, Turciſmus invaluit, Eccleſia ſciſſa eſt, per excommunicationes & anathematiſmos, altera pars Sathanę, & æternę perditioni tradita; ſancti omnes hinc inde deturpati, mala omnia, imò extremitates omnium malorum & miſeriarum vna cum hac poteſtate invaluerunt, *tot tam animarum quam corporum pericula*, inquit *Otho*: vt damnum ſpirituale multis parasangis damnum & detrimentum ~~corporale ſiue~~ temporale ſuperet. Prædicatio Evangelij ſalutem animarum, prædicatio poteſtatis temporalis perniciem animarum invexit. Namque, *Hinc in Eccleſia ſcandala, & in Regno augeſcunt diſſidia.* Sigebert. Anno 1088. *Et huius ſchismatis occaſione* (mundus) *ad deteriora declinat, omnem Dei ac hominum poſt tergum dederat reuerentiam*: Gulielmus Tyrius Lib. 1. Belli Sacri Cap. 13. Nihil ergo tale in depoſitione *Henrici*, quale in prædicatione Euangelij: Væilli qui bonum malum, ſalutem perniciem dixerit.

41 Sequitur jam ſententia Barclaij de toto hoc facto *Gregorij ſeptimi* in *Henrici quarti* depoſitione. *Fieri poteſt vt bono animo fecerit Gregorius* (DEVS *de intentione iudicet:*) *at fieri non poteſt vt rectè & prudenter & ex officio fecerit, quin & largiter erraverit more & conſilio humano*: &c.

» Stomachatur *Bellarminus*: quod auſus ſit *Barclaius* in Chriſtum Do-
» mini & ſuum atq; omnium Chriſtianorum Iudicem ſententiam ferre.
» *Sententia* BARCLAII *falſa & temeraria eſt, ne dicam ſacrilega &*
» *blaſphema.*

Si hoc evicerit *Bell.* nemini mortalium licere de factis ſummi Pontificis judicare, actum eſt de cauſa noſtra. Verum in cauſa ſua Pontifices nec Iudices nec teſtes idonei ſunt; adeoque de factis eorum judicare licet, & diſputant & judicant quotidie Scriptores Scholæq; veſtræ; & ſic judicant, vt hoc ipſum factum multi vnâ cum *Barclaio* redarguant, vt ſta-

tim

tim apparebit. Iudicem ſuum & Chriſtianorum omnium habet *Barclaius*: vnaque omnes nos incœlis, *Chriſtum Domini, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*: Iudicium Pontificis judicium eſt humanum, quod non curat Apoſtolus: 1. Cor. 4. 3.

Verum quo jure dicitur Pontifex veſter *Chriſtus Domini*? Cum docueris doctiſſimum, & nunquam ſatis laudatum Epiſcopum Elienſem: Vbi titulus hic *Chriſtus Domini* in ſacra pagina Pontifici aut Sacerdoti datur, tum de Pontifice, tanquam de Chriſto Domini reſpondebimus.

Et vnde hoc priuilegium, vt de Pontifice veſtro nemini liceat ſententiam ferre. Forte Pontifex *Bellarmino*: *Solus ſpiritualis ille eſt qui omnia* 1. Cor. 2. 15. *dijudicat, & a nemine iudicatur. Bellarminus* ergo & omnes Con-Cardinales, Co-epiſcopi, Con-ſacerdotes eius, animales ſunt, & ſpirituali opponuntur, in carne & cæno volutantur, ſpiritum non acceperunt, ſpirituales non ſunt, de Pontifice judicare non poſſunt. Et tamen *Spiritus Prophetarum Prophetis ſubditi ſunt*; aut ergo Spiritum Dei Pontifex non 1. Cor. 14. 32. habet, aut Propheta non eſt, aut Prophetis ſubditus eſt. *Propheta dicant & cæteri dijudicent*; judicio ſaltem diſcretionis, etſi non judicio juriſdictionis. Tantum vero abeſt vt ſententia *Barclaij* de injuſta *Henrici* quarti depoſitione ſacrilega ſit & blaſphema, vt & veram, & ſummâ cum deliberatione prolatam, & infirma *Bell.* argumenta, & rationes *Barcl.* aliorumq; facilè oſtendant.

1. Sententiam *Gregorij* de *Henrici* 4. depoſitione juſtam eſſe probat « *Bellarminus*: *quia ab omnibus Epiſcopis, qui in Concilio Romano cum illo* « *ſederunt probata eſt: omnibus conſentientibus & laudantibus, vt ſupra, de* « *ſententia Conciliorum.* «

Gregorius à *Rolando* vel *Eberardo* excommunicatus, ſolus nomine ſuo non Concilij *Henricum quartum* excommunicat & deponit; conſentientibus & laudantibus omnibus, vt ſine Authore *Bellarminus*, ſed, vt Fragmentum Hiſtoriæ Franciæ à ROBERTO ad mortem PHILIPPI Regis: *Quo nolente Imperium deponere, contra voluntatem totius pene Concilij eum excommunicauit. Præter voluntatem & Conſilium Cardinalium extra ordinem iudicandi Sacris Canonibus determinatum, Imperatorem in nullâ Synodo Canonicè accuſatum, precipitanter excommunicauit: in quâ excommunicatione, nullus Cardinalium ſubſcripſit.* Benno. *Benno* in vitâ *Hildebrandi*. Concilium ergò non probauit hanc ſententiam quæ contrà voluntatem totius penè Concilij lata eſt. *Fragmentum Hiſt. Gallica.*

2. *Quinque Succeſſores Gregorij ſententiam confirmant: Victor* 3. *in* « *Synodo Beneuentana; Vrbanus* 2. *in Synodis Beneventanâ & Placentinâ:* « *Paſchalis* 2. *in Concilio Romano, Gelaſius* 2. *in Synodis Colonienſi & Fri-* « *teſlarenſi: Calliſtus* 2. *in Concilio Rhemenſi.* «

De his Concilijs & Pontificibus ſuperius Cap. 7. Lib. 1. ſatis dictum eſt: Inde petat Lector, quæ fuſius à nobis ibidem expoſita ſunt. Illud

generaliter obseruandum duximus. In sententiâ *Gregorij* 7. multa fuerunt; Excommunicatio *Henrici*, depositio *Henrici* : Canones de investituris Episcoporum à Laïcis non sumendis: Canon de Clericis vxoratis eijciendis. De investituris Episcoporum non est dubium, quin ab his Pontificibus in his Concilijs confirmata sit sententia *Gregorij* 7. quæ posteà hæresis *Wecilonis* & *Henriciana* dicta est.

Henricum quartum in Concilijs, Beneventano à *Victore* 3. Beneuentano, & *Placentino*, & *Claromontano*, ab *Urbano* 2. *Romano* à Paschali secundo excommunicatum fuisse nemo negat: at in Concilijs istis nulla mentio depositionis.

In Concilijs Colonienſi & Friteslarensi, sub *Gelasio* secundo & Rhemensi, sub *Calisto* 2. excommunicatus non est *Henricus* 4 quia mortuus: *Henricus* quintus excommunicatus est, nec tamen vnquam depositus esse dicitur. Proinde in his Concilijs non est confirmata sententia *Gregorij* septimi quoad depositionem Henrici 4. sed quoad investituras : Et quæstio inter *Barclaium* & *Bellarminum*, non de investituris Episcoporum, sed de depositionibus Regum instituta erat. Secundum ergò hoc argumentum nullum est: & schismatica erant hæc Concilia, non libera: pedanei erant Senatores in verba Pontificis jurati, quorum testimonia in hac causa magni habenda non erant.

5. Sequitur tertium argumentum *Bell.* Authoritas Scriptorum qui hoc factum *Gregorij* approbant.

Ad ann. 1075. Inter hos primus est Marianus Scotus; *Gregorius, inquit, querimonijs* „ *& clamoribus Catholicorum iustis, adversus Henricum & scelerum eius* „ *immanitatem auditis, zelo Dei accensus iam dictum Regem excommuni-* „ *cátum pronuntiat, maximè propter Simoniam : quod factum Catholicis vi-* „ *ris bene placuit, Simoniacis verò & fautoribus Regis nimium displicuit.*

Et *Marianus* iste vnus ex parte *Gregorij*; vtcunque historicus fidelis, certè Theologus non bonus : seditioni populari, & rebellibus fauens præter æquum & bonum. Non solum enim rebellionem Saxonum, Rodolphiquè vsurpationem post latam *Gregorij* sententiam, sed etiam eorundem Saxonum perduellionem tempore *Alexandri* Prædecessoris *Gregorij*, sine sententia, aut excommunicatione vel depositione Papali motum laudat approbarquè : verba eius sunt. *Quod audiens predictus* OTTO *dux, grauius quam credi potest, dictum Regis susceptit, colloquiisque Principibus Saxoniæ, rebellare omnem simul fecit provinciam, & merito, &c.* Dignus est qui inter testes Bellarminianos recenseatur: laudat enim rebellionem & perduellionem Saxonum contra Regem nondum excommunicatum, nondum depositum : Non tamen de depositione sed de excommunicatione solum loquitur Marianus.

2. Est Lambertus Schafnab. Laudat *Greg.* cõstantiam & invictum adversus auaritiam animũ: & tamẽ *vir erat vehementis ingenij & acris vt ipse*

Lam-

Lambertus. Narrat signa & prodigia, preces & orationes, *Gregorij* facta vel potius ficta, aut Diabolica (Necromantiæ enim peritum fuisse testatur *Benno Cardinalis*:) Narrat historiam *Gulielmi* Episcopi Trajectensis, desperantis, quod *Gregorio* graues contumelias irrogâsset; *In hanc vocem, vt asserunt, sine communione, sine vlla satisfactione expirauit*: vt asserunt; ex relatione ista, non ex scientiâ narrat: *Lambertum* verò *Gregorij* partibus fauisse manifestum est; adeoquè fides ei in hâc causa vt partibus Pontificijs addictiori quam par est, non est habenda. Verum admittamus omnia quæ ex *Lamberto* proferuntur; sit *Sanctus*, sit *adversus anaritiam invictus*, sit *prodigijs & signis clarus*; desperet *Trajectensis*, quod Pontificis innocentiæ detraxerit: quid hæc ad depositionem *Henrici*? Homo fuit *Gregorius*, labi & errare potuit: nihil producit ex *Lamberto*, *Bell.* quo probet sententiam *Gregorij* de depositione *Henrici*, *Lamberto* probatam fuisse: sic contra nos nihil dicit. *Anno 1073.*

3. Est Anselmus Cantuariensis noster; *Scienti breuiter loquor. Si certus essem prudentiam vestram non fauere successori Iulij Cæsaris, & Neronis & Iuliani Apostatæ, contra successorem & vicarium Petri Apostoli, libentissimè vos vt amicissimum & reverendissimum Episcopum salutarem. Ecce* (inquit Bell.) *Henricum 4. Iulio Cæsari & Neroni & Iuliano, persecutoribus Ecclesiæ comparat.* "

Anselmus Præsul grauissimus, sed quia Coepiscopum suum salutare recusat, parum charitatiuus. De hâc causa sine charitate loquitur, & proinde, vt testis idoneus non audiendus, quia partibus *Gregorij* se stare apertè profitetur. At *Henricus quartus* Successor *Iulij Cæsaris*, *Neronis* & *Iuliani*, contrà Vicarium *Petri* Apostoli. Successor reverâ & *Cæsaris* & *Neronis* & *Iuliani*; vt & *Constantini* & *Constantis* & *Theodosij* & *Arcbadij* & *Honorij* & *Caroli*, aliorumquè piorum Imperatorum, si jus spectemus: Verum non successit *Iulio Cæsari* in Ethnicismo, non *Neroni* in Christianorum persecutione, non *Iuliano* in Apostasia, in eâdem fidei professione & vivit & moritur, quâ & ipse & Sancti omnes, renati sunt. At multos Christianos debellauit, sed eos Imperio Romano subditos, sibiquè rebelles; quorum omnium causa fuit ambitio Papalis, qui nullis alijs conditionibus pacem cum Imperatore facere voluit, nisi Regnum & Imperium sibi à Deo & naturâ concessum derelinqueret. Quia verò rebelles subditos in ordinem armis cogit, Persecutor dicitur.

Præterea *Anselmus* totus quantus quantus, pro libertatibus & priuilegijs & immunitatibus Ecclesiæ stetit; idcò & sub *Gulielmo Rufo*, & *Henrico primo* in exilio diu vixit: Investiturarum Laïcarum, & Clericorum conjugatorum hostis acerrimus; vt omnibus notissimum est. *Waleramus* verò contra *Gregorium* investituras Laïcorum scripto defendit: fauebat ergò *Henrico* in investituris Episcoporum *Waleramus*: huic circa investituras adstsatur *Anselmus*: potest ergo non sine ratione hæc sententia

Anselmi circa *Henricum* de investituris intelligi non de Imperij priuatione, de qua iam quæstio instituitur.

Præterea *in Epistola octaua* quam citat Bell. nulla est mentio sententiæ huius Gregorianæ de depositione Henrici : meminit quidem sententiæ, *Gregoriana de Clericis coniugatis*, eamque in hac parte approbat, sed de depositione & investituris ne verbum quidem. Quinetiam *Dodechinus* qui summam huius Epistolæ collegit, nec de investituris, nec de depositionis sententia mentionem facit.

Quæ verò fuerit sententia Anselmi in causa depositionis ipse ostendit, in Mat. 26. *Nota duos gladios esse in Ecclesia; alter materialis, alter spiritualis : sed spiritualis non nisi volentes, materialis verò etiam cogit nolentes : plures enim gladio quam stolâ coguntur in Ecclesiâ. Sunt & Ministri seculares, à quibus temporalia : & spirituales à quibus debent tractari spiritualia : Datur ergo materialis gladius carnalibus, spiritualis autem Ministris spiritualibus, sed sicut non conuenit Regibus quod ad stolam pertinet, sic nec Episcopus quæ Regis sunt exigere debet. Quod quia Petrus, qui figuram spiritualium gerit, materialem gladium quodãmodo exercuit, dum auriculam serui amputauit à Domino increpari meruit : vnde subdidit, conuerte gladium tuum in locum suum &c. quasi diceret ; cesset vindicta & exhibeatur patientia, vt patientiam nostros doceamus, non vindictam.* Eccè juxta *Anselmum* vindicta corporalis, gladius materialis, coactio externa ad Ecclesiã non spectant sed ad Regnum. Quinetiam *Anselmus* læsæ fidelitatis reus peragitur à Rege Angliæ, quòd *Vrbanũ* præter licentiam Regis Papam appellâsset, tempore schismatis quo *Wigbertus & Vrbanus summi ambo & præstantes viri, neutriq; alter pro persona cedebat* (vti Malmesburiensis) de Papatu contendunt. Respondet post multa Anselmus; *Reddam sine offensa, in his quæ Dei sunt, vicario B. Petri obedientiam, & in in his quæ terrena dignitati Domini mei competunt, fidele auxilium & consilium pro posse meo non subtraham*, Ecce quomodo distinguit *Anselmus* inter Dominum spiritualem & temporalem, vtriq; fidelis. Potuit ergo Pontifici fauere circa investituras, nec tamen depositionem Imperatoris suffragio suo comprobare.

De gestis Anglorũ L. 1. Pag. 119.

Chronograph ad Annum 1086. De scriptoribus Ecclesiasticis.

4. Est alter *Anselmus Lucensis*; Gregorij 7. advocatus; eidemq; addictissimus de quo *Sigeb.* & *Trithemius, cooperator eiusdẽ indefessus*; adeoq; testis in causa *Greg.* parum idoneus. Memorat vero *Vercellensis* siue Author libri de vnit. Eccl. confer. Epistolæ cuiusdam ab hoc *Anselmo*, vt videtur, scriptæ; de quo sic Autor ille. *Vnde*, inquit *quidam nomine tantum Christianæ professionis inflatus, verè autẽ carens Christianæ religionis fructibus, cum oportuerit illum humiliter se agere arrogantia elatus, assumpsit sibi aliquid authoritatis Apostolicæ, & scribit quidem ad omnes Ecclesias Epistolam, in quâ docere conatur eos qui multo rectius quam ipse, credebãt, & cohortatur omnes ad nouas institutionum sectas accõmodare aurem suam.*

Pag. 38.

Huic

Huic, inquit, *Epistolæ nullam salutationem volui præfigere, in qua illius, cui nec Ave, dicendum est, scriptis respondebo.* Et infra *Caveto, inquit, tu Christiane ne Wigberto, corde vel ore dixeris unquam, Ave.* Et infra. *Scribens grandem Epistolam pro defensione eiusdem Greg. testatur in exordio locutionis suæ nolle Auditores suos salutare: ostendens per hoc fraternitatem se non diligere, quod est unitatem non amare.* Sine charitate ergo *Anselmus* iste, & proinde sine Deo alia dona habent non mei, charitatẽ soli mei habent.

Non est ergo mirum si pro causa clientis sui loquatur advocatus, pro *Gregorio*, *Anselmus*: miror tamen quare inter Authores suos hunc non recenserit *Bell.* in causa principali, potestatis scilicet temporalis; fortè etsi *Gregorio* adhæreat, *Henricum* capitali odio prosequatur, in causa tamen depositionis sententiam non profert: potest enim contra Investituras, contra *Simoniam*, contra conjugia Clericorum, contra *Wibertum Antipapam*, multis declamare: & tamen de causa depositionis tacere.

5. Est *Gebehardus Archiepiscopus Salzburgensis*, & hic advocatus *Gregorij*, disputat cum *Wecilone Archiepiscopo Moguntino*. *Gebehardus* asserit Imperatorem non injusto judicio tam Regno quam communione, Apostolicâ sententiâ priuatum: *Wecilo* negat: cur *Gebehardo* magis credat *Bell.* quàm *Wecilonì*, cum ille Pontificius, hic Imperialista fuerit, non subest alia ratio, nisi quia, cui credere voluerit, elegit *Bell.* atque hæc electio hæreseos potius, quam fidei nota est.

At Wecilonis sententia à quodam Concilio hæresis Wecilonis appellata est. Quæ verò illa sententia? *hac nimirum quod ipse hæresiarcha*, vt Vrspergensis, *contrà fidem dogmatizavit; quod quandiu quis suis spoliatus sit rebus, diuinis non subiacet legibus (quod tamen Nicenum constituit Concilium vt Vercellensis Pag. 66.)* Ad ann. 1085.

Dixerat *Wecilo*, quod Imperator diu jam à Saxonia depulsus, & regnandi copia etiam ab illâ dissensione, quæ ante *Rodulphũ* facta præscribitur, spoliatus, nec vocari nec judicari, nec damnari Canonicè debuisset. Addit præterea; præjudicium à Papa, & Principibus passus est Imperator, dum ipso apud Canusium in satisfactione posito, imò iam à Papa in communionem recepto, alterum super se Regem eleuarent. Acsi quis diceret: Hæresis *VVecilonis* hæc est: quod qui in bellis necessarijs, à Pontifice ipso excitatis pro ditionibus suis recuperandis impeditus, vocatus non comparet, non est judicandus nequè damnandus Canonicè. An hoc hæreticum sit asserere judicent Concilia: certè impium & iniquum est propter contumaciam ad excommunicationem & depositionem Regis procedere, qui vocatus non sistit se in judicio inimicorum capitalium, cum aut parte Regni excidere, idque studio & industria Apostolici, aut vocationi Apostolicæ non obtemperare necesse sit. De qua sententiâ *Gebehardi* & *Wecilonis* in Concilio *Garstungi* habito

habito, diu ventilata; sic Auentinus: *Gebehardus Salisburgensis, Boiorum primarius Episcopus, ætate, eloquentiâ, scientiâ, egregiè præter cæteros Hildebrandicos venerabilis, cui socij respondendi prouinciam demandârunt, omnino obmutuit, ne hiscere quidem potuit* similia habet Vercellensis: *Wecilo enim erat vir doctus, tam in diuinis Scripturis quam in secularibus, eloquio dulcis & facundissimus, tantusque verbi Dei predicator suo tempore habitus est, vt similem habuerit neminem.*

Lib. 5.

Pag 66.

Trithem. in Chron. Hirsaug. ad an. 1085.

6. Est *Stephanus Albestatensis*, inimicissimus *Henrico*, & quem Henricus *tanquam totius Saxonicæ rebellionis principem, & omnium quæ secus acciderant fomitem atque incentiuum inexorabili odio insectabatur. Lambert. Schafnab. ad ann.* 1076. de quo supra, cum Authores *Bellarminianos* examinavimus: multa hic falsa crimina in *Henricum* intentat quæ alius nemo: testis malus qui apertus hostis, rebellis, perduellis: at peior Theologus qui potestatibus tandiù obediendum docet, quandiù ordinatæ & bonæ sunt: *Da*, inquit, *potestatem ordinatam & non resistimus.* Quid *Stephanum* laudatis, & *Wiclefum* hæreseos reum in hâc ipsâ causâ peragitis in Concilio Constantiensi?

Apud Dodechinum.

» 7. Est *Leo Hostiensis*, qui, teste *Bellarmino*, Cap. 10. huius Libri; *ad-*
» *dictissimus Gregorio* fuit: *Multa ille de Greg. 7. iustitiâ sapientiâ, zelo, a-*
» *liisque virtutibus scribit*: sed vbi scribat non designat; nec apud *Leonem* invenio: cum locum designauerit, vlterius respondebimus. lib. 3. cap. 64. describens *Greg. 7.* mortem, hæc habet: *Cum venerabilis semperque recolendæ memoriæ Gregorius Papa 7. &c.* Làudat in his *Gregorium*, sed de justitiâ, sapientiâ, zelo, alijsque virtutibus nihil refert.

At in Cap. 24. *Hildebrandus elatione turgidus &c.* Egregia verò hæc est laus Sacerdotis. Cap. 41. *In eâdem Synodo institutum est, vt qui à Laico inuestituram Ecclesiæ acciperet, Anathemate vterque plecteretur, & qui daret, & qui acciperet*: Postea Cap 48. causam discordiarum inter Gregorium Henricum describens; *Anno* 1079. *Matilda Comitissa Hērici Imperatoris exercitum timens, Liguriam, & Thusciam prouincias, Gregorio Papæ, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ deuotissimè obtulit: vndè in primis causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odij initium fuit: quapropter Pontifex opportunitatem nactus; eundem Imperatorem, quod sibi iura vsurparet Ecclesiæ communione priuauit. Cæsar autem cum optimatibus Imperij, Concilio habito, transmissis Alpibus, vt cum Pontifice paciscereturintravit Italiam. Triduò autem ante Pontificis curiam (qui tunc in vrbe Matildæ munitissimam arcem se contulerat) idem Augustus discalceatus persistens pacem exposcebat: & hoc per se, hoc per Principes Imperij, hoc per Apostolici familiares postulabat. Pacis autem iste tenor erat; vt si quid vtrinque fuisset admissum, solueretur; demumque Cæsar Romano Pontifici fidelitatem iuraret. Cumque negotium effectui mandatum*

tum esset, Pontifex Matildæ Consilijs adiutus, quendam ex suis vltra montes dirigens, & Rodulpho Duci coronam Imperij mittens, aduersus Imperatorem rebellare suasit. Ecce Pontifex Gregorius alienarum possessionum, sine consensu supremi Domini, invasor; propter temporalia Imperatorem excommunicat: (Vbi jam magna flagitia, quæ mentitur Stephanus?) Superbus & inflatus nudipedem facit Imperatorem expectare; fœdifragus, pacis conditiones violat: perduellis rebellare *Rodulphum* suadet: hæc tellis tuus. cap. 49. *Imperatorem paci studentem excommunicat; quâ de causâ deficiunt à Pontifice Normanni, qui antea Pontificem sincere fideliterq; dilexerant.* cap. 65. de Henrico excommunicato sic ait: *Non modo Imperatori qui Christianus est, verum ne tyranno quidem, &c.*

At *visione cuiusdam Ioannis, cui apparuit columba super humerum* "
Gregorij septimi missam celebrantis insidens, probatur placere Deo quæ "
fecit Gregorius. Vox facta est etiam: Vade celeriter, & hoc ipsum authen- "
Papæ intimato, vt constanter vigore spiritus quod cæpit exequatur. Lib. 3. c. 20.

Miracula infidelium sunt: *Ioannes* iste, forte infidelis, miraculo indiguit; aut *Leo* tuus nimis credulus phantasiam pro visione refert: & Satanas seipsum in Angelum lucis transfigurare potest: & quis ille fuerit qui hæc iusserit, ignoratur: *nequaquam te scire oportet nomen meum*: Sancti Angeli rogati nomina sua non reticent: In totâ narratione nulla mentio Dei: quomodo ergo constat facta Gregorij Deo placuisse. Sua cuiq; Deus est dira cupido.

At quid hoc est quod sequitur? *Quod cæpit exequatur*: Aliquo opus est Oedipo. Fortè intelligit pœnitentiam; fortè Missam; fortè pacem inter Regnum & Sacerdotium: certe non depositionem: illa enim non iam cæpta, sed finita: Pontifex in exilio, in Monasterio delitescit, postea Salerni moritur. Quidvis potius cæptum est exequendum in Monasterio, in ianuâ mortis, quam exterminium & privatio Regis. Incerta hæc sunt, vana, frivola. Rationibus, & Scripturarum & Patrum authoritatibus roboranda est causa ista, non visionibus, non miraculis: probationes, non somnia expectamus.

8. Est *Bertholdus; male Henrico affectus*, vt Cuspinianus. Huius verba non citat *Bellarminus*: nec liber ad manum est. Plurima scribit pro iustitiâ causæ *Gregorij* septimi. Suspecta vero sunt plerumque ea testimonia, quorum verba non referuntur: forte pro iustitia investiturarum aut cœlibatus hæc scribit, non pro depositione. *At Imbritto Episcopus Augustensis, qui fidelitatem Rodulpho iurauerat, Henrico ad-* "
hæsit: in missæ celebratione hanc conditionem sibi misere imposuit, vt "
sacra oblationis perceptio in iudicium ei proueniret, si Dominus ei- "
ius Henricus iniustè sibi regnum vsurparet: nunquam postea se sanum "
de lecto leuauit, & sine Ecclesiastica communione defunctus est. "

In vit. Henric. 4

Iudicia

Iudicia Dei occulta multa, iniusta nulla: quæ sit occulta causa huius iudicij non apparet: potuit enim hic morbus ex alijs causis naturalibus invalescere, & tamen *Henricus* legitimus Imperator esse potuit. Sedem & tribunal Dei ascendit, quisquis hæc obscura pãdere & enucleare conatur. Coniectura hæc est, non confirmatio: At *Rodolphum* ipsum rebellionis suę pænituisse docent verba ipsius, lib. 1. c. 8. citata. Sic 8. coëtaneis Gregorij responsum est. Labitur in numero *Bell.* 7. authores se attulisse asserit, 8. inventi sunt.

„ 9. Est Gulielmus Episcopus Tyrensis, lib. 3. ca. 13. de bello sacro. *Is*
„ *investituras ab Imperatore contra omnem honestatem sine electione fieri, in*
„ *eoq; iura Ecclesiastica conculcari asserit*; ex consuetudine tamen fieri affir-
„ mat: *Inoleverat*, inquit, *consuetudo: proinde ter monitum Imperatorem vin-*
„ *culo excommunicationis innodavit*: at de depositione, de qua sola quæstio nostra est, nullam facit mentionem: sic in causa hâc testis elinguis Gulielmus iste.

10. Est Otho Frisingensis lib. 6. c. 34. & 36. *Hic Gregorium septimum*
„ *sanctissimum appellat*: Vbi vero illa sunt verba? *Connubia Clericorum pro-*
„ *hibuit, formaq; factus gregis quod verbo docuit exemplo demonstravit: for-*
„ *tis per omnia Athleta fuit: moriturus dixit*, imo dixisse fertur: *Dilexi in-*
„ *stitiam & odi iniquitatem propterea in exilio morior.* Et lib. 7. *Beatæ me-*
„ *moriæ defuncto Gregorio*: Et hoc dicere potuit, hæcq; de eo dici possunt, nec tamen vir erat sanctissimus: Verùm quid hæc ad depositionem? quam in *Præfatione* l. 7. improbat: cuius mala describit. l. 6. c. 26. vide & caput 8. in Prolegomenis, & 10. vbi de *Othone* plura dicemus.

In Chron. Citiz. ad ann. 1073.

Audi vero quid ex *Othone* Paulus Langius. *Dicit (Otho Frisingensis) in historiâ suâ taliter, Anno Dom. 1057. Henricus quartus penè puer, Patri in regno successit. Hic excommunicatur per Papã Gregorium septimum*

Generat. 37. ad ann. 1090.

sirecte, videat ipse. Audi Nauclerum. *Scribens circa hæc tempora Otho Frisingensis vir doctissimus non panegyricon sed Satyram, &c. Honestius de eo & citra affectum Sigebertus in suis annalibus, necnon Otho Frisingensis Præsul, lib. 7. scripsere*: Sic Cuspinianus, in vita Henrici 4.

„ 11. Est Dodechinus: *Henricus homo perversus fuit, & iusto iudicio ab*
„ *Ecclesiâ electus*: Nec hic de causa depositionis verbum adhibet, proinde nihil contra causam nostram facit; quia non de excommunicatione, sed de depositione instituitur quæstio: quique, licet pessimus fuerit, (quod tamen Dodechinus negat, qui ibidem multa bona de eodem Henrico, vtpotè *misericordiam, clementiam, iniuriarũ remissionem facilem, eleemosynas*, narrat:) & censuris Ecclesiasticis propter salutem animæ dignissimus, non tamen regno ejiciendus: fuere multi Reges itidem mali, qui imperio non sunt privati.

12. Abbas Vrsperg. *Narrat is, in morte Henrici neminem luxisse, omniũ*
„ *ora & corda infinito tripudio repleta fuisse.* Et quomodo hoc novit Vr-

spergen-

spergensis. An vidit omnes? Fortè præ timore Pontificis, qui sepulturam ei negavit, & Henrici 5. filij eius, animo certè Patricidali qui Patrem persequebatur, lætabantur multi, qui intus sine teste dolebant: vel fortè gauisi sunt quod de tanta tribulatione liberatus est, qualem nemo Imperator vnquam sustinuit. An nemo erat inter suos qui mortem eius lugeret? Extat *vita huius Henrici*, authore incerto, quæ sic incipit. *Quis dabit capiti meo aquam, & fontem lachrymarum oculis meis, &c.* Annon luget ille? Et in fine refert. *Non minor luctus circa funus Imperatoris erat, proceres plangebant, vulgus lamentabatur, vbiq; gemitus, vbiq; planctus, vbiq; vox dolentium audiebatur, ad exequias illas vidue, pupilli, denique totius patria pauperes conueniunt, deflent se orbatos patre, fundunt in corpus lachrymas, deosculantur largas manus, vix auellebantur ab amplexu extincti corporis, vix illud condendi copia dabatur. Sed nec tumulum deserebant, ibi vigiles lachrymis & orationibus vacabant, plangendo recitantes, & recitando plangentes, quenam opera misericordiæ fecisset in se.* Et ibi plura eiusmodi, quæ satis ostendunt vera non esse quæ narrat Vrsp.

At Catholicis, id est, cunctis B. Petro eiusq; successoribus, Archipirata simul & hæresiarcha, necnon & Apostata, persecutorq; plus animarum quam corporum competenter dicebatur. A Catholicis, id est, Pontificijs, qui contra Imperatorem & Imperialistas omnes conspirauerant: Ecce de parte loquitur Vrspergensis; & vbi pars, ibi non est vnitas.

Verùm *Vrspergensis, & Bertholdus Ardentins quam conueniat pium Imperatorem infectantur*; Vt Cuspinianus in vita Henri. 4. adeoque testis parum Idoneus.

Quid vero de potestate Pontificis in depositione Imperatorum & huius *Henrici* senserit *Vrspergensis*, ipsius verba declarant. *Multi depositi sunt: plerunq; nullâ accedente authoritate Romanæ Ecclesiæ factum est*: Et infra: *Licet autem Romani Pontifices hæc sibi ascribant, & se fecisse gloriantur, nos tamen animaduertimus, hæc potius facta fuisse diuino iudicio, culpis Imperatorum exigentibus, animisq; Principum siue Gentium ad resistendum se coadunantibus.* Hæc Vrspergensis. Qui etsi *Henrico* infensior, in causa tamen depositionis parum causæ Bellarminianæ favet. *In Anacephaleos.*

Verùm, vt par pari referamus, quinque vel sex illis Conciliabulis schismaticis, sub *Gregorio 7. Victore 3. Vrbano 2. Paschali 2. Gelasio 2. et Calliste 2.* quæ de causa investituratum, & cælibatus, necnon de excommunicatione testantur, de depositione vero non testantur, alia itidem Concilia Episcoporum, qui numero, & sanctitate, & scientia, pares illis sunt quos Pontifices congregarunt, citabimus, qui hoc factum depositionis damnârunt, & Gregorium Papatu eâ de causâ abdicârunt. Quę omnia videat Lector fusiùs. ca. 8. li. 1. 6.

Primum est Concilium Wormatiense. anno 1075. vel 1076. in quo depositus est *Hildebrandus*: rationem inter alia adhibent Patres; *quia Ecclesia*

Authoribus ipſi diſſenſioni συγχρονοις, præponamus *Petrum Damianum* Cardinalem *Oſtienſem*; qui ſub *Alexandro* 2. *Hildebrandum* ſatis noverat, etſi Papatum eiuſdem, morte præventus, non viderit. Is *blandum* eum vocat *Tyrannum*, *Neroniana pietate condolentem, colaphizando demulcentem, aquilino vngue palpantem*: Et in fine. *Ille miſerum Petrum de manibus eruat Hildebrandi, ad cuius imperium magno Petro patuit carcer Herodis*. Et Epiſt. 16. lib. 1. *De cætero ſanctum Sathanam meum humiliter obſecro, vt non aduerſum me tantopere ſeuiat, nec eius veneranda ſuperbia tam longis me verberibus atterat, ſed iam iam circa ſeruum ſuum, vel ſatiata miteſcat.* Non mirum ſi in Imperatorem tyrannidem ſuam exerceat Pontifex, qui immiſericorditer in Con-cardinalem ſanctiſſimum ſæviit Cardinalis Archidiaconus. *Epiſt. 10. l. 1. circa principium.*

1. Ergo ſit *Lanfrancus Cantuarienſis* Archiepiſcopus, liber à ſchiſmate Anti-paparum: in Epiſt. apud *Baronium* tom. 11. ad annum 1080. nu. 27. *Credo quod glorioſus Imperator (Henricus) ſine magna ratione tantam rem non eſt aggreſſus patrare; nec ſine magno auxilio Dei tantam potuit victoriam conſummare.* Ecce & ratio & auxilium Dei ab Imperatoris ſtat partibus. Vide plura l. 1. c. 8.

2. Sit Benno Cardinalis: *Hoc eſt decretum Hildebrandi* (quo Henricum depoſuit) *in quo à doctrinâ & fide Catholicâ aberrauit.* De vita & geſtis Hildebrandi.

3. Rodolphus, vulneratus eadem manu, qua Henrico iurauerat. *Inſtio Apoſtolica, Pontificumq; petitio, me ad id deduxit, vt iramenti tranſgreſſor, honorem mihi indebitum vſurparem, &c.* Vt ſupra l. 1. c. 8.

4. *Venericus Vercellenſis*, ſiue author libri de vnitate Eccleſiæ conſervanda, quem librum ſcripſit contra ſententiam *Gregorij*, qua *Henricus* depoſitus eſt, totus liber Imperatoris innocentiam, & Pontificis iniuſtitiã arguit. *At Hildebrant Papa miſcuit ſe plurimorum mortibus Chriſtianorum, ſuccendens vbiq; incendia bellorum per totum penè Romanum Imperium, vt non teneret Henricus Rex Regnum à Deo ſibi collatum, per ſucceſſiones Patrum ſuorum, &c.* Vide totum librum.

5. Conradus Traiectenſis. In Epiſt. apud *Auentinum* l. 5. *Has ab cauſas Hildebrandus ambitione in præceps abiit, cum poteſtatem immortalis Dei, cuius nuntius dunt axat eſt, ſibi vſurpauit: male conſuluiſſet rebus humanis ſupremа illa Maieſtas, ſi ita gladium in manum mortalis cuiuſquam traderet.* Et infra de Henrico: *Non inficias imus, homo eſt ille, peccare ſolet, &c. nulla tamen illi niſi ex permiſſo voluptas Veneris, iuxtaq; naturale deſiderium vſus: quæ ſicut inuenta irritari, ita ſenectute mitigari ſolent. Et innumerabiles eius enarrans virtutes, ſic concludit. In nullo vnquam Germano Romanoue tanta fuere Principe. Quod ſi flagitioſiſſimus is foret tyrannus, tamen ei obtemperandum, nequaquam reſiſtendum.*

6. Wal

Sed omiſſis authoritatibus, rem ipſam conſideremus. Multa multi de adulterijs, de inceſtu, de Sodomia Henrici objiciunt; ſed non probant. *Regem quem honorificare præcipit Apoſtolus, ipſe Gregorius de peſsimo crimine accuſauit, ſed non probauit; ipſe teſtis, ipſe index*: Sic *Vercellenſis*, coætaneus *Gregorij*; obiecta ergo hæc crimina, ſed non probata. 71 1.Pet.2.

Et ſi vera eſſent, quare non deponitur itidem *Danid*, qui non ſolum adulter ſed & homicida? Vbi vero zelus multorum ſanctiſſimorum Pontificum, qui Reges & Imperatores multos adulteros tolleraverunt, nec depoſuerunt, fortè etiam nunc non deponunt.

Leo Iſauricus parte Imperij mulctatus, qui a Iconomachus, Iconoclaſta, imagines in templis non tulit. Et Reges omnes Iſraelitici huius criminis rei, qui imagines ſanctorum in templo non pertulerunt. Si quis Regum Iſraeliticorum imagines in templum invectas fregiſſet, tanquam Iconomachus aut Iconoclaſta, an deponendus eſſet? Et tamen iuſtitia non in diem ſed in æternum iuſtitia eſt.

Childericus depoſitus eſt, quia invtilis, quot vero Reges fuere invtiles, quot mali, quot pernicioſi? Si Rex invtilis deponendus, quid malus? Si grave ſit peccatum omiſſionis, quanto gravius peccatum commiſſionis? Quis vero Rex eſt, qui dicere audeat, ſervus vtilis ſum.

Fredericus Imper. depoſitus eſt, quia in Terram ſanctam ad Hieroſolymam liberandam profectus non eſt, licet ſe iturum promitteret, & Reges *Francorum* & *Anglorum* vades daret. Certe crimen *Frederici* magnum; noluit Imperio ſuo excedere, vt Pontifici occupandum relinqueret. Si hoc ſit officium Regum Chriſtianorum, vt civitatem ſanctam liberent, cur omnes eandem non liberant, aut ſaltem liberare conantur? Si violatæ promiſſionis votique reus Fredericus deponitur, quare omnes fœdifragi Reges & Cardinales, & Pontifices non deponuntur? Iuſtitia enim omnibus vna eademque eſt. Cur Cardinalis *Bellarminus* Cardinalatu non dejicitur, qui voti Ieſuitici violator exiſtit?

Henricus propter inveſtituras Epiſcoporum deponitur. Cur itidem omnes anteceſſores *Henrici*, vſque ad *Carolum magnum*; forte etiam vſque ad *Gregorium* 1. & *Mauritium*, vti *Walthramus*, non ſunt depoſiti? Hi enim inveſtituras longâ conſuetudine dediſſe noſcuntur: & proinde aut iuſta fuberat cauſa propter quam omnes anteceſſores *Henrici* deponendi erant, aut hâc de cauſa *Henricus* regno privari non debuit.

Præterea in ordine peccatum eſt: In eodem enim Concilio decretum eſt de inveſtituris à manu Laica non percipiendis, & depoſitus eſt Imperator *Henricus*; quia abſens, inveſtituras, quas longâ conſuetudine & præſcriptione poſſidebat, non dimiſit. Aut ergo Concilium non depoſuit *Henricum*; ſic fallitur *Bell.* aut ſine cauſa excommunicavit *Henricum*, qui quod conſuetudine & Pontificum ipſorum conceſſionibus licitum erat fecit, ſub Anathemate, ſub bonorum confiſcationis, ſub irrevocabilis exilij, &

vltimi

ſpirituales vendit, peccator eſt, hæreticus non eſt: Hæreſis enim in iudicio & doctrina, in facto & affectu peccatum. Si ergo verum ſit, quod *Stephanus* affirmat, *Henricum* dignitates ſpirituales vendidiſſe; at falſum eſt quod inde concludit, ergo hæreticus fuit: non enim ſequitur: Hæreticus eſt qui homicidium licitum eſſe prædicat, ergo homicida eſt hæreticus. Nec omnis hæreticus deponendus: quis vnquam *Quartodecimanum* deponendum iudicavit?

Si verò verum ſit quod *Stephanus* proponit: *Omnis qui dignitates ſpirituales vendit âut emit hæreticus eſt*: plurimi Pontifices hæretici fuerunt, & ipſo facto depoſiti, multóque plures Pontifices hac labe, quàm Imperatores & Reges infecti ſunt, hodiéque inficiuntur; plures Epiſcopi & Clerici hac nota maculantur, quam Laici: Curia Romana, imo vero tota Eccleſia Romana hæretica eſt. Si omnes Simoniaci de facto hæretici deponendi eſſent, vt olim dictum eſt, vivi non ſufficerent ad mortuos ſepeliendos, ſic nec ſani ad deponendos hac labe Simoniaca pollutos, ſufficerent.

Cum ad Papam veneris, habe pro conſtanti,
Non eſt bonus Pauperi, ſoli fauet danti;
Si tu mihi dederis, ego tibi dabo.

Quid vero hoc eſt monſtri? Romanus Pontifex Imperatorem deponit, quia dignitates ſpirituales vendit. Nonne hoc eſt idem, quod dici ſolet, *magni latrones parvulos ſuſpendio afficiunt*? Roma olim phyſica erat, vt *Gualterus Mapes*, burſis turgidis.

O vos burſa turgida, Romam veniatis;
Roma viget phyſica burſis conſtipatis.

Et quod etiam Papę ipſi quondam Robertus Lincolnienſis Epiſcopus apud Matth. Pariſ. ann. 1250. in Henr. 3. *O pecunia pecunia, quantum potes præcipuè in Romana Curia.* Verum iſta miſſa faciamus, nec enim recriminari vel animus, vel otium.

Henricus hæreticus eſt, labe Simoniaca infectus, quia dignitates ſpirituales vendit: ſic vnus *Stephanus*. At *Henricum* ab hoc crimine liberant tres Epiſcopi, inimici *Henrico* atrociſſimi, (quos *ingratos* nominat, *Gotfridus Viterbienſis*. part. 17. in verſibus.) qui eundem per vim inſignibus Imperialibus ſpoliant, *Moguntinus*, *Colonienſis & Wormatienſis apud Helmoldum*, c. 32. *Dic, inquit Henricus, O Moguntine, dic aduratus per nomen æterni Dei, dic, quid exegimus aut recepimus, quando te Moguntiæ præfecimus? Tu quoq; Colonienſis, per fidem te conteſtamur, &c. Illis fatentibus nihil pecuniæ huius rei gratiâ aut oblatũ aut acceptũ; Rex ait, Gloria Deo, quia vel in hac parte, fideles inuenti ſumus. Certe dignitates ea duæ præſtantiſsimæ ſunt, & magnum quæſtum Camerę noſtræ referre poterant: Idem poſtea à Wormatienſi petit.* Si interfuiſſet *Stephanus Albeſtatenſis* petiſſet itidem ab eo quid dediſſet pro Epiſcopatu ſuo, an pecuniam, an

Idem habet Alb. Stad. ad ann. 1106. Crant. in Saxon. l. 5. c. 20. Sigon. de regno Ital. l. 5 ad ann. 1106.

Imperatorem vero, postquam adoleuerat, creueratq; cum ætate iudicium, adulatores odisse per quos seductus erat: multa reuocasse quæ rerum imperitus confirmauerat; nec impunè, inquit, abiissent, qui ætate eius abusi erant, nisi mors plerosq; abripuisset, & reliqui propter extremam senectutem termino suo proximi fuissent: postea diffluentem licentiam pessimorum morum compressisse: leges bonas & iustitiam exulantem reuocasse, quantum licuit: Aulicos licentia peccandi diuturna corruptos, malis moribus nobiles assuetos odisse Imperatorem, de alio eligendo cogitâsse, & conspirâsse, & calumnijs falsis Imperatorem traduxisse. Inter hos primos fuisse Saxones; hos verò victos atque impares, misisse legatos Romam ad Pontificem Gregorium 7. cum mandatis mendacibus, quicquid detestandorum nefandorumq; scelerum fingipoterat obiecisse; hinc Pontificem excommunicâsse Imperatorem, omnes à iureiurando absolvisse. Huius ergo depositionis causam explicat Gregorio Henricus ipse; quod scilicet homines nimia licentia prediti, rectè monentem (Imperatorem) & salutares leges ferre non poterant: suam innocentiam probat: Papa absoluit eam. Hæc Huldricus Mutius. Quibus non dissimilia narrat Poeta, lib. 1. qui bellum Henrici, contra Saxonas Heroico versu descripsit. *Edit. à Rubero cum Eginharto &c.*

8. *Vrsp. an. 1090.*

Atque hic quidem obseruanda veniunt, 1. Henrici humilitas, qui *in oppido Canusino per triduum, ante portam Castri (Matildis,) deposito omni regio cultu, discalceatus & laneis indutus* (in nive & frigore obambulans) *perstitit: nec prius cum multo fletu, Apostolicæ miserationis auxilium & consolationem implorare destitit, quam omnium qui ibi aderant precibus & lachrymis intercedentibus, laxato tãdem Anathematis vinculo, in communionis gratiam, & sinum matris Ecclesiæ receptus est:* imposita interim pœnitentia grauissima, & sub talibus conditionibus, quas, nisi humillimus, nec audiret, quas, nisi superbissimus, nemo imponeret: inter cætera vero hæc pœna addita est, ne per annum Româ discederet. Humilis dum petit absolutionem, humilior quod sic præstitit. *Vid. Stad. 1076 Helmold. c. 28. Crant. Sax. l. 5. cap. 6. Vide Lambert. Anno 1077.*

2. *Gregorij* elatio, qui Imperatorem audire & alloqui, imo nc in domum admittere voluit, imo nudipedem in frigore, in niue ambulare coegit, dum ipse intus cum *Matilda* delicijs vacaret: Sic *Imperator factus spectaculum angelorum & hominum, Hildebrandi vero ludibrium.* An Pontifices illi primi sanctitate & martyrio insignes plebeium quemuis sic tractassent?

At illud omnẽm iniustitiam superat, quod *Gregorius 7. Henricum 4.* Romæ pœnitentiam impositam perficientem, nihil tale cogitantem, nulla noua scelera congerentem, reipsa deponit, & Rodulphum Imperatorem creat. *Episcopus enim Straceburgensis amicissimus Regis Henrici, Regem inter memorias Martyrum inuenit; nouum Principem electum, indicat Rex prætendit, nequaquam sine licentia sedis Apostolicæ sibi abeundum: respondit Episcopus: noueris certe hoc omne conspirationis malum de*

2. Causa est, *Matildis*, amica Pontificis, de qua ipsum purgare conatur *Lambertus*, *Henrici* veroisubditus, sed inimica capitalis & rebellis: quia provincias suas *Liguriam* & *Tusciam* ab Imperatore liberas, viribus impar tenere non poterat, Pontifici & Ecclesiæ Romanæ devotissime obtulit: *vnde*, inquit, *Leo Ostiensis* (cum quo concordat *Papyrius Massonus*) *Inprimis causa seminandi inter Pontificem & Imperatorem odij initium fuit. Quapropter Pontifex tantam opportunitatem nactus, quod sibi iura vsurparet Ecclesiæ, eundem Imperatorẽ communione priuauit.* Et infra. *Pontifex Matilda consilijs adiutus, quendam ex suis vltra montana dirigens, & Rodulpho duci coronam Imperij mittens, aduersus Augustum rebellare persuasit.* Ecce fons huius depositionis & rebellionis; perfidia scilicet Romana, vt *Episcopus Straceburgensis*, & timor odiumque muliebre, & possessio siue principatus Ecclesiæ. Proh nefas, Regno cælesti & terreno cadet, quisquis possessiones Ecclesiæ fraudulenter traditas attigerit! *Lib. 3. c. 48. In Greg. 7.*

10

Supersunt alia duo quibus sententia Gregoriana iniustitiæ convincitur.

1. est: Quod in terra ligatum est, in cœlo non est ligatum; prolata sententia est in terra, ratihabitio in cœlo non subsequitur; Deus hanc sententiam non approbat, omnia contra Imperatorem rata in terra, in cœlo irrita fiunt: Pontifex ipse deponitur, in eius locum *Guibertus* substituitur; *Gregorius* fugit; in exilio *Salerni* obscurus moritur, *Rodulphus*, cui *Petrus* diadema dedit, *quinon sine sanguine, in Ecclesia, in qua inauguratur, eadem manu vulneratus, qua fidelitatem Henrico & iurauerat & violauerat, misere periit, pœnitentiâ prius de hac vsurpatione acta.* Et *Episcopium Babenberga locus electionis, in die sancto Paschæ, igne consumptus est. Hermannus miro Dei iudicio, porta castri in quod victor ingreditur, cardinibus auulsa, cum alijs quamplurimis attritus est*: vel, vt Author vitæ Henrici quarti; *à fœmina quæ in turrim euaserat, & molarem in caput Regis dimiserat ictu lapidis occiditur* Et sic ille manu fœminea (vt alter *Abimelech*) vt mors eius turpior esset, occubuit. *Eggebertus, qui ad Imperium contra Henricum quartum tertius accitus est, ab exercitu secedens ad molendinum, non in acie, sed in molendino peremptus, turpiter iacuit. Conradus* filius *Henrici* senior, à Patre in partem Regni accitus, à Pontifice & Matilda, & inimicis *Henrici* circumventus contra Patrem rebellis, *immaturo occasu praeuentus obiit; sunt qui eum veneno dicunt interijsse. Quod iusto Dei iudicio accidit, ne parricida fieret, & fraterna bella homines in multas calamitates abducerent*: sic Sulpinianus, in *Henrico* quarto. *Vide Vercell. 48 Helmold. Alb. Stadens. ad ann. 1087. Invit. Henr. Albert. Stad. ann. 1089. Idẽ ad ad. 1011*

Henricus 5. filius iunior, à Patre contra *Conradum* Rex designatus, *Henricum* 4. Patrẽ persequitur, insignibus Imperialibus per vim spoliat, tandémq; in carcere, fame & tædio & squalore enecat. Verùm quia & impius & periurus in Patrem, *non est prosperatus in omni vita sua, irretitus iniquitatibus suis, idem vt pater, à sede Apostolica*, Vt Helmoldus. *Et quia Patrem suum* de- *cap. 33.*

dehoneſtauerat, creditur iuſto Dei iudicio, ſine harede deceſsiſſe: nam neque filium neque filiam habens defunctus eſt. Sic Martinus Polonus ad ann. 1110. & Wernerus ad ann. 1104. Quod quantæ controverſiæ occaſione præbuerit teſtatur *Aimoinus.* l. 5. c. 52. de cuius etiam pœnitentia & mira diſparitione narrat *Rogerius Houeden* in Henrico 1. Anno 1126. de quo ſummatim Crantzius Saxon lib. 5. cap. 45. *Neque prolem vidit, neque ſenium attigit, neque temporum meruit tranquilitatem.*

Sic mala morte perierunt omnes qui contra Chriſtum Domini *Henricum* 4. conſpirauerunt; plures inimicorum eius vitam exitu miſerando concluſere. *Vnus (qui Henrici Imperatoris perſecutor grauiſsimus,* vt Mat. Pariſ. in Guliel. 2. ad ann. 1089.) *à muribus, viro veraciſsimo referente, totus dilaceratus eſt:* vt Malmesburienſis: de geſtis Regum Angl. lib. 3. Vbi Rodulphum & reliquos vocat *improbè aſſurgentes & rebelles. Confundantur omnes qui pugnant aduerſus te Domine, & peribunt viri qui reſiſtunt tibi, Rodulphus, Hildebrandus, Eggebertus & innumeri Principes Dei ordinationi in Henrico Imper. reſtiterunt: Et ecce quaſi non fuerint perierunt, quia profecto neceſſe eſt malum fuiſſ. principium quorum finis peſsimus ſubſecutus eſt.* vt ſupra: Walthramus apud *Dodechinũ.* Finis hic peſſimus, quo perierunt omnes inimici *Henrici*, iniuſtitiam huius ſententiæ prodit: imo vero, vel ideo ſententia iniqua eſt, quia ſubditos in Dominum, in Patrem filios, contra ius divinum & humanum animauit & armavit.

11: *Ad Ann. 1085.* Secundum eſt, quod ex *Sigeberto* refert Barcl. Pœnitentia *Gregorij* morientis: verba Sigeberti referam *Hildebrandus Papa, qui & Gregorius ſeptimus apud Salernum exulans moritur. De hoc ita ſcriptum reperi. Volumus vos ſcire, qui Eccleſiaſticæ curæ ſolliciti eſtis, quod Dominus Apoſtolicus Hildebrandus qui & Gregorius, nunc in extremis poſitus ad ſe vocauit vnum de duodecim Cardinalibus, quẽ multum diligebat præ cæteris, & confeſſus eſt Deo & ſancto Petro, & toti Eccleſiæ, ſe valdè peccaſſe in paſtorali curâ, quæ ei ad regendum commiſſa erat, & ſuadente Diabolo, contra humanum genus iram & odium concitaſſe. Tunc demum miſit prædictum Confeſſorem ad Imperatorem & ad totam Eccleſiam, vt optaret illi indulgentiam, quia finem vitæ ſuæ aſpiciebat, & tam cito induebat ſe Angelica veſte; ac dimiſit ac diſſoluit vincula omnium bannorum ſuorum Imperatori & omni populo Chriſtiano, vivis & defunctis, Clericis & Laicis, et iuſsit ſuos abire de domo Deoderici, & amicos Imperatoris aſcendere:* Hæc Sigibert. Reſpondet Bellarminus, *Sigebertus vnus fuit ex ſectatoribus Henrici Imperatoris, vt Trithemius: propterea nullam fidem meretur, & ſine dubio falſum eſt, quod hoc loco ſcribit, cum certum authorem non habeat aut indicare non audeat.*

Si *Sigebertus* in hiſtoria nullam fidem meretur, quia vnus ex ſectatoribus *Henrici* Imperatoris; quam fidem merentur plurimi authores à *Bellarm.* hoc cap. citati, *Marianus Scotus, Lambertus, Anſelmi* duo, *Gebehardus*,

hebardus, Stephanus, Albeſtatenſis, Bertholdus, alijque, qui partibus *Gregorij* 7. addictiſſimi, *Henrico* vero 4. infenſiſſimi.

Scripſit quidem *Sigebertus* librum, in quo ſententiam hanc depoſitionis, tanquam iniquam & iniuſtam redarguit; ideo male audit *Sigebertus*, vtpotè qui huic poteſtati temporali adverſatur. An hæc regula eſt Catholica? Nemini hiſtorico credendum eſt, qui in dogmatibus à nobis diſſentit: nonne hoc eſt vnâ litura omnes hiſtoricos rejicere?

Omnes hiſtorici aut *Gregorio* aut *Henrico* favent, Pontificij Imperialiſtis; Imperialiſtæ Pontificijs fidem detrahunt; actum eſt de hiſtoria huius temporis; neutri parti credendum eſt: fidem non meretur qui *Henrico* adhæret, ſic Gregoriani: fidem non meretur qui *Gregorio* adhæret, ſic Henriciani; actum eſt de hiſtoria. Idem vitium eſt, omnibus credere & nulli, idem vitium eſt credere cui velis.

At ſine dubio falſum eſt: quod hoc loco ſcribit Sigebertus: quia certum authorem aut non habet, aut non indicat. Verba Sigeberti ſunt. *De hoc ita ſcriptum reperi.*: nec authorem nominat. Quid vero? an ea omnia falſa ſunt, quæ ſic deſcribuntur, vt nomina authorum ex quibus collecta ſunt, non deſcribantur? *Nos inquit Bellarminus habemus certum authorem, fidêque digniſsimum, Othonem Friſingenſem lib. 6. cap. 36. qui ſcribit Gregorium paulo ante mortem dixiſſe, Dilexi iuſtitiam & odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Cap. proximo i. 10. de Othone ſic Bellarminus: *Teſtem hoc loco Bazelius ſuſpectum adducit. Otho* teſtis eſt *Bellarmino certus, fideq; digniſsimus, & ſuſpectus*; certus fideq; digniſſimus, cum pro cauſa Gregorij loquitur, ſuſpectus vero, cum cauſæ Gregorij aduerſatur.

Ego vero in hac cauſa *Sigebertum* vera narraſſe facile convinco: nunquã enim auſus fuiſſet rem apertè falſam poſteritati tradere, de qua ab omnibus adverſarijs tam facilè convinci poterat; cuique nemo in hac re peperciſſet.

An auſus fuiſſet *Sigebertus*, qui ex profeſſo contra Pontificis tyrannidem in Imper. deponendo ſcripſerat, de *Gregorij* pœnitentia, quæ caput jugulumq; cauſæ petit, fabulam poſteritati commendare, de quâ mille teſtibus convinci poterat?

Præterea, conferamus teſtimonia *Othonis*, & *Sigeberti*. *Sigebertus* ſic probat, *de hoc ita ſcriptum reperi*: & ipſe contemporaneus *Gregorij*; & non rumorem vulgi, ſed authorem, etſi Anonymum, (nec ſolent hiſtorici omnium authorum ſuorum nomina exprimere) adducit. Quid vero Otho *Appropinquante vocationis ſuæ tempore dixiſſe fertur; Dilexi iuſtitiam &c.* Dixiſſe fertur, hoc ex vulgi aut incerti authoris rumore. De hoc ita ſcriptum reperi: hoc ex fide alicuius ſcriptoris, qui explorata memoriæ tradidit. Quantũ ergo rumori famæq; populari præferendus eſt ſcriptor fidei intemeratę, tantum in hac cauſa præferendum eſt teſtimonium *Sigeberti* teſtimonio *Othonis*.

Diſtingue vero tempora & conciliabis ſcripturas. *Appropinquante vocationis ſuæ tempore, dixiſſe fertur: Dilexi iuſtitiam;* ſic Otho: *In extremis poſitus ad ſe vocauit, &c.* ſic Sigebertus: vtrumque verum eſſe poterit: Imo & *magnum Chronicon Belgicæ*, vtraque verba & *Othonis* & *Sigeberti*, tanquam verâ refert. In initio aut progreſſu morbi dicere poterat, *dilexi iuſtitiam*; in fine ſiue extremitate morbi, vbi anima Deo proximior ſeipſam, rectius intuetur, valde peccaui in cura paſtorali: vt & ægri multi in primordio morbi ea cõtegunt, quæ in extremis poſiti, & de ſalute deſperabundi confitentur. Vere ergo *Otho*, appropinquante tempore vocationis ſuæ dixit, Dilexi iuſtitiam: vere itidem *Sigebertus*, In extremis conſtitutus dixit, valde peccavi in cura paſtorali.

Ad An. 1084.

In verbis contrarietas eſt; at verba contraria & pugnantia, diverſis temporibus proferri poſſunt: Id quod agnoſcit author,

» *At Bertholdus author eſt, quod in defenſione iuſtitiæ, vſq; ad mortem* » *firmiſſimus fuerit.* Eſto: at Bertholdus *Gregorio* addictiſſimus; & fortè omnia aut non noverat, aut non narrat: ſolent enim hiſtorici vitia amicorum ſuorum ſubticere: & hæc pœnitentia gravis *Bertholdo* viſa eſt. Deinde verba generalia ſunt: in defenſione iuſtitiæ firmiſſimus, vſq; ad mortem: At cuius iuſtitiæ? De inveſtituris, de cœlibatu, an de depoſitione, hoc incertum? nec inter authores *Bellarmini* qui pro cauſa depoſitionis loquuntur *Bertholdum* invenio. Fórte hæc ipſa pœnitentia optima iuſtitiæ defenſio & laus fuit; vti & Auguſtinus: *Nathaniel Iſraelita verus fuit, non quia ſine peccato ſe eſſe dicebat, tum enim ſine dolo non fuiſſet; ſed ideo ſine dolo erat, quia peccatorem ſe eſſe confeſſus eſt.*

Tract. in Iob. 1.

Leo, vero Oſtienſis, l. 3. c. 64. mortem venerabilis ſempérque reverendæ memoriæ *Gregorij* 7. deſcribit, de conſtantia vero in quâ permanſit vſque ad mortem, nihil addit.

» *At confirmatio huius ſententiæ per quinque Gregorij ſucceſſores, Victorem* » *tertium, Urbanum ſecundum, Paſchalem 2. Geliſium 2. & Caliſtum 2. a-* » *pertiſſimè docet, fabulam eſſe hanc Gregorij pœnitentiam quam narrat Si-* » *gebertus.*

Confirmatam fuiſſe ſententiam *Gregorij* per ſucceſſores ſuos ſatis conſtat quoad inveſtituras & cælibatum Clericorum, quoad depoſitionem vero Henrici, id non cõſtat; *Henricus* enim quintus per *Paſchalem, Gelaſium* & *Caliſtum* excommunicatus eſt, nec tamen vnquam depoſitus.

Confirmatio vero ſententiæ de inveſtituris & cælibatu non infert depoſitionis confirmationem: nec ideo ſequitur, fabuloſam eſſe pœnitentiam *Gregorij*; argumentum enim neceſſarij non eſt, imo vix probabile, vix veriſimile: Confirmarunt 5. ſucceſſores *Gregorij*, ſententiã eius de inveſtituris & cælibatu; ergo non pœnituit *Gregorium* depoſitionis *Henrici*. Nec enim novum eſt inter Pontifices, qui Monarchiã & plenitudinem poteſtatis

temporalis

temporalis adorant, vt prædeceſſores pœnitentiam, ſucceſſores pœnitenda agant. Siquidem illud apud Doctores Pontificios notum & familiare eſt, vt in Cathedra merita operum prædicent, in articulo mortis, & operum meritis omnibus renuncient, juſtitiæque *Chriſti* ſolius adhæreant.

At pugnantia refert Sigebertus: valde peccaui in curâ paſtorali, & ſuadente Diabolo contra genus humanum odium & iram concitaui: Et veſte Angelica ſe induebat: peccatum hoc tam graue, non veſtis Angelica, ſed gehennæ aut Purgatorij pœnæ graues manebant.

Si peccata grauiſſima fuerint, tamen tanta eſſe poteſt vis contritionis & confeſſionis, vt non ſolum pœna omnis æterna, ſed etiam temporalis prorſus remittatur: Et talem ſuam contritionem fortè nouerat *Gregorius*: potuit etiam Claviger & Diſpenſator theſauri illius meritorum Chriſti, beatæ virginis & omnium Sanctorum, cum ſeipſo diſpenſare, vt per ignes purgatorios non tranſiret: Quid ni ergò dicat poſt actam pœnitentiam, mox ſe veſte Angelica induendum. Præterea verba Sigeberti ſunt; *tam cito ſe induebat ſe Angelicâ veſte*; de præterito, non de futuro, vt animum verè Pontificium, verè Gregorianum agnoſcas. Deinde verba hæc vltima non ſunt *Gregorij*, ſed hiſtorici illius, cuius verba hîc refert *Sigebertus*; qui, vt videtur, *Gregorio* amiciſſimus veſtem Angelicam præparauit, non Diabolicam, qualem tamen fortè *Sigebertus Henrici* inſectator eidem aſſignaſſet.

Verum hanc *Gregorij* pœnitentiam veram non fabuloſam fuiſſe, cum *Sigeberto* tradunt multi graueſque Scriptores Catholici.

Inprimis ante *Sigebertum* *Benno Cardinalis*, *Hildebrandus in extremis ſuis vocauit ad ſe vnum de Cardinalibus* 12. &c. penè ad verbum prout à *Sigeberto* refertur.

2. Eſt *Florentius Wigornienſis* Sigeberti coætaneus, qui eadem pene verba, cum *Sigeberto* recitans addit, *teſte Moguntino Archiepiſcopo*. Ecce *Florentius* Authorem certum & habet & indicat.

3. Eſt *Vincentius Bellouacenſis*, qui verba *Sigeberti* refert.

4. Eſt *Matthæus Paris* in Gulielmo primo: *Eodem anno Gregorius Papa qui & Hildebrandus dicitur, apud Salernum moritur, & moriens Cardinalibus aduocatis confeſſus eſt, ſe valde peccaſſe*: &c. vt apud Sigebertum ad Annum 1086.

5. Cuſpinianus in Henrico quarto: *Inuenio in vetuſtiſſimis annalibus, Hildebrandum Monachum qui ſeptimus Gregorius dictus eſt, dum moreretur, plurimum quod Henricum Imperatorem moleſtaſſet, doluiſſe, atque ob id ante obitum ſuum abſoluiſſe: licet filius & æmuli iterum apud Pontifices ſequentes laborauerint, vt vinculis Banni fruſtra innecteretur, quod factum eſt.*

Ecce in hoc teſtimonio duo 1. Hæc relatio *ex vetuſtiſſimis annalibus* de-

deſumpta eſt: 2. ſucceſſores *Gregorij*, non tam vt ſententiam ipſius confirmarent, quam vt Filij & æmulorum petitionibus ambitioſis & ſeditioſis ſatisfaceret, *Henricum* quartum excommunicationis vinculis innodarunt. Quod niſi feciſſent, actum fuiſſet de rebellibus & parricidâ filio, qui ſibijpſis nomen palliumquè Eccleſiæ prætendebant. His alijſque multis, quos recenſere ſuperſedeo, pœnitentia *Gregorij*, non fabula ſed veritas viſa eſt. Sententia ergo *Gregorij* injuſta, quam ipſe in extremis poſitus, cum ſummâ contritione reuocauit. Injuſta ex animo, quia malo zelo aut patrimonij, aut poteſtatis ampliandæ prolata; injuſta ex ordine, quia non ſeruatur ordo juris; prolata enim eſt dum ageret pœnitentiam *Henricus*; injuſta ex cauſa, quia nulla iuſta, nulla ſufficiens cauſa ſuberat depoſitionis; aut eâdem ſententiâ innodandi ſunt plurimi Reges & antiqui & noui; & Iudæi & Chriſtiani, qui ijſdem forte & grauioribus & apertioribus peccatis immerſi ſunt.

Vide Gloſſ. 11. Quæſt 3. in principio.

12 Dabit hic Lector veniam, quod inverſo ordine, quædam *Barclaij* & *Bellarmini* de *Gregorio 7.* anticipauimus, antequam argumentum *Barclaij* ex *Auguſtino*, de multitudinis excommunicatione deſumptum confirmaremus; id eo animo factum, vt argumenta eiuſdem generis, ſcilicet juſtum judicium Dei in rebelles ſubditos HENRICI, parricidas, & judicium Gregorij in pœnitentia ſuâ peragendâ, ſimul jungeremus.

Accedimus jam ad argumentum *Barcl.* ex *Auguſtino* deſumptum de multitudine non excommunicanda; quod non tam ad ſententiæ juſtitiam, quam ad judicis prudentiam ſpectat: cuius hæc ſumma eſt.

Auguſt. Lib. 3. Cap. 2. contra Parmenianum.

Non poteſt eſſe ſalubris à multis correctio, niſi cum ille corripitur, qui non habet ſociam multitudinem; cum vero idem morbus plurimos occupaverit, nihil aliud boni reſtat, quam dolor & gemitus: &c. nè cum Zizanijs eradicent triticum; nec per diligentiam ſegetem Domini purgent, ſed per temeritatem ipſi potius inter purgamenta numerentur: Apoſtolum vnum inceſtuoſum excõmunicat, multos fornicationibus inquinatos non excommunicat, ſed per luctum ſuum potius eos divino flagello coercendos minatur. Revera, ſi contagio peccandi multitudinem invaſerit, divina diſciplina ſeuera miſericordia neceſſaria eſt: nam conſilia ſeparationis (hoc eſt excommunicationis) & inania ſunt & pernicioſa atque ſacrilega, quia impia & ſuperba ſiunt, & plus perturbant infirmos bonos, quam corrigant animoſos malos. Ex his infert Barclaius. Excommunicare ergo Henricum non debuit, in cuius ſceleris ſocietatem tantus hominum numerus coierat, vt ſeparari, ſine ſchiſmate, & vnitatis Eccleſiaſticæ diſſolutione, nequiret.

„ Reſpondet Bell. *Temeritas Barclaij ſe prodit, qui ex loco Auguſtini non*
„ *bene intellecto Pontifices nec non Synodalem ſententiam à multis alijs Pon-*
„ *tificibus & Concilijs confirmatam damnare audeat, & dicat Papam mag-*
„ *nopere erraſſe.*

Caue

Caue ne dicat quis Papam errâſſe. Si vnus Papa, quid ni & plures? Si in vno quid ni in pluribus erratum? Caue nè dicas Papam id eſt hominem in facto errâſſe: vno enim momento tota corruit moles poteſtatis Pontificiæ. Sed omiſſo nomine Pontificis & Conciliorum, videamus vter in ſenſu Auguſt. errant *Barclaius* an *Bellarminus*. *Auguſtinus* loquitur de correptione ſiue excommunicatione illius qui multos habet ſocios in eodem crimine: Cum idem morbus plurimos invaſerit: & *Gregorius* vnum *Henricum* excommunicauit, propter Epiſcopatuum venditionem. Quid hoc ad rem? *Henricus* nomine excommunicatus eſt, reipſa omnes excommunicati ſunt, qui eidem adhæſerant. Qui enim cum excommunicâto communicat, eâdem excommunicatione tenetur: Et multi naturæ & Reipub. vinculis colligati tali neceſſitudine ei conjuncti ſunt, vt ab eo ſeparari non poſſint. Sed Author gloſſæ, & in *Auguſtini* ſenſu ſatis expertus, aliud colligit ex Auguſtino: *Multitudo non eſt excommunicanda, neque Princeps populi*: nec multitudo, vt hic *Auguſtinus*, nec Princeps populi; qui cum populo ita colligatus, vt nulla ratione niſi per mortem ſeparari poſſit. *In Matth. 13.*

Quià ergo idem morbus plurimos occupat, & contagio peccandi multitudinem invadit; vel faciendo vel conſentiendo, vel approbando & defendendo: Excommunicatio Gregoriana in regulam Auguſtini peccat, quia multitudo inveſtituras ab Imperatore datas conſentiendo approbabat, populus Imperatorem ſuum ne regno caderet, armis & corporibus defendebat; *populus parenti fauebat, filij ſcelus execrabatur*: Et iterum: *Populus qui plus Patri quam filio fauebat, ſeuire cœpit, indigniſſimum facinus clamitant, Auguſtum in vincula à filio coniectum inauditum ſcelus; haud leui vniuerſæ Reipub. malo experiundum eſſe vociferantur*: ſic Aventinus. *Auent. Lib. 5. 474.475.*

Quinetiam Nauclerus de hacipſa cenſura Gregorij hæc verba Auguſtini intelligit: *Niſi quis, inquit, fortè eum arguat propter cenſuræ grauitatem, quam tantæ, vt diximus, in Occidentali Eccleſia ſcandala ſecuta ſunt: potuiſſet hic Auguſtini ſententiam voluiſſe, quando ait: Cum contagio peccandi multitudinem invaſerit, &c. Conſtat* (ait) *ex veridicis Scripturis, quod tum in Schiſmate Romanum Imperium ſeptennes & amplius laborauit.* *Generat. 37. ad annum 1085. pag. 710.*

Eodem vinculo excommunicationis innodati ſunt *Epiſcopi Longobardiæ, Epiſcopi Vltramontani* in Concilio Romano: multi præterea alij in eodem Concilio, & ante Concilium excommunicati ſunt: Cæteris huius conſpirationis participibus dies conſtituti, vt aut purgarentur, aut ſimili excommunicationis ſententia ligarentur. Quid ergo? An ſolus *Henricus* hìc excommunicatur? Annon multi cum eo Epiſcopi Lombardiæ, & Vltramontani? Annon omnes illi excommunicati qui cum Henrico communicarunt? In hâc ergo excommunicatione, & contagio peccati mul-

multitudinem pervaſit, & multitudo, omneſque gentes quæ Imperatori adhærebant eâdem ſententia ligantur.

Damnanda ergò ſententia *Gregorij*, quià contrà multitudinem, eâdem labe peccati conſentiendo, approbando & defendendo maculatam, lata eſt: & proinde conſilium hoc ſeparationis inane, & pernicioſum, & ſacrilegum, quia impium & ſuperbum. Sed videamus rationem Auguſtini: *plus perturbat infirmos bonos, quam corrigit animoſos malos*. Animoſi mali per hanc ſententiam non corriguntur, boni verò infirmi perturbati ſunt: nec ſolum boni in particulari, ſed & tota ciuitas bonorum perturbata eſt, Reſpub. verò conquaſſata eſt; ſententia ergò Gregorij contra regulam Auguſtini peccat.

Demus vero, *Henricum* ſolùm excommunicatum, aut paucos Epiſcopos, conſpirationis contrà ſedem Apoſtolicã Authores: ſi per vnius excõmunicationem plus perturbantur infirmi boni, quam corriguntur animoſi mali: ſi per vnius excõmunicationem ciuitas Sanctorum, ciuitas cęleſtis, & ciuitas terrena perturbetur, & conteratur, an talis excommunicatio licita, per quam Reſpub. Chriſtiana detrimentum capit? Qui poteſtatem ſuam lucro animarum præponit, talem excommunicationem licitam dicet: qui ſalutem animarum amplitudini ſuæ præfert, hic pauca Zizania diu vſque ad meſſem creſcere patietur, potius quam triticum eradicare velit: Cum ergò ex vnius Henrici excommunicatione magna pars tritici Dominici conculcata, ſpreta, eradicata eſt, & præda non beſtiarum & volucrum cœli, ſed Dæmonum facta; illicita proculdubio & iniqua hæc eſt Gregorij ſententia.

« At, inquit Bell. *Auguſtinus contrà Donatiſtas loquitur qui ſeipſos ab Ec-*
« *cleſiâ vniverſa ſeparauerant.*

Hypotheſis Auguſtini eſt de *Donatiſtis*: Theſis de omnibus, enunciatur Chriſtianis: verum hypotheſis iſta *Bellarminum* manifeſtè convincit: Donatiſtæ enim à multitudine ſiue Eccleſiâ Catholicá & vniverſali ſeceſſionem fecerunt, non propter crimen multitudinis, ſed propter crimen vnius *Cæciliani* propter vnius crimen multitudinem excommunicabat. Idem morbus plurimos non invaſerat, ſed vnum ſolum Cæcilianum: Donatiſtæ propter vnum Cæcilianum multitudinem excommunicant, dum ſeipſos ab ijs ſeparant; vt propter vnum Henricum Gregorius à multitudine & populo & ſubditis Henrici ſeparatur. Non eſt ſeparatio facienda propter vnum Cæcilianum, non eſt ſeparatio facienda propter vnum Henricum: vt Catholica Eccleſia coinquinata quia communicauit cum Cæciliano, ſic Catholica Eccleſia coinquinata quia communicauit cum Henrico: Donatus facit Schiſma, ſicut & Gregorius: male Donatiſtarum mentionem fecit Bell.

« *At Donatiſtæ ſeipſos Eccleſiam ſine ruga & macula dicebant: ideo do-*
« *cet Auguſtinus propter multitudinem peccatorum non eſſe faciendam ſepa-*

rationem:

rationem: cum ſemper futuri ſunt mali cum bonis vſque ad mundi con- „
ſummationem: Quod opus eſt Angelorum. Matt. 13. imo officium Dei eſ- „
ſumunt, qui ſolus poteſt ſeparare omnes bonos ab omnibus malis, bonos piſ- „
ces à malis ſecernere. Talis ſeparatio non ſolum inanis & periculoſa ſed & „
ſacrilega & ſuperba: ſic Bell. „

De quâ contagione & ſeparatione loquatur Auguſt. docent verba præcedentia. *Si quis frater nominatur fornicator, &c. In eo quippe quod ait; ſiquis nihil aliud videtur ſignificare voluiſſe, niſi eum poſſe tali modo ſalubriter corrigi, qui inter diſſimiles peccat; id eſt inter eos quos peccatorũ ſimilũ peſtilentia non corrumpit. In eo vero quod ait, nominatur, hoc nimirum intelligi voluit parum eſſe vt ſit quiſque talis, niſi etiam nominetur, id eſt famoſus appareat; vt poſſit omnibus digniſſima videri, quæ in eum fuerit Anathematis prolata ſententia: ita enim & ſaluâ pace corrigitur, & cum interficere percutitur, & medicinaliter vritur*: Hìc manifeſtè apparet Auguſtinũ non de quovis malo fratre ſed de famoſo & notorio locutum, adeoque non de ſeparatione quam Deus & Angeli in mundi conſummatione facient, in quâ ſoli boni piſces in ſagenâ Chriſti, ſolum triticum in horreo Domini ſine omni palea remanebit: ſed de tali ſeparatione loquitur in quâ mali famoſi & notorij à bonis & malis occultis ſeparantur, per cenſuras Eccleſiæ ſanatiuas non deſtructorias. Et paulò ſuperius, vbi explicans verba Chriſti; Sinite vtraque creſcere vſque ad meſſem, ne fortè cum vultis colligere zizania, eradicetis ſimul & triticum. *Vbi* (inquit) *ſatis oſtendit, quàm metus iſte non ſubeſt, ſed omnino de frumentorum certâ ſtabilitate, certa ſecuritas manet: id eſt quando ita cuiuſque crimen notum eſt omnibus, & omnibus execrabile apparet, vt vel nullos prorſus vel non tales habeat defenſores, per quos poſſit ſchiſma contingere, non dormiat ſeveritas diſciplinæ.* Et infra. *Tunc etiam & ille timore percutitur, & pudore ſanatur, cum ab vniuerſa Eccleſia ſe Anathematizatum videns, ſociam turbam, cum quâ in delicto ſuo gaudeat & bonis inſultet, non poteſt invenire.* Matth. 13.

Sententia ergo ſeparationis, id eſt, excommunicationis in vnum aliquem proferenda non eſt juxta Auguſtinum, quando multos taleſquè habet defenſores, per quos fieri poſſit ſchiſma, quibuſcum in ſuo delicto gaudere & bonis inſultare poſſit: hìc non ſeveritati ſed luctui locus eſt; hìc vindicta Deo reſeruanda eſt, hìc ſeparatio ſufficit cordis. Malè ergò Gregorius juxta Auguſtinum, Henricum excommunicauit, quia tantos taleſq; defenſores habuit, per quos factum eſt ſchiſma maximum, in quo diviſus eſt orbis Chriſtianus per totum ferè Occidentem, & mala infinita ad deſtructionem & eradicationem frumenti ſubſecuta ſunt. Quod vero ad multa publica & intolerabilia crimina *Hẽrici* attinet, talia fuere, qualibus Curia Romana publicè & notoriè ſcatere ſolet, & objecta hęc ſępe, probata vero nunquam ſunt.

Quod

Quod addit de verbis Christi, sinite vtraque crescere. Certum est non prohiberi incorrigibilium excommunicationem, hæreticorumq; punitionem; nisi sine scandalo pusillorum, & tritici eradicatione & destructione fieri non possit.

Verum quod verba hæc, Sinite vtraque crescere; prædictio sit, quod semper futuri sint mali, non præceptum vt tolerentur mali & zizania, si sine eradicatione tritici evelli non poterunt; merum est figmentum & commentum nouitatis plenum: Cum enim in agro mundi lolia & Zizania à tritico etiam in gramine facile dignosci possint, at in agro Ecclesiæ boni & mali ex gramine professionis non dignoscuntur; eandem fidem profitẽtur Sanctus & impius, electus & reprobus: quæ in corde siue spiritu sunt, solus nouit spiritus, & spiritum omnium creator Deus: ex fructibus solis bonorum vel malorum operum cognosci possunt: Zizania ergo aliqua famosa & notoria evelli possunt, sine tritici eradicatione, per disciplinæ severitatem: at si omnia Zizania tollere & eradicare aggrediatur Ecclesia, quia periculum est nè cum Zizanijs simul & triticum, quod à Zizanijs difficulter dignoscitur, vna eradicetur, non solum prædictio est, quod semper futuri sunt in Ecclesiâ mali, sed etiam præceptum est, vt vnâ sinantur Zizania id est mali, cum tritico, id est bonis, crescere. Qui enim facit solem suum oriri super malos, propter bonos: & pluit super injustos propter justos; propter lucrum & incrementum bonorum & tritici, etiam malos & Zizania simit crescere vsquè ad messem, vt per patientiam Sancti tanquam aurum in fornace probati, ad coronam immortalitatis perveniant: vnde Apostolus: *Oportet hæreses esse, vt probati manifestentur.*

1.Cor.11.19.

Quarto loco approbat sententiam eorum Bellarminus: *qui in hâc parabolâ asserunt prohiberi separationem malorum & hæreticorum, non absolutè sed quando periculum est nè cum zizanijs triticum, cum impijs pij involuantur: sed hoc indicium penes Pontificem summum solum esto.* Acsi diceret; alijs omnibus cæcis esse licet, solus oculos habet Pontifex; si ille sine periculo Henricum excommunicandum senserit, etsi multas animarum myriadas cum illo ad Gehennam mittat, etsi mala infinita, miserias numerabiles & intolerabiles in Ecclesiam & Rempublicam inducat, etsi plus noceat tritico quam lolio, parum refert. *Avulsa sunt viscera mea à me & mihi dicitur, nè senseris*: Insensibiles nos omnes esse oportet, solus sensum habet horum malorum, huius periculi, (sensibilis dicam? an spiritualis ille? sine sensu horum malorum Ecclesiæ,) qui omnia dijudicat, à nemine dijudicatur. Nonne hoc est, cum Naas Ammonita dicere, *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam omnium vestrûm oculos dexteros, ponamq; vos opprobrium in vniverso Israel:* fœdus hoc fœdissimum, & non ferendum.

Bern.in Cant. Serm.26.

1.Sam.11.

Vt uero huic capiti Colophonem addam; illud hoc loco obseruet Lector; ex Augustino, nec non ex concessione Bellarmini, Injustam & illicitam

licitam, inanem & pernicioſam, ſacrilegam & impiam eſſe illam ſeparationis ſiue excommunicationis ſententiam, quę contra multitudinem eodem morbo correptam, eâdem contagione maculatam, prolata fuerit: At talis eſt excommunicatio Pontificis quolibet anno in Cœnâ Domini contrà multitudinem hæreticorum (vti Pontifici placet) quæ Catholicos id eſt Romanenſes numero penè infinito ſuperat. Iuxtà Auguſtinum ergò & Bellarminum, excõmunicatio illa in Cœnâ Domini inanis & pernicioſa, imo ſacrilega & impia eſt.

CAP. X.

Henricus 4. primus a Gregorio 7. depoſitus eſt idque injuſtè juxta ſententiam Othonis Friſingenſis.

1. *Henricus 4. primus depoſitus eſt, per ſententiam Papæ, iuxta Othonem & alios complures.* 2. *Iniuſtè depoſitus eſt Henricus quartus.* 3. *Imperator poteſt Papam deponere in Concilio.* 4. *Otto Imperator Ioan. 12. depoſuit in Concilio.* 5. *Sententia Othonis Friſingenſis, de nouitate, & iniuſtitia huius depoſitionis.* 6. *Ducatum Sueuiæ Rodulphus Bertolpho, Henricus 4. Frederico dedit; Iuſtitia a partibus Hērici fuit autore Ottone: an teſtis ſit ſuſpectus?*

IN hoc Capite ex Othone Friſingenſi tractantur duo: primum Eſt, Nouitas huius ſententiæ Gregorianæ; *Lego & Relego Romanorum Regum & Imperatorum geſta, & nuſquam invenio quenquam eorum ante hunc à Romano Pontifice excommunicatum, vel Regno priuatum.* Secundum eſt, ſententia Othonis de hâc Henrici depoſitione quam ab Othone approbatam arguit Bellarminus. 1. *Lib. 9. Cap. 35.*

Quod ad nouitatem huius ſententiæ, an primus ſcilicet ex Pontificibus ſit Gregorius 7. qui Imperatorem aut Regem depoſuerit; refert lectorem Bellarminus, ad Reſponſa ſua Cap. præcedenti ſcilicet 9. ibi vero ad Cap. 4. vbi producit exempla Gregorij 2. Zachariæ, Leonis 3. Gregorij 4. & Hadriani 2. Quibus ſuis locis reſponſum eſt.

Quia vero leue hoc videtur Othonis teſtimonium, alios ſuperaddam, qui Othoni in hâc cauſa ſuffragantur, vt habeat Bell. quibus reſpondeat, qui hæc commenta *de Gregorio ſecundo & Zacharia, & Leone tertio & Gregorio quarto, & Hadriano ſecundo*, rectius nouerant quam Bellarmin.

1. Sit Marianus Scotus: Ad Annum 1075. apud quem habentur iſta: *Fautores Regis dicebant nunquam fuiſſe auditum Regem aliquando excommunicationi ſubditum.*

2 Eſt,

2. Est, N. Treverensis Archiepiscopus: In Tom. 1. Constitut. Imp. qui sententiam Gregorij *obstupendam abusionem nouitatis suæ, & inauditum decretum appellat.*

3. Venericus Vercellensis: siue Author Libri de conseruanda Ecclesiæ vnitate: De Anselmo Lucensi: *cum ipse ad Nouas institutionum sectas cohortatur, accommodare aurem suam* Pag. 38. & 50. *Noua & inaudita est prædicatio eiusmodi, cum Ecclesia non habeat sibi concessum gladium nisi spiritus, quod est verbum Dei.*

4. Leodienses in Epistola ad Paschalem 2. *Hildebrandus Papa qui author est huius nouelli schismatis, & primus leuauit sacerdotalem lanceam contra Diadema Regni &c.* Pag. 137. Et infra. *Primus se, & suo exemplo alios Pontifices contra Imperatorem accinxit gladio belli.*

5, Sigebertus: ad annum 1088. *Hæc sola nouitas (ne dicam) hæresis nec dum in mundo emerserat.*

6. Gotfridus Viterbiensis: part. 17. de Henrico 4. *Ante hunc Imperatorem non legimus aliquem à Romano Pontifice excommunicatum, aut Imperio priuatum nisi forte illud pro excommunicatione &c.* vt apud Othonem.

7. Magnum Chronicon Belgiæ, in quo recitantur verba Sigeberti; *Nimirum vt cum pace bonorum omnium dixerim: Hæc sola nouitas, &c.*

8. *Vincentius*, qui eadem verba *Sigeberti* recitat & approbat Lib. 26. Cap. 84. Spec. Hist.

9. *Chronicon Chronicorum*: ætate 6. in vita Henrici: *Ante hunc Imperatorem, nullum Imperatorem à Pontifice summo excommunicatum ferunt.*

10. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi 1106. *Ipse autem* (Henricus) *est primus inter omnes Imperatores per Papam depositos.*

11. Cuspinianus in Henrico 4. *Cum tamen nusquam legatur Cæsarem à Pontifice, ita esse diris deuotum, &c.*

12. Aventinus Lib. 5. Pag. 447. *Atque is Hildebrandus qui & Gregorius 7. primum Imperium Pontificium condidit, quod successores per Quadringentos quinquaginta continenter annos, inuito mundo, invitis Imperatoribus adeò duxere, vt inferos, superos, in seruitutem redegerint, atque sub Iugum miserint, atque cuncta fulmine perterritent.*

13. Onuphrius: in vita Gregorij. *Primus omnium Romanorum Pontificum Gregorius 7. armis Normannorum fretus, opibus Comitissæ Matildis mulieris per Italiam potentissimæ confisus, discordiaque Germanorum Principum bello Ciuili laborantium inflammatus, prater maiorum morem contemptâ Imperatoris authoritate & potestate, cum summum Pontificatum obtinuisset, Cæsarem ipsum à quo si non electus, saltem confirmatus fuerat; non dico excommunicare, sed etiam Regno imperioq; priuare ausus est: Res*

ante

ante ea ſecula in audita: Nam fabulas quæ de Arcbadio, Anaſtaſio & Leone Iconomacho circumferuntur, nihil moror. vnde Friſingenſis &c. Lego, inquit, & Relego.

14. Papirius Maſſonus in Gregorio 7. *Tunc Pontifex maiora auſurus quam nunquam antèa, Henricum iura Eccleſiæ occupantem cœtu Chriſtianorum indignum pronuntiat &c.*

15. Valerius Anſelmus Ryd. In Catalogo annorum atque Principum. de Gregorio 7. *Primus, vel ipſe omnium maximè, plumbeum Romani Pontificis gladium adeo potentem reddidit, vt eius vi per eum Imperij vim deinceps obtuderit penè totam, Quo ſuperbiens, &c.*

16 Nicholaus Machiauelius in Hiſtoria Florentina Lib. 1. (de Hiſtoria quam de pietate melius meritus) *Henricus ille primus omnium ex Imperatoribus Romanis vim & potentiam gladij ſpiritualis experiebatur.* quid apertius?

17. Author vitæ Gebehardi: In Tom. 6. Antiquæ lectionis Hen. Caniſii. *Hoc nouum ſiue Rarum in Regem Anathema, vtrum ex venditione Epiſcopiorum, & Abbatiarum, an ex alia infamia, cauſas ſumpſerit, penes earum conſcios ſit & Iudices; Nobis ſiue iuſta ſiue iniuſta ſit Paſtoris ſententia timenda eſt.*

18. Gulielmus Malmesburienſis: de Willielmo primo Lib. 3. *Alexandro ergo defuncto, ſucceſſit Hildebrandus* (Gregorius 7. dictus) *Hic quod alij inſtituerant palam extulit excommunicans electos &c.*

Nouam vero hanc eſſe ſententiam, vel potius iniuriam, proteſtatur Henricus, nulli Imperatori ab vllo Pontifice vnquam Imperium abrogatum: *Ego quidem tuo peccata adoleſcentiæ meæ, recipiens à Domino ſtateram æquiponderis, ignominiam & confuſionem, quantum nemo Regum qui ante me fuerunt, ſuſtinuiſſe dignoſcitur*, vti refert Helmoldus Cap. 32: *Ignominiam ſuſtineo anteà inauditam, ſed delicta Iuventutis &c.* vti Albertus Stadenſis ad Annum 1106. *Ego quidem tuo peccata adoleſcentiæ meæ, nempe ignominiam patiens, nulli ante Regum illatam: ſic apud Sigonium: de Regno Italiæ Lib. 9. ad annum* 1106. Hæc notiſſima *Henrici* vox, quam nemo Hiſtoricorum reprehendit; quidni ergo & verum ſit quod ab Othone refertur: Primus Imperatorum *Henricus* à Gregorio 7. excommunicatus & depoſitus eſt: Et etiam Otho alibi De geſtis Frederici Lib. 1. Cap. 1. *Cuius rei nouitate eo vehementius indignatione motum ſuſcepit Imperium, quo nunquam ante hac tempora, huiuſmodi ſententiam in principem Romanorum promulgatam cognouerat.* Si teſtes iſti lectori ſatis non ſunt, neſcio ego quid ſit ſatis. Nouitatis ergo arguitur ſententia Gregorij 7. ab Othone Friſingenſi.

Injuſtitiæ itidem arguitur ex eiuſdem Othonis ſententiâ: id quod multis probat ex Othone Barclaius. *Nouum hoc eſt decretum & inſolens*

vt ſupra patet, iniuſtum autem conſtat ex malis hanc ſententiam concomitantibus.

Otho L. 6. C. 36. *Papa*, inquit, *ſuper Papam, ſicut Rex ſuper Regem poſitus eſt vtrumque pari iure, imo vero pari iniuria factum*: ſic Barclaius.

" *Imò vero vtrunque pari iure vel pari iniuſtitia factum eſſe, Otho non dicit neque dicere potuit:* ſic Bell.

Imo vero dixit & proinde dicere potuit: verba Othonis ſunt, *Quanta autem mala, quot Bella, bellorumque diſcrimina, inde ſubſequuta ſunt, quoties miſera Roma obſeſſa, capta, vaſtata, quod Papa ſuper Papam ſicut Rex ſuper Regem poſitus fuerit tædet memorare.* Inter mala ergo huius ſententiæ, vtrunque & quod Papa ſuper Papam, & quod Rex ſuper Regem poſitus eſt, & talia mala quæ memorare tædet, aut ergo juxta Othonem vtrumque juſtum, aut vtrunque injuſtum.

" *Nam Regem, ſuper Regem poſuit authoritas legitima Capitis Eccleſiæ:* ſic Bellarminus.

In hac propoſitione multa falſa, 1. Non poſuit authoritas legitima capitis Eccleſiæ Rodulphum Regem ſuper Henricum Regem, id ipſum aperte negat Caput Eccleſiæ Gregorius 7. *Verum illud admodum veſtræ Dilectioni notificare non dedignamur, deo teſte Rodolphum qui Rex ab vltra-montanis ordinatus eſt, non noſtro præcepto ſiue Conſilio, Regnum tunc ſuſcepiſſe: Inſuper etiam nos in Synodo decernentes firmauiſſe niſi Archiepiſcopi & Epiſcopi qui illum ordinauerant hoc factum ſuum recte defendere potuiſſent, tam ipſos à dignitatibus ſuis, quam & præfatum Rodulphum à Regno deponere.* Hæc Gregorius: cuius authoritatem (ſpero) non negabit Bellarminus; quamuis contrarium ſcribant multi Hiſtorici: vide *Vrſpergenſem* ad Annum 1076. *qui etiam verba Gregorij in eundem* ſenſum recenſet.

In Regiſt. Lib 9. Epiſt. 28.

Et quamuis verſus ille; *Petra dedit Petro, Petrus Diadema Rodulpho*: fideſque omnium Hiſtoricorum, hoc factum arguat eſſe Papæ: Electum tamen fuiſſe Rodulphum à Saxonibus rebellibus, nec Papa, nec Bell. negare poteſt; ſic non poſuit Regem ſuper Regem, authoritas legitima capitis Eccleſiæ, ſed tumultuaria electio rebellantis populi: Saxones poſuerunt, non Pontifex Gregorius.

Quinetiam: Cum Papa deponit Imperatorem, an Electores jus ſuum amittunt, an ipſo facto devoluitur Electio ad Pontificem? Nouum hoc eſt jus & inauditum, nec ab Electoribus Principibus vnquam admiſſum. An poſt depoſitionem Childerici Zacharias Regē ſuper Regē conſtituit, an vero Proceres populuſque Pipinum in Childerici locum ſurrogarunt? Si Papa Regem ſuper Regem poſuit tum legitima authoritas non poſuit, quia Electores non poſuerunt, penes quos poteſtas legitima eligendi Imperatorem reſidet. Si legitima authoritas (quæ penes Electores) Regem ſuper Regem poſuit, tum Papa non poſuit: Nec enim Pontificis

ficis est Reges in Republica, sed Episcopos potius in Ecclesia ponere.

Quis vero inter Pontificios tam audax vt hanc potestatem siue authoritatem legitimam Capitis Ecclesiæ asserere velit, vt sicut Pontifex Reges Hæreticos aut malos deponit & destituit, sic etiam Reges nouos constituat & promoueat. Quanquam hoc ipso argumento corruit tota hæc defensio potestatis huius temporalis Pontificiæ:

Eiusdem enim est destituere, cuius est constituere.

Pontifex Reges non constituit ergo nec destituit,

Papam super Papam posuit inobedientia schismatici Regis: quod enim iure possit Imperator Papam deponere, & alium superponere, nescio an si vel vnum Barclaius inveniet virum Catholicum qui dixerit aut scripserit. 31

Papam super Papam, Guibertum, qui Clemens, super Gregorium positum fuisse res ipsa loquitur: à quo positus fuerit non dicit Otho: Authoritas Imperatoris accessit proculdubio, qui Concilium convocauit, (vti & quatuor prima generalia ab Impp. convocata inficias non ibit Bell.) In Primitiua Ecclesia multos Episcopos in Concilijs depositos fuisse consensu, & confirmatione, & authoritate Imperatorum, nemo in antiquitate versatus negare potest: sub Constantino, sub multis alijs pijs & Orthodoxis Imperatoribus factum hoc, non tantum de facto, sed etiam de jure; laudantur enim & in Albo sanctorum & piorum Imperatorum recensentur, qui custodes vtriusquè tabulæ siue Decalogi cum fuerint, sic nutrierunt, sic Ecclesiam defenderunt, lupos a caulis Domini abegerunt: sine Concilio tamen hoc ab Imperatoribus factum non invenio.

Verum Guibertus super Gregorium, Papa super Papam positus est authoritate & confirmatione Henrici Imperatoris per Concilium *Brixiense*, in quo depositus fuit Gregorius à 30. Episcopis, & Guibertus subrogatus, vt satis constat quod alijs postmodum Concilijs confirmatum est.

Neque vero hoc nouum videri debet, quod Henricus 4. Concilio convocato Gregorium deposuerit, & Guibertum in eius locum suffecerit: Nam Henricus tertius huius quarti pater, tres simul Antipapas *tria teterrima monstra deposuit, Benedictum nonum, Sylvestrum tertium, Gregorium 6.* vel 7. vt Otho noster; nec tantum *cedere persuasit*, (vt ex *Othone* Lib. 6. Cap. 32. *Bell.* de Rom. Pont. Lib. 2. Cap. 29.) sed *convictum baculo prinauit*, vt Hermannus Contractus ad annum 1046. *deposuit*, vt Lambert. ad annum 1046. *Synodaliter deposuit*: vt Marianus Scotus, ad annum 1046. contemporanei, *Convicit & amouit*; Sfridus 1040. & alij plurimi: Hos omnes Simoniacos fuisse satis constat, Benedictus enim Sylvestro, Sylvester Gregorio papatum vendidit: *Et hic Gregorium hunc in delitijs habuit summeque dilexit, secutusque est Hildebrandus & Papatum adeptus, ob eius amorem, quia de Catalogo Pontificum semotus fuerat, se Gregorium 7. vocari voluit. Heres perfidiæ simul (eius) & pecuniæ*, vt Benno: Nec coniectura probabili caret, quod Filium Henricum quartum gratis

Plat. in Greg. 6.

Otho L. 6. C. 32.

In vita Hildebr.

ederit, & perſecutus ſit Hildebrandus, quia Gratianum ſiue Greg.6.vel 7. depoſuerit Henric°3. pater: à quo forte Hildebrandus non odiũ S moniæ, ſed Simoniam didicerat. De hoc facto, ſic Iohannes Pariſ. *Sic enim commendabiliter populus zelo fidei commotus, Conſtantinum Papam qui Eccleſiæ in ſcandalum erat. oculis priuauit, & deponit: Sic & Hẽricus Imp. Romam vadens Benedictum 9. & alios duos, qui contentionibus ſuis ſcandalizabant Eccleſiam, Imperiali & Canonicâ cẽſurâ depoſuit, & Clementẽ 2. Romanæ Eccleſiæ Papam conſtituit, vt legitur in Chronicis Romanorum:* ſic Iohannes Pariſ. qui & factum hoc ab Imperatore & commendabiliter factum narrat. *Henricus Imp. contra eos Romam accedit, & eos Canonica & Imperiali cenſurâ deponit:* ſic magnum Chron cum Belgiæ ex quodam *Bernardo* Eccè duo Scriptores Catholici, hoc factum de jure laudant. Papã ergo ſuper Papã non poſuit inobedientia ſchiſmatici Regis; ſed Canonica & Imperialis cenſura: Neq; Rex ſchiſmaticus Henricus, qui conſulta Patrũ qui leges juraq; ſeruat, ſed Pontifex ſchiſmaticus Greg. qui ſuæ poteſtatis ampliandę cauſa conſulta Pontificum, legeſq; juraq; Impp. violare conatur: *Indignũ duxit Henricus ſedẽ Rom. agnoſcere quã Patereius pro arbitratu quibus vellet contuliſſet*: ſic Krantzius: Scandalũ ergo datũ eſt à Põtifice non ab Imperatore: proinde caput ſchiſmatis Pontifex. non Imp.

De poteſt. Regia & papali c.14.

Metrop. l.5.c.13.

Theod. l.1.c.19. Conſtantinum M. Catholicũ magnũ fuiſſe, non negabit credo Bell. Nihil de facto, omnia de jure, decernere & facere ſolebat, & Conſtantini M. & Imp. & Catholici, hęc ſunt: *Quod ſi quis audaciter inconſulteq; ad memoriã, ad laudem peſtiũ illarum (Arianorum) exarſerit, illius ſtatim audacia miniſtri dei, hoc eſt, mea executione coercebitur. Paſſim* (ait Socrates) *in hiſt. Imperatorũ mẽtionẽ propterea fecimus quod ex illo tempore quo Cõſtantini eſſe cœperunt, Eccleſiæ negotia ex illorum nutu pendere viſa ſunt: atq; adeo maxima Cõcilia de eorũdẽ fidẽtia & cõvocata fuerũt, & adhuc cõuocãtur.*

Lib.5.in Proem.

Lib.1.Cap.20. Euſebium & Theognidem depoſitos fuiſſe authoritate Conſtantini docet *Sozomenus: Quare iſtarum literarum ab Imperatore ſcriptarum authoritate, Euſebius & Theognis, Eccleſijs quibus præerant electi ſunt*; ne vero regerat Bell. poteſtatem penes Concilium deponendorum Epiſcoporum reſidere, executionem vero Imperatori demãdatam: verba Patrum Chalcedonenſium in ſupplici libello Imperatoribus Valentiniano & Martiano exhibito audiamus. *Oramus vt diuina & honorifica veſtra mandata mittere dignemini ſancto & generali diuiniſſimorum Epiſcoporum Concilio.* Et iterum *Dioſcorus & alij Epiſcopi, (modo ita placuerit diuiniſſimo & ſanctiſſimo Imperatori) ſacri Concilij ſententia ac iudicio, eodem penè genere, ſicut Canones Eccleſiæ poſtulant, multati, dignitate Epiſcopali abdicentur, omniaq; de ſententia Imperatorum diuiniſſimorum fiant.* Et iterum: *Epiſcopi cum Dioſcoro abdicati, Concilij rogatu, & conſenſu Imperatoris, ad ſuos Epiſcopatus reuocentur*: Et Cap.5. *Martianus, Imperator Theodoſium deponit, & Iuuenalem deſtituit*: Quinetiam *omnes a Theodoſio, ad Eccleſiæ Miniſterium deſignatos exturbari mandat*: Præterea

Euag. L.2.C.4.

lege

lege Iustiniani Auth. de Sanctiss. Episc. Cap. 9. cautum est; *Episcopos, nisi intra definitum à sacris Canonibus tempus revertantur ad suas Ecclesias, ipsos quidem ab Episcopatu expelli; alios autem pro ijs meliores ordinari, secundum praesentis legis virtutem.*

Et hi omnes Catholici, qui haec scripserunt & sanxerunt, idquè non de facto, sed de jure, quia lege sancita sunt.

Multos Pontifices ab Imperatore depositos fuisse in Synodis non negabit credo Bellarminus: Iohannem. 12. deposuit Otho, in Concilio Romæ congregato: *vbi Romani Pontifices* (inquit Luithprandus eius temporis Scriptor, Histor. Lib. 6. Cap. 10.) *reliquusque Clerus, & cunctus populus dixerunt: Petimus magnitudinem Imperij vestri, monstrum illud nulla virtute redemptum à vitijs, à sancta Romana Ecclesia pelli, aliumquè loco eius constitui, qui nobis exemplo bonæ conversationis praesse valeat &c. Tunc Imperator, placet, inquit, quod dicitis, &c. vnde Leonem annuente Imperatore elegerunt*: Hæc Luithprandus: Ecce, non vnus Scriptor, sed tota Synodus hunc Iohannem Pontificem per Imperatorem deponendum judicauit: Et hic Imperator pius semper habitus est, & laudatur eius zelus tanquam rectus, à Poeta quadam illius ætatis: his versibus. 41

Hrosuita de gestis Oddonum.

Qualiter & recti compellius acumine zeli,
Summum Pontificem, quadam perversa patrantem,
Eius nec monitis dignantem cedere crebris,
Sedis Apostolicæ fraudari fecit honore,
Constituens alium Rectoris nomine dignum:

Eccè, Otho Iohannem deposuit, & Papam super Papam posuit, quod in Henrico reprehendit Bellarminus: Otho pius, qui Papam super Papam posuit, Leonem super Iohannem: Henricus schismaticus, qui Guibertum super Hildebrandum posuit. Idem fecerunt Otho & Henricus: at pius Otho, & Henricus Schismaticus: Imò tam Sanctus Otho, *vt hoc tempore sanctitas Papas dimiserit, & ad Imperatores accesserit*: vt VVernerus in Benedicto, ad annum 954. Quid ni ergò & sanctus, Henricus, qui eodem jure, idem fecit quod Otho pius.

Hanc ipsam quæstionem Ockamus Lib. 6. Dialog. Cap. 4. & 5. de hoc ipso facto Othonis sic soluit. *Discip. dicent aliqui quod Imperator Otho iniustè processit, nec dictus Papa (Iohannes) fuit depositus, sed de facto fuit Papatu tantummodo spoliatus. Magister: Hæc Responsio impugnatur quia si Papa Iohannes remansisset verus Papa, ille qui sibi successit, ipso viuente non fuisset verus Papa, sed Papatus Invasor: ex quo sequitur quod omnia quæ egit nullius fuissent roboris vel momenti: sed debebant omnia in irritum revocari, quod tamen minime fuit factum; Imo quod successor ipsius Iohannis ipso viuente, fuerit verus Papa tota tenet Ecclesia, Ergo Papa Iohannes Duodecimus fuit verè depositus*: Ibidem vero disputat & concludit

cludit Occhamus *Imperatorem eſſe Iudicem ordinarium Papæ*: Idem diſputat Theodoricus à Niem, de Schiſmate Lib. 3. Cap. 7. 8. 9 & 10. Cap. 9: *Quod autem Imperialis poteſtas ſit præcipuè ſuper malum & incorrigibilem Pontificem Romanum, per quem ſcandalizatur Eccleſia, ex geſtis Imperatorum ſeu Regum Romanorum ſatis conſtat, Nam Iohannes Papa duodecimus &c.* poſt, narrat Convocatum Romæ Concilium ab Othone magno, in quo Iohannes depoſitus eſt, & Leo ſubſtitutus, cujus de hâc re, hoc eſt judicium Cap. 10. *Idem Auguſtus, ſic faciendo non peccauit, nec exceſſit, quin imò vt Dei Miniſter optime fecit, qui fuit adeò glorioſus, & conſtantis animi, Deificus mundúſque Imperator, vt eius magnificentia, & memoria digna geſta teſtantur &c.* Quin in quæſtione principali ſic concludit, *Nec credo illud obſtare, quod Canoniſtæ dicunt, quod Papa niſi a fide ſua deuius, deijci non poteſt, & quod nemo iudicat primã ſedem, quodque nullus poteſt auferre poteſtatem quam conferre non poteſt, &c.*

Ecce tres præter Concilium hoc factum Othonis qui Iohannem 12. depoſuit laudant & approbant, & Iure factum aſſerunt: Quamuis vero *Bell.* excipiat, & dicat: *Othonem piũ fuiſſe & bono zelo hoc feciſſe, non tamen ſecundum ſcientiam, quia rerum Eccleſiaſticarũ imperitus fuit,* (quod de novis forte Iuribus quæ ſibi fecerunt Pontifices, non de antiquis verum eſt.) at ibidem fatetur Bell. Othonem iudicaſſe, eum (Ioannem Pontificem) potuiſſe deponi, *præſertim cum multi Doctores,* (inquit Bell.) *idem ſenſerint.* Multi ergò Doctores authore Bell. ſentiũt Pontificem ab Imperatore & Concilio non ſolum propter hæreſim ſed etiam propter alia crimina deponi poſſe: ſicut in Concilio Piſano & alibi factum eſt.

De Pontif. Lib. 2. Cap. 29. ab Othone.

His addamus Authorem Somnij viridarij: Lib. 1. Cap. 161. *Si Epiſcopi vel noluerint vel nequiuerint Papã Hæreticũ iudicare hoc ſpectat ad Imperatorem vel Regem nam vt notauit Gloſſa 17. Diſt. Cap. Nec licuit: vbicunquè deficit poteſtas Eccleſiaſtica recurrendum eſt ad ſecularem, & ſicut Gloſſa notat, 2. q. 6. Cap. Præſul. Non requiruntur tot teſtes contra Papam, quot requiruntur contra Epiſcopos & Cardinales, ratione excellentiæ: imò duo ſufficiunt: & in hoc eſt deterioris conditionis quam ſunt inferiores Prælati: Et eſt ratio, quià ipſe, ſine comparatione aliorum creatus eſt, & ideo ſine ſpe veniæ condemnandus vt Diabolus, de Pœnit. Diſt. 2. Cap. Principium.*

Quin etiam & Pontifex ipſe Leo 4. 2. q. 7. ſeipſum Imperatoris Ludouici 1. iudicio ſubjectum fatetur: *Nos ſi incompetenter aliquid egimus, & in ſubditis iuſta legis tramitem non conſeruauimus, veſtro admiſſorum noſtrorum cuncta volumus emendare iudicio: quoniã ſi nos qui aliena debemus corrigere peccata, maiora committimus, certe non veritatis diſcipuli ſed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris, erroris magiſtri: Inde magnitudinis veſtræ clementiam magnopere imploramus, vt tales ad hæc quæ diximus perquirenda miſſos in his partibus dirigatis, &c. ita eorum cuncta legitimo terminentur examine, quatenus in poſterum, nihil ſit quod*

ex

ex ijs indiſcuſſum vel indefinitum remaneat. Ecce, Leo Papa ſe iudicio Ludouici Imperatoris & miſſorum ſuorum ſubmiſit, idq; non ſolum judicio Imperatoris diſcretiuo, ſed etiam coactiuo: nec enim de emendatione tantum, ſed etiam de correctione loquitur comparatiue: vt ipſe corrigit, ſic itidem corrigat Imperator, alias inanis eſt comparatio, ita, inquit, eorum cuncta legitimo terminentur examine, quod vero eſt examẽ legitimum in quo diſcernuntur peccata, non autem corriguntur? legitimum omne examen & cognitionem & correctionem culpæ continet: & terminentur legitimo examine; judiciũ diſcretiuum ſolum incipit, ſed nõ terminat: judicium legitimum & cum diſcretione incipit, & cum executione terminatur: ſed vltima verba rem exped unt: *indiſcuſſũ & indefinitũ remaneat*: Indiſcuſſum quoad diſcretionem, indefinitũ quoad correctionem: Papa ergo ſe Imperatoris judicio, & diſcuſſiuo & definitiuo: id eſt & cognitioni & correctioni ſubmittit: Ideò in ſequentibus dicitur *quod Imperator gladium portat, & pœnam irrogat corporalem ad vindictã malefactorum; ſicut Sacerdos claues portat; & pœnam infert ſpiritualem ad excluſionem excommunicandorũ, &c.* Et ipſa verba citat *Theodoricus à Niem.* vt probt Imp. poſſe judicio coactiuo Pontificem in Concilio deponere. *Lib. 3. de Schiſmate Cap. 6.*

Conſtat ergo authoritate non vnius tantum ſed multorum imò Pontificis Romani, quod Imperator jure poſſit Papam ſuper Papam delinquentem aut hæreticum per Concilium ponere.

At Papa non poteſt Imp. ſuper Imp. ponere, quià Imperatorem non poteſt deponere, Imperatori enim eiuſq; deputato ſe ſubmiſit Dominus Ieſus, nec poteſt vicarius maiorẽ libertatẽ arrogare, quã obtinuit Domin⁹. Sicut vero aliqui ſcriptores Catholici, vel potius Pontificij adulatores hãc indebitam poteſtatem deponendorum Regum Pontifici tribuũt ſic multi eandem prorſus negant: vt Cap. 8. docuimus: vix verò alios producere poteſt, qui Regum ſuper ponendorum poteſtatem Pontifici tribuunt.

Verum vt ad Othonem redeamus in eum finem mala illa recitat vt injuſtitiam aut ſaltem imprudentiam huius ſententię oſtendat: *Lapis inquit de Monte ſine manibus praciſus, i. Eccleſia, pedes ſtatuæ Nabuchodonoſoris id eſt Romanum Imperium, quod ferreum propter Martem, & fictile propter conditionem percuſsit dum Regẽ orbis non tanquam orbis Dominũ vereri, ſed tanquam de limo per humanam conditionem factũ fictilẽ, gladio Anathematis ferire decuit: vero quæ antea parua fuit & humilis, in quantũ mentem excreuerit ab omnibus iam videri poteſt*; Tum ſequitur. *Quanta autem mala, &c. inde ſubſecuta ſunt*: ſi inde ſubſecuta ſunt hæc mala, malum neceſſe eſt fuiſſe principiũ quod finis peſſimus ſecut⁹ eſt. Non dicit ex Regis inobediẽtia ſed indè, i. ex gladio Anathematis cui⁹ ſolius meminit. 5

Pergit Barcl. & ex Othonis verbis, & Regnum, & Eccleſiam huius injuſtæ ſententiæ pœnas dediſſe arguit, *Quia ergo* (inquit Otho) *in Principe ſuo Regnũ ab Eccleſia praciſum grauiter percuſſum fuit, Eccleſia quoq; tã-*

to Pastore qui inter omnes Sacerdotes & Romanos Pontifices præcipui zeli ac authoritatis erat, orbata, dolorem non modicum habuit. Hic & Regnum percussum in persona Principis, & Ecclesia percussa in persona Pontificis, vtrinque pœna, vtrinque ergo injustitia, & in Imperatoris & in Pontificis depositione.

„ Respondet Bellarminus: *Non intellexit Barclaius verba Othonis:*
„ *Otho de depositione Henrici loquitur quæ pœna Regni, de depositione Gre-*
„ *gorij non loquitur, sed de morte.*

Et Regnum grauiter percussum est, in præcisione Principis, & Ecclesia quoque percussa est; in abrogatione Pastoris: Ecclesia orbata est, non tantum in morte, sed etiam in exilio; & in depositione *Gregorij*. Imo Ecclesia magis percussa est quam Regnum, quia & in seipsa, & in Regno, quod ab Ecclesia præcisum est, percussa est, & indoluit. De morte Absolonis, & luctu Dauidis, sic olim Augustinus: *Luget Absolonem mortuum, sed laetatur de pace Regni:* non sic Ecclesia, quæ vndique luget, & quia Rex abscissus est, Regnum peremptum est, & quia nec Regnum, nec Ecclesia, pacem temporis habet: luget Ecclesia orbitatem suam, pastore suo deposito, exulante, & mortuo: Magis lugere debet Ecclesia orbitatem suam, quia multas tum corporum tum animarum Myriadas amiserit, quia Normannos, Teutonicos, multasque alias & magnas Prouincias quæ partes regni secutæ sunt, & in obedientia Guiberti perstiterunt, perdiderit: facilo enim nouum Pastorem magis pacificum, inuenire potuit Ecclesia: membra sua Anathemate Pontificio præcisa facile inuenire non poterat: ad bella, ad dissidia, ad schismata procliues sunt hominum animi, ad pacem & concordiam, & vnitatem, tardi.

Epist. 50.

Mirum vero est, quod Depositio & exilium Papæ, nec non Papę super Papam exaltatio, Bellarmino pœna non videtur Ecclesiæ, sicut depositio & excommunicatio Regis, & Regis super Regem exaltatio pœna est Regni. Cum Bellarminum latere non possit, vxorem viro orbatam dici posse, quando vir eius in carcere aut exilio detinetur, ludit ergo in nomine orbitatis: maximam verò doloris causam damna scilicet, detrimenta, pericula animarum, sicut & corporum, prætermisit.

Gregorium morbo naturali extinctum nemo dubitat: in hâc tamen morte naturali plus quam morbus naturalis: depositio, exilium, exilij tædium, extra sedem suam mori, ab inimicis in fugam & exilium cogi, de spe magna, de incæptis maximis cadere, omnia hæc quouis morbo, vel morte grauiora; mors ergo & morbus naturalis; occasio, & mortis locus non naturalis. Sicut & Henricus morbo naturali, ex fætore tamen, & pędore Carceris, in quo à filio detinebatur, vt videtur, contracto moritur: morbus illius & mors naturalis, occasio & modus mortis non naturalis.

„ *In morte Gregorij si locum habet iniustitia, Deus iniustus dicendus erit,*

qua

quæ est, ingens Blasphemia: sic Bellarminus; Quorsum vero ista: De mente enim Gregorij nihil dixerat Barclaius: de malis quæ iniustam Gregorij sententiam secuta sunt multa dixerat, inter quæ hoc vnum, quod Iustus Deus propter Regni percussionem, Ecclesiæ exinanitionem; & Papæ depositionem, & exilium, & in exilio mortem permiserat: Id quod Otho aperte dixit: *Quia ergo in Principe suo Regnum ab Ecclesia præcisum grauiter percussum fuit, Ecclesia, quoque*, hoc est, ideo, vel ob hanc causam, *tanto pastore, & corbata, dolorem non modicum habuit.*

Si enim coniunctio hæc (Quoq;) vim illationis hoc loco, non habebit, in verbis Othonis non est sensus: Hoc modo ergo mortuus est Gregorius, in Exilio, in pœna sententiæ temerariæ & iniustæ in Henricum latæ: Id verba sequentia satis illustrant: *Tanta*, inquit, *mutatione, tanquam à perfectione ad defectum vergente tempore*: Mutatio hæc & in Regno & in Ecclesia, à perfectione ad defectum progressus fuit: Excommunicatio ergo ista, & depositio Imperatoris, causa fuit vt Regnum & Ecclesia à statu perfectionis ad defectum caderet: mala ergo & iniusta est hæc sententia Gregorij, iuxta Othonem: Nõ est ergo iniusta mors Gregorij, quia iusta causa talis mortis præcessit.

Defectio Rodulphi & Guelfonis, lib. 1. De gestis Frederici: cap. 6. dicitur rebellio, quâ occasione dubium, Principi Rebellantes: & Chron. lib. 7. c. 8. *Henricus filius eius rebellionem contra Patrem sub specie religionis, eo quod Pater eius à Romanis Pontificibus excommunicatus esset, molitur. Non esset rebellio si Henricus iustè depositus fuisset, nam rebellio esse non potest, nisi aduersus superiorem; & si depositus iustè fuisset Henricus, superior esse desiit. Quin etiam Henricum hunc semper Regem & Imperatorem nominat*: sic Barclaius.

Respondet Bellarminus: *Rebellare dicitur is, qui non solum, à Principe legitimo deficit sed etiam qui deficit à Principe regnante de facto, quamuis non de Iure, vt & Rex dicitur qui de facto, quiq; de iure regnat: sic Ezechias rebellauit contra Regem Assyriorum. 4. Reg. c. 18. & Iehu coniurauit contra Ioram. 4. Reg. 9. sic Absolon à Dauide dicitur Rex, & Zambri regnauit. Et passim à scriptoribus Henricus dicitur Rex.*

Semel in libris Regum nomen rebellionis in bonam partem legitur, *Rebellauit Ezechias: quod est intelligendum, non quia prius fuisset ei subditus, sed quia non recepit eum vt Dominum, sicut multi Reges ante eum fecerant, & hoc est quod subdit, & ideo non seruiuit ei*: sic Lyranus in 4. Reg. ca. 18. non obediuit, nunquam obediuit: hoc est, hoc loco rebellauit: Hunc vnum locum produxit Bellarminus vt doceret, Othonem nomen Rebellionis in bonam partem adhibuisse, cum ab Othone & ab alijs millies in partem deteriorem accipiatur, miserum hoc est effugium; *Saxonibus rebellionem machinantibus*: Sic Otho lib. 6. cap. 34. contra hunc ipsum Henricum, non depositum, tempore Alexandri Papæ: Idem Saxones *Rebelles*

ante

dum refert Gregorij conſtantiam, idque tantum ex relatione, *fertur dixiſſe: Otho* Author ſuſpectus eſt quia Henrici nepos, *Frederici* patruus, dum *Bertolphum* regno & iuſtitiæ ceſſiſſe non ex relatione ſed dogmaticè affirmat: vide vero quomodo teſtis ſuſpectus: Otho Friſingenſis filius fuit *Leopoldi* Marchionis Auſtriæ: Qui Leopoldus olim à partibus Henrici quarti ſteterat, Henricus vero quintus patri rebellis vt eundem patri eriperet, Marchioni (huic) Leopoldo, Agnetem ſororem (qui Frederico Sueuorum Duci prius nupta, iam vidua erat ſpecioſiſſima) vxorem promittit, ſi partes ſuas ſequatur: Qua promiſſione motus, Imperatorem relinquit Henricum ſeniorem, vt hàc fœmina potiatur: è qua poſt Decem & octo liberos ſuſtulit: Huius ergo Leopoldi & Agnetis filius Otho iſte Friſingenſis fuit, Qui ſi Patris matriſque veſtigia ſequeretur & ſanguini poſtponeret veritatem, Henrico quinto & Gregorio, potius quam Henrico quarto fauere cenſendus eſſet: ſi ergo teſtis ſuſpectus, inde ſuſpitio maior quod patris matriſque & *Henrici* quinti auunculi partibus addictior quam avi, quia mortuus erat *Henricus* ſenior cum hæc ſcriberet. Et Eccleſia in cauſa inveſtiturarum victrix triumpharet, nec auderet, niſi veritate victus, quicquam in Henrici quarti gratiam poſteritati commendare. *Cuſpinian, in Henr. 4.*

Non eſt ergo mirum, quod multis laudibus Gregorium efferat, eiúſq; conſtantiam cum non poſſet veris, & indubitatis argumentis, ſaltem relatione & rumoribus popularibus prædicet: De *Henrici* vero virtutibus, ſicut & de vitijs & exceſſibus ſcribit modeſtiſſimè, de cuius humilitate, (& vbi humilitas baſis virtutum, ibi tota virtutum omnium ſuperſtructura) & eleemoſynis, clementia, alijſque donis ornatiſſimis, ſi iuxta veritatem, & inimicorum teſtimonia ſingula pro neceſſitudinis ratione narraſſet: nec ſibi forte tutum foret, nec Henrico prodeſſet: mediam ergo viam tenet, medio tutiſſimus, nec Pontifici adulator nec ſanguini defert, vt fidem eius poſteritas minus ſuſpectam haberet.

Bertolphus Imperio & iuſtitiæ ceſſit, nec hoc cogit vt exiſtimemus Othonem ſenſiſſe Henricum iniuſtè à Gregorio fuiſſe depoſitum: ceſſit Imperio, tãquam potentiori: ceſſit Iuſtitiæ quia in re dubia iuſtum eſſe cenſuit retento Ducis nomine, & oppido nobiliſſimo (Turego) reliqua cedere fortiori: ſic Bellarminus.

Nova hæc eſt Interpretatio: ceſſit Imperio, id eſt, potentiori: quomodo enim potentior? Bertolphus enim à partibus ſtabat Pontificijs, vtpote Rudolphi gener, Imperatori adverſabatur; & Imperator quando potentior, qui ab Eccleſia, à Saxonibus & Sueuis, & filijs deſertus, tandemque Inſignibus Imperij ſpoliatus, inque Carcerem à filio coniectus eſt. Quia ipſe Imperator dum Fredericum alloquitur: *videns Imperator Reipub. tam dubium ſtatum*: Non ergo aperte potentior Fredericus & licet pacis conditiones petere coactus ſit, quidni diffidat iuſtitiæ cauſę ſuæ, plus

au. Pilati: sed divinæ prophetiæ ordinem declarat.

Verum hoc loco observet lector egregiam Romanensium fraudem, qui quo potestati huic temporali patrocinentur susque deque omnia vertunt, omnes Authores corrumpunt, nulli parcunt, quo argumenta huic ambitioni corradant; In hac ipsa sententia insignis est corruptio: Antiqui Codices vt videtur habuerunt: Decreuit: Novus Otho legit Decuit: sic enim legit Nauclerus: Generat. 37. ad annum 1085. editus Coloniæ 1546. *gladio Anathematis ferire decreuit.* (Quâ etiam phrasi vsus est Otho de hac materia, De gestis Frederici lib. 1. cap. 1, *Anathematis gladio feriendum decernit*:) & sic sensus est, Decreuit Ecclesia siue Hildebrandus, Regem orbis, non tanquam Dominum orbis revereri, sed tanquã de limo per humanam conditionem factum fictilem, gladio Anathematis ferire, sic nihil pro Gregorio, sed pro Henrico quem contempsit, nec reveritus est, facit Otho.

Si vero iuxta novos Codices legatur Decuit: aut sensus nullus est aut hic est sensus, Decuit Regem Romanorum, nõ tanquam orbis Dominum revereri: an vero hoc deceat antequam depositionis sententia proferatur iudicet lector? Præterea verba hæc, de pedibus partim ferreis partim luteis, de ipso Imperio Romano non de vno vel altero Imperatore, vtpotè Henrico vel Frederico, sed de omnibus æqualiter intelligenda sunt: Ipsum Imperium partim ferreum partim luteum, non tantum mali Imperatores sed etiam boni, partim ferrei partim lutei: decuit ergo iuxta hanc prophetiam omnes Imperatores, non Henricum aut solum aut primum, gladio Anathematis ferire: non decuit ergo ex hoc verbo, Decuit, aut mutato & corrupto, aut malo intellecto, sic arguere.

Reliqua quæ sequuntur, quod *appropinquante morte dixerit, Dilexi iustitiam, quod inter omnes Pontifices fuerit præcipui zeli & authoritatis, quod beatæ memoriæ fuerit*: non probant Iustitiam sententiæ in Henricum; fieri enim potest, vt hæc omnia vera sunt (quanquam ex relatione hæc referat Otho non ex scientia: fertur dixisse;) & tamen in hac vna sententia fines iustitiæ excesserit: vt *David* non ex relatione, sed ex certa Scripturarum authoritate, & vere dilexit iustitiam, & inter Reges præcipui zeli fuit, & authoritatis, & tamen in *Bethsabæ* adulterio, & *Uriæ* homicidio excessit. Et hæc summa iniustitia omnes eius laudes non corripit: Si enim *Dauid* & *Gregorius* insigniter non cecidissent, homines non fuissent; Quanquam quale fuerit *Gregorij* ingenium, ex scriptore optimæ & indubitatæ fidei, qui ante hanc natam controuersiam in Domino obdormierat, *Petro* scilicet *Damiano* Cardinali satis constat, vt retulimus cap. præcedente.

Cũ ergo Reges ex sentẽtia Othonis in Epist. ad Oenobarb, nullũ habeant supra se præter Deum solum, quem metuant, cuique rationem reddere teneantur: nec legibus seculi, nec legibus Ecclesiæ, quoad pœnas saltem temporales

rales ſubiaceant,vt ſupra docuimus, manifeſta & perſpicua eſt Othonis ſententia,depoſitionem hanc novam,inſolentem,&iniuſtam fuiſſe,& mala peſſima,quorum non eſt numerus in Eccleſiam & regnum intuliſſe, quorum non tantum Cicatrices in facie Eccleſiæ cernuntur, ſed etiam vulnera ipſa cruenta quotidie recrudeſcunt.

His addamus quod Otho: Recenſens factum *Zachariæ* & *Stephani* :dverſus Childericum:*Ex hoc*,inquit,*Romani Pontifices Regna mutandi authoritatem trahunt*.Ex hoc,id eſt,de facto,non de iure:ſed quid his immoror:verba perſpicua ſunt apud eundem Othonem in Prolog.lib.7. *Sic & Regnorum mutationes & ad vltimum imminutiones quis fructus ſequatur, quia non ſine grauiſcandalo,dicere poſſumus; Deo, apud quem nihil inutiliter effluere poteſt relinquamus:Non deſunt tamen qui dicunt,Deum ad hoc Regnum imminui voluiſſe vt Eccleſiam exaltaret: Regni quippe viribus & beneficentia exaltatam & ditatam nemo ambigit Eccleſiam: conſtatq; non prius eam in tantum Regnum humiliare potuiſſe, quam ipſo ob amorem ſacerdotij euiſcerato, ac viribus exhauſto, non eius tantum, id eſt ſpirituali: ſed ſuo proprio materiali ſcilicet gladio percuſſum deſtruetur; quod iudicare vel diſcutere ſupra noſtras vires eſt:videntur tamen culpandi Sacerdotes per omnia,qui Regnum ſuo gladio,quem ipſi ex Regum habent gratia,ferire conantur.*

Ecce in hoc patet ex Othone iniuſtitia huius cenſuræ, quod Regnum tanquam Aranea ſeipſum euiſcerauit,vireſque ſuas exhauſit,vt Eccleſiam ditaret:Eccleſia vero eviſceratum & exhauſtum Regnum, non ſolùm ſuo, id eſt ſpirituali,ſed etiam Regni gladio materiali, & proprio percuſſit, & deſtruxit:id eſt ſibilo,& veneno, vt Coluber in ſinu Ruſtici refocillatus enecauit:At inquit,Culpandi ſunt per omnia Sacerdotes, Culpandi, & per omnia culpandi,non quia gladio feriunt ſpirituali, ſed quia gladio ſuo, id eſt materiali, quem ipſi non iure ſed ex gratia Regnm habẽt, ferire conãtur,id eſt cenſura ſpiritualis licita eſt,cenſura vero temporalis, id eſt Depoſitio,illicita prorſus eſt:ſic Otho directè ſententiam Gregorij 7. quoad depoſitionem,iniuſtitiæ arguit.

Accedit vltimo loco ſententia ipſa Gregorij,vel potius imprecatio:*A-*
8 *gite igitur Apoſtolorum ſanctiſsimi Principes, & quod dixi authoritate interpoſita confirmare, vt omnes nunc demum intelligant, ſi poteſtis in Cælo ligare & ſoluere, in terra quoq; Imperia, Regna, Principatus, & quicquid habere mortales poſſunt,auferre,& dare vos poſſe; Ediſcant nunc Reges huius exemplo,& omnes, ſeculi Principes, quid in Cœlo poſſitis,quantiq; apud Deum ſitis,ac deinceps timeant,ſanctæ Eccleſiæ mandata contemnere. Hoc autem Iudicium cito in Henricum exercete,vt intelligant omnes,miquitatis filium,non fortuito,ſed veſtra opera è Regno cadere. Vbi miracula illa ſingularia, auxilium illud extraordinarium, quo primitiuam Eccleſiam ſecundare ſolebat Deus? Omnia hic planecontraria: nihil non infauſtum Pon-*

tifici

tificij pontificiaq; partis authoribus & fautoribus accidit, triumphante interim & Imperium tenente Henrico. Hæc Barclaius.

Respondet Bellarminus: *Precationem Gregorij omnino exauditam fuisse, testantur ærumnæ maximæ quæ Henricum diuinitus oppressernnt, &c.* „

Omnino exaudita est; Quomodo hoc verum? cum & Hildebrandus ipse deponitur & in exilio moritur *Salerni*: & *Guelfo*, & *Rodulphus*, & *Hermannus*, & *Eggebertus* qui tanquam Reges super Regem Henricum à Pontifice positi sunt, misera morte perierunt, & *Conradus* senior Henrici filius immatura morte nõ sine suspitione veneni perijt; & Henricus Iunior Henrici filius iusto Dei iudicio sine prole moritur, & nunquam in vita prosperatus est.

At à magna parte Germaniæ destituitur. A Saxonibus quidem rebellibus destitutus est Henricus: ante depositionis sententiam: imo hæc destitutio occasio videtur huius sententiæ: *Gregorius 7. qui tunc Romæ Pontificatum tenebat, eundem Imperatorem tanquam à suis destitutum Anathematis gladio feriendum decreuit*: sic Otho De gestis Frederici li. 1. cap. 1. Præcedit destitutio, subsequitur Anathema. Quinetiam *Saxones rebellasse* contra eundem Henricum tempore Alexandri Pontificis, Author est idem Otho. lib. 6. Chron. cap. 24. „

Anathema ergo non causa destitutionis, sed destitutio occasio anathematis: præterea, sicut à Saxonibus, & Sueuis, rebellantibus *Rodulpho* & *Guelfone*, destitutus est Henricus, *sic à Normannis destitutus est Gregorius*, quamprimum depositionis & anathematis sententiam contra Henricum pronunciasset, vt Leo Hostiensis. lib. 3. cap. 49.

Ad pedes Pontificis abiectus, misericordiam demississimis precibus implorare compulsus est: Eo proculdubio Immanior superbia Pontificis, qui aures non nisi in pedibus habet, vt de Dionysio Aristippus. „ „

Eo verò humiliter Henricus qui cum Magdalena pedibus Pontificis advolutus misericordiam precibus demississimis implorauit, qui vero humilitatem in Imperatore Christiano reprehendit, ne Christianus quidem censendus est.

Quod à proprio filio Carceri mancipatus, Coronam, sceptrum, & reliqua Imperatorum Insignia coactus resignauit, non hoc vitio vertitur Patri, qui quod humanum est patitur, sed filio parricidæ, qui non quod filij, sed hostis immanissimi est fecit: miser *filius ante diem patrios inquirit in annos*; Huic filio omnium certè pessimo, patris vita longior seruitus videbatur; Misera Pontificum ambitio, quæ vt suam in terris monarchiam temporalem, Regumque deponendorum potestatem exerceret, Patres in filios, filiosque itidem in Patres sæuis & furialibus odijs armauit, quæ potestas non nisi parricidium & rebellionem enixa, lucem videt.

" *At mortem nemo defleuit: omnes lætati sunt*: nemo è Pōtificijs, ex Rebellibus nemo: plurimi vero alij quibus nec ambitio Pontificalis, nec parricidium Imperatoris placuit, plurimi qui virtutes Henrici nouerunt, quas & inimici eius non possunt] nō p̄rædicare, dolorem non modicum habuerunt: vti *in vita Henrici* satis constat.

" *Hic est triumphus Henrici, quem fingit Barclaius.* Sic Bell.

Imo non fictus sed verus fuit triumphus Henrici, qui in Gregorij septimi abdicatione, exilio & morte, in pœnitentia & Gregorij & Rodulphi, in mala morte Rodulphi, Hermanni, & Eggeberti superstes fœlixque triumphauit: Neque verò vitio verti magis debet, quod a parricida filio tandem capitur, & incarceratur carceriſque tædio & pædore senex morte repentina perijt, quam Iosiæ Regi præstantissimo, quod post templi, legis, cultuſque diuini restaurationem, & Idololatriæ purgationem in acie occubuerit.

At pars Pontificia semper in melius profecit : Imo vero semper in peius ruit, Clericos vxoratos eiecit, adulteros introduxit: Simoniam ex aulis Regum in Cathedram Petri, in Curiam Romanam transtulit: Accepit inuestituras; prouisiones, & gratias expectatiuas amisit, accepit potestatem temporalem spiritualem amisit, Excommunicatio & anathema contemptui habitę sunt, multas animarum Myriadas excommunicationis sententiâ ligatos ad Gehennam misit: Corda & manus Imperatorum contra Ecclesiam armauit, tandemq; & Mahumetismo, & hæresibus viam fecit; Hæc ipsa potestas fons & scaturigo omnium malorum Ecclesiæ; sic quidem proficere, deficere est.

Nec Deus ergo, nec Petrus & Paulus, quorū causa agebatur hanc precationem, imo imprecationem audierunt: Agite Apostolorum sanctissimi Principes: intelligant omnes, si potestis ligare & soluere in Cœlo, in terra quoque Imperia, regna, Principatus & quicquid habere mortales possunt auferre & dare vos posse. Gregorium successorem suum in exilio, Rodulphum, Hermannum, Eggebertum, Conradum Reges suos mala morte perire, Henricum Parricidam sine prosperitate vivere, sine prole mori permiserunt: non placuit tam pijs Apostolis imprecatio tam impia; Iudiciū hoc in Henricum cito non exercebant, iste ergo Henricus quartus non iniquitatis sed humilitatis & pietatis filius, opera Petri & Pauli è Regno non cecidit, sed superstes omnes Rebelles vno filio æquiuoco Henrico 5. excepto, mortuos vidit. An hoc est cito post 30. annos mori? vt discant & intelligant Reges terræ non posse Pontifices, in cœlo ligare, aut solvere Regna aut Principatus aut Imperia mundi, quæ non à Vicario sed à Domino ipso, per quem Reges regnant, & dantur & auferuntur: In criminibus enim non in possessionibus potestas Apostolorum & Pontificum, qui claues Regni cœlorum non terrarum acceperunt, vt prævaricatores excludant, non possessores: *vana hæc sine viribus ira*; vana hæc sine successu

senten-

ſententia: ſpiritum huius mundi, non dei decet hic typhus. Malus propheta alter Caiphas Gregorius, fictum Regem intra annum moriturum prædicit: moritur non Henricus ſed Rodulphus revera fictus Rex, perduellis non fictus, maledicit & imprecatur, & maledictio in ſinum caputque ſuum & ſuorum revertitur. Inter ſigna & prodigia, quæ mala huius ſententiæ prænunciarunt, maximum Gregorius ipſe Prodigium.

CAP. XI.

Pietas Clementis 8 pacifici, loricatis furoribus Iulij 2. præferenda eſt.

1. *Ieſuitæ Clementi* 8 *infeſti.* 2. *Pontifex Princeps temporalis quo Iure? & an liceat Pontifici eo nomine bella gerere.* 3. *Julij* 2. *furores & bella.* 4. *Exemplis Pontificũ belligerantium reſpondetur, Pij* 2. *Innocentij* 6. *Clementis* 4. *Leonis* 9 *&* 4. 5. *Clemens* 8. *belligerare voluit.*

IN capite 11. iniquo animo fert *Bellarminus*, quod *Clemens* 8. Pontifex pacificus, *Iulio* 2. præfertur: Barclaij verba hæc ſunt: *Quis non paternam Clementis* 8. *pietatem, cum ſumma prudentia coniunctam, qua Reges & Principes Chriſtianos ad concordiam reducere, & in concordia retinere annititur, infinitis partibus Eccleſiæ vtiliorem iudicet, quam Iulij* 2. *loricatos furores Martios, quibus Italiam, Galliam, Germaniam, Hiſpaniam, cateraſq; gentes Chriſtianas, hoſtilibus armis inter ſe committere, impie & inhumaniter connitebatur.* 1

Ieſuitas omnes *Clementi* 8. necnon *Toleto* Cardinali infenſos eſſe obſeruarunt Catholici multi: ideo *Clementis* laudes veras, *Bellarminus*, nec attingit quidem, ne virtutes Pontificis ordini ſuo parum propitij, narraſſe, aut approbaſſe videretur: Pro Iulio 2. Pontifice loricato, cædem & ſanguinem ſpirante, turbas & ſeditiones & bella mouente, reſponder, & eius furores Martios approbat & excuſat: Scias *Ignatij* militis diſcipulum, cuius progenies claſſicum diſcordiarum & proditionis & rebellionis per vniuerſam Europam canit.

Iulium vero 2. defendit & ratione & exemplis: Ratio hæc eſt: *Pontifex Romanus, Princeps eſt temporalis, Imperij non contemnendi, ratione cuius, obligatur ex officio ad ea conſeruanda quæ ſedis Apoſtolicæ ſiue Eccleſiæ Romanæ ſunt, ſicut obligantur cæteri Principes: at cæteri Principes pro defenſione Regnorum ſuorum, licite poſſunt & debent belligerare:* 2

„ *poſſunt etiam cum alijs Principibus ſocijs ſuis fœdus inire, & coniunctis*
„ *viribus hoſtem propulſare: poſſunt ergo Pontifices Romani, qua Principes*
„ *ſunt ſupremi temporales, & omni iure debent, populos ſibi creditos armis pro-*
„ *tegere, & ſires ita poſtulet, aduerſus hoſtes bella gerere, & ad auxilium vel*
„ *belli ſocietatem Principes alios euocare.*

Pontifex Romanus, Princeps eſt temporalis Imperij non contemnendi, de facto hoc certum eſt, ſed quo iure, hoc certe dubium: De iure diuino Princeps temporalis non eſt: hoc ipſum abunde probat *Bellarminus* lib. 5. de Romano Pontifice: nec iure hæreditario, nec electione, nec dono ſpeciali: De iure humano non eſt Princeps temporalis: quia nec Imperator, ſive Conſtantinus, ſive Pipinus, ſive Carolus, Imperium vel Imperij partem, ſine conſenſu totius Imperij dare potuerunt, nec Imperator alienare poteſt Imperij dignitatem, nec Eccleſia recipere: id quod ſic poteſt oſtendi.

Nemini licet ea facere per officium ſibi deputatum quæ ſunt contra illud officium. Sed contra officium Imperatoris eſt ſcindere Imperium, cum eius officium ſit Imperium conſeruare & tueri: Ergo Imperator non poteſt ſcindere Imperium, & per conſequens partem Imperij donare non poteſt, ſcindere enim Imperium eſt Imperium deſtruere. Quod ſi vnus Imperator aliquam particulam ab Imperij Iuriſdictione diſcindere poteſt eadem ratione, & alius aliam particulam, & temporali iuriſdictione finita exiſtente, per finitas deciſiones conſumitur & ad nihilum redigitur, *Ideo Imperator Auguſtus dicitur, quia quilibet Imperator huius eſſe debet propoſiti vt augeat*, Sicut vero Pontifex Romanus non poteſt iura Pontificatus ſui alienare; ſic nec Imperator Imperium aut iuriſdictionem ſuam.

Vide Dant. De Monarch. l. 3.

Gloſſ. in Præem. Inſtitut. Imp.

Similiter nec Pontifex Imperium recipere poteſt: ſicut enim in collatione licita requiritur diſpoſitio conferentis, ſic etiam requiritur diſpoſitio eius cui conferatur. Et ſi enim Apoſtoli & Vicarij Chriſti terras & pecunias, tanquam fructuum Eccleſiæ & pauperum diſpenſatores, forte etiam & poſſeſſores, recipere poſſunt: at Dominiũ ſupremũ & Chriſtus reiecit, cum vocatus ad Regnum fugit; & diſcipulis negauit, cum dixit, *vos autem non ſic*, Luc. 22. & Paulus, 2. Tim. 2. improbat cum ait: *Nemo militans implicat ſe negotijs huius vitæ, vt ei placeat cui ſe probauit*: temporalia enim impeditiua ſunt ſpiritualium, & ad Principatum ſpiritualem quis ſufficiens, quis idoneus? multo minus ad vtrunq; Principatum & ſpiritualem & temporalem?

Verum miſſa hæc faciamus: ſit Pontifex Princeps temporalis de facto & de iure: *Ratione huius Principatus tenetur ex officio, quæ ad principatum hunc ſpectant conſeruare & defendere.*

„
„

Imo vero tenetur ea reſtituere, quæ ex diſſolutione & lapſu Imperij vſurpauit. Debet enim Pontifex Principatum ſuum *Greg.* 2. vt Papirius Maſſonus: ante ergo Greg. 2. Principatum non habuit, cum Itali diſceſſionẽ à

Leone

Leone Isaurico propter Iconomachiam fecerunt: Partem Imperij inuito Imperatore occupauit *Gregorius* iste secundus, desectionis reus: plus ergo tenentur ex officio, Principatum Imperatori reddere, quem inuito Imperatore occupâ unt, quam Principatum armis & bello conseruare & defendere: plus enim tenetur quisque ad restitutionem alieni, quam ad defensionem sui, sed male acquisiti.

Quod si officium istud conseruandi & defendendi patrimonij siue Principatus, aut minus sit, aut repugnans officio pastorali, non tenetur Pontifex debito huius officij, *non enim æquum est*, inquiunt Apostoli Act. 6. *relinquere verbum Domini & mensis ministrare*: Cura corporis aut possessionis aut Principatus minor esse debet quam Cura animarum: non est ergo æquum vt Apostolicus curam pastoralem animarum relinquat, Clauesque sancti *Petri* in Tyberim projiciat, & non *Pauli* sed *Neronis* gladium, pro principatu suo, non pro hæreditate Domini stringat: *In his successisti non Petro sed Constantino*, sic Bernardus de consid. lib. 5. cap. 3. non est æquum, vt Pontifex curam spiritualem, & summam & supremam deserat, vt curam agat prædiorum & ditionis suæ: Regnum Christi cœleste curandum accepit, non Regnum mundi terrestre. Officia ista Pastoris & Regis disiunxit Deus: & *sicut quos Deus coniunxit nemo separet*, sic quæ disiunxit Deus coniungere nemo potest.

Nec solum *minus* est hoc officium principatus, sed etiam repugnans: Quid enim sanguinarijs militibus, cum medicis animarum commune? Quid gladio materiali cum verbo Dei? Bellatores, qui corpus occidunt, homineſque interficiunt, non sunt idonei qui animas viuificent. *Dauidi* Bellatori insigni, Prophetæ summo, homini iuxta Cor Dei, non permittitur templum Domino ædificare, sed *Solomoni* pacifico opus hoc destinatum est. *Istas ne adhuc stillantes iniustæ cædis cruore manus extendes, & ijs sanctissimum Domini Corpus prehendes, vel tam pretiosum illum sanguinem admouebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi?* sic *Theodosium* alloquitur Ambrosius: non licet *Theodosio* Imperatori manibus sanguinarijs corpus Domini prehendere, sanguinẽ pretiosũ ori admouere: & licebit *Iulio* 2. Põtifici summo, manibus sanguinarijs corpus Domini sanctissimum, sanguinemq; pretiosissimum contrectare, & cõsecrare, orive suo admouere, aut alijs Christi fidelibus porrigere? præsertim cum vrbem *Thessalonicam* militum furori permisit tantum *Theodosius*: multis vero bellis & cædibus præsens interfuit & præfuit *Iulius* 2. Imo vero quod maius: an sacrificabunt & offerent Deo Sacrificium *Christi*, vt vocant, incruentum, manus illæ, quæ cruore & sanguine Christianorum pollutæ sunt? Audi ergo Isaiam Prophetam. cap. 1. 13. 15. Theod. l. c. 17.

Ne offeratis vltra sacrificium frustra: incensum abominatio est mihi: & cum extenderitis manus vestras auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudiam: Rationem addit Propheta,

Manus enim vestræ sanguine plenæ sunt: manus *Iulij* sanguine madidæ erant, an sanguinem Domini Domino offerent? non hoc est sacrificium incruentum sed plane cruentum & sanguinarium; pugnant ergo inter se, Pontificem siue Sacerdotem esse, & bellatorem loricatum & sanguinarium esse.

Quare & Canones Apostolorum, Can. 83. *Episcopus aut Presbyter aut Diaconus qui militiæ vacauerit, & simul vtrunq; retinere voluerit, tam officium Romanum quam functionem Sacerdotalem, deponitor, Quæ enim Cæsaris sunt Cæsari, & quæ Dei Deo.*

Verum obseruet & retorqueat lector rationem Bellarmini.

Potest bellum gerere Pontifex quia Princeps est temporalis, cum potius inverti debeat hæc ratio: Pontifex non potest esse Princeps temporalis, quia non licitũ Pontifici belligerare. Non bellare enim magis ad officium sacerdotis spectat, quam Principem temporalem esse: primum enim sub præcepto cadit. 1. Tim. 3. *Non oportet Episcopum litigiosum esse, non Iracundum, non percussorem*: at secundum, non præceptum sed permissum tantum, si permissum, & ex gratia & dono Principum iudultum: Cum ergo principatus temporalis Pontifici occasionem belligerendi suppeditet, consequens est vt abneget principatum, & sequatur pacem, potius quam gladiũ, qui Sacerdoti prohibitus est, assumat; ex quo enim Ecclesiastici per seculares principatum habuerunt, potestate vti sunt ad ambitionem, ambitione ad belli occasionem: vnde quod de Republica Romana olim Liuius, hoc de Ecclesia Romana iam dici potest. *Quanto rerum minus, tanto minus cupiditatis erat: Nuper diuitiæ auaritiam, & abundantes voluptates desiderium per luxum atque libidinem pereundi perdendiq; omnia mu-* *xere:*

Nullum crimen abest, facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Et inde est, quod recte conqueritur Fredericus, apud Radevicum de gestis Frederici lib. 1. cap. 16. *In capite orbis Deus per Imperium exaltauit Ecclesiam; In capite orbis, Ecclesia non per Deum (vt credimus) demolitur Imperium. Sed culpandi sunt per omnia Sacerdotes qui regnum suo gladio, quem ipsi ex Regum habent gratia, ferire conantur*: vt Otho Frising. l. 7. in præfat.

Quod si cæteri Principes temporales ex officio teneantur principatus suos armis defendere, Ecclesia tamen non tenetur: quia aduocatum & defensorem habet, Imperator enim siue Rex & *aduocatus* est & *nutricius* siue *defensor* Ecclesiæ in temporalibus: *Et erunt Reges nutricij tui.* Ideo & Imperator & Rex quilibet Christianus, Iuramento oneratur in die inaugurationis suæ, vt Ecclesiam Dei defendat, & protegat, eiusq; libertates sartas tectas cõseruet, & *Pupillo nõ licet causam suã agere nisi per aduocatũ suũ*: & quid opus Patrono & defensore tẽporali, si Ecclesia seipsam armis tempo-

Esaiæ 49. 23.

temporalibus defendere possit? Qui enim titulum dederunt, & turè am impẽdere debent; vnde gladius materialis iuxta Bernar. de Consid. l. 4. c. 4 *non ab Ecclesia sed pro Ecclesia, nec manu sacerdotis sed nutu euaginandus sit.* Quod intellexit Leo Magnus Epist. 93. vbi dixerit: *Ecclesiastica lenitas quæ etsi Sacerdotali contenta Iudicio, cruentas refugit vltiones, &c.*

Sacerdotis enim tantum est arguere liberamq; præstare admonitionem, non mouere arma, non Clypeos vsurpare, non vibrare lanceam, nec arcum tendere, nec iacula mittere: sic Chrysostom. De verbis Isaiæ Hom. 4. *Talia sunt munimenta Sacerdotum* (preces & lachrymæ) *aliter nec debent nec possunt resistere,* sic Ambrosius lib. 5. Epist. 32. in oratione contra Auxentium. *Nec circumvallabit se multitudine populorum:* Ideo Gregorius magnus infinitis malis à Longobardis oppressus, ab armis abstinuit: *Si me in morte Longobardorum miscere voluissem, hodie Longobardorum gens, nec Regem, nec Duces, nec Comites haberet, atque in summa confusione esset dimissa: sed quiâ Deum timeo, in mortem cuiuslibet hominis me miscere formido.* de quo sic Polydorus Virgilius De inventoribus rerum lib. 8. c. 2. *Gregorius sexcentas à Longobardis passus est iniurias, contra quos tamen non armamonit aut alunde quæsiit, sed solâ patientiâ & humilitate dimicauit: hoc certe pauci illorum qui successere, sunt æmulati, &c.* Lib. 7. Indict. 1. Epist. 1.

Quid multis immoror? pro Canonistis omnibus, vnus erit Gratianus, 23 q. 8. in principio. cuius verba habes fusius cap. 19. *Omnis qui præter illum, vel eius authoritatem, qui legitima potestate vtitur gladium accipit, gladio peribit,* de quibus sic Bellarminus, cap. 19. *Gratianus nihil aliud docet, nisi non licere Clericis materiali gladio vti, & homines interficere, quod multis Canonibus Pontificum & Conciliorum confirmat, quæ vera sunt.*

Pro Scholasticis vnus erit Thomas 2. 2. q. 4. art. 2. *Prælati debent resistere, non solum Lupis, qui spiritualiter interficiunt gregem, sed etiam Raptoribus & tyrannis, qui corporaliter vexant: non autem materialibus armis in propriâ persona vtendo, sed spiritualibus secundum illud Apostoli 2. Cor. 10. Arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Dei, quæ quidem sunt salubres admonitiones, deuotæ orationes, contra pertinaces excommunicationis sententia:* Et in Corpore. *Clericis omnino non licet bella gerere, quæ ordinantur ad sanguinis effusionem.*

Vnum superaddo Petrum Damianum Cardinalem, lib. 4. Epist. 9. *Azarias Rex quia Sacerdotale vsurpauit officium, lepra perfunditur, & si Sacerdos arma corripit, quod vtique laicorum est, quid meretur?* Et infra.

Plane quis non videat, quam sit inhonesta confusio, vt quod agendum Ecclesia denegat, imprudenter ipsa committat, & cum alijs prædicet patientiam, infœderabilem ipsa contra Innocentes accendatur in iram, & infra.

Si ergo profide, qua vniuerſalis viuit Eccleſia, nuſquam ferrea corripi arma conceditur, quomodo pro terrenis & tranſitorijs Eccleſiæ facultatibus, loricata acies in gladios debacchantur, &c.

Sed Rationem Bellarmini ſic Retorqueo:

Eodem iure ex officio tenetur Pontifex ratione Principatus ſiue patrimonij ad Iuſtitiæ adminiſtrationem tempore pacis, quo tenetur ad belligerandum pro conſeruatione Eccleſiæ: ſic enim omnes alij Principes ex officio obligantur.

At non licet Pontifici in perſonâ ſuâ, in cauſa ſanguinis iudicare, multo minus hominem in iudicio condemnatum interficere, id quod alijs Principibus ex officio incumbit: vti *Thomas*, & *Alenſis*, & Scholaſtici de Sacerdotibus docent.

Ergo non licet Pontifici pro defenſione principatus in propriâ perſonâ bellum gerere, ſiue gladium materialem evaginare.

Quod ſi dicat quis: In Pontifice duplex eſt perſona: quia & Sacerdos eſt & Princeps: Sacerdoti belligerare non licet, Principi vero licet, hîc quæro: ſacerdos, ſi deſcendat ad infernum, quia rem illicitam facit, id eſt gladium materialem ſtringit, & in propria perſona belligerat, quid fiet de Principe qui rem Principi licitam peragit? De clericis quibuſdam militari habitu indutis; ſic olim Bernardus, De conſ. lib. 3. cap. 5. *Nempe habitu milites, quæſtu Clericos, actu neutrum, exhibent: nam neque vt milites pugnant, neque vt Clerici euangelizant: cuius ordinis ſunt? cum vtrinſq; eſſe cupiant, vtrunque confundunt, vtrunque deſerunt: vnuſquiſque (inquit) in ordine ſuo reſurget: Iſti in quo?* Et infra: *vereor iſtos non alibi ordinandos, quam vbi nullus ordo*: Si in Clerico habitum militarem reprehendat *Bernardus*, quomodo Clericum militantem redargueret?

Matthæus Paris ad Annum 1196. in *Richard.* 1. narrat, *de Philippo Epiſcopo Bellouacenſi & eius Archidiacono, qui, metas ordinis ſui impudenter tranſgredientes, bellicis negotijs, vigilanter indulſerunt, ab Exercitu Richardi primi Anglia Regis in Gallia capti ſunt: Dominus Papa* (Celeſtinus) *amicabiliter ſcripſit pro Epiſcopi liberatione, quem in Epiſtola ſua charisſimum vocauit fratrem, & filium ſuum & Eccleſiæ, vt ſic prætinus flecteret Regem ad parendum: præcipit igitur Rex, ob Reuerentiam Papæ vt lorica Epiſcopi exuta ipſi Papæ præſentaretur, & diceret, vide an tunica filij tui ſit annon? Cui Papa: non filius meus eſt vel Eccleſiæ; ad Regis autem voluntatem redimatur, quia potius Martis quam Chriſti miles iudicatur*: Mutato nomine de *Iulio* 2. dicta ſunt iſta: non *Chriſti* miles ſed *Martis*, iſte loricatus ſenex ſeptuagenarius, qui bella & ciere, & gerere magis geſtiebat quam paſtorem Eccleſiæ agere, aut Euangelium Chriſti prædicare. Atque hæc in Theſi de principatu Pontificis dicta ſunt.

3 Quid vero hæc in hypotheſi ad *Iulium* 2. qui non ſolum bellum defenſiuum

fenſivum mouit, ſed etiam offenſivum: quique non tantum ad auxilium, & belli defenſiui ſocietatem Principes confœderatos evocauit, ſed etiam vti *Barclaius*, (id quod non negat *Bellarminus*) *Italiam*, *Galliam*, *Germaniam*, *Hiſpaniam* cæteraſque gentes Chriſtianas hoſtilibus armis inter ſe commiſit.

Iulius enim non ſolum in ſuis recuperandis, quæ amiſſa erant, ſed etiam ampliandis cum ſcandalo orbis Chriſtiani, inſudauit: *vir* inquit *Onuphrius in vita Iulij 2. nunquam ſatis laudatus, ob Eccleſiæ ditionem fortiter conſeruatam & auctam, quanquam à nonnullis parum probatus, quod armis magis quam ſacroſanctum Pontificem deceret deditus eſſe videretur.* Stabat in armis rigida hieme loricatus Pontifex: Quorſum vero, an ſolum vt principatum ſuum defenderet? *Mirandulam ſolo æquauit, Parmam & Placentiam ſubegit, Reges Angliæ & Hiſpaniæ contra Francorum Regem, Imperatorem Germanorum & Regem Francorum alioſque multos contra Venetos, ad Veneti nominis excidium: Venetos & Romanos contra Genuenſes: hos alioſq; plurimos contra Ferrarienſes eorumq; ducem Alfonſum, (quem vti contumacem ſacris interdixit, quod terram ſuam ad voluntatem Pontificis non reliquit, nec à fœdere Ludouici 12. Regis Franciæ diſceſſit, ſicut ipſe Pontifex fœdifragus diſceſſerat) Italos contra Italos, Heluetios contra omnes, & tandem contra ſeipſum, armauit, animauitque. Tandem quia Venetos à fœdere Gallorum fruſtra auertere tentauerat, Dolore animi ſenioq; ex leui febricula, &c. Schiſmatiſq; timore decubuit moritur q; homo contumeliarum inſolens, & contumacibus implacabilis:* Et merito, timore ſchiſmatis moritur, qui nil niſi ſchiſma totius orbis Chriſtiani concitauerat: An hoc eſt bellum defenſiuum pro principatus pontificalis conſeruatione mouere? An hoc eſt Principes in ſocietatem belli defenſiui pro Eccleſiæ patrimonio advocare: An potius offenſivum, & ſcandaloſum, in opprobrium nominis & Chriſtiani & Pontificij ciere? fœdera omnia ad libitum violare, Regeſque & Principes Chriſtianos odij ſui explendi ergo in mutuam pernitiem committere? plura qui de hoc Iulio deſiderat, conſulat *Huberti Vellei*, Appendicem ad *Gaguinum*, *Budæum* de Aſſe lib. 5. *Eraſmum* in 5. Act. *Arnoldum Ferronum*, *Franciſcum Guicciardinum*: alioſque plurimos: Iulius ergo iſte, ſi non *Iuliani*, (quo nomine ante Pontificatum inſigniebatur) certe *Iulij* Cæſaris potius quam *Chriſti* aut *Petri* (qui gladium paſſi, gladium nunquam evaginarunt) ſucceſſor, vel totius penè Chriſtianitatis incendiarius peſſimus fuit, qui nihil præter cædem & ſanguinem omnium ſpiraſſe videtur. Concludo ergo cum decreto Concilij Turonenſis per *Ludouicum* 12. in Gallia congregati, apud Bochell. lib. 5. propoſito, *An liceat Papa, bellum inferre principibus temporalibus, in terris, quæ non ſunt de patrimonio vel dominio Eccleſiæ: concluſum fuit vnanimiter per Concilium Papã nec poſſe, nec debere.* plura ibidem repetat Lector, contra eundem Iulium decreta.

4. A ratione ad exempla, id eſt, à Iure ad factum deſcendit Bellarminus, quia vero ratio ſucceſſit parum, alia aggreditur viâ; ad exempla ſe convertit, in his ſpes omnis cauſæ Pontificiæ, factum eſt, ergo fieri debuit: Quod ſi Pontifices in facto, ſicut in fide errare non poſſent, valerēt iſta ab exemplis: verùm eâdem facilitate *Iulium* defendere potuit Bellarminus, ſi *Chriſtum* Dominum abiuraſſet, quia id Primus fecit Apoſtolorum Princeps *Petrus*, aut dijs immolaſſet id enim olim fecit *Marcellinus*, aut ſi cū *Arianis* communicaſſet, id enim fecit *Liberius*: & facilius diſcunt homines vitia antiquorum, quam virtutes: Cadere cum *Dauide* aut *Magdalenâ* pronum eſt & facile, at cum *Dauide* aut *Magdalena* reſurgere, hoc opus, hic labor eſt, *Et hoc* inquit ille apud Hiſtoriam) *quod modo exemplis tuemur, inter exempla erit.*

Profert *Bellarminus, Pium 2. Innocentium 6. Clementem 4. Leonem 9.* & *Leonem 4.* qui omnes poſt annos 800. vixerunt: Expectaram ego exempla *Chriſti* aut *Petri*, qui ſpiritu ſancto pleni erant, quorum actiones inſtitutiones noſtræ ſunt, & exempla exemplaria: aut forte *Lini, Cleti, Clementis, Eleutherij*, aut *Fabiani*, aut *Victoris* qui gladium ſpiritualē vibrarunt: aut *Sylueſtri*, aut *Gregorij*: Exempla enim Pontificum poſteriorum parum authentica ſunt, ſed exempla ipſa qualia qualia ſunt perpendamus.

Primus eſt Æneas Sylvius, Pius 2. ſed quantum mutatus ab illo, Æneā Sylvio *qui* (De ortu & authoritate Imperij cap. 16.) *aut ſucceſſoris emendam, aut ſuperni Iudicis correctionem docuit.*

Qui tamen defenſivum Bellum, non offenſivum cum *Iulio* geſſit, vt eum ratione inſanire videretur: *Neminem vnquā bello attigit, ad quem Legatos non prius miſerit, ſi quomodo ad ſanitatem rationibus adduci poſſet:* quique bella (non lubens vt Iulius) ſed *inuitus ſuſcepit tamen, & multis & maximis iniurijs lacеſſitus, pro tutela Eccleſiæ, pro defenſione Religionis*, ſi *Platinæ* credimus. In vita Pij 2. De quo tamen vere dictum eſt in Epitaphio: *Qui pacem moriens attulit Italiæ*: vivus ergo pacē abſtulit Italiæ, in quem rectè quadrat quod de Cicerone *Auguſtinus, Confeſſionum lib: 3. cap. 4. Linguam mirantur ferè omnes, pectus non item.*

Secundus eſt *Innocentius* ſextus: qui non per ſe, vt *Iulius*, ſed per Legatum ſuum *Albernotium* Cardinalem, ditionem Eccleſiaſticam recuperauit? *Et hic non pugnando, ſed imperando vincebat, & inſtructa acie, magis ſuam cenſebat decere dignitatem, Deum immortalem interea cunctis precibus obteſtari, vt res feliciter eueniret, quam vt ipſe inter tela verſaretur*: vti de ipſo teſtatur *Ioannes Geneſius Sepulueda. Lib. 2. de geſtis eiuſdem Albernotij.*

Tertius eſt *Clemens 4.* qui nec per ſe vt *Iulius*, nec per Cardinalem vt *Innocentius 6.* ſed per *Carolum* Andegauenſem Comitem, Principem ſecularē, fratrem *Ludouici* Francorū Regis Pij dicti, *Manfredum* è Regno

Neapo-

Neapolitano expulit, & Imperator & Reges Christiani, patroni sunt & nutritij & defensores Ecclesiæ qui gladio materiali Ecclesiam defendere, & possunt & debent, si justam belligerandi causam nacti fuerunt.

Quartus est *Leo* nonus: prælio contra *Northmannos* interfuit, captusque quod *Northmannos* pacem petentes, subjectionem, servitiumque ipsi promittentes, quæque injustè prius vsurpauerant, invaserantque, eius beneficio, gratiaque retinere volentes bello aggredi maluit, & iustas pacis conditiones rejecit: De qua *Northmannorum* contra Pontificem victoria, sic testis Bellarmini hoc loco citatus, Hermannus Contractus; ad Annum 1052. *Italis terga citius vertentibus, Teutonicis maxima ex parte, sed non invite occumbentibus, occulto Dei indicio, sive quia tantum Sacerdotem spiritualis potius quam pro caducis rebus carnalis pugna decebat, sive quod nefarios homines, quam multos ad se ob impunitatem scelerum, vel quæstum avarum confluentes, contra itidem scelestos expugnandos secum ducebat: sive divina iustitia, alias quam ipse novit ob causas, nostros plectente, quamvis nimis cruentam hostes adepti sunt victoriam, Dominus Papa obsessus, &c. necessitate coactus communionem ijs prius interdictam reddidit, acceptus est ab ijs, Beneventum cum honore reductus est, ibique tempore aliquo detentus, nec redire permissus*: Ex quibus & quid de Bellis Pontificiorum, & *Hermannus* Contractus, & etiam Deus optimus maximus judicauerit satis constat. *Northmanni Dei indicio euasere victores*: sic Leo Hostiensis Libro secundo Cap. 88.

De quo etiam sic Nauclerus Generatione 36. Anno 1052. *Quamvis autem Leo pio animo bellum egisset, quia tamen hoc non fuit sui officij, vt armata manu personaliter ad bellum procederet, quum primo Pastori Petro dictum sit, mitte gladium tuum in vaginam, ideo vt scribit Iohannes de Columnat dispensante Domino exercitus eius in conspectu suo cæsus est*: Si quis plura velit *legat Volaterranum Anthropolog. Lib. 22. & quod ex Manuscrip. Codice citat Iuretus, in observationibus super Ivone* in Addendis ad Epistolam 30.

At Pontifex victus, captusq;, imperare & dominare visus est eâ submissione, & reverentiâ victores erga victum vsi sunt, & hoc memorabile (inquit Bellarminus): Esto vero: nec tamen magis hoc memorabile, quam quod *Cæsar* à Piratis captus, Piratis imperat: Imo minus hoc memorabile, quia non prius cum reverentia habitus, quam communionem ijs prius interdictam reddidisset, Quanquam historici illi Antiquiores, *Hermannus Contractus*, & *Leo Hostiensis* hanc Northmannorum submissionem & reuerentiam prorsus tacent.

Quintus est Leo quartus, qui exercitum duxit adversus Saracenos qui ad ostia Tyberina, cum ingenti classe vrbem Romanam capere, & spoliare cupiebant: vt Bellarminus: *Leo* iste juxta *Anastasium*, quem solum citat Bellarminus, Ostiam progreditur, cum magno armatorum procinctu,

vt classi Neapolitanorum obviam iret: quibus communionem siue Corpus Dominicum dedit: sed ante pugnam illam Naualem, in quâ Saracenos vicerunt Neapolitani, revertitur Pontifex *Leo*, nec pugnæ interfuit, victoriam istam tribuit & *Anastasius* & *Platina*, precibus & lachrymis hujus *Leonis*: & extat oratio ipsa *Leonis* apud *Anastasium*: Quod vero loricatus in acie steterit, apud istos non constat; & Alensis Part. 3. Quæst. 34. M. 2. Art. 3. negat; sed missa illa faciamus: Audiamus quid de pugnacibus istis Pontificibus ante quingentos annos judicauit Petrus Damianus. Lib. 7. Epist. 11.

Adhæc, si quis obijciat Bellicis vsibus Leonem se frequenter implicuisse Pontificem, veruntamen sanctum esse: Dico quod sentio; Quoniam nec Petrus ob hoc Apostolicum obtinet principatum, quia negauit, nec Dauid idcirco prophetiæ meretur oraculum, quia torum alieni viri inuasit, cum mala vel bona non pro meritis considerentur habentium, sed ex propriis debent qualitatibus indicari: Nunquid hoc legitur vel egisse vel docuisse Gregorius, qui tot rapinas ac violentias a Longobardorum est feritate perpessus? Num Ambrosius Bellum Arianis se suamque Ecclesiam crudeliter infestantibus intulit? Numquid in arma Sanctorum traditur quisquam insurrexisse Pontificum? Causas igitur Ecclesiastici cuiuscunque negotij leges dirimant fori, vel Sacerdotalia edicta Concilij, ne quod gerendum est in tribunalibus iudicum, vel ex sententia debet prodire Pontificum, in nostrum vertatur opprobrium congressione Bellorum: Hæc Damianus.

Prælati ergo & Clerici ex authoritate superiorum possunt interesse bellis, non quidem vt ipsi propria manu pugnent, sed vt iuste pugnantibus spiritualiter subueniant, suis exhortationibus & absolutionibus, & alijs huiusmodi spiritualibus subuentionibus, &c. quod autem aliqui propria manu pugnent abusionis est: sic Thomas 2, 2. Quæst. 40. Art. 2. ad. 2.

Confœderationem *Zachariæ*, *Stephani* secundi, *Adriani*, *Leonis* tertij, aliorumque Pontificum cum Regibus Francorum, omitto ego, quia omisit Bellarminus: vel potius, quia tanquam fœdifragi detestati sunt Pontifices, gladiumque & spiritualem & materialem, quem ex donatione & gratia Regum Franciæ acceperunt, in capita & corpora Francorum converterunt.

De exemplis *Machabæorum* & *Mosis* respondeo, quod ante mille ducentos annos respondit *Ambrosius* In Luc. Cap. 10. juxta verbum Christi: *Ecce duo gladij: Sat est, quasi dicerit vsque ad Euangelium*; & quod Rupertus: In Matt. Lib. 9. *Ita veraciter dicas, quia non solus Elias sed & omnes sancti & iusti vsque ad Iohannem, reti: & necessario sese gladijs accinxerunt, in gladio percusserunt, & sicut ante nos dictum est, verberauerunt tyrannos, sacrilegos interfecerunt: A diebus autem Iohannis, nec ipsi Iohanni, nec alicui viro spiritualis propositi conceditur euaginare gladium, sed converte ait Dominus, gladium tuum in locum suum; Et quod vni Pe-*

tro

tro dixit omnibus dicit, ſatis eſt, finite vſque adhuc: & quæ ſequuntur. *Hactenus tibi tuiſque predeceſſoribus inimicos Dei gladio temporali licuit perſequi; deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum id eſt tibi hactenus conceſſum in vaginam converte*: ſic Gratianus. 23. Quæſt.8. In Principio.

Quinetiam *Moſes* Magiſtratus ſiue Iudex erat politicus & Ciuilis, *Aaron* vero ſummus Sacerdos, & quando *Ioſua* in planicie pugnabat gladio, *Moſes* in monte pugnabat oratione: *Aarone & Hur* manus eius ſuſtentantibus: Lorica ergo Iuſtitiæ, gladius uerbi, Clypeus fidei, & ſcutum orationis Pontifici magis congruit, quam lorica Martis aut gladius Bellonæ, aut Clypeus Palladis, Ciuilia arma Principibus Ciuilibus relinquant Pontifices, Spiritalibus ſeſe accingant, quibus hoſtes ſpirituales adoriantur, & peccata & vitia hominum, non homines deuincant.

At Clemens octauus expeditionem contra Ferrarienſem meditatur; & ad bellum occaſio illi defuit non animus: Ego vero inter laudes Clementis inclementiam hanc & belli gerendi ambitionem, reponendam non cenſeo, nondum enim didicerat Domini noſtri doctrinam, Matt.5.40. *qui vult tecum iudicio contendere & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium*; nec Petri: Matt.19.27. *Ecce nos reliquimus omnia*: Nec Ambroſij: Lib.5.Epiſt.32. *Si agros deſiderat Imperator, poteſtatem habet vindicandorum, nemo noſtrum intercedit: Non faciant de agris inuidiam: tollat eos, ſi libitum eſt, Imperatori non dono, ſed non nego*: Inter Iulium ſecundum & Clementem octauum non inſtituo comparationem; non quæro quis melior, ſed quis minus malus: *Clemens octauus* arma tantum cogitauit: *Iulius ſecundus* in armis coruſcauit: licet vero cogitatio mala minus peccet quam actus malus, vtrunque tamen in vitio, & cogitare & actitare, bella, in ijs qui pacis *Angeli*, & præcones eſſe debent: *ſpecioſi pedes Euangelizantium pacem Euangelizantium bona*: deformes ergo pedes & *Clementis* & *Iulij* qui dum pacem temporis bellis & diſſenſionibus, interturbant, pacem etiam pectoris, quam reliquit *Chriſtus* è multorum Cordibus, non ſine ſummo Chriſtianæ Religionis ſcandalo eripere conantur. 5.

CAP.

CAP. XII.

Confirmantur rationes contra poteſtatem Papæ temporalem in Regibus deponendis propoſitæ.

1. *Ratio* 1. *Reges ſolo Deo minores, ſolum Deum Iudicem habent.* 2. *Ratio* 2. *Fatetur Pontifex, Regem non habere ſuperiorem* 3. *De diſtinctione directè & indirectè, & an poteſtas temporalis, an in temporalibus dicenda ſit.* 4. *Ratio* 3. *Reges precariò regnant ſi à Pontifice deponi poſſint.* 5. *De neceſſitate Depoſitionis.* 6 *Pontificij in circulo ambulant: Concilium errare poteſt ſine Pontifice, Pontifex ſine Concilio item poteſt errare.* 7. *Ratio* 4. *Poteſtas hæc nec à Iure diuino, nec humano.* 8. *Poteſtas Regum a Deo: ex Scripturis probatur.* 9. *Blaſphema comparatio huius poteſtatis, cum articulo conſubſtantialitatis filij Dei redarguitur & improbatur.*

DE facto *Gregorij* 7. in *Henrici* 4. Anathemate & depoſitione, multa dixit *Barclaius* in Hypotheſi, quibus ejuſdem ſententiæ injuſtitiam ex *animo* Gregorij non judicis, ex *ordine*, ex *cauſa* abunde probauit. Iam a facto ad Ius, ab Hypotheſi ad theſim redit, & non tam dialecticis & probabilibus, quam certis & neceſſarijs rationibus demonſtrare conatur, poteſtatem hanc temporalem Regum deponendorum Pontifici ne indirecte quidem competere.

Prima ratio talis eſt.

Tota antiquitas ſemper cenſuit Reges ſolo Deo minores eſſe: ſolum Deum Iudicem habere, nullis legibus humanis ſubijci, nullis pœnis temporalibus plecti vel coerceri poſſe: Principes legibus ſolutos eſſe, id eſt ſi quid delinquant non puniri.

Si ſolus Deus Regibus major ſit, Pontifex major non erit. Si ſolus Deus Iudex ſit Regum, Pontifex Iudex non erit. Si nullis pœnis temporalibus plecti vel coerceri poſſunt, nec depoſitione plecti poſſunt, aut coerceri: depoſitio enim pœna temporalis eſt.

Si nullis legibus quoad pœnas temporales ſubijciuntur, nec depoſitioni ſubijciuntur Pontificiæ: Qui enim aliquem legitimè judicat, is ſuperior ſit eo quem judicat neceſſe eſt: nam Par in Parem non habet Imperium, multo minus inferior in ſuperiorem.

Huic

Huic rationi copiosè respondimus in Capite octauo. sic Bellarminus.

Et nos Cap. 8. Bellarmini responsionem refutauimus, abundeque docuimus, pugnantia esse quæ Patres asserunt, quæque regerit Bellarminus: Aut enim fidei articulum, de potestate Pontificis temporali ignorarunt Patres, & omnis fidei articulus, quem ignorarunt Patres, pro nouo habendus est; aut in articulo fidei æquivocabant Patres; aut quod verius, expresse & explicite locuti sunt, de jure, non de facto, non simulatè non adulatoriè; sicque nouam hanc Pontificiam vsurpationem improbant, unde repetat lector quæ susius dicta sunt.

Secunda ratio Barclaij hæc est.

Pontifices ipsi fatentur Reges non habere superiorem in temporalibus, habent & non habent, simul vera esse non possunt: falsum ergo est Reges non habere superiorem in temporalibus, si alius possit eis iura temporalia auferre alteriquè conferre, Depositio enim actus est superioritatis: & deponere est iudicare. C. per Venerabilem, Qui filij sunt legitimi.

Respondet Bellarminus: *Sententia Pontificis in eo Capite est; Reges, supremos esse Principes temporales, & ideo nullum habere supra se Principem sicut habent duces: Rex superiorem non habet in temporalibus: id est non habet alium Regem super se, &c. habet tamen super se Principem spirituale Romanum Pontificem, qui de temporalibus in ordine ad spiritualia iudicare potest.*

Si hic sit sensus hujus Capitis; *Per Venerabilem*, quem fingit *Bellarminus*, ludit *Innocentius* in te seria: *Rex Francie superiorem non agnoscit in temporalibus*: i. non est Rex sub alio Rege, siue Principe temporali, nemo enim Regem Franciæ sub alio Rege cõstitutum, aut alteri Principi temporali subjectum, vnquam circa tempora Innocentij, somniauit, nisi phantasma & Idolũ illud, vnius per vniuersum orbem Monarchæ in temporalibus, in corde suo prius fabricasset. Longe vero aliter, alioq; in sensu, *Innocentius* Regem Franciæ superiorem in temporalibus non agnoscere, prædicat; Non enim de alio superiore Rege siue Principe temporali agitur, sed de superiore spirituali Pontifice scilicet, ad quem nobilis ille *Montis Pessulani* pro legitimatione filiorum confugerat: *In alijs* inquit *Regionibus iurisdictionem temporalem casualiter exercemus*. Collatio ergo est, non inter Regem superiorem & Regem inferiorem, sed inter Regem & Pontificem, *casualiter exercemus*: id est. De legitimo matrimonio & de filijs legitimis iudicamus; & casualiter, quia regnum ad hæredes legitimo matrimonio procreatos per successionem descendit; de Regni itidem successione judicamus: negat ergo Pontifex seipsum Rege Franciæ superiorem esse in temporalibus, imo & directe asserit, potuisse Regem Franciæ filios suos legitimare sine Pontifice quoad temporalia: Glossa vera, Pontificẽ legitimare posse solùm ad spirituales affirmat.

Præterea, submissio Regis Franciæ, quâ legitimationem filiorum suorum

rum a Pontifice petit, voluntaria fuit, non neceſſaria : potuit enim ipſe Rex filios ſuos legitimare ſatente Innocentio ſi voluiſſet, *& potuit* (inquit Innocentius) *Rex Franciæ in eo iuriſdictioni noſtræ ſe ſubijcere*, quia ſuperiorem in temporalibus non agnoſcebat, idque ſine cuiuſquam injuria, *non quod alieno Iuri præiudicare velimus*, nec enim ſine Injuria ſuperioris, poteſt Inferior ad alienum & externum forum provocare : Submiſſio ergo iſta Regis Franciæ voluntaria fuit, nec magis arguit Pontificis ordinariam Iuriſdictionem ſuper Regem Franciæ, quam ſi à Pontifice Conſtantinopolitano, legitimationem filiorum ſuorum petijſſet. A ſubmiſſione vero ſpontanea, ad Iuriſdictionem ordinariam arguere, puerile & ridiculum eſt.

Quinetiam Author eſt Gulielmus de Monte-Ferrato, de ſucceſſione Regum num. 40. quod *Rex Francorum Regnum & eiuſdem Regni regnicola, neminem recognoſcunt in ſuperiorem etiam Romanam Eccleſiam* : vt extra : Clement. 5. Quæ incipit, *Meruit chariſſime.*

" *Habet & non habet ſuperiorem in temporalibus : de eadem re ſimul vera*
" *eſſe non poſſunt* : ſic Barclajus. *At de re diverſa nihil impedit, quo minus*
" *vera eſſe poſſunt* : ſic Bellarminus; id quod exemplo pallij Coccinei, & nigri
" illuſtrat : *Habet pallium Coccineum, & non habet pallium Coccineum, ſimul*
" *vera eſſe non poſſunt, Habet pallium Coccineum, & non habet pallium nigrum*
" *vera eſſe ſimul queunt* : pallio certe, eoq; nigro opus erat, quo hanc tergi-
" verſationem ſuam palliaret *Bellarminus.*

Sic enim habet *Barclaius* ex *Innocentio* ; *Habet Rex in temporalibus ſuperiorem, & non habet ſuperiorem in temporalibus vera eſſe ſimul nequeunt* : *Habet Rex in temporalibus ſuperiorem temporalem* (hoc additamentum eſt Bellarmini) *& non habet in temporalibus ſuperiorem temporalem ſimul vera eſſe nequeunt* : non enim de ſuperiore temporali ſed de ſuperiore ſimpliciter loquitur *Innocentius* : nec Regem Frãciæ, cum alio Rege ſuperiore ſolũ, quod nemo vnquam ſomniauit, ſed cum ſeipſo confert. *Sed habet Rex in temporalibus ſuperiorem ſpiritualem, & non habet, in temporalibus ſuperiorem tẽporalem, veriſſima ſimul eſſe*
" *queunt & ſũt.* Superior ſpiritualis, in temporalibus. Quid hoc eſt? Superior
" ſpiritualis in non ſpiritualibus ? Quomodo ſpiritualis, ſi temporalia curet? Quomodo ſpiritualis, ſi paſcua tractet temporalia? Quomodo temporalis, ſi gladium vibret ſpiritualem? An ſpirituali Principi arma temporalia commiſſa ſunt? An non Regum & Pontificum diſtinctæ ſunt dignitates, diſtincta officia, actus quoque diſtincti? Quomodo diſtincti ſunt actus, ſi Pontifex ſpiritualis munia temporalia obeat, Reges deponat, Regniſque terrenis exuat? Quomodo diſtincta ſunt officia, ſi eadem temporalia curet Pontifex, quę Rex? Quomodo dignitates diſtinctæ ſunt, ſi Pontifex temporalem habeat dignitatem ſicut & Rex habet? Si Princeps ſit ſpiritualis, quid illi cum temporalibus? Si Princeps ſit temporalis,

quo-

quomodo diſtinctæ ſunt dignitates? ſi temporalia Meſſis regia ſunt, quare falcem ſuam in hanc meſſem temporalem mittit Pontifex? Aut ergo Princeps itidem ſit temporalis, ſicut Princeps eſt ſpiritualis, vt amictu veſtituque & inſignijs Pontificalibus & Imperialibus ſeipſum demonſtrauit, *Bonifacius* 8. vt Krantzius Saxon. Lib. 8. C. 36. (id quod in ipſo reprehendere non debet Cardinalis noſter) aut Princeps tantum ſit ſpiritualis & ſpiritualia tantum procuret, vt *Hugo de ſancto Victore*, De Sacramentis Fidei, Libro ſecundo Part. 2. Cap. 3. ſæpius affirmat.

Quod vero vrget Bellarminus; *Innocentium de ſuperiori temporali Principe locutum, cum de Rege Franciæ dicat, ſuperiorem in temporalibus eum non agnoſcere quia ſupra dixerat Innocentius, nonnullos Principes nullum inter homines, excepto Romano Pontifice ſuperiorem agnoſcere*; Totus errat, verba enim *Innocentij* non de ſupremis Principibus ſed de Principibus Pontifici Romano ſubjectis intelligenda ſunt.

Pōtifex enim legitimat ad actus ſpirituales, vt poſſint ad Epiſcopatus promoveri; id eſt diſpenſat cum Canonibus ſuis, quibus cauetur ne ſpurij ad ordines promoueantur, *ex quo* inquit, *veriſimilius creditur & probabilius reputatur, vt eos ad actus legitimare valeat temporales* (à majori ad minus) *præſertim ſi prater Romanos Pontifices inter homines ſuperiorem alium non cognoſcūt, qui legitimandi habeat poteſtatem*: id eſt in Petri patrimonio & regnis eiuſdem feudatorijs: ſupremi enim Reges qui ſuperiorem non agnoſcunt in temporalibus, ſi non vt Patres cum Filijs, at tanquam Principes Supremi cum ſubditis & vaſſalis quoad legitimationem in temporalibus diſpenſare poſſunt, vt ibidem *Innocentius*; Et Supremi ſunt omnes Reges & Principes qui vt Rex Franciæ ſuperiorem in temporalibus non recognoſcunt, ſicut Reges Angliæ Hiſpaniq &c; et ſolebant ſemper hi Reges legitimare ad actus ſeculares. Proinde de ſolis feudatorijs Principibus Eccleſiæ loquitur Innocentius: Rex enim Francię ſuperiorem in temporalibus non recognoſcit, idque non ex dono ſue conceſſione ſpeciali, ſed ex natura Regis Supremi, ideoque idem Ius eſt omnium Regum quâ Reges ſunt, quod eſt Regis Franciæ: Id quod vel ex verbis *Bellarmini* colligi poteſt; *Et ea forte ratio eſt, cur idem Innocentius* 3. &c. Parum fidit commento ſuo fortuito Bellarminus qui tam timide, tam inconſtanter nouum hunc & fictitium Innocentio ſenſum obtrudit: *Ea forte eſt ratio*: Ea ergo forte non eſt ratio: miſeri Catholici qui hujuſmodi fortuitis & caſualibus, veriſimilibus & probabilibus rationibus, fidem ſuam ſtabilit ut: Rex Franciæ, alijque omnes Reges Supremi, nullum ſuperiorem in temporalibus, nedum Eccleſiam Romanam, hoc eſt Pontificem (in Pontifice enim eſt Eccleſia Romana) recognoſcunt, & proinde à nullo Regnis ſuis priuari poſſunt, nam depoſitio à ſuperiori fieri debet.

Verùm commentum hoc Bellarminianum, nouum hunc ſenſum Innocentij; Innocentius ipſe, ſiue Epiſtola hæc Innocentij 3. ſiue ab *Antonio*

Au-

Augustino Episcopo Ilerdensi edita est, in Collectionibus suis Anno 1576. redarguit, in qua præter alia multa a *Gratiano* omissa, hæc habentur verba: *Insuper cum Rex ipse in spiritualibus nobis subiaceat: Tu nobis & in spiritualibus & temporalibus es subiectus.* Rex Franciæ in spiritualibus subijcitur Pontifici: Nobilis Montis pessulani in spiritualibus subijcitur & in temporalibus: In solis ergo spiritualibus subjectionem Regis Franciæ prædicat Innocentius, In temporalibus neminem, ne Pontificem Romanum superiorem recognoscit.

Vrit vero Cardinalem, quod verba hæc directè & indirectè non ad modum executionis, sed ad ius & titulum acquisitionis referat *Barclaius*: cum patientia enim non audit Pontificem suum, potestatem hanc Regum deponendorum indirectè acquisisse.

3 *Directe & indirecte, non ad facultatem iudicandi & iudicij effectum sed ad modum & rationem acquirendi tantam potestatem pertinet: Papa habet Dominium totius orbis à Christo directè; Theologi negant directè, sed tantum indirectè, per consequens, ratione spiritualis illius potestatis, quam directe à Domino accepit*: Hæc Barclaius.

„ *Respondeo* (inquit Bellarminus) *Distinctione opus est*. Credo equidem, tota fides Pontificia constat distinctionibus, subtilitatibus & obscuritatibus, nihil certum, nihil perspicuum, sincerum nihil.

At quæ est distinctio ista lucida, quæ tenebras non tam discutit, quam inducit? *Potestas temporalis duplex:* (sic enim Bellarmini verba sonant, „ aut nihil sonant) *alia quæ disponit de temporalibus, sive in se sit spiritualis,* „ *sive sit temporalis?* Id est: oportet (O Catholici) credere potestatem de„ ponendorum Regum esse in Pontifice: sed quo nomine appelletur, sive sit temporalis sive sit spiritualis non refert: potestas ipsa est de fide nomen vel natura potestatis sive spiritualis sit, sive temporalis sit non est de fide: aut certe non est, formatus hic Embrio in vtero Theologorum, seu potius Parasitorum Romanensium.

„ *Alia quæ est in se mere temporalis, qualis est potestas Regum & Princi-*
„ *pum Politicorum; priorem illam habet Anonymam Pontifex, posteriorem*
„ *non habet.*

Pontifex potestatem habet spiritualem directe in rebus spiritualibus, potestatem aliam habet, sed incertam, dubiam, mixtam, variegatam, ex lana linoque contextam, partim spiritualem, partim temporalem, vel verius nec spiritualem, nec temporalem, nec tertiam ex vtraque & spirituali & temporali compositam, sed vsurpatam & reuera nullam: sine nomine & proinde sine natura, quæ non habet esse: Quomodo enim distinguitur hæc potestas Sacerdotalis à Seculari, quoad dignitatẽ, officia & actus, si ijdem sint actus, eadem officia, eadem dignitas; vtraque circa temporalia versetur, vtraque pœnis temporalibus coerceat?

orbis, hoc est Pontificis, sunt spiritualia: temporalia vero sunt obiectum secundarium eiusdem Monarchæ: Aut ergo Potestas directa eadem est, eodemq; modo seipsum exercet circa temporalia, quæ indirecta; aut hæc distinctio de obiecto primario & secundario instituto Bellarmini non inservit: Quia prima cura summi Pastoris, & Monarchæ vniuersalis, spiritualis scilicet & temporalis, est cura animarum, secunda vero cura est, Cura corporum & temporalium: Absurdissimum verò esset, vt Pontifex Monarcha spiritualis & temporalis totius orbis, reges exauthoraret, nisi propter finem, propter Deum, & in ordine ad spiritualia.

Sententia vero Theologorum *Innocentio* repugnat: quia aliud est casualiter temporalem Iurisdictionem exercere, aliud indirecte Reges instituere & destituere: casualiter de hærede regni statuit, qui de matrimonio legitimo, filijsq; in legitimo matrimonio procreatis, iudicat: Indirectè Reges instituit, & destituit, qui non aliud, sed hoc ipsum agens Reges deponit: disparata ergo sunt, quæ docuit *Innocentius* in prædicto Capite, quæq; docent Theologi de potestate indirecta.

4. Sequitur 3. Ratio Barclaij.

Si vera sit sententia Theologorum, Reges & Principes Christiani, non solum Clientes & vasalli sunt Pontificis: sed etiam precariò regnant.

Id sic ex ipsorum principijs ostendo.

Potest summus Pontifex alienum Regnum auferre, & alteri conferre, si id necessarium sit ad animarum salutem.

An hoc necessarium sit, ad eundem Pontificem pertinet, iudicare, & discernere, de cuius iudicio, æquum an iniquum sit, nemo potest iudicare.

Potest ergo ad libitum quemlibet Regem priuare.

Reges ergo precariò Regnant quia ad libitum Papæ priuari possunt.

Respondet *Bellarminus, Reges Christiani, exceptis Feudatarijs Ecclesiæ,* „ *non sunt vassalli, neq; Clientes Pontificis maximi, nec precario regnant.* „

Colligamus ista in formam, quę fusius à Barclaio dicta sunt.

Quicunq; ad libitum Pontificis deponi possunt, hi precario regnant.

Reges Christiani ad libitum Pontificis deponi possunt.

Reges ergo Christiani precario regnant.

De propositione nemo dubitabit sanus, quam hoc loco forte agnoscit veram *Bellarminus*, de minori ergo inter *Barclaium* & *Bellarminum* quæstio tota est. Atq; hic quidem meminerit necesse est *Bellarminus*, quid contra Canonistas vrgent Theologi. Si Pontifex sit monarcha temporalis totius orbis habitu, actum verò aut executionem, Imperatoribus & Regibus tanquam Vicarijs suis & proregibus commiserit, potest pro libito voluntatis suæ, sine causa, Reges & Imperatores deponere, alios q; substituere sicut Rex, aut Pontifex, nulla data causa, legatos nuntios q; suos mutat. Vti ipse fatetur *Bellarminus*: Cap. 5. *certe inquit, posset Pontifex pro arbitrio suo priuare quoslibet Reges, administratione & executione tempo-*

ergo *Gregorij* depositus est *Henricus*, iuxta Regulas Bellarmini, imò potius Aranearum telas, quæ muscas maximas Pontifices scilicet maximos non ligant: mitto reliquos de quibus postea fusius dicemus.

„ *Potest quoquè* (inquit Bellarminus) *alteri Regnum conferre, non pro arbi-*
„ *trio tamen cui libuerit, sic enim verè precariò Reges regnarent: sed cui Iure*
„ *debetur, siue successio locum habeat, siue Electio: Et si forte nemini debeatur*
„ *cui ratio dictauerit esse tribuendum*, sic Bell.

Dicat ergo *Bellarminus*, an *Gregorius Rodulpho* Regnum non dederit arbitrio suo, qui a Rebellantibus *Saxonibus* electus, & receptus est; certè ab Imperij Electoribus Electus non est? Annon *Hermanno* & *Eggeberto* Regnum pro arbirrio suo dedit, quod post Henricum depositum iure successionis ad Conradum filium seniorem, non ad *Rodulphum*, nec ad *Hermannum* aut *Eggebertum* descendit? precario ergo regnarunt Rodulphus & Eggebertus & Hermannus, quia ad Regnum a Pontifice promoti sunt contra Ius & successionis & electionis. Successio & electio confert Regna non Pontifex. Pontifex forte destituere potest, saltem vsurpatiue, at in destituti locum alium instituit aut electio aut successio. *Et si forte nemini debeatur, cui dictauerit ratio*, huic tribuit, Quid hoc est? nemini debetur? De iure naturali populus habet potestatem eligẽdi Regis in Regnis Electiuis: In Regnis hæreditarijs, deficiente stirpe Regia in potestate populi (non Pontificis) situm est nouum Regem instituere: Quomodo ergo dici potest, nemini debetur Regnum, cum lumine rationis naturalis manifestissimũ sit, in populo semper potestatem residere, vt de nouo Rege, deficiente stirpe regia, prouideat. Casus ergo iste, non est casus omissus: nec a superiore supplendus, quia ad proceres & populum Ius istud etiã authore Bell. deuoluitur. *Instinctum quendam naturalem dedit hominibus, vt eligant sibi magistratus, a quibus regantur: & mediante consensu hominum & consilio, potest & solet Deus mutare & transferre Regna.* Cap. 5.

Innocentius 4. depositio *Frederico*, liberam Electoribus, quibus iure cõpetit electionem reliquit: Gregorius 7. depositio Henrico, liberam Conrado seniori filio, cui iure competit successionem non reliquit: alter ergo iniustus, qui iustitiæ ordinem violauit, vter vero iniustus fuerit siue *Gregorius* siue *Innocentius*, meà non interest, videat Bellarminus: Aut enim fallax est regula Bellarm. aut alter horum Pontificum iniustus est.

„ *Rodulphum a Principibus electum confirmauit Gregorius*, sic Bellarminus. Imò a Gregorio designatus est: *omne hoc malum ex fonte Romanæ perfidiæ manauit*, vt Episcopus Straceburgensis apud Stadensem, An. 1078. *Cõsilio Matildis missus est quidã a Gregorio, qui Rodulphum rebellare persuasit*: Sic Leo Ostiensis, l. 3. c. 48. peccat hoc factũ cõtra Regulã Bell. *Potest Pontifex alteri Regnũ conferre, non pro arbitrio, cui libuerit, sic enim precariò Reges regnarent, sed cui Iure debetur, siue successio, siue Electio locum habeat*:

Sue-

Succeſſio in Imperio Romano tunc locum habebat; hoc Ius ſucceſſionis violauit *Gregorius*, cum *Rodulphum* electum confirmauit Imperium enim tunc Iure Succeſſionis *Conrado* debebatur.

Zacharias Pipino Regnum adiudicauit, quia ipſe reipſa regnum adminiſtrabat, & proceres eundem expetebant. An hoc Iuſtum? An nullus è familia *Merouingorum* erat, ad quem regnum Iure hereditario deuoluebatur? Si hæres quiſpiam, ex conſanguineis *Childerici*, ex familia *Merouingorum* ſuperſtes erat, etiam vel fœmina, (tunc enim Lex Salica lucem non viderat,) iniuria facta eſt ſucceſſioni: ſi hæres nullus, quia Regnum Pipino ordinatum eſt, non per liberam electionem, ſed quia Maior ille domus ſiue palatij, maior reliquis reipſa regnum adminiſtrabat, reipſa Rex erat, iniuria facta eſt Electioni quæ ſi libera non ſit a metu, ne electio quidem dicenda eſt: & qui Regem ipſum tondere & in monaſterium includere potuit, reliquos minores Deos ne hiſcere quidem permiſit.

Leo 3. *Imperium Occidentale à Græcis ad Francos tranſtulit, in Occidente, potentiſſimos:* Regula hæc nunquam fallit; *Pontifex ſemper adhæret Potentiſſimo*: Imperium hoc Romanorum cur ergo ad Romanos tranſlatum vel potius reſtitutum non eſt; quorum erat Imperium? caulem prius dixerat: *Franci potentiſſimi erant*: non hoc Iuſtitiæ, ſed potentiæ præmium. At quid tranſtulit? Imperium? imò vero nomen Imperij: nec territorium enim, nec ditionem, nec Iuriſdictionem quam prius non habuerat tranſtulit, ſed magnum & inane nomen. Et quis tranſtulit? non Pontifex, qui quod ſuum non erat transferre non poterat, ſed Senatus Populuſq; Romanus cum Pontifice.

Iehoiada vero Pontifex ſummus, *Athaliam* non depoſuit, ſed Principes populuſq; cum militibus, parricidam & vſurpatricem deiecit, non ſua, ſed Regis *Ioæ* authoritate, ad quem iure ſucceſſionis ſtatim poſt mortem patris & fratrum, deuolutum eſt Regnum, etiam ſine conſenſu Pontificum, procerum aut Populi.

Iehoiada vero non fecit *Ioam* Regem, ſed oſtendit declarauitq; : quem ipſe patruus eius q; vxor occultauerant: 4. Reg. 11. 4. & 12. *oſtendit eis filium Regis*, non dixit; Creauit, aut fecit, eum Regem: coronauit Regem, & Regnum ei non dedit: Reges enim etiam ante Coronationem Reges ſunt.

Quod ad *Oziam* lepra percuſſum, & ab hominum conſortio ſeparatum attinet, factum hoc eſt, ab *Azaria* pontifice iuxta legem: ſed in hac ſeparatione, depoſitio nulla: nec enim propter lepram hæreditatem ſuam perdiderunt Iudæi; *reſtiterunt ei Sacerdotes octoginta, ne incenſum contra legem adoleret, & expulerunt eum a templo.* Hæc fecerunt ſacerdotes, reliqua ab ipſo facta ſunt, *habitauit autem in domo, Ioatham filius eius rexit Domum Regis & iudicabat populum terræ:* Rexit domum Regis, *Ozias* ergo leproſus, Rex fuit, & poſtquam dormiiſſet in Domino, regnauit Ioatham filius eius pro eo: Iudicat *Ioatham* populum viuente Patre leproſo, rege tamen:

regnat vero *Ioatham* mortuo Patre: vt in textu manifeſtum eſt, nec ergo depoſitus eſt *Ozias*, licet leproſus; nec *Azarias* Pontifex *Oziam* leproſum & ſeparatum depoſuit. Sed de his exemplis ſuo loco.

Propoſitio ergo Barclaij ſi recte intelligatur vera eſt, ſi ſecus falſa eſt: Quæ vero ſit illa obliqua interpretatio, quia non explicat Bellarminus, parcat hîc lector homini ſeni & memorię labili, nec nos vltra quærimus: illud ſolum concludimus, Authores indirectæ poteſtatis cum Canoniſtis in hoc conuenire, quod Reges pręcarij iure, Regna, & Principatus ſub Pontifice poſſident, quia Pontifex vni Regnum auſert, alteriq; confert, neglecta prorſus & ſucceſſionis & electionis ratione: *Pipinum* & *Rodulphum* Regem confirmauit, neglecto ſucceſſionis iure: *Othonem* Imperatorẽ creauit, neglecto Electionis ordine: quia non niſi per vnũ aut ad ſummũ per duo ſuffragia electus eſt, & Imperator ſuper Imperatorẽ ſuper *Philippũ* poſitus eſt.

Secunda propoſitio ſiue aſſumptio *Barclaij* hæc eſt. *Iudicare & decernere an ſit neceſſarium, pertinet ad eundem Pontificem, de cuius Iudicio æquum ne ſit, an iniquum, nemo poteſt iudicare.*

» *Et hæc propoſitio perperam intellecta falſa eſt, recte explicata vera quidem* » *eſt, ſed non concludit Reges Chriſtianos precarij iure regnare ſub Pontifice,* ſic Bellarminus.

Hic duo adhibet membra, duos ſenſus, *Iudicat de neceſſitate an neceſſarium ſit pro ſalute animarum Regem deponere, ſed non fingit neceſſitates pro* » *libito, nec ſub colore neceſſitatis cupiditati ſeruit:* Iudicat non fingit; ſi iudi- » cat, nec in Iudicio errat, non fingit: Si ergo Pontifex iudicat neceſſarium eſſe ad ſalutem animarum, vt Henricus deponatur, non fingit neceſſitatẽ, etſi innumerabilia corporum & animarũ pericula conſequatur, etſi multa millia animarum ad gehennam ſententia Anathematis innodata mittantur, & pereant animæ illæ pro quibus mortuus eſt Chriſtus; dicit modo Pontifex neceſſarium eſt vt *Henricus* deponatur, neceſſarium ergo eſt. Quid vero? poteſt ne fingere neceſſitates Pontifex? hoc nouit *Bellarminus*.

Si nouit Bellarminus Pontificem finxiſſe neceſſitatem, tum poteſt *Bellarminus* de Iudicio Pontificis iudicare, æquum ne, an iniquum ſit quod iudicauerit Pontifex neceſſarium: Si non nouit *Bellarminus* Pontificem finxiſſe neceſſitatem, cur auſus eſt dicere, *pertinet ad Pontificem iudicare de neceſſitate, non fingere neceſſitates:* cum nemo vnquam neceſſitatem fingere inuentus ſit: Quæ verò neceſsitas vera erat, cur *Zacharias*, *Childericum* deponeret? Regnum adminiſtrabat *Pipinus* eadem cura, qua Maior palatij, quaq; Rex: Childericus otio & luxuriæ indulgens, etſi ſibi & regno decerat, Eccleſiæ tamen non incommodat, nec iam quæritur de bono temporali, ſed ſpirituali in ordine ad ſpiritualia, non ad temporalia: propter Deũ & Eccleſiam, non propter rempublicam ſunt Reges: In depoſitione ergo *Childerici* neceſsitas non vera ſed ficta fuit.

In *Henrici* 4. depoſitione quæ vera neceſsitas? Epiſcoporum inueſtituræ

per

per annos trecentos aut amplius per Imperatorem datæ ſunt: Dicat *Bellarminus*, quæ vera fuerit neceſſitas, cur multi Pontifices inueſtituras ab Imperatore acceperunt, accipiendaſq; ſub multis interminationibus, maledictionibus, & Anathematis ſanxerunt; *Gregorius* vero 7. depoſitionem *Henrici* 4. neceſſariam duxerit, quod iuxta decreta Pontificum, & exempla prædeceſſorum ſuorum inueſtituras dare voluerit? Si neceſſaria fuit depoſitio *Henrici* 4. & neceſſaria itidem fuit *Caroli* magni depoſitio & multorum anteceſſorum, & omnium ſucceſſorum ſuorum, qui omnes Inueſtituras dabant; Si non fuit neceſſaria depoſitio *Caroli* propter Inueſtituras, quare *Henrici* depoſitio neceſſaria eſt? Neceſſarium ſecundum Ariſtotelem eſt, quod ſemper, aut plerunque factum eſt.

Neceſſarium *Gregorio* 7. & *Bellarmino* quod numquam antea factum eſt, nemo enim ante *Henricum* 4. circa inueſtituras depoſitus eſt: ficta ergo iſta neceſſitas non vera.

In depoſitione *Frederici* quæ vera neceſſitas? iuxta votum Terram ſanctam non liberat a Saracenis. i. Imperium non deſerit prædæq; exponit; ſi neceſſarium ſit votifragum deponere, quid Ieſuitæ cum purpura? ſi neceſſarium ſit omnes Reges deponere, qui Hieroſolymam non liberant, actum ſuiſſet de multis Regibus illorum temporum, qui domi in nido reſederunt, ne Pontifex pullos eorum, hoc eſt poſſeſſiones inuaderet & raperet.

Ficta ergo hæc neceſsitas non vera: & proinde Reges iſti iure precarij regnabant.

At neceſſitas manifeſta & explorata eſſe debet: ideo Pontifices ordinariè in Synodis Epiſcoporum vel Conſiſtorijs Cardinalium, expoſitis rationibus & conſentientibus patribus iſta geſſerunt. 6

Bene eſt, obſeruet lector: Pontifex qui ſolus Eccleſiam & Concilium ab omni errore conſeruat, Concilium Epiſcoporum, Collegium Cardinalium .i. pedaneorum Senatorum, aſſentatorum fortiſsimorum, (adulatio enim Theologorum, omnem adulationem ſuperat) conuocat, ne in explorata, & manifeſta neceſsitate erret, ne fingat neceſsitatem.

Eſto hic alter Circulus Romanenſis: *Concilium poteſt errare niſi a Pontifice conſeruetur & confirmetur: Pontifex errare poteſt niſi a Concilio Epiſcoporum & Collegio Cardinalium conſeruetur, & confirmetur*: ſi firmitas Pontificis ſit in Concilio & Collegio, firmitas vero Concilij ſiue Collegij ſit in Pontifice, & Pontifex per ſe & Concilium per ſe errare poteſt: vtraq; infirma ſunt fundamenta, quibus fidem Chriſtianorum inniti periculoſum eſt, & parum tutum. Si enim Pontifex ſine Concilio errare, & neceſſitatem fingere poteſt; quid opus Pontifice? fiant iſta a Concilio, cuius authoritate fretus, de manifeſta & explorata neceſsitate recte iudicat: Si Concilium ſine Pontifice errare poteſt, quid aliud expectabit Pontifex, niſi vt a Concilio in errorem perducatur. At quomodo Conſentientibus patribus? pedibus forte itum eſt in ſententiam Pontificis:

Quo loco cenſebis Cæſar? vt apud Hiſtoricum, *ſi primus, ſequar, ſi vltimus, timeo ne aduerſer: Oſtendat modo* (Pontifex) *ſe velle, cupient alij*, Imò current *laudabant Canes aulici & oderant.*

Conſentientibus patribus depoſitus eſt *Fredericus* in Concilio Lugdunenſi ſed *cum horore & ſtupore omnium, Henricus* 4. depoſitus eſt in Cõcilio Romano, *laudantibus patribus*, ſic Bellarm. *diſſentientibus patribus*: ſic Fragmentum Chronici rerum Francorum, &c.

Si excommunicandos duxerit Venetos *Paulus* 5. aderunt ſuccenturiati *Bellarm.* & *Baronius*, laudabunt, hortabuntur Apologeticos ſcripturi: & tamen nouit Bellarminus cuius hæc ſunt verba c. 3. *Neq; enim prudens Conſilium Pontificis fuiſſet, ſi inuito populo, & proceribus, Regem illorum quamuis ineptum & ignauum exanthorare tentaſſet*: An prudens Conſilium eius Pontificis, qui & Proceres & populum & Rempublicam Venetam excommunicationis mucrone percuſſit. Caue ne hæc verba in libro tuo videat Pontifex, ne eundem cum Parliamento Pariſienſi Vuicano deuoueat carnificiq; tradat: *qui dicit fratri fatue, reus erit Gehennæ*, quid ille qui Patri, imò Patri vniuerſalis Eccleſiæ, non eſt prudens conſilium hoc?

7. Ratio 4. *Barclaij* hæc eſt: *omnis Poteſtas, omne dominium, omnis Iuriſdictio, aut Iure diuino aut humano acquiritur aliàs iniuſta eſt.*

At poteſtas hæc deponendorum Regum nec Iure diuino conſtat nec humano: Iniuſta ergo eſt.

Poteſtas non proprie temporalis, ſed quæ ſe ad temporalia extendat in lege » *diuina inuenitur, Tibi dabo Claues: & paſce oues: & in lege humana, in Con-* » *cilijs: Romano ſub Gregorio* 7. *in Lateranenſi ſub Innocentio* 3. *In Lugdunen-* » *ſi ſub Innocentio* 4.

» Quod ad loca illa: *Tibi dabo Claues*: & *paſce oues*, attinet, ſatis ſupra dictum eſt cap. 3. vbi abunde ex patribus, & authoribus Catholicis probatum eſt, idem omnibus Apoſtolis præſtitum *Ioan.* 20. *Quorum remiſeritis peccata*, quod promiſſum Matt. 16. *Quicquid ligaueris*: nec tamen reliqui Apoſtoli, & Epiſcopi Reges deponunt, ſicut *Petrus, Petriq;* ſucceſſores: Idem eſt *ligare* quod *retinere*, idem *ſoluere* quod *remittere*: quod Matt. 16. dicitur *Quicquid* in genere, Ioan. 20. ſicut &, *Quacunq; alligaueritis* Matt. 18. ad *Peccata*, non ad feuda, non ad Imperia, non ad decreta, non ad leges refertur: Quod *ligare* idem non ſit quod *ſoluere*, *ligare* pœna ſit, *ſoluere* indulgentia, & tamen Pontifex ligans Regem, ſoluit Regem à Regno, ſubditos à Iuramento.

Verum eſto: detur hæc poteſtas in illis verbis: *Quicquid ligaueris*: ergo ante hæc verba prolata, data non eſt hæc poteſtas: *Iehoiada* ergo *Athaliam, Azarias Oziam* deponunt, nec deponendi poteſtatem acceperunt, nunquam in naturali vel Moſaica lege, ante Euangelium promulgatum, dictum eſt: *Quicquid ligaueris*. Paſcere, eſt cibum ſpiritualem, paſcua gra-

tiæ

tiæ præparare & detrahere; non paſcua ſecularia, non cibum corporalem, vel præbere vel tollere: & proinde paſtoris eſt, cibum & medicinam ouibus curare, non occidere, quod ſolius eſt Domini. Ad omnes vero paſtores æqualiter pertinet paſcendi officium, eiuſdem ſunt *omnes meriti* Apoſtoli, *eiuſdem ſacerdotij: pari dignitate prediti & honoris & poteſtatis:* plura ibidem repetat lector.

In Iure ergo diuino nulla poteſtas talis: In Iure humano poteſtas hæc fundari non debuit, quia ius Eccleſiaſticum non poteſt Ius diuinum aut naturale tollere: & Regna ſunt de Iure diuino & naturali.

Et *Thomas* 2 2. quæſt. 10. Art. 10. & eius ſequaces, poteſtatem hanc in Iure *Eccleſiaſtico* fundant, ſicut & Ioannes *Driedo*, De libert. Chriſtiana lib. 2. c. 14. non in diuino: *poteſt tamen per ſententiã vel ordinationem Eccleſiæ authoritatem Dei habentis Imperium illud tolli:* dicat vero Thomas, an Eccleſia Ius diuinum & naturale refigere poſſit.

Gregorius 7. *& Innocentius* 4. *in ſententijs ſuis, loca iſta Matt.* 16. *& Ioan.* 21 *ad poteſtatem hanc ſtabiliendam adhibent.* Sed in Concilio Romano *reclamant Patres:* vt Fragmentum: In Lugdunenſi Concilio, adſunt Patres *ſed cum ſtupore & horrore.*

Concilium Lateranenſe ſub Innocentio 3. vel potius Canones illi ab Innocentio vel paraſito aliquo ſub nomine Innocentij conficti decernunt, vt Pontifex poſt annum elapſum, in quo Princeps excommunicatus a ſuis Epiſcopis in contumacia perſiſtit, ſubditos a Iuramento fidelitatis abſoluat, nec tamen ex verbis Chriſti hanc poteſtatem deducunt.

Sed Canones iſti non ſunt concluſi in Concilio, ſed conficti poſt Concilium vel vt veriſimile eſt poſt mortem Innocentij, & proinde nullius authoritatis: nec pertingit Canon iſte 3. ad Reges & Imperatores ſupremos, nihilo magis quam lex *Frederici*, quæ eadem habet verba, vndeq; (vt conijciunt multi) Canon iſte mutuatus eſt, Imperatorem ipſum ad pœnam depoſitionis ligat, nec ergo in Iure diuino, nec in Iure humano, ſed *in fonte Romanæ perfidiæ*, vt Epiſcopus Straceburgenſis apud *Stadenſem* fundata eſt hęc poteſtas.

Quod verò de ſuo aſſuit Bellarminus: decretum eſſe in his concilijs in Pontifice eſſe poteſtatem paſcendi & regendi vniuerſam Eccleſiam: non ad ſola ſpiritualia, ſed etiam ad temporalia ratione ſpiritualium, verba illa, Ad temporalia ratione ſpiritualium, quibus ſuam obliquam opinionem ex Concilijs probare conatur, in Concilijs nuſquã habẽtur; poteſtas iſta curua & indirecta ambitioni *Gregorij* 7. & *Innocentij* 4. ſufficere non potuit; vox, hæc Pontificem ſonat Innocentium 4. *Nonne Rex Angliæ vaſallus noſter eſt?* Reges vaſalli ſunt, Clientes ſunt Pontificis, precario regnant, vox hæc Pontificem ſonat, imò Dominum Deum noſtrum Papam. *Matth. Paris In Henrico 3. Anno 1253.*

Pergit *Barclaius* in confirmatione Rationis prædictæ: quod ſcilicet

Poteſtas Pontificis in deponendis Regibus, nec iure diuino acquiritur, nec humano: & addit, *Regum dominatio & authoritas multis ſacrarum literarum teſtimonijs aperte commendata & probata eſt: primus locus eſt, Prouerb. 8. per me Reges regnant.*

» Reſpondet Bellarminus: *Primus locus non demonſtrat poteſtatem datam*
» *a Deo Regibus, ſed ſapientiam Regibus neceſſariam vt regnent, ad quam ac-*
» *quirendam hoc loco hortatur Sapientia, &c.*

Non demonſtrat poteſtatem datam a Deo Regibus. Audi ergo teipſum: De Laïcis Cap. 6. *Quarta ratio eſt ab efficiente. Nam certum eſt, Politicam poteſtatem eſſe a Deo a quo non niſi Res bonæ & licitæ procedunt: Id quod probat Auguſtinus in toto fere 4. & 5. libro de Ciuitate Dei. Nam ſapientia Dei clamat: Prouerb. 8. Per me Reges regnant: & Per me Principes imperant.*

Ecce *Bellarminus* plus dicit quam *Barclaius: In his locis poteſtas Regum & commendata, & probata eſt*, ſic Barclaius: *Deus eſt efficiens cauſa poteſtatis politicæ, Politica poteſtas a Deo eſt*, ſic Bellarm. ecce non ſolum commendatur poteſtas iſta & probatur a Deo, ſed a Deo inſtituitur, in quibus manifeſte contradicit ſibi Bellarminus, *Politica poteſtas eſt a Deo, id quod probat Auguſt. ex Prouerb. 8. Per me reges regnant, & tamen hic locus prouerb. 8. non demonſtrat poteſtatem datam a Deo regibus?*

Et in perſona filij Dei, ſapientiæ increatæ, de cuius perſona infra dicitur, *Dominus poſſedit me ab initio viarum ſuarum*, hîc etiam dicitur, *Per me Reges regnant.*

Nec enim per ſapientiam creatam regnant omnes Reges, aliqui per ſtultitiam imperant. Et quę in principio Capitis de ſapientia dicuntur, de ſapientia creata intelligi non poſſunt, ſicut ea quę in fine Capitis proferuntur, de ſapientia increata intelligantur. Quinetiam Irænęus, lib. 5. ex hoc loco alijſq; probat Reges a Deo eſſe: *Non enim ipſe (* ſerpens *) determinauit huius ſeculi Regna, ſed Deus, Regis enim Cor in manu Dei, & per Salomonem Prouerb. 8. ait verbum. (*Sapientia increata non creata*) Per me Reges regnant, & poteſtates tenent Iuſtitiam, Et Paulus Apoſtolus hoc ipſum ait omnibus poteſtatibus, &c.* Sapientia hoc loco iuxta Irænęum eſt increata, & locus iſte Prouerb. 8. *Per me Reges regnant*, demonſtrat poteſtatem datam a Deo Regibus quod negat *Bellarminus*: vnum ſuperaddo Magiſtrum ex Auguſtino quem ſequitur tota ſchola, lib. 2. Diſt. 44. B. *Nocentium poteſtas non eſt niſi a Deo, ſicut ſapientia ait, Per me Reges regnant & tyranni per me terram tenent: Vnde Iob de Domino ait; qui facit regnare Hypocritam propter peccata populi: & de Populo Iſrael dicit Deus, Dedi eis Regem in ira mea.*

Secundus locus eſt, Sapien. 6. *Data eſt a Domino poteſtas vobis, & virtus ab altiſſimo.* Hic manifeſte hæret Bellarminus, fatetur enim poteſtatem Regiam eſſe a Domino, id quod expreſsis verbis habetur in tex-
» tu; *ſed hoc dicit, inquit, vt Reges non ſuperbiant, ſed intelligant ſe habere*

ſupra

ſupra ſe Dominum a quo grauiter punientur, ſi poteſtate abutantur; Quid hoc eſt? hoc dicit vt Reges non ſuperbiant; ac ſi diceret Bellarm. non dicit: Data eſt à Domino poteſtas vobis, vt ſciatis poteſtatem regiam a Deo commendatam & probatam eſſe, ſed vt non ſuperbiant. Et quomodo minus ſuperbiant Reges, quam ſi Reges poteſtatem ſuam a Deo datam recognoſcant, & quod Deus ſit Iudex Regum (non Pontifex) *qui interrogabit opera eorum*. Quæ verba callidè prætermiſit Bellarminus: pungentia enim ſunt, aculeum habent, omnem poteſtatem Pontificis in Reges expungunt: Quorſum enim diceret Author illius libri, Salomon, ſiue alius quiſquam, quod *Deus interrogabit opera eorum*, ſi iudicem haberent in terris ordinarium, Pontificem nempe Romanum, qui opera eorum interrogare poſſet: forſan & Salomon de facto loquitur, qui etiam de facto Pontificem depoſuit, non de iure, aut blanditur Regibus Rex ipſe, qui Reges a ſolo Deo, non a Pontifice puniendos, a Patre Dauide edoctus, docuit. In quemcunq; verò finem & ſcopum referantur verba hæc parum refert, vera ſunt in litera & abunde probat, quod Barcl. probandũ incumbebat, poteſtatẽ Regiã a Deo eſſe conſtitutã & commendatã & probatã, quod de poteſtate Pontificia in Regibus deponẽdis, non cõſtat nec iure diuino, nec humano.

Tertius locus eſt; *Reges gentium dominantur eorum: locus hic (inquit Bellarm. non tribuit poteſtatem, ſed abuſum poteſtatis reprehendit*: Reprehendit abuſum poteſtatis, vſum ergo poteſtatis commendat & approbat: & in Apoſtolis reprehendit non in Regibus, *vos autem non ſic*, de Apoſtolis dicitur non de Regibus: planum eſt *Apoſtolis interdicitur Dominatus*: ſic Bernardus; Si in Regibus reprehenderet Dominus Dominatum, de Regibus vtiq; dixiſſet, Reges gentium male dominantur. Sed eſto, reprehendat Dominus abuſum poteſtatis, vſus ergo eiuſdem rei legitimus eſt. Abuſus enim rerum eſt bonarum, non malarum; rerum vero malarum non ſolum abuſus ſed etiã vſus malus eſt, & illicitus, imò ipſæ res malæ ſunt: Quia ergo abuſum reprehendit Dominus, vſum Regiæ poteſtatis, tanquam rei bonæ, & proinde a Domino inſtitutæ, (a quo omne bonum) cõmendat & approbat. *De Conſid. l. 2. c. 6*

Quamuis vero Reges gentium tyranni ſint, & populo tanquam Mancipijs Dominari affectent, & politicum Imperium in deſpoticum tranſmutent, & per violentiam dominentur vt vox illa (κατακυριεύειν) nouis grammaticaſtris ſonat; (Quamquam hoc durum, & coactum eſt) apud Lucam enim dicitur, *qui poteſtatem habent* (vbi Chriſtus non de facto ſed de Iure loquitur) *λεγονται & benefici dicuntur*: & tyranni non benefici, ſed malefici dicuntur) poteſtatis tamen Regiæ vſus legitimus eſt, & a Deo commendatus & probatus; aliàs Pontifex Romanus, in Patrimonio Petri & vrbe Romana principatum non gereret, nec poteſtatem vitæ & necis, hoc eſt violentam & coactiuam exerceret. Verum qui ſit ſenſus horum verborum, ex Apoſtolorũ contentione apparebit: Contendunt Apoſtoli quis eorũ videretur maior: aut ergo Apoſtoli contendunt, quis eorũ in

reliquos

reliquos tyrannidem poteſtatemq; deſpoticam & violentam exerceret, aut non reſpondet Dominus quæſtioni? Si de poteſtate politica & Regia contendunt Apoſtoli, non reprehendit in Regibus poteſtatis vſum, ſed in Apoſtolis poteſtatis ambitionem, quos ſic præeſſe oportet, non vt dominentur clero aut populo, ſed vt inſeruiant: quia ergo de poteſtate violenta non contendunt Apoſtoli, de poteſtate violenta non reſpondet Chriſtus: & ſic Apoſtolis interdicitur poteſtas non tantum tyrannica, ſed & Regia & externa, modo coactiua ſit non ſalutifera, & qualis eſt poteſtas Eccleſiaſtica.

Præterea quia vocum aucupium profitetur Bellarminus: ac ſi plus ſit καθαχυριεύσειν quam κυριεύσειν plus, καθεξουσιάζουσιν quam ἐξουσιάζουσιν, nimirum vt inde probaret non dominium ciuile, ſed abuſum & licentiam & violentiam dominandi Apoſtolis prohibitum fuiſſe: illud hoc loco reponimus, non tantùm violentiam, dominationem & licentiam, hoc eſt abuſum poteſtatis in Apoſtolis prohiberi in verbis καθαχυριεύειν & καταξουσιάζειν, &c. ſed etiam dominium ipſum in verbis κυριεύειν, & poteſtatem ipſam in verbo ἐξουσια: ſine compoſitione ſiue prępoſitione κατα prohiberi: Si ergo Chriſtus ſecundum regulas grammaticorum in Matt. & Marc. dominationem violentam & tyrannicam, & abuſum ſiue licentiam poteſtatis reprehendat, in Luca ipſum Dominium ipſam poteſtatem reprehendit: ſi non idem vtrobiq; (quod & verius eſt) verba ſignificent. Vt cumq; vero, reprehendit abuſum, vſum approbat: id quod ſenſum & argumentum Barclaij abunde comprobat.

Quartus locus eſt Prouerb. 21. 1. q. *Sicut diuiſiones aquarũ ita cor Regis in manu Dei, quocunq; voluerit inclinabit illud, Hic locus poteſtatem Dei in Reges oſtendit, in cuius manu corpora eorum, necnon & corda: at poteſtatem à Deo Regibus datam non oſtendit*: ſic Bellarminus.

Nec hoc Barclaio repugnat, qui hic poteſtatem Regiam & commendari & probari aſſerit: id quod negare non poteſt Bellarminus: Corda enim, quæ in manu Dei ſunt, & a Deo inclinantur, quocunq; voluerit, a Deo & approbantur & commendantur quia bona ſunt; nam ad malum non inclinat Deus, permittit mala, at mala non vult: Et licet tam ſapiens, tamq; potens Deus ſit, vt ex malo eliciat bonum, aliàs malum non permiſiſſet, at volũtates hominum aut Regum ad malum non inclinat. Quicquid illud ſit, quod vult Deus, & ad quod corda Regum inclinat Deus, ſiue id ſit bonum vitæ humanæ, ſiue id ſit malum pœnæ, totum hoc a Deo & probatum & commendatum eſt: poteſtas ergo Regum, quorum corda in manu Dei, & ad voluntatem & beneplacitum Dei inclinantur, à Deo & probatur & commendatur, & etiam a Deo eſt, omne enim bonum a Deo eſt: & *erant valde bona omnia*, quæ a Deo creata ſunt, & volita, & quæ a Deo non ſunt qualia ſunt opera manuum noſtrarum, quæ aut a morbo mentis, aut a morſu ſerpentis proficiſcuntur nec approbantur nec commenda-

mendantur, a Deo, qui opera manuum suarum diligit, non nostrarum: quia ergo inclinantur corda Regum a Deo quocunq; voluerit, ideo commendantur & approbantur: quia commendantur & approbantur Reges, ideo potestas Regum a Deo est, a quo solo, omne quod commendari & approbari potest, originem traxit.

Quintus locus est Osee. 13. *Dabo illis Regem in furore meo; & auferam in indignatione mea: locus iste potestatem Regiam non commendat, sed minatur se permissurum, vt populus ob sua peccata, in Regem iniquum & crudelem incidat, a quo non tam regatur, quam deuoretur*: sic Bellarm.

Minatur reuera Dominus, non solum se permissurum sed etiam daturum Regem iniquum & crudelem, qui tanquam Dei flagellum, peccata populi vindicet. *Dabo* inquit, non solum permittam: potestas ergo Regia a Deo data est, & si data sit, etiam a Deo commendata & approbata, qui omnia quę fecit approbat; licet enim a Deo omnia illa non probãtur, quæ Rex iniquus & Crudelis facit, si agentis malitiam & impietatis spectes; Iudicia tamen Dei, quæ sæpe occulta, at nunquam iniusta sunt, non errant: *facit Deus Hypocritam regnare propter peccata populi*: & a Deo Nero Imperium consequutus est, sicut & Philippus primus Imperator Christianus: qui Constantinum, hic & Iulianum Imperatorem dedit: non habuisset Pilatus potestatem in Christum, nisi desursum data esset: tradidit Iudas Iesum sacerdotibus, tradiderunt Iesum sacerdotes Pilato, Pilatus militibus, & tamen tradidit Deus Pater filium suum, & Christus ipse tradidit semetipsum: vnde Augustinus, De Ciuitate Dei, lib. 5. cap. 21. *Qui Mario, ipse Caio Cæsari, qui Augusto, ipse & Neroni, qui Vespasianis vel Patri vel filio suauissimis Imperatoribus, ipse & Domitiano crudelissimo, & ne per singulos ire necesse sit, qui Constantino Christiano, ipse Apostata Iuliano, Imperium dat. Hæc plane Deus vnus & verus, regit & gubernat vt placet, etsi occultis causis nunquam iniustis.* Quod bonum est, hoc a Deo est, quod malum hoc a nobis; *& non est malum pœnæ in Ciuitate, quod non facit Dominus*; si Rex malus, potestatem a Deo accepit; si bonus, non tantum potestatem sed & gratiam. Quæ vero Iratus dat Dominus, in furore suo ea dare dicitur; *In furore meo*: hoc ad vindictam in Populis exercendam pertinet. *Dabo Regem*: Hoc ad institutionem, & proinde ad approbationem potestatis Regis spectat, quæ enim Deus instituit, ea etiam approbat.

Sextus locus est Prouerb. 24. *Time Dominum, fili mi, & Regem.* Et Septimus locus, 1. Petri 2. *Deum time te, Regem honorificate. Duo ista loca, timorem populi ergo Regem, non Potestatem Regis, erga Populum, docent*, sic Bellarminus.

Quid audio? fortasse *Salomon* & *Petrus* de facto loquuntur, non de Iure: si de facto tantum, timendi ergo & honorandi Reges tantum pro-

propter neceſſitatem, propter metum, non ex debito, propter inſtitutionem diuinam. Si de Iure loquuntur, præceptum ergo de timendis & honorandis Regibus, præceſſit inſtitutio Regum, & idem Deus qui poteſtatem Regiam inſtituit, de obedientia Regibus præſtanda præceptum dedit, *Honora Patrem tuum & matrem tuam, &c.*

An hoc præceptum Decalogi, Timorem filiorum in parentes, erga Patres ſpirituales docet, ſubditorum in patres patriæ Reges, & principes, hoc eſt Patriam poteſtatem & Regiam non docet? Præceptum obedientiæ, aut poteſtatem inſtituit aut inſtitutam præſumit, Loca ergo hæc *Salomonis & Petri*, Poteſtatem Regiam & commendant & approbant, & aut inſtituunt, aut potius inſtitutam & a Deo datam præſupponunt; *Timete Deum, Regem honorificate*, Quorſum hæc toties in ſcripturis coniunguntur, niſi quia ſic coniunctæ ſunt hæ poteſtates, vt nemo Reges Dei miniſtros inhonorare poſſit, niſi qui Deum ipſum cuius miniſtri & proreges ſunt, prius inhonorauerit, Dei enim eſt poteſtas non hominis, Rex miniſter Dei eſt, Deo regnat, non ſibi, *Non abiecerunt te, ſed me, ne regnarem ſuper eos*, ſic Deus Samueli. 1. Reg. 8. 7.

Multum in his laborauit *Bellarminus*, vt animum ſuum, erga Reges pluſquam hoſtilem oſtenderet. Quorſum enim toties in his locis, poteſtatem regiam, aut a Deo inſtitutam, aut commendatam & approbatam negat, niſi vt poteſtatem regiam Iuris ſolummodo humani eſſe, perſuaderet, humano Concilio & conſenſu & inuentam ſiue inſtitutam, & proinde eodem conſilio conſenſuq; deſtituendam? *Gregorij* 7. diſcipulum non *Petri* agnoſcas, qui Regiæ poteſtatis authores, homicidas, Adulteros, Raptores, imò ipſum Diabolum inſtituit. Tandem vero veritate victus; *quicquid, inquit, de his locis ſit, vt non negamus Regiam poteſtatem eſſe a Deo, ſic & Apoſtolica poteſtas eſt a Deo.*

» *Vt non negamus*, negare quidem nec potes nec audes, reclamat enim ſcriptura & tota antiquitas, & tota ſchola, & natura, & gratia reclamant, at cur non affirmas? aut cur tam frigide? vt non negamus, non tam frigide Apoſtolus, *non eſt poteſtas, niſi a Deo.*

Neque vero quæſtio eſt, an poteſtas Apoſtolica a Deo ſit, ſed an hæc poteſtas regum deponendorum, a Deo ſit: id quod penitus negamus: id tu numquam vel probabilibus probare argumentis poteris.

Loca vero iſta a Barclaio producta obſcurè, imò vero ſatis aperte hoc probãt, poteſtatem Regiam ſpirituali ſubiectam non eſſe in temporalibus, ſaltem quoad pœnam depoſitionis: Si enim per Deum *Reges regnant* & inſtituuntur, per Deum Regno priuandi ſunt, non per Pontificem aut populum: plus eſt enim deſtituere quam inſtituere: non inſtituunt Regem Pontifex & populus ſine Deo: ergo multò minus, ſine deo deſtituere Regem poſſunt.

1. Prouerb. 8.

Sap. 6. *Data eſt à Domino poteſtas vobis, qui interrogabit opera veſtra: & cogitationes*

pulo præcipitur; & ſubiungit princeps Apoſtolorum: *Serui ſubditi eſtote Dominis in omni timore, non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis, hæc enim gratia, &c.*

Si poteſtatem ſuam nouiſſet Petrus, dicere debuiſſet: *Deum timete, Regem honorificate.* Imò vos Reges, me ſucceſſoreſq; meos honorificate, penes quos poteſtas eſt Regum deponendorum; an ideò tacet hanc poteſtatem, vt diſcipulos ſuo ſilentio ſuo in errorem, imò in contemptũ ſucceſſorum ſuorum duceret? Imò verò nihil tale ſomniauit Petrus, ſubditi eſtote dominis dyſcolis, Domini ergo Dyſcoli, domini ſunt, etſi eos dyſcolos iudicet Pontifex: & Dominis dyſcolis obediendum eſt; Pontifex ergo Romanus *Antipetrus eſt*: *Petrus* dicit: *obedite Dominis dyſcolis*, Pontifex dicit *Nolite dominis Dyſcolis, tyrannis, hæreticis obedire: Honorificate Regem*, ſic Petrus: *Inhonorificate Regem*, ſic Pontifex: Delenda ſunt hæc loca, & e Biblijs expurganda, aut delenda eſt hæc vſurpatio pontificalis, quę Reges ſeculi liturâ ſuâ, ad libitum ſuum (ſtat enim pro ratione voluntas) delere præſumit: Loca ergo iſta Barclaij poteſtatem Regum deponendorum prorſus deijciunt, vtpote textuj & verbis Scripturarum repugnantem.

9. Vltimo loco concludit Barclaius, poteſtas hæc temporalis Papæ, nec ex ſcripturis nec ex traditione, nec ex conſuetudine mille annorum probatur, nec ab antiquis patribus laudatur: nulla ergo neceſſitas cogit eam credere.

„ *Reſpondit* Bellarminus: *Conſubſtantialitas filij, proceſſio ſpiritus ſancti*
„ *a filio: Baptiſmus paruulorum, in Scripturis non habentur expreſſe, creduntur*
„ *tamen, quia Eccleſia ſic intelligenda docet verba Domini. Ego & Pater vnum*
„ *ſumus: Ioan. 10. De meo accipiet Ioan. 16. niſi quis renatus fuerit ex aqua &*
„ *ſpiritu Ioan. 3. ſic poteſtatem ſummi Pontificis extendere ſe ad temporalia, præ-*
„ *ſertim ad Regna & Imperia, expreſſe non legimus in ſcripturis, credimus ta-*
„ *men, quia Eccleſia in Concilijs generalibus, ſic docuit intelligenda eſſe illa*
„ *verba, Quicquid ligaueris, &c.*

Quod fides Bellarminiana de poteſtate Pontificis in Regibus Deponendis, fidei de filij d uinitate & conſubſtantialitate, de Spiritus Sancti proceſſione a Patre & filio, & Baptiſmo paruulorum, æquiparatur, non eſt a Chriſtianis æquo animo audiendum.

Nouus iſte de temporali poteſtate Pontificis articulus eſt, ante Gregorium primum, ipſis authoribus, inauditus; incertus eſt; de quo Canoniſtæ cum Theologis nunquam conuenient: Cui Articulo contradicunt præter Græcos, alioſq; innumerabiles Chriſtianos, qui ſpiritualem Pontificis Monarchiam non agnouerunt: plurimi doctiſſimiq; Catholici, Scholaſtici, Theologi, Canoniſtæ, Legiſtæ & Hiſtorici & Laici, quorum non eſt numerus: Qui omnes in ſtatu ſunt damnationis, ſi iuxta *Bonifacium* &

Bel-

Bellarminum de necessitate salutis sit subesse Romano Pontifici: Reliqui illi articuli de Consubstantialitate filij, & Processione spiritus Sancti a filio, & Baptismo paruulorum antiqui sunt in ipsa Ecclesiæ infantia recepti, & certissimi omnes quãuis inter Latinos Græcosq; de processione scilicet spiritus Sancti a filio nondum convenit. In quibus omnes qui Catholici videri vo'unt facile consentiunt; *Credentium vnum in his cor, anima vna est.*

Et licet Consubstantialitas, processio a filio, & Baptismus parvulorum in terminis totidem scilicet verbis in Scripturis non habeantur, at æquipollentibus verbis res ipsa in Scripturis invenitur. *Ego & pater vnum sumus,* non vnione voluntatum, sed vnitate voluntatis: non vnum spiritu, sed vnus spiritus, quià filius Deus est & Deus vnus: non Dij dicũtur; *Ego dixi Dij estis*: *Si illos dixit Deos ad quos sermo Dei factus est*: à minori, ad majus: *quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis blasphemum, quia dixi, filius Dei ego sum.* Illi ergo Dij nomine & officio, & gratiâ: at Christus Deus naturâ & essentia, & substantia: & Deus vnus est, non plures Dij: Ego ergo & Pater vnum sumus naturâ & essentiâ & substantiâ, non tantum spiritu & affectu vnum.

De meo accipiet Spiritus Sanctus: Et Spiritus Sanctus Deus, est & in Deo non est accidens: In Deo nihil nisi Deus: *De meo accipiet*: ergo de essentiâ meâ: quia in Spiritu Sancto nihil est nisi essentia, accidens non est: De meo accipit, qua Deus sum, non de meo non accipit, qua homo sum: Imò qua homo sum, tantum abest, vt de meo accipiat, vt de suo mihi dedit: de suo enim dedit, vt conciperet, de suo dedit, vt oleo lætitiæ vngerer præ consortibus meis, & pro consortibus meis. Ego plenus Spiritu Sãcto, idq; sine mensura: sine modo ergo vt homo, accepit a Spiritu Sancto: vt Spiritus Sãctus modo ineffabili accepit de meo vt esset: procedit itaq; à filio sicut à Patre, spiritus Sanctus; verba æquipollentia sunt licet eadem non sunt.

Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto, via hæc est ordinaria; aqua signum est & Sacramentum, spiritus, gratia est & Res Sacramenti, ista abluit Corpus, hic cor mundat; nec piij in aqua spiritus, in via ordinaria: non loquimur de extraordinaria via: Leges Dei homines ligant, Deus liber est, nec ligatur, potest Deus sine Sacramentis salutem nostram operari, homines per sacramenta ad salutem perducunt: Regnum cælorum patria est, Ecclesia domus Dei est, Baptismus via est & jãnua, hãc itur ad superos: agnoscimus Baptismum parvulorum & necessitatem Baptismi, si absit necessitas inevitabilis.

Quod, *ego & Pater vnum sumus: Spiritus Sanctus de meo accipiet, & nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu Sancto*, idem sonent, quod Consubstantialitas filij, & processio spiritus sancti a filio, & Baptismus parvulorum, satis constat ex ecclesiastica & antiquitatis consensu: Quod eadem

euidentia idem sit, tibi dabo claues, & depono Reges, nemo sanus dixerit, nemo intelligens agnouerit. Primum enim verba illa, *vnum sumus, de meo accipiet, aqua, & spiritus*; allegorica non sunt; ligare, pascere, claues, meræ sunt allegoriæ, in quibus fides fundari non debet. Secundo non omnis qui ligat aut pascit potestatem habet Regum deponendorum. Tertiò, vincula sunt spiritualia; sunt & carnalia: pascua sunt spiritualia, sunt item & temporalia: vincula & pascua spiritualia ad Sacerdotem spectant, vincula & pascua temporalia ad Regem: De vinculis & pascuis spiritualibus locutũ fuisse dominum, fatentur omnes. De vinculis & pascuis tẽporalibus locutũ fuisse, nemo facile dabit, qui Dominũ, Apostolos suos, & armis & donis spiritualibus non carnalibus, armasse perspexerit; Quia ergo ligare & pascere, a depositione Regum plurimum differunt: non potest, nec debet Ecclesia, *Quicquid ligaueris*, in, quos Reges deposueris: nec *pasce oues*, in, Depone Reges, transmutare, de quare fusius supra diximus.

Ecclesia sic docuit in Concilijs generalibus: Quæ vero sunt illa Concilia generalia, *Lugdunense*, quod à solo *Binnio* inter Concilia relatum est, generale fuit .i. v x decima pars orbis Christiani, imo nec Europæ aderat: & sententia *Innocentij*, non Concilij, *cum horrore & stupore omnium* accepta est: Concilium Romanum sub Gregorio 7. nemo vnquam generale dixit: plures vero Conciliabulum dixerunt, potius quam Concilium: Concilium Lateranense, cujus Canones isti non sunt, etsi sub nomine Concilij Lateranensis circumferuntur, hunc locum *Quicquid ligaueris*, non recitant: Quæ sunt ergo generalia illa Concilia, in quibus Ecclesia .i. Pontifex solus, ista loca; *Quicquid ligaueris*, *pasce oues* sic intellexit? in Græcis forte Archiuis habentur, Latinis ignota sunt.

Inter Concilia vero illa antiquæ, in quibus Articuli fidei de Consubstantialitate filij &c. declarata sunt, & noua, hæc & nupera, in quibus, non tam decreta quam facta est Regum depositio: hoc interest, Patres Nicæni ex consensu primitiuæ Ecclesiæ, ex testimonijs patrum, probant veritatem Consubstantialitatis, sensum Scripturarum, ex patrum & Ecclesiæ traditione eliciunt; id decernunt quod ante ipsos Patres probabiles docuerunt, clamant Ariani victos se; non Scripturis diuinis, sed Patrum sententijs.

Conciliabula ista noua, nouum ipsi fingunt sensum, quem nullus vnquam Pater probabilis docuit. Ostendat *Bellarminus* non dico Catholicam omnium Patrum, sed singularem paucorum, aut vnius probabilis patris, explicationem, in quâ ligare & pascere idem sonat quod Reges deponere, & nouitatis calumnia liberabitur. Quia vero hoc impossibile est nisi prius in Vaticana bibliotheca noui aliqui Patres effingantur, dogma hoc juxta *Vincentium*, inuentum erit, non traditum, excogitatum, non acceptum, &c. Et Rationes Barclaij non tam Syllogismi probabiles

les

Jes quam demonſtrationes & arietes, ad demoliendam temporalem Pontificis Monarchiam erunt.

De vſu & exercitio huius poteſtatis, quod primus fuerit Gregorius 7. qui hanc vſurpauerit in Henricum 4. ſupra diximus ſatis, fabulas illas antiquiores cum Onuphrio, nihil moramur.

Gregorius Nazianzenus, de poteſtate Epiſcopi in præfectum, non Pontificis in Imperatorem loquitur: apertum ergo eſt, quod de depoſitione non loquatur quia ſolus Pontifex deponit Reges: non deponit præſides: nec deponit Epiſcopos: nec magis deponit Regem Epiſcopus aut Pontifex, quam anima deponit corpus: Anima vero corpus deponere nec poteſt nec debet. Priuilegium illud Gregorij confictum eſſe, docent multa; tempus ipſum ſubſcriptionis, Epiſcopi & Reges nondum ad Epiſcopatus & Regna promoti ſubſcribunt, de quo fuſius Cap 40.

CAP. XIII.

Refellitur 1. Ratio Bell. poteſtas Ciuilis, poteſtati ſpirituali non eſt ſubjecta, quando vtraque pars eſt ejuſdem Reipublicæ Chriſtianæ.

1. *Poteſtas iſta ratione naturali probari non poteſt.* 2. *In hac ratione forma nulla.* 3. *Materia verò falſa.* 4. *Mutua eſt ſubiectio: Eccleſia Regno in temporalibus: Regnum Eccleſiæ in ſpiritualibus ſubijcitur.* 5. *Quomodo Eccleſia & Regnum partes eiuſdem Reip. dici poſſunt: non ſunt duæ partes eiuſdem Reip. ſed duæ Reſpublicæ in toto aggregato.* 6. *Non conueniunt, vt anima & corpus.* 7. *Rex ouis eſt Eccleſiæ, at Paſtor Reipub.* 8. *Mutuo amore iunctæ ſunt duæ iſtæ poteſtates: ſi diſſideant, vtraque ſuccumbit.* 9. *Probatur diſtinctio poteſtatum, ex Hoſio, Bernardo, Driedone & gloſſa C. Adrianus: diſt. 63.* 10. *De comparatione inter ſolem & lunam, hoc eſt Eccleſiam & Regnum.*

IN præcedente capite rationes *Barclaij* Apodicticas, contra *Bellarmini* euaſiones potius quam reſponſiones, confirmauimus. In hoc Cap. & ſequentibus, ad rationes *Bell.* diluendas deſcendendum eſt: quas ego ſcopas diſſolutas potius quam rationes demonſtratiuas appellãdas cenſeo, quas in formam redegiſſe confutaſſe eſt; nulla enim ratione cohærent: Interim vero illud Lectorem præmonitum velim, rationes naturales e 1.

fontibus luminis & rationis naturalis petitas, in ſupernaturalibus nihil probare, vix vero illuſtrare poſſe. Si enim oculi naturales, ad lucem Solis Gratiæ & iuſtitiæ, ſicut veſpertilionum oculi, cæcutiant; rationes certe naturales, ſicut lucernæ in Sole, luci inacceſſibili. i. veritati diuinæ, tenebras potius offundunt quam addunt lucem. 1. Cor. 1. 14. *Animalis enim homo non capit ea, quæ ſunt Dei, ſtultitia enim illi ſunt.* Quid Athenis, cum Hieroſolyma: aut Lycæo Platonis, cum Sancto Sanctorum? Et tamen his rationibus è naturæ fontibus eductis, & duabus ligandi et paſcendi allegoriis, tota hæc Regum deponendorum vſurpatio nititur.

Quid vero poſſint rationes naturales, in dominio Pontificis demonſtrando, dicat pro me Franciſcus Victoria Relect. 5. de Indis. *Nam (vt infra dicemus & aduerſarij fatentur) dato quod barbari nolunt recipere Chriſtum pro Domino, non tamen poſſunt bello peti, aut aliquo modo offici. Abſurdiſſimum eſt autem, quod ipſi dicunt, quod cum poſſint impune non recipere Chriſtum teneantur tamen recipere eius vicarium, aliàs poſſint bello cogi & ſpoliari omnibus bonis, imo & ſupplicio affici. Et confirmatur iterum. Quia cauſa ſecundum iſtos, quare, etſi, nolunt recipere Chriſtum aut fidem eius, non poſſunt cogi, eſt, quia non poteſt euidenter probari per rationes naturales: ſed multo minus poteſt probari dominium Papæ.* Ecce nec Chriſtus, nec fides eius, poteſt euidenter per rationes naturales probari; Et tamen tota ſtructura huius poteſtatis, naturalibus iſtis rationibus nititur. Quam vero nihili ſint, & ab ipſis habeantur hæ rationes, vno exemplo apparebit. Archiprincipium totius huius ſtructuræ hoc eſt: *Entia volunt optime Regi*: vnde ſic ratiocinantur. *Optimum regimen eſt Monarchia:: Entia volunt optimum regimen; Entia ergo volunt Monarchiam: Et proinde Eccleſia vult Monarchicum regimen*: Obſeruet vero Lector, quomodo deſerat imo deſtruant prorſus principia ſua: cum enim reponunt nonnulli, totus ergo mundus ſub vno Monarcha temporali eſſe debet, ſicut ſub vno Monarcha ſpirituali: multas aſſignant rationes cur mundus in temporalibus, ab vno Monarcha regi non poſſit, in ſpiritualibus verò ab vno poſſit: Sic Principium hoc naturale, *Entia volunt optime regi*, in natura vnde deſumptum eſt, falſum erit, in gratia autem verum:

Sect. 2. in tit. 2. Concluſ. 4. nu. 7.

Sed verba Bell. perpendamus.

Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali; quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipub. Chriſtianæ: Ergo poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale; omnis enim ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo. Rediganus rationem hanc in formam ſyllogiſticam.

Omnis ſuperior poteſt imperare inferiori ſuo.

Po-

Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipub. Chriſtianæ. Ergo

Poteſt Princeps ſpiritualis imperare Principibus temporalibus, & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale.

Tot ſunt in hoc vno Syllogiſmo termini, vt tribus Syllogiſmis abundè ſufficiant: poteſtas ciuilis, poteſtas ſpiritualis, Princeps Ciuilis, Princeps temporalis, ſuperior & inferior, ſubjecta eſt, imperare poteſt, diſponere poteſt de rebus temporalibus in ordine ad ſpiritualia. Deinde tranſitus eſt à Principatu ad Principem, à poteſtate ad Imperatorem: aeſi, qui in perſonam Imperium habet, ſtatim etiam in poteſtatem ipſam dominetur. Poteſt enim quis in temporales Imperium obtinere, nec tamen in temporalia; vt in ſpirituales habere poteſt Imperium qui in ſpiritualibus Imperium non habet. Denique plus eſt in concluſione quam in alterutrâ præmiſſarum: in concluſione enim dicitur, Princeps ſpiritualis poteſt imperare Principibus temporalibus & diſponere de temporalibus rebus in ordine ad bonum ſpirituale, hoc in præmiſſis non habetur; monſtroſa igitur eſt concluſio.

Quod ſi in maiori propoſitione ponantur ea quæ concluſioni inſeruntur, propoſitio, aut manifeſtè falſa eſt, aut aperte fallax: & ipſius quæſtionis & principij petitio eſt: vt in ſubſequenti Syllogiſmo apparebit.

Omnis ſuperior imperare poteſt inferiori ſuo, & de rebus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponere.

Princeps ſpiritualis eſt ſuperior Principibus temporalibus, quando partes ſunt eiuſdem Reipub. Chriſtianæ. Ergo.

Princeps ſpiritualis poteſt imperare Principibus temporalibus, & de rebus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale diſponere.

Maior propoſitio ſi de depoſitione intelligatur, ſicut de depoſitione prolata eſt, ipſa quæſtio eſt, nec probat quæſtionem ſed petit: hoc enim in controverſiam vocatur; An Pontifex ſic Regibus & Imperatoribus ſuperior ſit, vt de temporalibus eorum poſſit diſponere in ordine ad bonum ſpirituale, & inobedientes & contumaces Regnis priuare. Egregia verò illa eſt demonſtratio; quæ petit principium, non probat.

Manifeſtè vero falſa eſt; quia, vobis authoribus, ſolus Pontifex poteſt de rebus temporalibus diſponere in ordine ad bonum ſpirituale, & Reges inobedientes deponere: Et tamen non ſolus Pontifex Romanus, ſed etiam quilibet Epiſcopus, quinetiam & Sacerdos, in ſpiritualibus, in foro conſcientiæ ſuperior eſt Rege ſiue Imperatore, qui eundem, & docere, & paſcere, & regenerare, adeoquè ſummis benedictionibus ditare poteſt: & minor à majori, inferior à ſuperiori benedicitur. Quod ſi hæc ad ſubditos Eccleſiaſticos & ſpirituales non pertingant, ſed ſolum ad

Principes ſpirituales, ſinguli Epiſcopi Principes ſunt ſpirituales in Eccleſia, & cum Imperio præſunt. Auguſt. in Pſalm. 44. *Pro patribus nati ſunt filij : id eſt Patres miſſi ſunt Apoſtoli, pro Apoſtolis filij nati ſunt tibi, conſtituti ſunt Epiſcopi : Hodie enim Epiſcopi qui ſunt per totum mundum, vnde nati ſunt ? Ipſa Eccleſia Patres eos appellat* : Et infra. *Hæc eſt Catholica Eccleſia; filij eius conſtituti ſunt pro Patribus.* Apoſtoli ergo omnes Principes & Patres ſunt ſpirituales, non Petrus ſolus : Et Epiſcopi omnes Patres ſunt, & Principes ſpirituales, non Epiſcopus Romanus ſolus. Sic etiam & Gregorius Nazianzenus : Orat. ad Præſ. iratum & populum pertimeſcentem. *Imperamus & nos* : (ſiue Sacerdos ille, ſiue Pontifex & Epiſcopus tunc fuerit) : Imperant & Sacerdotes pro concione, & in foro conſcientiæ : imperant Epiſcopi & in foro conſcientiæ, & in foro exteriori; nec tamen Sacerdos aut Epiſcopus Regem deponere poteſt.

Quinetiam & quilibet Epiſcopus & Sacerdos imperare poteſt in temporalibus Imperio directiuo, ſiue regitiuo, non coactiuo, vti *Ioan. Gerſon*; nec tamen Reges vel Imperatores deponit : Manifeſte ergo falſa eſt major propoſitio. Quod ſi de ſolo Pontifice Romano, ſummo & ſupremo Principe ſpirituali, vti ſomniant Romanenſes, proferatur; propoſitio eſt particularis; & ex particulari non eſt Syllogiſari. Sic ratio hæc non ratio, ſed potius ſermocinatio & Chymæra, nihil probat.

Minorem ſiue aſſumptionem, quam multis probare conatur *Bellarminus*, in ſequentibus negat *Barclaius* : *Falſum eſt*, inquit, *Ciuilem poteſtatem ſubiectam eſſe Spirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipub. Chriſtianæ; niſi id ita intelligant ſubiectam eſſe in ſpiritualibus, & è diuerſo, hanc illi in temporalibus obedire oportere : Siquidem hæ duæ poteſtates ita ſunt partes Reipub. Chriſtianæ, vt neutri in alteram Imperium ſit, vtpote quæ, cum liberæ & ſui iuris eſſent, mutuo amore coierint : vtraque ergo alteram in ſuo ordine & munere recognoſcit & veneratur, & ſuam vtraque functionem arbitratu ſuo exercet : tantum inter eos conſpirans quidem conſenſus & ſocietas eſt, ad Chriſtianam Rempubli. conſeruandam.*

4 In hâc reſponſione *Barclaij* duo ſunt quæ aſſumptionem *Bellarmini* infringunt : 1. eſt mutua quædam eſt & viciſſitudinaria ſuperioritas & ſubjectio, inter has duas poteſtates Eccleſiaſticam & politicam, cum in eandem coeunt Rempublicam : poteſtas Eccleſiaſtica in ſpiritualibus ſuperior eſt, & politicæ tanquam inferiori ſibique ſubjectæ imperat : vel, vt propriùs loquamur, Princeps ſpiritualis in ſpiritualibus imperat Principi politico ; E contra, Princeps politicus in temporalibus imperat Principi ſpirituali, & Princeps ſpiritualis in temporalibus ſubijcitur legibus

gibus Imperialibus & ciuilibus: Nec jam loquitur *Barcl.* de Pontifice, vt eſt Princeps politicus, ex gratia & conceſſione Imperatorum, & in temporalibus ſuperiorem non recognoſcit; ſed quatenus Princeps eſt ſpiritualis tantum, ſicut per aliquot annorum centurias poſt Domini aſcenſionem, vſque ad tempora Pipini & Caroli Magni extitit. Hanc partem reſponſionis prætermiſit Bellarminus, adeoque tanquam veram agnoſcit: nec in eius probatione diutius immorabimur, tantum Lectorem ad eos Authores remittimus quos in prima claſſe Authorum citavimus, qui Imperatorem aut ſimpliciter & omnino, aut ſaltem in temporalibus ſupremum, proxime poſt Deum, qui ſuperiorem in temporalibus non recognoſcat, vnanimi conſenſu affirmant. Aliquos tantum teſtes ſuperaddimus, contra quos nullatenus admitti debet exceptio, qui non de facto, ſed de jure, doctrinaliter pronunciant.

Primus ſit Hugo de Sancto Victore: De ſacrament. fidei L. 2. P. 2. C. 3. *Laicis ergo Chriſtianis fidelibus terrena poſſidere conceditur; Clericis vero ſpiritualia tantum committuntur. Terrena poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis poteſtas habet ſummum Pontificem: ad poteſtatem Regis pertinent quæ terrena ſunt, & ad terrenam vitam facta omnia. Ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent quæ ſpiritualia ſunt, & vitæ ſpirituali attributa vniuerſa.* Omnia terrena ad poteſtatem Regis pertinent, ſicut ſpiritualia vniuerſa ad poteſtatem ſummi Pontificis pertinent: Nulla ergo temporalia iuxtà *Hugonem* à Pontifice Summo diſponenda relinquuntur. Duæ ſunt poteſtates, & duo capita poteſtatum. An capitis eſt caput deponere? Sic capite. 3. *In eodem corpore duo ſunt latera, in ſiniſtrâ Laici, qui vitæ præſentis neceſſitati inſeruiunt: in dextera clerici, qui quæ ad vitam ſpiritualem ſpectant diſpenſant.* An ad latus dexterum ſpectat, ſiniſtrum deponere?

Secundus ſit Thomas Waldenſis, Doctinal. fidei Lib. 2. Art 3. Cap. 78. qui verba *Hugonis* approbat & explicat. *Ergo Eccleſiæ paſſus Decretalis capituli magis placet, vt ſint duæ poteſtates prima & neutra ab altera ſecundum originem, & hæc illi ſubiecta ſecundum perfectionis ſimplicis dignitatem: vtraque tamen maior alterâ ſibi comparata in ſuo exercitio poteſtatis, vbi interuenit ratio debitæ ſeruitutis*: poteſtas ergo temporalis maior eſt ſpirituali in exercitio ſuæ poteſtatis, id eſt in temporalibus. Et infra. *Propter hoc dixi ſupra poteſtates illas eſſe impermixtas: Si vero petitur, in quibus ſibi cedunt euentibus reſpondetur: vbi de peccatis & diuinis offenſis agitur maxime contra Eccleſiæ & fidei diſciplinam, Regalis poteſtas Sacerdotali ſuccumbit.* Et infra. *Vbi vero terrenum aliquod emolumentum locum retinet, neceſſe eſt iuxta Decretale capitulum, vt Præſidens* (id eſt Pontifex) *poteſtatis terrenæ legibus ſibi congruis ſe ſubmittat.*

In temporalibus ergo Princeps Spiritualis ſubijcitur Principi temporali eiuſquè legibus : idquè, non tantum quâ rationes, ſed etiam quâ leges: quia *neceſſe eſt*: neceſſarium eſt, voluntarium non eſt.

Tertius ſit Ioan. Pariſienſis, (à *Bellarmino*. citatus Libro quinto de Romano Pontifice Cap.1.) De poteſt. Regia eſt Papali Cap.10. *Et Regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſupra ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.* Infinita huius generis repetat Lector Lib.1. Cap.8. per quæ facile apparebit Pontificem in temporalibus inferiorem eſſe Imperatore.

2 Secundum eſt: Hæ duæ poteſtates ita ſunt partes Reipub. Chriſtianæ, vt neutri in alteram Imperium ſit; vtpote cum liberæ & ſui juris eſſent mutuo amore coierunt; vtraq; ergo alteram in ſuo ordine ac munere recognoſcit ac veneratur.

„ *In his verbis* (inquit Bellarminus) *affirmari video, non probari politicam*
„ *& Eccleſiaſticam poteſtates in eadem Chriſtianâ Rep. coniunctas eſſe vin-*
„ *culo benevolentiæ, non ſubiectione vnius ad alteram &c.*

Probatio non incumbit reſpondenti ſed opponenti: quanquam & *Barc.* hoc ipſum probat, ex *Genebrardo*, *Hoſio*, *Bernardo*, *Driedone*, maximè verò ratione manifeſtâ, vt inferius patebit: ſed hoc videre non potuit *Bell.* cæci enim ſunt palpones, veritatem videre non poſſunt. Quid verò facilius videri poteſt, quam ciuitas in monte poſita? quam lucerna, è candelabro? Et Eccleſia ciuitas eſt in monte; An non & Regnum? Si Regnum non ſit ciuitas in monte poſita, Eccleſia verò ſit, tum Regnum & Eccleſia non ſunt vna ciuitas; Eccleſia eſt Hieroſolyma Cæleſtis; Regnum non eſt Hieroſolyma Cæleſtis, ſed terrena; non ſunt ergo eadem ciuitas.

„ *Eccleſia Catholica eſt vna Reſpub. vna ciuitas, vna domus, vnum cor-*
„ *pus; multi vnum corpus ſumus: Rom.12. Corpus vnum eſt & membra ha-*
„ *bet multa: 1. Cor.12.*

De Eccleſia hoc dictum erat, antequam Regnum aliquod Chriſto ſe ſubmiſerat: quod vero Eccleſia & Regnum vnam faciant Rempub. nuſquam in Scripturis dicitur. Imo in Eccleſiâ Catholica vna tantum eſt Reſpub. una ciuitas ſpiritualis, at multa ſunt Regna, multæ Reſpub. temporales, & Regibus & Legibus & politeijs diſtinctæ & ſeparatæ, quæ in ciuilibus nihil commune habent. Et proindè Eccleſia Catholica & Regna mundi Chriſtiana, vnam Rempublicam facere non poſſunt: vt Reſpublicæ Anglorum, Francorum, Hiſpanorum, &c. Nihil habent commune; nequè in ijs res publica eſt, ſed res priuata ſingularium: at vna in his omnibus Catholica Eccleſia eſt. Quinetiam Catholica Eccleſia, vna per ſe Reſpublica eſt in ijs etiam Regionibus,

in

in quibus Regna non sunt Christiana, vt in Græcia, alijsque Regnis, in quibus sub persecutionibus militat Ecclesia. Imo in vnaquaque Ecclesia, & Regno particulari, duæ sunt Respublicę Ecclesiastica & civilis; quæ diuersa capita, Regem in temporalibus, & Pontificem in spiritualibus; diuersa comitia, Ecclesia Concilia, Respublica Parliamenta siue Comitia Regni; diuersas leges, Canonicas & civiles; diuersa iudicia; diuersa tribunalia, diuersos Magistratus, diuersos Principes, diuersas pœnas habent. Ecclesia ergo & Regnum non sunt duæ partes eiusdem Reipublicæ Christianæ, sed diuersæ potius Respublicę. Quid enim? An sicut ex anima & corpore consurgit tertium, id est, homo, quod nec est anima nec corpus, sed quiddam ex anima & corpore compositum: sic ex Regno & Ecclesia consurgit tertium ex Regno & Ecclesia compositum, quod nec Regnum est, nec Ecclesia? Si Regnum & Ecclesia partes sint integrantes, Respublica vero totum integrale, tum dempta altera parte, Respublica mutila & manca erit; at vero & Respublica perfecta fuit ante Christi aduentum apud Ethnicos, partes suas integrales habuit: Ecclesia itidem perfecta fuit, tempore persecutionis ante Constantinum, & partes suas integrantes habuit. Respublica item, Christiana non est totum vniuersale, quia Ecclesia & Regnum, nec species sunt, nec individua huius totius: Non est totum essentiale, quia Regnum & Ecclesia non sunt partes essentiales huius Reipublicæ Christianæ: non est totum integrale, quia vtraque sine altera egregiam partium suarum symmetriam obtinet. Restat ergo vt aut totum non sit, aut totum sit aggregatum, comprehendens & statum Ecclesiasticum & statum ciuilem, in quo Regnum temporale Christianorum, & Regnum Christi spirituale sic conveniant, vt vtrumque ex omni parte absolutum, sua iura, sua priuilegia, integra & impermixta possideat; neutrum vero alteri, in suis proprijs actibus, officijs & dignitatibus, diuersis & distinctis, subiectum sit: licet ijdem homines, qui vtriusque Regni partes & membra sunt, in spiritualibus subiecti sint Pontifici, in temporalibus vero Regi: etsi Rex in spiritualibus Pontifici subiaceat, Pontifex itidem in temporalibus subiacet Regi.

Quod si vnaquæque Ecclesia particularis superior sit Regno particulari, potest summus Princeps illius Ecclesiæ particularis, Regem istum deponere; quod nec Bellarminus Regibus iniquissimus affirmare audet.

Quod vero Regnum & Ecclesia, duæ sint Respublicę mutuo affectu & consensu inter se conspirantes, docent multa: Vbi enim duæ sunt publicæ per vniuersam Rempublicam communiones, ibi proculdubio duæ sunt Respublicę distinctæ, At in hoc toto aggregato, in hac

hac Republica Christiana, duæ sunt Communiones; & duæ sunt, vt sic loquar, excommunicationes : In Ecclesia communio est spiritualis, in rebus gratiæ; in Regno est communio ciuilis, in rebus naturæ.

Duæ item sunt Excommunicationes; est excommunicatio in spiritualibus, de quibus non participant excommunicati ab Ecclesia: est excommunicatio in temporalibus, de quibus non participant exleges à Regno. & qui vna communione priuantur, altera statim, eo nomine non priuantur. Exlex enim membrum est Ecclesiæ, & excommunicatus membrum est Reipublicæ: sicut olim Ethnici & publicani membra erant Reipublicæ. Et Principes ipsi cum per proprios Episcopos excommunicantur, iuxta Decretum Lateranense, per annum Principes sunt, nec ante sententiam Pontificis communione priuantur temporali, qui per proprios Episcopos antea priuati erant communione spirituali. Duæ ergo in hac Republica Christiana sunt communiones, duæ ergo sunt communitates, duæ Respublicæ distinctæ & separatæ.

Præterea, duæ sunt Respublicæ, quia vna alteram invocat, vna alteram adiuuat, vna alterius opem & auxilium implorat. Cum contemnuntur & negliguntur censuræ & excommunicationes Ecclesiæ, cum contagio peccatorum, vtpote hæreseos, gregem inficit, *nec ad hæresim cauendam* sufficit iudicium & determinatio Iudicis spiritualis, solet Ecclesia brachium seculare inuocare. Respublica vero, quæ nutrix est Ecclesiæ eamque fouet & mutuo affectu complectitur, vt in fœlicitate filij & hæredis & ipsa beatitudinem consequatur, adest auxilio suo, & non ex debito aut necessitate, sed ex gratia & indulgentia; & excommunicatum capit & incarcerat, donec Ecclesiæ satisfaciat, & hæreticum igni tradit. Quin etiam & Respublica sæpe Ecclesiæ auxilium inuocat; Si latro vel fur lateat, Ecclesia furem vel latronem ad preces Rèipublicæ excommunicat. Si de legitima prole dubitet Respublica, mittit Breue de Bastardiâ (vt nos loquimur,) imperatque Ecclesiæ (ea est apud nos forma huius Breuis) vt de legitimo matrimonio, proleque in legitimo matrimonio procreata, certiorem faciat. Hæc & alia id genus infinita, quæ Iurisconsultis quam Theologis notoria sunt & magis familiaria, abunde probant, Regnum & Ecclesiam, sic in vnam convenire Rempublicam Christianam, vt duæ semper sint Respublicæ, suis legibus, iudicijs, pœnis, officijs, dignitatibus & actibus sic distinctæ, vt vna alteram adiuvet ex gratia, vna vero alteri, nisi sponte & pro libito voluntatis non succurrat.

Quid quod, non licet priuato cuiquam bona sua præsertim immobilia Ecclesiæ, siue in Manus mortuas, vti loquuntur Legistæ nostri, tradere,

tradere, ſine conſenſu & gratia Principis temporalis: In terris enim & poſſeſſionibus, vtile Dominium eſt in privatis, merum Dominium eſt in Principe: nec poteſt qui vtile habet Dominium, de integro Dominio ſine licentia eius, qui merum habet Dominium, diſponere. Id lege cautum eſſe in Republica Venetorum recte norunt *Bellarminus* & *Baronius*: in Anglia quoque, nec non apud Francos, id legibus ſancitum eſt, circa tempora *Edouardi* tertij Regis Anglorum. Si poſſeſſiones Regni alienari, & in feudum Eccleſiæ ſine conſenſu Principis tranſire non poſſunt, non ſunt vna Reſpublica, Regnum & Eccleſia, ſed duæ, quæ leges iuraque ſua ſervant, & tamen vinculo benevolentiæ, & conſpiranti quodam conſenſu, in vnam ſocietatem Chriſtianam conveniunt.

Non eſt Reſpublica in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt, in Imperio Romano; ſic olim Optatus. Ager Chriſti, in agro eſt Domini, in agro mundi: & in Eccleſia & agro Domini, ſunt hædi ſicut & agni, piſces mali, ſicut & piſces boni; Lolia & Zizania ſimul creſcunt, & creſcere iubentur cum tritico. Multi ergo in Eccleſia, qui non ſunt de Eccleſia, intus lupi multi ſunt qui ad Dominum non ſpectant, foris agni multi ſunt, nondum vocati, qui ad Dominum ſpectant. Non ergo Regnum ſiue Reſpublica ciuilis, pars eſt Reipublicæ Chriſtianæ; ſed Eccleſia, vt pars, in Regno & Republica vt in toto quodam aggregato, fouetur & nutritur. Sancti vt hæredes ſunt & filij, Reges & Reginæ nutricij ſunt & cuſtodes: An eadem eſt familia filij & nutricis? Nutrix proculdubio alterius eſt familiæ: Regnum ergo & Eccleſia, duæ ſunt quaſi familiæ, duæ Reſpublicæ, Eccleſia nutritur cibo temporali, nutrit vero cibo ſpirituali: Regnum nutritur cibo ſpirituali, temporali Eccleſiam nutrit. Lib. 3.

At ijdem homines ciues ſunt vtriuſque ciuitatis; membra ſunt vtriuſque corporis, ſed diuerſo modo: Ciues ſunt Regni, ſiue ciuitatis terrenæ, quia liberi nati ſunt: Ciues ſunt Regni ſiue ciuitatis cœleſtis, non quia liberi per naturam nati, ſed quia per gratiam liberati, *fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*; naſcuntur ciues ſicut & fiunt. Membra ſunt corporis Chriſti, quia ſpiritu Chriſti aguntur, eiuſque præceptis ſpiritualibus obtemperant: Membra ſunt Regni ſiue Reipublicæ, quia ſpiritu naturæ aguntur, & legibus ciuilibus obligantur: ijdem ſunt homines, at Reſpub. diuerſæ.

Habet Regnum (iuxta *Bellarminum*) principium ſuum à conſilio & conſenſu hominum, per inſtinctum naturalem, & à Deo eſt mediate: Pontificatus à Chriſto eſt immediatè ſine hominum conſenſu. Regnum per leges ciuiles progreditur: Eccleſia per canones ſpirituales: finis Regni par eſt (iuxta *Bellarm.*) temporalis, bonum temporale: finis

Eccle-

Eccleſiæ eſt pax æterna, bonum æternum: Quidni ergo Regnum & Eccleſia, in vnam ſocietatem conſpirantes, diuerſæ ſint inter ſe Reſpublicę, quarum principia, media ſiue progreſſus & fines ſic diſtinguuntur & diuerſificantur?

Clerici ergo & Laici, Reges & Sacerdotes, quatenus regenerati in Chriſto, vnam Rempublicam, vnam ciuitatem, vnam domum, vnum corpus, id eſt, Eccleſiam efficiunt. Clerici & Laici, Reges & Pontifices quatenus nati in mundo, vnam Rempublicam, vnam ciuitatem, vnam domum, vnum corpus, id eſt, Regnum efficiunt. Duæ ergo ſunt Reſpublicę vna Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualis, cuius caput eſt Pontifex; altera ciuilis ſiue temporalis, cuius caput eſt Rex. Duæ ergo in hac vna ſocietate ſunt Reſpublicæ, duæ ciuitates, duæ domus, duo corpora, et non vna eademque vt vult Bellarminus.

Quod ergo ad aſſumptionem attinet: Princeps ſpiritualis eſt ſuperior Principibus temporalibus, quando partes ſunt eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ: Vera & falſa eſt hæc propoſitio. Vera eſt, ſi in ſpiritualibus tantum intelligatur; ſpiritualia enim tantum Pontifici commiſſa ſunt, vt *Hugo*: falſa vero eſt, ſi ad temporalia extendatur, quæ omnia, vti *Hugo*. Regi commiſſa ſunt. Cedit enim temporalis Princeps ſpirituali, in cauſis Dei; cedit Princeps ſpiritualis temporali in cauſis ſeculi: vti *Waldenſis. Sic Papa non inſtituit Regem, ſed vterq; eſt à Deo inſtitutus ſuo modo: nec dirigit eum per ſe, vt Rex eſt, ſed per accidens, in quantum conuenit Regem fidelem eſſe, in quo inſtruitur à Papa de fide, non de Regimine. Vnde ſubijcitur Papæ, in ijs quibus ſubijcit eum poteſtas ſuprema, ſcilicet in ſpiritualibus tantum*: Sic Ioan. de Pariſijs de poteſt. Regia & Papali. cap. 8. ad 2ò. *Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: Si temporalia ſicut etiam ſpiritualia, Dei ſunt, hoc eſt Sacerdotis, non Cæſaris & Regis; totum cedit Sacerdoti, Cæſari nihil. Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari: date, abſolute & ſimpliciter, omnino date, non date ex parte, non date ad nutum aut libitum Pontificis. In temporalibus ergo Cæſar Pontifice ſuperior, ſicut in ſpiritualibus, Pontifex Cæſare, & quouis Monarchâ politico ſuperior eſt.

6 *Hæ duæ poteſtates non coeunt vt duæ confœderatæ Reſpublicæ quales ſunt* „ *Pagi Heluetiorum, ſed vt ſpiritus & caro, in vnum hominem, vt Gregorius* „ *Nazianzenus: & ſpiritus in carnem imperium habere debet, non contra*: „ ſic Bellarminus.

Non coeunt hæ duæ poteſtates, vt duæ confœderatæ ciuitates Heluetiorum, quia inter has ciuitates amicitia, pax & fœdus intercedit, at communio nulla, omnia enim priuata ſunt, vnaquæque Rempublicam ſuam habet: ijdem homines diuerſarum ciuitatum ciues non ſunt, ſicut ijdem homines, & Eccleſiæ per regenerationem, & Regni per gene-

generationem cives ſunt: ijdem homines diuerſarum ciuitatum legibus, diuerſo reſpectu non ſubjiciuntur, ſicut ijdem homines, qua homines & ciues, legibus Regni ſubjiciuntur, qua vero Chriſtiani, legibus ſpiritualibus Eccleſiæ ſubiacent. Arctior ergo eſt Regni & Eccleſiæ communio quam duarum ciuitatum liberarum, aut duorum Regnorum conſœderatio.

Nec etiam coeunt, Eccleſia & Regnũ, vt anima & caro, anima enim & caro partes ſunt eſſentiales, quæ hominem, id eſt, tertium quiddam componunt & conſtituunt: Eccleſia & Regnum, tertium non conſtituunt, quod nec ſit Regnum, nec Eccleſia: & Eccleſia non eſt anima ſiue forma Regni, ſic enim Regnum non poſſet eſſe ſine Eccleſia, ſicut non conſiſtit materia ſine forma: nec eſt Regnum vt caro ſiue materia reſpectu Eccleſiæ, Eccleſia enim diu fuit, antequam Regnum aliquod, fidem Chriſti ſuſcepit: Non conveniunt ergo Regnum & Eccleſia, vt materia & forma, vt anima & caro.

Anima quidem vita eſt corporis, animæ vero vita ſiue anima eſt Deus: ſic olim Auguſtinus; ſicut moritur corpus diſcedente anima, ſic moritur anima diſcedente Deo.

Poteſtas ergo Eccleſiaſtica vita eſt poteſtatis politicæ; ſed vita ſupernaturalis, non naturalis; anima eſt, ſed anima ſupernaturalis, non naturalis: Anima enim naturalis, & cor, & caput, & ſpiritus Regni, Rex eſt: vt ſol in cœlo, ſic in ſuo Regno omnia illuſtrat Rex, lumine naturali, non ſupernaturali.

Et hæc anima ſupernaturalis & cœleſtis, imperium habet in carnem, hoc eſt, in Regnum & Regnicolas, homines ſcilicet, & ciues naturales; ſed in ijs in quibus animat, id eſt in ſupernaturalibus & ſpiritualibus: ſicut enim anima animæ, hoc eſt Deus, animam corporis eiuſque munia & facultates & officia non tollit, ſed dirigit & attollit à terrenis ad cœleſtia: ſic poteſtas ſpiritualis, animam Regni, hoc eſt Regem, non tollit, nec eius munia & officia impedit, ſed ad ſuperna & cœleſtia erigit, & elevat.

Mire vero placet ſibi in hâc ſimilitudine Bellarminus de Anima & carne, vt poſtea patebit; ſed parum proficit in hac ſimilitudine: Habet anima imperium directiuum, ſiue regitivum, ſiue diſpoſitiuum, non coactiuum, in carne & corpore: non poteſt tamen corpus deponere, non poteſt corpus occidere, non debet corpus fame necare: & ſi corpus pereat, vnà ſimul cum corpore, perit anima, vel eo ipſo quod carnem ſuam odio habet, & internecioni tradit; ſic Eccleſiaſtica poteſtas poteſt dirigere poteſtatem ſecularem, at deponere non poteſt, imperat ergo anima corpori, Eccleſiaſtica poteſtas imperat Regno, imperio directiuo non coactiuo; nec magis deponit Pontifex Regem, quam anima deponit corpus.

Pontifices & Reges non ſunt in Eccleſia vt Arietes principales in Ouili, ſed

„ ſed Pontifex Paſtor, Reges vt oves; & Paſtores ouibus, non oues Paſtori-
„ bus cum imperio præſunt. Sic Bellarm.

Ah principes & Reges Arietes ſint principales, in ouili, hic non diſputo: Arietes eſſe in grege certum eſt, aut mendax Bellarminus: eius verba hæc ſunt: *Princeps autem eſt Aries furioſus deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeo malus, vt multum obſit Religioni & Eccleſiæ, &c.* Cum ergo prodeſt Religioni & Eccleſiæ, Aries eſt ſanctus, protegens ouile: Aries ergo principalis eſt: imo non ſolũ Aries principalis, ſed & Ductor & Paſtor gregis; aut male de ſeipſo Dauid: *Et elegit Dauid ſeruum ſuum & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum; pascere Iacob Populum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam; & pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarũ deduxit eos.* Rex ergo Paſtor eſt in tẽporalibus, ſicut Pontifex Paſtor eſt in ſpiritualibus: & ſicut in ſpiritualibus paſcit & proinde regit Pontifex Regem, ſic in temporalibus paſcit & proinde regit Rex Pontificem. Et Pontifex ovis eſt Regis in temporalibus, ſicut Rex ovis eſt Pontificis in ſpiritualibus: Rex, ſuperior in temporalibus, imperat Pontifici; ſicut Pontifex, ſuperior in ſpiritualibus, imperat Regi. Neutri tamen in alterum tale eſt imperium, vt aut Pontifex Regiam poteſtatem tollere poſſit, aut Rex Pontificiam: nec Pontifex deponit Reges, nec Rex depoſuit Pontifices, quia nec ordines conferre, nec ordines tollere poteſt. Dominus deponit & occidit; Paſtor cuſtodit.

Pergit Barclaius ad confirmationem reſponſionis ſuæ: *vtraque poteſtate, vtroq; Magiſtratu (vt Genebrardi verbis vtar) Eccleſiaſtico & politico Eccleſia continetur, munitur, & viget: ad quam protegendam & ſartam tectam conſeruandam,* -- *Alterius ſic,*

8. In Pſal. 2.

Altera poſcit opem res, & coniurat amice,

Vt quamdiu ſocietatem retinent, Reſpub. Chriſtiana innumeris pacis & concordiæ commodis efflorescat; at vbi coitum diſſoluunt, ſpiritualis poteſtas, corporalibus auxilijs deſtituta plerunque contemnitur: temporalis cœleſti gratia deſtituta, in ſuam perniciem, &c. properat.

„ *Omnia hæc* (inquit Bellarm.) *contra autorem ſuum pugnant, non contra Bellarm.* Quomodo vero contra *Barclaiũ* pugnant? optimum eſt vt concordent poteſtates iſtæ, civilis & Eccleſiaſtica, mutuo auxilio fortes ſunt & creſcunt; pernicioſum eſt ſi pugnent: ſicut optimum eſt, vt ſpiritus & caro concordent, pernicioſum vero ſi diſſideant. Annon ergo pernicioſum eſt, ſi ſpiritus carnem deponere & occidere tentet? Annon itidem pernicioſum eſt, ſi Princeps ſpiritualis principem politicum deponere & occidere ſatagat, à quo nutritur & cuſtoditur Eccleſia. Vtroque Magiſtratu Eccleſia continetur, munitur & viget: à Magiſtratu Eccleſiaſtico continetur in ſpiritualibus, à Magiſtratu politico in temporalibus vterque Magiſtratus, alteri auxilium, aduocatus, præbet: ille gladio ſpiritu-

tuali, hic gladio temporali adest: Quando ergo Magistratus contra Magistratum, Pontifex contra Imperatorem insurgit, annon adest pernicies Reipublicæ Christianæ! Discordia ergo & pugna ista maximè contra *Bellarm.* pugnat.

At hæc discordia non tollit imperium spiritus in carnem suam, nec imperium Principis Ecclesiastici in Principem Politicum. »

Non tollit imperium *suum*, id est, non tollit imperium Principis Ecclesiastici in Regem Christianum in spiritualibus: hoc suum est: tollit verò imperium Principis spiritualis, in Principem temporalem in temporalibus, hoc enim non est suum: temporalia enim omnia, iuxta *Hugonem*, Regi commissa sunt, spiritualia *vniuersa* & spiritualia *tantum* Pontifici commissa sunt, vt multis supradictum est. Dissidium hoc potestatis Ecclesiasticæ & temporalis, origo & occasio est, omnium malorum Ecclesiæ & Reipublicæ.

Hosium apud Athanasium, Ad solitariam vitam agentes, proximo loco adducit *Barclaius Neque fas est nobis in terris imperium tenere.* His supra respondit Bellarm. c. 2. quæ à nobis c. 2. confutata sunt: sed quæ maximè premunt, non sensit *Bellarminus*, *Qui imperium tenui maligno oculo carpit, contradicit ordinationi diuinæ.* Et *Constantius* hæreticus Arianus, & Persecutor fuit. Qui maligno oculo carpit imperium *Constantij* Ariani, resistit ordinationi divinæ sic *Hosius*: qui tollit ergo imperium *Constantij* Ariani magis resistit ordinationi divinæ. His verbis *Hosij* nondum respondit Bellarminus. Hosius ergo abundè probat Pontificem in temporalibus imperium in Imperatorem non habere.

Sequitur Bernardus De consideratione lib. 1. c. 5. *Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ: Quid fines alienos inuadis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis?* Alieni sunt fines Regni à finibus Ecclesiæ, nec licet alienos fines invadere: Messis Regni alieno est à messe Ecclesiæ, nec licet falcem Ecclesiæ in messem Regni extendere. Hæc est sententia Bernardi.

At explicat (*inquit Bellarminus*) *Bernardus* seipsum. *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere, quippe potioribus occupatis: denique vbi necessitas exigit: audi quid sentiat, non ego sed Apostolus: sic enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter excurrere* (non incurrere, vt legit Bellarminus,) *in ista causa quidem vrgente, aliud vero incumbere istis, tanquam magnis dignisq; tali, & talium intentione rebus.* » » » » » » » »

Egregia procul dubio hæc est explicatio, siue declaratio, quæ magis sensum *Barclaij* confirmat: Apostoli non sunt indigni, qui de infimis istis, temporalibus scilicet, iudicent, vtpotè qui mundum iudicaturi sunt: sed vobis indignum est his insistere, vtpotè potioribus occupatis. Vobis indignum est, quibus potiora illa, prædicatio scilicet verbi & sacramento-

rum

tum administratio commissa sunt, his temporalibus insistere. *Non est æquum nos derelinquere sermonem Dei, & ministrare mensis*: sic Apost. Act. 6. 2. Diaconos ergo constituunt: non est æquum nos derelinquere sermonem Dei & temporalibus incumbere, non est æquum nos cibum cœlestem relinquere, cibum verò corporalem curare: relinquamus ista. Regibus & Principibus quibus à Deo commissa sunt. Quid fines alienos invadimus? quid falcem nostram in messem alienam extendimus? At, vrgente causa, licet talibus insistere. Forte hoc in Patrimonio Petri licet, vbi Pontifex Princeps est temporalis, qui tamen non per se sed per iudices suos temporalia iudicia exercet. Et de terminorum & prædiorum divisione & terrarum distributione loquitur *Bernardus*, non de Regnorum dispositione: at nunquam in alienis Regnis diuisisse terminos aut prædia, nunquam terras distribuisse legitur Pontifex.

Fortè hoc in alijs Regnis licet per viam compromissi; multi enim Reges causas suas sponte Pontifici summo dijudicandas permiserunt. Hanc esse sensum Bernardi docent verba sequentia. *Aliud est incidenter excurrere, aliud incurrere in ista*, vt fraudulenter legit Bellarm.

Incidenter, non ergo ordinarie; tanquam arbiter, non tanquam iudex ordinarius: excurrere: extra messem propriam, extra fines proprios currere. Temporalia ergo non sunt messis propria, non sunt fines proprij Pontificis.

Et hoc ex vsurpatione Pontificum posteriorum tum exemplo Apostolorum. *Stetisse* (inquit Bernardus) *lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego*. Et hoc ad dispositionem Principum nullatenus spectat: *In criminibus enim non in possessionibus potestas* Pontificis, *propter illa, non propter hæc accepisti claues Regni cœlorum, prædicatorem te oportet excludi* à Regno cœlorum, *non* excludi *possessorem* è Regni terræ. Bernardus ergo totus noster est, in hac causa, vt supra l. 1. cap. 8. pluribus probatum est.

Proximo loco hoc ipsum probat ex Ioanne Driedone; Lib. 2. de lib. Christiana ca. 2. qui aperte affirmat, *Christum vtriusq; potestatis officia discreuisse, vt unadecim & spiritualibus rebus atque personis, altera prophanis & mundani, præsideret*: & distinctionem hanc harum potestatum esse de iure divino: vnde, inquit, *Papa & Imperator sunt in Ecclesia, non tanquam duo Rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit aut veneratur tanquam superiorem, quia Regnum sic contra se diuisum desolabitur*: (mutuo ergo se invicem iuuant.) *Neque item sunt, tanquam duo iudices subordinati, sic vt alter sliam iurisdictionem accipiat ab altero: sed sunt tanquam duo Rectores, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officijs deputati, Ita vt Imperator præsit sæcularibus causis & personis, ad pacificum conuictum huius sæculi: Papa vero præsit spiritualibus ad lucrum Christiane fidei & charitatis.*

Respon-

Respondet Bellarm: *Potestates istas duas distinctas dixit Driedo, temporalem spirituali subiectam esse non negat. c. vero 9. lib. 1. dicit apertè Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges & Principes Christianos, & posse eos Regni privare; & in temporalibus plebem, ab eorum obedientia eximere.*

Distinctæ sunt iure diuino, & authore Christo Imperator præest causis & personis secularibus, Pontifex vero præest spiritualibus. Hæc Driedo. Si præsit Imperator secularibus, quomodo præesse potest Pontifex Imperatori in temporalibus? Imperator ergo in temporalibus Pontificē superiorem non agnoscit: non enim præest inferior, sed supremus siue summus.

At potest Pontifex ex plenitudine potestatis, iuxta Driedonem Reges deponere. Quo iure? non diuino: sic enim multis docet idem Driedo loco citato. c. 9. l. 1. Excommunicati iure diuino, vt Ethnici & Publicani habendi sunt: *Sed & hoc*, inquit, *nihilominus verum est, quod etsi Ethnicis & Publicanis infidelibus communicare non possumus, neque in Sacramentis dispensandis ijsdem, aut recipiendis ab illis, vtiq; possumus comedere & bibere cum illis, vt patet ex doctrina Pauli.* Et infra, proximè ante verba citata à Bellar. *Secus in temporalibus negotijs & causis: in illis nempe non est contra legem diuinam, Christianos obedire hæreticis, aut alijs infidelibus Præsidentibus, quia iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicuti Christiani in rebus militaribus obediebant Imperatoribus infidelibus, atque Apostatæ Iuliano.*

At, inquit, *Papa potest Principes priuare Regnis.* Quo iure? Non diuino; id supra negauit Driedo: Ecclesiastico ergo siue canonico. Acsi diceret; Papa potest tollere ius diuinum, Papa potest dispensare contra verbum Dei: Papa potest ea tollere, quæ ius diuinum tollenda prohibuit: non enim permittitur solum obedientia Infideli vel hæretico Imperatori in iure diuino, sed etiam præcipitur; *quia*, inquit Driedo, *iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicut Christiani obediebant, etiam Iuliano Apostatæ. Oportet*, ergo sub præcepto diuino cadit obedientia, quæ infideli Apostatæ, aut hæretico Imperatori debetur.

Ecce quale est hoc ius Ecclesiasticum, quod, fatente *Driedone*, ius diuinum tollit. Mille tales testes tibi non inuideo, qui quod afferunt contradicendo, aut absurda docendo prorsus evertunt, quique potestatem hanc Regum deponendorum è canonibus non ex Scripturis petunt.

At, inquit Bell. *Glossa Barclaij non valet; quod Imperator in temporalibus Pater est Pontificis, sicut Pontifex in spiritualibus Pater est Imperatoris. In Can. Hadrianus. Distinct. 63. Hanc glossam nec in antiquis nec in nouis editionibus inuenire potui.* At apud *Cusanum* eandem inueniſti: quia vestræ causæ plurimum incōmodat, ideo antiquata est, vt plurima alia vna litura in Indicib⁹ vestris expurgatorijs quotidie antiquātur, & in proximo

Indice, plurima quæ à nobis lib. 1. cap. 8. producta sunt, expungenda expectamus. *Nec delirat annus ista antiqua, nec præ nimio senio excessit è viis*, sed viuit & in senatum, & in conspectum hominum venit, vt Bellarm. alioſque fallarios novitatis arguat. Vide plura c. 3.

10 *Lib. de Pont. Rom cap. 3.*

Vltimo loco Barclaius Bellarm. ex Bellarm. convincit. *Sicut non est idem sydus Sol & luna, & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus, ita quoq; non est idem Pontificatus & Imperium, nec vnum ab altero pendet.* Ex his colligit *Barclaius, Pontificalis authoritas vt Sol est, Regalis potestas vt Luna est: Luna non minus est Luna, nec minus per se consistit, cum à Sole recedit, & lumen à Sole mutuatum amittit, quam cum radijs Solis, pleno orbe illustratur*: sic *potestas Regalis, propriis subnixa viribus, per se semper consistit, & amisso lumine supernaturali quod à potestate spirituali, ad bene beateq; viuendum recipit, in sua οὐσία siue essentia non mutatur, nec eius accessu vel recessu augetur vel minuitur: multo minus ad nutum Pontificis Rex Regno priuatur.*

Similitudo hæc est *Innocentij* c. solitæ, extra de maioritate & obedientia. Hâc Similitudine mirum in modũ delectati sunt multi è testibus Bellarmini anis. At iam pudet Bellarm. huius allegoriæ vanissimæ. Respon-
» det ergo; *similitudines in omnibus locum non habent, sed in eare tantum ad*
» *quam explicandam adhibentur.*

Esto. non regero quod Christus Sol est, Ecclesia vt luna est; quę propter varias mutationes, propter incrementa & decrementa sæpius & rectius luna dicitur: (Quinetiam Isidorus *per Solẽ* intelligit *regnum* per Lunã *Sacerdotium*. Super Genes. in glossa: vt Ioan. de Paris. c. 15. ad 4.) accipio quod respondes. *Christus ouis est propter mansuetudinem, non propter*
» *stoliditatem: Leo est propter fortitudinem, non propter sanitiam: Petra est*
» *propter firmitatem, non propter fragilitatem: Rectè ergo potestas spiritualis*
» *ab Innocentio Soli, quia maior est, & præest spiritualibus comparatur.* Optimè ista Bellarminus si sibi constet: at vide quo modo constet: Luna, id est, Potestas Regalis præest temporalibus; at non præest temporalibus si in temporalibus superiorem habeat, summum Pontificem: Quomodo enim præest ille, qui alteri in temporalibus subest? præest, & superiorem habet, qui ei præsit in temporalibus, eumque deponat, & temporalibus temporaliumque Regno priuet. Hæc Bellarm. hominem constantem decent. Sed pergamus. Pontificatus & Imperium vt Sol & Luna distincta sunt, & à Deo sunt. Imperium à Pontificatu absolute non dependet, quia ante Pontificatum Christianum fuit: Pontifex imperium nunquam sustulit, sed tantùm transtulit. Esto. Si Imperiũ non sit à Põtificatu, vt Luna non est à Sole, quia Imperium Romanum fuit ante Pontificatũ Romanũ, non potest Pontifex Imperatorem destituere, quia ipsum non instituit, & eadem sunt principia destitutionis & institutionis: imo plus est destituere quã instituere; nemo

nemo auferre poteſt, niſi qui dare poteſt: Sol lumen auferre poteſt Lunæ, quod Lunæ dedit: lumen vero lunæ nativum & congenitum, quod in Eclipſi apparet, motum & curſum lunæ, influentiam lunæ auferre nullâ ratione poteſt: Imo Luna & infrigidat & humectat; quæ duo à Sole non recipit, quia contraria operatur Sol, exſiccat & calefacit: imo ex ſe Luna dominatur in aquis & humoribus. Sic Pontifex poteſt lumen cœleſte & ſupernaturale Regi auferre, quia lumen cœleſte dare, vel potius conferre poteſt: poteſt cibum auferre ſpiritualem, qui cibum miniſtrat ſpiritualem: poteſt communionem gratiæ tollere, quia in communionem gratiæ et Eccleſiæ introducere poteſt: at lumen naturale, cibum temporalem, communionem civilem auferre non poteſt, quia lumen naturale, cibum temporalẽ, communionẽ ciuilẽ non contulit: Regnum enim antiquius eſt Pontificatu Chriſtiano, et hæc à iure diuino et naturali ante natum Pontificatum Romanum habuit: nec poteſt canon Eccleſiæ tollere, quod iure diuino et naturali ſtabilitum eſt.

Similitudo ergo hæc quæ ab Innocentio, aliiſque multis, in hunc finem adducta eſt, vt probet ſuperioritatem Pontificis in temporalibus, ſuper Imperatores et Reges, in hac ipſa re, ad quam explicandam adhibetur, locum non habet.

At ſubjicitur Luna Soli cum ab eo lumen recipiat; & non ſubjicitur Sol Lunæ quia nihil recipit à Luna.

De ſubiectione Lunæ ad Solem, Soliſque ad Lunam, non inſtituitur quæſtio. Quamuis dicat Dauid in Pſalm. 135.7.8.9. *Qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem Diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*: Nec regit Luna diem, id eſt, ſpiritualia, nec regit Sol noctem, id eſt, temporalia: nec Sol regit Lunam, ſed et Sol & Luna regunt & dirigunt hæc inferiora. Sit per me Sol, Dux et Princeps, et moderator reliquorum luminum, vt Cicero in Somnio Scipionis. Quanquam ſi Dux & Princeps & moderator ſit, Dux certe non tam irrationalis quam inanimatus ſit: nihil hæc ad cauſam noſtram. Subjicitur Luna Soli: Rex ſubjicitur Pontifici, in eo quod lumen ab eo recipit, id eſt, in lumine ſpirituali, in ſpiritualibus ſubjicitur, at in omnibus non ſubjicitur, non in temporalibus, quia temporalia à Pontifice non recipit. In hoc vero claudicat ſimilitudo iſta; Quod Sol nihil à luna recipiat; Pontifex vero Romanus totum patrimonium Petri & ciuitatem Romanam, omniaque temporalia Eccleſiæ ab Imperatoribus & Regibus recipit: pauperes fuiſſent Pontifices Romani, ſicut olim Apoſtoli, ſi ex dono & gratia Imperatorum nihil recipiſſent. Imo vero, ſicut Rex, lumen ſpirituale à Pontifice, per Scripturas & leges Canonicas recipit, vt dirigatur ad vitam æternam: ſic Pontifex à Rege, per leges ciuiles lumen recipit, quo in hac lubrica mundi peregrinatione dirigatur: & diriguntur legibus ciuilibus in temporalibus, (ſi non qua leges, at certe

In temporalibus ergo Princeps Spiritualis ſubijcitur Principi temporali eiuſquè legibus : idquè, non tantum quâ rationes, ſed etiam quâ leges: quia *neceſſe eſt*: neceſſarium eſt, voluntarium non eſt.

Tertius ſit Ioan. Pariſienſis, (à *Bellarmino*. citatus Libro quinto de Romano Pontifice Cap.1.) De poteſt. Regia eſt Papali Cap.10. *Et Regalis maior eſt in temporalibus, non habens ſupra ſe ſuperiorem, ſicut nec Papa in ſpiritualibus.* Infinita huius generis repetat Lector Lib.1. Cap.8. per quæ facile apparebit Pontificem in temporalibus inferiorem eſſe Imperatore.

2 Secundum eſt: Hæ duæ poteſtates ita ſunt partes Reipub. Chriſtianæ, vt neutri in alteram Imperium ſit; vtpote cum liberæ & ſui juris eſſent mutuo amore coierunt; vtraq; ergo alteram in ſuo ordine ac munere recognoſcit ac veneratur.

„ *In his verbis* (inquit Bellarminus) *affirmari video, non probari politicam*
„ *& Eccleſiaſticam poteſtates in eadem Chriſtianâ Rep. coniunctas eſſe vin-*
„ *culo benevolentiæ, non ſubiectione vnius ad alteram &c.*

Probatio non incumbit reſpondenti ſed opponenti: quanquam & *Barc.* hoc ipſum probat, ex *Genebrardo*, *Hoſio*, *Bernardo*, *Driedone*, maximè verò ratione manifeſtâ, vt inferius patebit: ſed hoc videre non potuit *Bell.* cæci enim ſunt palpones, veritatem videre non poſſunt. Quid verò facilius videri poteſt, quam ciuitas in monte poſita? quam lucerna, è candelabro? Et Eccleſia ciuitas eſt in monte; An non & Regnum? Si Regnum non ſit ciuitas in monte poſita, Eccleſia verò ſit, tum Regnum & Eccleſia non ſunt vna ciuitas; Eccleſia eſt Hieroſolyma Cæleſtis; Regnum non eſt Hieroſolyma Cæleſtis, ſed terrena; non ſunt ergo eadem ciuitas.

„ *Eccleſia Catholica eſt vna Reſpub. vna ciuitas, vna domus, vnum cor-*
„ *pus; multi vnum corpus ſumus: Rom.12. Corpus vnum eſt & membra ha-*
„ *bet multa: 1. Cor.12.*

De Eccleſia hoc dictum erat, antequam Regnum aliquod Chriſto ſe ſubmiſerat: quod vero Eccleſia & Regnum vnam faciant Rempub. nuſquam in Scripturis dicitur. Imo in Eccleſiâ Catholica vna tantum eſt Reſpub. una ciuitas ſpiritualis, at multa ſunt Regna, multæ Reſpub. temporales, & Regibus & Legibus & politeijs diſtinctæ & ſeparatæ, quæ in ciuilibus nihil commune habent. Et proindè Eccleſia Catholica & Regna mundi Chriſtiana, vnam Rempublicam facere non poſſunt: vt Reſpublicæ Anglorum, Francorum, Hiſpanorum, &c. Nihil habent commune; nequè in ijs res publica eſt, ſed res priuata ſingularium: at vna in his omnibus Catholica Eccleſia eſt. Quinetiam Catholica Eccleſia, vna per ſe Reſpublica eſt in ijs etiam Regionibus,

in

in quibus Regna non ſunt Chriſtiana, vt in Græcia, alijſque Regnis, in quibus ſub perſecutionibus militat Eccleſia. Imo in vnaquaque Eccleſia, & Regno particulari, duæ ſunt Reſpublicę Eccleſiaſtica & civilis; quæ diuerſa capita, Regem in temporalibus, & Pontificem in ſpiritualibus; diuerſa comitia, Eccleſia Concilia, Reſpublica Parliamenta ſiue Comitia Regni; diuerſas leges, Canonicas & civiles; diuerſa iudicia; diuerſa tribunalia, diuerſos Magiſtratus, diuerſos Principes, diuerſas pœnas habent. Eccleſia ergo & Regnum non ſunt duæ partes eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ, ſed diuerſæ potius Reſpublicę. Quid enim? An ſicut ex anima & corpore conſurgit tertium, id eſt, homo, quod nec eſt anima nec corpus, ſed quiddam ex anima & corpore compoſitum: ſic ex Regno & Eccleſia conſurgit tertium ex Regno & Eccleſia compoſitum, quod nec Regnum eſt, nec Eccleſia? Si Regnum & Eccleſia partes ſint integrantes, Reſpublica vero totum integrale, tum dempta altera parte, Reſpublica mutila & manca erit; at vero & Reſpublica perfecta fuit ante Chriſti aduentum apud Ethnicos, partes ſuas integrales habuit: Eccleſia itidem perfecta fuit, tempore perſecutionis ante Conſtantinum, & partes ſuas integrantes habuit. Reſpublica item, Chriſtiana non eſt totum vniuerſale, quia Eccleſia & Regnum, nec ſpecies ſunt, nec indiuidua huius totius: Non eſt totum eſſentiale, quia Regnum & Eccleſia non ſunt partes eſſentiales huius Reipublicæ Chriſtianæ: non eſt totum integrale, quia vtraque ſine altera egregiam partium ſuarum ſymmetriam obtinet. Reſtat ergo vt aut totum non ſit, aut totum ſit aggregatum, comprehendens & ſtatum Eccleſiaſticum & ſtatum ciuilem, in quo Regnum temporale Chriſtianorum, & Regnum Chriſti ſpirituale ſic conveniant, vt vtrumque ex omni parte abſolutum, ſua iura, ſua priuilegia, integra & impermixta poſſideat; neutrum vero alteri, in ſuis proprijs actibus, officijs & dignitatibus, diuerſis & diſtinctis, ſubiectum ſit: licet ijdem homines, qui vtriuſque Regni partes & membra ſunt, in ſpiritualibus ſubiecti ſint Pontifici, in temporalibus vero Regi: etſi Rex in ſpiritualibus Pontifici ſubiaceat, Pontifex itidem in temporalibus ſubiacet Regi.

Quod ſi vnaquæque Eccleſia particularis ſuperior ſit Regno particulari, poteſt ſummus Princeps illius Eccleſiæ particularis, Regem iſtum deponere; quod nec Bellarminus Regibus iniquiſſimus affirmare audet.

Quod vero Regnum & Eccleſia, duæ ſint Reſpublicę mutuo affectu & conſenſu inter ſe conſpirantes, docent multa: Vbi enim duæ ſunt publicæ per vniuerſam Rempublicam communiones, ibi proculdubio duæ ſunt Reſpublicę diſtinctæ, At in hoc toto aggregato, in hac

hac Republica Chriſtiana, duæ ſunt Communiones; & duæ ſunt, vt ſic loquar, excommunicationes : In Eccleſia communio eſt ſpiritualis, in rebus gratiæ; in Regno eſt communio ciuilis, in rebus naturæ.

Duæ item ſunt Excommunicationes; eſt excommunicatio in ſpiritualibus, de quibus non participant excommunicati ab Eccleſia: eſt excommunicatio in temporalibus, de quibus non participant exleges à Regno. & qui vna communione priuantur, altera ſtatim, eo nomine non priuantur. Exlex enim membrum eſt Eccleſiæ, & excommunicatus membrum eſt Reipublicæ: ſicut olim Ethnici & publicani membra erant Reipublicæ. Et Principes ipſi cum per proprios Epiſcopos excommunicantur, iuxta Decretum Lateranenſe, per annum Principes ſunt, nec ante ſententiam Pontificis communione priuantur temporali, qui per proprios Epiſcopos antea priuati erant communione ſpirituali. Duæ ergo in hac Republica Chriſtiana ſunt communiones, duæ ergo ſunt communitates, duæ Reſpublicæ diſtinctæ & ſeparatæ.

Præterea, duæ ſunt Reſpublicæ, quia vna alteram invocat, vna alteram adiuuat, vna alterius opem & auxilium implorat. Cum contemnuntur & negliguntur cenſuræ & excommunicationes Eccleſiæ, cum contagio peccatorum, vtpote hæreſeos, gregem inficit, nec ad hæreſim cauendam ſufficit iudicium & determinatio Iudicis ſpiritualis, ſolet Eccleſia brachium ſeculare inuocare. Reſpublica vero, quæ nutrix eſt Eccleſiæ eamque fouet & mutuo affectu complectitur, vt in fœlicitate filij & hæredis & ipſa beatitudinem conſequatur, adeſt auxilio ſuo, & non ex debito aut neceſſitate, ſed ex gratia & indulgentia; & excommunicatum capit & incarcerat, donec Eccleſiæ ſatisfaciat, & hæreticum igni tradit. Quin etiam & Reſpublica ſæpe Eccleſiæ auxilium inuocat; Si latro vel fur lateat, Eccleſia furem vel latronem ad preces Reipublicæ excommunicat. Si de legitima prole dubitet Reſpublica, mittit Breue de Baſtardiâ (vt nos loquimur,) imperatque Eccleſiæ (ea eſt apud nos forma huius Breuis) vt de legitimo matrimonio, proleque in legitimo matrimonio procreata, certiorem faciat. Hæc & alia id genus infinita, quæ Iuriſconſultis quam Theologis notoria ſunt & magis familiaria, abunde probant, Regnum & Eccleſiam, ſic in vnam convenire Rempublicam Chriſtianam, vt duæ ſemper ſint Reſpublicæ, ſuis legibus, iudicijs, pœnis, officijs, dignitatibus & actibus ſic diſtinctæ, vt vna alteram adiuvet ex gratia, vna vero alteri, niſi ſponte & pro libito voluntatis non ſuccurrat.

Quid quod, non licet priuato cuiquam bona ſua præſertim immobilia Eccleſiæ, ſiue in Manus mortuas, vti loquuntur Legiſtæ noſtri, tradere,

tradere, ſine conſenſu & gratia Principis temporalis: In terris enim & poſſeſſionibus, vtile Dominium eſt in privatis, merum Dominium eſt in Principe: nec poteſt qui vtile habet Dominium, de integro Dominio ſine licentia eius, qui merum habet Dominium, diſponere. Id lege cautum eſſe in Republica Venetorum recte norunt *Bellarminus* & *Baronius*: in Anglia quoque, nec non apud Francos, id legibus ſancitum eſt, circa tempora *Edouardi* tertij Regis Anglorum. Si poſſeſſiones Regni alienari, & in feudum Eccleſiæ ſine conſenſu Principis tranſire non poſſunt, non ſunt vna Reſpublica, Regnum & Eccleſia, ſed duæ, quæ leges iuraque ſua ſervant, & tamen vinculo benevolentiæ, & conſpiranti quodam conſenſu, in vnam ſocietatem Chriſtianam conveniunt.

Non eſt Reſpublica in Eccleſia, ſed Eccleſia in Republica eſt, id eſt, in Imperio Romano; ſic olim Optatus. Ager Chriſti, in agro eſt Domini, in agro mundi: & in Eccleſia & agro Domini, ſunt hædi ſicut & agni, piſces mali, ſicut & piſces boni; Lolia & Zizania ſimul creſcunt, & creſcere iubentur cum tritico. Multi ergo in Eccleſia, qui non ſunt de Eccleſia, intus lupi multi ſunt qui ad Dominum non ſpectant, foris agni multi ſunt, nondum vocati, qui ad Dominum ſpectant. Non ergo Regnum ſiue Reſpublica ciuilis, pars eſt Reipublicæ Chriſtianæ; ſed Eccleſia, vt pars, in Regno & Republica vt in toto quodam aggregato, fouetur & nutritur. Sancti vt hæredes ſunt & filij, Reges & Reginæ nutricij ſunt & cuſtodes: An eadem eſt familia filij & nutricis? Nutrix proculdubio alterius eſt familiæ: Regnum ergo & Eccleſia, duæ ſunt quaſi familiæ, duæ Reſpublicæ, Eccleſia nutritur cibo temporali, nutrit vero cibo ſpirituali: Regnum nutritur cibo ſpirituali, temporali Eccleſiam nutrit. Lib. 3.

At ijdem homines ciues ſunt vtriuſque ciuitatis, membra ſunt vtriuſque corporis, ſed diuerſo modo: Ciues ſunt Regni, ſiue ciuitatis terrenæ, quia liberi nati ſunt: Ciues ſunt Regni ſiue ciuitatis cœleſtis, non quia liberi per naturam nati, ſed quia per gratiam liberati, *fiunt, non naſcuntur Chriſtiani*; naſcuntur ciues ſicut & fiunt. Membra ſunt corporis Chriſti, quia ſpiritu Chriſti aguntur, eiuſque præceptis ſpiritualibus obtemperant: Membra ſunt Regni ſiue Reipublicæ, quia ſpiritu naturæ aguntur, & legibus ciuilibus obligantur: ijdem ſunt homines, at Reſpub. diuerſæ.

Habet Regnum (iuxta *Bellarminum*) principium ſuum à conſilio & conſenſu hominum, per inſtinctum naturalem, & à Deo eſt mediate: Pontificatus à Chriſto eſt immediatè ſine hominum conſenſu. Regnum per leges ciuiles progreditur: Eccleſia per canones ſpirituales: finis Regni par eſt (iuxta *Bellarm.*) temporalis, bonum temporale: finis

Eccle-

Eccleſiæ eſt pax æterna, bonum æternum: Quidni ergo Regnum & Eccleſia, in vnam ſocietatem conſpirantes, diuerſæ ſint inter ſe Reſpublicę, quarum principia, media ſiue progreſſus & fines ſic diſtinguuntur & diuerſificantur?

Clerici ergo & Laici, Reges & Sacerdotes, quatenus regenerati in Chriſto, vnam Rempublicam, vnam ciuitatem, vnam domum, vnum corpus, id eſt, Eccleſiam efficiunt. Clerici & Laici, Reges & Pontifices quatenus nati in mundo, vnam Rempublicam, vnam ciuitatem, vnam domum, vnum corpus, id eſt, Regnum efficiunt. Duæ ergo ſunt Reſpublicę vna Eccleſiaſtica ſiue ſpiritualis, cuius caput eſt Pontifex; altera ciuilis ſiue temporalis, cuius caput eſt Rex. Duæ ergo in hac vna ſocietate ſunt Reſpublicæ, duæ ciuitates, duæ domus, duo corpora, et non vna eademque vt vult Bellarminus.

Quod ergo ad aſſumptionem attinet: Princeps ſpiritualis eſt ſuperior Principibus temporalibus, quando partes ſunt eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ: Vera & falſa eſt hæc propoſitio. Vera eſt, ſi in ſpiritualibus tantum intelligatur; ſpiritualia enim tantum Pontifici commiſſa ſunt, vt *Hugo*: falſa vero eſt, ſi ad temporalia extendatur, quæ omnia, vti *Hugo*, Regi commiſſa ſunt. Cedit enim temporalis Princeps ſpirituali, in cauſis Dei; cedit Princeps ſpiritualis temporali in cauſis ſeculi: vti *Waldenſis. Sic Papa non inſtituit Regem, ſed vterq; eſt à Deo inſtitutus ſuo modo: nec dirigit eum per ſe, vt Rex eſt, ſed per accidens, in quantum conuenit Regem fidelem eſſe, in quo inſtruitur à Papa de fide, non de Regimine. Vnde ſubijcitur Papæ, in ijs quibus ſubijcit eum poteſtas ſuprema, ſcilicet in ſpiritualibus tantum*: Sic Ioan. de Pariſijs de poteſt. Regia & Papali, cap. 8. ad 2ò. *Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*: Si temporalia ſicut etiam ſpiritualia, Dei ſunt, hoc eſt Sacerdotis, non Cæſaris & Regis; totum cedit Sacerdoti, Cæſari nihil. Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari: date, abſolute & ſimpliciter, omnino date, non date ex parte, non date ad nutum aut libitum Pontificis. In temporalibus ergo Cæſar Pontifice ſuperior, ſicut in ſpiritualibus, Pontifex Cæſare, & quouis Monarchâ politico ſuperior eſt.

6 *Hæ duæ poteſtates non coeunt vt duæ confœderatæ Reſpublicæ quales ſunt* „ *Pagi Heluetiorum, ſed vt ſpiritus & caro, in vnum hominem, vt Gregorius* „ *Nazianzenus: & ſpiritus in carnem imperium habere debet, non contra:* „ ſic Bellarminus.

Non coeunt hæ duæ poteſtates, vt duæ confœderatæ ciuitates Heluetiorum, quia inter has ciuitates amicitia, pax & fœdus intercedit, at communio nulla, omnia enim priuata ſunt, vnaquæque Rempublicam ſuam habet: ijdem homines diuerſarum ciuitatum ciues non ſunt, ſicut ijdem homines, & Eccleſiæ per regenerationem, & Regni per gene-

generationem cives ſunt: ijdem homines diuerſarum ciuitatum legibus, diuerſo reſpectu non ſubjiciuntur, ſicut ijdem homines, qua homines & ciues, legibus Regni ſubjiciuntur, qua vero Chriſtiani, legibus ſpiritualibus Eccleſiæ ſubiacent. Arctior ergo eſt Regni & Eccleſiæ communio quam duarum civitatum liberarum, aut duorum Regnorum conſœdera io.

Nec etiam coeunt, Eccleſia & Regnũ, vt anima & caro, anima enim & caro partes ſunt eſſentiales, quæ hominem, id eſt, tertium quiddam componunt & conſtituunt: Eccleſia & Regnum, tertium non conſtituunt, quod nec ſit Regnum, nec Eccleſia: & Eccleſia non eſt anima ſiue forma Regni, ſic enim Regnum non poſſet eſſe ſine Eccleſia, ſicut non conſiſtit materia ſine forma: nec eſt Regnum vt caro ſiue materia reſpectu Eccleſiæ, Eccleſia enim diu fuit, antequam Regnum aliquod, fidem Chriſti ſuſcepit: Non conveniunt ergo Regnum & Eccleſia, vt materia & forma, vt anima & caro.

Anima quidem vita eſt corporis, animæ vero vita ſiue anima eſt Deus: ſic olim Auguſtinus, ſicut moritur corpus diſcedente anima, ſic moritur anima diſcedente Deo.

Poteſtas ergo Eccleſiaſtica vita eſt poteſtatis politicæ; ſed vita ſupernaturalis, non naturalis; anima eſt, ſed anima ſupernaturalis, non naturalis: Anima enim naturalis, & cor, & caput, & ſpiritus Regni, Rex eſt: vt ſol in cœlo, ſic in ſuo Regno omnia illuſtrat Rex, lumine naturali, non ſupernaturali.

Et hæc anima ſupernaturalis & cœleſtis, imperium habet in carnem, hoc eſt, in Regnum & Regnicolas, homines ſcilicet, & ciues naturales, ſed in ijs in quibus animat, id eſt in ſupernaturalibus & ſpiritualibus: ſicut enim anima animæ, hoc eſt Deus, animam corporis eiuſque munia & facultates & officia non tollit, ſed dirigit & attollit à terrenis ad cœleſtia: ſic poteſtas ſpiritualis, animam Regni, hoc eſt Regem, non tollit, nec eius munia & officia impedit, ſed ad ſuperna & cœleſtia erigit, & elevat.

Mire verò placet ſibi in hâc ſimilitudine Bellarminus de Anima & carne, vt poſtea patebit; ſed parum proficit in hac ſimilitudine: Habet anima imperium directiuum, ſiue regitivum, ſiue diſpoſitiuum, non coactiuum, in carne & corpore: non poteſt tamen corpus deponere, non poteſt corpus occidere, non debet corpus fame necare: & ſi corpus pereat, vnà ſimul cum corpore, perit anima, vel eo ipſo quod carnem ſuam odio habet, & internecioni tradit; ſic Eccleſiaſtica poteſtas poteſt dirigere poteſtatem ſecularem, at deponere non poteſt, imperat ergo anima corpori, Eccleſiaſtica poteſtas imperat Regno, imperio directiuo non coactiuo; nec magis deponit Pontifex Regem, quam animà deponit corpus.

Pontifices & Reges non ſunt in Eccleſia vt Arietes principales in Ouili, ſed

„ *ſed Pontifex Paſtor, Reges vt oves; & Paſtores ouibus, non oues Paſtoribus cum imperia præſunt.* Sic Bellarm.

„

An principes & Reges Arietes ſint principales, in ouili, hic non diſputo: Arietes eſſe in grege certum eſt, aut mendax Bellarminus: eius verba hæc ſunt: *Princeps autem eſt Aries furioſus deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeo malus, vt multum obſit Religioni & Eccleſiæ, &c.* Cum ergo prodeſt Religioni & Eccleſiæ, Aries eſt ſanctus, protegens ouile: Aries ergo principalis eſt: imo non ſolũ Aries principalis, ſed & Ductor & *Paſtor* gregis; aut male de ſeipſo Dauid: *Et elegit Dauid ſeruum ſuum & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum; pascere Iacob Populum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam; & pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarũ deduxit eos.* Rex ergo *Paſtor* eſt in tẽporalibus, ſicut Pontifex *Paſtor* eſt in ſpiritualibus: & ſicut in ſpiritualibus paſcit & proinde regit Pontifex Regem, ſic in temporalibus paſcit & proinde regit Rex Pontificem. Et Pontifex ovis eſt Regis in temporalibus, ſicut Rex ovis eſt Pontificis in ſpiritualibus: Rex, ſuperior in temporalibus, imperat Pontifici; ſicut Pontifex, ſuperior in ſpiritualibus, imperat Regi. Neutri tamen in alterum tale eſt imperium, vt aut Pontifex Regiam poteſtatem tollere poſſit, aut Rex Pontificiam: nec Pontifex deponit Reges, nec Rex depoſuit Pontifices, quia nec ordines conferre, nec ordines tollere poteſt. Dominus deponit & occidit; Paſtor cuſtodit.

Pergit Barclaius ad confirmationem reſponſionis ſuæ: *vtraque poteſtate, vtroq; Magiſtratu (vt Genebrardi verbis vtar) Eccleſiaſtico & politico Eccleſia continetur, munitur, & viget: ad quam protegendam & ſartam tectam conſeruandam,* -- *Alterius ſic,*

8. In Pſal. 2.

Altera poſcit opem res, & coniurat amice,

Vt quamdiu ſocietatem retinent, Reſpub. Chriſtiana innumeris pacis & concordiæ commodis efflorescat; at vbi coitum diſſoluunt, ſpiritualis poteſtas, corporalibus auxilijs deſtituta plerunque contemnitur: temporalis cœleſti gratia deſtituta, in ſuam pernicicm, &c. properat.

„ *Omnia hæc* (inquit Bellarm.) *contra authorem ſuum pugnant, non contra Bellarm.* Quomodo vero contra *Barclaiũ* pugnant? optimum eſt vt concordent poteſtates iſtæ, civilis & Eccleſiaſtica, mutuo auxilio fortes ſunt & creſcunt; pernicioſum eſt ſi pugnent: ſicut optimum eſt, vt ſpiritus & caro concordent, pernicioſum verò ſi diſſideant. Annon ergo pernicioſum eſt, ſi ſpiritus carnem deponere & occidere tentet? Annon itidem pernicioſum eſt, ſi Princeps ſpiritualis principem politicum deponere & occidere ſatagat, à quo nutritur & cuſtoditur Eccleſia. Vtroque Magiſtratu Eccleſia continetur, munitur & viget: à Magiſtratu Eccleſiaſtico continetur in ſpiritualibus, à Magiſtratu politico in temporalibus vterque Magiſtratus, alteri auxilium, aduocatus, præbet: ille gladio ſpiritu-

tuali, hìc gladio temporali adest: Quando ergo Magistratus contra Magistratum, Pontifex contra Imperatorem insurgit, annon adest pernicies Reipublicæ Christianæ! Discordia ergo & pugna ista maximè contra *Bellarm.* pugnat.

At hæc discordia non tollit imperium spiritus in carnem suam, nec imperium Principis Ecclesiastici in Principem Politicum. ,,

Non tollit imperium *suum*, id est, non tollit imperium Principis Ecclesiastici in Regem Christianum in spiritualibus: hoc suum est: tollit verò imperium Principis spiritualis, in Principem temporalem in temporalibus, hoc enim non est suum: temporalia enim omnia, iuxta *Hugonem*, Regi commissa sunt, spiritualia *vniuersa* & spiritualia *tantum* Pontifici commissa sunt, vt multis supradictum est. Dissidium hoc potestatis Ecclesiasticæ & temporalis, origo & occasio est, omnium malorum Ecclesiæ & Reipublicæ.

Hosium apud Athanasium, Ad solitariam vitam agentes, proximo loco adducit *Barclaius Neque fas est nobis in terris imperium tenere.* His supra respondit Bellarm. c. 2. quæ à nobis c. 2. confutata sunt: sed quæ maximè premunt, non sensit *Bellarminus*, *Qui imperium tuum malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ.* Et *Constantius* hæreticus Arianus, & Persecutor fuit. Qui malignis oculis carpit imperium *Constantij* Ariani, resistit ordinationi divinæ sic *Hosius*: qui tollit ergo imperium *Constantij* Ariani magis resistit ordinationi divinæ. His verbis *Hosij* nondum respondit Bellarminus. Hosius ergo abundè probat Pontificem in temporalibus imperium in Imperatorem non habere.

Sequitur Bernardus. De consideratione lib. 1. c. 5. *Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ: Quid fines alienos inuadis? Quid falcem vestram in alienam messem extendis?* Alieni sunt fines Regni à finibus Ecclesiæ, nec licet alienos fines invadere: Messis Regni aliena est à messe Ecclesiæ, nec licet falcem Ecclesiæ in messem Regni extendere. Hæc est sententia Bernardi.

At explicat (*inquit Bellarminus*) *Bernardus* seipsum. *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere, quippe potioribus occupatis denique vbi necessitas exigit: audi quid sentiat, non ego sed Apostolus: sit enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Sed aliud est ineidenter excurrere* (non incurrere, vt legit Bellarminus.) *in ista, causa quidem vrgente, aliud vero incumbere istis, tanquam magnis dignisq; tali, & talium intentione rebus.* ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,, ,,

Egregia prorsus dubio hæc est explicatio, siue declaratio, quæ magis sensum *Barclaij* confirmat: Apostoli non sunt indigni, qui de infimis istis, temporalibus scilicet, iudicent, vtpotè qui mundum iudicaturi sunt: sed vobis indignum est his insistere, vtpotè potioribus occupatis. Vobis indignum est, quibus potiora illa, prædicatio scilicet verbi & sacramento-

rum

tum administratio commissa sunt, his temporalibus insistere. *Non est æquum nos derelinquere sermonem Dei, & ministrare mensis*: sic Apost. Act. 6. 2. Diaconos ergo constituunt: non est æquum nos derelinquere sermonem Dei & temporalibus incumbere, non est æquum nos cibum cœlestem relinquere, cibum verò corporalem curare: relinquamus ista. Regibus & Principibus quibus à Deo commissa sunt. Quid fines alienos invadimus? quid falcem nostram in messem alienam extendimus? At, vrgente causa, licet talibus insistere. Forte hoc in Patrimonio Petri licet, vbi Pontifex Princeps est temporalis, qui tamen non per se sed per iudices suos temporalia iudicia exercet. Et de terminorum & prædiorum divisione & terrarum distributione loquitur *Bernardus*, non de Regnorum dispositione: at nunquam in alienis Regnis diuisisse terminos aut prædia, nunquam terras distribuisse legitur Pontifex.

Fortè hoc in aliis Regnis licet per viam compromissi; multi enim Reges causas suas sponte Pontifici summo dijudicandas permiserunt. Hanc esse sensum Bernardi docent verba sequentia. *Aliud est incidenter excurrere, aliud incurrere in istâ*, vt fraudulenter legit Bellarm.

Incidenter, non ergo ordinarie; tanquam arbiter, non tanquam iudex ordinarius: excurrere: extra messem propriam, extra fines proprios currere. Temporalia ergo non sunt ministri propria, non sunt fines proprij Pontificis.

Et hoc ex vsurpatione Pontificum posteriorum cum exemplo Apostolorum: *Stetisse* (inquit Bernardus) *lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego*. Et hoc ad dispositionem Principum nullatenus spectat: *De criminibus enim non in possessionibus potestas* Pontificis, *propter illa, non propter hæc accepistis claues Regni cœlorum, prædicatores vtique exclusuri de Regno cœlorum, non exclusuri possessores* è Regni terreni. Bernardus ergo totus noster est, in hac causa, vt supra l. 1. cap. 8. pluribus probatum est.

Proximo loco hoc ipsum probat ex Ioanne Driedone; Lib. 2. de lib. Christianæ cap. 2. qui aperte affirmat, *Christum vtrinsq; potestatis officia discremisse; vt unadecim & spiritualibus rebus atque personis, alteram profanis & mundanis præsideret*: & distinctionem hanc harum potestatum esse de iure divino: vnde, inquit, *Papa & Imperator sunt in Ecclesia, non tanquam duo Rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit aut veneratur tanquam superiorem, quia Regnum sic contra se divisum desolabitur*: (mutuo ergo se invicem iuuant.) *Neque enim sunt, tanquam duo iudices subordinati, sic vt alter sua iurisdictionem accipiat ab altero: sed sunt tanquam duo Rectores, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officijs deputati, ita vt Imperator præsit secularibus causis & personis, ad pacificum conuictum huius seculi: Papa vero præsit spiritualibus ad lucrum Christiane fidei & charitatis.*

Respon-

Respondet Bellarm: *Potestates istas duas distinctas dixit Driedo, temporalem spirituali subiectam esse non negat. c. vero 9. lib. 1. dicit apertè Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges & Principes Christianos, & posse eos Regni. priuare; & in temporalibus plebem, ab eorum obedientia eximere.*

Distinctæ sunt iure diuino, & authore Christo Imperator præest causis & personis secularibus, Pontifex vero præest spiritualibus. Hæc Driedo. Si præsit Imperator secularibus, quomodo præesse potest Pontifex Imperatori in temporalibus: Imperator ergo in temporalibus Pontificē superiorem non agnoscit: non enim præest inferior, sed supremus siue summus.

At potest Pontifex ex plenitudine potestatis, iuxta Driedonem Reges deponere. Quo iure? non diuino: sic enim multis docet idem Driedo loco citato. c. 9. l. 1. Excommunicati iure diuino, vt Ethnici & Publicani habendi sunt: *Sed & hoc*, inquit, *nihilominus verum est, quod etsi Ethnicis & Publicanis infidelibus communicare non possumus, neque in Sacramentis dispensandis ijsdem, aut recipiendis ab illis, vtiq; possumus comedere & bibere cum illis, vt patet ex doctrina Pauli.* Et infra, proximè ante verba citata à Bellar. *Secus in temporalibus negotijs & causis: in illis nempe non est contra legem diuinam, Christianos obedire hæreticis, aut alijs infidelibus Præsidentibus, quia iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicuti Christiani in rebus militaribus obediebant Imperatoribus infidelibus, atque Apostatæ Iuliano.*

At, inquit, *Papa potest Principes priuare Regnis.* Quo iure? Non diuino; id supra negauit Driedo: Ecclesiastico ergo siue canonico. Acsi diceret; Papa potest tollere ius diuinum, Papa potest dispensare contra verbum Dei: Papa potest ea tollere, quæ ius diuinum tollenda prohibuit: non enim permittitur solum obedientia Infideli vel hæretico Imperatori in iure diuino, sed etiam præcipitur; *quia*, inquit Driedo, *iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicut Christiani obediebant, etiam Iuliano Apostatæ. Oportet*, ergo sub præcepto diuino cadit obedientia, quæ infideli Apostatæ, aut hæretico Imperatori debetur.

Ecce quale est hoc ius Ecclesiasticum, quod, fatente *Driedone*, ius diuinum tollit. Mille tales testes tibi non inuideo, qui quod afferunt contradicendo, aut absurda docendo prorsus evertunt, quique potestatem hanc Regum deponendorum è canonibus non ex Scripturis petunt.

At, inquit Bell. *Glossa Barclaij non valet; quod Imperator in temporalibus Pater est Pontificis, sicut Pontifex in spiritualibus Pater est Imperatoris. In Can. Hadrianus. Distinct. 63. Hanc glossam nec in antiquis nec in nouis editionibus inuenire potui.* At apud *Cusanum* eandem inuenisti: quia vestræ causæ plurimum incōmodat, ideo antiquata est, vt plurima alia vna litura in Indicib⁹ vestris expurgatorijs quotidie antiquātur, & in proximo

nemo auferre poteſt, niſi qui dare poteſt: Sol lumen auferre poteſt Lunę, quod Lunę dedit: lumen vero lunæ nativum & congenitum, quod in Eclipſi apparet, motum & curſum lunæ, influentiam lunę auferre nullâ ratione poteſt: Imo Luna & infrigidat & humectat; quæ duo à Sole non recipit, quia contraria operatur Sol, exſiccat & calefacit: imo ex ſe Luna dominatur in aquis & humoribus. Sic Pontifex poteſt lumen cœleſte & ſupernaturale Regi auferre, quia lumen cœleſte dare, vel potius conferre poteſt: poteſt cibum auferre ſpiritualem, qui cibum miniſtrat ſpiritualem: poteſt communionem gratiæ tollere, quia in communionem gratię et Eccleſię introducere poteſt: at lumen naturale, cibum temporalem, communionem civilem auferre non poteſt, quia lumen naturale, cibum temporalē, communionē ciuilē non contulit: Regnum enim antiquius eſt Pontificatu Chriſtiano, et hæc à iure diuino et naturali ante natum Pontificatum Romanum habuit: nec poteſt canon Eccleſiæ tollere, quod iure diuino et naturali ſtabilitum eſt.

Similitudo ergo hæc quę ab Innocentio, alijſque multis, in hunc finem adducta eſt, vt probet ſuperioritatem Pontificis in temporalibus, ſuper Imperatores et Reges, in hac ipſa re, ad quam explicandam adhibetur, locum non habet.

At ſubjicitur Luna Soli cum ab eo lumen recipiat; & non ſubjicitur Sol Lunæ quia nihil recipit à Luna.

De ſubiectione Lunę ad Solem, Soliſque ad Lunam, non inſtituitur quęſtio. Quamuis dicat Dauid in Pſalm. 135.7.8.9. *Qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem Diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*: Nec regit Luna diem, id eſt, ſpiritualia, nec regit Sol noctem, id eſt, temporalia: nec Sol regit Lunam, ſed et Sol & Luna regunt & dirigunt hæc inferiora. Sit per me Sol, Dux et Princeps, et moderator reliquorum luminum, vt Cicero in Somnio Scipionis. Quanquam ſi Dux & Princeps & moderator ſit, Dux certe non tam irrationalis quam inanimatus ſit: nihil hæc ad cauſam noſtram. Subjicitur Luna Soli: Rex ſubjicitur Pontifici, in eo quod lumen ab eo recipit, id eſt, in lumine ſpirituali, in ſpiritualibus ſubjicitur, at in omnibus non ſubjicitur, non in temporalibus, quia temporalia à Pontifice non recipit. In hoc vero claudicat ſimilitudo iſta; Quod Sol nihil à luna recipiat; Pontifex vero Romanus totum patrimonium Petri & ciuitatem Romanam, omniaque temporalia Eccleſiæ ab Imperatoribus & Regibus recipit: pauperes fuiſſent Pontifices Romani, ſicut olim Apoſtoli, ſi ex dono & gratia Imperatorum nihil recipiſſent. Imo vero, ſicut Rex, lumen ſpirituale à Pontifice, per Scripturas & leges Canonicas recipit, vt dirigatur ad vitam æternam: ſic Pontifex à Rege, per leges ciuiles lumen recipit, quo in hac lubrica mundi peregrinatione dirigatur: & diriguntur legibus ciuilibus in temporalibus, (ſi non qua leges, at certe

qua Rationes) etiam fatente Bellarmino, omnes Clerici: & directio hæc lumen est naturale siue ciuile. Cum ergo & diuitias, & possessiones, & gladium etiam temporalem, multi Pontifices, multæ Ecclesiæ ex dono & gratia Principum obtinuerant, vsque ad nauseam & vomitum; Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem: multi vero ordines (præcipue Iesuitarum) qui paupertatem vouerunt, quotidie cum filiabus Sanguisugæ clamant, sine modo, sine mensura, *fer, fer*; & Dominium semper transeat cum re; mirum est, quomodo ausit Bellarminus affirmare Solem, id est, Ecclesiam siue Pontificem nihil recipere à Rege, id est, à Luna: cum tot tantaq; Imperium & Regnum in Ecclesiam contulerit, vt seipsam pene euisceraverit. In ijs ergo quas à Regno recipit Ecclesia, subiecta est Ecclesia Regno, sicut in ijs quæ Regnum ab Ecclesia recipit, Regnum Ecclesiæ subjicitur, Qui plura vult de hac similitudine, quærat apud Dantem. Alig. lib. 3. De Monarchia. Authorem illius tractatus, qui incipit Rex pacificus. Somnium viridarij lib. 1. c. 84. Ioannem Maiorem in 4. Dist. 24. quæst. 3. contra 3. conclus. Ioannem de Parisijs. ca. 15. ad 4.

CAP. XIIII.

Confutatio confirmationum primæ rationis Bellarmini: fines harum potestatum, aut non subordinantur, aut tantum quoad directionem, non quoad coactionem temporalem.

1. *Ratio à subordinatione finium, æqualiter concludit, pro potestate cuiuslibet Episcopi, & Papæ.* 2. *An alius sit finis principatus, alias principantis?* 3. *Finis potestatis temporalis, bonum temporale: potestatis spiritualis bonum spirituale: & qualis sit subordinatio earundem.* 4. *Cura religionis & pietatis spectat ad Reges ex* 1. *Tim.* 2. 2. 5. *De sententia Nauarri.* 6. *Locus Aristotelis de facultatum & finium subordinatione.* 7. *Idem finis ciuitatis, qui & hominis: & finis hominis bonum æternum: & proinde ciuitatis: sic idem finis vtriusque potestatis: Religio prima cura, Imperatorum & Regum.* 8. *Refellitur.* 9. *Confirmatio: potestas temporalis non pendet à spirituali, sicut membrum à capite: & Duæ sunt Respublicæ non vna.* 9. *Papa se Deum faciat, qui à nullo vult Indicari.* 10. *Refellitur tertia confirmatio à signo: mala*

mala adminiſtratio temporalium mutari debet, at Pontifex cogere non poteſt.

SEquuntur confirmationes rationum Bellar. tres, in quarum limine & frontiſpicio collocatur Aries ille, quo omnia Regna Principum Chriſtianorum proſternuntur & ad terram corruunt: de ſubordinatione finium, quam ſic colligit Bellarm. 1

Ita ſubordinantur facultates vt ſubordinantur fines. Ethic. l. 1. c. 1. Finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, quia fœlicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideo debet referri in fœlicitatem æternam. Ergo facultas temporalis ſiue Regnum ſubordinatur facultati ſpirituali, ſiue Sacerdotio.

Scopam diſſolutam rectè dixeris; aut enim nihil concludit, quod ad quæſtionem depoſitionis ſpectat, aut de quolibet Epiſcopo concludit, ſicut de ſummo Pontifice. Quilibet enim Epiſcopus, imo quilibet Sacerdos ex officio, Reges & Laicos omnes dirigere debet, ad finem vltimum, i. beatitudinem ſiue fœlicitatem æternam: quilibet ergo Epiſcopus propter vltimum finem, poteſt diſponere de temporalibus, & proinde Reges etiam deponere: id quod ſolius Pontificis proprium eſſe docent hîc Catholici: liceat ergo ex hac cõcluſione pro alijs omnibus Epiſcopis ſic arguere.

Facultas ſiue poteſt temporalis ſiue Regnum, ratione ſubordinationis finium, ſubordinantur facultati ſiue poteſtati ſpirituali ſiue Eccleſiaſticæ. In quolibet Epiſcopo eſt facultas ſiue poteſtas ſpiritualis: Ergo Facultas ſiue poteſtas temporalis ſubordinatur cuilibet Epiſcopo. Aut ergo ratio iſta prorſus nulla eſt, aut tantum tribuit Epiſcopo, quantum ſummo Sacerdoti. Sed ad *Barcl.* redeamus.

Nego conſtanter talem ordinationem vel ſubordinationem harum poteſtatum eſſe, quatenus ipſæ poteſtates tales ſunt. 2

Antequam ad reſponſionis huius confirmationem deſcendamus, illud obſeruandum eſt: quod nonnulli diſtinguere ſolent de finibus: quod ſcilicet alius ſit finis ipſius poteſtatis ſiue principatus, alius vero finis ſit Principis poteſtatem habentis: finis poteſtatis ipſius eſt bonum tantum temporale, ſine vlteriore aliqua relatione ad aliquem alium finem vltimũ: ſic nulla omnino eſt ſubordinatio finium: poteſtas enim ipſa, ſalutem ſui æternam non intendit, licet Princeps poteſtate præditus, & ſuam & ſubditorum ſalutem, non tantum temporalem, ſed æternam, tanquam finem intendat & procurare conatur: ideo inquit Barcl. *Finis politicæ poteſtatis ſiue ciuilis, quatenus politica eſt, nihil aliud abſolute complectitur, quam fœlicitatem temporalem, commune ſcilicet bonum & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem.* id quod probat ex Bell. *Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam*: nec in alium finem refertur poteſtas ciuilis vt

talis eſt: *Ad fœlicitatem vero æternam non à ſeipſa quatenus politica eſt, ſed quatenus ſpiritualis facta eſt, & poteſtatis Eccleſiaſtica ſocietate & conſilijs adiuuatur*: *id quod* ex Apoſt. 1. Tim. 2. & Nauarro probat. Ad hæc reſpondet Bellarminus nec verbum quidem: non reponit, finem poteſtatis politicæ quatenus politica eſt ſubordinari fini poteſtatis ſpiritualis; non aſſerit poteſtatem politicam quatenus politica eſt ad fælicitatem æternam aſpirare, ſic enim defenſionem ſuam prorſus euertiſſet, cum vtriuſque poteſtatis idem finis vltimus eſſet: ſed hoc agit, vt probet ſubordinationem finium; quatenus poteſtas politica Chriſtiana itidem eſt, & vnam cum Eccleſia, vt ipſe ſupra dixerat, Rempublicam conſtituat. Si enim poteſtas politica quatenus politica eſt, ratione finis ſubordinetur poteſtati ſpirituali, tum Reſpublicæ Infidelium ſubordinantur poteſtati Eccleſiaſticæ, propter ſubordinationem finium. Et per conſequens idem poſſet Pontifex ſtatuere de Regnis & coronis eorum qui foris ſunt, quod de ijs qui intus ſunt ſtatuit: & Reges Infideles, qui nunquam fidem Chriſti amplexi ſunt, deponere poſſet ſicut Reges Chriſtianos deſtituit. Hoc vidit Bellarminus nec auſus eſt reſponſionem hanc Barclaij confutare, ne ſimul ſuum ipſius ſtatum & defenſionem prorſus euerteret. Vera ergo eſt reſponſio Barclaij, ſi Bellarminus verum finem poteſtatis politicæ deſcribat, finis poteſtatis politicæ, quatenus talis eſt, non ſubordinatur fini poteſtatis Eccleſiaſticæ.

3 *At*, inquit Bellarminus, *negat Barcl. rem certiſſimam omnium conſenſione Doctorum: quid enim notius apud omnes Theologos & Philoſophos,* » *quam inter cauſas tum efficientes tum finales ordinem eſſe, & inferiorem ſu-* » *perioribus ſubordinari.*

» Eſſe ordinem inter cauſas efficientes primas, & ſecundas; inter cauſas item finales vltimas, & mediatas, nemo ſanus vnquam negauit; ſed qualis ſit iſta ſubordinatio, & quouſque ſe extendat, nondum conuenit inter Theologos & Philoſophos. Neque hunc ordinem maxime conſpicuum & manifeſtum negauit *Barclaius*; Maiorem non negat: Facultates ita ſubordinantur ſicut ſubordinantur fines: De aſſumptione dubitat: negat finem poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, ſubordinari fini poteſtatis Eccleſiaſticæ; quia finis vltimus poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, bonum eſt temporale, & fælicitatem huius vitæ ſpectat, non futuræ: licet per accidens, quatenus Chriſtiana eſt, ad bonum etiam æternum, conſilio & ſocietate poteſtatis Eccleſiaſticæ attollatur.

At, inquit Bellarm. *finis vltimus abſolute Deus eſt, atque ad eum ordi-* » *ne quodam referuntur & ſubordinantur omnes alij fines.*

» Accipio quod das, tuamque conſtantiam deſidero: & proinde infero. Ergo poteſtas politica apud Ethnicos & infideles, quatenus politica eſt,

&

& ciuilis, ad Deum tanquam ad vltimum finem, quodam ordine refertur & subordinatur; & proinde Deum & æternam beatitudinem intendit & appetit, (finis enim intentione primus est;) ad eamque consequendam omnes suas actiones, (licet in via siue modo acquirendi erret) dirigit: sic non sunt duo diuersi fines subordinati, sed vnus idemque finis & potestatis politicæ, & potestatis Ecclesiasticæ, beatitudo scilicet æterna; ad quam dirigit potestas spiritualis per spiritualia, & potestas temporalis per temporalia; illa animam, hæc corpus; ad beatitudinem & fælicitatem æternam, hoc est, Deum, qui est vltimus finis totius hominis.

Finis immediatus potestatis politicæ est pax Reipublicæ temporalis: (diceres, bonum Reipublicæ temporale: nam & in bello quandoq; est bonum temporale publicum) *Sed hæc subordinatur paci supernaturali hominis cum Deo, ista vero paci beatæ quæ est in suprema Hierusalem; quæ tandem subordinatur gloriæ Dei conditoris, qui est primum principium, & vltimus finis omnium rerum.* Sic Bellarm.

Acsi diceres: pax temporis subordinatur paci pectoris: pax pectoris subordinatur paci æternitatis. De posteriori nemo dubitat: omnia enim ad pacem illam æternitatis, *quæ omnem superat sensum*, referenda sunt, omnia media, omnes fines intermedij, huic fini vltimo subordinantur: & proinde ad hunc finem vltimum dirigendi sunt. An vero sic subordinetur pax temporis paci pectoris, vt pax pectoris possit pacem temporis ordinare, et omnes rebelles et contumaces, non solum per pœnas suas, hoc est spirituales, sed etiam per pœnas non suas, hoc est temporales et ciuiles, cogere, & resistentes Regnis & bonis temporalibus priuare, id vero est quod in quæstionem vocatur. Si enim hoc Imperium habeat potestas spiritualis, quæ pacem pectoris operatur, in potestatem ciuilem, quæ paci temporis quatenus talis est, incumbit, vt iuxta regulas suas, ratione subordinationis finium, eandem dirigere, & per pœnas non suas, hoc est ciuiles cogere & coercere possit, eodem iure in potestates ciuiles Ethnicorum & Infidelium, quo in potestates Christianorum vti potest: potestatum enim ciuilium Ethnicarum, quatenus tales sunt, finis idem est, qui potestatum ciuilium Christianarum. Aut ergo finis vltimus potestatis temporalis non est bonum temporale publicum, quod asserit Bellarminus: aut ratione finium, non solum potestates ciuiles Christianæ, sed etiam Ethnicæ subordinantur potestati spirituali: & sic potest Reges infideles, æque ac Reges Christianos hæreticos aut malos, aut tyrannos deponere.

Quod vero pax temporis non subordinatur paci pectoris, vel ex eo patet, quia plerumque anima per pacem pectoris peruenit ad pacem æternitatis, sine pace temporis; & tamen ad finem vltimum, nisi per fines intermedios non peruenitur, nisi per saltum, & nobis per famam, perque

infamiam, per prosperitatem perq; aduersitatem, per pacem, perq; persecutionem, iter est ad pacem æternitatis. Imo plures per aduersa, quam per prospera lucent in Regno Dei, quiq; in proiperis rubigine obscure delitescebant, igne afflictionis purgati, vt stellæ micant in cœlis. Quinetiam temporalia impeditiua plerumque sunt vitæ æternæ, & implicant milites Christi, paciq; pectoris officiunt plurimum, inter quæ plerumque amittitur, pax pectoris, sicut Christus, qui inter cognatos amittitur, non inter cognatos, sed in templo Dei invenitur. Id quod abundè norunt Monasticæ vitæ cultores, qui temporalia, tanquam scopulos, in quibus naufragium passi sunt, fugientes clamant, satiùs est vt ista temporalia pereant; quam nos vna cum ijs pereamus. Alia ergo via (cum Magis) i. per contemptum temporalium itur ad cœlum: Et sicut multi sunt, quos Sacerdos, & Imperator, illo verbo, hic gladio ducunt, sic etiam multi sunt quos Tyrannus, hæreticus, & persecutor cogunt intrare in Regnum cœlorum; fugiunt enim ad deum, qui in homine refugium non habent; quosque rejicit mundus, Deus sæpe recipit.

At male hominem vrit *Barcl.* quod ex Bell. Bell. confodiat; acsi qui contra alios fortis sit, suis armis impar sit. *Potestas temporalis habet pro fine temporalem pacem, potestas spiritualis salutem æternam.* *Lib. 5. de Pont. Rom. c. 6.*

Respondet Bellar. *In sequentibus dixi, quando istæ potestates sunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoq; debent esse connexæ, & inferior superiori subiecta & subordinata. Id probat c. 7. quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis.*

Quod ad primum, possunt duæ istæ potestates, tanquam duo corpora sub duobus capitibus, in vnam societatem conuenire, aut sine vlla subordinatione, vt duę ciuitates confœderatæ; aut potius cum subiectione & subordinatione mutua, vt scilicet potestas spiritualis in temporalibus subordinetur temporali, potestas vero temporalis in spiritualibus subordinetur potestati spirituali, sicut supra ex *Hugone, Waldensi*, & *Ioanne Parisiensi* testibus Bellarminianis docuimus.

Quod ad secundum; alterum horum fateatur necesse est *Bellarminus*: Aut pax temporalis finis est potestatis temporalis, quatenus temporalis est, & finis vltimus, (de fine enim intermedio hic non agitur) & sic confirmat *Bellarminus* sententiam *Barcl.* vnaque hanc subordinationem & subiectionem tollit; quia fines illi non subordinantur, qui in fine vltimo non conueniunt. Aut pax temporalis non est finis vltimus potestatis temporalis, sed pax æterna: sic idem est finis vtriusq; potestatis: & proinde nulla est subordinatio finium: & sic Aries ille, quo potestas Regia solo æquanda erat in terram cadit.

Vrget 2. loco Barcl. verba Apostoli. *Orate pro Regibus, & omnibus in sublimitate positis, vt tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & castitate: acsi tranquillitatem vitæ potestati politicæ, pietatem & castitatem Christianæ disciplinæ deberemus.* *1. Tim. 2. 2.*

Adiuncta

Adiuncta ſunt hæc verba (inquit Bellarminus) *vt oſtenderet tranquillitatem vitæ qui eſt finis vitæ politicæ ſubordinari pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad finem vltimum, id eſt felicitatem æternam peruenitur.*

Et hoc ſub Nerone & Principibus Ethnicis à Sancto Paulo ſcriptum eſt: aut ergo tranquillitas vitæ ſub Principibus Ethnicis quæ finis eſt poteſtatis politicæ quatenus politica eſt, ſubordinatur & ſubijcitur pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad æternam fælicitatem peruenitur: ſicquè poteſtas Regia eundem finem vltimum habet, quem habet poteſtas Eccleſiaſtica: & poteſt poteſtas Eccleſiaſtica ratione ſubordinationis finium, diſponere de temporalibus Ethnicorum, vſque ad depoſitionem Regum, ſicut diſponit de temporalibus Chriſtianorum: Aut hic non eſt ſenſus, hæc non eſt ratio, ſiue diſtributio Apoſtoli, vt oſtenderet tranquillitatem vitæ ſubordinari pietati, poteſtatem politicam ratione finis ſubordinari poteſtati ſpirituali. Si enim dixiſſet Apoſtolus, *Orate pro Regibus*, non dico Chriſtianis, ſed Ethnicis: (vt & Iſraelitæ orare jubentur pro ſalute Regum Aſſyriorum, à quibus in captiuitate detinebantur) ſed perſecutoribus, ſed Nerone, Bipedum omnium nequiſſimo, Tyrannorum omnium monſtro. Aut poteſtas politica ratione finis ſubordinatur ſpirituali in Nerone, aut hic locus hanc ſubordinationem finium non probat. *Baruch.* 1. 11.

Quod ſi riuulos fontibus, id eſt vulgatam tranſlationem autographo Græco non prætuliſſet *Bellarminus*, huius conjecturæ ne vmbram quidem inveniſſet. Græcè enim in omni pietate & honeſtate, non (caſtitate) legitur: in caſtitate, id eſt *in virtute*, vt *Theophylactus* & *Chryſoſtomus*: honeſtas autem externam moralem & ciuilem converſationem, ſicut pietas veram Religionem & Dei cultum deſignat: & honeſtas ſiue honeſta moralis exterior conuerſatio, ad Regum curam ſpectat; ſicut & pietas & Religio Regum cuſtodiæ & nutritioni demandatur: & caſtitas hoc loco non particularem virtutem, multo minus cælibatum, ſed caſtam & modeſtam & honeſtam totius hominis exterioris integritatem etiam denotat. Et duo duobus hoc loco reſpondere videntur: *vt tranquillam vitam & quietam agamus, in omni pietate & caſtitate ſiue honeſtate*; tranquilla vita in pietate, quieta vita in honeſtate ſiue caſtitate: tranquilla quoad internam pacem pectoris, quam præſtat Religio & pietas: quieta quoad externam pacem temporis, quam confert honeſtas & morum caſtitas: & niſi tranquillitas internam animæ pacem, quies verò externam vitæ pacem denotet, Tautologia erit & repetitio hæc apud Apoſtolum, non neceſſaria, quia non explicat, quod ſatis dilucidè ſupra dictum erat.

Verum locus iſte ſatis apertè indicat pietatem, & religionem, & cultum

ara

rum administratio commissa sunt, his temporalibus insistere. *Non est æquum nos derelinquere sermonem Dei, & ministrare mensis*: sic Apost. Act. 6. Diaconos ergo constituunt: non est æquum nos derelinquere sermonem Dei & temporalibus incumbere, non est æquum nos cibum cœlestem relinquere, cibum verò corporalem curare: relinquamus ista. Regibus & Principibus quibus à Deo commissa sunt. Quid fines alienos invadimus? quid falcem nostram in messem alienam extendimus? At, vrgentes causæ, licet talibus insistere. Forte hoc in Patrimonio Petri licet, vbi Pontifex Princeps est temporalis, qui tamen non per se sed per iudices suos temporalia iudicia exercet. Et de terminorum & prædiorum divisione & terrarum distributione loquitur *Bernardus*, non de Regnorum dispositione: atnunquam in alienis Regnis diuisisse terminos aut prædia, nunquam terras distribuisse legitur Pontifex.

Fortè hoc in aljs Regnis licet per viam compromissi; multi enim Reges causas suas sponte Pontifici summo dijudicandas permiserunt. Hanc esse sensum Bernardi docent verba sequentia. *Aliud est incidenter excurrere, aliud incurrere in ista*, vt fraudulenter legit Bellarm.

Incidenter, non ergo ordinarie; tanquam arbiter, non tanquam iudex ordinarius: *excurrere*: extra messem propriam, extra fines proprios currere. Temporalia ergo non sunt mea propria, non sunt fines proprij Pontificis.

Et hoc ex usurpatione Pontificum posteriorum tum exemplo Apostolorum: *Steriſſe* (inquit Bernardus) *lego Apostolos inditandos, sedisse iudicantes non lego*. Et hoc ad dispositionem Principum nullatenus spectat: *De criminibus enim non in possessionibus potestas* Pontificis, *propter illa, non propter hæc accepisti claues Regni cœlorum, prænaricatores utique excluſuri* à Regno cœlorum, *non* exclusuri *possessores* è Regni terræ. Bernardus ergo totus noster est, in hac causa, vt supra l. 1. cap. 8. pluribus probatum est.

Proximo loco hoc ipsum probat ex Ioanne Driedone; Lib. 2. de lib. Christianæ ec. 2. qui aperte affirmat, *Christum vtriusq; potestatis officia discreuisse; vt vna diuinis & spiritualibus rebus atque personis, altera profanis & mundanis præsideret*: & distinctionem hanc harum potestatum esse de iure diuino: vnde, inquit, *Papa & Imperator sunt in Ecclesia, non tanquam duo Rectores summi inter se diuisi; quorum neuter alterum cognoscit aut veneratur tanquam superiorem, quia Regnum sic contra se diuisum desolabitur*: (mutuo ergo se invicem iuuant.) *Neque item sunt, tanquam duo iudices subordinati, sic vt alter suam iurisdictionem accipiat ab altero: sed sunt tanquam duo Rectores, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officijs deputati, Ita vt Imperator præsit secularibus causis & personis, ad pacificum commodum huius seculi: Papa vero præsit spiritualibus ad lucrum Christianæ fidei & charitatis.*

Respon-

Respondet Bellarm: *Potestates istas duas distinctas dixit Driedo, temporalem spirituali subiectam esse non negat. c. vero 9. lib. 1. dicit aperte Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges & Principes Christianos, & posse eos Regni privare; & in temporalibus plebem, ab eorum obedientia eximere.*

Distinctæ sunt iure diuino, & authore Christo Imperator præest causis & personis secularibus, Pontifex vero præest spiritualibus. Hæc Driedo. Si præsit Imperator secularibus, quomodo præesse potest Pontifex Imperatori in temporalibus? Imperator ergo in temporalibus Pontificē superiorem non agnoscit: non enim præest inferior, sed supremus siue summus.

At potest Pontifex ex plenitudine potestatis, iuxta Driedonem Reges deponere. Quo iure? non diuino: sic enim multis docet idem Driedo loco citato. c. 9. l. 1. Excommunicati iure diuino, vt Ethnici & Publicani habendi sunt: *Sed & hoc*, inquit, *nihilominus verum est, quod etsi Ethnicis & Publicanis infidelibus communicare non possumus, neque in Sacramentis dispensandis ijsdem, aut recipiendis abillis, vtiq; possumus comedere & bibere cum illis, vt patet ex doctrina Pauli.* Et infra, proximè ante verba citata à Bellar. *Secus in temporalibus negotijs & causis: in illis nempe non est contra legem diuinam, Christianos obedire hæreticis, aut alijs infidelibus Præsidentibus, quia iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicuti Christiani in rebus militaribus obediebant Imperatoribus infidelibus, atque Apostatæ Iuliano.*

At, inquit, *Papa potest Principes priuare Regnis.* Quo iure? Non diuino; id supra negauit Driedo: Ecclesiastico ergo siue canonico. Acsi diceret; Papa potest tollere ius diuinum, Papa potest dispensare contra verbum Dei: Papa potest ea tollere, quæ ius diuinum tollenda prohibuit: non enim permittitur solum obedientia Infideli vel hæretico Imperatori in iure diuino, sed etiam præcipitur; *quia*, inquit Driedo, *iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicut Christiani obediebant, etiam Iuliano Apostatæ. Oportet*, ergo sub præcepto diuino cadit obedientia, quæ infideli Apostatæ, aut hæretico Imperatori debetur.

Ecce quale est hoc ius Ecclesiasticum, quod, fatente *Driedone*, ius diuinum tollit. Mille tales testes tibi non inuideo, qui quod afferunt contradicendo, aut absurda docendo prorsus evertunt, quique potestatem hanc Regum deponendorum è canonibus non ex Scripturis petunt.

At, inquit Bell. *Glossa Barclaij non valet; quod Imperator in temporalibus Pater est Pontificis, sicut Pontifex in spiritualibus Pater est Imperatoris. In Can. Hadrianus. Distinct. 63. Hanc glossam nec in antiquis nec in nouis editionibus inuenire potui.* At apud *Cusanum* eandem inueniſti: quia vestræ causæ plurimum incōmodat, ideo antiquata est, vt plurima alia vna litura in Indicib⁹ vestris expurgatorijs quotidie antiquātur, & in proximo

Indice, plurima quæ à nobis lib. 1. cap. 8. producta sunt, expungenda expectamus. *Nec delirat annus ista antiqua, nec præ nimio senio excessit è viris*, sed viuit & in senatum, & in conspectum hominum venit, vt Bellarm. aliosque fallarios novitatis arguat. Vide plura c. 3.

10 *Lib. de Pont. Rom cap. 3.*

Vltimo loco Barclaius Bellarm. ex Bellarm. convincit. *Sicut non est idem sydus Sol & luna, & sicut Lunam non instituit Sol, sed Deus, ita quoq; non est idem Pontificatus & Imperium, nec vnum ab altero pendet.* Ex his colligit *Barclaius, Pontificalis authoritas vt Sol est, Regalis potestas vt Luna est: Luna non minus est Luna, nec minus per se consistit, cum à Sole recedit, & lumen à Sole mutuatum amittit, quam cum radijs Solis, pleno orbe illustratur*: sic *potestas Regalis, propriis subnixa viribus, per se semper consistit, & amisso lumine supernaturali quod à potestate spirituali, ad bene beateq; viuendum recipit, in sua οὐσία sine essentia non mutatur, nec eius accessu vel recessu augetur vel minuitur: multo minus ad nutum Pontificis Rex Regno priuatur.*

Similitudo hæc est *Innocentij* c. solitæ, extra de maioritate & obedientia. Hâc Similitudine mirum in modũ delectati sunt multi è testibus Bellarmini inis. At iam pudet Bellarm. huius allegoriæ vanissimæ. Respondet ergo, *similitudines in omnibus locum non habent, sed in eare tantum ad quam explicandam adhibentur.*

Esto. non regero quod Christus Sol est, Ecclesia vt luna est; quę propter varias mutationes, propter incrementa & decrementa sæpius & rectius luna dicitur: (Quinetiam Isidorus *per Solẽ* intelligit *regnum* per Lunã *Sacerdotium*. Super Genes. in glossa: vt Ioan. de Paris. c. 15. ad 4.) accipio quod respondes. *Christus ouis est propter mansuetudinem, non propter soliditatem: Leo est propter fortitudinem, non propter sauitiam: Petra est propter firmitatem, non propter fragilitatem: Rectè ergo potestas spiritualis ab Innocentio Soli, quia maior est, & præest spiritualibus comparatur.* Optimè ista Bellarminus si sibi constet: at vide quo modo constet: Luna, id est, Potestas Regalis præest temporalibus; at non præest temporalibus si in temporalibus superiorem habeat, summum Pontificem: Quomodo enim præest ille, qui alteri in temporalibus subest? præest, & superiorem habet, qui ei præsit in temporalibus, eumque deponat, & temporalibus temporaliumque Regno priuet. Hæc Bellarm. hominem constantem decent. Sed pergamus. Pontificatus & Imperium vt Sol & Luna distincta sunt, & à Deo sunt. Imperium à Pontificatu absolute non dependet, quia ante Pontificatum Christianum fuit: Pontifex imperium nunquam sustulit, solùm transtulit. Esto. Si Imperiũ non sit à Põtificatu, vt Luna non est à Sole, quia Imperium Romanum fuit ante Pontificatũ Romanũ, non potest Pontifex Imperatorem destituere, quia ipsum non instituit, & eadem sunt principia destitutionis & institutionis: imo plus est destituere quã instituere; nemo

nemo auferre poteſt, niſi qui dare poteſt: Sol lumen auferre poteſt Lunæ, quod Lunę dedit: lumen vero lunæ nativum & congenitum, quod in Eclipſi apparet, motum & curſum lunæ, influentiam lunę auferre nullâ ratione poteſt: Imo Luna & infrigidat & humectat; quæ duo à Sole non recipit, quia contraria operatur Sol, exſiccat & calefacit: imo ex ſe Luna dominatur in aquis & humoribus. Sic Pontifex poteſt lumen cœleſte & ſupernaturale Regi auferre, quia lumen cœleſte dare, vel potius conferre poteſt: poteſt cibum auferre ſpirituálem, qui cibum miniſtrat ſpirituálem: poteſt communionem gratiæ tollere, quia in communionem gratię et Eccleſię introducere poteſt: at lumen naturale, cibum temporalem, communionem civilem auferre non poteſt, quia lumen naturale, cibum temporalē, communionē ciuilē non contulit: Regnum enim antiquius eſt Pontificatu Chriſtiano, et hæc à iure diuino et naturali ante natum Pontificatum Romanum habuit: nec poteſt canon Eccleſiæ tollere, quod iure diuino et naturali ſtabilitum eſt.

Similitudo ergo hæc quę ab Innocentio, alijſque multis, in hunc finem adducta eſt, vt probet ſuperioritatem Pontificis in temporalibus, ſuper Imperatores et Reges, in hac ipſa re, ad quam explicandam adhibetur, locum non habet.

At ſubijcitur Luna Soli cum ab eo lumen recipiat; & non ſubijcitur Sol Lunæ quia nihil recipit à Luna.

De ſubiectione Lunę ad Solem, Soliſque ad Lunam, non inſtituitur quęſtio. Quamuis dicat Dauid in Pſalm. 135.7.8.9. *Qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem Diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*: Nec regit Luna diem, id eſt, ſpiritualia, nec regit Sol noctem, id eſt, temporalia: nec Sol regit Lunam, ſed et Sol & Luna regunt & dirigunt hæc inferiora. Sit per me Sol, Dux et Princeps, et moderator reliquorum luminum, vt Cicero in Somnio Scipionis. Quanquam ſi Dux & Princeps & moderator ſit, Dux certe non tam irrationalis quam inanimatus ſit: nihil hæc ad cauſam noſtram. Subjicitur Luna Soli: Rex ſubjicitur Pontifici, in eo quod lumen ab eo recipit, id eſt, in lumine ſpirituali, in ſpiritualibus ſubjicitur, at in omnibus non ſubjicitur, non in temporalibus, quia temporalia à Pontifice non recipit. In hoc vero claudicat ſimilitudo iſta; Quod Sol nihil à luna recipiat; Pontifex vero Romanus totum patrimonium Petri & ciuitatem Romanam, omniaque temporalia Eccleſiæ ab Imperatoribus & Regibus recipit: pauperes fuiſſent Pontifices Romani, ſicut olim Apoſtoli, ſi ex dono & gratia Imperatorum nihil recipiſſent. Imo vero, ſicut Rex, lumen ſpirituale à Pontifice, per Scripturas & leges Canonicas recipit, vt dirigatur ad vitam æternam: ſic Pontifex à Rege, per leges ciuiles lumen recipit, quo in hac lubrica mundi peregrinatione dirigatur: & diriguntur legibus ciuilibus in temporalibus, (ſi non qua leges, at certe

qua Rationes) etiam fatente Bellarmino, omnes Clerici: & directio hæc lumen est naturale siue ciuile. Cum ergo & diuitias, & possessiones, & gladium etiam temporalem, multi Pontifices, multæ Ecclesiæ ex dono & gratia Principum obtinuerant, vsque ad nauseam & vomitum; Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem: multi vero ordines (præcipue Iesuitarum) qui paupertatem vouerunt, quotidie cum filiabus Sanguisugæ clamant, sine modo, sine mensura, *fer, fer*; & Dominium semper transeat cum re; mirum est, quomodo ausit Bellarminus affirmare Solem, id est, Ecclesiam siue Pontificem nihil recipere à Rege, id est, à Luna: cum tot tantaq; Imperium & Regnum in Ecclesiam contulerit, vt seipsam pene euisceraverit. In ijs ergo quas à Regno recipit Ecclesia, subiecta est Ecclesia Regno, sicut in ijs quæ Regnum ab Ecclesia recipit, Regnum Ecclesiæ subjicitur, Qui plura vult de hac similitudine, quærat apud Dantem. Alig. lib. 3. De Monarchia. Authorem illius tractatus, qui incipit Rex pacificus. Somnium viridarij. lib. 1. c. 84. Ioannem Maiorem in 4. Dist. 24. quæst. 3. contra 3. conclus. Ioannem de Parisijs. ca. 15. ad 4.

CAP. XIIII.

Confutatio confirmationum primæ rationis Bellarmini: fines harum potestatum, aut non subordinantur, aut tantum quoad directionem, non quoad coactionem temporalem.

1. *Ratio à subordinatione finium, æqualiter concludit, pro potestate cuiuslibet Episcopi, & Papæ.* 2. *An alius sit finis principatus, alias principantis?* 3. *Finis potestatis temporalis, bonum temporale: potestatis spiritualis bonum spirituale: & qualis sit subordinatio earundem.* 4. *Cura religionis & pietatis spectat ad Reges ex 1. Tim. 2. 2.* 5. *De sententia Nauarri.* 6. *Locus Aristotelis de facultatum & finium subordinatione.* 7. *Idem finis ciuitatis, qui & hominis: & finis hominis bonum æternum: & proinde ciuitatis: sic idem finis vtriusque potestatis: Religio prima cura, Imperatorum & Regum.* 8. *Refellitur.* 2. *Confirmatio: potestas temporalis non pendet à spirituali, sicut membrum à capite: & Duæ sunt Respublicæ non vna.* 9. *Papa se Deum faciat, qui à nullo vult Iudicari.* 10. *Refellitur tertia confirmatio à signo: mala*

mala adminiſtratio temporalium mutari debet, at Pontifex cogere non poteſt.

SEquuntur confirmationes rationum Bellar. tres, in quarum limine & frontiſpicio collocatur Aries ille, quo omnia Regna Principum Chriſtianorum proſternuntur & ad terram corruunt: de ſubordinatione finium, quam ſic colligit Bellarm. 1

Ita ſubordinantur facultates vt ſubordinantur fines. Ethic. l. 1. c. 1. Finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, quia fœlicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideo debet referri in fœlicitatem æternam. Ergo facultas temporalis ſiue Regnum ſubordinatur facultati ſpirituali, ſiue Sacerdotio.

Scopam diſſolutam rectè dixeris; aut enim nihil concludit, quod ad quæſtionem depoſitionis ſpectat, aut de quolibet Epiſcopo concludit, ſicut de ſummo Pontifice. Quilibet enim Epiſcopus, imo quilibet Sacerdos ex officio, Reges & Laicos omnes dirigere debet, ad finem vltimum, i. beatitudinem ſiue fœlicitatem æternam: quilibet ergo Epiſcopus propter vltimum finem, poteſt diſponere de temporalibus, & proinde Reges etiam deponere: id quod ſolius Pontificis proprium eſſe docent hic Catholici: liceat ergo ex hac cõcluſione pro alijs omnibus Epiſcopis ſic arguere.

Facultas ſiue poteſt temporalis ſiue Regnum, ratione ſubordinationis finium, ſubordinantur facultati ſiue poteſtati ſpirituali ſiue Eccleſiaſticæ. In quolibet Epiſcopo eſt facultas ſiue poteſtas ſpiritualis: Ergo Facultas ſiue poteſtas temporalis ſubordinatur cuilibet Epiſcopo. Aut ergo ratio iſta prorſus nulla eſt, aut tantum tribuit Epiſcopo, quantum ſummo Sacerdoti. Sed ad *Barcl.* redeamus.

Nego conſtanter talem ordinationem vel ſubordinationem harum poteſtatum eſſe, quatenus ipſæ poteſtates tales ſunt. 2

Antequam ad reſponſionis huius confirmationem deſcendamus, illud obſeruandum eſt: quod nonnulli diſtinguere ſolent de finibus: quod ſcilicet alius ſit finis ipſius poteſtatis ſiue principatus, alius vero finis ſit Principis poteſtatem habentis: finis poteſtatis ipſius eſt bonum tantum temporale, ſine vltiore aliqua relatione ad aliquem alium finem vltimũ: ſic nulla omnino eſt ſubordinatio finium: poteſtas enim ipſa, ſalutem ſui æternam non intendit, licet Princeps poteſtate præditus, & ſuam & ſubditorum ſalutem, non tantum temporalem, ſed æternam, tanquam finem intendat & procurare conatur: ideo inquit Barcl. *Finis politicæ poteſtatis ſiue ciuilis, quatenus politica eſt, nihil aliud abſolute complectitur, quam felicitatem temporalem, commune ſcilicet bonum & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem.* id quod probat ex Bell. *Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam*: nec in alium finem refertur poteſtas ciuilis vt

talis eſt: *Ad fœlicitatem vero æternam non à ſeipſa quatenus politica eſt, ſed quatenus ſpiritualis facta eſt, & poteſtatis Eccleſiaſtica ſocietate & conſilijs adiuuatur*: *id quod* ex Apoſt. 1. Tim. 2. & Nauarro probat. Ad hæc reſpondet Bellarminus nc verbum quidem: non reponit, finem poteſtatis politicæ quatenus politica eſt ſubordinari fini poteſtatis ſpiritualis; non aſſerit poteſtatem politicam quatenus politica eſt ad fælicitatem æternam aſpirare, ſic enim defenſionem ſuam prorſus euertiſſet, cum vtriuſque poteſtatis idem finis vltimus eſſet: ſed hoc agit, vt probet ſubordinationem finium; quatenus poteſtas politica Chriſtiana itidem eſt, & vnam cum Eccleſia, vt ipſe ſupra dixerat, Rempublicam conſtituat. Si enim poteſtas politica quatenus politica eſt, ratione finis ſubordinetur poteſtati ſpirituali, tum Reſpublicæ Infidelium ſubordinantur poteſtati Eccleſiaſticæ, propter ſubordinationem finium. Et per conſequens idem poſſet Pontifex ſtatuere de Regnis & coronis eorum qui foris ſunt, quod de ijs qui intus ſunt ſtatuit: & Reges Infideles, qui nunquam fidem Chriſti amplexi ſunt, deponere poſſet ſicut Reges Chriſtianos deſtituit. Hoc vidit Bellarminus nec auſus eſt reſponſionem hanc Barclaij confutare, ne ſimul ſuum ipſius ſtatum & defenſionem prorſus euerteret. Vera ergo eſt reſponſio Barclaij, ſi Bellarminus verum finem poteſtatis politicæ deſcribat, finis poteſtatis politicæ, quatenus talis eſt, non ſubordinatur fini poteſtatis Eccleſiaſticæ.

3 *At*, inquit Bellarminus, *negat Barcl. rem certiſſimam omnium conſenſione Doctorum: quid enim notius apud omnes Theologos & Philoſophos, quam inter cauſas tum efficientes tum finales ordinem eſſe, & inferiorem ſuperioribus ſubordinari.*

Eſſe ordinem inter cauſas efficientes primas, & ſecundas; inter cauſas item finales vltimas, & mediatas, nemo ſanus vnquam negauit; ſed qualis ſit iſta ſubordinatio, & quouſque ſe extendat, nondum conuenit inter Theologos & Philoſophos. Neque hunc ordinem maxime conſpicuum & manifeſtum negauit *Barclaius*; Maiorem non negat: Facultates ita ſubordinantur ſicut ſubordinantur fines: De aſſumptione dubitat: negat finem poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, ſubordinari fini poteſtatis Eccleſiaſticæ; quia finis vltimus poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, bonum eſt temporale, & fælicitatem huius vitæ ſpectat, non futuræ: licet per accidens, quatenus Chriſtiana eſt, ad bonum etiam æternum, conſilio & ſocietate poteſtatis Eccleſiaſticæ attollatur.

At, inquit Bellarm. *finis vltimus abſolute Deus eſt, atque ad eum ordine quodam referuntur & ſubordinantur omnes alij fines.*

Accipio quod das, tuamque conſtantiam deſidero: & proinde infero. Ergo poteſtas politica apud Ethnicos & infideles, quatenus politica eſt,

&

& ciuilis, ad Deum tanquam ad vltimum finem, quodam ordine refertur & ſubordinatur; & proinde Deum & æternam beatitudinem intendit & appetit, (finis enim intentione primus eſt;) ad eamque conſequendam omnes ſuas actiones, (licet in via ſiue modo acquirendi erret) dirigit: ſic non ſunt duo diuerſi fines ſubordinati, ſed vnus idemque finis & poteſtatis politicæ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, beatitudo ſcilicet æterna; ad quam dirigit poteſtas ſpiritualis per ſpiritualia, & poteſtas temporalis per temporalia; illa animam, hæc corpus; ad beatitudinem & fælicitatem æternam, hoc eſt, Deum, qui eſt vltimus finis totius hominis.

Finis immediatus poteſtatis politicæ eſt pax Reipublicæ temporalis: (diceres, bonum Reipublicæ temporale: nam & in bello quandoq; eſt bonum temporale publicum) *Sed hæc ſubordinatur paci ſupernaturali hominis cum Deo, iſta vero paci beatæ quæ eſt in ſuprema Hieruſalem; quæ tandem ſubordinatur gloriæ Dei conditoris, qui eſt primum principium, & vltimus finis omnium rerum.* Sic Bellarm.

Acſi diceres: pax temporis ſubordinatur paci pectoris: pax pectoris ſubordinatur paci æternitatis. De poſteriori nemo dubitat: omnia enim ad pacem illam æternitatis, *quæ omnem ſuperat ſenſum*, referenda ſunt, omnia media, omnes fines intermedij, huic fini vltimo ſubordinantur: & proinde ad hunc finem vltimum dirigendi ſunt. An vero ſic ſubordinetur pax temporis paci pectoris, vt pax pectoris poſſit pacem temporis ordinare, et omnes rebelles et contumaces, non ſolum per pœnas ſuas, hoc eſt ſpirituales, ſed etiam per pœnas non ſuas, hoc eſt temporales et ciuiles, cogere, & reſiſtentes Regnis & bonis temporalibus priuare, id vero eſt quod in quæſtionem vocatur. Si enim hoc Imperium habeat poteſtas ſpiritualis, quæ pacem pectoris operatur, in poteſtatem ciuilem, quæ paci temporis quatenus talis eſt, incumbit, vt iuxta regulas ſuas, ratione ſubordinationis finium, eandem dirigere, & per pœnas non ſuas, hoc eſt ciuiles cogere & coercere poſſit, eodem iure in poteſtates ciuiles Ethnicorum & Infidelium, quo in poteſtates Chriſtianorum vti poteſt: poteſtatum enim ciuilium Ethnicarum, quatenus tales ſunt, finis idem eſt, qui poteſtatum ciuilium Chriſtianarum. Aut ergo finis vltimus poteſtatis temporalis non eſt bonum temporale publicum, quod aſſerit Bellarminus: aut ratione finium, non ſolum poteſtates ciuiles Chriſtianæ, ſed etiam Ethnicæ ſubordinantur poteſtati ſpirituali: & ſic poteſt Reges infideles, æque ac Reges Chriſtianos hæreticos aut malos, aut tyrannos deponere.

Quod vero pax temporis non ſubordinatur paci pectoris, vel ex eo patet, quia plerumque anima per pacem pectoris perueniat ad pacem æternitatis, ſine pace temporis; & tamen ad finem vltimum, niſi per fines intermedios non peruenitur, niſi per ſaltum, & nobis per famam, perque

infamiam, per prosperitatem perq; aduersitatem, per pacem, perq; persecutionem, iter est ad pacem æternitatis. Imo plures per aduersa, quam per prospera lucent in Regno Dei, quiq; in prosperis rubigine obscure delitescebant, igne afflictionis purgati, vt stellæ micant in cœlis. Quinetiam temporalia impeditiua plerumque sunt vitæ æternæ, & implicant milites Christi, paciq; pectoris officiunt plurimum, inter quæ plerumque amittitur, pax pectoris, sicut Christus, qui inter cognatos amittitur, non inter cognatos, sed in templo Dei invenitur. Id quod abundè norunt Monasticæ vitæ cultores, qui temporalia, tanquam scopulos, in quibus naufragium passi sunt, fugientes clamant, satiùs est vt ista temporalia pereant; quam nos vna cum ijs pereamus. Alia ergo via (cum Magis) i. per contemptum temporalium itur ad cœlum: Et sicut multi sunt, quos Sacerdos, & Imperator, ille verbo, hic gladio ducunt, sic etiam multi sunt quos Tyrannus, hæreticus, & persecutor cogunt intrare in Regnum cœlorum: fugiunt enim ad deum, qui in homine refugium non habent; quos. que rejicit mundus, Deus sæpe recipit.

At male hominem vrit *Barcl.* quod ex Bell. Bell. confodiat; acsi qui contra alios fortis sit, suis armis impar sit. *Potestas temporalis habet pro fine temporalem pacem, potestas spiritualis salutem æternam.* *Lib. 5. de Pont. Rom. c. 6.*

Respondet Bellar. *In sequentibus dixi, quando istæ potestates sunt conjunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoq; debent esse connexæ, & inferior superiori subiecta & subordinata. Id probat c. 7. quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis.*

Quod ad primum, possunt duæ istæ potestates, tanquam duo corpora sub duobus capitibus, in vnam societatem conuenire, aut sine vlla subordinatione, vt duę ciuitates confœderatæ; aut potius cum subiectione & subordinatione mutua, vt scilicet potestas spiritualis in temporalibus subordinetur temporali, potestas vero temporalis in spiritualibus subordinetur potestati spirituali, sicut supra ex *Hugone, Waldensi*, & *Ioanne Parisiensi* testibus Bellarminianis docuimus.

Quod ad secundum; alterum horum fateatur necesse est *Bellarminus*: Aut pax temporalis finis est potestatis temporalis, quatenus temporalis est, & finis vltimus, (de fine enim intermedio hic non agitur) & sic confirmat *Bellarminus* sententiam *Barcl.* vnaque hanc subordinationem & subiectionem tollit; quia fines illi non subordinantur, qui in fine vltimo non conueniunt. Aut pax temporalis non est finis vltimus potestatis temporalis, sed pax æterna: sic idem est finis vtriusq; potestatis: & proinde nulla est subordinatio finium: & sic Aries ille, quo potestas Regia solo æquanda erat in terram cadit.

Vrget 2. loco Barcl. verba Apostoli. *Orate pro Regibus, & omnibus in sublimitate positis, vt tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & castitate: acsi tranquillitatem vitæ potestati politicæ, pietatem & castitatem Christianæ disciplinæ deberemus.* *1. Tim. 2. 2.*

Adiuncta

Adiuncta ſunt hæc verba (inquit Bellarminus) *vt oſtenderet tranquillitatem vitæ qui eſt finis vitæ politicæ ſubordinari pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad finem vltimum, id eſt felicitatem æternam peruenitur.*

Et hoc ſub Nerone & Principibus Ethnicis à Sancto Paulo ſcriptum eſt: aut ergo tranquillitas vitæ ſub Principibus Ethnicis quæ finis eſt poteſtatis politicæ quatenus politica eſt, ſubordinatur & ſubijcitur pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad æternam fælicitatem peruenitur: ſicquè poteſtas Regia eundem finem vltimum habet, quem habet poteſtas Eccleſiaſtica: & poteſt poteſtas Eccleſiaſtica ratione ſubordinationis finium, diſponere de temporalibus Ethnicorum, vſque ad depoſitionem Regum, ſicut diſponit de temporalibus Chriſtianorum: Aut hic non eſt ſenſus, hæc non eſt ratio, ſiue diſtributio Apoſtoli, vt oſtenderet tranquillitatem vitæ ſubordinari pietati, poteſtatem politicam ratione finis ſubordinari poteſtati ſpirituali. Si enim dixiſſet Apoſtolus, *Orate pro Regibus*, non dico Chriſtianis, ſed Ethnicis: (vt & Iſraelitæ orare jubentur pro ſalute Regum Aſſyriorum, *Baruch.* 1. 11. à quibus in captiuitate detinebantur) ſed perſecutoribus, ſed Nerone, Bipedum omnium nequiſſimo, Tyrannorum omnium monſtro. Aut poteſtas politica ratione finis ſubordinatur ſpirituali in Nerone, aut hic locus hanc ſubordinationem finium non probat.

Quod ſi riuulos fontibus; id eſt vulgatam tranſlationem autographo Græco non prætuliſſet *Bellarminus*, huius conjecturæ ne vmbram quidem inueniſſet. Græcè enim in omni pietate & honeſtate, non (caſtitate) legitur: in caſtitate, id eſt *in virtute*, vt *Theophylactus* & *Chryſoſtomus*: honeſtas autem externam moralem & ciuilem converſationem, ſicut pietas veram Religionem & Dei cultum deſignat: & honeſtas ſiue honeſta moralis exterior conuerſatio, ad Regum curam ſpectat; ſicut & pietas & Religio Regum cuſtodiæ & nutritioni demandatur: & caſtitas hoc loco non particularem virtutem, multo minus cælibatum, ſed caſtam & modeſtam & honeſtam totius hominis exterioris integritatem etiam denotat. Et duo duobus hoc loco reſpondere videntur: *vt tranquillam vitam & quietam agamus, in omni pietate & caſtitate ſiue honeſtate*; tranquilla vita in pietate, quieta vita in honeſtate ſiue caſtitate: tranquilla quoad internam pacem pectoris, quam præſtat Religio & pietas: quieta quoad externam pacem temporis, quam confert honeſtas & morum caſtitas: & niſi tranquillitas internam animæ pacem, quies verò externam vitæ pacem denotet, Tautologia erit & repetitio hæc apud Apoſtolum, non neceſſaria, quia non explicat, quod ſatis dilucidè ſupra dictum erat.

Verum locus iſte ſatis apertè indicat pietatem, & religionem, & cultum

ita

„ *ſed Pontifex Paſtor, Reges vt oves; & Paſtores ouibus, non oues Paſtoribus cum imperia præſunt.* Sic Bellarm.

An principes & Reges Arietes ſint principales, in ouili, hic non diſputo: Arietes eſſe in grege certum eſt, aut mendax Bellarminus: eius verba hæc ſunt: *Princeps autem eſt Aries furioſus deſtruens ouile, quando eſt Catholicus fide, ſed adeo malus, vt multum obſit Religioni & Eccleſiæ, &c.* Cum ergo prodeſt Religioni & Eccleſiæ, Aries eſt ſanctus, protegens ouile: Aries ergo principalis eſt: imo non ſolũ Aries principalis, ſed & Ductor & *Paſtor* gregis; aut male de ſeipſo Dauid: *Et elegit Dauid ſeruum ſuum & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum; paſcere Iacob Populum ſuum, & Iſrael hæreditatem ſuam; & pauit eos in innocentia cordis ſui, & in intellectibus manuum ſuarũ deduxit eos.* Rex ergo *Paſtor* eſt in tẽporalibus, ſicut Pontifex *Paſtor* eſt in ſpiritualibus: & ſicut in ſpiritualibus paſcit & proinde regit Pontifex Regem, ſic in temporalibus paſcit & proinde regit Rex Pontificem. Et Pontifex ouis eſt Regis in temporalibus, ſicut Rex ouis eſt Pontificis in ſpiritualibus: Rex, ſuperior in temporalibus, imperat Pontifici; ſicut Pontifex, ſuperior in ſpiritualibus, imperat Regi. Neutri tamen in alterum tale eſt imperium, vt aut Pontifex Regiam poteſtatem tollere poſſit, aut Rex Pontificiam: nec Pontifex deponit Reges, nec Rex depoſuit Pontifices, quia nec ordines conferre, nec ordines tollere poteſt. Dominus deponit & occidit; Paſtor cuſtodit.

Pergit Barclaius ad confirmationem reſponſionis ſuæ: *vtraque poteſtate, vtroq; Magiſtratu (vt Genebrardi verbis vtar) Eccleſiaſtico & politico Eccleſia continetur, munitur, & viget: ad quam protegendam & ſartam tectam conſeruandam,* -- *Alterius ſic,*

8. In Pſal. 2.

Altera poſcit opem res, & coniurat amice,

Vt quamdiu ſocietatem retinent, Reſpub. Chriſtiana innumeris pacis & concordiæ commodis effloreſcat; at vbi coitum diſſoluunt, ſpiritualis poteſtas, corporalibus auxilijs deſtituta plerunque contemnitur: temporalis cœleſti gratia deſtituta, in ſuam pernicie m, &c. properat.

„ *Omnia hæc* (inquit Bellarm.) *contra autorem ſuum pugnant, non contra Bellarm.* Quomodo vero contra *Barclaiũ* pugnant? optimum eſt vt concordent poteſtates iſtæ, civilis & Eccleſiaſtica, mutuo auxilio fortes ſunt & creſcunt; pernicioſum eſt ſi pugnent: ſicut optimum eſt, vt ſpiritus & caro concordent, pernicioſum vero ſi diſſideant. Annon ergo pernicioſum eſt, ſi ſpiritus carnem deponere & occidere tentet? Annon itidem pernicioſum eſt, ſi Princeps ſpiritualis principem politicum deponere & occidere ſatagat, à quo nutritur & cuſtoditur Eccleſia. Vtroque Magiſtratu Eccleſia continetur, munitur & viget: à Magiſtratu Eccleſiaſtico continetur in ſpiritualibus, à Magiſtratu politico in temporalibus vterque Magiſtratus, alteri auxilium, aduocatus, præbet: ille gladio ſpiritu-

tuali, hic gladio temporali adest: Quando ergo Magistratus contra Magistratum, Pontifex contra Imperatorem insurgit, annon adest pernicies Reipublicæ Christianæ? Discordia ergo & pugna ista maximè contra *Bellarm.* pugnat.

At hæc discordia non tollit imperium spiritus in carnem suam, nec imperium Principis Ecclesiastici in Principem Politicum. »

Non tollit imperium *suum*, id est, non tollit imperium Principis Ecclesiastici in Regem Christianum in spiritualibus: hoc suum est: tollit verò imperium Principis spiritualis, in Principem temporalem in temporalibus, hoc enim non est suum: temporalia enim omnia, iuxta *Hugonem*, Regi commissa sunt, spiritualia *vniuersa* & spiritualia *tantum* Pontifici commissa sunt, vti multis supradictum est. Dissidium hoc potestatis Ecclesiasticæ & temporalis, origo & occasio est, omnium malorum Ecclesiæ & Reipublicæ.

Hosium apud Athanasium, Ad solitariam vitam agentes, proximo loco adducit *Barclaius. Neque fas est nobis in terris imperium tenere.* His supra respondit Bellarm. c. 2. quæ à nobis c. 2. confutata sunt: sed quæ maximè premunt, non sensit *Bellarminus*, *Qui imperium tunc malignis oculis carpit, contradicit ordinationi diuinæ.* Et *Constantius* hæreticus Arianus, & Persecutor fuit. Qui malignis oculis carpit imperium *Constantij* Ariani, resistit ordinationi diuinæ sic *Hosius*: qui tollit ergo imperium *Constantij* Ariani magis resistit ordinationi diuinæ. His verbis *Hosij* nondum respondit Bellarminus. Hosius ergo abundè probat Pontificem in temporalibus imperium in Imperatorem non habere.

Sequitur Bernardus. De consideratione lib. 1. c. 5. *Habent hæc infima & terrena iudices suos, Reges & Principes terræ: Quid fines alienos inuadis? Quid falcem vestram, in alienam messem extenditis?* Alieni sunt fines Regni à finibus Ecclesiæ, nec licet alienos fines invadere: Messis Regni aliena est à messe Ecclesiæ, nec licet falcem Ecclesiæ in messem Regni extendere. Hæc est sententia Bernardi.

At explicat (*inquit Bellarminus*) *Bernardus* seipsum. *Non quia indigni vos, sed quia indignum vobis, talibus insistere, quippe potioribus occupatis denique vbi necessitas exigit: audi quid sentiat, non ego sed Apostolus: si enim in vobis iudicabitur hic mundus, indigni estis qui de minimis iudicetis? Sed aliud est incidenter excurrere* (non incurrere, vt legit Bellarminus.) *in ista, causa quidem vrgente, aliud vero incumbere istis, tanquam magnis dignisq; tali, & talium intentione rebus.* » » » » » » » » »

Egregia prorsus dubio hæc est explicatio, siue declaratio, quæ magis sensum *Barclaij* confirmat: Apostoli non sunt indigni, qui de infimis istis, temporalibus scilicet, iudicent, vtpotè qui mundum iudicaturi sunt: sed vobis indignum est his insistere, vtpotè potioribus occupatis. Vobis indignum est, quibus potiora illa, prædicatio scilicet verbi & sacramento-

rum

rum administratio commissa sunt, his temporalibus insistere. *Non est æquum nos derelinquere sermonem Dei, & ministrare mensis*: sic Apost. Act. 6. 2. Diaconos ergo constituunt: non est æquum nos derelinquere sermonem Dei & temporalibus incumbere, non est æquum nos cibum cœlestem relinquere, cibum verò corporalem curare: relinquamus ista. Regibus & Principibus quibus à Deo commissa sunt. Quid fines alienos invadimus? quid falcem nostram in messem alienam extendimus? At, vrgente causa, licet talibus insistere. Forte hoc in Patrimonio Petri licet, vbi Pontifex Princeps est temporalis, qui tamen non per se sed per iudices suos temporalia iudicia exercet. Et de terminorum & prædiorum divisione & rerum distributione loquitur *Bernardus*, non de Regnorum dispositione: at nunquam in alienis Regnis diuisisse terminos aut prædia, nunquam terras distribuisse legitur Pontifex.

Fortè hoc in alijs Regnis licet per viam compromissi; multi enim Reges causas suas sponte Pontifici summo dijudicandas permiserunt. Hanc esse sensum Bernardi docent verba sequentia. *Aliud est incidenter excurrere, aliud incurrere in ista*, vt fraudulenter legit Bellarm.

Incidenter, non ergo ordinarie; tanquam arbiter, non tanquam iudex ordinarius: *excurrere*: extra messem propriam, extra fines proprios currere. Temporalia ergo non sunt messis propria, non sunt fines proprij Pontificis.

Et hoc ex vsurpatione Pontificum posteriorum tum exemplo Apostolorum: *Stetisse* (inquit Bernardus) *lego Apostolos iudicandos, sedisse iudicantes non lego*. Et hoc ad dispositionem Principum nullatenus spectat: *In criminibus enim non in possessionibus potestas Pontificis, propter illa, non propter hæc accepistis claues Regni cœlorum, prænaricanter digne excludit à Regno cœlorum, non excluduntur possessores à Regno cœlorum*. Bernardus ergo totus noster est, in hac causa, vt supra l. 1. cap. 8. pluribus probatum est.

Proximo loco hoc ipsum probat ex Ioanne Driedone; Lib. 2. de lib. Christianæ ca. 2. qui aperte affirmat, *Christum vtriusq; potestatis officia discreuisse, vt vna diuinis & spiritualibus rebus atque personis, altera prophanis & mundanis præsideret*: & distinctionem hanc harum potestatum esse de iure diuino: vnde, inquit, *Papa & Imperator sunt in Ecclesia, non tanquam duo Rectores summi inter se diuisi, quorum neuter alterum cognoscit aut veneratur tanquam superiorem, quia Regnum sic contra se diuisum desolabitur*: (mutuo ergo se invicem iuuant.) *Neque item sunt, tanquam duo iudices subordinati, sic vt alter sibi iurisdictionem accipiat ab altero: sed sunt tanquam duo Rectores, qui sunt vnius Dei ministri, diuersis officijs deputati, Ita vt Imperator præsit secularibus causis & personis, ad pacificum conuictum huius seculi: Papa vero præsit spiritualibus ad lucrum Christianæ fidei & charitatis.*

Respon-

Respondet Bellarm: *Potestates istas duas distinctas dixit Driedo, temporalem spirituali subiectam esse non negat. c. vero 9. lib. 1. dicit apertè Papam habere plenitudinem potestatis super omnes Reges & Principes Christianos, & posse eos Regni, priuare; & in temporalibus plebem, ab eorum obedientia eximere.*

Distinctæ sunt iure diuino, & authore Christo Imperator præest causis & personis secularibus, Pontifex vero præest spiritualibus. Hæc Driedo. Si præsit Imperator secularibus, quomodo præesse potest Pontifex Imperatori in temporalibus: Imperator ergo in temporalibus Pontificē superiorem non agnoscit: non enim præest inferior, sed supremus siue summus.

At potest Pontifex ex plenitudine potestatis, iuxta Driedonem Reges deponere. Quo iure? non diuino: sic enim multis docet idem Driedo loco citato. c. 9. l. 1. Excommunicati iure diuino, vt Ethnici & Publicani habendi sunt: *Sed & hoc*, inquit, *nihilominus verum est, quod etsi Ethnicis & Publicanis infidelibus communicare non possumus, neque in Sacramentis dispensandis ijsdem, aut recipiendis abillis, vtiq; possumus comedere & bibere cum illis, vt patet ex doctrina Pauli.* Et infra, proximè ante verba citata à Bellar. *Secus in temporalibus negotijs & causis: in illis nempe non est contra legem diuinam, Christianos obedire hæreticis, aut alijs infidelibus Præsidentibus, quia iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicuti Christiani in rebus militaribus obediebant Imperatoribus infidelibus, atque Apostatæ Iuliano.*

At, inquit, *Papa potest Principes priuare Regnis.* Quo iure? Non diuino; id supra negauit Driedo: Ecclesiastico ergo siue canonico. Acsi diceret; Papa potest tollere ius diuinum, Papa potest dispensare contra verbum Dei: Papa potest ea tollere, quæ ius diuinum tollenda prohibuit: non enim permittitur solum obedientia Infideli vel hæretico Imperatori in iure diuino, sed etiam præcipitur; *quia*, inquit Driedo, *iuxta sententiam Pauli, oportet seruum obedire Domino etiam Ethnico, sicut Christiani obediebant, etiam Iuliano Apostatæ. Oportet*, ergo sub præcepto diuino cadit obedientia, quæ infideli Apostatæ, aut hæretico Imperatori debetur.

Ecce quale est hoc ius Ecclesiasticum, quod, fatente *Driedone*, ius diuinum tollit. Mille tales testes tibi non inuideo, qui quod afferunt contradicendo, aut absurda docendo prorsus evertunt, quique potestatem hanc Regum deponendorum è canonibus non ex Scripturis petunt.

At, inquit Bell. *Glossa Barclaij non valet; quod Imperator in temporalibus Pater est Pontificis, sicut Pontifex in spiritualibus Pater est Imperatoris. In Can. Hadrianus. Distinct. 63. Hanc glossam nec in antiquis nec in nouis editionibus inuenire potui.* At apud *Cusanum* eandem inueniſti: quia vestræ causæ plurimum incōmodat, ideo antiquata est, vt plurima alia vna litura in Indicib⁹ vestris expurgatorijs quotidie antiquātur, & in proximo

nemo auferre poteſt, niſi qui dare poteſt: Sol lumen auferre poteſt Lunæ, quod Lunæ dedit: lumen vero lunæ nativum & congenitum, quod in Eclipſi apparet, motum & curſum lunæ, influentiam lunæ auferre nullâ ratione poteſt: Imo Luna & infrigidat & humectat; quæ duo à Sole non recipit, quia contraria operatur Sol, exſiccat & calefacit: imo ex ſe Luna dominatur in aquis & humoribus. Sic Pontifex poteſt lumen cœleſte & ſupernaturale Regi auferre, quia lumen cœleſte dare, vel potius conferre poteſt: poteſt cibum auferre ſpiritualem, qui cibum miniſtrat ſpiritualem: poteſt communionem gratiæ tollere, quia in communionem gratiæ et Eccleſiæ introducere poteſt: at lumen naturale, cibum temporalem, communionem civilem auferre non poteſt, quia lumen naturale, cibum temporalē, communionē ciuilē non contulit: Regnum enim antiquius eſt Pontificatu Chriſtiano, et hæc à iure diuino et naturali ante natum Pontificatum Romanum habuit: nec poteſt canon Eccleſiæ tollere, quod iure diuino et naturali ſtabilitum eſt.

Similitudo ergo hæc quę ab Innocentio, aliiſque multis, in hunc finem adducta eſt, vt probet ſuperioritatem Pontificis in temporalibus, ſuper Imperatores et Reges, in hac ipſa re, ad quam explicandam adhibetur, locum non habet.

At ſubjicitur Luna Soli cum ab eo lumen recipiat; & non ſubjicitur Sol Lunæ quia nihil recipit à Luna.

De ſubiectione Lunę ad Solem, Soliſque ad Lunam, non inſtituitur quęſtio. Quamuis dicat Dauid in Pſalm. 135.7.8.9. *Qui fecit luminaria magna, Solem in poteſtatem Diei, Lunam & ſtellas in poteſtatem noctis*: Nec regit Luna diem, id eſt, ſpiritualia, nec regit Sol noctem, id eſt, temporalia: nec Sol regit Lunam, ſed et Sol & Luna regunt & dirigunt hæc inferiora. Sit per me Sol, Dux et Princeps, et moderator reliquorum luminum, vt Cicero in Somnio Scipionis. Quanquam ſi Dux & Princeps & moderator ſit, Dux certe non tam irrationalis quam inanimatus ſit: nihil hæc ad cauſam noſtram. Subjicitur Luna Soli: Rex ſubjicitur Pontifici, in eo quod lumen ab eo recipit, id eſt, in lumine ſpirituali, in ſpiritualibus ſubjicitur, at in omnibus non ſubjicitur, non in temporalibus, quia temporalia à Pontifice non recipit. In hoc vero claudicat ſimilitudo iſta; Quod Sol nihil à luna recipiat; Pontifex vero Romanus totum patrimonium Petri & ciuitatem Romanam, omniaque temporalia Eccleſiæ ab Imperatoribus & Regibus recipit: pauperes fuiſſent Pontifices Romani, ſicut olim Apoſtoli, ſi ex dono & gratia Imperatorum nihil recipiſſent. Imo vero, ſicut Rex, lumen ſpirituale à Pontifice, per Scripturas & leges Canonicas recipit, vt dirigatur ad vitam æternam: ſic Pontifex à Rege, per leges ciuiles lumen recipit, quo in hac lubrica mundi peregrinatione dirigatur: & diriguntur legibus ciuilibus in temporalibus, (ſi non qua leges, at certe

qua Rationes) etiam fatente Bellarmino, omnes Clerici: & directio hæc lumen eſt naturale ſiue ciuile. Cum ergo & diuitias, & poſſeſſiones, & gladium etiam temporalem, multi Pontifices, multæ Eccleſiæ ex dono & gratia Principum obtinuerant, vſque ad nauſeam & vomitum; Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem: multi vero ordines (præcipue Ieſuitarum) qui paupertatem vouerunt, quotidie cum filiabus Sanguiſugæ clamant, ſine modo, ſine menſura, *fer, fer*; & Dominium ſemper tranſeat cum re; mirum eſt, quomodo auſit Bellarminus affirmare Solem, id eſt, Eccleſiam ſiue Pontificem nihil recipere à Rege, id eſt, à Luna: cum tot tantaq; Imperium & Regnum in Eccleſiam contulerit, vt ſeipſam pene euſeerauerit. In ijs ergo quas à Regno recipit Eccleſia, ſubiecta eſt Eccleſia Regno, ſicut in ijs quæ Regnum ab Eccleſia recipit, Regnum Eccleſiæ ſubjicitur, Qui plura vult de hac ſimilitudine, quærat apud Dantem. Alig. lib. 3. De Monarchia. Authorem illius tractatus, qui incipit Rex pacificus. Somnium viridarij lib. 1. c. 84. Ioannem Maiorem in 4. Diſt. 24. quæſt. 3. contra 3. concluſ. Ioannem de Pariſijs. ca. 15. ad 4.

CAP. XIIII.

Confutatio confirmationum primæ rationis Bellarmini: fines harum poteſtatum, aut non ſubordinantur, aut tantum quoad directionem, non quoad coactionem temporalem.

1. *Ratio à ſubordinatione finium, æqualiter concludit, pro poteſtate cuiuſlibet Epiſcopi, & Papæ.* 2. *An alius ſit finis principatus, alias principantis?* 3. *Finis poteſtatis temporalis, bonum temporale: poteſtatis ſpiritualis bonum ſpirituale: & qualis ſit ſubordinatio earundem.* 4. *Cura religionis & pietatis ſpectat ad Reges ex 1. Tim. 2. 2.* 5. *De ſententia Nauarri.* 6. *Locus Ariſtotelis de facultatum & finium ſubordinatione.* 7. *Idem finis ciuitatis, qui & hominis: & finis hominis bonum æternum: & proinde ciuitatis: ſic idem finis vtriuſque poteſtatis: Religio prima cura, Imperatorum & Regum.* 8. *Refellitur.* 2. *Confirmatio: poteſtas temporalis non pendet à ſpirituali, ſicut membrum à capite: & Duæ ſunt Reſpublicæ non vna.* 9. *Papa ſe Deum faciat, qui à nullo vult Indicari.* 10. *Refellitur tertia confirmatio à ſigno: mala*

mala adminiſtratio temporalium mutari debet, at Pontifex cogere non poteſt.

SEquuntur confirmationes rationum Bellar. tres, in quarum limine & frontiſpicio collocatur Aries ille, quo omnia Regna Principum Chriſtianorum proſternuntur & ad terram corruunt: de ſubordinatione finium, quam ſic colligit Bellarm. 1

Ita ſubordinantur facultates vt ſubordinantur fines. Ethic. l. 1. c. 1. Finis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, quia fœlicitas temporalis non eſt abſolutè vltimus finis, & ideo debet referri in fœlicitatem æternam. Ergo facultas temporalis ſiue Regnum ſubordinatur facultati ſpirituali, ſiue Sacerdotio.

Scopam diſſolutam rectè dixeris; aut enim nihil concludit, quod ad quæſtionem depoſitionis ſpectat, aut de quolibet Epiſcopo concludit, ſicut de ſummo Pontifice. Quilibet enim Epiſcopus, imo quilibet Sacerdos ex officio, Reges & Laicos omnes dirigere debet, ad finem vltimum, i. beatitudinem ſiue fœlicitatem æternam: quilibet ergo Epiſcopus propter vltimum finem, poteſt diſponere de temporalibus, & proinde Reges etiam deponere: id quod ſolius Pontificis proprium eſſe docent hîc Catholici: liceat ergo ex hac cõcluſione pro alijs omnibus Epiſcopis ſic arguere.

Facultas ſiue poteſt temporalis ſiue Regnum, ratione ſubordinationis finium, ſubordinantur facultati ſiue poteſtati ſpirituali ſiue Eccleſiaſticæ. In quolibet Epiſcopo eſt facultas ſiue poteſtas ſpiritualis: Ergo Facultas ſiue poteſtas temporalis ſubordinatur cuilibet Epiſcopo. Aut ergo ratio iſta prorſus nulla eſt, aut tantum tribuit Epiſcopo, quantum ſummo Sacerdoti. Sed ad *Barcl.* redeamus.

Nego conſtanter talem ordinationem vel ſubordinationem harum poteſtatum eſſe, quatenus ipſæ poteſtates tales ſunt. 2

Antequam ad reſponſionis huius confirmationem deſcendamus, illud obſeruandum eſt: quod nonnulli diſtinguere ſolent de finibus: quod ſcilicet alius ſit finis ipſius poteſtatis ſiue principatus, alius vero finis ſit Principis poteſtatem habentis: finis poteſtatis ipſius eſt bonum tantum temporale, ſine vlteriore aliqua relatione ad aliquem alium finem vltimũ: ſic nulla omnino eſt ſubordinatio finium: poteſtas enim ipſa, ſalutem ſui æternam non intendit, licet Princeps poteſtate præditus, & ſuam & ſubditorum ſalutem, non tantum temporalem, ſed æternam, tanquam finem intendat & procurare conatur: ideo inquit Barcl. *Finis politicæ poteſtatis ſiue ciuilis, quatenus politica eſt, nihil aliud abſolute complectitur, quam fœlicitatem temporalem, commune ſcilicet bonum & vitæ degendæ ordinatam tranquillitatem.* id quod probat ex Bell. *Illa habet pro fine temporalem pacem, iſta ſalutem æternam*: nec in alium finem refertur poteſtas ciuilis vt

talis eſt: *Ad fœlicitatem vero æternam non à ſeipſa quatenus politica eſt, ſed quatenus ſpiritualis facta eſt, & poteſtatis Eccleſiaſtica ſocietate & conſilijs adiuuatur*: *id quod* ex Apoſt. 1. Tim. 2. & Nauarro probat. Ad hæc reſpondet Bellarminus nec verbum quidem: non reponit, finem poteſtatis politicæ quatenus politica eſt ſubordinari fini poteſtatis ſpiritualis; non aſſerit poteſtatem politicam quatenus politica eſt ad fælicitatem æternam aſpirare, ſic enim defenſionem ſuam prorſus euertiſſet, cum vtriuſque poteſtatis idem finis vltimus eſſet: ſed hoc agit, vt probet ſubordinationem finium; quatenus poteſtas politica Chriſtiana itidem eſt, & vnam cum Eccleſia, vt ipſe ſupra dixerat, Rempublicam conſtituat. Si enim poteſtas politica quatenus politica eſt, ratione finis ſubordinetur poteſtati ſpirituali, tum Reſpublicæ Infidelium ſubordinantur poteſtati Eccleſiaſticæ, propter ſubordinationem finium. Et per conſequens idem poſſet Pontifex ſtatuere de Regnis & coronis eorum qui foris ſunt, quod de ijs qui intus ſunt ſtatuit: & Reges Infideles, qui nunquam fidem Chriſti amplexi ſunt, deponere poſſet ſicut Reges Chriſtianos deſtituit. Hoc vidit Bellarminus nec auſus eſt reſponſionem hanc Barclaij confutare, ne ſimul ſuum ipſius ſtatum & defenſionem prorſus euerteret. Vera ergo eſt reſponſio Barclaij, ſi Bellarminus verum finem poteſtatis politicæ deſcribat, finis poteſtatis politicæ, quatenus talis eſt, non ſubordinatur fini poteſtatis Eccleſiaſticæ.

3 *At*, inquit Bellarminus, *negat Barcl. rem certiſſimam omnium conſenſione Doctorum: quid enim notius apud omnes Theologos & Philoſophos, quam inter cauſas tum efficientes tum finales ordinem eſſe, & inferiorem ſuperioribus ſubordinari.*

Eſſe ordinem inter cauſas efficientes primas, & ſecundas; inter cauſas item finales vltimas, & mediatas, nemo ſanus vnquam negauit; ſed qualis ſit iſta ſubordinatio, & quouſque ſe extendat, nondum conuenit inter Theologos & Philoſophos. Neque hunc ordinem maxime conſpicuum & manifeſtum negauit *Barclaius*; Maiorem non negat: Facultates ita ſubordinantur ſicut ſubordinantur fines: De aſſumptione dubitat: negat finem poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, ſubordinari fini poteſtatis Eccleſiaſticæ, quia finis vltimus poteſtatis politicæ, quatenus politica eſt, bonum eſt temporale, & fælicitatem huius vitæ ſpectat, non futuræ: licet per accidens, quatenus Chriſtiana eſt, ad bonum etiam æternum, conſilio & ſocietate poteſtatis Eccleſiaſticæ attollatur.

At, inquit Bellarm. *finis vltimus abſolute Deus eſt, atque ad eum ordine quodam referuntur & ſubordinantur omnes alij fines.*

Accipio quod das, tuamque conſtantiam deſidero: & proinde infero. Ergo poteſtas politica apud Ethnicos & infideles, quatenus politica eſt,

&

& ciuilis, ad Deum tanquam ad vltimum finem, quodam ordine refertur & ſubordinatur; & proinde Deum & æternam beatitudinem intendit & appetit, (finis enim intentione primus eſt;) ad eamque conſequendam omnes ſuas actiones, (licet in via ſiue modo acquirendi erret) dirigit: ſic non ſunt duo diuerſi fines ſubordinati, ſed vnus idemque finis & poteſtatis politicæ, & poteſtatis Eccleſiaſticæ, beatitudo ſcilicet æterna; ad quam dirigit poteſtas ſpiritualis per ſpiritualia, & poteſtas temporalis per temporalia; illa animam, hæc corpus; ad beatitudinem & fælicitatem æternam, hoc eſt, Deum, qui eſt vltimus finis totius hominis.

Finis immediatus poteſtatis politicæ eſt pax Reipublicæ temporalis: (diceres, bonum Reipublicæ temporale: nam & in bello quandoq; eſt bonum temporale publicum) *Sed hæc ſubordinatur paci ſupernaturali hominis cum Deo, iſta vero paci beatæ quæ eſt in ſuprema Hieruſalem; quæ tandem ſubordinatur gloriæ Dei conditoris, qui eſt primum principium, & vltimus finis omnium rerum.* Sic Bellarm.

Acſi diceres: pax temporis ſubordinatur paci pectoris: pax pectoris ſubordinatur paci æternitatis. De poſteriori nemo dubitat: omnia enim ad pacem illam æternitatis, *quæ omnem ſuperat ſenſum*, referenda ſunt, omnia media, omnes fines intermedij, huic fini vltimo ſubordinantur: & proinde ad hunc finem vltimum dirigendi ſunt. An vero ſic ſubordinetur pax temporis paci pectoris, vt pax pectoris poſſit pacem temporis ordinare, et omnes rebelles et contumaces, non ſolum per pœnas ſuas, hoc eſt ſpirituales, ſed etiam per pœnas non ſuas, hoc eſt temporales et ciuiles, cogere, & reſiſtentes Regnis & bonis temporalibus priuare, id vero eſt quod in quæſtionem vocatur. Si enim hoc Imperium habeat poteſtas ſpiritualis, quæ pacem pectoris operatur, in poteſtatem ciuilem, quæ paci temporis quatenus talis eſt, incumbit, vt iuxta regulas ſuas, ratione ſubordinationis finium, eandem dirigere, & per pœnas non ſuas, hoc eſt ciuiles cogere & coercere poſſit, eodem iure in poteſtates ciuiles Ethnicorum & Infidelium, quo in poteſtates Chriſtianorum vti poteſt: poteſtatum enim ciuilium Ethnicarum, quatenus tales ſunt, finis idem eſt, qui poteſtatum ciuilium Chriſtianarum. Aut ergo finis vltimus poteſtatis temporalis non eſt bonum temporale publicum, quod aſſerit Bellarminus: aut ratione finium, non ſolum poteſtates ciuiles Chriſtianæ, ſed etiam Ethnicæ ſubordinantur poteſtati ſpirituali: & ſic poteſt Reges infideles, æque ac Reges Chriſtianos hæreticos aut malos, aut tyrannos deponere.

Quod vero pax temporis non ſubordinatur paci pectoris, vel ex eo patet, quia plerumque anima per pacem pectoris peruenit ad pacem æternitatis, ſine pace temporis; & tamen ad finem vltimum, niſi per fines intermedios non peruenitur, niſi per ſaltum, & nobis per famam, perque

infamiam, per prosperitatem perq; aduersitatem, per pacem, perq; persecutionem, iter est ad pacem æternitatis. Imo plures per aduersa, quam per prospera lucent in Regno Dei, quiq; in proiperis rubigine obscure delitescebant, igne afflictionis purgati, vt stellæ micant in cœlis. Quinetiam temporalia impeditiua plerumque sunt vitæ æternæ, & implicant milites Christi, paciq; pectoris officiunt plurimum, inter quæ plerumque amittitur, pax pectoris, sicut Christus, qui inter cognatos amittitur, non inter cognatos, sed in templo Dei invenitur. Id quod abundè norunt Monasticæ vitæ cultores, qui temporalia, tanquam scopulos, in quibus naufragium passi sunt, fugientes clamant, satiùs est vt ista temporalia pereant; quam nos vna cum ijs pereamus. Alia ergo via (cum Magis) i. per contemptum temporalium itur ad cœlum: Et sicut multi sunt, quos Sacerdos, & Imperator, ille verbo, hic gladio ducunt, sic etiam multi sunt quos Tyrannus, hæreticus, & persecutor cogunt intrare in Regnum cœlorum: fugiunt enim ad deum, qui in homine refugium non habent; quos. que rejicit mundus, Deus sæpe recipit.

At male hominem vrit *Barcl.* quod ex Bell. Bell. confodiat; acsi qui contra alios fortis sit, suis armis impar sit. *Potestas temporalis habet pro fine temporalem pacem, potestas spiritualis salutem æternam.*

Lib. 5. de Pont. Rom. c. 6.

Respondet Bellar. *In sequentibus dixi, quando istæ potestates sunt coniunctæ, vnum corpus efficiunt, ideoq; debent esse connexæ, & inferior superiori subiecta & subordinata. Id probat c. 7. quia finis temporalis potestatis subordinatur fini potestatis spiritualis.*

Quod ad primum, possunt duæ istæ potestates, tanquam duo corpora sub duobus capitibus, in vnam societatem conuenire, aut sine vlla subordinatione, vt duę ciuitates confœderatæ; aut potius cum subiectione & subordinatione mutua, vt scilicet potestas spiritualis in temporalibus subordinetur temporali, potestas vero temporalis in spiritualibus subordinetur potestati spirituali, sicut supra ex *Hugone, Waldensi*, & *Ioanne Parisiensi* testibus Bellarminianis docuimus.

Quod ad secundum; alterum horum fateatur necesse est *Bellarminus*: Aut pax temporalis finis est potestatis temporalis, quatenus temporalis est, & finis vltimus, (de fine enim intermedio hic non agitur) & sic confirmat *Bellarminus* sententiam *Barcl.* vnaque hanc subordinationem & subiectionem tollit; quia fines illi non subordinantur, qui in fine vltimo non conueniunt. Aut pax temporalis non est finis vltimus potestatis temporalis, sed pax æterna: sic idem est finis vtriusq; potestatis: & proinde nulla est subor linatio finium: & sic Aries ille, quo potestas Regia solo ęquanda erat in terram cadit.

Vrget 2. loco Barcl. verba Apostoli. *Orate pro Regibus, & omnibus in sublimitate positis, vt tranquillam & quietam vitam agamus, in omni pietate & castitate: acsi tranquillitatem vitæ potestati politicæ, pietatem & castitatem Christianæ disciplinæ deberemus.*

1. Tim. 2. 2.

Adiuncta

Adiuncta ſunt hæc verba (inquit Bellarminus) *vt oſtenderet tranquillitatem vitæ qui eſt finis vitæ politicæ ſubordinari pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad finem vltimum, id eſt felicitatem æternam peruenitur.*

Et hoc ſub Nerone & Principibus Ethnicis à Sancto Paulo ſcriptum eſt: aut ergo tranquillitas vitæ ſub Principibus Ethnicis quæ finis eſt poteſtatis politicæ quatenus politica eſt, ſubordinatur & ſubijcitur pietati & caſtitati, quæ finis eſt poteſtatis ſpiritualis, per quem ad æternam fælicitatem peruenitur: ſicquè poteſtas Regia eundem finem vltimum habet, quem habet poteſtas Eccleſiaſtica: & poteſt poteſtas Eccleſiaſtica ratione ſubordinationis finium, diſponere de temporalibus Ethnicorum, vſque ad depoſitionem Regum, ſicut diſponit de temporalibus Chriſtianorum: Aut hic non eſt ſenſus, hæc non eſt ratio, ſiue diſtributio Apoſtoli, vt oſtenderet tranquillitatem vitæ ſubordinari pietati, poteſtatem politicam ratione finis ſubordinari poteſtati ſpirituali. Si enim dixiſſet Apoſtolus, *Orate pro Regibus*, non dico Chriſtianis, ſed Ethnicis: (vt & Iſraelitæ orare jubentur pro ſalute Regum Aſſyriorum, à quibus in captiuitate detinebantur) ſed perſecutoribus, ſed Nerone, Bipedum omnium nequiſſimo, Tyrannorum omnium monſtro. Aut poteſtas politica ratione finis ſubordinatur ſpirituali in Nerone, aut hic locus hanc ſubordinationem finium non probat. *Baruch.* 1. 11.

Quod ſi riuulos fontibus, id eſt vulgatam tranſlationem autographo Græco non prætuliſſet *Bellarminus*, huius conjecturæ ne vmbram quidem inueniſſet. Græcè enim in omni pietate & honeſtate, non (caſtitate) legitur: in caſtitate, id eſt *in virtute*, vt *Theophylactus* & *Chryſoſtomus*: honeſtas autem externam moralem & ciuilem converſationem, ſicut pietas veram Religionem & Dei cultum deſignat: & honeſtas ſiue honeſta moralis exterior conuerſatio, ad Regum curam ſpectat; ſicut & pietas & Religio Regum cuſtodiæ & nutritioni demandatur: & caſtitas hoc loco non particularem virtutem, multo minus cælibatum, ſed caſtam & modeſtam & honeſtam totius hominis exterioris integritatem etiam denotat. Et duo duobus hoc loco reſpondere videntur: *vt tranquillam vitam & quietam agamus, in omni pietate & caſtitate ſiue honeſtate*; tranquilla vita in pietate, quieta vita in honeſtate ſiue caſtitate: tranquilla quoad internam pacem pectoris, quam præſtat Religio & pietas: quieta quoad externam pacem temporis, quam confert honeſtas & morum caſtitas: & niſi tranquillitas internam animæ pacem, quies verò externam vitæ pacem denotet, Tautologia erit & repetitio hæc apud Apoſtolum, non neceſſaria, quia non explicat, quod ſatis dilucidè ſupra dictum erat.

Verum locus iſte ſatis apertè indicat pietatem, & religionem, & cultum

tum Dei, Regum curæ & cuſtodiæ demandatum eſſe; nec Reges temporalium tantum curam ſubire, ſed etiam ſpiritualium: tranquilla enim & quieta vita in pietate & caſtitate conſiſtit. Reges curam agunt vitæ tranquillæ & quietæ: Reges ergo pietatis & caſtitatis curam agunt: non eſt tranquilla nec quieta vita ſine pietate et caſtitate: ergo ſi quieta et tranquilla vita cuſtodiæ Regum demandata ſit, etiam pietas et caſtitas Regibus demandantur. Rex enim cuſtos vtriuſque tabulæ à Deo inſtituitur, et poteſt, et debet præuaricatores et violatores primæ tabulæ, vtpote Idololatras, Atheos, blaſphemos, hæreticos, perjuros, Sabbathi contemptores, pœnis ciuilibus, adeoquè morte ipſa punire, ſicut fures aut homicidas aut adulteros caſtigat. *Rex aliter ſeruit Deo, qua homo eſt, aliter qua Rex eſt; qua homo eſt ſeruit Domino viuendo fideliter; quà Rex eſt, ſeruit ei leges iuſta præcipientes & contraria prohibentes, conuenienti vigore ſanciendo. Sic ſeruiuit Ezechias (qua Rex non qua Propheta) Idola deſtruendo, ſic Ioſias, ſic Rex Niniuitarum vniuerſam ciuitatem ad placandum Dominum compellendo; ſic Darius dans Idolum Danieli, & accuſatores Leonibus; ſic Nabuchodonoſor prohibet omnes blaſphemare Deum Sidrac lege terribili. In hoc ergo ſeruiunt Domino, in quantum ſunt Reges, cum ea faciunt ad ſeruiendum illi, quæ non poſſunt facere niſi Reges.* Hæc Auguſt. Eccleſia hęc externa facere non poteſt: Eccleſia non habet gladium temporalem; non ergo habet depoſitionem: et Reges iſta fecerunt ex officio ſuo, non ad Imperium Sacerdotum. Dicat verò Bellarminus, an Rex Niniue, an *Nabuchodonoſor*, an *Darius* Prophetæ erant, et prophetico ſpiritu hæc agebant.

Auguſt. Epiſt. 50.

Cum Reges contra Chriſtum & Chriſtianos conuenirent, tunc vtiquè legibus impietates non prohibebantur ſed exercebantur: at poſtquam omnes Reges terræ adoraverunt, quis mente ſobrius dicere velit Regibus; Nolite curare in Regno veſtro, a quo tueatur vel oppugnetur Eccleſia Domini veſtri, quis ſit Religioſus, quis ſacrilegus: acſi diceret, nolite curare quis ſit pudicus, quis impudicus. Ecce caſtitas ad Regem ſpectat. *Cur enim, cum ſit liberum arbitrium diuinitus homini datum, adulteria legibus puniuntur & ſacrilegia permittuntur? An fidem non ſeruare Deo animam leuius eſt quam feminam viro? An ſi ea quæ non contemptu ſed ignorantiâ religionis committuntur, mitius vindicanda ſunt, nunquid ideo negligenda ſunt?* Ad Reges ergo ſpectat de pietate et caſtitate leges ſancire: cura religionis, prima eſt et præcipua Regum cura: et qui curam habet tranquillę vitę, idem etiam pietatis et caſtitatis curam habet: ad quemcunque enim ſpectat res aliqua, modus eiuſdem rei peragendę ad eundem ſpectat: Ad Regem ſpectat vita tranquilla, modus ergo huius vitæ tranquillæ, quæ eſt in pietate et caſtitate ad Regem ſpectat.

5. Sequitur *Nauarrus: Et hic ſicut Bellarminus vitam bonam & beatam*

tem-

temporalem finem potestatis laicæ & legum ab ipsa emanantium esse statuit: sicut finis potestatis Ecclesiasticæ & legũ ab eo emanantium est vita æterna supernaturalis. Num. 90.

At inquit Bel. *Idem Author asserit finem temporalis potestatis subordinari fini potestatis spiritualis: id quod probat ex Thoma, De Regimine Principum L. 3. C. 12. & 2. 2. Q. 40. Art. 2. ad. 3. vbi ait: Omnis persona, vel ars, vel virtus, ad quam pertinet finis, habet disponere de ijs quæ sunt ad finem.* Quid senserit ex Nauarrus et Thomas in hâc causa supra diximus; nec multum refert quomodo sibi repugnet aut Bell. aut *Nauarrus*: Et qui bonum temporale finem vltimum potestatis temporalis esse asserit, & postea, hunc finem vltimũ ad alium finem vlteriorem referri adeoq; vlteriori fini subordinari asserit; hic sibi ipsi repugnat, quomodo enim potest finis vltimus ad vlteriorem finẽ referri? Si vero id agat *Nauarrus* vt bonũ tẽporale sit finis potestatis ciuilis, nõ vltim⁹ sed intermedius, qui ad bonũ æternũ, tãquã ad finẽ vltimum referatur, nostras agit partes, quia idẽ est finis vltim⁹ vtriusq; potestatis, via vero siue finis intermedius diuersus sit: potestas spiritualis per spirituale bonum, potestas vero temporalis per temporale bonum, ad bonum æternũ tendũt, et proinde subordinatio nulla, sed societas et dilectio tantum mutua. Si id agat *Nauarrus*, vt probet finem potestatis politicę, quatenus politica est, non Christiana, esse bonum temporale, idem cum Barc. docet. Si id agat *Nauarrus*, vt doceat alium esse finem potestatis politicæ qua politica est, alium vero finem potestatis politicæ, quatenus Christiana est, tunc vanitas finium est et subordinatio nulla; et de potestate ciuili Ethnicâ disputat, non de Christiana; et subordinationem potestatum Ethnicarum probat, non Christianarum. Abundè ergo probata est et confirmata responsio Barcl. potestatis politicę, quatenus politica est, finis est bonum publicum temporale: et finis potestatis politicæ quatenus politica est, non subordinatur fini potestatis spiritualis.

Iam ad examinationem huius rationis redeo: quæ tota nititur fundamento Aristotelico de subordinatione finium et facultatum. *Ita subordinantur facultates, sicut subordinantur fines*: Hanc propositionem esse Aristotelis L. 1. Et hic. C. 1. asserit Bel. Hanc ego disertis verbis, explicite, apud Aristotelem non invenio: Asserit reuera Aristoteles subordinationem esse et facultatum et finium: sed, quantum ego perspicio, inuersus est ordo propositionis Aristotelicę: *Quæque artes eius generis, vni alicui facultati subiectæ sunt (veluti equestri ea quæ frenos conficit, cæteraq; omnes equorum instrumenta tractantes, vt hæc ipsa & omnia officia bellicarem militari, item q; alia alijs) in ijs omnibus fines Architectonicarum magis expetendi sint, quam omnium sub eas subiectarum: quippe cum harum causa etiam illi expetãtur.* Vbi Aristoteles non tam de subiectione quam de appetitione finium pronuntiat: Propositio ergo Aristotelis hæc est,

6

Ita

Ita ſubordinantur fines, vt ſubordinantur facultates; quam ſic inverſo ordine profert Bell. Ita ſubordinantur facultates, ſicut ſubordinantur fines: Ariſtoteles à ſubordinatione facultatum arguit, ad ſubordinationem finium: Bell. à ſubordinatione finium ſubordinationem arguit facultatum. i. poteſtatis ſpiritualis & ciuilis, quæ natura ſuâ non ſubordinantur. Ars frænifactiua ſubordinatur equeſtri, ergo finis frænifactiuæ ſubordinatur fini equeſtris: ſic ars militaris, equeſtris, nauifactiua, œconomica ſubijciũtur ſciẽtiæ ciuili ſiue Regiæ; ergo fines harũ artiũ ſubijciuntur bono publico, qui eſt finis poteſtatis ciuilis. In his artes ſiue facultates ipſæ ex ſe ſubordinantur non per accidens, ſiue per fines tantum, vt ars pigmentaria ſubijcitur medicinæ. *Et quas in Republicâ ſcientias eſſe oporteat, & quas quiſque diſcere debeat, & quatenus, ipſa deſcribit,* (Scientia ciuilis) inquit Ariſtoteles: in his ergo ſubjectio & ſubordinatio directa. Nec diſponit de his inferioribus facultatibus, nec corrigit aut caſtigat, niſi rector ciuitatis. In illis vero facultatibus, quæ non ex ſe & naturâ ſuâ, ſed per accidens, ratione finium, ſubordinantur, ſubjectio nulla eſt, nulla ſubordinatio, ſed relatio tantum, referuntur ad finem, non ſubordinantur, non ſubijciuntur: Nec enim poteſt imperare ars equeſtris arti frænifactiuæ, nec ars militaris arti equeſtri, nec ars medica arti pigmentariæ; & tamen finis artis pigmentariæ propter finem artis medicæ id eſt propter ſanitatem expetendus eſt, & finis artis frænifactiuæ propter finem artis equeſtris; & finis artis equeſtris propter finẽ artis militaris appetendus & deſiderandus eſt. Dirigere poteſt medicus pigmentarium, & docere; poteſt medicus pharmacis & medicinis pigmentarij vti vel non vti ad libitum ſuum: at imperare pigmentario, vel deponere pigmentarium medicus non poteſt: Imperium hoc, coactio iſta, ad artem Architectonicam, quæ alijs omnibus artibus imperat, ſpectat: *Igitur eius quam præcipuam & maxime Architectonicam eſſe conſtat, qualis ciuilis ſcientia videtur eſſe: nam & quas in Repub. ſcientias eſſe oportet, & quas quiſque diſcere debeat, & quatenus, ipſa deſcribit.* Ad ciuilem ergo ſcientiam artem ſupremam, hoc eſt poteſtatem Regiam, ſpectat imperare vel corrigere exceſſus vel defectus artium inferiorum, licet artes inferiores per ſuperiores doceri dirigiquè poſſunt.

Præterea poteſt ars equeſtris arti frænifactiuæ communionem ſiue commercium ſuum negare, hoc eſt frena, Ephippia, aliaquè id genus non emere; ſed non poteſt priuare communione Reipub. Inauditum vero eſt apud omnes ciuitates, Reſpub. vel Regna (niſi forte id ſoleãt Cardinales Romani mulis inſidentes) vt Eques quiſquam frænifactorem deponat, artiſq; ſuæ exercitio priuet, aut vt medicus pigmẽtario libertatẽ medicinarum faciendarũ tollat: pœna enim iſta ad Regem ſolum, cui in

his

has omnes artes Imperium habet directum, ſpectare apud omnes gentes Nationes & ciuitates dignoſcitur.

Quod ſi nec Eques fræniſactiuam, nec medicus pigmentariam, nec quiſquam artifex ſuperior ratione finis nobilioris, inferiorem artificem deponat, aut communione publica ſiue naturali priuet, licet fortè communione ſiue commercio ſuo priuato, quod inter ipſos intercedit, eundem priuet: Si nec Spiritus carnem deponat aut occidat, licet jejunio & laboribus in obſequium perducat: Si quidpoſſint ſimilitudines iſtæ, nec poteſtas ſpiritualis poteſtatem tẽporalem deſtituit, communioneve naturali priuet, etſi commercium vel communionem ſpiritualem interrumpat. Sic ſimilitudines iſtæ cauſam Bell. evertunt; propoſitio verò Ariſtotelis, quæ contra ordinem verborum invertitur, vltra ſenſum Ariſtotelis extenditur; qui nec de Imperio, nec de pœnâ, ſed tantum de expetitione finis ſuperioris verba facit.

Atque de poteſtate ipſa temporali, eiuſque fine, quatenus temporalis eſt, juxta *Barcl.* dicta hæc ſunt. Dabit vero veniam *Barcl.* alijquè qui in hâc reſponſione cum *Barcl.* conveniunt, ſi & nos de altero membro, fine ſcilicet Principis, pauca addamus, quę itidem vim huius Arietis Bellarminiani eneruare poſſint. 7

Cum enim alius eſſe poſſit finis poteſtatis, ſiue principatus, alius verò finis Principis poteſtatem habentis; jam illud videndum eſt, an idem ſit finis poteſtatis, qui eſt hominis poteſtatem habentis: finis enim poteſtatis ipſius naturalis eſt, finis verò hominis poteſtatem habentis rationalis eſt, vtpote qui rationis lumine appetitur & rationis regimine acquiritur.

At q; hoc quidem apud Ariſtotelem certiſſimum eſt; *omnem ciuitatem ſocietate quadam contineri; omnem ſocietatem vtilitatis cauſa conſtitutam eſſe, omnes ad id quod bonum videtur, actiones ſuas omnes referre.* Pol lib. 1. cap. 1.

Cum vero omnes bonum quoddam, tum vel maximè ea, quæ principatum tenet, cæteraſqué continet, qualis eſt ciuitas, ciuiliſqué ſocietas, ſummum bonum inueſtigat & exquirit: Et ciuitas, ſiue ciuilis ſocietas & poteſtas à natura eſt: *Eius qui imperat, & eius qui paret, Naturalis eſt communio, ſalutis cauſa conſtituta*: *A natura*, inquit, *ciuitas omnis orta & profecta eſt, cui propoſita eſt tanquam extremum & finis, rerum omnium ſatis magna abundantia, cuius origo ad vinendum refertur.* Quod verò alius non ſit hominis finis, alius vero ciuitatis Ariſtoteli exploratiſſimum eſt. *Nunc vero hoc tantum poſitum ſit, vitam optimam & priuatam vnicuique, & publicè ciuitatibus eam eſſe, quæ coniuncta cum virtute, tantum habeat copiarum, vt actiones virtuti congruentes adipiſcatur.* Et C. 2. *Reliquum eſt, vt eademne ſit vita beata vniuſcuiuſque hominis, & ciuitatis necnè, diſſeramus; quæ etiam facilis eſt quæſtio quandoquidem omnes eandem eſſe concedent*: quod & ipſe concludit C. 3. Et idem habet Eth. L. 1. C. 2. Non agnouit ergò Artes alium finem ciuitatis ſiue poteſtatis ipſius, alium verò hominis Cap. 2. Lib. 7. Cap. 1.

nis

nis potestatem habentis; potestas enim & ciuitas propter hominem instituta est, non homo propter potestatem: institutæ sunt ergo ciuitates & societates ab hominibus hoc consilio, vt facilius in ijs finem suam assequerētur: potestas, ergo hominis eūdem habet finem, quem homo ipse, cuius causa instituta est. Subtilior vero & magis metaphysica est illorum speculatio, qui alium esse finem Regni siue potestatis Regiæ alium Regis esse disputant; ac si Rex potestatem Regiam in alium finem, quam suum hoc est hominis accepisset.

Hic ergo quæro à Bellarmino alijsquè testibus suis, an bonum temporale sit finis hominis; vel hominum, id est societatis: sed hoc nemo sanus vnquam dixit. Quid enim? An Anima immortalis, (quod & Christiani & Ethnici fatentur) mortale & temporale bonum, tanquam finem vltimum appetit, & non immortalitatem, & in immortalitate beatitudinem? Contra naturam est vt immortale mortalitatem, vel non esse appetat; *Cum finis omnium habeat rationem optimi*: *Aristot. Physicor.* 2. Anima etgò immortalis, & semper esse & semper benè esse desiderat.

Quid vero corpus? An bonum temporale pro fine habet? At corpus quidem aliquando ante peccatum immortale erat; *mortuum est propter peccatum*, inquit Apostolus, Rom. 8. non propter naturam: mors in homine pœna est, natura non est; corpus ergo immortale esse & bonum esse, hoc est beatam immortalitatem desiderat: finis ergo hominis ante peccatum, fælicitas æterna: nec enim alius, est animæ & corporis alius hominis finis.

Quid vero? An peccatum, tanquam fluuius ille Lethe, per quod transeuntes animæ, omnium etiam desideriorum & affectionum suarum obliuiscuntur? An non animæ concreatam retinent hanc immortalitatis appetitionem? Annon Christianorum, imo Philosophorum fides est, quod vita hæc via sit ad vitam? Annon mundus iste τρίσηγον? Sursum est palatium summi Regis, in quo coronantur, qui sic currunt vt comprehendant, sic certant vt vincant; deorsum carcer est, qui pusillanimes & lubricos & desides manet; in medio terra est, tanquam area, in qua Agonistæ certant cutruntquè. Annon aliam fatentur esse vitam in quâ & boni, & mali, digna meritis præmia accipiant? In hàc enim vitâ vix justitiæ locus est, boni crucem, mali palmam ferunt.

Homo ergò mortalis per peccatum factus, appetitum finis non mortalis sed æterni retinet: Quid enim? An non mali, qui terram cœlum faciunt, ideo semper viverent, vt semper peccarent; simperq; voluptatibus his terrenis abundarent? Boni item semper viuerent vt semper benè agerent fœliciterq; viuerent? *Cupimus superuestiri immortalitate, Si tamen vestiti & non nudi*; id est viui non mortui *reperiamur*; hoc est à vita ad vitam sine morte transire cupimus, vt multi verba Apostoli intelligunt. 2. Cor. 5.

gent. Omnes ergo optimum esse, id est fælicitatem æternam appetunt; in fine conveniunt, etsi in modo siue viâ non conveniant; quia nonnulli in Creatore, plurimi vero in rebus creatis finem suum quærunt. Vident omnes, et am Ethnici, quo eundem sit, etsi qua eundum sit, non vident. Error est, non in fine, sed in viâ, siue medijs, quæ ad finem ducunt vndè Augustinus Confess.l.7.c.20. confitetur se fuisse inter Platonicos, *Videntes quo sit eundum, nec videntes quâ.* Et alibi. *Sic est nobiscum, tanquam quisq; videat de longe patriam, & mare interiaceat, videt quo eat, & non habet quâ eat:* Et iterum In Ioan.1.tract.2. *Bonum est super hoc, & optimum, si fieri possit, vt & videatur, quo eundem sit, & teneatur, quò portetur qui pergit.* Lactantius etiam L.3.C.10. *Ciceronis* ait veram esse sententiam. *Ex tot*, inquit, *generibus, nullum est animal, præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisq; in hominibus, nulla gens est neq; tam immansueta, neq; tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem habere Deum deceat, tamen habendum sciat:* Sic ille; qui etiam ideo animam immortalem esse probat, quia immortalitas summum bonum est. Præterea Hugo de S.Victore. *Deus sic ab initio notitiam sui ab homine temperauit, vt sicut nunquam quid esset totum poterat comprehendi, sic quia esset, nunquam prorsus poterat ignorari.*

Sicut ergo omnibus hominibus, & Dei cognitionem, & fælicitatis appetitum communem esse constat, ita & Regno & Sacerdotio, potestati scilicet ciuili & Ecclesiasticæ, in quibus omnes homines continentur, eundem esse finem, fælicitatem scilicet æternam censendum est: quod disertis verbis asserit Isidorus Pelusiota Lib.3.Epist.249. *Ex Sacerdotio & Regnorum administratio constata est: quamuis enim permagna vtriusque differentia sit (illud enim velut anima, hoc velut corpus) ad vnum tamen & eundem finem tendunt, hoc est, ad hominum salutem. Non est ergo vltimus finis multitudinis congregatæ viuere secundum virtutem, sed per virtuosam vitam peruenire ad fruitionem diuinam.* Sic Thomas Lib.1.Cap.14. Et alibi: *Finis ad quem principaliter Rex intendere debet in seipso, & in subditis, est æterna beatitudo, quæ in visione Dei consistit: & quia ista visio est perfectissimum bonum, maxime mouere debet Regem, & quemcunque Dominum, vt hunc finem subditi consequantur.* Alvarus etiam Pelagius Lib.1.Cap.62. *Officium principale Regum est dirigere suum regimen in finem verum, qui est beatitudo æterna; vnde sic debet subditos suos peregrinos in hoc mundo regere vt efficiantur ciues & domestici Dei.* Quin & *Zachariæ Papæ* (qui *Childericum* depositisse dicitur, quiq; vt malus Theologus, potestatem instituendi destituendiq; Regem Populo tribuit) officium Regis ita describit. *Is demum verus Rex, qui Populum sibi à Deo creditum iuxta diuina legis præcepta placidque moderatur, quo simul felices consiant, & vitam adipiscantur beatam.* Finis ergo Regis potestatisque Regiæ, authore *Zacharia*, non bonum temporale,

De Regim. Principum. *Lib.3.Cap.2.* *Auent.Lib.3.*

porale, ſed æternum. Quod ex eo etiam probatur, quod Religio erga Deum, ſicut & juſtitia erga homines, ad Regum curam pertinet. Vnde *Eleutherius* multis ante *Zachariam* ſeculis, *Lucium*, primum Chriſtianum inter Anglos Regem hoc ipſum docuit: *Gentes vero Regni Britaniæ & Populi, veſtri ſunt, & quos diuiſos debetis ad vnum in concordiam & pacem, & ad fidem & legem Chriſti, & ad Sanctam Eccleſiam congregare, revocare, fouere, manu tenere, protegere, regere vt poſſitis cum coregnare in æternum, cuius vicarius eſtis in Regno prædicto.* Finis ergo Regis & Regiæ poteſtatis eſt, per religionem, ad bonum æternum, non tantum temporale perducere.

Inter Leges Edwardi Regis c.17.

Idem Gregorius primus vt Beda Hiſt. Gentis Angl. Lib. 1. Cap. 32. docuit *Edelbertum* Regem Anglorum: *Et nunc* (inquit) *itaque gloria veſtra cognitionem vnius Dei, patris & Filij & Spiritus Sancti Regibus & populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere &c. vt vos Regni ſui ipſe faciat participes cuius vos fidē in Regno veſtro recipi facitis & cuſtodiri.* Ioannes etiã Papa reſpõdet *Pipino* & *Carolo*: *Illos decet vocari Reges, qui vigilãter defendunt & regunt Eccleſiã Dei & populũ eius, imitatis Pſalmographum Regem dicentem, Non habitabit in medio domus meæ qui facit ſuperbiam.*

Neque verò ignorarunt primi Imperatores Chriſtiani hoc officium ſuum, in vero Dei cultu, veráque religione procurandâ & promouendâ & protegendâ. Ideo *Conſtantinus* & Idola deſtruxit; & Religionem Chriſtianam inſtituit, & multas leges pro Eccleſiâ etiam in rebus Eccleſiaſticis ſanxit: quem ſecuti ſunt multi Imperatores pij & devoti; qui Eccleſiam & bonis & priuilegijs ditarunt. Ideo *Theodoſius* & *Valentinianus* ad *Hormiſdam* Papam. *Decere arbitramur noſtrum Imperium ſubditos noſtros de Religione commonefacere &c.* Et iterum: *Inquiſitio veræ religionis præcipua eſt ſolicitudo Maieſtatis Imperialis.* Sic etiam Iuſtinianus; *Nos igitur maximam habemus ſolicitudinem circà vera Dei dogmata, & circà Sacerdotum honeſtatem.* Verum quid his immoramur? Tituli illi in jure ciuili *de ſummâ Trinitate & fide Catholica*; leges illæ *Theodoſianæ*; leges illæ *Caroli, Ludovici & Lotharij* de rebus Eccleſiaſticis, quas collegit *Anſegiſus*, ſatis docent Religionem et cultum Dei primam eſſe et præcipuam Regum et Imperatorum curam.

Neq; vero hoc officium circa religionem et cultum Dei, ad ſolos Reges Iudæorum aut Chriſtianorum, qui à Deo per ſpiritum ſanctum edocti ſunt, pertingit; ſed etiam ad omnes etiam Ethnicos ſpectat, qui ſolo lumine naturali ducuntur: nulla enim extitit apud Ethnicos natio aut gens, quæ Deum colendum non agnouerit, eundemq; aliquo religionis genere non adorauerit; in quâ procurãda princeps primas partes agebat. *Romulus Romanorum Rex primus, legem naturæ ſolam doctus, inſtituit ſacra & qui illa perageret Sacerdotes à ſe diſtinctos.* Et iterum. *Proſpiciens vir prudens, ſe non poſſe Imperio ſimul & Sacerdotio facere ſatis*

Relect. C. Nouit, de Iudicijs notab. 3. N. 40.

&c.

& quod poſt illum ea in melius reformauit eius Succeſſor, ſolam item legem naturæ doctus. Hæc Nauarrus. Lex ergo Naturæ docet Religionem cultumque Dei. Et Decalogus Moſaicus in lapidibus, quid aliud quam lex ipſa naturæ in cordibus ſcripta?

Et præterea, *Quæ ad Deorum cultum pertinent permiſſa ſunt Regibus.* Sic Ariſtoteles. Et iterum. *Nam & Rex, Imperator ſiue Dux erat* (in bello) *& Iudex* (in pace) *& in diuinis Dominus, rerumque diuinarum ei cura commiſſa erat*, vt legit Perionius. *His habitis agendum eſt de cultu diuino* (inquit Thomas) *ad quem Reges & Principes ſtudere debent toto conatu & ſollicitudine, ſicut ad finem debitum.* Et quod hoc non ſolum ad Reges Chriſtianos, ſed etiam ad Ethnicos ſpectat, tradit ibidem Thomas: *Tradunt*, inquit, *hiſtoriæ, quod in qualibet Monarchia ab initio ſeculi, tria ſe invicem per ordinem comitata ſunt; Diuinus cultus; Sapientia Scholaſtica; & ſecularis potentia.* Verum quid pluribus opus eſt? Religio & cultus Dei, fides de immortalitate animarum, de iudicio futuro, de pœnis infernalibus æternis, & campis Elyſijs & beatitudine æterna, apud Ethnicos, vigebat, ſicut apud Chriſtianos. Quinetiam antiqui Philoſophi ad fidem Chriſtianam conuerſi, ex falſis ſuis principijs multos errores & hæreſes in Chriſtianiſmum inuexerunt. Hæc qui negat; & conſenſum omnium qui vnquam fuerunt hominum vnanimem, & praxin, negat. Ex quibus tria iſta neceſſariò conſequuntur.

Pol. Lib. 3. C. 10.

De regim. Princip. Lib. 2. C. 16.

1. Idem eſt finis hominis & ciuitatis: idem poteſtatis & Principis.

2. Finis hominis, quâ homo, non ſolum quâ Chriſtianus, & ciuitatis & poteſtatis ciuilis etiam apud Ethnicos, eſt bonum æternum, non tantùm temporale.

3. Apud omnes homines & gentes, aliqua religio, aliquis cultus diuinus inſtitutus eſt, per quem ad bonum æternum perueniatur, cuius curam habebant Reges & Imperatores, qui & primæ tabulæ de cultu Dei, ſicut & ſecundæ de iuſtitia inter homines, & cuſtodes & vindices ſemper fuerunt.

Vbi vero eſt idem finis (qui eſt cauſa cauſarum in intentione, & effectus cauſarum in executione) ibi ſubordinatio nulla facultatum ratione ſubordinationis finium. Dedit enim Deus temporalia iſta, tanquam viaticum, ad æternam vitam. Poteſtas ſpiritualis & poteſtas ciuilis, duæ ſunt lineæ quę ad vnum centrum, Deum, rectâ extenduntur: illa per internas leges & cenſuras, hæc per externas itidem leges & pœnas ad Deum, à quo vtraque poteſtas originem habet, dirigit; vt fontes à mari orti, in mare redeunt: & proinde poteſtas ciuilis, etiam aliquo modo ſpiritualis dici poteſt. Ideo Iohannes de Pariſijs reſpondens huic propoſitioni, Quod corporalia reguntur per ſpiritualia, dicit: *Argumentum vt ſic factum, multipliciter deficit; Primo quia ſupponit, quod poteſtas regalis*

sit corporalis, et non spiritualis, & habeat curam corporum, & non animarum; quod falsum est. Idem verò Ioan. Paris. ibidèm huic argumento à subordinatione finium, quatuor adhibet solutiones: quas priùs confutâsse oportuit Bell: nec eram ben sæpius coctam apponere.

1 1. *Ars superior ad quam pertinet finis superior, mouet & imperat arti, ad quam pertinet finis inferior, non simpliciter, sed quantum competit ad necessitatem finis sui vltimi.* 2. *Ars superior non semper imperat necessariò inferiori, mouendo per viam necessitatis, & instituendo eam; sed solùm mouet, per modum dirigentis, vt medicus pigmentarium informat, et indicat de ipso, an benè conficiat pigmenta & debitè: sed ipsum non instituit nec destituit, sed est aliquis superior vtrobiq; apud quem est totus ordo ciuitatis, vt Rex vel Dominus ciuitatis, & ipse habet ipsum destituere sicùt et constituere, si pigmentarius non conficiat pigmenta, prout medico competit: & ita est in proposito. Totus mundus est quasi vna Ciuitas, in qua Deus est suprema potestas, qua* 3 *Papam & Imperatorem instituit, &c.* 3. *Quædam artes inferiores, non habẽt rationem boni siue appetibilis secundum se, sed solùm vt ordinantur ad finem superiorem, quam respicit ars superior, &c. In his ratio aliquid coloris habet: quædam artes inferiores, habent in se rationẽ boni et appetibilis secundum se, cuiusmodi est viuere secundum virtutem, quæ tamẽ ad aliud ordinabilia sunt; vt amicitia, scientia, &c. in his ratio vihil coloris habet.* 4. *Dato* 4 *quod valeat in aliquibus partibus ordinatis, vbi inferior finis non ducit in superiorem nisi determinato modo, & ideo deficere secundum illum determinatũ modum, est deficere simpliciter, & inutile remanere respectu illius finis, tamen vbi finis inferior habet diuersos ordines ad superiorem, non oportet, quod si deficiat secundum vnum ordinem, quod potestas constituta in illo, destituatur tanquàm inutilis, quia est alius ordo eius ad finem, qui forte solum notus est supremæ potestati propter quẽ ordinẽ vult inferre potestatẽ manere tanquàm vtilem; et sic est de potestate Regia; quia secundũ eam, populus non solum dirigitur in Deũ secundũ quod Rex eâ vtitur vt Rex est, sed etiã eâ vtitur vt tyrannus, inquantũ sc. tyrannia Principũ est in vltionẽ peccatorũ; vt dicit Iob: Quod regnare facit, &c. vel in probationẽ patientiæ subditorũ: vel in cõpulsionẽ eorum, vt ad Deũ refugiant, qui solus potest corda Regũ immutare in melius, dicẽte Salomone Cor Regis, &c. qui etiã & tyrannos, quos reputat conuersione indignos, potest auferre: secundum illud Salomonis. Sedes ducũ superborum destruxit Deus, & sedere facit mites pro ijs.* Hæc doctissimè Ioan. Paris. Consulat lector *Guilielmũ de Rubione*, qui isti argumento respondet. Author etiam Somnij Viridarij, ait: *Principatus Papalis solus non dirigit nec dirigere potest in finem perfectissimum humanum: sed Principatus spiritualis, & principatus temporalis simul coniuncti, bene dirigunt in finem perfectissimum.* Vtrum vult horum ergo eligat *Bellarminus*: Aut finis vltimus principatus temporalis est bonum publicum temporale, sic non subordinatur potestati spirituali, quia non curat nec intendit

Sent. lib. Dist. 19 quæst. 2. Quantum ad secundum, Parte, 1. c. 42.

æterna

æterna; aut finis vltimus, eſt bonum æternum, ad quod per leges, & præmia, & pœnas ciuiles dirigit, ſic idem eſt finis poteſtatis ſpiritualis & poteſtatis ciuilis, & proindè nulla eſt ſubordinatio poteſtatum quia in vno fine conueniunt. Sic Aries iſte defenſionem Barcl. nullatenùs demolitur.

Sequitur ſecunda confirmatio Bell: quæ talis eſt.

Reges & Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Reſpub: ſed vnam 8
i. Eccleſiam: Sumus enim vnum corpus, Rom. 12. 1. Cor. 12. At in omni corpore membra ſunt connexa & dependentia vnum ab alio: non autem rectè aſſeritur ſpiritualia pendere à temporalibus; ergo temporalia à ſpiritualibus pendent & ijs ſubijciuntur.

Quam infirmum ſit hoc argumentum, ex eo patet, quia nec pes à pede, nec brachium à brachio, nec humerus ab humero pendet, ſed ab vno tertio: Argumentum ergo Bell. tale eſt, acſi diceret.

In omni corpore membra ſunt connexa & dependentia vnum ab alio: Non autèm rectè aſſeritur dexterum brachium pendere a ſiniſtro.

Ergo ſiniſtrum brachium pendet à dextro, eiq; ſubjicitur.

Sed vt ſtrictiùs agamus. Reges & Pontifices, Clericos & Laïcos duas facere Reſpub: non vnam ſuprà docuimus: Eſt enim Eccleſia Ieruſalem cœleſtis, vnum corpus, vna domus, vna ciuitas, vna Reſpub: quæ leges ſuas, cenſuras ſuas, communionem ſuam habet. Eſt etiam Regnum terrenum vnum corpus, vna domus, vna ciuitas, vna Reſpub: quæ leges itidem & cenſuras ſuas, communionem ſuam, habet: in hanc Rempub. terrenam introducit natura, in illam cœleſtem gratia: & Eccleſia vna erat Reſpub: antequam Regna & Imperia multa ſint: Eccleſia vnum corpus eſt vt Eccleſia eſt: vt autem Regna mundi in portionem & hæreditatem Chriſti migrárunt, quæ communiones ſuas ſeparatas retinent, ſic non eſt vna Reſpub: nec vnum corpus, ſed duo capita habent: *Terrena poteſtas caput habet Regem, ſpiritualis poteſtas caput habet Summum Pontificem.* Sed de hâc re ſuprà plura repetat Lector. c. 13.

In omni corpore membra connexa eſſe nemo vnquam negauit: at dependentia eſſe membra à membris, hoc nouum eſt: nec enim mouet digitus ad Imperium manus, nec manus ad Imperium brachij, nec brachium ad Imperium humeri aut capitis, ſed omnia membra mouent, vel potius mouentur ad imperium animæ, quæ non ſic reſidet in capite, aut corde, vt non ſic tota in toto, & tota in qualibet parte.

Tale forte ſomniat corpus Cardinalis noſter, ſenile, infirmum quale eſt nonnullorum, quorum capita, humeri & manus, non ad Imperium animæ, ſed ad impetum morbi mouentur, paralyſi enim labo-

rant: At in corpore sano membra organa sunt, anima est quæ pulsat quæq; mouet.

Atq; hoc quidem verum esse in membris eiusdem generis fatetur

„ *Bell: manus enim non pendet à manu, nec oculus ab oculo, nec pes à pede, nec*
„ *auris ab aure: at in membris diuersi generis qualia sunt digitus, & manus,*
„ *& brachium, & humerus, & caput; digitus pendet à manu, manus à bra-*
„ *chio, brachium ab humero, humerus à capite.*

Atq; hic quidem non modicâ, sed magnâ fide opus est, vt credamus membra diuersorum generum sic dependere sicq; subijci, vt caput imperium in humeros obtineat eosq; deponere possit, vt humeri brachia, vel brachia manum, vel vt manus digitos priuare possit officijs proprijs. Ad propositum itaq; nihil facit ista vt neq; vlla alia similitudo *Bellarm.*

„ At potestas spiritualis & potestas Regia membra sunt diuersi ge-
„ neris in eodem corpore.

Distinctæ sunt potestates istæ, spiritualis & ciuilis; adeoq; si membra sint eiusdem corporis, diuersi generis sint necesse est, & mutuo nexu amoris & beneuolentiæ sic coniunctæ, vt vna alteram adiuuet vna alteri in suis imperet pareatq; nec tamen vna pendet, ab aliâ; quia quicquid ab alio pendet, sublato eo a quo pendet, statim cadat necesse est; vt sublato brachio vel manu, intercidunt digiti: At vero sublato Sacerdotio, stat potestas Laica, & sublatâ potestate Laica, stat Sacerdotium nulla ergo est dependentia, sed connexio siue mutua beneuolentia tantum.

„ *At in eodem corpore conueniunt, proinde necessariò debet aut subesse aut*
„ *præesse potestas Laica, ne sint in vno corpore duo capita.*

Mitte verò illud (aut) possunt enim in eodem corpore siue toto aggregato sic conuenire, & mutuâ charitate colligari, vt sine Anarchiâ aut confusione vllâ simul respectu diuersorum & subsint & præsint: potestas enim spiritualis præest in diuinis, in temporalibus subest, potestas temporalis in spiritualibus subest, in temporalibus præest: *Pontifex pater est Imperatoris in diuinis, Imperator pater est Pontificis in temporalibus:* Vt antiqua glossa, præ senio non antiquata, sed veneranda apud Cusanum.

Vide Driedonc de libert Christiana lib. 2. cap. 2.

Neq; vero monstrum erit, si in vno corpore sint duo capita; sic enim Papatus qui secundum in corpore Christi caput constituit gibbus erit, qui totam eiusdem symmetriam deformabit: Quod si reponas, Christus caput est verum & reale, Pontifex tantum caput est ministeriale fictumq;, nec hoc pulchritudini corporis Christi incõmodat; dicat ergo *Bellarminus* quid incommodi sit, si sub vno capite principali plura sint capita ministerialia, cum vnitas a capite principali magis dependeat, quam a capite ministeriali, & si caput principale ad vnitatem non

non sufficiat à quo omnis vita sensus motusq; deriuatur, minùs sufficiet caput ministeriale. *Quid enim?* Annon Deus, qui vita est, & anima totiùs orbis, caput est verum & principale eiusdem omniumq; hominũ? Mundus vero totus ciuitas est, & Domus, & Respub. Dei. An non in hoc mundo multa sunt diuersa ministerialia capita? An non singuli Reges & Imperatores in Regnis suis capita sunt ministerialia, sub Deo tanquàm Dij cõstituti? *Dixi Dij estis.* An non Rex *Vicarius Dei est*, vt *Eleutherius* & *Augustinus*, Deiq; vices in terris gerit, legis diuinæ custos & vindex, Dei minister, gladium portans in laudem bonorum & timorem malorum? Plures ergo Vicarij in mundo, sub vno Domino, Deo patre & Christo filio eius: plura capita ministerialia in mundo, sub vno capite principali sunt, sinè mundi deformitate: & Regna beata erunt *si parua, & concordi vicinitate latantia*: vti *August.* Entia enim quæ optimè Regi appetunt, optimè regũtur, Natura enim nihil frustra appetit. Quidni ergo in Ecclesiâ plura sint capita ministerialia, præsertim in diuersis generib⁹, sine deformitate corporis Christi; cum potestas Regia in suo genere principalis sit, sicùt in suo genere potestas Pontificia principalis est. Præsit ergo potestas Ecclesiastica in diuinis potestati ciuili; præsit itidem potestas ciuilis potestati Ecclesiasticæ in humanis. In eodem ergo corpore: i. Ecclesia, sunt pontificatus & Regnum, & Rex in Ecclesiâ est, non remanet extrà Ecclesiam, & subest in diuinis, & tamèn in humanis cum Imperio præest: nec ab inferiori suo, (sic sunt in Regno suo omnes Clerici in temporalibus, & sic etiam, inferior esset Pontifex Imperatori in temporalibus, nisi Princeps temporalis supremus ex dono & gratiâ Imperatorum esset) destitui aut deponi potest, in ijs in quibus inferior est, hoc est in temporalibus. At (inquit *Barclaius*) *Potestas politica & potestas Ecclesiastica sunt tanquam duo humeri, quorum neuter alteri in suis subijcitur, sed subijcitur vterq; vni capiti Christo. Hoc* (inquit *Bellarm.*) *non solum falsum sed hæreticum.*

Hom. 2. ad pop. Antioch. Nonne Chrysostomo Theodosius caput hominum, Ludouicus Agobardo caput orbis?

De Ciuit. Dei, lib. 4. c. 55.

Bilem mouerat Cardinali quod dixerat *Barcl.* duas potestates duos esse humeros, acsi potestates istæ eiusdem essent generis: Duæ potestates Regiæ vt duo sunt humeri: at potestas Pontificia vt caput est quod imperat, potestas vero Regia vt manus est, quæ carnificis agit partes, mandata Põtificis & nutus obseruat. Hoc *Bell.* placet. Grauiter ergo succensebit Cardinalis *Autori Somnij viridarij*, qui in hoc corpore pontificem caput esse à quo omnis sensus supernus motusq; naturalis, Regem verò non brachium, non manũ, non digitũ, sed cor esse statuit à quo omnis vita, motusq; & nutrimentum naturale, de quarum partiũ primatu, vtra sci). sit sedes thronusq; animæ, & primũ principiũ vitæ, sic cõtendit schola Medicorũ Philosophorũq; sicut contendunt de primatu Sacerdotis & Regis Theologorũ & Canonistarũ scholæ.

Lib. 1. c. 44.

Si *Barcl.* falſus & *hereticus*, qui has duas poteſtates duos humeros dixit, quid illi qui has duas poteſtates vt caput & cor huius corporis dixerunt? Et tamen ſuccenſeat, ſtomachetur, & indignetur *Bell:* Rex in Regno, vt ſol eſt in cœlo, vt anima in homine, vt cor in corpore, qui omnibus & legibus & Magiſtratibus vitam & motum, & energiam confert. Quid verò Hugo tuus? An illi ſuccenſere audes, qui idem pluſq; quam *Barcl.* in hâc cauſâ dixit. *Huius corporis, latus ſiniſtrum ſunt Laici, qui terrena curant, latus dexterum ſunt Clerici, qui ſpiritualia miniſtrat.*

De ſacram fid. l.2. parte 2. c.3.

Si Laici & Clerici ſunt vt duo latera, in latere ſiniſtro Rex humerus erit, quia ſupremus, in latere dextero Pontifex humerus item erit, qui nec ſuperiorem cum *Cæſare*, nec parem cum *Pompeio* ferre poteſt; Idem igitur dicit *Hugo* quod *Barcl. Terrena poteſtas caput habet, Regem, ſpiritualis poteſtas caput habet ſummum Pontificem.* Sic *Hugo.* Eccè, ſunt duo capita, vt & duo latera: nec licet *Bell:* contra teſtem ſuum *Hugonem* in hoc ipſo capite excipere. Aut ergò falſus *Hugo*, aut verum dicit *Barcl.* non falſum. *Vicariatus eius* (Pontificis) *eſt in diuinis & in diuino dominio, non in humanis, nam hoc eſt falſum, quod Imperium terrenum ſit datum Apoſtolico, imò eſt ademptum*: Sic *Antonius* de Roſellis; *Non ſunt duo Vicarij, quia Pontifex & Clerici non ſunt de mundo, ſicut nec Chriſtus fuit de mundo. Ideò Imperator ſolus dici debet Vicarius Dei in terrenis, & in diuinis Pontifex, quæ non ſunt de mundo, licèt ſint in mundo.* Et iterum, *Reſpectu eiuſdem regiminis non poſſunt duo Vicarij ordinari; reſpectu diuerſorum regiminum poſſunt Vicarij diſtincti ordinari, vt Epiſcopus alium ordinat Vicarium in Temporalibus, alium verò in Spiritualibus & vnus ab alio non dependet, ſed tantum ab Epiſcopo quilibet eorum habet dependentiam.*

Monarch. p.1. ca.41.

Non eſt ergò falſum, quod à *Barcl.* dictum eſt, quia poteſtates iſtæ duæ ſacerdotalis & Laica, vt duo humeri ſunt, vel duo latera, vt duo capita, vt duo Vicarij, ſub vno capite & Domino Chriſto, in quo ad monadem reducuntur. Et ſi falſum non ſit, nec hæreticum eſſe poteſt: Si verò omnes hæretici ſint, qui Pontificem ſummum negant eſſe caput viſibile huius corporis, *ſcil:* Eccleſiæ: plures certè ſunt hæretici quam Orthodoxi: in hoc enim articulo non ſolum conueniunt Proteſtantes, qui numero pares ſunt Pontificijs, ſed & Græci, alijq; omnes qui nomen Chriſti profitentur, paucis Romanenſibus exceptis, qui ad vnitatem Eccleſiæ non ſufficere Chriſtum caput principale aſſerunt, niſi ei ſuppetias ferat pontifex caput miniſteriale. Sed iſta miſſa faciamus: demus quod antiqua Eccleſia non dedit, quod Græci hodiè non dant; ſit pontifex veſter caput viſibile Eccleſiæ vniuerſalis; ſit cuſtos omnium vinearum, qui ad cuſtodiam vnius vineæ non ſufficit; ſapiat ſuprà hominem, qui ſibi ipſi non ſapit, incarceretur Sp. ſanctus in ſcri-

nio

nio pectoris pontificij (quamuis vbi vult spiret, non vbi vos vultis) ascendat super tripodem & declaret ille, qui intrauit vt vulpes, rexit vt *Leo*, mortuus est vt canis; cui in die Iudicij dicet Iudex, quomodo intrasti, quomodò vixisti, quomodo rexisti; dicat inquam *Bonifacius* 8. esse de necessitate salutis subesse Romano Pontifici; sit Pontifex vester Princeps spiritualis supremus, in spiritualibus primatum obtineat, dicat tamen *Bell.* quo modo ad hæresim pertineant, quod *Barcl.* asserit, potestatem *scil.* regiam & Sacerdotalem, tanquam duos esse humeros in corpore Christi? Quid enim? An Patres, an Concilia Primitiuæ Ecclesiæ, primatum hunc huius capitis visibilis docuerunt decretisq; suis sanxerunt? An primatũ in spiritualibus sequitur primatus in temporalibus? an qui primatum in temporalibus Pontifici detrahit, primatum etiam in spiritualibus & visibilitatẽ capitis detrahit? Si duos humeros, duo latera, duo capita, vnũ in spiritualibus, in temporalibus alterum statuere hæresin sapiat, confidenter dico, omnes Patres hæretici sunt, qui primatũ *Cæsari* in temporalibus tribuunt; omnes Catholici, Parasitis quibusdam & adulatoribus exceptis hæretici sunt: imò multi pontifices (id quod totis viribus diluere conatur *Bell:* sed frustra) hæretici erunt. Dicat vero *Bell:* in quo Concilio primitiuæ Ecclesiæ decretum extet de visibilitate huius capitis ministerialis: posteriora Cõcilia in causis fidei, nouitatis suspecta sunt: Dicat, in quo cõcilio decretum sit, primatum in temporalibus appendicem esse primatus in spiritualibus: Dicat, in quo Concilio legitimo, generali, non suspecto, nõ facto, non suppositicio, decretum sit, de potestate hâc depositionis: in Concilijs factum video, decretum non video. Lateranense verò suppositicium & spurium est vt ipsa Concilij decreta loquuntur. Calumnia ergo hæc est Cardinale digna, in quem recte retorquetur. Sit ergò potestas Sacerdotalis vt spiritus, sed qui potestatem Regiam in spiritualibus animat & viuificat, in tẽporalibus non viuificat; quia in temporalibus Rex anima est, & vita Regni & Dominij: dirigat etiã potestas spiritualis temporalem in temporalibus (si *Bell:* placet) & pœnis & censuris suis. i: Spiritualibus corrigat, at pœnis & censuris non suis, *i.* temporalibus (talis est depositio) non castigabit. Audi vero quid de hâc re dicat *Antonius* de *Rosellis*. *Quæ non sunt vnius rationis vnum non reducitur ad aliud: Sed spiritualis & temporalis Iurisdictio non sunt eiusdem rationis; vna ergò ad aliam non est reducibilis. Quæ distincta sunt in se, & ad distinctos fines ordinantur, vnum non est ab altero, vt est Imperium & Papatus; & ideò vnũ non debet ab alio ordinari; imò immediate reducuntur ad aliquod certum: Et hic Deus, à quo immediatè sunt Papatus & Imperium: Et ideò Deus æternus duos constituit vicarios, vnum in spiritualibus, alium in temporalibus. Et cum dicis: Ergo supponis in terris duos Vicarios, & sic duo principia & hoc est hæreticum, sit præcedens responsio: Quod licet Vicariatus Papæ sit* Loco supra citato.

in mundo, non tamen censendus est de mundo, per predicta. Si quæ hæresis sit in hac assertione *Barclaianâ*, hæc est: quod duo statuat principia; vnum bonorũ, malorũ alterũ, vt olim *Manichæi*. Et principatus siue principiũ regale vel Imperiale principiũ est bonũ & bonorũ, & à Deo. Aut ergò Principatus siue principium spirituale (Romanense & Pontificale tale quale hodie est) malum erit, & malorũ, & à Diabolo; aut duo principia hæc non sunt. Imò verò principiata hæc sunt non principia, ab alio, à Deo *scil:* non à se orta: Et licet plura non sint principia, at principiata plura esse ab vno principio necesse est.

Lib. 1. cap. 38. *In homine* (inquit author somnij viridarij) *caput est in quo discretio & sensus: & cor in quo principium sanguinis & vita corporalis. Sic vnũ est principium & corpus, in quo caput est Pontifex Romanus, cuius officium est versari circà maiora, scil: spiritualia solum; quia per discretionẽ & sapientiam debet membra Ecclesiæ dirigere ad opera salutis: vnde ad ipsum tanquam ad caput spectat omnibus fidelibus dare sensum discretionis; In isto principiato est cor scil: Rex: cuius officium est per venas ad singulas partes corporis substantiam temporalẽ deferre, & de ipsâ ordinare. Et sicut caput non debet sẽ de officio cordis intromittere, nec è contra, sic nec Romanus Pontifex de temporalibus debet se intromittere, nec Rex de spiritualibus, ne alteruter eorum falcẽ imponat in messem alienam: Extra de Iudic: c: Nouit.* Hæc author Somnij viridarij.

9 At instat *Barcl.* & contra *Bell. Bell:* ipsum vrget: *respondet Bell: argumento Lutheranorum Synodi Smalchaldicæ, quo vrget Papam se Deum facere, cum nolit ab vllo iudicari.*

Vitiosam hanc consequentiam ostendit *Bell:* argumento ducto à Regibus, qui & ipsi quoq;, nullum in terris judicem habent, quantum ad temporalia. *Reges terræ* (inquit) *certè nullum in terris judicem, quod ad res politicas attinet, agnoscunt: num igitur tot erunt Dij, quot sunt Reges. Contraria hæc sunt: Non habent Iudicem in terris, & Pontifex de Regibus judicat, etiam quoad res politicas.*

Duo hic respondet *Bell:* i. *Innocentius* dicit; *Reges in temporalibus non habere superiorem, & tamen idem Innocentius Othonem 4. Imperatorem deposuit. Audet ne Barcl. Innocentium tanquam secum pugnantem arguere? Ego cum tanto Pontifice reprehendi molestè non feram.* Et quidni audeat *Barcl. Innocentium* contradictionis arguere: Capocius autem *Innocentiã* eiusdem insimulauit vt ex *Fulgosio* antea apparet: Sedit *Innocentius* in Cathedrâ non *Mosis*, sed *Petri*. Quæ dicunt (inquit Christus) de ijs qui in Cathedrâ *Mosis* sedent, facite, at iuxtà facta eorum ne faciatis. An hoc est inter cætera, priuilegium sedis *Petri*, vt Pontifices ea omnia, eaq; sola faciant quæ dicunt, quæq; docent? Sine peccato ergò sunt omnes Pontifices, quia nullus eorum potest docere peccatum; non enim possunt errare in doctrinâ fidei & morum. Quid verò? An Pontifex errare non potest in facto? Et contrarietas ista non est inter

dicta

dicta siue dogmata *Innocentij*, sed inter dictum & factum *Innocentij*: dixit verè, *Rex non habet superiorem à quo iudicari & puniri possit in terris:* ut in *Psalm.* 50. Dixit verè. *Rex non agnoscit superiorem in temporalibus:* ac malè fecit cum *Othonem* 4. deposuit; si deposuit; nec enim *Otho* 4. Imperator fuit verus, sed ab *Innocentio* Imperator positus super Imperatorem, (fortè imperatores, vt suo loco dicetur.) Instituit *Othonem* 4. Imperatorem sinè suffragijs Electorum, sine vllo jure, jurisuè formâ; eodem jure eundem *Othonem* creaturam suam destituit, quo instituerat creaueratq; (Præterea non facit *Innocentius* contrà quod docuerat, in *Othonis* depositione, dicit enim in *Psalm.* 50. de *Dauide*, quod Iudicem in terris non haberet, à quo puniri possit: ideò Deo soli peccauit, non Pontifici: at Reges in Euangelio Deo peccant, & Pontifici; adeoq; à Pontifice castigari & in ordinem cogi possunt: sic ergo docuit *Innocentius*, sic & fecit: verum non placent ista *Bellarmino*: Audet *Bellarminus Innocentium* pontificem, *Turrecrematam* Cardinalem, *Paludanum* Patriarcham reijcere, cum in Lege veteri *Athaliam* & *Oziam* à *Iehoiadâ* & *Azariâ* summis pontificibus depositos fuisse arguit: proprium est pontificum Euangelicorum deponere Reges Christianos, qui Deo & pontifici peccant, sic *Innocentius*; commune est omnibus pontificibus & Legalibus & Euangelicis, Reges Legales & Euangelicos deponere: sic *Bellarminus*; Reprehendit *Innocentium Barclaius*, exemplo *Bellarmini* tutus, qui prior *Innocentium* reijcit. *Innoc. in pœnitent. 4.*

Sed *Innocentium* missum faciamus, ad *Bell:* accedamus; qui non Cathedræ *Petri* sessor sed Assessor tantum, cõfiliarius non princeps, Cardinalis non pontifex: An Cardinalis hoc est priuilegium, vt nunquam sibi contradicat? An *Bell?* Nondum deleuit contradictiones illas, quas ipsi obijcit Doctissimus & Illustriss: *Iacobus, Magnus, Magnæ Britanniæ Rex*, confirmauit verò literatissimus Episcopus Eliensis: aut non respondit argumento Smalchaldico, aut pontifex suus judicari potest in terris, aut contradicit sibi.

Pontifex Deum se facit, cum nolit ab Ecclesiâ, aut ab vllo judicari. Deum se non facit, etsi nolit ab Ecclesiâ aut ab vllo judicari: quia Reges se Deos non faciunt, nec tamen Iudicem in terris superiorem habent. Hic verba tua repono: Iudicem habent in terris, in politicis, si res politicæ spiritualibus officiant. At responsio illa Smalchaldicæ obiectioni non satisfacit: quià Reges judicem in politicis habent, cum politica spiritualibus officiunt; ideò se Deos non faciunt, quià pontificem supra se agnoscunt cum spiritualibus officiunt; pontifex autem, quia Iudicem in terris neminem agnoscit, nec directè nec indirectè, nè tunc quidem cum spiritualibus officit; Deũ se facit, vt docent *Lutherani*. Dei officia reseruata vsurpat. Mihi vindictã (inquit Deus) Ex

pontifex

Pontifex vindicat: Deus Iudex est: hunc humiliat & hunc exaltat: vouete Domino & reddite, terribili, & ei qui aufert spiritum principum, terribili apud Reges terræ. An non Pontifex tuus hæc eadem munia & officia Dei vsurpat? Ego Iudex Regum, vnum humilio, alterum exalto, ego spiritus principum aufero (aut moriar aut Regnum animumque auferam, *Henrico*, inquit, *Gregorius*, *Frederico Innocentius*) terribilis apud Reges terræ.

Quid si hoc non sequatur? Reges certe Iudicẽ in terris non agnoscunt superiorem in politicis, à quo puniri possunt temporaliter, ne tunc quidem cum politica spiritualibus officiunt; alias vana est hæc instantia de Regibus, quod Reges Iudicem superiorem in politicis non agnoscant aliquando: i. cum politica non officiunt spiritualibus, agnoscunt vero aliquando. i. cum officiunt: Pontifices vero nunquam superiorem Iudicem in terris agnoscunt, ne tunc quidem cum ipsi spiritualibus officiunt; Pontifices ergo se Deos faciunt, Reges se Deos non faciunt.

„ *Reges non habent Iudicem in terris quoad res politicas siue in temporali-*
„ *bus, dùm eorum regimen. ita intrà res politicas & temporales se continet, vt*
„ *spiritualibus non officiant.* Sic Bell.

Nobis vero non licet esse tam disertis, tam subtilibus, vt ista distinguamus; quid enim ista sibi volunt, Regimen politicarum & temporalium rerum, quandoq; officit spiritualibus, quandoq; non; quando hoc quandoq;? cum benè reguntur temporalia tunc non officiunt, cùm malè disponuntur, officiunt: omne enim malum, omne peccatum officit spiritualibus, & peccatum non solum in criminalibus, sed etiam in ciuilibus, nam aut actor, aut reus in ciuilibus peccat, vndè res politicas malè necesse est regi; cum peccata, quæ officiũt spiritualibus frequenter accidant: semper ergò, etiam cùm regimen politicum intrà res politicas & temporales se continet, Reges Iudicem habent in terris, & pro quovis peccato in politicis deponi possunt. Quid vero? An cum bene disponuntur temporalia, Reges non habent Iudicem superiorem in temporalibus, qui eos præmiet, cùm malè disponuntur, Iudicẽ & vindicem habent? *Paulo*, potestas sublimior, siue Iudex, siue princeps supremus, non solum vindex est portans gladium in pœnam malefactorum, sed etiam remunerator est in præmium bonorum; præmium & pœna pariter ad eundem Iudicem spectant; eiusdem est præmiare bonos, cuius est ferire malos. Si ergo Reges, qui per politica officiunt spiritualibus Iudicem habent, etiam Reges qui non officiunt itidem habent Iudicem: Quid, quod Pontifex se Iudicem ordinarium Regum venditat, & non extraordinarium?

Rom. 13.

Quorsùm verò nouam hanc subtilitatẽ, siue subtilem nouitatem hic prodit *Bellar.* contrà *Barcl.* quam tamen prodidisse oportuit in nu-

pero

pero suo in Psalmos commentario, vbi hoc ipsum simpliciter & disertè affirmat, *Reges superiorem in terris Iudicem non habere à quibus puniri possint?* Quorsum in causa fidei, in commentarijs & sensu scripturarum enucleando, hanc veritatem æquiuocam reticet? An alius est sensus commentantium, alius controuertentium? Fortè posteriores cogitationes saniores sunt; saltem in illo opere nuperrimo, nouam hanc subtilemq; distinctionem explicasse sic oportuit, vt omnes contrà sentientiũ rationes tolleret. Cœterũ demus hæc fragili memoriæ Cardinalis, qui in commentarijs oblitus est, eorum quæ in controuersijs dixerat. *In Psalm. 50.*

3. *Reges supremi, non habent superiorẽ in temporalibus Principẽ temporalẽ, sed spiritualem Iudicẽ:* hanc responsionẽ suprà confutauimus: non enim confert *Innocentius* Regem *Francie* cùm alio Rege temporali, sed cum seipso, summo Pontifice: adeoq; agnoscit seipsum, summum scil. Pontificem, in temporalibus superiorem non esse Rege *Francie*.

Qui verò judicat deponitq; superior esse debet eo, quem iudicat deponitq; in eodem genere, aliàs fines alienos inuadit, falcemq; suam in messem alienam intromittit. Pontifex princeps est in temporalibus, sed non est temporalis. i. *Robertus Bell.* Cardinalis in spiritualibus, sed non est Cardinalis spiritualis. Hæc vasium & versipellem decent, *Bellarminum* non decent.

Quod verò asserat *Bellar.* non rectè affirmari, *Spiritualia pendere à temporalibus.* Si hoc verum sit, malè ergo dixit *Nicolaus.* 1. Pontifex, *Pontifices pro cursu temporalium tantummodò rerum Imperialibus legibus vti, sicut Imperatores Christiani pro vitâ æternâ Pontificibus indigent.* Quid enim? An non Spiritus corpore indiget, tanquam organo, sicut corpus indiget spiritu tanquam forma? An spiritualia sine temporalibus sustentari & defendi possunt? Potestas spiritualis, si à temporali potestate destituatur, nuda erit & cito cadet, sicut potestas tẽporalis, si pabulo cœlesti caret, fame perit spirituali. Spiritualia ergo sic pendent à temporalibus, vt nec florere, nec diu sine ipsis permanere possint.

De nominibus *Directè* & *Indirectè*, quæ non modum executionis, sed ius acquisitionis designant supra diximus capite 5.

Sequitur tertia confirmatio, siuè argumentũ. 3. quod est huiusmodi. 10

Si temporalis administratio impedit spirituale bonum, omnium iudicio tenetur Princeps temporalis, mutare illum modum administrationis, etiam cum detrimento temporalis boni: Ergo signum est, subiectam esse temporalem potestatem spirituali. Sic Bellar.

Hic pro demonstratione signum tantum protulit Bellar. Et ratio hæc à signo docet, spiritualia digniora esse temporalibus, non autèm potestatem temporalem spirituali subiectam esse. Sic Barcl.

Non est novum nec insolitum, post demonstrationes adferre quoque argumenta à signo. Sic *Bellar.* At novum & insolitum est, pro demonstrationibus

nibus ſigna tantum afferre. Verum vbi ſunt demonſtrationes, poſt quas argumenta à ſignis ſubiungit: rationes enim præcedentes vix probabiles, quià planè falſæ ſunt: Regnum enim & Eccleſia duæ ſunt Reſpub. duæ communitates, nexu benevolentiæ, non ſubiectionis coniunctæ: & Eccleſia Regno ſubijcitur in temporalibus, ſicut Regnum Eccleſiæ in ſpiritualibus: & aut diuerſi ſunt fines vltimi, ſic neuter alteri ſubijcitur, aut idem eſt finis ſpiritualium & temporalium, ſcilicet æternum bonum, & proinde ſubordinatio nulla. Et membra cõnexa ſunt, nec tamen vnum membrum in alterum imperium habet, ſed anima omnia membra mouet & regit: & Rex caput eſt, & humerus, & latus ſiniſtrum, & cor in rebus temporalibus: ſicut Pontifex caput eſt & humerus, & latus dextrum in ſpiritualibus.

Verùm eſto: Rationes Cardinalium & doctorum Cathedraliũ, licet falſæ, licet parùm probabiles, demõſtrationes ſint, rationes tamen Cardinalis magni exhauſtæ erant, cum inter demonſtrationes argumentũ à ſigno collocavit. Verum argumentum ipſum à ſigno conſideremus, & ſimile adiungamus. Si temporalis adminiſtratio priuati cuiuſquam impedit ſpirituale bonũ proximi ſui, omnium iudicio tenetur priuatus quiſq; mutare modũ illum adminiſtrationis, etiam cum detrimento temporalis boni: id enim regula poſtulat charitatis; Ergo ſignum eſt, priuatũ quemq; proximo ſuo ſubiectũ eſſe. Imò verò ſignum non eſt, quod priuatus priuato proximo ſuo ſubijcitur: tenetur enim quiſq; ſic ſua adminiſtrare bona temporalia, vt aliorũ bonũ æternũ ſiue ſpirituale non impediat: vt Sanctus *Paulus* Apoſtolus, non vult cibum quandiu vixerit guſtare, potiùs quam ſcandalizet infirmum fratrem: & tamen *Paulus* non erat infirmo fratri ſubiectus, ſed Præſul, & paſtor animarum: Imò ſummus ipſe Pontifex ſic tenetur res ſpirituales adminiſtrare, vt nec Imperatoris, nec minimi cuiuſquam fratris infirmi bonum ſpirituale impediat; tenetur etiam mutare formam adminiſtrationis ſuæ, potiùs quam ſcandalum dare fratri infirmo; (de ſcandalo loquor dato non accepto:) nec tamen ſequitur, quod Pontifex aut Imperator, aut Rex ſubijciatur priuato cuiquam. Ecce quale ſignum producit magnus noſter Cardinalis, quo Pontificem, Imperatorem, Regem cuilibet ſubdito ſuo ſubijcit: ſubiectione ſcilicet voluntatis & charitatis, non neceſſitatis aut poteſtatis.

1 Cor. 8. 13.

Quod verò ad conſequentiam attinet: *Tenetur Princeps politicus mutare adminiſtrationem ſuam ſi obſit bono ſpirituali. Ergo bonũ ſpirituale nobilius eſt & dignius temporali*; vt cõcludit *Bard.* non ſequitur abſolute, inquit *Bellar.* Quid hoc ad rem, ſiuè ſequatur abſolute & ſimpliciter, ſiuè ſecundum quid & per accidens: modò verum ſit quod ſequitur, & vi cõſequentis & vi cõſequentiæ: verùm non tam ſequitur, quam precedit illud, quod infert *Bell.* Non enim, quia tenetur princeps politicus

mutare

mutare administrationem suam, si bono obsit spirituali, ideò spiritualia digniora sunt & nobiliora temporalibus, sed è contra: quia spiritualia digniora sunt & nobiliora temporalibus, ideò tenetur Princeps politicus mutare administrationem suam, si bono spirituali obsit: quæ enim digniora & nobiliora, ea præcipuè appetenda & quærenda sunt: bonum enim & finis est, quod omnia appetunt; & quæ proximè accedunt vel perducunt ad bonum vltimum & æternum, magis appetenda & quærenda sunt, quam quæ remotiora sunt. Etsi verò pax temporis & pectoris, vtraq; perducant ad pacem æternitatis, pax tamen pectoris, propriùs accedit ad pacem æternitatis: spiritualia & temporalia vtraq; perducunt ad æterna, sed propriùs attingunt spiritualia quam temporalia: digniora itaq; & nobiliora sunt.

Consecutio verò *Bell*: non valet.

Tenetur Princeps politicus mutare administrationẽ suam, si bono spirituali obsit: Ergo ad bonum spirituale ordinatur bonum temporale vt ad finem suum.

Temporalia enim ordinantur vt inseruiant homini: homo verò ordinatur, vt hinc per bona spiritualia animæ, illinc per bona temporalia, quæ, vt viaticum corpori inseruiunt, ad cælestia & æterna perueniat. Et spiritualia, & temporalia tanquam duæ lineæ, ad vnum centrum æternitatis diriguntur, in quem finem à Deo creata sunt, &, naturâ duce, homini tanquam Domino inseruiant, & homo ipse, cum in finem temporalibus vtitur, vt pascatur & vestiatur, quo Deo in hâc vitâ famuletur, & in vitâ futurâ, æterna beatitudine, hoc est, visione Dei fruatur. Hic vsus est temporalium verus, abusus verò abusiuè finis dicitur. Et bonum ergò spirituale, & bonum temporale ad bonum æternum ordinatur: & sicut tenetur Princeps politicus mutare administrationẽ suam, si bono spirituali obsit, sic & Princeps spiritualis tenetur administrationẽ suã mutare, si bono itidẽ spirituali & æterno obsit: quod si faceret Pontifex Romanus, falcem suam in messem Regum non intromitteret, nec Regum depositionem aggrederetur, quæ tantopere bono spirituali & æterno obest, & magnum tum *corporum* tum *animarum* periculum, vt *Otho Frisingensis*, ambitiosis ex dominandi cupiditate excitat.

Quod verò vrget *Bell*: mutationem hanc administrationis temporalium, ad quam tenetur Princeps temporalis, si spiritualibus officiat, non ex dignitate vel nobilitate boni spiritualis, sed ex subordinatione oriri, in eo totus errat: Si enim necessitas esset ratione potestatis superioris, dixisset *Bell*: potest Princeps spiritualis cogere Principem politicum, vt administrationem suam bono spirituali aduersantem mutet: at hoc non dicit in hac ratione suâ: solum contentus est dicere: *Tenetur Princeps politicus mutare administrationem suam:* tenetur ex debito officij sui, tenetur ex regulâ charitatis, quæ bonum proximi

procurare:

procurare debet, aut ſaltem non impedire. At ſi dixiſſet, poteſt Princeps ſpiritualis cogere Principem politicum ad mutationem adminiſtrationis ſuæ, quæ bonum ſpirituale impedit, Sophiſtam egiſſet, miſere principium petijſſet; ſolùm affirmaſſet quod probandum, imò demonſtrandum erat. Et ratio iſta, quia naturalis eſt, & à lumine naturali petita, æqualiter valeret in Principibus Ethnicis & Chriſtianis: ſicq; poteſt Pontifex cogere Reges infideles ad mutationem adminiſtrationis ſuæ, ſicùt cogere tentat Chriſtianos. Ratio enim naturalis in Regibus naturæ lege regnantibus æque valere debet, ſicut in Chriſtianis valet: & eodem debito, eâdem lege, tenentur Principes Ethnici mutare adminiſtrationem ſuam, quandô temporalia obſunt ſpirituali bono, quo tenetur Rex Chriſtianus: & quia non mutant, pœnas dabunt Reges Ethnici æternas. Mutatio ergo iſta, ex neceſſitate officij et debiti Regij pendet, non ex ſubordinatione ſiuè poteſtate ſuperioris cogentis. Religio enim ſuadenda eſt, cogenda non eſt. Concludo ergo cùm verbis *Iſidori*, à *Barcl.* citatis, quibus non reſpondit *Bell. Siuè augeatur pax & diſciplina Eccleſiæ per fideles Principes, ſiuè ſoluatur, ille ab ijs rationem exiget, qui eorum poteſtati Eccleſiam ſuam tradidit.* Doceat & ſuadeat Pontifex, corrigat etiam cenſuris ſuis. i. ſpiritualibus; ac cogere ſolus poteſt ille per quem Reges regnant.

Hilarius contrà Conſtant.

CAP. XV.

Exemptio Clericorum non eſt de Iure naturali, Moſaico aut Euangelico, ſed ex gratia Principum.

Digreſſio 1.

1. *Exemptio iſta nullibi obtinet.* 2. *Subiecti Clerici de Iure naturali.* 3. *In lege Moſaica.* 4 *In Euangelio.* 5. *Idem probatur teſtimonijs Patrum & Scriptorum.* 6. *Idem probatur teſtimonijs Imperatorum.* 7. *Idem probatur praxi Imperatorum.* 8. *Regum Franciæ.* 9. *Regum Angliæ.* 10. *Exemptio hæc ex gratia Principum.* 11. *Deducitur hæc exemptio de Iure diuino naturali ſolum per ſimilitudinem, & per quandam æquitatem Sacerdotum Ægypti, & Leuitarum: & quomodo* liberi ſunt filij. 12. *Clerici ſubijciuntur coactioni legum ciuilium.* 13. *Clerici ciues ſunt & partes Reipublicæ idcò ſubiecti ſunt.* 14. *Sententia*

14. *Sententia Gregorij de exemptione iſta: & an Mauritius Tyrannus fuerit* 15. *Solomon Abiatharem depoſuit.* 16. *In veteri Teſtamento ſumma poteſtas erat temporalis.*

IN hoc Capite agendum eſt de ſomnio & Chymera: id eſt de exemptione Clericorum, de qua in libris Pontificiorum, & Canonibus Pontificum reperiuntur multa: ſed in legibus Regnorum municipalium, & moribus hominum plane nihil reperias: Quid enim? an quia legibus, & Canonibus pontificijs eximuntur clerici à poteſtate Iudicum & Magiſtratuum ſeculariũ, ideo etiam exemptione iſta gaudent? An exemptæ ſunt, & perſonæ & poſſeſſiones clericorum, à Iudicibus ciuilibus, aut in criminalibus, aut in Ciuilibus in Hiſpania? in qua vti *Bannes, priuilegio Pontificis ſubduntur legibus ciuilibus.* An *Curia parliamenti Pariſienſis* liberos & immunes clericos in criminalibus aut ciuilibus dimittit? Quid in *Anglia* factum ſit narrant Hiſtoriæ & Annales noſtri vt ſuo loco videbimus: apud *Venetos* quæ vigent circa crimina clericorum toti orbi teſtatiſſima ſunt: Quid in alijs *Italiæ* prouincijs fiat norunt *Itali*: Quid in ipſa *Roma* & patrimonio *Petri* fiat, vbi ſacerdotes & Monachi laqueo vitam finiunt, etiam non degradati notius eſt *Bellarmino*, & alijs curialibus, quam nobis Anglis, quos tamen non latet iſta ibidem fieri. Et Pontifex non quâ Pontifex, ſed quâ Princeps politicus, pœnis ciuilibus, & morte, clericos mulctat: Quod ſi Pontifici Romano, quatenus Princeps eſt politicus, licitum ſit, carceribus, exilio, morte, bonorum confiſcatione, Cardinales, Epiſcopos, Sacerdotes alioſq; clericos caſtigare: ſi Pontifici licitum ſit, Cardinales et Epiſcopos mulctare ſicut factum eſſe narrat *Theodoricus à Niem*, vtne quid grauius inquiram de modo: quid obſtat quo minus idem alijs Principibus licitum ſit, in Regnis ſuis, quod Pontifici tanquam Principi politico in territorio ſuo licitum eſt. 1

M. 2. 2. Bannes q. 67. art. 1. Iudicis iniuſtitia Concl. 6.

De ſchiſmate lib. 1. c. 56. & 60

Si Pontifex exemptionem clericorum factis neget, etſi verbis aſtruat, quidni, et alijs principibus politicis liceat exemptionem clericorum reipſâ et factis denegare, etſi eandem exemptionem doceant et vindicent mille *Bellarmini*? De Mathematicis dictum eſt apud Tacitum, *Genus hominum eſt quod ſemper vetabitur, & ſemper retinebitur.* De hac exemptione dici poteſt ſemper docebitur, nunquam obtinebitur: nunquam enim patientur Principes Chriſtiani, vt tot clerici in ſuis regnis, ſub eorum protectione degant, omniaq; beneficia regni percipiant, et ipſis nullam fidelitatem, ſubiectionem nullam, nullum tributum, cenſum nullum pendant, Theorica eſt hæc poteſtas exemptionis, et mere fruſtranea, qui nunquam in actum reducta eſt, nec vnquam reducetur.

Antequam

& alij multi ab ijs Regibus: Occidit *Saul* multos è sacerdotibus Domini in *Anathot*: Iniusticiam *Saulis* reprehendunt omnes, an exemptionem hãc quisquam sacerdotum vrget? *Ioas* occidit *Zachariam* filium *Iehoiadæ*, non recordatus misericordiæ quam fecerat pater illius Iehoiada secum: sed interfecit filium eius: Ingratum & Iniustum *Ioam* prædicant omnes, an quisquis priuilegiorum & exemptionum siue Immunitatum Ecclesiæ violatorem arguit? An libertatem Ecclesiæ ignorabant sacerdotes isti? vt nullus eorum dicere ausus sit; non habes in sacerdotes Dei Imperium: potestati tuæ subditi nõ sumus, filij sumus, liberi sumus, deerat inter eos *Emanuel Sa*: qui ipsos doceret, *non posse sacerdotem crimen maiestatis in Regem committere, quia eidem subditus non est*, sicut subditi alterius Regis crimen maiestatis in Regem alienum committere non possunt: deerat illa ætate, *Thomas Becketus* qui Regi *Henrico* 2. propter libertates & Immunitates Ecclesiæ, in faciem tanquam rebellis & perduellis resisteret & tumultuaret: Deerat Pontifex qui huiusmodi libertatis Ecclesiasticæ vindices & assertores in Canonem sanctorum referret: si tales extitissent Clerici & sacerdotes, aliqui eorum se holocaustum pro libertate & exemptione Ecclesiastica offerret: verum enim vero non deerat illis animus, sed deerat ius & potestas. Restiterunt sacerdotes *Oziæ* sacrificanti, & incensum adolenti, qui officium sacerdotale, quod ne Regi quidem licitum erat inuasit: restitissent vtiq; sacerdotes & *Solomoni Abiatharem* deponendi, & *Ioæ Zachariam*, interficiendi, si a subiectione Regum liberi extitissent.

2. Paral. 24. 22.

In Aphorismis.

Extant duæ leges Iudiciales: altera de blasphemo, altera de Idololatra occidendo: Si quis quærat, penes quem potestas erat vitæ & necis: ad Regem siue Iudicem secularem spectasse nemo negat, qui politeiam Iudæorum norit: *Rex enim & custos & vindex vtriusq; tabulæ*: vt omnes fatentur: Hic quæro, si sacerdos aut blasphemus aut Idololatra esset: a quo erat puniendus? si a Rege, vt *Iehu* occidit prophetas *Baal*, sacerdotes ergo, & clerici tempore legis Mosaicæ, a potestate Regum exempti non erãt: sed eidem potestati Iure diuino naturali subditi, & pœnis ciuilibus in criminalibus per Regem castigandi: si non a Rege, sed a sacerdote, sacerdos ergo habebat potestatem vitæ & necis apud Iudæos, quod ab omnibus negatum est: & textus ille aperte docet, non ad pontificem siue sacerdotes, sed ad Iudicem, pœnam mortis spectare. Et Ecclesia clericis facinorosos non occidit sed sub arcta pœnitentia conseruabit.

Etsi verò multi ijq; insignes Pontificij asserunt, sacerdotes & clericos in spiritualibus de iure diuino naturali exemptos fuisse a potestate seculari, idq; non sine ratione protsus dicatur, quia ad sacerdotes spectant spiritualia, quæq; sunt ordinis: & in ijs nihil possunt Reges Laici, in illis tamen quæ non erant ordinis, quęq; ad exteriorem administrationẽ & religionis reformationem spectabant, Reges hanc potestatẽ habebãt, vt per cẽsuras

vocatio quenquã a statu suo, in quo vocatus est eximat, *vnusquisq;* inquit, *in eo statu permaneat in quo vocatus est:* subditus vocatus es ad Apostolatũ, vel presbyteratum? in eodem statu subiectionis permane. Vocatio diuina, neminem eximit a statu suo, in quo vocatus est: Lex Christi neminem priuat Iure suo: Ius habuit Imperator, in personam & bona tua, antequam ad Apostolatum vel presbyteratum vocatus es: Ius ergo habet in personam & bona tua, postquam ad Apostolatum vel presbyteratum vocatus es, aut lex Christi Reges priuat Iure suo, quod prius obtinebant, antequam subditi eorum, ad Apostolatum, Episcopatum, vel presbyteratum vocati erant.

Quin etiam idem Apostolus, cum iubet, *preces & orationes, &c. fieri pro Regibus & omnibus qui in sublimitate sunt, vt quietam & tranquillam vitã agamus cum omni pietate & castitate:* An seipsum vel *Timotheum*, vel alios in ordine Episcopali, vel Sacerdotali constitutos eximit? Imò seipsum & *Timotheum*, præcise includit, vt quietam & tranquillam vitam agamus, nõ dicit, agant alij, laici sc. sed agamus nos, omnes Christiani, & Clerici & Laici: *Nos:* includens & clericos & laicos: & illi, etsi tunc Ethnici & infideles erant, in sublimitate positi erãt, ipsis Christianis, saltem in temporalibus, siue laicis, siue clericis ad quorum munus spectat, orationes pro Regum & Imperatorum incolumitate fundere, superiores: & proinde ipsi clerici his Imperatoribus & regibus inferiores & subiecti.

Quid vero *Petrus* princeps Apostolorum, & vicarius Christi, supremus princeps spiritualis penes quem, si Pontificijs credimus, potestas est eximendi clericos a potestate laica? An *Petrus* clericos suos a potestate seculari eximit? nihil minus: Scripsisse *Petrum* ad omnes vbiq; Christianos & clericos & laicos, apud omnes in confesso est 1. Pet. 1. *Petrus Apostolus Iesu Christi electis aduenis dispersionis, &c.* vt in principio primæ Epistolæ: præcepta ergo huius Epistolæ ad omnes, cuiuscunq; ordinis & vocationis siue clericos, siue laicos pertingunt: Cap. vero 2. Sic præcipit Petrus, vers. 13. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ*, non de facto, aut propter iram, sed de iure, siue *propter Deum: siue Regi quasi præcellenti:* rationem assignat: *quia sic est voluntas Dei.* Hic ergo Petrus Ius diuinum naturale declarat (Euangelium enim ad sola præcepta siue legem naturalem reuocat:) non dicit Petrus: subiecti estote vos laici: sed sine discrimine, sine personarum aut vocationũ distinctione, omnes, siue clerici, siue laici: subiecti estote propter Deum: non propter iram aut de facto: Hęc enim est voluntas Dei, siue lex naturalis & æterna, quam solum renouat lex Christi: *Deum timete, Regem honorificate*, honor ille Regi debitus subiectionem & fidelitatem denotat: Regem honorificate omnes quotquot Christiani, siue Clerici, siue Laici, vbi enim præceptum datur vniuersale, sine discrimine aut distinctione personarum subiectarum, nostrum non est idem præceptum ad certum genus hominum restringere, sed vniuersaliter de omni- v. 17.

non habere: ex quibus ſatis patet, Clericos in temporalibus inferiores & ſubditos eſſe Imperatoribus & Regibus.

Vt autem res iſta aliquanto clarior appareat, operæpretium erit, nonnullas patrum & aliorum de ſubiectione & obedientia ſuá ſententias deſcribere, vt vno intuitu videat lector, quantum a Catholica patrum & Eccleſiæ traditione ſiue expoſitione diſtet, noua hæc de hac exemptione ſententia.

Irænеus li. 5. c. 20. explicans originem Regum a Deo, & ſenſum illorum verborum Apoſtoli, Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: quòd poteſtates iſtæ, non ſunt poteſtates Angelicæ, nec principes inuiſibiles: (nec etiam principes Eccleſiaſtici, quia & gladium ciuilem ſiue corporalem portant, & tributum accipiunt) ſic ſtatui: *Propter hoc enim & tributa præſtatis: miniſtri enim Dei ſunt in hoc ipſum ſeruientes. Hoc autem & Dominus confirmauit, non faciens quidem quod a Diabolo ſuadebatur, tributorum autem exactoribus, iubens proſe & pro Petro dare tributum; quoniam Dei miniſtri ſunt in hoc ipſum deſeruientes*: & tributa ſoluuntur tanquam ſtipendia Regum, & ſubiectionis & obedientiæ ſigna ſunt.

Iuſtinus Martyr in Apologia ſecunda pro Chriſtianis: *vectigalia ſane & collationes, eis qui a vobis ſunt ordinati exactoribus, præ omnibus vbiq; inferre contendimus, quemadmodum ab eo ſumus inſtituti. Illo namq; tempore accedentes quidam, percunctatis ſunt ex illo, an Cæſari vectigalia pendere oporteat: qui reſponſum hoc ab eo retulere; dicite (inquit) mihi cuius imaginem nummus habet: Qui vbi dixiſſent, Cæſaris: Reddite igitur ait, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei, Deo: proinde nos ſolum Deum adoramus, & vobis in alijs lati inſeruimus: Imperatores & Principes hominum eſſe profitentes*; loquitur de omnibus in plurali, ſe ipſum alioſq; ſui ordinis includens.

Si de ſolis laïcis loquutus fuiſſet, ſtatim reſpondiſſent Ethnici Principes; verum eſt hoc de laïcis, at vos Clerici, nec tributa inferre contenditis, nec in alijs rebus læti inſeruitis: iuxta mandatum & exemplum Domini: Hic aut Iuſtinus, de omnibus Clericis & laicis loquitur, aut mendacio cauſam Chriſtianorum defendit: non eſt enim verum quod de ſeipſo & ordine ſuo loquitur, *nos inferre contendimus tributa: nos læti in alijs inſeruimus.*

Origenes, in Rom. 13. lib. 9. Poſtquam dixerat Chriſtianos, qui poteſtatibus ſeculi non ſubijci, nec tributa & vectigalia penſitare, merita arma principum in ſeipſos conuertere, & ipſos excuſabiles, ſemetipſos vero culpabiles reddere, quia non fidei, ſed contumaciæ cauſa impugnentur, &c. (ecce cõtumacia eſt Origeni non obedire Regibus ſeculi nec tributa præſtare); tãdem addit: *Exigunt enim a nobis* (clericis ſicut laicis: Origenes clericus erat) *tributa terræ noſtræ, & vectigalia negotiationis noſtræ: Et quid dico de nobis? exoluit tributum etiam Dominus noſter Ieſus Chriſtus in Carne conſtitutus; quod ideirco ſe dixit exoluere, non quod debitor ſit, ſed ne ſcandalizet*

licet eos: Quod si ille, qui nihil habebat in se Cæsaris, & in quo Princeps huius mundi veniens, non inuenit quicquam de suo, cum liber esset soluit tamen tributum, (venit enim & in mortem vt esset inter mortuos liber) *quanto magis nos necesse est, ista tributa carnis expendere, & negotiationis nostræ, si tamen margaritas regni cœlorum negotiamur per diuersas tentationes exigentibus nos spiritibus vectigalia pensitare?*

Ex Tertulliano multa citata sunt C. 8. lib. 1. ex quibus subiectio clericorum abunde probatur: illud hoc loco addere libet, quod habet in libro de Idololatria: *Igitur quod attinet ad honores Regum vel Imperatorum, satis præscriptum habemus, in omni obsequio esse nos* (clericos etiam) *oportere secundum Apostoli præceptum, subditos magistratibus & principibus & potestatibus: Sed intra limites disciplinæ quousq; ab Idololatria separamur:* (Regi in temporalibus subijcimur) *propterea enim & illud exemplum trium fratrum præcucurrit, qui aliàs obsequentes erga Regem Nabuchodonosor honorem imaginis eius constantissimi respuerint, probantes Idololatriam esse, quicquid vltra humani honoris modum, ad instar diuinæ sublimitatis extollitur: sic & Daniel cætera Dario subnixus, tamdiu fuit in officio quamdiu a periculo disciplinæ vacaret: nam ne id subiret non magis leones regios timuit, quam illi regios ignes.*

Basilius in Regulis contractioribus Regul. 94. *Cum ergo ex hoc Christi responso,* (reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari & quæ Dei Deo) *manifestum sit quod Cæsaris Imperio subiectos esse debere demonstratum est, apud quos quæ Cæsaris sunt reperiuntur, siquidem tale quid, quod sit Cæsaris, & iste secum adferens ad fratres venit,* (Monachos iclr.) *debitor esto soluendis tributis.* Et in principium Prouerbiorum: *valde verò* (inquit) *ad præcepta morum tradenda refert, eum qui scribit Regem esse: si enim Regnum est legitima potestas, manifestum quod ex Rege alioqui hoc nomine digno, exeuntes vitæ præceptiones, multum quidem apud omnes momenti habeant, ad considerandam consequendamq; in communi bono vtilitatem, & non ad priuata commoda respicientes.*

Gregorij Nazianzeni locus insignis est, in ea oratione, Ad præsidem iratum & populum pertimescentem in qua habentur illa toties citata: *Lex Christi vos quoq; meo tum Imperio tum solio subijcit, nam & nos in potestate sumus, addam etiam ampliore perfectioreq;* voces istæ, vos quoq;, nam & nos: & potestate ampliore perfectiore: sicut comparationem potestatum præ se ferunt, sic etiam potestatem Imperatoris in clericos ostendunt: id quod clarissimum est in verbis præcedentibus. *Subiecti simus tum Deo, tum inuicem alijs alij, tum iis qui cum Imperio nobis in terra præsunt; Deo quidem propter omnes causas: alijs alij mutuo propter amorem fraternum: Magistratibus propter ordinis conseruationem, &c. Etiam hæc in legum nostrarum numero est, & quidem laudabilium ac præclarissimè promulgatarum a spiritu: qui quod nostris in viribus est positum cum honesto exploraui, & lege quasi san-*

nis

xit, nimirum vt quemadmodum (Iure diuino naturali) *heris serui, vxores maritis, Ecclesia Domino, Discipuli pastoribus ac doctoribus obtemperant, ita nos* (Clerici & laici) *etiam cunctis potestatibus eminentibus subiecti simus, non tantum propter iram sed etiam propter conscientiam vt qui pendendo tributo simus obnoxij, &c.*

Chrysostomi verba notissima sunt & clarissima, Hom. 23. in Rom. 13. *Interea vero eas rationes quas commemorauit non monet, sed eas quæ potestatibus ex debito obedire* (non solum de facto) *iubent, ostendens, quod ista imperentur omnibus* (& Laicis & Clericis) *& sacerdotibus & monachis, non solum secularibus, id quod statuit in ipso exordio declarat cũ dicit omnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit: Etiamsi Apostolus sis, si Euangelista, si Propheta, siue quisquis tandem fueris, neq; enim pietatem subuertit ista subiectio.* Sicut & ante dixerat: *Christus ab hoc leges suas non induxit, vt politeias euertat:* euertit autem politeias si tot Clericos a subiectione eximat, qui antè, & apud Iudæos & sine omni dubitatione apud gentes subiectione erant: Et infra, vt probet hoc Iure diuino naturali deberi: sic infert: *Atq; hoc vbiq. probare satagit, nimirum quod non gratiam illis sed debitum obediendo præstemus,* Clerici ergo subditi sunt legibus seculi non tantum quia rationes sunt, sed etiam quia leges, ex debito non ex gratia.

Idem docent *Theodoretus, Theophylactus, Oecumenius & Euthalius Diaconus,* in 13. ad Rom. quorum verba habet lector C. 8. lib. 1. & 3. huius.

Ambrosius qui & Theodosium ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, & Valentiniano Basilicam negauit: subiectionem tamen suam profitetur humiliter: In Lucam lib. 4. Cap. 5. *Magnum quidem est & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur esse subiecti, ne quis constitutionem terreni Regis putet esse soluendum: Si enim censum filius Dei soluit, quis tu tantus es qui non putas esse soluendum?* Et lib. 10, C. 20. *Si tu non vis esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt; sed si habes diuitias, obnoxius es Cæsari.* Et alibi, In oratione contra Auxentium Epist. 32. lib. 5. *Si tributum petit Imperator non negamus, Agri Ecclesiæ soluunt tributum; si agros desideras Imperator, potestatem habet vindicandorum, nemo nostrum interuenit:* Et infra: *Si ergo ille obediens, accipiant obedientiæ magisterium, cui nos inhæremus, dicentes ijs, qui nobis de Imperatore inuidiam faciunt, Soluimus, quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo: Tributum Cæsaris est, non negatur, &c.* Quo autem Iure subiectio ista debita sit, audite ex ipso Ambrosio, in Rom. 13. *Quoniam cœlestis institia legem sequendam mandauit, &c. vt ergo Ius & timorem legis naturalis confirmet, Deum authorem eius testatur, & ministrantes eum, Dei ordinationem habere;* & infra: *Principes hos, Reges dicit,* (non etiam Pontifices vt Anselmus, in 13. Ad Rom. & Bell.) *qui propter corrigendam vitam & prohibenda aduersa creantur, Dei imaginem habentes, vt sub vno sint cæteri,* & infra, *omnibus pædagogi sunt.*

Augustinus, in Ioan. 1. tract. 6. *Leguntur leges manifestæ, vbi præceperant Imperatores, eos qui præter Ecclesiæ Catholicæ communionem vsurpant sibi nomen Christianum, nec volunt in pace colere pacis authorem, nihil nomine Ecclesiæ audeant possidere, &c. nolite dicere, Quid mihi & Regi: Quid tibi ergo & possessioni? per Iura Regum possidentur possessiones.* Hic quæro, leges istę an de laicis tantum an de clericis simul & laicis latæ? Si de laicis tantum, clerici ergo hæretici ab omni pœna ciuili siue temporali & corporali liberi erunt: si de clericis simul & laicis: clerici ergo legibus Imperatorum tenebantur, & proinde Imperatoribus subiecti erant. Consulat lector Epistolas Augustini 48. & 50. in quibus manifestum est, Imperatores in causis Ecclesiasticis leges sanxisse, & pœnis ciuilibus hæreticos, & Hæresiarchas coercuisse; & hi plerunq; Clerici erant.

Ex his verbis *Augustini*, in tract. 6. in Ioan. sic infertur C. 11. quæst. 1. Si quæ causæ: *Clerici ex officio, Episcopo sunt suppositi: ex possessionibus prædiorum Imperatori sunt obnoxij; Ab Episcopo vnctionem, decimas & primitias accipiunt, ab Imperatore vero prædiorum possessiones nanciscuntur: vnde August. super Ioan. vt supra: Quia ergo vt prædia possideantur, Imperiali lege factum est; patet quod Clerici ex prædiorum possessionibus Imperatori sunt obnoxij.*

Leo Pontifex Romanus, qui toties primatum & principatum sedis suæ vendicat: supplex tamen & nomine suo & omnium sacerdotum per Orbem vniuersum dispersorum, multa petit ab Imperatoribus, quæ ad Ecclesiasticum regimen pertinent: Theodosium sic alloquitur, Epist. 7.

Siquidem præter Imperiales & publicas curas, pijssimam solicitudinem, (sacerdotalem animum antea dixerat) *Christianæ religionis habetis: ne scilicet in populo Dei aut schismata, aut hæreses, aut vlla scandala conualescant,* &c. supplicat eidem, Epist. 9. & 24. *vt contra Eutychetem, Concilium Episcopale habere iubeat, intra Italiam, idq; nomine omnium Ecclesiarum occidentalium,* cum gemitibus & lachrymis sacerdotum: supplicat Epist. 25. *vt omnia in eodem statu manere iubeat, in quo fuerunt ante omne Iudicium* (Ephesinum, intelligit concilium,) *donec maior ex toto orbe sacerdotum numerus cõgregetur:* Humiliter à Martiano Imperatore rogat, Epist. 43. *vt in præsenti synodo* (Chalcedonensi) *non patiatur fidem patrum, ab Apostolis traditam, quasi dubiam retractari: Illud potius* (inquit) *iubeatis vt antiquæ Nicenæ Synodi constituta, remota hæreticorum interpretatione permaneant:* Item, Epist. 57. *necesse est vt ad vestræ reuocetur pietatis auxilium, quod ad custodiam Catholicæ veritatis, diuina prouidentia præparauit, vt cum potestatis vestræ sit, scandala etiam in longinquum nata resecare, multo magis ea quæ sub vestris audent oculis surgere, non sinatis accrescere.* Scripta hæc sunt contra *Anatholium* alioſq; clericos, qui Eutychianæ hæresi fauere videbantur; Item Rogat Epist. 70. *vt Eutychetem remotiori & secretiori exilio multet.* Leoni Imperatori supplicat Epist. 73. *vt quæ in Synodo Chalcedonensi*

reonus;vnum hoc ſuperaddo,occaſione ſumpta ex Regula iſta Victoriæ:ſi licentioſum & temerarium ſit,vbi Canon ſcripturæ generalis eſt, ponere exceptionem, quã non ponit ſcriptura:& ſcriptura & Ius diuinũ naturale omnes indefinite & generaliter ſubijcit poteſtatibus ſecularibus,licentioſe & temerariè faciunt illi Pontifices Pontificijq; qui clericos eximunt a poteſtate ſeculari: vbi enim lex non diſtinguit, nec nos diſtinguere debemus;& ſi omnes,atq; inter omnes,clerici ſubditi ſunt principibus ſecularibus de Iure diuino naturali,nec Pontifex nec Eccleſia,nec etiam Imperator, nec principes ſeculares poſſunt clericos a poteſtate ſeculari eximere,quia,nec Pontifex,nec Imperator,nec Eccleſia,nec Respublica poteſt tollere Ius diuinum naturale.

Petrus de Aliaco Cardinalis.Quæſt. de Reſumpta concl.1. *Ad hoc reſpondeo,quod in materia illa de qua loquimur,non erat opus expreſſam mẽtionem facere,cum ſit clarum,nec ex doctrina vocali Apoſtolorũ aut traditione Eccleſiæ habetur,quod Chriſtus aut Petrus,et alij Apoſtoli & eorũ ſucceſſores geſſerunt ſe tanquã Reges aut principes tẽporales,nec quod ijs impoſuerunt leges,aut regulas iudiciales, nec quod circa eos iudicia ſecularia exercuerũt ſed ſuis legibus & Iudicijs ſe humiliter ſubijcere voluerunt*:id quod probat & facto Chriſti:*Nam Chriſtus,inquit,per Pilatũ vicariũ Romani Imperatoris ſuſtinuit iudicari:& licet fortè ſignificauerit ſe pati iniuſtũ Iudiciũ,nõ tamen contra ipſum tãquã contra non Iudicem reclamauit:Imò per hoc quod dixit ei,nõ haberes poteſtatem aduerſũ me,niſi tibi datum ſit deſuper,loã.19 innuere videbatur,quod haberet poteſtatẽ ipſum Iudicandi & hanc deſuper, id eſt a Deo ſecundũ Auguſt.Petrus etiã non dicebat totũ mundũ in tẽporalibus ſibi eſſe ſubiectũ,ſed loquens de principibus ſecularibus dicebat,Obedite Dominis veſtris etiã Diſcolis:Et Paulus,omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit;& dicit omnis anima,i.omnis homo,nullũ excipiẽdo:ipſe etiã ad Cæſarẽ tanquã ad iudicẽ appellauit,vnde dicit:Ad Cæſaris tribunal ſto,vbi me iudicari oportet: Act.23.vbi gloſ.Hic eſt inquit locus iudicij,&c.*

Nicolaus Cuſanus Cardinalis,De Concordantia Catholica.l.3.c.3.*Imperator eſt pater Pontificis in temporalibus.ſicut Papa pater eſt Imperatoris in ſpiritualibus*:ex gloſſa illa antiqua quæ Bellarmino *anus eſt*,&c.cap.13.

Thomas Waldenſis,Doctrinal. fidei li.2.art.3,c.78.*Vbi vero terrenum aliquod emolumẽtũ locũ retinet,neceſſe eſt,iuxta Decretale capitulũ,vt præſidẽs poteſtatis terrenæ legibus ſibi cõgruus ſe ſubmittat.plura vide in c.8.l.1*

Aeneas Syluius,poſtea Pius.2.ad Fredericum Cæſarẽ,De ortu & auth. Imp.c.24.*Cũ nemo tibi in tẽporalibus præſit,& tu omnes præcellas: Cũ nemo ſit qui tuum in tẽporalibus refugere poſſit Imperiũ;tuũ ſit omnibus Imperare. Cũ nemo extra tuũ Iudicio exẽptus ſit,& tu omnes tẽporales valeas iudicare,&c* et ſu.c.23.*ſuper omnes mũdi homines in tẽporalib⁹ Imperatorẽ cõſtituit Deus*

Iacobus Almayn,De poteſtate Eccleſiaſtica.c.8,*Eccleſiaſtici quantum ad prædia & res mobiles,non ſunt Iure diuino à Iuriſdictione laica coercitiua exempti:& loquor de omnibus Eccleſiaſticis vniuerſaliter.*

Nota

Nota eſt ſententia *Marſilij Patauini & Ioannis de Ianduno*, qui eo nomine a Ioanne 22. condemnati dicuntur: ideo eos mitto.

Iuo, Epiſt. 22. ad Phil. Regem: *Reſpondere non ſubterfugiam, vel an Eccleſia. ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia; vel in Curia ſi Curialia ſunt.*

Theod. Balſ amō Cō. in Cā. Syn. 6. *Sed ne eo traxeris, vt nōnulli dicebant, vt Eccleſiaſtica dignitates præferantur Imperatorijs, ijs enim ſubijcientur.*

Bartholomæus Caſſaneus, Catalogi gloriæ mundi parte 5. Conſid. 34. *Imo etiã ſacerdotes primi & ſecũdi ordinis, eidẽ, id eſt Regi, obediũt, cum eis præcipere poteſt Princeps 4. Reg. 23. Ibi & præcipiat Rex Helchia. Imo principes conſtituebant ſacerdotes iure diuino, prout habetur Exo. 28. de Moiſe Hebræorum duce, qui cõſtituit Aaron fratrẽ ſuum ſacerdotem, & de Iuda Macchabæo duce, qui elegit Sacerdotes qui purgarent ſancta: 1. Maccha. 4.*

Aſtenſis in ſum. l. 2. t. 39. *Sic ergo patet quod omnes ſubiecti ſũt & tenentur obedire Papæ, ſc. in ſpiritualibus & tẽporalibus: Sic è conuerſo omnes debẽt obedire Imperatori, laici in tẽporalibus; & clerici qui ab eo recipiũt tẽporalia.*

Franciſcus Vuius. Comm. Opinionum Lib. 9. In verbo Imperatores Deus: *Item intellige dictam communem, quod Imperator in temporalibus præeſt omnibus & Clericis & Laicis in terris Imperij.*

Petrus a Monte, monarch. p. 2. q. 4. num. 2. *Clerici ſunt ſubiecti ratione temporaliũ*; id quod probat ex tributo, quod magnã denotat ſubiectionẽ.

Antonius de Roſellis, Monarch. p. 1. c. 43. *Quatenus ſecularibus ſe immiſcent negotijs, quis hos dicit ipſos non ſubiectos legibus ſeculi? pro ipſis ſaltem ſecularibus negotijs, cum Auguſt. dicat contrarium.* Sed clarius c. 42. *Vicariatus Papæ pront tantum in diuinis mediatur, non cenſetur de mundo iſto terreno, nec eſt de mundo, ſed ſolus vicariatus Imperij eſt de mundo iſto terreno, cui & ſubiacet Papa & Clerici, quatenus iure ſeculi, alia quam diuina quærunt ſibi bona, vt propria.*

Somnium Viridarij, l. 1. C. 16. *Nam in veteri lege didicimus non ſacerdotes à Regibus. ſed Reges à ſacerdotibus & prophetis, & principes adorari, & eos ad ſe vocari & quæ placebant Regibus imperari. & his interdum qui erranerant, puta diſpenſatione temporalium increpari.*

Albericus a Roſate, l. bene a Zenone in Rubric. nu. 9. *Clericos eximere a Iuriſdictione non potuit Imperator in præiudicium ſucceſſorum.*

Petrus Ferrarienſis in Practica, in actione confeſſoria C. Plenam. *Naturaliter a principio mundi omnes clerici, nedum laici, erant ſub poteſtate & Iuriſdictione Imperij; ſed ipſorum Imperatorum dulcedine ac benignitate fuerunt clerici dimiſſi ſub poteſtate Papæ: & beneficium hoc tanquam ingrati ſciunt male cognoſcere.*

Albertus Pighius, Controu. 16. *Petrus & Apoſtoli, eorum ſub quibus degebant authoritati ciuili erant obnoxij.*

His addamus Onuphrium, in vita Gregorij 7. *Romani pontifices Imperatoribus ſuberant, ad eorum nutum omnia faciebant.*

Scripſit quidem Steph. Gardinerus Winton. Epiſcopus ſub Henrico 8. librum.

librum *de vera obedientia* inscriptum, in quo abunde clericorum subiectionem docet: & *Ioannes Bekensau* in libro de absoluto Regis Imperio, *Henrico* 8. oblato sic statuit: *Paulus Onesimum*, licet Acolythum, non liberat a seruitute *Philemonis*: Scripserunt de hoc argumento circa eadem ẽpora plurimi, quorum authoritates silentio prætereo. Redeo ad antiquos Imperatores, ipsorum testimonia de clericorum subiectione in medium produco: quos colit & veneratur antiquitas tanquam sanctissimos, qui nunquam potestatem in Episcopos & sacerdotes exercuissent, nisi eandem sibijpsis debitam esse, a doctissimis & deuotissimis suę ætatis didicissent. 6.

Inter quos primi prodeunt *Valentinianus*, & *Valens*, & *Gratianus* ad Episcopos Asiæ, &c. Apud Theodoret l. 4. c. 8. *Quid nunc dicitis Episcopi & Antistites salutaris verbi? Si ad hunc modum se habent argumenta probationum vestrarum, tam vos mutuo amore complectimini, & abuti Imperatoris dignitate nolite, neue persequimini veros ministros Dei, quorum precibus & bella sedantur in terra, & auertuntur incursus transfugarum Angelorum: Qui omnes noxios Damones studeant abigere precibus suis, publica secundum leges munia subire sciunt, potentiæ Imperatoris non obloquuntur, sed sincere & magni Imperatoris ac Dei mãdata custodiunt, & nostris legibus subijciuntur: at vos inobedientes reperti estis.* Erant ergo illâ ætate Episcopi qui legibus Imperatorum non fictè, siue de facto, sed ex animo (vti Apostolus) & de iure subiecti erant, non solum qua rationes, sed etiam qua leges: erant etiã qui se ab Imperio legũ & Imperatorum subtrahebãt, sicut hodie Põtificij. obsequuntur

Iustinianus Imperator, Authent. Quomodo oporteat Episcopos. *Nihil sic studiosum erit Imperatoribus, sicut sacerdotum honestas*: & infra: *nos igitur maximam habemus solicitudinem circa vera Dei dogmata, & circa sacerdotũ honestatem*: postea multas leges pœnasq; subiungit de Episcopis, eorum ordinatione, nuptijs, eruditione, liberis, symonia, de clericis, alijsq: multis ad disciplinam Ecclesiasticam pertinentibus, atq; hæc omnia *ad Epiphanium*. Archiepiscopum & Patriarcham Constantinopolitanum scripta sunt.

Nec quisquam illa ætate repertus est, qui aut clericorum exemptionem prętenderet, aut Imperatorem eo nomine, quod leges de personis & rebus ecclesiasticis sanciret, reprehenderet: plura videat lector, Const. 123 de Ecclesiasticis diuersis capitulis.

Carolus Magnus, eiusq; filius Ludouicus: multa capitula siue leges & Ecclesiasticas & ciuiles promulgarunt: quæ Capitula Caroli dicuntur: Inter quæ sic habetur, Cap. Carol. lib. 3. Cap. 77. *Vt Episcopi, Abbates, Comites & potentiores, quicq; sit causam inter se habuerint, ac se pacificare noluerint, ad nostram inbeantur venire præsentiam, neq; illorum contentiones alicubi dijudicentur*: Ecce Imperator se Iudicem Episcoporum pronuntiat, & Abbatum: & plurimæ, sunt, inter hæc capitula, leges, quæ & de rebus & personis Ecclesiasticis latæ sunt, au horitate regiâ: ex quibus manifestum est Clericos potestati seculari subditos esse, & in temporalibus & etiam in spiritualibus.

Alexius

sent; libertatem hanc Ecclesiæ, se restituere de Iure, non ex gratia donare, præ se tulissent: vnde eo res tota redit, vt aut Imperatores illi pietissimi, impij fuerint, qui clericos iure diuino & naturali exemptos potestati suæ seculari subiecerunt, donec ex gratia eisdem liberarunt; aut Insignissimi illi Pontifices & Episcopi, qui per trecentos annos a Syluestro ad Gregorium magnum floruerunt, huius Iuris diuini naturalis aut ignari, aut proditores erant: Aut quod res ipsa loquitur, clerici qui de iure diuino naturali subditi erant, exempti sunt, non iure diuino naturali, sed gratiâ et indulgentiâ Imperatorum: Ideo etiam ab Imperatoribus ipsis, adeoq; ab omnibus omnium temporum et ætatum Theologis et Iurisconsultis *priuilegia* dicuntur ista, quia tanquã lex priuata in legis cõmunis et publicæ derogationẽ, priuatis personis indulta sunt. Sic vt, aut delenda sit vox hæc *Priuilegij*, ex omnibus Imperatorũ cõcessionibus et donationibus, et ex omnibus Theologorũ et Iurisconsultorũ, scriptis: aut fatendũ est, contra *Bell.* exẽptionẽ clericorũ nõ esse de Iure diuino, sed ex gratia et indulgentia principum. Ius enim diuinum, priuilegium non est: priuata lex, siue priuilegium, lex publica non est.

Ingratissimi vero et omnium quadrupedum pessimi sunt Pontifices illi, qui *donationem Constantini*, siue *Caroli magni*, aut cuiuscunq; alterius, hoc est principatum Romani Põtificis, non donationem, sed restitutionem dicunt, acsi *Constantinus* siue *Carolus*, quod suum erat, hoc est Imperatoris, Pontifici non donassent, sed potius Pontifici, quod Pontificis erat restituissent: sic sibilare norunt Colubri illi Aesopici, põtifices Romani, persecutione, fame, et paupertate pene enecti, postquam in sinu Imperatorum *foti*, diuitijs et potentia seculari induti, uires suas nosse et sentire inexperunt. An non Coluber Basiliscum imitatur? Pontifex gladio Imperatoris accinctus, Imperatorem confodit? Annon Clerici priuilegijs et immunitatibus, et exẽptionibus Imperatorũ, a subiectione magistratuũ et Iudicum secularũ inferiorum liberati, contra Imperatores ipsos sibilare, colla & cristas erigere didicerunt? *Religio peperit diuitias, & filia deuorauit matrem:* Exẽptio Clericorum *Bell.* non gratia, non indulgentia, non priuilegium est Imperatorum & principum, sed Ius diuinum naturale; libertatem hanc non dederunt principes sed restituerunt. Indigni proculdubio hisce libertatibus, qui harum libertatum authores dedignãtur: vt aqua fontis indignissimus est, qui fontem ipsum negat: & radijs solaribus indignus, qui solem ipsum Ecclipsi obscurare contendit: putatione & sarculo dignissimus est ille ramus, qui radicem fœcunditatis suæ non agnoscit: Indignissimi harum libertatum Pontificij posteriores qui Imperatorum pientissimorum deuctionem & pietatem abnegant.

A Theoria iam ad praxin descendamus: in qua, quid opus est in antiquis historijs particularia sectari; Omnia monumenta Antiquitatis nostra sunt, subiectionem clericorũ loquuntur: Refertæ sunt omnes historiæ Antiquiores relegationibus, exilijs, deportationibus Episcoporum, confiscationes & mulctæ vbiq; extant, contra hæreticos siue clericos siue laicos; *Eusebius* 7.

Nico-

Conradus 2. Imperator *Mediolanenſem & Cremonenſem Epiſcopos*, quod contra Imperij dignitatem deliquiſſent, cepit & exilio muletauit. *Herm. Contractus Anno* 1037. *& Siffridus l.* 1. *Anno* 1025.

Henricus 3. *Nitgerum Fruxinenſem* ob necem fratrum ignominioſam nimis proteruum Rauennam relegauit. *Auentin. l.* 5. *pag.* 424.

Idem *Henricus, Gebhardum Regino-burgij Epiſcopum* in frequenti ſenatu parricidij & læſæ maieſtatis reum in vincula cõiecit. *Ibid. p.* 428.

Hæc Imperatores: Reges vero *Franciæ*, quid fecerunt?

Ægidius Epiſcopus Rhemenſis coram *Concilio Metenſi* fatetur ſe ob crimen maieſtatis mortis reum: ſed à *Gunthramno* precibus Epiſcoporum tantum exulat. *Grego. Turonenſis lib.* 1. *nu.* 19. 8

Carolomannus & Pipinus, ſacerdotes ſeditioſos, qui aduerſum *Bonifacium* populum concitabant in vincula coniecerunt. *Auen. l.* 3. *p.* 218.

De Presbyteris & Clericis, ſic ordinamus (inquit *Carolus Magnus*) *vt Archidiaconus Epiſcopi eos ad Synodum connocet, & ſi quis ire contempſerit tunc comes Iuſſione Epiſcopi monitus eum diſtringere faciat, ita vt ipſe Presbyter aut defenſor ſuus* 60. *ſolidos componat & ad Synodum poſtea velit nolit veniat, &c. l.* 5. *Decret. Eccleſ. Gall. tit.* 19. *cap.* 62.

Clericum quendam propter puellam quam ſeduxerat morti deſtinatum narrat *Aimoinus l.* 3. *c.* 53. *Palladium* eiuſq; filium *Sedocum Toloſatium Epiſcopum* incuſante *Auiano Duce*, quod Rebellionis *Vaſconum* fuiſſent conſcij, in exilium traditos narrat idem *Aimoinus, li.* 4. *cap.* 14.

Epiſcopi *Aurelianenſis & Altiſiodorenſis* ob rebellionem mulctati à *Philippo Auguſto. Gaguinus Hiſt. lib.* 6.

Ac memoria repetit non ita pridem Duarenus iudicio Curiæ centũ-viralis Archiepiſcopum Biturigum damnatũ fuiſſe, quod ſacerdotes aliquot Liburnicarum ſiue triremiũ præfecto vinciendos & remigio mancipandos tradidiſſet. *De Beneficijs lib.* 1. *cap.* 3.

Multæ extant leges apud *Anglos* contra Clericos facinoroſos, contra quos præcipuè tumultuatus eſt *Thomas Becketus*: ſed eo nomine male audit Sanctus veſter, apud *Neubrigenſem. lib.* 3. *cap.* 16. *Sanè cum plerique ſoleant in ijs quos amant & laudant, affectu quidem propenſiori, ſed prudentia parciori, quicquid ab ijs geritur approbare: plane ego in viro illo venerabili ea quæ ita ab ipſo acta ſunt, vt nulla exinde prouenirent vtilitas, ſed feruor tantum accenderetur regius, ex quo tot mala poſtmodum pullulaſſe noſcuntur, laudãda nequaquam cenſuerim, licet ex laudabili zelo proceſſerint, ſicut nec in beatiſſimo Apoſtolorum Principe, arcem iam Apoſtolica perfectionis tenente, quod gentes ſuo exemplo Iudaizare coegit, in quo eum doctor gentium reprehenſibilem declarat fuiſſe, licet eum conſtat laudabili hoc pietate feciſſe*: In *Becketto* ergo zelus erat ſed parum diſcretus. 9

Immunitates iſtæ poſtea in immenſum excreuerunt, ſic vt non ſolum clerici ſcelerati ſed etiam clericorum perturbatores, & interfectores, à poteſtate ſeculari exempti erant, & Romã mittebantur, vt pœniten-

tiam à Pōtifice impoſitā ſubirent,&quoad pœnas ciuiles impunitatem conſectarentur: De quo acerbe cōqueritur *Richar. Archiepiſcopus Cātuarienſis apud Pet. Bleſenſem. Clerici vel Epiſcopi occiſores Romā mittūtur, eunteſq; in delitijs cum plenitudine Apoſtolicæ gratiæ, & maiore delinquendi audacia reuertuntur: Talium vindictā exceſſuū Dominus Rex ſibi vendicat, ſed nos eam nobis damnabiliter reſeruamus, atq; liberā præbentes Impunitatis materiā, in fauces noſtras laicorū gladios prouocamus: Ignominioſū eſt quod pro capra vel ouicula grauior, pro ſacerdote occiſo pœna remiſſior irrogatur:* plura ibidē videa: lector: vtcumq; verò libertates iſtæ, ſiue exēptiones iſtæ, & à pontificib⁹ indultæ ſunt & ab Epiſcopis & clericis vrgebātur, nunquā tamē in *Anglia* obtinere potuerūt clerici vt à pœnis civilib⁹ liberi eſſēt.

Epiſt. 73. ad Epiſcop. Angliæ.

Epiſcopus *Belluacenſis*, eiuſq; Archidiaconus *Lericati* à *Richardo* 1. in armis capti & captiui detenti ſunt: pro horum libertate amicabiliter ſcribit Pontifex Cœleſtinus: Arma eorum in quibus capti ſunt Romā mittit *Richardus*, reſcribitq;: *Vide an hæc eſt tunica filij tui*: non indignatur Pontifex, non vrget clericorum exemptionem, ſed reſpondit; *Non filius meus eſt nec Eccleſiæ, ad Regis autem voluntatem redimatur: quia potius Martis quam Chriſti miles iudicatur.*

Matthæus Paris Anno 1196.

Abbas de Taueſtocke in quingentis marcis mulctatus eſt, quod *Bullam* pontificis *Romani* recepit, in quia aliqua verba erant, Regi & Coronæ ſuæ præiudicalia. Temporalia omnia Epiſcoporum *Elienſis* & *Norwicencenſis* ſeiſiuit Rex, quia bullam contra Comitem *Ceſtriæ* publicarunt.

Vid. Com. Northampt. in Actione prodit.

Condemnatus eſt feloniæ *Epiſcopus Elienſis*, per duodecim Iuratores, (mos hic eſt *Angliæ*) in Banco regis: etſi ſe vnctum Domini & fratrem Papæ proclamarer. *Ioannes Wall*, vel *Ball* ſacerdos, propter rebellionem illam *Ioannis Strawe & Gualteri Tiler tractioni, ſuſpendio, decollationi, exenterationi & quarterizationi adiudicatur.*

Walſingham in Rich. 2.

Mitto *Monachos illos octo* ob verſiculos & id genus ſcripta cum maledictis in *Hen.* 4. divulgatos, quos vt culpæ reos ſupplicio affici iuſſit. [a] *Alios etiam clericos qui tractione, ſuſpenſione & capitis detruncatione vitam finierunt.* [b] Et *Epiſcopum Carliolenſem* impetitum de eadem coniuratione, *in miſericordia Regis poſitū.* [c] *Presbyterū* autem *alterū* ab eodem Rege qui iniuſte alios accuſauit, morte mulctatum. *Alium* item *Anno* 1404. *Richardū* etiam *Scroope Archiepiſcopū Eboracenſē* qui cum Comite *Northumbriæ* contra *Henr.* 4. cōſpirauit *Eboraci* decollatū. [d] *Abbatem de Hayles* ſuſpenſum 1408. *Tranſeo* etiā *fratres illos & clericos* cum *Comite Pembrochiæ* in *Eduardum.* 4. coniurantes morte mulctatos. Infinita ſunt huius generis exempla apud *Anglos*, aliaſq; Gentes: ſic vt etſi millies has clericorū exemptiones repetant Pontifices Romani, nemo tamen eſt, qui obtēperat: Clerici in omnib⁹ regnis Chriſtianis, pœnis & cenſuris ciuilibus ſubijciuntur, de pontifice veſtro, vt de ſene illo Comico dici poteſt, Tunè hic verba fundis ò ſapientia? exemptiones iſtæ papyraceæ

Polydorus Virg. in Hen 4.
Walſingham in Hen. 4.
[a] *Ibidem.*
[b] *Anno* 1400.
[c] 1402.
[d] *Ibid. An.* 1405

papyraceæ sunt, in morib⁹ Christianorũ vniuersaliter receptæ nõ sunt.

At regerunt Pontificij: Extant clericorum exemptiones in Decretis pontificum, extant in legibus & constitutionibus Imperatorum & Regum: non hic quæritur de exemptione, sed de Iure illo quo data sit exemptio clericorũ. Diuino scil. an humano positiuo, siue Reipublicæ. *Bellarminus* in hac causa desertor & sui, & Theologorũ, Canonistis nõnullis imperitis adhæret, & de Iure diuino hanc exemptionẽ deducere conatur; Reclamant Scholastici & Theologi, eamq; principũ & Imperatorũ gratiæ & benignitati, & Pontificũ decretis acceptã ferunt: sic vt *Bellarmini* opinio, nec cõmunis sit, nec antiqua, sed particularis pene priuata & noua, præsertim apud Theologos. Cõsulat lector *Ioan. de Basnein 4. dist. 12. art. 1. Dominic. Soto in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 2. Francisc. Victoriam. Relect. 1. de potest. Eccles. Sect. 7. propos. 2. Ioan. de Parisijs de potestate Regia & Papali. cap. 14. Ockam vt dicit Almayn. de potest. Eccles. & Laica. q. 2. cap. 7. & ipsum Almainum vt aute, Theodoricũ de Niem de Priuilegijs & iuribus in præfatione. Duarenũ de beneficijs lib. 1. cap. 2. & 3. & 5 & lib. 7. cap. 10. Ioan. de Medina de Restitutione quæst. 15. Barthol. de Medina in 1: 2. q. 97. art. 6.* qui ex professo *Victoriam* & *Sotum sequitur: Feuardentiũ in Epist. Iudæ vers. 8. Dominicũ Bannes de Iustitia & Iure q. 67 art. 1. concl. 2. Ludouicũ Molinã de Iustitia & Iure tract. 2. disp. 31. concl. 3. & 5. Salmeronem ad Rom. 13. Tom. 14. disp. 4.* qui in hanc sententiam *Richardũ* & *Scotũ* citat. *Iosephum Angles in 4. q. de sacram ordinis art. vlt. Ludouicũ Richeomũ in expostulat: Apologet. c. 33. & 34. Couarruuiam in practicis quæstionibus. c. 31. nu. 6.* præter eos ante citatos, alioſq; plurimos: & facile obseruabit cõmunem esse opinionẽ Theologorum, exemptionem clericorum de Iure humano positiuo, tum Imperatorum, tum pontificum promanasse, non de Iure diuino naturali. Quin etiam *Azorius* in eandem sententiam citat *Ledesmium, Palatium, Salonem.* *Institut. Moral. Tom 1. l. 5. c. 12.*

Præterea illud hoc loco prætereundum non est, quam frigidè in hac causa tergiuersatur *Bellarminus* in hac deductione Iuris naturalis & diuini de exemptione clericorum. *Exemptio clericorũ, &c. Iure humano introducta est, non diuino:* Sic olim *Bellar.* contra Canonistas: *Exemptio clericorum &c. introducta est Iure humano pariter et diuino* sic *Bellarm.* recognitus & auctus, Theologorũ & Canonistarũ cõciliator summus. At quale hoc est Ius diuinum? *Non* (inquit) *intelligimus præceptũ Dei propriè dictum, quod extat expresse in sacris literis, sed quod ab exemplis vel testimonijs Testamenti veteris vel noui per quandam similitudinem deduci possit:* Egregiè vt cætera omnia: acsi Ius aliquid diuinum naturale per similitudinem quandam ex testimonijs & exemplis deducatur, & non ex præcepto diuino vel ratione naturali: Apage cum Iure isto diuino naturali per similitudinẽ quandam collecto: nos Ius diuinum naturale præcepto Dei promulgatum à *Mose*, & ab Apostolis declaratum *Lib. de Clericis cap. 28. Prop. 5. Ingolstad. 1590.* *In Appendice librorum.*

ratum vrgemus: *Bellarminus* Ius diuinum ſimilitudinarium ſupponit quo lectorem incautum fallat, de qua re plura ſtatim dicemus.

Audiamus ergo *Salmeronem* Ieſuitam *in* 13. *ad Rom. Diſp.* 4. *Tom.* 14. contra *Bellarminum* Cardinalem: *Ad hunc vero Pauli locum expoſitorũ eius ſenſum producturn dicendum eſt, quod poteſtas Ethnici principatus, nondum Eccleſiæ incorporata ſubditos habeat omnes, qui ad eam rempublicam, cui præſident, tanquam membra pertinent ſiue Ethnici, ſiue Chriſtiani, ſiue Laici, ſiue Clerici, ſiue Epiſcopi, ſiue Apoſtoli, & hoc ex Iure diuino:* Audin' hoc *Bellarmine?* Clerici Iure diuino ſubditi ſunt Ethnicis Principibus? quid vero an *Bellarminus Salmeroni*, an Ieſuita Ieſuitæ contrarius? Et autore *Ioanne Medina*, nec Chriſtianiſmus, nec Clericatus tollit Ius ſiue ſubiectionem naturæ. Eius verba quia perſpicua ſunt & notabilia adſcribam: *Ius poſitiuum non diſſoluit obligationem naturalem, aut diuinam, quæ præerat, ſicut lex Euangelica debita prius contracta nòn tollit, ſiue ſit debitum carnis, ſiue debitum pecuniarium, ſiue ſeruitutis, ſiue alterius obedientiæ. Hoc patet de ſeruo, qui ad fidem conuertitur, Baptiſmus non reddit illum à ſeruitute liberum, vt docet Paulus & Petrus: ſimiliter debitum coniugale per baptiſmum ſubſequentem non tollitur: Baptiſmus enim vt ait Ambroſius peccata tollit nec coniugium: debitum etiam pecuniarium per baptiſmum aut legem Chriſti de nouo ſuſceptam non tollitur: ſicut nec per ſacerdotium, aut alium ordinem, poſtea ſuſceptum: ac proinde nec debitum ſubiectionis & obedientiæ quam quis alteri ex ſpeciali lege debet: tollitur eo ipſo quod quis ordinẽ clericalem accipit, niſi maioris autoritate interueniente.* Hæc *Ioannes Medina:* non ſapit illi novũ dogma, ſi multa millia ſacerdotum vno die ordinentur horum omnium ſubiectionẽ & obedientiam per clericatum amittunt Reges.

Quæſt. 15. de reſtitutione.

Sed ad *Salmeronẽ* reuertamur: *Inſtant in Principe Turcarum qui ſuper Chriſtianos & Epiſcopos eſt, qui in ſuis locis reſident: videamus ſequentia. Ciuilis poteſtas, vt eſt Eccleſia coniuncta, iuriſdictionẽ non habet ſuper Epiſcopos, & ſacerdotes, at q; id quidem ex Iure diuino, & naturali diſponente, & fundamenta eius rei iaciente:* Quid hoc eſt': Iure diuino clerici ſubiecti ſunt principibus Ethnicis: & tamẽ Iure diuino & naturali diſponẽte & fundamenta eius iaciente, clerici principibus Chriſtianis ſubiecti non ſunt, ſed exempti. An Ius diuinum, quod ſubiectionem clericorum inſtituit, exemptionis clericorum fundamenta iacet? Iuſcum proculdubio eſt hoc Ius naturale, quod altero oculo ſubiectionẽ clericorum intuetur, altero exemptionẽ clericorum proſpicit & diſponit: nouoq; fundamẽto, fundamentum omnis poteſtatis Ius naturæ euertit. Verum enimvero, licet pugnent inter ſe, & in ſeipſis omnes Ieſuitæ hoc tamen certum, & apud omnes exploratum, quod lex Chriſti neminẽ priuat Dominio ſuo quodq; Euangelium, quod legem & ceremonialem & Iudicialem, populo Iſraelitico peculiarem, evacuat, legem naturæ ſiue moralem

ralem cõfirmat, quam Christus aduentu suo non soluit, sed adimplevit. Si ergo Clerici Ethnicis principibus subiecti sunt Iure naturæ, vti *Salmeron*, etiam principibus Christianis subijciuntur: aut per religionem Christianam & clericatũ priuantur Reges Iure suo, quo omnibus clericis in ditione sua Imperitabãt. Addit deinde *Salmeron: ex Iure humano per gratiã principum factã ea potestas cõpletur: sicut docent in 4. Dist. 23. Richardus & Scotus. De rebus vero ab Ecclesia possessis beatus Augustinus in Ioan. tract. 6. & D. Thomas asserũt, quod sunt exemptæ à seculari potestate, nõ quidẽ Iure diuino sed ex principũ priuilegio; summũ vero sacerdotiũ in veteri lege, non erat vicariatus Christi, nec de rebus spiritualibus, vt nostrũ est, ideo nõ mirũ si illud suberat Regi, quamuis nolens illi obedire, morte plecti iubeatur.*

De exemptione tacet Augustinus, loco citato: Imo contrarium asserit.

Si summũ sacerdotiũ in lege subesset Regno: exemptio clericorũ non potest esse de iure naturæ, quod idẽ est ante legẽ, sub lege & in Evangelio, quia Ius naturæ æternũ est & cum natura initium & finẽ habet.

Egregie vero secum pugnat *Salmeron*, dum asserit; exemptionẽ clericorum in Iure diuino & naturali dispositã & fundatã, ex Iure humano per gratiã principum completam esse: Ius enim humanum potest Ius diuinum naturale declarare, Ius diuinum naturale facere siue instituere, siue perficere non potest: An ergo exemptio clericorum in se, de Iure naturali erat, ante hanc declarationem principum? quod supra negat, cum asserit clericorum subiectionem apud Ethnicos esse de Iure naturæ: si enim subiectio clericorum sit de Iure naturæ, exemptio de Iure naturæ esse non potest.

Cõmunis opinio Theologorum vt in verbis *Salmeronis*: & in *Propos. 6.* habetur apud Victoriam hæc est: *Exemptio Clericorum maxime quoad personas, ita scil. quod nec Iudicari, nec puniri à seculari potestate possunt, est multũ conformis Iuri diuino et naturali.* Eandẽ enim habet *Dominic. Bannes* loco citato, *Concl. 3. Ludouicus Molina* vbi supra, *Concl. 4. Dominicus Soto*, loco citato *conclu. 5.* & *Thomas in 13. Rom.* hanc exemptionẽ quãdam æquitatem habere asserit: forte hæc conformitas siue æquitas quædam, idem apud istos scholasticos sonat quod apud *Bellarminum: Clerici exempti sunt, &c. Iure humano pariter & diuino: per quandã similitudinẽ*: verum nullum simile est idem, vt clerici ab operibus seruilibus & mechanicis eximantur, quo facilius rebus spiritualibus vacare possint ratio & æquitas suadet, ideo à tributorum collectione & similibus eos eximit *Constantinus*, sicut & Dominus *Matthæũ* à Telonio auocauit; vt clerici quotidie propter res ciuiles & seculares ad tribunalia Iudicum secularium, aut ad curias principum protrahantur, quo à rerum diuinarum studio et contemplatione, & cura pastorali siue animarum distrahantur & rebus mundanis & temporalibus immergantur, & implicentur, suadet ratio & æquitas: *nemo enim militans implicatur vel implicat se negotijs seculi vt ei placeat cui se probauit*: vt vero clerici ab oneribus reipublicæ necessarijs & ad lucrum & protectionem clericorum, sicut

2. Tim. 2.

Relect. 1. de poteſt. Eccleſ. Ibidem. propoſ. 3. Sect. 7.

ſicut laicorum ſpectãtibus eximantur, nulla ratio ſuadet: *ad quemcunq; enim ſpectat emolumentum, ad eundem onus*: vt docet regula Iuris, & vt Victoria: *quia ſentiunt commodum, ergo debent ſentire onus.*

Vt Clerici à Iudicijs & pœnis ciuilibus, in cauſis criminalibus, quæ ad forum tẽporale ſpectant, quales homicidia, furta, & ſimilia eximantur, nulla ratio aut æquitas ſuadet: Iuſtitia vero quæ Ius ſuum cuiq; tribuit, exigit, vt pœna mortis, aut exilij, aut confiſcationis, aut mulcta pecuniaria (quæ ab eo ſolo, qui gladium tẽporalem portat infligi poſſunt) caſtigẽtur, qui talia, quæ morte, vel exilio digna ſunt cõmiſerint. Imo eo maior eſt ratio & æquitas & Iuſtitia, quia quo dignior & honoratior, & in loco celſiori collocata eſt, perſona quæ peccauerit, eo graulori & magis exemplari pœna coercenda eſt: *Nuga* enim *in ore ſacerdotum, blaſphemiæ ſunt: & potentes potenter tormenta patientur:* nec ſcandalizatur ordo clericalis ſiue ſacerdotalis, ſi pœna ciuili aut morte tẽporali plectatur clericus, qui quæ morte digna ſunt perpetraverit. Imo verò maximum ſcandalum non acceptum ſed datum eſt, ſi clerici & ſacerdotes impunè graſſari permittantur, & in omnia ſcelera & flagitia turpiſſima prorumpãt: non poteſt autem non impius eſſe, quiſquis clericum vel ſacerdotẽ impium à pœna ciuili debitâ eximit liberatq; Qui vero Impunitatẽ clericis impuris, & profligatis pollicentur, næ illi laicos omnes in barathrum omnium ſcelerũ & impietatũ profundiſſimu immerguut, & peccatis omnib⁹ frena laxant, validior enim eſt vox operis quam oris: facilius audiunt Chriſtiani manus prædicantium, quam linguas, & magis credunt factis eorũ quã verbis: peſſima vox eſt prædicãtis. Facite quod doceo, quod facio ne faciatis: Quod ſi paſtores & duces ouium Chriſti, impune quoad pœnas ciuiles peccare poſſunt, Euangeliũ Chriſti blaſphemabitur inter gentes, quia qui lucernæ & exẽplaria ſunt gregis, ipſis gentib⁹ gentiliores erunt: nulla ergo æquitas, ſed iniquitas maxima, ex hac clericorum exemptione cõſequitur: quia lapſus paſtoris, ruina eſt gregis: & ſicut Regis, ſic etiam ſacerdotis ad exemplum totus cõponitur orbis: Quod ſi paſtores & duces pœnis ciuilib⁹ & exemplarib⁹ in ordinem cogantur, timebit populus: *Cadentes in faciem adorabunt Dominum, dicentq;, omnes, vere Deus in vobis eſt.*

Bernard. de conſid. lib. 2. c. 6. 7.

1 Cor. 14. 25.

II.

Sed rationẽ ſiue ſimilitudinẽ, vel verius ſpectrũ huius æquitatis perpẽdamus: i. *Ioſeph in Ægypto terrã ſacerdotalẽ liberã reliquit. Gen. 47.* vendiderunt *Ægyptij* ſeipſos et terram ſiue poſſeſſiones ſuas, *Ioſepho* pro frumento ſiue ſemine: vendidit poſtea *Ioſeph Ægyptijs*, terrã ſiue poſſeſſiones ſuas, ea lege, vt quintã partẽ frugũ Regi darent: terram ſacerdotũ nec emit, nec vendidit *Ioſeph:* ratio manifeſta eſt in textu, *quia ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur ijs:* libera ergo erat terra ſacerdotũ, nõ ex iure naturæ, quia iure naturæ nulla terra propria eſt ſacerdotum, ſed Iure Regio, quia à *Pharaone* liberata: Iure ſcil. poſitiuo et humano; libera erat terra ſacerdotũ, quia nec empta nec vendita, et proinde nec in ſeruitutem redacta eſt, libera erat terra ſacerdotum ab hac

Verſ. 22.

conditione,

ditione, reddendæ quintæ partis, ſed non dicit textus, quod libera
at à tributis, poteſt terra ſacerdotum libera eſſe ab vno tributo, ſed
on ab omni tributo: præterea fieri poteſt, vt terra ſacerdotũ, ſicut &
rra militũ libera ſit ab aliquib⁹ tributis, & tamen ſacerdotes ipſi ſub-
cti ſint regi, cui tributa ſolvuntur, ſolutio enim tributorũ ſignum eſt
ubiectionis, ſed plura ſunt ſigna & effectus ſubiectionis, nec dicit *Io-
eph*, aut quiſpiam alius, quod ſciam, ſacerdotes *Ægyptios* liberos fuiſſe
à ſubiectione *Pharaonis*: Imo vero fatẽtur omnes, ſacerdotes *Ethnicos*,
principib⁹ Ethnicis ſubiectos fuiſſe, nec veriſimile eſt *Pharaonẽ* ſtatuta
cibaria ſacerdotib⁹ ſuis ex horreis publicis præbuiſſe, qui ſeipſos ab
obedientia & ſubiectione eius, exemptos & liberos vendicarent. Om-
nis ratio diuina & naturalis docet, & reges, & ſacerdotes, & milites,
publicis ſumptib⁹ Regni & Reipublicæ alendos eſſe: vtpote qui curã
animarũ & corporũ & bonorũ habent, & pro eorum ſalute et regimi-
ne et defenſione invigilant: et tamen nulla ratio prædia militum à tri-
butis aut ſubiectione eximit Regum: nullum ergo hic ius naturale vel
ſimilitudinarium reperitur.

Idem de *Artaxerxe* dicendum eſt: liberauit ille ſacerdotes *Iſraelitarũ*
à tributis ſed à ſubiectione et obedientia ſibi debita non liberauit: In
his exemplis nec ſimilitudo Iuris diuini habetur, lege enim *Pharaonis*
et *Artaxerxis*, non Dei, liberati ſunt ſacerdotes iſti à tributis, non à
ſubiectione: Et quid opus erat vt vel *Pharaõ*, vel *Artaxerxes*, vel *Con-
ſtantinus*, vel *Iuſtinianus*, vel *Heraclius*, de gratia et indulgentia ſua cle-
ricos eximerent, ſi Iure diuino et naturali liberi eſſent.

At Leuita ex omni populo delecti & ſeparati, Deoq; dicati ſunt, & Aaroni „
ſummo ſacerdoti & filijs eius dati vt eis ſubſeruirent: vim huius argumenti „
non capio: nec vbi lateat facile perſpicio: *Leuitæ* mei ſunt, ſic Dominus.
Oues meæ ſunt, ſic Chriſtus: An quia omnes Chriſtiani, oues Chriſti
ſunt, ideo à ſubiectione regum liberi et exempti ſunt? at dati ſunt *Aa-
roni*: ſic vobis autorib⁹, oues Chriſti, *Petro* ſummo ſacerdoti regendæ
datæ ſunt, et tamẽ oues Chriſti à ſubiectione principum exempti non
ſunt: Addatur maior propoſitio, pudebit *Bellar.* rationis ſuæ ſimilitu-
dinariæ. Quicunq; Dei ſunt, et ſummo ſacerdoti regendi dati ſunt,
hi eximuntur à ſubiectione & obedientia Principum ſecularium.

Non habet frontem *Bellarminus*, ſi hanc propoſitionem vniuerſaliter
veram dixerit: & ex particularibus non datur Syllogiſmus.

At liberi ſunt filij Chriſtus Mat. 17. filij Regũ & eorũ miniſtri & ſerui & „
familia, liberi ſunt à tributis, ſic *Bellar.* Inuentus eſt locus obſcuriſſimus, „
in quo vti *Bellar.* nouatorẽ, nouæ opinionis autorẽ decet, fundamentũ
arenoſæ huius exẽptionis collocaret: nouit ille plures dari ſenſus horũ
verborũ: liberi ſunt filij. 1. Dominus & Apoſtoli qui nec ſeruilis erãt
cõditionis, nec res tẽporales vnde Dominis tẽporalib⁹ obligari pote-
rãt haberẽt, et orbẽ vniuerſum animarũ lucrandarũ cauſa peragrarent.
2. Chriſtus filius erat regis de ſtirpe *Dauid*, & filij regum liberi ſunt: ſi

pater liber sit & filius liber erit: 3. Christus filius fuit Dei naturalis: & proinde liber à tributo consulat de sensu huius loci lector *Bellarminum* de Clericis. C. vltimo.

Interim non satis miror qua fronte audeat *Bellarminus* seruos & ministros & familiam filiorum Regis à tributis eximere, eo nomine, quia filij liberi sunt: Optime enim nouit *Bellarminus* in regnis mundi, filios Regum patribus suis tributa non præstare, seruos tamen & ministros & familiam filiorum, & regibus subijci et tributa soluere: præterea si ministri et serui et familia filiorum regalium liberi sint à tributis, quidni et omnes Christiani liberi sint à tributis, serui enim sunt filij Dei, id est Christi et familia eius sunt: Et sæpius familia pro omnibus Christianis ponitur, pro clericis quod sciam nunquam, *Quis putas est seruus fidelis & prudens quem constituit super familiã suã.* Ne familia hoc loco partẽ, non totam familiam significare videatur, de capite suo addidit *Bell.* quod in textu non habetur. Hunc constituit Dominus super *omnem* familiam, clericos, et laicos, Reges et subditos, familia Christi sunt omnes Christiani. Aut ergo Christiani omnes, etiam laici à tributis et subiectione principum exempti sunt, quod non audet *Bellarminus* affirmare, etsi Monarchomachorũ strenuissimus sit; aut falsum est, quod ex loco de Iure diuino similitudinario colligit *Bellarminus*, familiam et seruos Christi à tributis exemptos esse. Id quod vel ex *duplici capite* probatur. 1. Exemplo *Christi*, qui et *Pilato* subditum se esse potestate desuper datã agnouit, et pro se et *Petro*, filio regis et seruo Principali soluit tributum, idq; tunc de Iure: nihil enim fecit Christus quod de Iure faciendum non erat, tum propter vitandum scandalum, quod quidem in hac causa magis vitare tenentur Vicarij et Ministri Christi, quam Christus ipse: quia Christus scandalum dare non poterat, vicarij Christi et dare possunt et sæpius dant. 2. Præcepto vniuersali sine differentia, sine personarum aut vocationum discrimine, sine exemptione, quod ad omnes pertinet. *Reddite* (tanquam ex debito) *quæ sunt Cæsaris, Cesari; quæ sunt Dei, Deo.*

Matth. 24. 45. *Luc.* 12. 4.

Cap. 5.

Vnum hoc loco addã: *Victoriam: Bannes, Molinam, Sotum*, alioq; suprà citatos scholasticos ea ratione exemptionẽ hanc de iure diuino naturali deductam esse negare, quia hæc exemptio nullibi habetur in Iure divino: verba *Victoriæ* hæc sunt: *Testimonia quæ adducũtur, ad hoc probãdũ, nõ satis ostẽdũt hanc exẽptionẽ. primus locus est Mat. 7. Ergo liberi sunt filij. Loca ergo ista scripturæ vti scholastici docẽt, hanc exẽptionẽ non probant.*

Relect. 1. *de potest. Eccles. Sect.* 7. *Propos.* 2.

Hinc discε lector, quod Theologia pontificia tempore crescit, non solum maiora et fortiora, sed etiam noua membra acquirit: Traditio Apostolica innouata est, pro auro plumbum substituit, et non solum nouẽ sed etiam noua docet.

Ex his quæ dicta sunt tria ista recte colligi et deduci possunt,

1. Exemptio Clericorum non est de iure diuino & naturali, sicut

Bellarminus

Bellarminus Canoniſtas ſecurus, affirmat.

2. Exemptio Clericorũ, eſt de iure poſitiuo & humano, ex gratia & indulgentia ſiue priuilegio Principũ, vt rebus diuinis magis vacarent.

3. Clerici de Iure diuino naturali, ſubiecti ſunt Principibus politicis, in rebus temporalibus, vti docent patres, & Theologi ſupra citati, & confirmat praxis omnium Regum & Regnorũ Chriſtianorũ, atq; etiã Pontificum Romanorũ qui nõ vt Pontifices, ſed vt principes politici, Clericos pœnis ciuilibus caſtigant: nec datur medium inter contraria Theologica: Aut exempti ſunt Iure diuino naturali, aut ſubiecti ſunt.

De poteſtate Pontificis in eximendis clericis, nec non de poteſtate Regum, & Imperatorum in reuocandis priuilegijs, in exemptionibus Clericorũ, poſtea ſuo loco dicetur, Iam ad Reſponſa *Bell.* deſcõdamus.

Primo ergo loco vrget *Barclaius*: verba *Franciſci Romuli*, id eſt *Bell.* perſonati vti aſſerunt. Epiſcopi Regibus in rebus temporalibus, & Reges Epiſcopis in ſpiritualibus ſubiecti eſſe debebant: *Vti Gelaſius ad Anaſtaſium, & Nicolaus* 1. *ad Michaelem*, at Epiſcopus Romanus quia princeps eſt temporalis, nec vllum in temporalibus ſuperiorem agnoſcit, principibus temporalibus non ſubijcitur. 12 *Vide Ribadeiniram in lib. de ſcriptoribus Societatis Ieſu.*

Reſpondet *Bellarminus*: *loquitur Franciſcus Romulus, de ſubiectione quam habent Epiſcopi & reliqui Clerici ad obſeruandas leges politicas, & non perturbandum ordinem politicum à Regibus conſtitutũ, vt docent Gelaſius & Nicolaus: ſed hinc non ſequitur, poſſe cogi Epiſcopum à Rege ad obediendum, vel puniri ſi non obediat, cum Rex nullam habeat in Epiſcopos vel Clericos poteſtatem vt in Concilio Conſtantienſi Seſſ.* 3.

Quid ſenſerit *Franciſcus Romulus* optime nouit *Bellarminus*, *quæ enim in ſpiritu hominis ſunt, nouit ſpiritus hominis*, verba tamen eius (vt à *Barclaio* recenſentur) Gloſſam *Bellarminianam* non ferunt: *Epiſcopi Regibus in rebus temporalibus, & reges Epiſcopis in ſpiritualibus ſubditi eſſe debent*: Non eſt ſubiectio hæc de facto, ſed de Iure: alias non dixiſſet: debent, neceſſaria eſt, non voluntatia, quia debita: Et Reges in ſpiritualibus, autoribus *Romulo* & *Bellarmino*, non ſolum leges ſpirituales obſeruare, & ordinem Eccleſiaſticum non perturbare tenentur de facto, ſed etiã per cenſuras Eccleſiaſticas & cogi & puniri poſſunt: pari ergo ratione, ex verbis Romuli ſequitur, quod Epiſcopi & Clerici, non ſolum leges politicas obſeruare, & ordinem politicum non perturbare tenentur, ſed etiam per temporales cenſuras cogi & puniri poſſunt: Quomodo vero colligat *Bellarminus* in verbis Romuli hanc diuerſitatem, vt Epiſcopi Reges ſibi ſubiectos in ſpiritualibus cogere poſſint, & Reges Epiſcopos ſibi ſubiectos in temporalibus cogere non poſſint, non ſatis video, cum cenſuræ Eccleſiaſticæ ſalutiferæ ſint potius quam coactiuæ: Cenſuræ vero ciuiles magis coactiuæ ſint, quam ſalutiferæ. 1. *Cor.* 2. 11.

Vtrumq; vero, *Romulus* ſiue *Bellarminus* cum reſeruatione loquantur,

tur, quod Iesuitismum redolet: gnauiter impudentem esse oportet, Cardinalem, qui æquiuocè & fraudulenter locutos fuisse *Gelasium* & *Nicolaum* seriò contendit, Acsi antiqui illi Pontifices eadem fraude ludificarentur Imperatores quâ moderni *Iesuitæ* omnes, suis æquivocationibus & reseruationibus ludificantur: *Gelasius* enim aperte loquitur, *Si enim quantum ad ordinem publicæ disciplinæ, cognoscentes Imperium tibi supera dispositione collatum, legibus tuis, ipsi quoq; parent religionis Antistites ne vel in rebus humanis excluſæ videantur ob viare sententiæ*: ecce *Gelasius* dicit; Antistites, legibus tuis parent, non dicit rationi siue directioni legum tuarũ parent: sed legib⁹: vi *scil.* legum, non tantũ vi rationis: ne in rebus humanis excluſæ videantur obuiare sententiæ: Sententia Apostoli explicita & manifesta, *Ideo necessitate subditi estote non solũ propter iram, sed etiã propter conscientiam*: Id est, & propter iram & propter cõscientiam: Et propter vim rationis, directiuam quoad conscientiam, & propter vim coactiuam legis propter irã, non enim sine causa gladium portat: & sententia *Gelasij* manifesta est, arguit enim a pari, Antistites subijciũtur legibus Imperatoris in mũdanis: In cœlestibus ergo Imperatores subijci debẽt legibus Antistitũ; & subiectio hæc par esse debet; Imperatores subijciuntur legibus Ecclesiæ, & quoad vim directiuã, & quoad vim coactiuã: pari ergo ratione Antistites legibus Imperatoris subijciuntur, & quâ rationes sunt, & qua leges sunt, & per has leges dirigi & etiã cogi possunt. *Bell.* autẽ incũbit probatio, vt ex verbis *Gelasij* sẽsũ suũ deducat: quod quidẽ ne vel leuissima coniecture probare potest. *Nicolaus* vero manifestè dicit: *Pontifices pro cursu temporaliũ tantummodo rerum, Imperialib⁹ vtuntur legibus*: non dicit rationib⁹ vel directionibus legum, sed legibus ipsis: & lex non tantum directionẽ sed etiam coactionem denotat: Et actus & officia vtriusq; potestatis distincta sunt, & inter actus potestatis temporalis, est vis legum coactiua siue pœna temporalis quæ Principi politico propria est.

In Epist. ad Anastasium.

Rom. 13. 5.

In Epist. ad Michaelem.

Quod autem Clerici ab Imperatorib⁹ & cogebantur & puniebantur abunde docet *Constantinus* ipse: *Ita, si nos habeamus Episcopos castos, orthodoxos, humanos, gaudemus, Quod si quis audacter, inconsulte, ad memoriam, ad laudẽ pestiũ illorũ exarserit illius statim audacia, ministri Dei hoc est mea executione coercebitur.* Ecce de Episcopis, eorumq; coercionẽ, id est de pœnis & potestate coactiua explicite, & disertis verbis loquitur *Constantinus.* Recitat *Augustinus* legem *Theodosij Episcopus vel Clericus hæreticus decem Auri libris mulctetur*, sed an hanc legem improbat, an vero laudat *Aug⁹* laudat proculdubio, *Quod eo modo fieri ali quatenus posse arbitrabamur, si legẽ piissimæ memoriæ Theodosij, quã generaliter in omnes hæreticos promulgauit, vt quisquis eorum Episcopus vel Clericus vbilibet esset inuentus, d cẽ libris auri mulctaretur: expressius in Donatistas, qui se negabant hæreticos ita confirmarent, vt non omnes ea mulcta ferirentur, sed in quorum regionibus*

Theodoret lib. 1. cap. 19.

Epist. 50.

regionibus aliquas violentias a Clericis vel Circumcellionib°, vel populis eorũ Ecclesia Catholica pateretur, vt scil. post protestationẽ Catholicorũ, qui fuissẽt ista perpessi, iã cura ordinũ ad persoluendã mulctã Episcopi siue ministri ceteri tenerentur. Hæc erat *Aug*: & aliorum deliberatio: cæterũ vulnera Maximiniani Episcopi Vagiensis Legationẽ *Aug.* & aliorum præuenerunt. *Hinc inquit factum est vt Imperator religiosus & pius, perlatis in notitiã suã talib° causis, mallet pijssimis legib° illius impietatis, errorẽ omnino corrigere, & alios, qui contra Christũ Christi signa portarent, ad vnitatẽ catholicã tenendo & coercendo redigere, quam sauiendi tantum modo auferre licentiã, & errandi & perundi relinquere:* In quos vero lex hæc lata est, ostendit: *Lex promulgata est, vt tantæ immanitatis hæresis Donatistarum, cui crudelius parci videbatur, quam ipsa sæuiebat, non tantum violenta esse sed omnino esse non sineretur impunè. Non tã supplicio capitali propter seruandã etiã circa indignos mansuetudinẽ Christianã, sed pecuniarijs damnis propositis, & in Episcopos vel ministros eorum exilio constituta:* Ecce disertis verbis laudat legẽ *Theodosij Aug:* quâ Episcopi &, Clerici mulcta pecuniaria & exilio coercebãtur, ab Imperatore. Per totam vero Epist: hanc seueritatem temporalẽ Imperatorũ, in hæreticis reducendis laudat: *Melius esse* (inquit) *quis dubitat, ad Deum homines doctrina duci, quam pœna, timore, vel dolore compelli: Sed nõ quia illi meliores sunt, ideo illi qui tales non sunt, negligendi sunt: multis profuit potius timore, vel dolore, cogi, vt postea possent doceri, & quod verbis didicerunt opera sectari:* perlegat lector integram Epistolam: Ex *Cyrillo* supra dictum est: *Nexo leges Regum impunè reprobat,* (inquit *Cyrillus*) *nisi reges ipsi. Ecclesiastici,* vt supra, *Iacobus Almayn. quoad prædia, à iurisdictione Laica exercitia, non sunt exempti,* &c. alios supra citatos hoc loco repetere non est opus. *In Ioan. lib. 12. cap. 56.*

Gregorius Turonensis; sic *Chilpericum* alloquitur: *Si quis de nobis o Rex Iustitiæ limites transcendere voluerit, a te corripi potest.* *L. 5. Hist. c. 18.*

Chilpericus ipse, de Prætextato Episcopo Rothomagensi ab exilio reuocato sic præfatur: *Quamvis venerandi Pontifices, regia potestas reum Maiestatis, legibus condemnare possit, &c.* *Aimoinus lib. 3. cap. 26.*

Quinetiam, quia de rebus *Francie* mento facta est: *Rex* (inquit *Petrus Pytheus,*) *potest punire Clericos, qui sunt officiarij sui, pro quocunq; crimine commisso in executione muneris, non obstante priuilegio Clericali.* *De libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, gall.*

Didacus Couarruuias: in tribus casibus Clericos à pœna ciuili non esse exemptos docet: 1. *In crimine Assassini:* 2. *In incorrigibilitate:* 3. *in profundo malitiæ. In his etiam sine precedente degradatione potest Clericus à potestate seculari puniri:* --Vide plura Ibidem. *Q. practicarum c. 32. n. 2.*

His si addantur ea quæ supra dicta sunt de doctrina Patrum & doctorum & praxi Ecclesiæ, nõ solum in alijs regnis, & rebuspublicis Christianis; sed etiã in Ciuitate & principatu Romani pontificis, qui Clericos, Diaconos, Presbyteros, Episcopos etiam Cardinales, exilio, carceribus,

carceribus, confiſcationibus, ſuſpendio, alijſq; pœnis ciuilibus, quæ tãquã ſummus ſacerdos infligere non poteſt, ſæpius punit, luce clarius erit, Clericos & cogi & puniri, non tantum dirigi à ſeculari poteſtate poſſe: Id quod vel eo ipſo probatur, quia gratia & indulgentia principum, exemptionem a Iudicijs & pœnis temporalibus habent. Quiſquis enim de iure ſuo remittere ſiue diſcedere poteſt Ius habet: Imperatores de Iure ſuo diſceſſerunt, & Iudicia & pœnas Clericorum, Epiſcopis & ordinarijs remiſerunt, & reſeruarunt, Ius ergo habent.

De Concilio Conſtantienſi ſuo loco dicemus: *C.* 34.

13 Vrget 2. *Bellarminum Barcl: Clerici ciues ſunt & partes* (ſiue membra) *Republicæ politicæ, Ergo leges politicas obſeruare tenentur, & ſi non obſeruent, pœnis ciuilibus cogi poſſunt.*

„ Nihil hic reſpondet *Bell*: ad rem: *Barc.* (inquit) *contra ſententiam Catholicorum omnium loquitur: licet non conueniat inter Theologos, quo iure eximantur, exemptos tamen eſſe aliquo iure, nec à poteſtate Laica cogi poſſe, inter omnes conuenit.* Non conuenit inter omnes Theologos quod ſint exempti; patres enim talẽ exemptionẽ non docent: nec quo Iure exẽpti ſint cõuenit: Diuino *ſcil:* an humano, an mixto, an neutro, nec quouſq; vel in quibus exẽpti ſint, conuenit, & proinde Iure naturali exẽpti non ſunt, quia lex naturæ certa eſt, hæc exẽptio incertiſſima eſt: nouilunia, & plenilunia habet, facilius eſt tunicã lunæ, quã exẽptioni huic tunicã texere: exẽptio iſta inter Theologorũ, & Canoniſtarũ varias & pugnãtes opiniones fluctuat. Nec inter omnes cõuenit, quod a poteſtate Laica coactiua exẽpti ſunt, reclamant Doctores multi; praxis Eccleſiæ, nube exẽplorũ in ſingulis rebuſpublicis Chriſtianis confirmata, reclamat.

Et aut valet ratio *Barc.* a natura Ciuiũ & partiũ ſiue mẽbrorũ petita; aut præcipua ratio poteſtatis põtificiæ, in regib⁹ deponẽdis, in terrã corruit.

Rector Ciuitatis, habet poteſtatem & directiuam & coactiuã, in omnes ciues Clericos & Laicos, Reges & populum iuxta leges Ciuitatis.

Pontifex eſt Rector ciuitatis Dei, ſiue Cœleſtis: 1. Eccleſiæ, Clerici, & Laici Reges & populus ciues ſunt Ciuitatis Dei.

Pontifex ergo poteſtatem habet directiuam et coactiuam, in omnes ciues, Clericos & Laicos, Reges & populum, iuxta leges ciuitatis.

Hæc ratio iuxta *Bellarminum* valet, quidni ergo valeat & iſta.

Rector Ciuitatis poteſtatẽ habet et directiuã et coactiuã, in omnes ciues, Clericos et Laicos, Pontifices, et Populum iuxta leges ciuitatis.

Rex eſt Rector ciuitatis terreſtris, ſiue Regni ſiue Reipublicæ, clerici et laici, pontifices et populus, ciues ſunt ciuitatis terreſtris ſiue Regni.

Rex ergo Poteſtatem habet et directiuam et coactiuã, in omnes ciues Reipublicæ clericos et laicos, Pontifices, et populũ iuxta leges ciuitatis.

Idem dici poteſt de capite et membris: ſpiritu et carne.

Caput poteſtatem habet directiuam & coactivam in membra: & ſpiritus

ſpiritus poteſtatem habet & directiuam & coactiuam in Carnem.

Sed pontifex caput eſt Eccleſiæ, Reges, Clerici, & Laici ſunt membra, in corpore Eccleſiæ, pontifex eſt vt anima: Rex vt caro eſt.

Ergo pontifex poteſtatem habet directiuam & coactiuam in Reges Clericos & Laicos, poſita eadem maiori propoſitione: aſſumo.

Sed Rex caput eſt Reipublicæ: pontifices, Clerici & Laici membra ſunt, Rex anima eſt Reipublicæ, pontifices Clerici & Laici in Republica caro ſunt.

Ergo Rex poteſtatem habet directiuam & coactiuam in pontifices Clericos & Laicos.

Vtrum horum mauis, hîc accipe *Bellarmine*: Aut rationes iſtæ a Rectore ciuitatis, a Capite, & Spiritu Corporis deductæ, quibus plurimum confidit *Bellarminus*, futiles ſunt & inanes: aut Rex eodem Iure habet poteſtatem directiuam & coactiuam in pontifices & Clericos, quatenus ciues ſunt, & membra, & corpus reipublicæ in qua Rex Rector eſt, & caput & ſpiritus ſiue anima: Aut pontifex eo nomine poteſtatem directiuam & coactiuam, in Reges & Clericos & populum non habet, quia Reges & Clerici & Laici ciues ſunt, & membra & corpus Chriſti & Eccleſiæ.

Multum vero debet Pontifex Romanus *Barclaio*, quod ipſum a poteſtate Regum & Imperatorum coactiua, eo nomine eximat, quod princeps ſit politicus: non enim deſunt inter Catholicos qui hanc poteſtatem Imperatoribus & Regibus Chriſtianis tribuunt, vt pontificem hæreticum aut dubium aut malum & pernitioſum, in ordinem cogere, & deponere poſſint, ſicut docent *Cardinalis Zabarella*, *Occhamus*, *Theodoricus à Niem*, *Marſilius Patauinus*, alijq; plures.

3. Vrget *Barclaius Gregorium*: *Sacerdotibus non ex terrenâ poteſtate, Dominus noſter citius indignetur, ſi excellenti conſideratione propter eum cuius ſerui ſunt, eis ita dominetur vt etiam debitam reuerentiam impendat: 1. Dominetur, vt ciuibus, reuerentiam impendat vt patribus ſpiritualibus.* 14 *Lib. 4. Epiſt. 15.*

Reſpondet *Bellarminus*: *poteſt ſic intelligi Gregorius: Imperator dominatur ſacerdotibus conſtituendo leges politicas, quas ipſi vi rationis, non vi legis obſeruare teneantur: eos tamen ſic reuereatur, vt non puniat ipſe, ſed puniendos prælatis ipſos relinquat.*

Imô vero ſic intelligendus non eſt *Gregorius*: ne videatur in articulo præcipuo fidei *Bellarminiana* æquiuocare: Imperator dominatur ſacerdotibus: Dominium hoc tantum directiuum eſt, vi rationis, non vi legis: Imperator ſacerdotibus reuerentiam impendat, Reuerentia hæc ſupremum dominium ſummi pontificis continet (*Gregorius* enim ipſe Clericus eſt, cui reuerentia hæc impendenda eſt: (ſi tamen *Gregorius* ſacerdos fuerit: videtur enim ſeipſum ſacerdotem negare, *Sed & ſi ſacerdos non ſum*) mira vero hæc eſt ars, vel potius fraus *Gregorij*: Dominium. *Ibid.*

um in Imperatore directionem ſonat, non coactionem : Reuerentia in ſacerdote, poteſtatem directionis & coactionis etiam ſuper Imperatores ſonat: Aut magnus æquiuocationis architectus *Gregorius*, aut malus *Gregorij* interpres *Bellarminus*.

Quod ſi verba iſta *Gregorij: Gregorius* ipſe interpretetur, verum proLib. 2. Epiſt. 62. cul dubio & directiuum & coactiuum eſt hoc dominium : *Sacerdotes meos manui tuæ commiſi*, ſic *Gregorius* in perſona Chriſti, ad *Mauritium:* & ad *Theodorum*, *Dominari eum non ſolum militibus, ſed etiam ſacerdotiEpiſt. 64. bus conceſſit:* & in Epiſtola 61. *Ego quidem, Iuſſioni ſubiectus*, quin etiam Lib. 4. Epiſt. 76. in' Epiſtola proxime ſubſequenti, (in qua *Ioannem Conſtantinopolitanum* perſtringit, quod nomen vanitatis, vocabulum nouum & prophanum, nomen illud blaſphemiæ appetat, & vniuerſalis Epiſcopus vocari conatur, quo tamen hodie gloriatur Epiſcopus Romanus,) ſæpius obedientiam ſuam inculcat; *Quod quidem ego opto atq; quantum ad me attinet ſereniſſimis Iuſſionibus obedientiam præbeo*; & iterum, *Ego autem Dominorum Iuſſionibus obedientiam præbens :* In hac Epiſtola Rogat *Mauritium Gregorius* vt de cauſa iſtâ, Eccleſiaſticâ iudicet, & *Ioannẽ Conſtantinopolitanum* coerceat, & coertio iſta, coactiua eſt, ad vim legum non ſolum ad rationem ſiue directionem legum ſpectat; Quod ad Iudicium Imperatoris ſpectat, verba perſpicua ſunt. *Ad ſecundam petitionem prædicti Sabiniani Diaconi, aut piiſſimus Dominus ipſum dignetur iudicare negotium, aut ſæpe nominatum virum, vt ab hâc tandem intentione ceſſet deflectere:* Ibi rationis directio in Imperatore: ſupra vero: *Ille coercendus eſt qui ſanctæ vniuerſali Eccleſiæ iniuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine ſingularitatis appetet* : qui honori quoq; imperij veſtri *ſe per priuatum vocabulum ſuper ponit*, (nomen hoc vniuerſalis Epiſcopi proditionis ſiue Maieſtatis læſæ peragitur) Ecce coercendus eſt *Ioannes* Patriarcha ab Imperatore: & ſupra, *Quia piæ leges, quia venerandæ Synodi, quia ipſa Domini noſtri Ieſu Chriſti mandata, ſuperbi & pompatici cuiuſdam ſermonis inuentione turbantur, piiſſimus Dominus locum ſecet vulneris, atq; reſiſtentem agrum Auguſtæ autoritatis vinculis conſtringat:* Si hæc non coactiua poteſtas, ego coactionem me ignorare profiteor.

Subiectio vera iſta, non ex neceſſitate ſed ex debito: non de facto ſed de Iure, id verba *Gregorij* ſatis oſtendunt; *Vtrobiq; ergo quæ debui exolui, qui & Imperatori obedientiam præbui, & pro Deo, quod ſenſi non tacui*: quæ debui, obedientia ergo iſta Imperatori debita erat. Et proinde non vi rationis, ſed vi legis, hoc fecit *Gregorius* : Si enim vi rationis hoc feciſſet *Gregorius* nunquam proculdubio feciſſet, quia lex iſta iudicio *Gregorij* contra rationem lata eſt, quod ipſe *Gregorius* non tacet; pro Deo, inquit quod ſenſi non tacui: diſtinctio ergo iſta, de vi rationis & vi Legis, cum doctrinâ *Gregorij* minime quadrat: qui & rationem legis reijcit, & vim legis agnoſcit. Sed vlterius ipſum audi *Gregoriũ*, ad Romanum

manum Defensorem Siciliæ, *Si quis vero Clericus vel Laicus, contra Episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes vt inter in eos aut ipse cognoscas, aut certe te admonente sibi Iudices eligant*: vbi directe in Episcopos Laicorum agnoscit authoritatem.

At ad Mauritium quod attinet (inquit *Bellarminus*) *Mauritius in vltimis Imperij sui annis tyrannicè imperauit, ac in sacerdotes potissimum sæuijt, & ideo ita loquitur Gregorius vt lugum tyrannicum si auferre non poterat, mitigare saltem & moderari niteretur.*

Manifestò hic captus est *Bellarminus*, seipsum nulla ratione extricare potest. Male diuisa sunt tibi temporibus *Bellarmine* ista: *Mauritius* in vltimis Imperij annis tyrannicè in sacerdotes sæuijt: Ergo in prioribus *Mauritij* annis antequam tyrannidem in sacerdotes exerceret, blanditur & adulatur & potestatem indebitam ei tribuit *Gregorius?*

Scriptæ enim sunt hæ Epistolæ *Indictione vndecima*, id est circa annũ octauum *Mauritij* vti *Baronius*: *Mauritius* tyrannus in vltimis Imperij annis 1. circa 15. aut 16. aut 17. annum imperij euasit, in prioribus annis deuotissimus fuit *Mauritius*, vt ex Epistolis istis patet: Deuoto ergo & fideli Imperatori blanditur & Adulatur *Gregorius*, Hypocritarum et AEquiuocatorum maximus, si vera narrat *Bellarminus*.

Quod autem deuotissimus et sanctissimus tunc temporis fuerit *Mauritius* ex vtraq; Epistola satis constat: ad *Mauritium* sic scribit: *Vnde per eundem tremendum Iudicem deprecor, ne illæ tantæ lachrymæ, tantæ orationes, tanta ieiunia, tantæq; elemosynæ Domini mei, ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur, sed aut pietas vestra, &c.* An lachymæ istæ, orationes, Ieiunia, elemosynæ, tyrannidem *Mauritij* loquuntur, an deuotionem? Ad *Theodorum* sic de *Mauritio* scribit: *Quod si ideo serenissimus Dominus noster fecit, quia fortè multi milites conuertebantur & exercitus decrescebat; nunquid per virtutẽ militum subiugauit ei omnipotens Deus Imperiũ Persarũ? nunquid non sole lachrymæ illius auditæ sunt, & eo ordine, quẽ ipse nesciuit, eius Imperio Persarum Regnum subdidit?* Lachrymæ *Mauritij* Deo acceptæ erant et Regnum *Persarum* subiugarunt: An lachrymæ tyrannorum tanti sunt apud Deum?

At ex commentario in Psalmũ 101. Didicimus Mauritium in vltimis Imperij sui annis tyrannice Imperasse, & potissimum in sacerdotes sæuire cæpisse.

Qua vero ratione, quibus medijs, edoctus *Mauritium* tyrannum in vltimis Imperij sui annis in sacerdotes sæuire cæpisse asseris? in quos sæuitũ est? An in *Gregoriũ* ipsum? in *Gregoriũ* procul dubio: In Epistola enim citata, *Gregorium Vrbanæ simplicitatis arguit*, id est, vt *Gregorius* interpretatur, fatuum appellat: grauis proculdubio persecutio quod Põtifex Summus vrbanæ simplicitatis arguitur, qui iuxta doctrinã domini, columbinam simplicitatem imitari iubetur: Persecutor ergo intolerabilis, quisquis ille fuerit, qui capiti Põtificis hunc titulũ præfixit:

pulchrum

pulchrum caput, ſed cerebrum non habet: ſed miſſa iſta faciamus: An hac de cauſa *Mauritius* & vxor eius & filij in manus *Phocæ* traditi ſunt, quod *Gregorium* vrbanæ ſimplicitatis arguat, aut *quod quæſtores eius, cum peccato tributa colligebant inſcio Imperatore*: has tamen cauſas
Annal. Tom.8. aſſignat Baronius Anno 595. num: 16. In eadem Epiſtola *Gregorius* multas plagas ſe accepiſſe narrat: pax in Thuſcia ſubducta eſt, hæc plaga prima: Nobiles de ciuitate Romana ablati ſunt: Hæc ſecunda. Aduenit *Agilulphus*: Romani captiui abducti, quid Imperator? An has plagas inflixit? Imo contra plagas conſolationes adhibuit: *Multas iam plagas acceperam, & ſuperuenientibus Dominorum Iuſſionibus inueni conſolationes quas non ſperabam*; Ecce *Mauricius*, non perſecutor, ſed conſolator, cum iſta ſcribit *Gregorius*.

Neq; vero ſatis conſtat Commentarios illos in ſeptem *Pſalmos pœ-*
c.3. *nitentiales Gregorianos* eſſe: vti ſupra docuimus: nec vlla ratio, vel rationis ſpecies vel probabilitas, iſta ad *Mauritium* referenda, cogit: *Sunt quidem portæ inferi, quædam poteſtates huius mundi: Quid enim Nero, Quid Dioclesianus; quid denique ille qui hoc tempore Eccleſiam perſequitur, nunquid non omnes portæ Inferi?* Si *Mauritium* intendiſſet, dixiſſet, quid denique ille qui nunc imperat, & Eccleſiam perſequitur? *AGilulphum* & Longobardos Eccleſiam Romanam infeſtaſſe narrant omnes Hiſtoriæ & fatetur *Gregorius*: Quidni ergo de *AGilulpho* verba hæc intelligi debeant quem omnes perſecutorem agnoſcunt, potius quam de *Mauricio*, quem ex hoc ſolum loco ambiguo, perſecutorem fuiſſe arguunt *Baronius* & *Bellarminus*? Hæret reuerâ *Baronius*, nec ſatis conſtat quando hos commentarios ſcripſerit *Gregorius* an in initio, an in medio, an fine Imperij *Mauritij*? Dubius etiam an ſcripſit de *Mauritio*, an de *Phoca*, an de *Tiberio* vel *Iuſtinio* qui hos præceſſerunt *Auguſtis*, (cuiuſvis horum temporibus velis ſcripſiſſe *Gregorium* Cõmentarium
Ad annum 590. nu.6. illum) *qui omnes reperiuntur fuiſſe fide Catholica orthodoxi, hacq; tantum ex parte damnandi, quod confirmationem electi in Romanum Pontificem ſibi vt vidimus vendicarent*: Hæc *Baronius* Anno primo *Gregorij*; at oblitus ſui & eorum quæ ſcripſerat Anno 1. *Gregorij*, Anno 4. verba iſta commentarij, *Quid denig, iſte qui hoc tẽpore Eccleſiã perſequitur* de *Mauritio* interpretatur: Acſi *Mauritius* tyrannus & perſecutor & Hæreticus Symoniacus eſſet, eo nomine ſolo, quod pro confirmatione Epiſcopi Romani pecuniam accepit, ſicut & prædeceſſores & ſucceſſores ſui fecerant.

Et qualis hæc hæreſis Symoniaca: Duæ erant in *Gregorio* perſonæ 1. Epiſcopus erat Romanus: pro huius confirmatione pecuniam accipere Symonia erat 2. Rector erat ciuitatis *Baronio* autore: etſi alios haberet Imperator, in vrbe officiarios & milites: *Intellexiſti pariter non ſpiritualibus tantum rebus, ſed & publicis Reipublicæ curis incubuiſſe* Gregorium,
Ibidem ad annum nu.25. *ipſumq; vrbem non ſacerdotali tantum, ſed & Regali adminiſtraſſe regimine,*

licet

t illic præfecti essent vrbani, necnon milites ibidem ab Imperatore collocati.
ro confirmatione in præfectura hac ciuitatis pecuniam dedit, quic-
d illud sit, symonia non est: Sicut enim autore *Bellarmino*, *Archie-*
pus qui est Princeps Imperij potestati Imperatoris subijcitur, non quâ
chiepiscopus sed quâ Princeps Imperij: Sic & præfectus ciuitatis pecu- *cap.35.*
m pro confirmatione præfecturæ ciuilis pendere potest, qui vt E-
copus sine peccato Symoniæ eandẽ pecuniam soluere non potest:
o Episcopatu: Quod autẽ hæresis ista Symoniaca, de qua in hoc cõ-
ntario agit *Gregorius*, de pecunia ista Imperatori pro confirmatione
mani Episcopi soluta, intelligi non potest, patet manifeste ex verbis
egorij: *Cuius erroris vesania licet ex tunc damnata fuerit, postentamen in*
clesiæ germine pestifero pullulauit: Nostris vero maximè temporib⁹ malitiæ
virus exeruit. Et totius Ecclesiæ pacem schismatica infestatione turbauit:
ullum schisma pro pecunia ista tempore *Gregorij*, Ecclesiam turba-
Concitauit enim aduersus Ecclesiam Dei non solum innumerabilem populi
titudinem, verum etiam regiam, si fas est dicere potestatem.
t solutio huius pecuniæ non concitauit innumerabilem multitudi-
n contra Ecclesiam Dei, ne vnus quidem de infima plebe, hac de
ıa concitatus est: Raro etiam *Gregorius* per potestatem Regiam Im-
atorem designat: Vnde *Vercellensis Gregorius appellat Romanos Impe-* *De vnitate Ec-*
ores Dominos suos, & se seruum eorum; Reges autem Francorum filios suos *clesia conser-*
se patres eorum. Sequitur *Quoquo modo habere potest peruersitatis suæ soci-* *uanda.*
consortio Christi efficit alienos: Neminem vero a consortio Christi
nauit *Mauritius:* Neminem habuit huius peruersitatis socium quia
s Imperauit, Postrema vero verba, *In Domina gentium terrenæ iura po-*
tatis vsurpat, De *Mauritio* intelligi nulla ratione possunt: qui ius
renæ potestatis in ciuitate Romana non vsurpauit, sed Iure optimo
rcuit: & in hoc terminos, quos posuerunt patres sui, non est trans-
ssus, omnes enim prædecessores *Mauritij* Imperium in ciuitate Ro-
na Iure obtinuerunt & exercuerunt.

Vtcunq; ergo de Tyrannis *Longobardorum* hæc intelligi possunt, de
Mauritio nullâ ratione intelliguntur, cuius nullum extat exemplum
nnicum, nulla hæresis, vsurpatio nulla, nullum schisma, nulla po-
i contra Pontificem concitatio. Præterea sæpius conqueritur *Gre-*
us de hæresi istâ Symoniaca quæ opera *Brunichildis* Reginæ totum
gnum *Franciæ* peruaserat: vti in multis eiusdem Epistolis patet,
etiam Regis *Francie* in illa hæresi extinguenda implorat opem, &
ac hæresi *Francorum* rectius, quam de pecunia illa pro confirmati-
Imperatori data, iuxta antiquam consuetudinem intelliguntur
ba huius Commentarij.

upra dixeram: Commentarium istum magis referre spiritum
lebrandi quam *Gregorij* 1. iam addo: Si iste commentarius tem-
Gregorij septimi extitisset, qui confictum illud priuilegium

sancti Medardi pro causa sua vrget, hoc testimonium *Gregorij* contra *Mauritium* (*nulla enim ratio finit vt inter reges habeatur, qui destruit potius quam regit Imperium*) nunquã prætermisisset: *Mauritius* ergo nec hæresi infectus, nec tyrannide Ecclesiæ infestus fuit: & proinde impie nomen hæretici & tyranni, illi imponunt *Baronius* & *Bellarminus*.

Sicut à tyrannide & hæresi liber *Mauritius*, sic ab hypocrisi, & æquiuocatione in causa fidei, (qualis hæc *Bellarmino* visa est) liber est *Gregorius*; sic loquitur *Gregorius* vt docet, vt facit, vt sentit, non blanditur non adulatur tyranno: *non sic loquitur, vt ingum Tyranni, si auferre non poterat, mitigare saltem & moderari, niteretur*: vti *Bellarminus*.

Sic enim loqui, est fidem veritatemq; Christiani prodere.

De sacrũ Eccles. ministr. & benef. l. 1. c. 5. Duarenus citans verba ista: C. Sacerdotibus 11. q. 1. *De Romanis* (inquit) *Pontificibus aliquid supra attigimus, quorum aliqui Imperatorem Dominũ suum nominare haud quaquã veriti sunt: Alij etiam ipsius Iudicium libenter aut certe æquo animo subierunt*: Et *Claudius* Espencæus de ipso *Gregorio* nominatim: *Et Gregorius primus, idem & magnus ingenue agnoscebat Imperatori à Deo concessum, non militibus solum, sed Sacerdotibus quoq; dominari*: Regist: l. 2. Epist. 64. Si *ingenue* imperium *Mauritij* in Sacerdotes agnoscat *Gregorius*, non blanditur, non adulatur, non sic loquitur vt lugum tyranni mitiget, & moderetur: Ita etiam sensit *Wenceslaus* Imp: in constitutione sua, *Vbi Romanos Pontifices Imperatores vt Dominos agnoscentes, & re, & nomine reverentiam exhibentes proponens*, remittit lectorem ad Registrum *Gregorij*.

Ad Titum c. 3. digress. 10.

Constit. Imp. Tom. 2.

Sed ipsum *Gregorium* audiamus: in Epist: 61. *Omnipotenti Deo reus est qui serenissimis Dominis in omni quod agit & loquitur purus non est*: In Epist, 64, *Quanta bona omnipotentiæ Dei, & serenissimi Domini mei Imperatoris habeam, lingua mea non sufficit explere: pro quibus bonis, quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia purè amare*: Hæc *Gregorius*: Duplex ergo hic fraus est in *Gregorio*, & dum potestatem Imperatori in Sacerdotes indebitã tribuit, & dum subdole, et fraudulenter, et hypocritice loquitur in causa fidei, qui de integritate, et sinceritate sua sic præfatur, aut *Bellarminus* in *Mauritium* impius, quem tyrannum et hæreticum appellat: et in *Gregorium* summum Sacerdotem, et Pontificem, et Vicarium Christi, et successorem *Petri*, et sanctissimum: Doctorem Ecclesiæ pene blasphemus, quem adulatorem, et æquiuocatorem in fide et hypocritam, et monstrum inter Pontifices facit. Quomodo enim *Mauritius Gregorio* tyrannus est, *cujus bona lingua eius non sufficit explere*? Aut quomodo *Mauritius* hæreticus Simoniacus, et *Gregorius* ab eadem hæresi Simoniaca liber? Dedit enim pecuniam *Gregorius*, accepit *Mauritius*: et si venditor Simoniacus sit, et emptor eadem hæresis labe infectus; et maius peccatum est Simonia in Episcopo, quam in Laico Imperatore, qui iuxta praxim et decreta prædecessorum suorum pro confirmatione pecuniam accipit: Imo vero si pecuniam dedit

dit *Gregorius Mauritio* pro confirmatione ſua, è Catalogo Epiſcoporum Romanorum delendus eſt: *Qui* enim Simoniacè Epiſcopatum intrat, Epiſcopus non eſt, nunquam fuit Epiſcopus: Vide quò cæca ambitio et dominandi libido impulit Cardinalem, vt potius *Gregorium* è numerò Epiſcoporum et ſanctorum, (ſancti enim Simoniaci nō ſunt) delere velit, quàm *Hierarchia* tēporali, et clericorum exēptioni deeſſe.

Quid vero eſt, quod *Gregorius* in vltimis Imperij *Mauritiani* annis de hac tyrannide et hæreſi conqueritur, et in primordo ſui Epiſcopatus tacet? An hanc pecuniæ ſummam ſine conſcientiæ ſingultu ſoluit? laudes, et bonitatem, et benignitatem *Mauritij* per multos annos prædicat, et in fine Imperij *Mauritiani* de hæreſi & tyrannide clamare occæpit? Refugit *Gregorius* et honorē, et onus Epiſcopatus, ſecretas literas ad Imperatorem mittit, quibus rogat, ne confirmationi ſua conſentiat, quas intercepit præfectus vrbis et dilacerat; confirmatur *Gregorius* nolens volens: timet onus curæ paſtoralis cur non magis timet peccatum et hæreſim Simoniacam, quam incurrere in confirmatione ſua neceſſe eſſe ſatis nouerat? Si hæc ſit hæreſis, hæc tyrannis *Mauritij*, confidenter dico *Gregorius* 1. (etiam confitente *Bellarmino*) hæreticus eſt, et proindè Pontifex Romanus hæreticus eſſe poteſt. Hic liberam tibi relinquo optionem: aut *Gregorius* hæreticus eſt, Simoniacus eſt, Epiſcopus non eſt, ſanctus non eſt; aut *Mauritius* tyrannus non eſt, hæreticus non eſt, *Gregorius* ex animo et ingenuè loquitur, Sacerdotes et Clerici ſubditi ſunt poteſtati ſeculari coactiuè. Benè nobiſcum agitur, non poteſt ſtare exemptio Clericorum, niſi diſepiſcopetur *Gregorius*, diſanctificetur ſanctus, et Pontifex doctiſſimus et ſanctiſſimus hereticus et equiuocator in fide ſit.

4 *Barclaius* vrget factum *Salomonis* qui *Abiatharem* ſacerdotem Maieſtatis reum pronuntiauit, quod coniurauit cum *Adonia*, et eundem eiecit ne ſacerdotio fungeretur. 15

Duo reſpondet *Bellarminus*: 1. *Salomon Abiatharem mortis reum pronunciauit & Sacerdotio eiecit, non vt Rex ſed vt Propheta*: 2. *Dubitat an rectè factum ſit à Salomone.*

Antequam ad has reſponſiones deſcendat, præmittit duas opiniones: primam non *improbabilem: in veteri ſcil. teſtamento Regem abſolute maiorem fuiſſe Pontifice: ſic enim docet* Thomas *de Regimine Principum: in veteri lege ſacerdotes Regibus leguntur fuiſſe ſubiecti, & promiſſiones in veteri teſtamento temporales erant, & ſacrificia carnalia.*

Hæc opinio non eſt improbabilis, Sic *Bellarminus*: at *Innocentio* 3, et *Bonauentura*, et *Pighio*, et *Toſtato*, et *Salmeroni*, non tantum probabilis ſed et probabilior imò et verior: *Quib*° ſi addamus patres et alios doctores ſupra citatos, qui omnes ſubiectionem iſtam è Iure diuino et naturali dederunt, nec non et Imperatores qui clericis exemptionem de gratia indulgentes de Iure ſuo remiſerunt; luce clarius erit opinionē iſtam

iſtam quam *Bellarminus* non improbabilem appellat ſolam veram, & fidei Catholicæ & Eccleſiæ praxi conſentaneam eſſe.

" 2, *Probabilior: Pontifex Rege maior fuit in veteri teſtamento*; at hæc opinio Improbabilis prorſus eſt, & à ſolis Monarchomachis, & Pontificiæ Hierarchiæ aſſertoribus defenditur, de qua ſatis ſupra dictum eſt.

Salomon de facto *Abiatharem* mortis reum pronunciaſſe, & in Anathot relegaſſe, & ex conſequenti Sacerdotio priuaſſe, apud omnes in cõfeſſo eſt, & textus ipſe docet: ſed an Iure factum ſit, & quo Iure factum ſit, illud in quæſtionem inter *Bæel* & *Bell.* vocatur; Qua in re illud, quod alias ſæpe, *Bell.* accidit, vt ſibi ipſi in duab⁹ iſtis reſponſionib⁹ cõtradicat: Si enim vt Propheta *Abiatharem* depoſuit, vt in prima reſponſione aſſerit; & Iure fecit, & bene fecit. Si de facto *Abiatharem* depoſuit, non de Iure, & proinde male fecit, vt in ſecunda reſponſione affirmat, aut ſaltem dubitat: tum iure prophetiæ, ſiue vt propheta non fecit: ſic ſolet *Bell.* pugnantia reſpondere. Quod ergo ad primã reſponſionẽ

" attinet, *Salomõ nõ vt Rex, ſed vt Propheta diuino inſtinctu indicauit Abiatharẽ mortis reũ & ſacerdotiũ ei abrogauit*: Gratis dicuntur iſta à *Bell.* et hic, et *l.* 2. *de Pont. c.* 29. Sine autoritate, ſine ratione, ipſe dixit, alter *Pythagoras*: quid vero hoc eſt vt propheta nõ vt Rex? vt propheta, id eſt vt executor diuinæ iuſtitiæ ex peculiari inſtinctu Dei: prophetã eſſe qui futura prędicat, et myſteria Dei prænũtiet, ſæpius auditũ eſt, vbi vero propheta dicatur qui executor eſt diuinæ iuſtitiæ, vel qui ex peculiari Dei inſtinctu aliquid perficiat, non dũ ſatis cõſtat: propheta enim doctorẽ ſonat potius quia executorem diuinæ Iuſtitiæ: ſed de nomine litem non mouemus. Prædictum fuit per prophetam quod Sacerdotium transferendum eſſet de domo *Eli*: hoc manifeſtum eſt. 1. *Regum* 2. & 3. Sed quod *Salomon* præceptum ſpeciale, aut inſtinctum a Deo ſpecialem habuerit, adeoq; iuſſus fuerit *Abiatharẽ* de ſacerdotio eijcere, et Sadoc ſubſtituere, nulquã apparet, nullibi dicitur: Autor huius reuelationis priuatæ ſiue ſpecialis, eſt *Bell.* non Angelus, aut ſpiritus ſanctus: *Prophetiæ* (inquit *Toſtatus*) *cõtra aliquos erant quedã ſententiæ particulares Dei, quæ nullus de Iure erat executor, niſi ipſe Deus, aut ille, cui ipſe ſpecialiter hoc demãdaret*: et infra, *Deus nõ cõmiſit punitionẽ Abiathar, vel executionẽ Prophetiæ ipſi Salomõ ſpecialiter: Ergo ſi ille intromitteret ſe de executione illius, peccaret, tãquã iudicans in rẽ ſuo territorio, vel vſurpans ſibi, quocũq; modo iuriſdictionẽ*: nec hoc loco dicitur, vt impleretur ſermo Domini, quem locutus eſt ad *Salomonem*, ſed quem loquutus eſt ſuper domum *Heli* in Silo.

In 3. Regum cap. 2. q. 32.

Vt autem conſtaret, qua poteſtate, quoq; iure *Salomon Abiatharẽ* depoſuerit, dicit textus: *Abiathar quoq; ſacerdoti dixit Rex.* Si in hac mãdati diuini executione *Salomon* prophetæ partes ſuſtineret, non Regis, quare non dicitur dixit propheta, aut dixit *Salomon*, ſed dixit Rex; Quare non dicitur, ver. 35. poſuit *Salomõ*, aut poſuit propheta, ſed tantũ *poſuit Rex Sacerdotem Sadoc pro Abiathar*: Eadem phraſi vtitur ſpiri-

V. 26.

tus

tus Sanctus, de depoſitione *Abiatharis* & ſubſtitutione *Sadoc*, quâ de *Adoniæ & Ioabi* morte; & *Banaiæ* præfectura vſus erat: omnia ſub nomine *Regis*, non Prophetæ fiunt; non ergo Iure Prophetico, ſed Regio facta ſunt. Ad Regis officium pertinet executio huius mandati, ſicut & aliorum omnium præceptorum primæ & ſecundæ tabulæ, quorum cuſtos & executor & vindex eſt Rex à Deo conſtitutus. Quod ſi omnia illa quæ ad deſtructionem Idolorum & reformationem cultus diuini, & Sacerdotum correctionem, à Regibus *Iudeorum*, vt pote *Dauide, Salomone, Ioa, Iehu, Ezechia, Ioſia*, alijſq; nec non à *Nabuchodonoſore & Dario*, & *Artaxerxe* Regibus Ethnicis facta ſunt, non ad officium Regale, ſed ad particularem aliquam reuelationem, ad ſpecialem inſtinctum, ad mandatum ſpeciale referenda ſunt, non ſolum *Dauid*, & *Salomon*, & *Ioas*, & *Iehu*, & *Ezechias*, & *Ioſias*, alijq; Reges Iudæorum, qui ordines ſacerdotum & Leuitarum & Cantorum diſtinxerunt, & reſtaurationem templi & Paſchatis celebrationem, & legis diuinæ lectionem, aliaq; ad cultum Dei & ſacerdotum, & Leuitarum correctionem ſpectantia procurarunt, inter Prophetas erunt, ſed & *Nabuchodonoſor*, & *Darius*, & *Artaxerxes* Prophetæ erunt, & ſpeciale mandatum per reuelationem Spiritus Sancti, aut Angelorum, aut ſaltem inſtinctum aliquem diuinum, & Propheticum habuerunt: Hi enim omnes poteſtatem in Sacerdotes, & Leuitas exercuerunt, & Leuitæ, & Sacerdotes his omnibus Regibus ſubditi erant, & proinde aut iſti, non quâ Reges, ſed quâ Prophetæ iſta fecerunt: aut non eſt opus nouâ hac & nimium ſubtili diſtinctione, qua depoſitionem *Abiatharis* eludere conatur *Bellarminus*:

At inquit *Bellarminus: vt Propheta hoc fecit* Salomon, *non vt Rex, quia addit ur vt impleretur ſermo Domini quem locutus eſt de Domo* Heli *in Silo: Vox Hebraica actiuæ eſt ſignificationis: vt Impleretur: legendum eſt, vt impleret: id eſt*, Salomon *eo animo ſiue affectu, & intentione*, Abiatharem *relegauit in Anathoth & Sacerdotio priuauit: vt impleret prophetiam de Domo* Heli; *ſicut* Iehu *Cadauer* Ioram *in agrum Iezrael proijci iuſſit, vt impleret Prophetiã* Eliæ, *tolle, inquit, eũ, & proijce de curru in terra iuxta verbũ Domini, &c. 4. Reg. 9.* Illud interim obſeruet lector, verba hæc, *vt impleretur verbum Domini, quod locutus erat per* Eliã *Prophetã*: nec in Hebræa, nec in vulgata editione haberi: facile eſt illi verbis Scripturæ addere ex libito.

Exemplum vero hoc de *Iehu*, Iugulum cauſæ *Bellarminianæ* directè petit, *Iehu* enim non quâ Propheta, ſed quâ Rex, poteſtate regia *Ioram* occidit & vindictam ſuper domum *Achab* ab *Elia* prædictam exercuit: *Vnxite Regem, ſuper populum Iſrael, & percuties Domum Achab*: Et quod hic dicitur: *Et percuties domum Achab* 1. *Paralip.* 22. 7. Dicitur quẽ vnxit Dominus vt deleret domum *Achab*: primo poteſtatem Regiã accipit, tum Iubetur vindictã tanquam *Rex* in domum *Achab* exercere: Regia poteſtate, non Prophetica aut alia ſpeciali autoritate percuſſit Do-

4. *Reg.* 9. 6. 7.

mum *Achab*.; per ſpeciale mandatum Dei Rex inungitur & tunc poteſtate regia inſtructus, ad vindictã mittitur, nec *Iehu* Propheta eſt, ſed à Propheta inunctus & edoctus eſt: pari ratione *Salomon* forte per Prophetiam edoctus eſt, quid de domo *Heli* faceret in *Abiatharis* depoſitione, & tamen prius Rex creatur, & tunc autoritate regia & *Adoniam*, & *Ioabum* morte, & *Abiatharem* exilio & depoſitione mulctat.

Tota vero vis huius rationis *Bellarminianæ* in vi vocis Hæbraicæ actiua conſiſtit: *vt impleret*, vel vt vulgatæ editioni detur aliquid, *vt impleretur* per *Salomonẽ*. De vi vocis non contendo: Actiuã per me habeat ſignificationẽ: *Abiatharẽ* depoſuit *Salomon*, vt impleret fortè Deus: qui omnia per ſeruos ſuos, fortè etiam ipſis inſcijs & non intendentibus fortè etiã & nolentibus, quæ voluit fecit: vel vt impleret *Salomon* verbum Domini, eo animo, ea *ſcil.* intentione, edoctus per Prophetiã de euerſione Domus *Heli*, quanquam id neget *Toſtatus*, *Neſciebat an Deus voluerat quod ceſſaret tempore Abiathar, vel alterius ſucceſſoris*, ſed Demus eo animo feciſſe *Salomonẽ* vt impleret ſermonẽ Domini, quẽ locutus eſt de domo *Heli* in Silo, intentio ergo *Salomonis* reſpiciebat ſermonem Domini de domo in Silo, non ſermonẽ aliquẽ ſibi particulariter factũ; Animus vel intentio *Salomonis* affectũ facientis vel implentis deſignat, nec denotat poteſtatem *Salomonis*, qua iſta impleuit: Potuit enim *Salomon* implere verbum Domini de excidio Domus *Heli*, potuit eo animo, eaq; intentione *Abiatharem* deponere vt impleret verbum Domini, Et tamen nulla neceſſitate conſequitur, *Salomonem* autoritate ſpeciali vel extraordinaria & Prophetica, ſed potius ordinaria & Regia *Abiatharem* reum mortis condemnaſſe, & in *Anathot* relegaſſe, & ſacerdotio ſpoliaſſe: Intentio enim ſiue finis agentis, non eſt index poteſtatis extraordinariæ, quia poteſtas ordinaria eadem intentione punire poteſt: Quid enim obſtat, quo minus Rex ordinaria poteſtate præditus, non poſſit iudicia Dei per Prophetas prædicta executioni demandari, ſicut Rex poteſtate extraordinaria & Prophetica imbutus, eadem exercet? poſſunt enim Iudicia Dei per Prophetas reuelata ab hominib⁹ ſine intentione humana perfici & adimpleri: Sicut *Herodes* qui occidit Bimulos: *Et milites qui diuiſerunt Chriſti veſtimenta, & aceto & felle eum potarunt*, & *Iudas* qui contra Chriſtum leuauit calcaneum & *Phariſei* qui Chriſtum gratis oderunt, qui tamen nulla poteſtate diuina extraordinaria inſtructi erant, & ſi Prophetæ erant, Satanæ non *Chriſto* militabant, ab Inferis nõ de cœlo edocti: poſſunt etiam iudicia Dei prædicta & per Prophetas prænuntiata, per poteſtates ordinarias, tanquam per cuſtodes & vindices legis diuinæ perfici & adimpleri: vt *Iehu* vnxit Dominus vt deleret Domum *Achab*: vt ſupra dictum eſt.

In 3. Regum qu. 22.

Mat. 2. 17.
Ioan. 19. 24.
Ioan. 13. 18.
Ioan. 15. 25.

Queſt. 28. De hac re ſic ſtatuit *Toſtatus*: *Vt impleretur ſermo Domini ſuper domum Heli in Silo: Id eſt tunc impletus eſt ſermo Domini, qui dictus fuerat de domo Heli Sacerdotis, quomodo ceſſaturum erat Sacerdotium de domo illa. Sciendũ*

quod

iod hic non ponitur, vt, denotando cauſam finalẽ, ſed conſecutinam, quia non ecit Salomon Abiathar *de Sacerdotio ad iſtũ finẽ vt impleretur ſermo domini ſuper domum* Heli, *ſed fecit ad alium finẽ. fuit tamen conſequens ad iſtud us* Salomonis, *quod impleretur verbum Domini ſuper domum Heli.* Et uod tanquam Rex hoc fecerit *Salomon*, multis docet: vt poſt patebit.

Quod addit *Bellarminus: Rex non poteſt iuxta ſententiam* Barclaij *pure Sacerdotes pœna ſpirituali: at* Salomon *depoſuit* Abiatharem *à Sacerdotio: aut ergo exceſſit modum ſuæ poteſtatis, aut hoc fecit non vt Rex, ſed vt Propheta, ex peculiari Dei inſtinctu.*

Reſponſio facilis eſt: pœna hæc depoſitionis ex conſequenti erat: ortis reum pronuntiauit *Salomon*, mortis pœnam ex gratiâ, quia patri *auidi* fidelis extiterat, remittit: pœnã ciuilẽ infligit relegationis, *vade Anathot ad agrum tuum*: relegatio hæc perpetua fuit: non ergo potuit l *Hieruſalem* redire, & officiũ Sacerdotis exercere: Sic ex conſequenti ecit eũ ex Sacerdotio. Sententia ergo *Salomonis* hæc eſt: vade in Anaot ad agrũ tuum: conſequens huius ſententiæ & relegationis hoc eſt: iecit eum vt non eſſet Sacerdos Domini. Præterea *Abiathar* vſurpaerat Sacerdotiũ, ſicut & *Heli* eiuſq; filij, nec legitimus erat Sacerdos ummus iuxta Dei promiſſionem *Phinees* factam: *Abiathar* enim non eſcendit ab *Eleazaro* & *Phinees*, quibus dabatur ſummum Sacerdotiũ; d ab *Ithamar*, filio *Aaronis* iuniore cui ſummũ ſacerdotiũ non debeatur: *Salomon* ergo dũ *Abiatharẽ* ſacerdotio eiecit: non deponit ſacerotẽ; ſed ſacerdotiũ *Sadoc* vero & legitimo ſacerdotij hæredi reſtituit: t intereſt Regis vt verus ſit ſacerdos ſũmus, non dubius: ſicut & inter hriſtianos, ſi de Põtifice vero dubiũ ſit; Imperatoris eſt & Regũ Chriianorũ, cõciliũ cõgregare & verũ Papã declarare vel nouũ eligere, ſiut in Concilio *Conſtantienſi* factum eſt: Tertiò addo: Rex poteſt ſacerotes & Clericos deponere, non ab ordinibus ſed ab executione ordiũ, poteſt tẽporalia, poteſt honores auferre, vnde *Ioſephus* verba *Salomõ* ic refert: *Quãdoquidẽ talia cõmiſiſti, propter que indignus es vt honorib⁹ fruaris: Dicẽdũ erat, quod* Salomõ *nõ peccauit, priuando* Abiathar *ſũmo ſacerotio, quia cũ* Salomõ *poſſet occidere eũ iuſte, à fortiori poterat ei infligere quãbet aliã pœnã, quia qualibet alia pœna eſt minor quã mors:* vti *Teſtatus q:* 31. t multos Episcopos ab Imperatorib⁹ hoc modo depoſitos fuiſſe nar- ant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, ſicut alibi de poteſtate Regum in cauſis Eccleſiaſticis dictum eſt, vbi plura repetat lector: *Salomon* ergo modũ poeſtatis ſuæ non exceſſit, ſed vt Rex *Abiatharem* de Sacerdotio eiecit.

Nota

Antiquit. Iudaic. l. 8. c. 1.

cap. 10.

2. Reſponſio *Bellarmini* hæc eſt; *In ſcriptura narratur factum* Salomoiis *ſed non definitur iure ne an Iniuria id fecerit: ſicut non conſtat an iuſtè ratrem* Adoniam *morte mulctarit, quia Abiſag vxorem ſibi dari petijt.*

Vt Pontificia Hierarchia & Clericorum exemptio ſarta tecta conſeruetur, non ſolũ *Gregorius Magnus* è numero Epiſcoporũ & ſanctorũ n catalogum hæreticorum deturbandus eſt, ſed etiam *Salomon* dilectus

Dei, inter fratricidas & tyrannos, Sacerdotumq; oppreſſores collocandus eſt. *Adoniam* & *Ioabum* occidit, *Abiatharem* *relegauit* ſed an iuſtè an iniuriæ hoc non definitur. At hoc definitum in ſcripturis probat

Qu. 27. Toſtatus, idq; pluribus rationibus: *Non peccauit*, Salomon Adoniam *occidendĕdo*: 1. Salomon *ſemper fuit dilectus Dei, donec per mulieres ad Idololatriam delapſus eſt, at non eſt dilectus Dei, qui fratricida, & tyrannus erga ſacerdotes*: 2. *Poſt hanc cadĕ* Adoniæ, *Deus* Salomonĕ *valde diligebat & ſapientiã quã elegit, dedit ei, ſuper omnes homines, & gloria & diuitijs ſuper alios Reges ditauit eum: nec poteſt petitio fratricidæ & tyranni Deo placere*: 3. *Inter peccata* Salomonis *Eccleſiaſt*. 47. *non recenſetur hoc fratricidium nec tyrannis hæc in ſummum Sacerdotem*: 4. Salomon *habuit iuſtam cauſam occidendi* Adoniæ: *nam* Adonias *quærebat in hac petitione opportunitatem, vt* Salomonĕ *Regĕ legitimũ, à Deo &* Dauide *conſtitutũ, regno exueret; & hoc eſt crimen læſæ Maieſtatis & morte plectendum*: 5. Salomon Adoniam *occidendo pacem publicam procurauit*. Etſi ergo vitam illi prius conceſſerat *Salomon*, quia tamen poſt hanc indultam gratiã malum in eo inuentum eſt, *Adonias* morte dignus erat: Sicut dixerat *Salomon*: *Si vir bonus eſſet,*

3. Reg. 2. *non caderet nec capillus vnus de capite eius in terrã: Si autĕ malũ inueniretur in eo, occideretur*: malum autem hoc erat, quando conſpirauerat cum *Ioab*, Duce exercitus, & *Abiathare* ſummo Sacerdote, vt ſi *Abiſag* Reginã potentem vxorĕ acciperet, his adiutus medijs regnum occuparet.

Quod vero ad *Abiatharem* ſpectat: *Sic Toſtatus. Sciendum eſt etiã quod*

Qu. 28. Salomon *potuerat occidere* Abiathar, *quanquam eſſet ſummus Sacerdos, eo quod in veteri teſtamento, poteſtas Eccleſiaſtica non erat diſtincta à poteſtate ſeculari, ſed ſubiecti erant directè ſacerdotes Regi, ſicut Laici: etiam non erat diſtinctio pœnarum pro ſacerdotibus & Laicis, ſed ad omnes erat communis ſententia ſanguinis in criminibus grauibus. Et quia* Abiathar *commiſerat crimen læſæ Maieſtatis, occidendus erat, niſi miſereretur eius* Salomon, *Quod autem Sacerdotes ſubiecti eſſent Laicis patet: Num.* 27.

Et iterum, *Cauſa autem pro qua privauit eum, fuit quia* Abiathar *com-*

Qu. 31. *miſit crimen Maieſtatis, ſcil: quia cum* Adonia *&* Ioab, *participabat in machinationibus & conſpirationibus contra* Salomonem: *& pro iſto crimine quilibet meretur mortem, non ergo peccauit* Salomon *occidendo illum; quia iſtud eſſet vel ex defectu poteſtatis, vel ex iniuſta cauſa, vel ex iniquitate voluntatis, ſed nullum iſtorum erat; vt poſt patet in ſingulis.*

Theodoretus in Gloſſa ordinaria: *Abiathar fuit ſocius & conſcius tyran-*

Theodoretus. *nidis* Adoniæ, *vt etiam oſtendunt verba* Salomonis: *Tu es filius mortis, &c. erat ergo ipſe quoq; obnoxius crimini tyrannidis, vt qui opem tuliſſet* Adoniæ *audaciæ; diuinæ quoq; prædictionis adminiſter fuit Salomon*: (& tamen Rex erat in quem crimen Maieſtatis commiſerat.)

Et *Lyra*: *Morte dignus es, pro conſpiratione contra me & ordinationem*

Lyra. *Dei, & patris mei.*

Bonauentura in eo ipſo loco quem citat *Bellarminus*, in verbis proxime præcedentibus,

præcedentibus, sic præfatur: *Reges tunc poterant amouere ab officio summos sacerdotes, sicut Salomon amouit Abiathar, &c.* *In scriptoribus Italicis. In Hierarchia Ecclesiastica, part. 2. cap. 1. c. 11. Diu. 9.*

Hardingus contra Apologiam *Iuelli*: *Quod Abiatharem loco summouit, & dignitate deiecerit, idem plane fecit in Cranmerum Maria Regina, quem cum læsæ maiestatis crimine Episcopatu depellere posset, cuius rei Abiatharem accusauit Salomon, maluit tamen hæreseos conuictum vltulare.*

Qui plura in hoc genere desiderat, consulat quæ in cap. 8. lib. 1. necnon in C. 10. Dicta sunt, vbi multis probatum est, Imperatores & Reges Christianos eandem potestatem in religione reformanda, & Ecclesiasticis corrigẽdis habere, quam reges in veteri testamẽto obtinebãt. Vnã solum ex hoc loco rationẽ superaddam ex principijs *Romanensium*

Soli subditi crimen læsæ maiestatis in Regem committere possunt,
Abiathar contra regem *Salomonem* crimen læsæ maiestatis commisit
Abiathar ergo regi *Salomoni* subditus fuit.

Maior manifesta est & omnib⁹ nota; Etsi enim non subditi in regem alia peccata committere possunt, crimen tamen læsæ maiestatis non possunt perpetrare, quia crimen læsæ maiestatis continet violationem fidelitatis, & honoris, quem subditus suo superiori debet, vnde inter Aphorismos *Emanuelis Sa* (licet iam expurgatum sit) hoc habetur: clericos non posse crimen læsæ maiestatis commitere quia subditi non sunt.

Minor propositio testimonijs autorum prædictorum confirmatur: nec possunt põtifici jaliud crimen nisi læsæ maiestatis comminisci, cuius reum perageret *Salomon Abiatharem*, eodem enim crimine *Adonias, & Ioab, & Abiathar* polluti erant: si *Salomon* sine causa, sine merito, sine crimine, fratrem seniorem morte mulctauit, & *Ioabum* cornua Altaris tenentem, in ipso templo occidit, et *Abiatharem* summum sacerdotem (quem solum *Saul* ex familia *Heli* propter odium *Dauidis* fugientem non interfecit, quiq; multa pro, et cum *Dauide* perpessus est, et semper fidelis *Dauidi*, sæpius Dominum pro illo consuluerat) in Anathot relegauit, & fratricida, et sacrilegus templi & Altaris violator, & tyrannus crudelis, & monstrum regum merito audit. Nec vltra dilectus Deo, sed *odiosus* dicendus est, nec dignus est qui spiritum sapientiæ aliaq; dona supra omnes homines & reges à Deo percipiat, sed dignissimus, qui spiritu *Saulis*, id est furoris & stultitiæ agatur, & dilectus Diaboli habeatur: si ergo crimen læsæ maiestatis & subditorum solum sit, et *Abiathar* sit peccatum, *Abiathar* summus sacerdos & cum eo omnes inferiores sacerdotes & clerici subditi sunt *Salomoni* in lege, & principibus & regibus Christianis in Euangelio, & ab ijs non solum dirigi sed etiam cogi & puniri possunt.

Vltimo loco vrget *Barclaius* verba *Bellarmini*: *In veteri Testamento, 16*
summa potestas erat temporalis, in populo vero spiritualis, quia in veteri Testamento *L. de Pont. c. 29.*
promissi erant tantum temporalia in nouo spiritualia & æterna sunt.

Quid hic *Bellarminus*? an verbis suis, doctrinâ suâ concluditur? nihil.

nihil minus: Polypus eſt, Rupi ſiue petræ Romanæ adhæret, colorem rupis ſiue petræ refert: mutat ſententiam, prout cauſæ pontificiæ & Hierarchiæ ſpirituali temporali expedit. Quiſquis recognitiones *Bellarmini*, aut poſteriora eius ſcripta peruoluerit, hoc vnum diſcat, nihil in his mutat, niſi in lucrum Pontificis & Hierarchiæ *Romanæ*, in cuius verba iurauit: verum quid ad me, ſi millies polypum agat, ſi diruat, ædificet, mutet, quadrata rotũdis: hæc ſola ſupereſt ſpes, etſi totus totus, quantus quantus ſit, monarchomaſtix ſit & Hierarchiæ mundanæ columna et petra ſit, nemo tamen deſperare debet, quia fieri poſſit, vt hæc ipſa quæ iam tanquã probabilia diſputat, ſcribitq; recognoſcat & retractet, & tãquã minus probabilia improbet, ab indirecta poteſtate ad mediam & mixtã tranſitum in hoc opere, & in recognitionib⁹, reconciliator magnus, facit: in proximo opere expectet lector vt aut ad poteſtatẽ directam tanquam transfuga, & Theologorum deſertor tranſeat, aut poteſtatẽ temporalẽ prorſus abneget. Verũ ô miſeros Catholicos qui fidem ſuam in opinionibus & probabilitatib⁹ talium doctorum & Cardinalium fundant: credis ô Catholice *Cardinali Bell.* ſic docenti, ſic dogmatizãti, ſic ex *Thoma* alijſq; Scholaſticis demõſtranti: at Polypus ille eſt, mutat cum petra colorẽ, ſi cauſæ Pontificis faueat hæc opinio, vera eſt, imò articulus fidei eſt, de neceſſitate ſalutis credendus: ſi ambitionis pontificiæ ſitim non ſedat, ſi timeant libri eius ignem Sixti quinti, illico fides tua mutanda eſt. Reſpondeo inquit *Bellarminus*: „ *Eam ego ſententiam, vt probabilem, poſui propter autoritatem ſancti Thomæ*: ex hoc reſponſo diſce tria.

1. Principia fidei tuæ in capite hoc de poteſtate Pontificis in Regibus deponendis ſunt tantum probabiles opiniones hominum licet doctorum, qui quovis vento huc illuc circumferuntur.

2. Articulus iſte de poteſtate Pontificis in Regum depoſitione, de fide eſſe non poteſt, quia probabilitatib⁹ tantum innititur: Et ſi *Bellarminus* ſequitur opinionem *Thomæ* probabilem, eamq; ad libitum reijcit, quidni & opiniones *Thomæ* aliorumq; autorum quos in hac cauſa ſequitur *Bellarminus*, probabiles tantum habeantur, & ab ipſis retractandæ, ſi viuerent ſicut *Bellarminus* iam viuit, & ſuas opiniones, ſua dogmata retracter.

3. Quare à *Bellarmino* Anteſignano tuo, & regulam aliquam ab eo ediſce, quomodo et tu, & alijq; lectores ſcire poſſunt quando opinionem probabilem, quando certam & infallibilem, aut opinionem, aut rationem, aut demonſtrationem refert: Ego enim quia ſæpius retractantem opiniones ſuas probabiles audio, omnes & opiniones, & rationes eius tanquam mutabiles & probabiles ſolum non tanquam Apodicticas denuo accipiam, ſicq; huic Capiti finem imponam. Plura de poteſtate Pontificis & Conciliorum in eximendis Clericis dicturi. C. 35. & 36.

CAP.

CAP. XVI.

erici ſubiecti Ethnicis principibus, per eorum principum baptiſmum, non eximuntur ab eorum ſubiectione. *Digreſſio* 2.

Patres qui docent ſubiectionem hanc non loquuntur de facto ſed de Iure. 2. *Baptiſmus Regis Ethnici non liberat Clericos à ſubiectione ſua.* 3. *Ambitio & auaritia Pontificum.* 4. *Mutuo ſibi inuicem ſubijciuntur Pontifex & Rex, vt Pater filio conſuli, & filius Conſul patri.* 5. *De Gloſſa C. Adrianus Diſt. 63. & de Electoribus ex Cuſano.*

POntifices ſubiectos olim fuiſſe Imperatoribus Ethnicis in temporalib⁹, ſequutus *Albertum Pighium* dixerat *Bellarminus*: vrget ergo *Bellarminũ* contra *Bellarminũ Barclaius*: aculeum gladij ſiue argumenti ſui ſenſit *Bellar.* ideo in recognitionib⁹ ſuis retractat quod dixerat, acſi à *Pighio* probabiliter dicatur. Et hoc etiã quod nunc dicit *Bellar.* babiliter dicit: ſi quando iſta etiã retractare in rem põtificis, (quæ oſura eſt fidei *Bellarminiane*) fore perſpexerit, quam facile eſt quicd incommode dictum eſt reuocare, ſi ea quæ dicimus tantum proiliter dicimus.

t nunquam (inquit) *Põtifices Chriſtianis Imperatoribus quoad temporalia ire ſubiecti erant*: At contra *Chryſoſt.* ex iure diuino probat Apoſtolos igeliſtas, prophetas, &c. ſubditos eſſe ex debito propter cõſcientiã. *Ambroſius* legẽ hanc naturalẽ eſſe affirmat: & *Gregorius*, quæ debet *uritio* exoluit, vt capite præcedente, & alibi ſæpius dictũ eſt: Pontis verò illi et Epiſcopi & clerici, qui Imperatorib⁹ in temporalibus nte obtẽperarunt, & obtemperandum eſſe docuerunt, cauteriatam culdubio habebant conſcientiam, qui & libertatem Eccleſiaſtii prodiderunt, & contra articulum hunc fidei *Bellarminiane* docuet, & doctrinam hanc poſteritati ſcriptis tradiderunt.

:ſponſio verò iſta *de facto, non de iure*, omnia dogmata patrũ imo & i chriſtianæ, quæ ad legẽ moralẽ ſpectant in dubiũ reuocat, ſi enim ioc articulo fidei (vt vobis placet) de poteſtate pontificũ in Regum oſitione & clericorũ exemptione, de facto locuti ſunt, quidni & in eris omnib⁹ præceptis Decalogi idem dici poſſit; patres docẽt Deũ :ndũ eſſe de facto, non de iure, Idola & ſimulachra in cultu diuino ſunt adhibenda de facto, at de iure abhiberi poſſunt, Non accipies ien Dei in vanum, de facto, at de Iure licet: non occides: non męberis, non furtum facies, non dices falſum teſtimonium, non coniſces de facto, at de Iure licet occidere, męchari, furtum facere, falı teſtimonium dicere, licet poſt concupiſcentias ire.

a enim à Deo in Decalogo prohibentur et prohibita eſſe à patrib⁹ latãtur, & ſubiectio põtificũ & clericorũ in mãdato illo honora pas, cõtinetur; reges enim in hoc mãdato patres patriæ ſunt, & honor parentum

A

In. 13. ad Rom.

In eundem locũ. l. 2. Epiſt. 61.

non è art. fidei

mendacium ſtre-pidiſſimum.

delirat

parentum subiectionẽ requirit et omnes parentes honorãdi sunt sine discrimine, ab omnibus quorum sunt parentes. Et reges patres patriæ sunt respectu omnium ciuium, & pontifices & clerici ciues sunt, & proinde subiecti regib⁹ sunt: Et si subiecti sunt, non possunt patres patriæ deponere: Inferior enim superiorẽ suum non deponit, quia nec par in parẽ, nec inferior in superiorẽ habet Imperium: si ergo iuxta doctrinã patrum, põtifices & clerici de facto tantũ subiecti sunt non de Iure: de facto etiã deum colere, Idola non colere, non peierare, non occidere, non furtũ facere, non mentiri, non cõcupiscere debent, nulla enim vel leuissima extat apud patres ratio, vel cõiectura, quæ vel homini simplici persuadere possit, quod in hoc de parentib⁹ honorãdis præcepto, de facto loquantur, in alijs vero de calogi præceptis de Iure loquantur.

Responsio vero ista, in qua mirè sibi placet *Bell.* omnem Theologiam prorsus evertit: An Iurisc5sultus, aut Medicus, aut Philosophus de facto respõdere rogati erubescãt? & patres & doctores veritatis in Concionibus, in commentarijs, in articulis fidei explicandis, de facto docebunt, non de Iure; quid faciunt, non quid facere debent respondebunt? peiores ergo iuxta *Bellarminum* Pharisæis sunt patres: De Pharisæis dicit Christus, *In cathedra Mosis sedẽt quæ dicunt facite, at secundũ facta eorũ ne faciatis:* at de patrib⁹ dicendum est: In cathedra Christi sedent, sed nec secundum facta eorum facite, nec etiam quæ dicunt, docent, scribuntq; facite. An hoc est patres & antiquitatem colere?

2 Sed dispar est ratio regum Ethnicorũ & Christianorum: *Sũmos Pontifices olim Imperatoribus Ethnicis subiectos fuisse quoad tẽporalia probabiliter dici potest, Imperatorib⁹ autẽ Christianis nũquã de iure subiecti fuerũt.* Sic *Bell.* Imò verò subiecti erant, & subditos se esse et doctrinâ et praxi agnouerunt, et contra scãdalum illud quod leges et politeias euertere satagebãt, Apologias scripserunt et subiectionẽ suã ex scripturis probabãt. Quod si Ethnicis Imperatorib⁹ subiecti erant in temporalib⁹, etiam et Christianis Imperatorib⁹ subiecti sunt: lex enim Euangelica neminem priuat iure suo: *unusquisq; in eo statu permaneat in quo vocatus est.* 1. Cor. 7. 20. Vocatus es in subiectione postquam clericus factus es, in eodem statu permanet: Christus dicit, *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari:* si ergo subiectio et fidelitas clericorum *Cæsari* Ethnico reddenda est, etiam *Cõstantino* baptizato reddenda est. Baptismus enim subditi non eximit subditũ, à subiectione Imperatoribus debitâ: Baptismus Imperatoris, nihil iuris ab Imperatore tollit, vt docent verba *Bellar.* in hoc capite, *Reges per Baptismũ regnis non excidunt nec quicquã iuris amittunt.* Si ergo decem sunt millia clericorum sub rege Ethnico, eidem subiecti in temporalibus: et rex iste Ethnicus per baptismum Christianus fiat, altera harum propositionum *Bell.* necessariò falsa erit: Aut enim discrimen est inter regem Ethnicum et Christianum; quia regi Ethnico decem illa millia clericorum subijciuntur, qui eidem regi Christiano post baptismũ non subijciuntur,

ijciuntur. Aut reges Ethnici, cum Chriſtiani fiunt, parte regni excidũt & aliquid iuris amittunt, quia Imperiũ, quod in decem illa millia clericorum obtinuerunt per cõuerſionẽ ſuam ad religionẽ *Chriſti*, & baptiſmum amittunt: verum priorẽ propoſitionẽ de diſcrimine regũ Ethnicorũ & Chriſtianorũ retractauit *Bellar. præcentor*, vti ſpero, Eccleſiæ *Romanæ*, quia toties palinodiam canit: adeoq; doceat neceſſe eſt, pontifices ſacerdotes & clericos, non ſolum à poteſtate principum Chriſtianorum, ſed etiam Ethnicorum exemptos & liberos fuiſſe. Quod ſi verum ſit, de Iure naturali & diuino liberos eſſe neceſſe eſt: & lex illa non tantum cõſonantiam, & conformitatẽ, ſiue ſimilitudinem quandam habet ad Ius naturale, quia præextitit, antequam vlla eſſent vel teſtimonia, vel exempla ſcripturarum, ex quibus talis exemptio colligi poterat, ſed ipſum Ius eſt naturale, aut primatiũm, aut ſecundariũm: tertiũ enim iſtud, non eſt antiquius exemplis & teſtimonijs, ex quib⁹ deducitur: fuerunt autẽ & clerici & reges Ethnici, antequã, aut *Pharao* aut *Ioſeph* terram ſacerdotũ, à tributo quintæ partis eximerent. Mirum vero eſt, quod Ethnici pontifices & clerici, ſolam legem naturalem edocti, docenteſq; hanc exemptionẽ nunquam vendicarunt, ſed ab ipſis regni & ſacerdotij incunabulis, ſemper ſubiecti in temporalibus fuerunt, & hodie etiam apud omnes gentes barbaras ſubijciuntur.

Quod ſi vera ſint, quæ affirmat *Bellar.* nullum ſcil. eſſe diſcrimẽ inter reges Ethnicos, & Chriſtianos, ſed clericos æqualiter à poteſtate principum & Ethnicorum, & Chriſtianorum, in temporalib⁹ ſicut in ſpiritualib⁹ exemptos eſſe: Et ſummum pontificem non ſolum principib⁹ Chriſtianis, qui ſponte ſe & regna ſua Chriſti vicario ſubmiſerunt, ſed etiam Ethnicis ſuperiorem in temporalib⁹ eſſe, & vtroſq; & Chriſtianos, & Ethnicos principes in ordine ad ſpiritualia poſſe deponere; quid eſt, quod Theologi omnes, qui poteſtati indirectæ aſſipulantur, toties ſubmiſſionem regum, in baptiſmo factã, vrgent? Quid eſt, quod *Bellarminus* ipſe in 4. ratione cap. 24. tantopere contendit, *In baptiſmo Regum expreſſam aut tacitam conditionem regni amittendi ſubeſſe, ſi Rex in hæreſin labatur?* Quid enim opus erat hac conditione in baptiſmo, ſi eadem conditio in ipſa Inauguratione ſiue poteſtate regia aut expreſſa aut tacita ſit? Verum quod ad rem attinet, nec in Regum Inauguratione, nec in principum baptiſmo, talis conditio regni amittendi aut expreſſa, aut tacita habetur, vt cap. 24. patebit.

Colligit vero *Bellarminus* rationem *Barclay* in hoc modum.

„ *Principes temporales per baptiſmũ ſubiecerunt ſe poteſtati ſpirituali ſummi* „
„ *Pontificis, vt Chriſti Vicarij; Ex hac autem ſubiectione, non ſequitur ſummum* „
„ *Pontificem, non eſſe ſubiectum poteſtati temporali Principum Chriſtianorum.* „

Ergo *Bellarminus* vitioſè argumentatur. Reſpondet vero: vitioſa eſt *Barclaij* ratiocinatio & *Bellarmini* argumentum vitio caret.

Imo vero *Bellarmini* argumẽtum, vitio non caret, ex eo enim, quod in

ſpiritualibus

ſpiritualib⁹ Principes Chriſtiani, in baptiſmo ſe ſubijciunt Chriſti vicario, non ſequitur quod etiam in tẽporalib⁹, et ſę, et regna ſua ſubmittãt, ſicut infert *Bellarminus*: ratio ſi in formam redigatur ſtatim euaneſcit.

Quicunq; ſe ſubmittunt Chriſti vicario in ſpiritualibus, ſeipſos etiam in temporalibus, et ſua omnia, ſiue regna, ſiue bona externa, eidem vſq; ad regnorum ſiue bonorum externorum priuationem ſubmittunt.

Sed Principes Chriſtiani, ſe ſubmittunt vicario Chriſti in ſpiritualib⁹.

Ergo principes Chriſtiani ſeipſos in temporalibus, et ſua omnia, ſiue regna, ſiue bona externa, vſq; ad regnorum ſiue bonorum externorum priuationem vicario Chriſti ſubmittunt.

Maior enim manifeſte petit principium, et quæſtionem ipſam miſere emendicat, et nunquam probabit eam *Bellarminus*: vitio ergo non caret argumentum *Bellarmini*, quia maior falſa eſt, et fallax ex petitione principij, quo vitio laborant omnes pene rationes *Bellarmini*.

Ratio vero *Barclaij*, non quam fingit *Bellarminus*, ſed quam ipſe conficit et vitio caret et neruoſa eſt.

Omnis ſubmiſſio ſpontanea, ſecundum mentem, et ſenſum, et praxim ſubmittentium interpretanda et intelligenda eſt.

Principes Chriſtiani, qui ſe ſubmiſerunt vicario Chriſti in ſpiritualib⁹ eo animo, eo ſenſu, ſubmiſſionem ſuam fecerunt, vt poteſtatem ipſi ſupremam in temporalib⁹ ſuper omnes ſubditos ſuos, ſiue laicos, ſiue pontifices et clericos retinerent, eandemq; praxi ſuâ exercerent.

Principes ergo Chriſtiani, qui in ſpiritualibus ſe Chriſti vicario ſubmiſerunt, in temporalibus ſeipſos non ſubmiſerunt, ſed poteſtatem ſuam ſuper pontifices et clèricos excuerunt.

Maior patet ex regula diſputantium: *Non debet generaliter & indefinite de vtraq; poteſtatis & Iudicij ſpecie concludi, quod de altera tantũ verè relatq; dicitur*, quam etiam probat ex dicto *Pauli I. C. ante omnia animaduertendum eſt, ne conuentio in aliare facta, aut cum alia perſona, in alia re, aliaue perſona noceat.*

„ Minorem probat, ex ſubmiſſionibus *Conſtantini* Imperatoris, et *Clo-*
„ *donei*, regis *Francorum*, et *Donaldi* regis *Scotorũ*, qui etſi ſeipſos vicario *Chriſti* vtpote *Sylueſtro*, aut alij cuicunq; ſubmiſerunt in rebus ſpiritualib⁹ et dirigendos et ſpiritualiter corrigendos, pœna ſcil. Eccleſiaſticâ, nunquam tamen regna et imperia ſua ſic ſubmiſerunt vicario Chriſti, vt poſſint ab eo regnis terrenis priuari, ſicut ab eo regno cœleſti priuari poterant; ſubiecti erant vt oues ſpirituales paſtori ſpirituali, in ijs quæ ſunt ſpiritus, at quoad temporalia ipſi erant paſtores paſtorũ ſpiritualiũ; et ſicut paſtores ſpirituales vicarij *Chriſti* poteſtatem habent ſuperpaſtores temporales, quatenus Chriſtiani ſunt, per quam poſſunt eos è paſcuis gratiæ excludere aut eijcere: ſic etiam Imperatores et Reges, qui paſtores ſunt temporales, et vicarij Dei in temporalibus, poteſtatem habent, per quam poſſunt paſtores ſpirituales è paſcuis naturæ ſiue

reipublicæ

reipublicæ eijcere et excludere: Pontifices capita ſunt, reges vero vt membra in ſpiritualibus: At in temporalibus Reges capita ſunt, Pontifices vero tanquam membra ſubſunt.

Si ergo de directione, et coactione tantum ſpirituali loquatur *Bellar.* verum eſt quod aſſerit, *Principes* per baptiſmum, ſe et regna ſua, et dirigenda, et corrigenda, vicario Chriſti ſubiecisſe: ſi de directione et coactione etiam temporali loquatur, falſum prorſus eſt: quod enim ad directionẽ attinet, præter eas regulas, circa temporalium rerum vſum vel abuſum, quas tradit ſpiritus ſanctus in ſcripturis (per quas non magis dirigit Pontifex, quam quilibet ſimplex ſacerdos: forte etiam et minus, quia raro põtifex verbo, exemplo vero rariſſimè vſum temporalium docet) omnis directio rerum temporaliũ à legibus pendet ciuilib⁹ et municipalibus, non ab Eccleſiaſticis canonibus. Et leges ciuiles à Pontificibus non ſanciuntur, ſed à regibus. Quod ad coactionem attinet, pœnæ omnes temporales, quales ſunt, mulctæ pecuniariæ, bonorũ temporalium confiſcationes, exilia, relegationes, et quod omnium terribilium terribiliſſimum eſt, mors ipſa, ad Regem et magiſtratum ciuilẽ ſpectant, et ab eo ſolo infligi poſſunt: *Eccleſia enim vltra excõmunicationẽ non habet quod faciat.* et ideo in coactione externa brachium inuocat et implorat (non imperat) ſeculare: Et in comitijs regnorum, ſi ad ſententiam mortis procedatur, exeunt omnes Pontifices et Epiſcopi, quia ad eos ſententia ſanguinis non pertinet. Nec audet *Bellarminus* cum toto Collegio Cardinalium et Inquiſitorum affirmare, quod ad Pontificem ſpectat, aut leges ciuiles ſancire, quibus reſpublica temporalis, per vniuerſum orbem dirigenda eſt, aut pœnas temporales infligere, quibus ciues omnes pro criminibus coercendi ſunt: Intolerabilis eſſet, quiſquis hæc doceret: et eodem affectu, audirent iſta Imperatores Reges Chriſtianiſſimi et Catholiciſſimi, alijq; Principes fidem Chriſtianam profeſſi, quo paterentur, gladios ſuos è manibus ſuis à ſacerdotib⁹ per vim extorqueri. Quod ſi Pontifex non poteſt, quod eſt minus, non poteſt quod maius eſt, a minori enim ad maius valet argumentũ negatiuè,

Non poteſt Pontifex priuatũ ciuem propter hæreſim, aut abuſum tẽporaliũ exhæredare, vel de dignitate et officio deponere, nec bona eius temporalia cõfiſcare, aut relegare aut in exiliũ mittere. Ergo nõ poteſt Imperatorem vel regem deponere, et regia dignitate et officio priuare.

Addit *Bell. Reges per baptiſmum regnis non excidũt, nec quicquã ſui iuris amittunt, imò felicius & verius regnãt.* Imo vero libertatem ſuam, priuilegiũ ſuum amittunt: libertatẽ, quia ſub iugum Pontificis miſſi ſunt, qui ſub iugo Dei ſolius erãt: priuilegiũ vero, quia ſoli Deo peccabãt: a ſolo Deo iudicandi et puniendi, *tibi ſoli peccaui:* Nunc aut per baptiſmũ, Deo peccant et Pontifici: a Deo, et a Pontifice et iudicandi et puniendi.

Reges in baptiſmo regnis non excidunt (non deſunt tamen è veſtris qui reges in baptiſmo regna et exuere et reinduere affirmãt) reges tamen per baptiſmum

Albertus Pighius Hierarchiæ Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 7. & 14.

baptiſmum ſub poteſtate pontificis ſunt, qui eos regnis priuare poteſt, verius, meliuſq; regnant, ſi ſpiritualia ſpectes, ſed ſi temporalia attendas, precario, & ad nutum & libitum Papæ regnant, cui reges etiam ſine ratione, aut cauſa deponenti, nemo dicere debet, cur ita facis.

3 *Nec affectat vicarius Chriſti Regna filiorum ſuorum ſpiritualium, aut iuriſdictionem illorum temporalem imminuit aut perturbat, ſed vt ſic regnent in terris, vt regnare etiam poterint in cœlis.* Sic *Bellarminus.*

» Credo equidē, non affectauit regnū *Angliæ* pontifex, cum *Pandulphus* legatus *Ioannē* Regem à vinculo excōmunicationis liberare noluit, niſi prius coronā, & regnum in manus pōtificis traderet, & pro eo tanquam pro feudo pōtificis, tributū mille librarum pōtifici annuatim penderet; Non affectauit patrimonium *Matildis Grego.* 7. qui ideo *Henric.* 4. excommunicauit & depoſuit, quod territoria *Matildis* Eccleſiæ *Romanæ* data ſibi ſubiugare, & ſub Imperij ditione, ſicut ante fuerunt cōſeruare conatur: vti teſtatur *Leo Hoſtienſis* & *Papirius Maſſonius.* Non affectauit regnū *Sicilia*, cuius miniſter & *Cardinalis Baronius* poſt cētenas aliquot annorū, idē regnum, ad patrimoniū & Ius *Romani* pōtificis & Eccleſiæ ſpectare, ſcripto edidit, qua de cauſa *Tomus* II. *Baronij* in *Hiſpania* imprimi, aut diuendi, edicto regio prohibitus eſt. Non affectat regna mundi, qui tanquā ſanguiſuga ſēper clamat, affer affer, & regna omnia exhaurit, qui hoc agit vt pecuniæ & diuitiæ, omnium regnorū Chriſtianorū *Romanā* viſitent, ditētq; curiā: qui prouiſionib⁹, diſpenſationib⁹, facultatib⁹, gratijs expectatiuis, interdictis, excōmunicationib⁹, fulminib⁹, & cēſuris tanquam alter *Danus* interturbat omnia. Hinc multæ in ſingulis regnis Chriſtianis leges ſeuerè, vt apud *Anglos* lex illa præmuniens vel protegens regalia, vulgo de Premunire: Et apud *Francos* ſanctio pragmatica, aliæ apud alias gentes leges, quibus cautum eſt, ne mare hoc magnum ambitionis & auaritiæ *Romanæ*, regna Chriſti euiſceraret, & febri hectica depaſceretur: de *Roma* vere dici poteſt.

Chron. Caſſinenſis lib. 3. cap. 48. De Epiſcop. vrbis in Greg. 7.

Illæ Lien Regni quo ſic creſcente neceſſe eſt,
Cætera tabeſcant in toto corpore membra,

Pontifex *Romanus credit quod Iordanis influat in eos eius*, & tamē vicarius Chriſti non affectat regna filiorum ſuorum ſpiritualium, ſed de hac re ſatis, quia extra oleas, etſi in hoc affectu nimius & totus ſit pontifex.

4 Illuſtrat *Barclaius* mutuam hanc ſubiectionem, quâ pontifex Regi in temporalibus et Rex pontifici in ſpiritualibus ſubditur ſimilitudine patris et filij: Pater poteſtatem habet patriam in filium, etſi pontificem, Imperatorem, vel regem, ei benedicere, aut maledicere, aut hæreditate donare, vel exhæredare poteſt. Filius familias ſi Imperator, aut Rex, aut Pontifex, aut Conſul, aut Magiſtratus fuerit, poteſtatē Imperatoriam, ſiue regiam, aut pontificiā in patrē habet, eumq; et dirigere, et corrigere, iuxta leges publicas poteſt: nec tollit poteſtas regia poteſtatem patriam: nec poteſtas patria poteſtatem regiam, ſed vtraque etiam inuitâ et reluctante alterâ, ſuo iure vtitur: Idem patet in

patre

patre adoptante, et filio adoptiuo magiſtratum gerente, vt ſupra docuit Barclaius.

Quid hic Bellarminus? *Similitudo inepta eſt & puerilis: Quid ita?*

1. *Poteſtas publici magiſtratus, maior eſt poteſtate patriâ ciuium priuatorum, & poteſt eum dirigere & corrigere; poteſt etiam patrem poteſtate patriâ priuare: Pater vero, cum cuius priuatus ſit, non poteſt Magiſtratum publicum dirigere vel corrigere vel poteſtate priuare.*

Imo vero duo in hac reſponſione, vt pace tuâ verbis tuis vtar, et ineptâ ſunt, et puerilia: id eſt Etſi poteſtas publici Magiſtratus maior ſit poteſtate patria, non tamen poteſt patrem patriâ poteſtate priuare, nec filium à patre honorando liberare: Quiſquis hoc docet, traditione ſuâ præceptum Dei de honorandis Parentibus irritum facit, vt in Corban docet Chriſtus: Et tenetur Pontifex ſummus, et Imperator et Rex potentiſſimus, et patrem honorare, et neceſſaria ei ſubminiſtrare: et poteſt patet *filio ſuo etiam Pontifici maximo benedicere vel maledicere*, hæreditate donare vel exhæredare, et quiſquis hoc negauerit Impius proculdubio eſt, etiamſi vel Paulus 5. vel Cardinalis Bellarminus ſit; pietas enim Parentibus debetur.

Matt. 7. 11.

2. Iniquo animo fert Bell. *quod poteſtas Pontificis poteſtati patriæ ciuium priuatorum conferatur: cum potius ſimilis ſit poteſtati Dei, cuius vicès in terris Pontifex gerit, & omni humana poteſtate ſublimior.*

Ne ſequi Magne Cardinalis: noli ſubiraſci *Barclaio*, quod poteſtatem ſummi Sacerdotis poteſtati patriæ ciuium priuatorum confert: Audiui quendam contra Parochum excanduiſſe quod in Euangelio legerit, Dominũ noſtru inſediſſe Asinæ, cũ Hieroſolymã intraret, inſedit equo Phalerato, nõ decet ſaluatorem meũ asinę insidere; Non placet *Bellar.* quod poteſtas Pontificis, priuatę poteſtati patriæ conferatur: Non decet poteſtatem ſummi Pontificis, cum poteſtate priuati cuiuſquam homuncionis conferre, poteſtas Pontificis poteſtate omni humana maior eſt, non habet parem in terris: non eſt ſimilitudo aliqua, aut exemplar in hac mundi machina cui comparari ſine dedecore poſſit: ſolus Deus Archetypus poteſtatis Pontificię imaginem refert. *Ero ſimilis altiſſimo*: humanę poteſtati ſimilis non ero, non ero ſimilis homini protoplaſto, ſimilis ero Creatori hominis: non decet Pontificem Romanum cuiquam homini conferre: poteſtati Dei ſimilis eſt cuius vices in terris gerit: Hæc decent Cardinalem *Bellarminum*, qui Idolum poteſtatis Pontificię in corde ſuo erexit et adorauit.

Eſai. 14.

Verum enim vero quicquid aut dicat, aut ſcribat Bellarminus, Poteſtas Pontificis aut patrię poteſtati ſimilis parque eſt, aut nulla prorſus eſt; Poteſtas enim patria, origo eſt omnis poteſtatis, in qua poteſtas omnis fundatur: Et omnis poteſtas vera, juſta, et legitima, patria itidem eſt, et quantum à poteſtate patria declinat, tantum in tyrannidem diuergit:

Honora patrem tuum & matrem tuam: ibi fons & origo omnis potestatis naturalis siue patriæ, ciuilis & spiritualis: *Honora patrem naturæ*, qui generat hominem, patrem patriæ qui generat ciuem, patrem Ecclesiæ qui generat Christianum; sicut Pater natura filios & præmio & pœnâ intra priuatos parietes afficit, sic pater patriæ ciues præmio vel pœnâ in Republica præmiat: & pater gratiæ, Christianos præmio & pœnâ in Ecclesia aut beat aut corrigit.

Si ergo Potestas Pontificis Romani patria non sit, nec potestati patris priuatæ familiæ similis, non potestas est, sed tyrannis: *Reges gentium dominantur ijs, &c. vos autem non sic*; id est Reges gentium dominantur ijs, dominatione violentâ per tyrannidem, vos autem non sic, sed affectu paterno, tanquam patres dominamini Christianis tanquam filijs, propter bonum publicum, non propter priuatum, cum amore, non cum timore aut terrore, tanquam patres, non tanquam tyranni: Aut ergo Pontifices non sunt Patres Regum & Christianorum, Reges vero non sunt filij Pontificum, aut potestas Pontificis patria est, & potestati patriæ priuatorum similis.

Præterea, sicut potestas Pontificis, potestas Dei est, sic etiam potestas patris priuati potestas itidem Dei est; Pater enim priuatus in familia sua vices Dei gerit; sicut Pontifex in Ecclesia partes Dei agit: Imo vero pater in familia vices Dei gerit, & Rex in Republica Vicarius est Dei: Pontifex vero non Dei sed *Christi* hominis mortalis qualis ante passionem fuerat, vices gerit, vt Author est Bellarminus; nec hujus propositionis palinodiam perfecte cecinit; duo ergo contra Bellarminum hic inferuntur: 1. Potestas Pontificis potestati patriæ hominis priuati, (non dico par sed) similis est. 2. Pater priuatus potest Pontificem vel Imperatorem pœnis naturalibus & œconomicis corrigere; sicut Pontifex potest patrem pœnis Ecclesiasticis & spiritualibus castigare: nec magis potest Pontifex Regem vel Imperatorem, potestate Regia vel Imperiali priuare, quam patrem naturæ potestate patriâ spoliare: & sicut filius tenetur patrem naturæ honorare ex præcepto Dei, etsi mille Pontifices contrarium jubeant, sic subditus tenetur patrem patriæ honorare juxta idem mandatum Dei, etsi omnes Pontifices, à Lino vsque ad Paulum 5. patrem patriæ inhonorare jubeant.

5 Supersest testimonium Glossæ C. Hadrianus Dist. 63. ex Cardinali *Cusano*, quam Glossam tanquam amplitudini & ambitioni Pontificiæ contrariam, antiquárunt Pontificij qui omnia Patrum & Doctorum testimonia, quæ in rem Pontificis non faciunt, quotidiè expurgant, quo facto eos imitantur, qui linguas eorum omnium testium amputant, quos contra causam suam, veritatem dicturos noverint, verum non sine prouidentia diuina testimonium istud glossæ (*Papa est pater patricij in spiritualibus*,

tualibus, sicut patricius pater est Papæ in temporalibus) extat apud Cardinalem Cusanum: De Concordant Cathol: L. 3. C. 3. vt cognoscant omnes; qui sunt illi, qui pro auro Aurichalcum, stannum, aut plumbum supponunt: qui sunt nouatores illi & corruptores antiquæ & Catholicæ veritatis, & traditionis Ecclesiasticæ, quam tradiderunt patres & antiqui Doctores. De hac Glossa plura videat Lector C. 13.

Superest alterum testimonium eiusdem Cardinalis Cusani: de Electoribus Imperatoris quos a populo constitutos fuisse communi consensu docet: *non ab ipso* (inquit) Ibid C. 4. *Pontifice Romano, in cuius potestate non est, dare cuicunque provinciæ per mundum, Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente.*

Respondet Bellarminus: *Pontifex excommunicat, & deponit Imperatores; & Reges & subditos eorum ab obedientia liberat: sed non obtrudit Imperatores aut Reges, pro arbitrio suo, nec Iura successionis aut electionis tollit, sed liberum, illis relinquit, ad quod de iure pertinet: Atque hoc est solum quod Cardinalis ille requirit.*

Duo hic dicit *Cusanus*, quę potestati Pontificis non nihil incommodant; & vocibus Pontificum & adulatorum eius contraria sunt. 1. Est Communitas Alemannorum constituit Electores Imperij non Pontifex: qui horum constitutionem sibi arrogat: 2. Pontifex non dat Reges vel Imperatores singulis prouincijs; Et tamen gloriantur Pontifices, eorũque parasiti se Regno Franciæ dedisse Regem Pipinum: & Imperio Romano se dedisse Carolum Imperatorem, & Regno Hiberniæ dedisse Regem Henricum 2. & Regno Angliæ se dedisse Regem Ioannem, & Regnis noui orbis dedisse Reges Lusitanos & Hispanos: sed missa ista faciamus: 3. Superest: *atque hoc solum est quod Cardinalis ille requirit*: Imo vero hoc solum non est: Si enim Reges dare non potest, nec tollere potest; eodem enim jure dantur Reges, quo auferuntur: eadem sunt principia institutionis & destitutionis: si non instituit Reges, nec destituere potest; majus enim est destituere quam instituere teste Gregor. 7. Sicut Cusanus negat Pontifici potestatem Electorum constituendorum, aut Regum dandorum, sic & Pontificis vsurpationem in Regibus destituendis siue deponendis improbat: qui & Glossam approbat: *patricius pater est Papæ in temporalibus, & patricius, inquit, curam iudicij temporalis habuit, & præfuit in temporalibus, Papâ se de ipsis non intromittente*: Et C. 41. hæc habet, *Si Regum & Imperatorum depositiones, & Imperij translationes, & cetera forte ad hoc præsumendum Apostolicum monerunt, &c.* vt supra C. 8. Cusanus ergo æqualiter in Pontifice reprehendit quod Reges deponat: atque hęc de hoc capite dicta sint.

Ibidem. Cap. 3.

CAP. XVII.

Refellitur secunda ratio Bellarmini, perfectio Reipublicæ Ecclesiasticæ non probat necessitatem hujus potestatis in temporalibus.

1. *Bellarminus male colligit Responsionem Barclaij.* 2. *Perfectio Reipublicæ Christianæ qualis in infirmitate perficitur, vbi de voce Blasphema Bertrandi; Discretus non videretur Dominus, si talis potestas in Ecclesia non sit.* 3. *Potestas ista temporalis necessaria non est, ad finem Ecclesiæ consequendam, & de duplici necessitate naturæ, & finis.* 4. *Imo nec vtilis est.* 5. *Mali Principes impune hæresim fouere aut Religionem evertere non possunt etsi desit hæc potestas: Vindex Deus est.* 6. *Excommunicatio scilicet, maxima pœna est, iuxta Bellarm.* 7. *Contradicit sibi Bellarm. Duæ non sunt Respublicæ, & vna Respublica: vt interior & exterior homo, sunt vnus homo, & duo homines.* 8. *De verbis Sancti Petri: Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua potestate erat?* 9. *De verbis Pauli 1. Cor. 9. De decimis siue congrua portione Ministrorum.* 10. *Ecclesia primitiua hanc potestatem non habuit: & tamen parati erant vlcisci omnem inobedientiam.* 11. *De sententia Bernardi, & verbis Ieremiæ: Ecce constitui te vt euellas.* 12. *Creuit Ecclesia gladio spiritus contenta, at gladio temporali aucta decreuit & numerus & sanctitas. & paupertas Petri cum pompa Pontificis confertur.* 13. *De Principatu temporali Pontificis.* 14. *Ratio Bellarmini in ipsum retorquetur: vbi probatur primatus Regum in spiritualibus.* 15. *Potestas spiritualis & ciuilis, sub deo, vt duo Magistratus sub vno Rege.*

1. SEcunda ratio Bellarmini duabus consistit partibus: prior hæc est. *Respublica Ecclesiastica debet esse perfecta & sibi sufficiens in ordine ad finem suum; tales enim sunt omnes Respublicæ bene institutæ: Ergo debet habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum; sed necessaria est ad finem spiritualem potestas vtendi & disponendi de temporalibus rebus, quia alioqui possent mali Principes impune fouere hæreticos, euertere Religionem, Ergo & hanc potestatem habet.*

Res-

Responsio *Barclaij* duplex est 1. Aut potestas Ecclesiastica separata est à ciuili, vt apud Ethnicos & infideles, Sic Hierarchia spiritualis nihil potestatis habet in Principem secularem quia filius Ecclesiæ non est: aut conjũcta est cum potestate ciuili, & tunc duæ potestates vnam Rempub. faciunt, non duas; sic corruit ratio *Bell.*

2. Est potestas disponendi de rebus temporalibus in sensu Bellarminiano non est necessaria ad finem spiritualem, vt patet exemplo *Ananiæ*, Act. 5. Male hic Bell. refert responsionem Barclaij: loquitur enim disjunctiuè, Aut potestas ciuilis separata est à spirituali, vt apud Infideles; sic fatente *Bell.* spiritualis Monarcha nullam habet potestatem super Principes Ethnicos, qui foris sunt, sed solum super Christianos, qui tanquam oues Pastori supremo commissi sunt: aut potestas ciuilis coniuncta est, & vnam constituit cum spirituali Rempub. sic non potest vna Respub. alia cogere, quia vna tantum est Respub. non vna & alia: vt in 2. parte ratiocinatio Bell. infertur. Dilemma ergo est hoc, & cornutum argumentum: altero cornu probat potestatem directam, æqualemque Pontificis in Principes Ethnicos & Christianos; Altero vnam astruit Rempublicam, non duas: sic vna Respublica non potest imperare alteri: quia vna est Respub. sic hoc aut illo cornu confoditur Bell.

Sed ad propositiones ipsas descendamus. 2

Respublica Ecclesiastica (vt & aliæ omnes Reipublicæ) perfecta esse debet, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum. Hic quæro, quam perfectionem hôc loco quærat *Bell.* non perfectionem patriæ in quâ Ecclesia triumphat sine hoste, sed perfectionem viæ, quę in actione consistit, potius quam perfecta & consummata existit. *Virtus Dei in infirmitate perficitur*, sic S. Paulus; sub cruce splendescit: Virtus Dei in potestate perficitur, sic *Bellarminus. Omnis sufficientia nostra à Deo*; sic Apostolus; sufficientia nostra in nobis: sic Cardinalis. In agro Domini sinuntur Zizania crescere vna cum tritico, ne simul cum Zizanijs eradicetur & triticum: In agro Pontificis, Zizania cum tritico crescere non permittuntur, etsi cum Zizanijs simul eradicetur & triticum. Verum esto; Ecclesia perfecta esse debet, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum: Quidni ergo omnia habeat adjumenta, quibus finem suum assequatur; id est omnes Christianos ad salutem æternam perducat: Imo omnes homines? *Deus enim vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.* Quid ni omnes homines perducat ad Sacramenta & canales gratiæ, sine quibus in viâ ordinaria salus non est? Quidni omnia impedimenta amoueat, quibus homines à salute æternâ retardantur? Quorsum in animâ & carne sunt concupiscentię, quę militãt adversus animam? Quorsum in mundo, hinc prospera titillant & inescant, illinc aduersa premunt, & absorbent? Quorsum Princeps huius mundi multos quotidie

« 2. Cor. 12. 2. Cor. 3. 5. Matth. 13. stupida æquiuocatio. 1. Tim. 2. 4.

tidie secum præcipites in gehennam trahit? Si perfecta & sufficiens sit Ecclesia ad finem suum, quorsum inficit caro, deficit mundus, decipit Diabolus? Quorsum grassari permittuntur hi tres inimici inimicissimi? Imo quare non extirpantur omnes hæreses in fide, quæ intellectum perturbant? Quare non exulant peccata omnia, quæ voluntatem à vero & summo bono auertunt? Si perfectioni et sufficientiæ Ecclesiæ non adversantur hæreses & peccata, quomodo aduersantur tyranni? Si hostes
6.12. spirituales, Principes & Rectores tenebrarum harum, nequitiæ spirituales, Ecclesiæ perfectionem & sufficientiam non tollunt, quomodo possunt Principes carnales, hostes corporales, Ecclesiæ perfectionem & sufficientiam tollere? Nisi forte caro & sanguis plus detrahāt perfectioni & sufficientiæ Ecclesiæ, quam spiritus & Satanas ipse. Non est ergo Platonica aliqua, aut Vtopiana perfectio in Ecclesia militante somnianda, sed talis quæ in infirmitate humiliatur, in agnitione imperfectionis suæ & perficitur & gloriatur.

Si Ecclesia perfecta sit, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum, quomodo singulæ penè Ecclesiæ particulares senium, & periodum siue mortem suam perpessæ sunt? Vbi Ecclesiæ illæ omnes Apostolicæ, quas plantauit PAVLVS, rigauit APOLLOS alijq; singuli Apostoli ædificauerunt? De Troia dictum est, *Seges est vbi Troia fuit*: de his non dicitur, Seges est vbi Ecclesia fuit; sed Bubo, & Coruus & Accipiter habitant, vbi olim nidificauit Columba Christi. Vbi olim altare Christi, jam Idola invocantur; si perfecta & sibi sufficiens Ecclesia in ordine ad finē & consummationem suā, quomodo pro fine cōsūmationis in finem consumptionis lapsa est? Ecclesia perfecta est, sed vt Luna, quæ decrementa, sicut incrementa, novilunium, sicut plenilunium patitur.

Si Ecclesia perfecta & sibi sufficiens sit in ordine ad finem suum, cur *totus mundus olim ingemuit, videns se factum Arrianum*? cur hodie etiam sub Mahometismo gemit? Ecclesia enim perfecta est & sufficiens sibi in ordine ad finem suum, sicut omnes Reipublicæ benè institutæ. An Respublica illa (loquor jam de Respublicâ naturali, non supernaturali, propositio enim ista à naturæ fontibus, non à Scripturæ oraculis petita est) perfecta & sufficiens sibi est in ordine ad finem suum, quæ sub tyrannide alterius Reipub. gemit? An Respublica Israelitarum sub Philistæis, sub Assyrijs, sub Persis, sub Macedonibus, sub Romanis perfecta & sufficiens sibi visa erat, in ordine ad finem suum? Ecclesia ergo perfecta dici potest, quia perfectionem fidei docet, & gratiam perficientem, siue sufficientem confert siue habet; sed eam perfectionis mensuram in hoc statu militante non assequitur, vt omnia peccata, omnes concupiscentias, omnia impedimenta, omnes hæreses, omnem tyrannidem, omnes carnis illecebras, mundi vanitates, Satanæ insidias amoueat; eum perfectionis & sufficientiæ gradum non attingit, vt omnes vocatos, mul-

to

to minus omnes homines ad finem suũ, hoc est salutẽ æternã perducat.

Præterea nota est distinctio scholæ, de gratia siue merito Christi; *sufficit ad salutem omnium, sed non efficit.* Si Respublica Ecclesiastica perfecta sit, & sufficiens sibi in ordine ad finem suum, at certe efficiens non est; sufficit, sed non efficit, quia omnes vocatos ad finem suum non perducit. Subdola ergo est hæc & fallax argumentatio à sufficientia ad efficaciam: sufficiens est sibi Ecclesia in ordine ad finem suum, ergo efficit in alijs? Quinetiam termini ipsi subdoli sunt; sufficiens est sibi; dicere debuisset sufficiens est simpliciter. Est enim Ecclesia sufficiens sibi, in ordine ad finem suum, vt per verbum reconciliationis & Sacramenta gratiæ, homines ad salutem æternam perducat; & tamen deficere potest in exercenda vindicta in inimicos Ecclesiæ, quos castigandos Deus sibi reseruauit, hic enim non est finis, omnes Ecclesiæ hostes & Persecutores è medio tollere, *sed per multas tribulationes & persecutiones in Regnum cœlorum intrare*: Imo eo consilio in mundo pressuras, & tyrannos, & hæreses, & concupiscentias non tantum permisit, sed etiam disposuit, & ordinauit Dominus, vt per has tanquam per ignem aut ventilabrũ purgarẽtur, & probarẽtur Sancti. Qui ergò Ecclesiæ perfectionẽ & sufficiẽtiã in tyrãnis & Persecutoribus amouẽdis collocãt, Ecclesiæ lumina, Martyres & Cõfessores, quãtũ in ipsis est obscurare conantur.

Ecclesia perfecta & sufficiens esse debet; non dicit, est; sed esse debet: à debito ad factum, non valet argumentum. Debet Christianus immunis esse ab omni peccato: ergò Christianus non peccat: Quam vellent omnes Sancti, verum hoc esse argumentum, tunc enim non orarent, *dimitte debita*, quià debita non haberent: quia vero debita multa ab omnibus quotidie omittuntur, ideo semper orare tenentur, *dimitte debita*. Debent Episcopi & Sacerdotes ea omnia facere quę docent. Ergo Episcopi & Sacerdotes possunt siue potestatem habent faciendi, & faciũt ea omnia quę docent. Debuit profecto *Bell.* non à debito ad potestatem, sed à potestate ad debitum arguere: Verum enimvero, commune est hoc omnium Parasitorum argumentum. Debet esse talis potestas in Ecclesia, quę omnes Principes hæreticos, & tyrannos, in ordinem cogat, aut Regnis & dominijs deijciat; aliàs *vt cum reuerentia eius loquar* (opus erat præfatione verbum blasphemum eructaturo) *non videretur discretus Dominus*: Sic Bertrandus: De origine Iurisdict. Quæst. 4. Num. 5. vnus è testibus *Bellarminianis*: Si talem in Ecclesiâ Monarcham, siue potestatem non instituit Christus, qui Lupos arcere, Reges cogere, et Regnis et Dominijs suis priuare possit, non bene consulit Ecclesiæ. Miseros homunciones, qui Deum indiscretionis, et improuidentiæ arguere audẽt, si talem in Ecclesia Monarchiam, siue hierarchiam nõ ordinarit, qualem isti somniant; acsi Deus non saperet, nisi *Bertrando* sapiat: acsi Deus Ecclesiam suam sartam tectam sua sapientia

non confirmat. Rex enim Ethnicus & Infidelis grauius ſæpe perſequitur, magiſque impedit ſalutem animarum, quam hæreticus aut tyrannus, qui nomen *Chriſti* profitetur: Qualis vero eſt illa perfectio, qualis ſufficientia, quæ & Perſecutoribus Ethnicis, & plurimis peccatis & hæreſibus impar eſt: quæ omnia verbo prædicationis, exemplo patientiæ & ſanctitatis, & Martyrio vincere ſolet Eccleſia, potius quam vi coactiua: poteſtate interna & ſpirituali, potius quam externa & ſeculari. *Arma enim noſtra ſpiritualia ſunt, non carnalia.* 2. Cor. 10. Invocare ſolet Eccleſia brachium Seculare; brachium ergo ſeculare non eſt Eccleſiæ.

Vnde Richardus Cantuarienſis apud Petrum Bleſenſem; *Eccleſia in-* Epiſt. 73.
riſdictionem ſuam prius exerceat, & ſi illa non ſufficit, eius imperfectum ſuppleat gladius ſecularis. Et poſtea, *ſi ab altero* (id eſt, ſeculari) *ſuppletur alterius* (id eſt, Eccleſiaſtici) *inſufficientia.*

Quid ergo? An Eccleſia perfecta non eſt, & ſufficiens ſibi in ordine ad finem ſuum? Eſt quidem perfecta & ſufficiens in ſenſu ſuo: Verbum Dei ſufficit ad deſtructionem regni peccati in ſe; defectus eſt in nobis; non deficit gratia, ſed nos deficimus gratiæ. Sol oculus mundi perfectus eſt, & ſufficiens ad illuminandos omnes, & tamen cæci non vident, non illuminantur. *Sol cæco præſens eſt, at cæcus Soli abſens eſt.* Eccleſia perfecta eſt & ſufficiens ſibi in ordine ad finem ſuum; defectus eſt in hominibus, qui aut non recipiunt gratiam Dei, aut à gratia accepta cadunt. Perfecta ergo & ſufficiens eſt Eccleſia in ordine ad finem ſuum, in ſe, ſed quoad impedimenta & obſtacula remouenda, aut peccatorum, aut tyrannorum aut hæreticorum, perfecta & ſufficiens non eſt.

Verum eſto, demus Eccleſiam perfectam & ſufficientem eſſe in ordine ad finem ſuum, talis erit perfectio, talis ſufficientia, qualis eſt Eccleſia ipſa. Et Eccleſia ſpiritualis eſt, dona ſpiritualia ſunt, arma ſpiritualia ſunt, perfectio ergo & ſufficientia Eccleſiæ ſpiritualis, & in ſpiritualibus tantum erit: Qualis enim facultas, talis & virtus eius: Eccleſia ſpiritualis, poteſtas ergo Eccleſiæ ſpiritualis; ſi Eccleſia temporalis ſit, & poteſtas Eccleſiæ temporalis erit; ſi Eccleſia ſecularis, & arma Eccleſiæ ſecularia erunt. 2. Cor. 10. 4. 5. 6. *Arma militiæ noſtræ carnalia non ſunt, ſed potentia Dei ad deſtructionem munitionum; conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei, & in captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti: Et in promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia.* Sic Sanctus Paulus.

Perfecta proculdubio eſt illa Eccleſia, illa Reſpublica, & ſufficiens ſibi in ordine ad finem ſuum, quæ munitiones, conſilia, omnem altitudinem extollentem ſe aduerſus ſcientiam Dei deſtruere poteſt, quæ omnem intellectum in captiuitatem redigit in obſequium Chriſti, quæque parata eſt vlciſci omnem inobedientiam: Et talis fuit Eccleſia tempore Apoſtolorum

multitudinis ſententiam ſuam executioni demandare. Eccleſiæ ergo ta non eſt poteſtas Regum deponendorum.

Secunda propoſitio eſt: *Poteſtas vtendi & diſponendi de rebus tempo-* 3
libus neceſſaria eſt ad finem ſpiritualem; nam alioquin poſſent mali Prin- »
ces impune fouere hæreticos, & religionem euertere. »

Propoſitio iſta, ſi iuxta ſenſum verborum intelligatur, vera eſſe poſt, non ſolum de ſummo Pontifice, ſed etiam de vnoquoque Epiſcopo : Sacerdote, necnon Laico Chriſtiano: habet enim quilibet Epiſcopus : Sacerdos & Laicus poteſtatem vtendi & diſponendi de rebus temporalibus, alias nec victu nec veſtitu, nec poſſeſſionibus, nec rebus terenis vti liceret, ſic de mundo exeundum eſſet omnibus Chriſtianis, ſi iac poteſtate præditi non eſſent. Pſalm. 113.16. *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum*, ad viſum, non ad fruitionem: Quo in ſenſu, ſi verba hæc vtendi & diſponendi de temporalibus intelligantur, nulla ratione cohæret propoſitio iſta, cum conſequentia annexa; alioquin poſſunt mali Principes impune fouere hæreticos & religionem euertere. Quid enim? An quia Epiſcopi & Sacerdotes poteſtatem habent vtendi et diſponendi de rebus temporalibus, ideo non poſſunt mali Principes impune fouere hæreticos, et religionem euertere? quid vſus et diſpoſitio rerum temporalium, ad Principum coercionem? An hanc rationem approbabit Cardinalis?

Quicumq; habet poteſtatem vtendi et diſponendi de rebus temporalibus, habet poteſtatem Regum deponendorum.

Singuli ſubditi Laici, ſicut Sacerdotes et Epiſcopi, habent poteſtatem vtendi et diſponendi de rebus temporalibus. Ergo.

Singuli Laici ſubditi, ſicut Sacerdotes et Epiſcopi, habent poteſtatem Regum deponendorum.

garrulitas otioſa

Quid vero? An ſolus *Petrus* eiuſq; ſucceſſor Pontifex Romanus habet poteſtatem vtendi et diſponendi de rebus temporalibus?.

Paulus non ſolum de ſeipſo, ſed etiã de alijs omnibus Epiſcopis et Sacerdotibus dicit: *Si alij poteſtatis veſtræ participes ſunt, quare non potius nos; ſed non vſi ſumus hac poteſtate*; percipiendi ſcil. decimas, ſiue congruã portionem. Poteſtas hæc communis Paulo et Barnabæ, et Apoſtolis et miniſtris Euangelij, vt, qui altari ſeruiunt, ex altari viuant: idq; non ex ordinatione *Petri*, ſed ex ordinatione *Domini: Ita & Dominus ordinauit: Annon habemus poteſtatem veſcendi & bibendi? Nunquid non habemus poteſtatem, mulierem ſororem circumducendi, ſicut & cæteri Apoſtoli, & fratres Domini & Cephas? An ego ſolus & Barnabas non habemus poteſtatem hoc operandi?* Poteſtas hæc vtendi et diſponendi de rebus temporalibus, ideſt, poteſtas veſcendi et bibendi, mulierem ſororem circumducendi, decimas, ſiue congruam portionẽ percipiendi, (ex qua Bellarminus 1. Cor. 9. 12.

probare

probare conatur hanc potestatem Regum deponendorum) communis est
Vers. 5. omnibus Apostolis, sicut & *Petro*. Non dicit *Paulus*: numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut *Petrus* solus? sed sicut cæteri Apostoli & fratres Domini: & ne singulariter hoc sit in *Petro*, quod vulgariter in cæteris est Apostolis, non primo loco, sed vltimo addit; *Nunquid non habemus potestatem, sicut & Cephas?* (Sicut) hoc loco æqualitatis est, non similitudinis. Et qui sunt, qui hanc habent po-
Vers. 6. testatem? An *Paulus* solus? imo (inquit Paulus) *an ego solus & Barnabas non habemus potestatem hoc operandi?*

Communis ergo est potestas *Pauli* & *Barnabæ*; communis est potestas, vtendi & disponendi de rebus temporalibus, *Petri* & fratrum *Domini*, & cæterorum Apostolorum, imo omnium Ministrorum Euangelij, qui ad altare Christi inseruiunt: Aut ergo potestas vtendi & disponendi de rebus temporalibus, non infert potestatem Regum deponendorum, aut commune est omnibus Apostolis cum *Petro*, commune est omnibus Episcopis, Successoribus Apostolorum, cum Pontifice Romano successore *Petri* & *Pauli*, Reges deponere. Nec enim quia Pontifex est successor *Pauli*, ideo deponit Reges, sed quia Vicarius est *Christi*, successor vero *Petri*, ideo imperia tollit: nec *Paulo* commissæ sunt claues aut oues, sicut *Petro* commissæ sunt: Et tamen *Paulo* data est potestas, vtendi & disponendi de temporalibus, vt ex ipso *Paulo* patet, sicut & *Petro* concessa est.

Nouâ ergo Grammaticâ, nova Theologia opus est, vt potestas vtendi, & disponendi de rebus temporalibus, idem sonet, quod potestas deponẽdorum, sive priuandorum Regum: verum esto: liceat *Bell* alijsque *impijs politicis*, vti *Carerius*, nouam Grammaticam, nouam Theologiam, novos scripturarum sensus, quos Antiquitas ignorauit, fingere. Propositio quæ in literali & Grammaticali sensu vera est; *necessaria est potestas vtendi & disponendi de rebus temporalibus ad finem spiritualem*, quia sine vsu & dispositione rerum temporalium, nec viuere, nec esse, nec Deo servire in hac vita possumus. At in sensu, nouo et fictitio falsa est: *necessaria non est ad finem spiritualem potestas vtendi & disponendi de rebus temporalibus*, id est, auferendi Regna et dominia ad imperium summi Pontificis.

1. enim, necessarium est, sine quo res nullatenus esse potest: At fuit Ecclesia annis septingentis post Christum, sine hac potestate auferendi regna et dominia. Potestas ergo hæc non necessaria.

2. necessarium est quod semper aut plerumque fit: Depositio Regum nec semper, nec plerunque facta est, ne tum quidem, cum maxime vrgerent et tyranni et hæretici: Depositio ergo Regum non est necessaria.

Duplex est necessitas; Alia simplex et absoluta; alia conditionalis.

Alia

Alia est necessitas naturæ, sine qua res esse non potest; vt cœlum mouet, & circumfertur, terra quiescit; leuia ascendunt, descendunt grauia; cibus necessarius est animali, ex necessitate naturæ: alia est necessitas præcepti, siue finis; præcepta enim obligant ad debitum & pœnam ex se, necessitant verò ratione finis, quia siquis vult finem, necesse est, vt præcepta, quæ ad finem dirigunt, custodiat.

nova philosophia Tho. 2. 2. q. 58. Art 3. ad 2.

Necessitatem absolutam siue naturæ non intelligit *Bellarminus*, tunc enim Ecclesia esse desineret, si Reges non deponeret: sicut grauia desinunt esse grauia, si deorsum non moueantur: Necessitas ergo quam hoc loco vrget *Bellarminus*, necessitas præcepti & finis erit: de præcepto non quæro, vbi præcisè inueniatur hoc mandatum, vt Pontifex Reges Tyrannos & hæreticos deponat: Reges verò depositi à Pontifice regno cedant; habetur fortasse Cap. nusquam: ideo necessitatem præcepti omisit Bellarminus: de necessitate finis instituitur quæstio: Necessaria est, potestas deponendi Reges ad finem spiritualem. Finis Ecclesiæ est salus & vita æterna; Regnum gratiæ, consummationem habet in regno gloriæ: Propositio ergo Bellarmini hæc est.

satis Bell.° est eccl.am habere potestatem deponendi esto de facto non deponat

Potestas depositionis Regum necessaria est ad vitam æternam.
Si vera sit hæc propositio, quidni etiam sequatur hæc conclusio?
Ad finem non peruenitur sine ijs, quæ necessaria sunt ad finem.

confundit rectam præcep. et finis simul. inepte.

Potestas depositionis Regum necessaria est ad finem spiritualem, id est, vitam æternam.

Ergo sine potestate deponendi Reges non peruenitur ad finem spiritualem, id est, vitam æternam.

Nemo ergo ad salutem æternam peruenit tempore *Christi* & Apostolorum; nemo saluus factus est tempore illarum decem persecutionum primitiuæ Ecclesiæ, in quibus tyrannis & persecutio grassabatur, nemo salvus factus est tempore illo florentissimo, quo post persecutiones rigata sanguine Martyrum, & eximia Patrum doctrina & sanctitate plantata creuit per trecentos annos Ecclesia, quia Reges hæretici & tyrani depositi nõ sunt. Nec reponas; aderat potestas, sed deerãt vires: quę enim necessaria sunt ad finem, nisi propter necessitatem ineuitabilem omittenda non sunt: & per votum & desiderium siue propositum supplenda sunt: Exempli gratia: Baptismus necessarius est ad salutem, necessitate præcepti & finis: nec omitti potest, sine periculo æternæ damnationis, nisi propter necessitatem ineuitabilem: Quo in casu sufficit votum & propositum, siue desiderium: vt de *Valentiniano* docet Sanctus *Ambrosius*. In oratione de obitu Valentiniani. Quid verò? An talis ineuitabilis necessitas præcipue in Christo, vt ipse tyrannos deponere non potuerit, cui famulabantur legiones Angelorum, & obtemperabant omnes creaturæ? Si talis necessitas tempore Apostolorum & Martyrum, & Pontificum, per septingentos primos Ecclesiæ annos, quomodo constat de voto, siue proposito

siue

ſiue Deſiderio huius poteſtatis, ſiue depoſitionis exercendæ; quo ſuppleri poſſit defectus depoſitionis ipſius? Si depoſitio Regum neceſſaria ſit ad finem ſpiritualem, id eſt, ad vitam æternam; reus ergo *Chriſtus* ipſe, qui in neceſſarijs defuit; reus *Petrus*, alijque Vicarij Chriſti, ſucceſſores Petri penè omnes, qui hanc depoſitionem Regum ad finem ſpiritualem neceſſariam, ſine qua ſalus & vita æterna haberi non poteſt, omiſerunt. Nō eſt ergo hæc poteſtas depoſitionis Regum neceſſaria ad finem Eccleſiæ, i. ſalutem æternam, ſicut verbum reconciliationis, gratia Euangelij, Baptiſmus, Sacramentum & canalis gratię, pœnitentia & contritio pro peccatis, neceſſaria ſunt, ad vitam æternam conſequendam. Non eſt hęc poteſtas neceſſaria ad vitam æternam, ſicut bona opera neceſſaria ſunt ad ſalutem æternam: quia ſine his ſalus animarum haberi non poteſt; ſine depoſitione enim Regum ſalus æterna & haberi poteſt & quotidie habetur.

non hoc concedit Luther. 4.

Sed alius fortaſſe ſenſus eſt huius neceſſitatis; alius finis Eccleſiæ, præter ſalutem animarum, quem in hac propoſitione intendit Cardinalis.

Neceſſaria eſt hæc poteſtas deponendorum Regum, ad finem Eccleſię, id eſt, ad hierarchiam ſiue Monarchiam temporalem Pontificis ſtabiliendam: Pontifex enim & Eccleſia Synonima ſunt; Pontifex eſt Eccleſia, & Eccleſia eſt in Pontifice: Dic Eccleſię, id eſt, Dic Pontifici: neceſſaria ergo eſt hæc poteſtas deponendorum Regum ad finem Eccleſiæ, id eſt Pontificis: hoc eſt ad Monarchiam temporalem aſſequendam. Neceſſaria eſt hæc poteſtas depoſitionis, id eſt, Pontifex indiget, ſiue opus habet hac poteſtate. Credo equidem, indiget Eccleſia hac poteſtate quia eam non habet: indigere enim ſolent homines ijs, quæ non habent, non ijs quæ poſſident; niſi nimium auari ſint; *auaro enim deeſt, tam quod habet, quam quod non habet*. Eſt neceſsitas *exigentia*, & eſt neceſsitas *indigentiæ*: Indiget Eccleſia hac poteſtate ſine indigentia; quia abundat ſpirituali, dignioriq́ue poteſtate: ſed non exigit Eccleſia hanc poteſtatem, quia bene finem ſuum ſine hac poteſtate aſſequitur. Nec opus habet Eccleſia hac poteſtate, quia ſine hac poteſtate Electos omnes omnium ætatum perduxit ad cœlum; & temporalia impeditiua ſunt ſalutis æternæ: & Eccleſia opus non habet impedimentis, ſed adiumentis.

De neceſſitatibus meis eruе me Domine, ſic olim Propheta, hæc eſt neceſsitas indigentię; talis forte eſt neceſsitas huius poteſtatis in Eccleſia: Pontifex ſummus indiget Monarchia temporali, ideo quia regna mundi Seruus ſeruorum ambit, quæ Dominus dominantium oblata reiecit, à Rege & Propheta orare didicit: *De neceſſitatibus meis eruе me Domine*; at huius poteſtatis neceſſitas exigentię nulla: poteſt enim, idq́ue facilius ſine hac poteſtate finem Eccleſiæ, id eſt, ſalutem animarum conſequi, quia multi Pontifices, dominandi cupiditate abrepti, ab hoc fine aberrarunt; etſi finem ſuum; hoc eſt hierarchiam mundi temporalem ſine hac poteſtate conſt qui non potuerunt.

Verum

Verum vt hanc *Bellarmini* nouam grammaticam ſequamur, docuit ominus Diſcipulos ſuos, vt Domino aſini & pulli cui Hieroſolymam greſſus, inſedit, reſponderent: *Dominus opus habet.* An in hoc aſino pullo neceſſitas aliqua exigentię, ſine quibus non potuit Chriſtus remptionem noſtram, animarumque ſalutem perficere? Multa ſunt v-a, ſiue quibus homines bene & cõmode eſſe non poſſunt, vt homo ſine limentis bene eſſe non poteſt; an vero neceſſitas aliqua exigentiæ in limentis? In veſtibus ornatus & vtilitas eſſe poteſt, neceſſitas eſſe non eſt. Verum eſto, ſit hæc poteſtas vtilis Eccleſię, quod quidem nulla ratione concedi debet; quomodo enim corpori venenum, animæ occaſio candi vtilis dici poteſt? & hodie (quando ſcilicet donatio *Conſtantini* ta eſt) *venenum Eccleſiæ infuſum eſt*: ſit hęc poteſtas ornamentum & us, & gloria Eccleſię, quæ tamen reuera in confuſionem & exterium Eccleſiæ ceſſit: Quomodo cohærent iſta: vtilis eſt hæc poteſtas ſplendorem & ornatum & amplitudinem Eccleſiæ in terris, non militi, ſed potius triumphanti: Ergo neceſſaria eſt ad finem Eccleſię conuendam: Immo vero eo nomine neceſſaria non eſt hæc poteſtas, quia tum vtilis eſt: quod enim neceſſarium eſt, plus quam vtile eſt: quod le tantum eſt, id neceſſarium proculdubio non eſt: vnde ſic retorquetur argumentum Bellarmini.

Eccleſia habet omnem poteſtatem neceſſariam ad finem ſuum conſeendum:

Poteſtas deponendorum Regum vtilis eſt, neceſſaria non eſt ad hunc m conſequendum; quod enim vtile eſt, neceſſarium non eſt.

o.

Eccleſia non habet hanc poteſtatem Regum deponendorum.

equitur proſyllogiſmus ſiue probatio huius neceſſitatis apud Bellar. *qui poſſent mali Principes impunè fouere hæreticos, euertere religio-*. Qui? hoc eſt? Si nullus eſſet Rex, nullus Imperator gladio materiactus, ſi nullus Præſul, nullus Pontifex gladio ſpirituali armatus; ſi oc mundo inferiori, nec præmium eſſet, nec pœna; an poſſent maincipes impune fouere hæreticos, religionem euertere? Imo vero ndiu Deus in Cœlis ſedet, & inferiora hæc omnia & regit & guat; (De quo Propheta *omnia quæcunque voluit fecit in terra*:) quan- *Pſal.*134.6. *Sapientia Dei à principio ad finem pertingit, & omnia dirigit ſa-* *Sap.*6.1. *er* fortiter & ſuauiter; quandiu Prouidentia diuina omnia hæc iora moderatur, ſiue *qua nec paſſer, nec capillus capitis ad ter- cadere poteſt*; quandiu Satanas accuſator fratrum, inimicus houm, catena poteſtatis & prouidentiæ diuinæ alligatur, ſic vt nec , nec camelos, nec boues nec aſinos, nec ſeruos, nec filios, corpus, nec cutem Iobi, aut cuiuſquam alterius, ſine ſpeciali Optimi maximi licentia tangere, aut affligere poſſit; quandiu

corda

corda Regum & tyrannorum & hæreticorum, & infidelium & Chriſtianorum (qui ſicut miniſtri ſunt ſæpenumero Satanæ, ſic ſemper flagella ſunt Dei) in manu Dei ſunt vt fluuij aquarum, & ab illo huc illuc conuertuntur: quandiu omnes creaturæ legi & voluntati Creatoris ſine cunctatione obtemperant, impoſſibile eſt, vt hæreſim impune propagare, aut religionem euertere quiſquam tyrannus aut hæreticus poſſit, etſi maximè velit. Licet enim terras Aſtræa reliquerit, in cœlo tamen reſidet, & prouidentia, & iuſtitia, quæ tum maxime auxiliatur & caſtigat, cum deficit ſapientia & poteſtas humana. *Bono animo eſſe oportet quibus iratus eſt Cains, quia neceſſe eſt adeſſe diuinum, cum humanum ceſſat auxilium*: Sic olim Philo apud Euſebium.

Prou.21.1.

Lib.2.c.5.

Quid vero an non hoc eſt Brachium carnis, ſapientiam mundi, poteſtatem hominum contra Deum erigere? Annon fundamentum, firmitas, & ſtabilitas religionis, politiæ & poteſtati humanæ innititur, ſi hæreſis graſſari, religio euerti poſſit, ex defectu poteſtatis externæ & temporalis? Nonne Deus in cœlo ſedebit otioſus, nec res humanas, imo nec diuinas, & ſuas curabit, vt Epicuri de grege porci, dixerunt quidam, ſi per ſeipſum, ſine poteſtate externa coactiua, ſine poteſtate Regum deponendorum hæreſin cohibere, religionem ſtabilire non poſſit? Dicat ergo *Bellarminus* quæ poteſtas temporalis *Pharaonem*, *Senacheribum*, *Neronem*, *Domitianum*, *Diocletianum*, alioſque tyrannos innumerabiles, & intolerabiles, Religionis & Eccleſiæ hoſtes teterrimos cohibuit? Dicat *Bellarminus*: quæ poteſtas temporalis, monſtra illa hæreſeon, *Arium*, ſub quo totus mundus ingemuit, *Manichæum*, *Neſtorium*, reliquoſque Deitatis & Humanitatis Chriſti hoſtes perditiſſimos amouit & extinxit? Gladius *Spiritus Sancti*, non gladius carnis, portenta hæc amputauit; Sapientia diuina non humana impietates illas confutauit; poteſtas diuina, non ſecularis, non temporalis has plagas amouit: Pontifices & Præſules Doctoreſq; Eccleſiæ hos hæreſiarchas armis ſpiritualibus, non carnalibus debellarunt: tyranni & fautores horum hæreticorum, non armis, ſed orationibus & lachrymis cleri & populi victi extinctique ſunt.

Hæ rationes contra eum quidem militant

Prophana igitur hæc eſt ratio ſiue probatio, quæ Ethnicum magis deceat quam Theologum, quam Doctorem Cathedralem, quam Cardinalem, quam abunde confutauit Gamaliel: *Sinite illos, quoniam, ſi eſt ex hominibus conſilium hoc aut opus, diſſoluetur: ſin vero ex Deo eſt, non poteritis diſſoluere, ne forte & Deo repugnare inueniamini.* Conſilium hoc religionis Chriſtianæ, eſt à Deo: perſecutio tyrannorum, furor hæreticorum, à Deo eſt, ſaltem permittente; & quatenus pœna eſt, à Deo etiam volente; non enim eſt malum pœnæ in ciuitate, quod non facit Dominus; & in hæreſim labi pœna maxima eſt, quia maxime à Deo elongat. Quia vero Chriſtiana religio à Deo eſt, nec rabies hæreticorum, nec crudelitas tyrannorum, eandem euertere poteſt. Religio Dei inni-

Act.5.38.

placebit Turco hac theologia.

itur fundamento suo; hoc est, Petræ Christo, contra quem portæ inferi, i. hæreses non prævalebunt. Descendat ergò pluuia, veniant flumina, flent venti, & in domum hanc irruant, non tamen ruit domus ista, quia super Petram fundata est; non super arenam; i. non super consilium, vel sapientiam, vel potestatem humanam, quæ nec pluuiam, nec flumina, nec ventos sustinere potest.

At licet hæreticos fouere, religionemque euertere mali Principes non possunt, quia suprà Petram ædificata est: tentare tamen possunt, & hoc impunè. *Astiterunt Reges terræ, & convenerunt Principes in vnum Herodes, Pilatus, gentes cum populo Israelitico, aduersus Dominum & Christum eius*; Sed frustrà; premere Christum poterant, opprimere non poterant, religionem oppugnare poterant, expugnare non poterant; creuit cum Martyrijs, sanguine Sanctorum seminata est, persecutionibus coronata est: fremuerunt gentes, sed meditatæ sunt inania. Quicunque ora in cœlum posuerunt, & more Gigantæo bellum *Domino & Christo* eius indixerunt, quicunque contrà Ecclesiam, & religionem Christianam arma sumpserunt, inania meditata sunt, quæ perficere non potuerunt: nec religionem euertere potuerunt, nec impunè hoc ipsum aggressi sunt; in hac causa verum est quod dixit Poeta:

Raro antecedentem scelestum,
Deseruit pede pœna claudo;

Vnde Chrysostomus, *Serm. de Pentecost. Quanti impugnauerunt & nemo prævaluit? & impugnatores quidem taciturnitati & oblitioni dati sunt, Ecclesia autem quotidiè virtutibus augmentatur: vbi nunc Claudius? vbi Augustus? vbi Nero? vbi Tiberius? Nomina sunt nuda, horum autem neemo, nec vlla horum mentio, & quia Ecclesiam impugnauerunt, ideo & memoriam perdiderunt, Ecclesia autem clarior resplendet.*

Ausus est arcam labentem sustinere *Vzza*; 2. *Reg.* 6. 6. aderat statim ultitia, cecidit sine potestate humana, qui nimis sapiens Dei religionem viribus suis sustinere conatus est. Ausus est *Ozias* 2. *Paral.* 26. incensum dolere; adest statim vindicta diuina; lepra percussus est in fronte, *ea parte corporis maculatus offenso Domino, quâ signantur qui Dominum promerentur*, i. baptizantur. *Cyprian de vnitate Eccles.*

Herodes Antipas qui & *Ioannem Baptistam* decollauit, & *Christum Dominum* cum militibus suis irrisit, cum amasia sua *Herodiade* in exilio miser moritur. *Euseb.* Lib. 1. c. 13. *Herodes* Magnus, qui omnes Bethleemi, etiam filium suum interfecit, vt vnà Dominum *Christum* interimeret, post multos & intollerabiles cruciatus cultrum proposuit, & circumspectans, ne quis esset qui prohiberet, leuauit in seipsũ dextram, stumq; librauit. L. 1. c. 9. *Herodes Agrippa*, qui contra Apostolos Christi persecutionẽm nouit, & Petrum incarcerauit, & Iacobum gladio percussit,

hæc nota sequens euentũ narratio, minime eos non impunè id ausos.

à vermibus consumptus est, Act. 12.25. *Pilatus ille qui in Saluatorem iniqui iudicis functus est officio, ipsdem temporibus Caij, tantis & talibus malorum cladibus afflictus est, vt propriâ se manu transuerberans, nephariam vitam, vi abiecisse referatur: nec enim poterat tanti piaculi minister impunitus euadere. Hæc Eusebius lib. 2. cap. 8.*

Impune potuit *Pilatus* religionem in ipso fundamento & petrâ euertere; sic dicat necesse est *Bellarm.* si sibi constet: Non poterat tanti piaculi minister impunitus euadere: sic *Eusebius.* Vltor a tergo Deus: hoc non sufficit *Bellarm.* Vltor a tergo Pontifex Romanus; cui data est potestas omnes tyrannos & hæreticos Christianæ religionis euersores amouendi, sine quo impune possunt religionem euertere: licet Deus qui illis potestatem suam contulit, opera eorum interrogabit, & vindictam eorum sibi ipsi reseruabit.

Vide Picum Mirand. de fide & rd. credendi Theorem. in Prin. 1.

Dicat ergò Bellarm. An tyranni illi qui religionem in incunabulis euertere aggressi sunt, impune hoc ipsum attentarunt? Quid *Nerone* persecutionum Principe fœdius? quid crudelius? seipsum propria manu interfecit. *Domitianus* a proprijs ministris interfectus est, conscia etiam vxore. *Aurelianus* fulmine ictus occiditur; *Decius* in gurgite paludis submersus; *Diocletianus* suspectans necem, dedecorose dicitur venenum hausisse: vti Paulus Diaconus, lib. 10. *Galerius* eodem genere morbi perijt quo *Herodes* & *Antiochus*, vt Medicus dixit *ex ira Dei*; Idem lib. 11. *Maxentius* & victus simul & gurgite absorptus est, Ibidem. Mitto alios plurimos: vnum superaddo Lucianum mordacissimum, Christiq; legis irrisorem; qui canum morsibus canis ipse pessimus laceratus interijt. An tyranni isti impune religionem euertere ausi sunt? An potestas Pontificia monstra hæc & portenta hominum consueta morte, & plaga, qua cæteri visitari solent, absolulit? an verò singulari iudicio Dei perierunt, vt *Core* & *Dathan* & *Abiram*? Num. 16. 29.

A tyrannis ad hæreticos hæreseônq; fautores maximos accedamus. Hieronym. ad Heliodorum in Epitaphio Nepotiani, sic ait. *Constantius Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratus & concitus fertur in pugnam, in Mopsi viculo moriens magno dolore hosti reliquit imperium. Iulianus Apostata proditor animæ suæ, & Christiani ingulator exercitus, Christum sensit in Mediâ, quem primum in Gallia denegarat, dumq; Romanos propagare vult fines, perdidit propagatos: iaculo transfixus, ab Angelo siue homine, qui, vt palam est diuinis iussionibus ministrauit:* vti Paulus Diaconus lib. 11. *Valens Arianus iusto Dei iudicio in vilissima casa a Gothis igne crematus est, quos igne perfidiæ succenderat:* vt Idem, lib. 12. *Anastasius Imperator Eutychianus diuino fulmine percussus periit: impiam eius temeritatem diuina vltio continuo subsecuta est:* Sic Idem author, lib. 15.

Gunde-

Gundericus Vandalus Arianus, cùm impiè elatus manus in Ecclesias istius ciuitatis Hispalis extendisset, mox iudicio Dei à Dæmone correptus interijt. *Franciscus Tarapha*, de Regibus Hispan. in vita Honorij. An hi omnes impune hæreticos fouerunt? An impune religionem euerterunt? Quid quod *Mauritius* Imperator vna cùm vxore & liberis iusto Dei iudicio peremptus est; quod (vobis authoribus) tyrannidem in *Gregorium* Pontificem & Ecclesiam exercet? *Constantinus* 5. Imperator, Iconomachus & tyrannus sæuissimus (si vobis credimus) plaga pessima incendij diuinitus percutitur, & clamans igni sum inextinguibili traditus, miserabiliter moritur: vti refert Sigebertus, Ad Annum 770. 776. *Leo* 4. *Imperator, qui coronam suam gemmis, ex Sacrario S. Sophiæ direptis, ornarat, eiusdem coronæ põdere, aut lapillorum (quibus delectabatur) frigiditate subito morbo correptus est: sicut & Paulus secundus Pontifex, eisdem delinimentis delectatus in Apoplexiam incidit;* vt refert Platina, In Adriano 1. An his alijsq; multis impune licuit, hæreses suas propagare, religionem Christi euertere, quos Deus ipse, & Dominus exercituum, sine sententia & potestate Pontificis, sine seculi populiq; brachio siue gladio temporali in ira sua abripuit. Ecce vero, Isa. 59. 1. *non est* (nec in diebus nostris) *abbreuiata manus Domini, vt saluare nequeat, neq; aggrauata est auris eius, vt non exaudiat.* Tyrannos & hæreticos, religionis Christianæ euersores semper castigauit & absolut Dominus, cuius manus abbreuiatę sunt; falsa ergo est hæc probatio Bellarmini, quoad pœnam corporalem, alioquin possent Reges mali impune fouere hęreticos, religionem euertere: adeoq; verum est, quod *Petrus de Monte*, In Monarchia part. 2. q. 4. num. 5. vnus e testibus Bellarminianis obseruauit: *Vnum scias, quod nullus vnquàm turbauit Ecclesiasticam dignitatem, quin detrimentum aut in persona aut in bonis, aut in vxore, filijs vel fama iusto Dei iudicio pateretur.* Non est ergò necessaria hæc potestas Regum deponendorum in Pontifice, quandiu Deus ipse in cœlo residet, & tyrannorum & malorum Principum Vindicem se præbet; quis verò & qualis Pontifex Romanus, qui gladium hunc è manu Dei extorquere audeat?

Verùm esto, quod in cœlo sedeat & dormiret Dominus ille qui custodit Israel, nec res humanas i, nec ecclesiasticas curet; nec ipse tyrannos aut religionis euersores per seipsum immediate, nec mediante Pontifice, per potestatem in temporalibus (quanquam non temporalem) eosdem regnis & Dominijs suis priuet, an ideò impune possint mali Principes fouere hæreticos, religionem eu rtere? An sola pœna temporalis pœna dicenda est? An pœnæ spirituales, quia salutares sunt, & salutem animæ operantur, ideo pœ ę nõ sũt? Anima & spiritus dignior & nobilior est corpore & carne, præmia animę excellentiora sunt dotibus corporeis; & pœnæ animæ graniores sunt cruciatibus corporis. Separatio a gratia grauior est quam

ſeparatio à naturâ: ſeparatio à communione gratiæ & Eccleſiæ grauior eſt quam ſeparatio à communione naturæ & mundi: Vermis conſcientiæ grauiùs cruciat quàm vermis carnis; mors animæ quæ ſeparat à Deo, terribilior eſt morte corporis, quæ animam à corpore tantum ſeparat: pœna damni, vt loquuntur Scholæ, *Diſcedite à me*, maior eſt quam pœna ſenſus, *Ite in ignem æternum*. Renaſci in regno Chriſti maius eſt, quam naſci ad regna mundi: prohiberi ab ingreſſu Eccleſiæ; orationibus, Sacramentis, gratia Dei, ſuffragijs Eccleſiæ deſtitui, Satanæ tradi, multò intolerabilius eſt, quam ingreſſu Solij & Palatij, legibus, acclamationibus, priuilegijs, poteſtate & gladio ſeculari priuari. Quid prodeſt panis corporis, ſi deſit panis animæ? Quid prodeſt vinum ſeculi, ſi deſit aqua gratiæ cœleſtis? *Dauid* Rex ſummus excluſus è domo Dei, beatos prædicat paſſeres & hirundines, qui in Altari Domini tuti modulantes ædificabant: Dicat verò *Theodoſius* Imperator, ab *Ambroſio* vinculis peccatorum ligatus, & ab ingreſſu Eccleſiæ excluſus, & ſi non Ruffino magiſtro palatij, at Bellarm. reſpondeat, dicat inquam, *Theodoſius*, Apud Sozom. l. 15. c. 17. *acerbe eiulans & largius lachrymas profundens: Tu quidem Ruffine,* (tu quidem Bellarm.) *ludis, meorum enim malorum ſenſu haud tangeris; ego verò gemo lamentorq; in conſideratione calamitatis meæ: quod ſeruis & mendicis pateat diuinum templum, illique libere ad deprecandum Dominum ſuum ingrediantur; mihi cum illud inacceſſum, cum inſuper & cœlum occluſum ſit: memoria enim teneo Dominicam vocem qua manifeſtè dicit. Quemcunque ligaueris in terrâ, is & in cœlo ligatus erit.* Hæc vincula Eccleſiæ, has pœnas Eccleſiaſticas ignorare viſus eſt Bellarminus cum hæc verba effutijt, *alioquin impunè mali Principes poſſent fouere hæreticos, religionem euertere.* Acſi tremendum eſſet tradi carnifici, tradi verò Satanæ, ne pœna quidem apud Cardinales eſſet.

Fortaſſe didicerat iſta Bellarm. à Iulio 2. Pontifice, qui claues ſancti *Petri* in Tyberin proijciens, vrpote inutiles, quæque nec cœlum claudere nec aperire poſſent, gladio Sancti *Pauli* vel potius *Ceſaris* & *Conſtantini* ſe accingit. Claues Sancti Petri in Tyberi ſubmerſæ prorſus perierunt, pœnæ ſpirituales iam deſierunt eſſe pœnæ, adeoque ſi deſit gladius ſecularis, poteſtas depoſitionis, impunè poſſunt mali Principes hæreticos fouere religionem euertere.

Interim verò audiat ſeipſum ſibi contradicentem Bellarminus: *L. 3. de Eccl. c. 6 Excommunicatio in Eccleſia, vt mors eſt in Republicâ nulla eſt grauior pœna quæ ab Eccleſia infligi poteſt, quam excommunicatio.* Ergo nec depoſitio: excommunicatio, excluſio ab ingreſſu Eccleſiæ, imò cœlorũ, pœna non eſt, quia his in eccleſia permanentibus, poſſunt mali Principes impunè hæreticos fouere, religionẽ euertere. Imò, excommunicatio, quuis morte temporali, longè grauior eſt, & tamen pœna non eſt. Hęc Bellar.

Monarchię

Monarchiæ temporalis astipulatorem optimè decent.

At longè aliter de hác pœná spirituali senserunt alij: *sola eorum* (Pontificum) *arma excommunicationes erant, sed ita valida plerunq; vt genus mortalium nihil formidabilius putaret*; sic Papyrius Massonus, In Gregorio 7. *Hàc pœnâ in Ecclesiâ nulla maior est*: sic Augustinus, De corrept. et gratia c. 15. *Omnis Christianus, dilectissimi, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathanæ tradi dicitur: quomodo? Scilicet, quia extra Ecclesiam est Diabolus; sicut in Ecclesiâ est Christus: At per hoc quasi Diabolo tradi dicitur; quia ab Ecclesiasticâ communione remouetur: Vnde illos quos tunc Apostolus Sathanæ traditos esse prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat*: Sic Augustinus, q. 3. c. Omnes Christiani. *Nihil sic formidare debet Christianus, quam à corpore Christi separari: si enim separatur à corpore Christi non est membrum eius; si non est membrum eius, non vegetatur spiritu eius: Quisquis autem, inquit Apostolus spiritum Dei non habet, hic non est eius. Et* ibidem, c. nihil sic. *Illud quod ait; Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus, grauius est, quam si gladio feriretur, si flammis absumeretur, si feris subigeretur: nam ibi quoq; subiunxit; Amen dico vobis, Quæ ligaueritis, &c. vt intelligeretur, quantò grauiùs sit punitus, qui velut relictus est impunitus.* Hæc Augustinus, Contra aduersarium legis et Prophetarum ç. 17. Censura ergo spiritualis siue Ecclesiastica, & pœna est, & pœna grauissima; etsi pœna non accedat tẽporalis; Non ergò possunt mali Principes impune fouere hæreticos, & religionẽ euertere, vtpotè qui mucrone spirituali ab Ecclesia abscinduntur, & bestijs & dæmonibus deuorandi traduntur.

ita scilicet hæc magni pendunt Principes.

Atq; hæc de Ratione Bellarm. 2. generatim dicta sint: iam ad Bellarm. defensionem accedamus.

Arguit *Barclaius Bellarminum* contradictionis, quod supra in ratione 1. dixerat, potestates illas duas, ciuilem & spiritualem, vnam constituere Rempublicam: in hác vero ratione 2. asserit duas esse respublicas, vnam spiritualem, ciuilem alteram, quorum vna alterum cogere potest mutare formam administrationis suæ, si alteri officiat, 7.

Nouam hìc comminiscitur *Bellarminus* rationem, quomodo hæ duæ potestates & duas faciant respublicas, & in vnam Rempublicam coalescant: *Spiritus & caro vnum faciunt hominem, & duos homines: Est vetus homo, siue exterior homo, qui indies corrumpitur, & est nouus homo, siue interior homo qui quotidie renouatur. Sic quandoq; potestates istæ duæ, duas faciunt Respublicas, quandoq; vnam: nec in priore sibi contradicit spiritus, nec in hoc posteriore Bellarminus.*

non sic loquitur Bellarminus.

In hác responsione multipliciter peccat Bellarm.

1. Comparatio ista prorsùs dispar, similitudo dissimilis est: Spiritus enim siuè anima & caro partes sunt essentiales, quæ totum essentiale, tertium scilicet, quod nec spiritus sit nec caro, i. hominem constituunt. At hæ

duæ poteſtates, ſpiritualis & ciuilis, non ſunt partes eſſentiales, quæ totum eſſentiale, quod nec ſpirituale ſit, nec ciuile conſtituunt; ſed coniunctæ ſunt & mutuo quodam amore, & affectu conueniunt, in toto aggregato, non vt vna Reſpublica, ſed vt duæ diſtinctæ & diuerſæ Reſpublicæ, quæ diuerſos Magiſtratus, diuerſa iudicia, diuerſas leges, diuerſas pœnas, diuerſas communitates habent, quæ quidem vna Reſpublica ſunt non vnitate voluntatis, ſiue animæ & formæ, ſed vnione volũtatum, vt in cauſa diſſimili loquitur Bernard. In Cant: Serm. 71. conſpirãt enim & nexu beneuolẽtiæ ſic coniunguntur, vt vna alteram ſemper adiuuet, vna præſit alteri in temporalibus, altera in ſpiritualibus: Rex Pater ſit Pontificis in temporalibus, Pontifex Pater ſit Regis in ſpiritualibus: vtraq; habeat vitã ſuã, animã ſuã: Rex vita eſt & anima Reipubl. ciuilis; Pontifex vita eſt et anima Reipublicæ ſpiritualis: Poteſtas ciuilis lumen habet naturale, poteſtas ſpiritualis lumẽ habet ſupernaturale: illa in natura, hæc in gratia fundatur: vtraq; habet eſſe ſuum ſeparatum: poteſtas ciuilis fuit & eſt, & eſſe poteſt ſine ſpirituali, Eccleſiaſtica itidem poteſtas & fuit, & eſt, & eſſe poteſt ſine ſeculari.

Quamuis ergò & Waldenſis, & Thomas, & Alenſis, & Hugo, & S. Gregorius Nazianzenus, poteſtatem Eccleſiaſticã ſpiritui, politicã carni conferant, nemo tamen eorum dicere potuit, ſic in vna Republica conuenire duas iſtas poteſtates, vt in vno homine conueniunt ſpiritus & caro, tanquã partes eſſentiales, tertium quiddam. i. hominem conſtituentes: ſic enim ex commixtione, ſiue coniunctione harum poteſtatum *conſurgeret* tertium quiddam, quod nec ſpirituale nec ciuile eſſet, ſed mixtum ex vtroq;

Atq; hoc eſt, quod aſſerit Barclaius; duæ ſunt Reſpublicæ quæ duas habent diſtinctas communitates, ſi Magiſtratus, leges, iudicia pœnas ſpectes: vna eſſe poteſt Reſpublica, ſi animorum & ſtudiorum conſpirationem conſideres. *Multitudinis enim cor vnum eſt, anima vna:* at eſſentia ſiue ſubſtantia multiplex.

2. In comparatione ſiue ſimilitudine ſua claudicat Bell. quamuis enim anima ſiue ſpiritus & caro vnum hominem faciunt, imò vnus homo ſunt; vt patet Geneſ. 2. tamen anima ſeparata a carne homo non eſt, ſicut & caro ab anima ſeparata, non eſt homo: at Poteſtas ciuilis ſeparata a poteſtate ſpirituali, & poteſtas eſt, & rempublicam ſiue communitatem ſuam habet: Et poteſtas ſpiritualis a poteſtate ciuili ſeparata poteſtas itidem eſt, & cõmunitatem ſiue Rempublicam ſuam habet: Poteſtas ergò ſpiritualis & poteſtas ciuilis, non tanquam duæ partes, ſed potiùs tanquam duo tota, in tertio, toto ſcilicet aggregato conueniunt; nec vnitate ſubſtantiæ, ſed conſenſione & beneuolentiæ coniunguntur.

3. Rom. 7. *Alia eſt lex membrorum, alia verò lex mentis*; & inter iſta duo, mentem ſcilicet & membra nulla eſt pax, ſed continua pugna; *caro cõcupiſcit aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem:* at inter iſtas duas poteſtates ſpiritualem & ciuilem, quandò in eodem toto aggregato conueniunt,

nulla

nulla lucta est, pugna nulla: Reges nutricij sunt & defensores Pontificum, Pontifices Pastores sunt & Patres Regum: Illi pascunt pane temporali, isti supernaturali; illi gladio ciuili, hi gladio spirituali peccata amputant, illi per pacem temporis, isti per pacem pectoris ad pacem æternitatis perducunt: Quando verò dissentire & pugnare incipiunt hæ duæ potestates (quod a Gregorio 7. inchoatum, a paucis eius successoribus continuatum est) quando spiritualis potestas contra ciuilem insurgit, eamq; deponit, aut quando ciuilis potestas spiritualem in seruitutem redigit, clamat mater Ecclesia, sicut olim clamauit Rebecca mater, cùm Esau & Iacob in vtero collidebantur paruuli, Gen. 25. 22. *Si sic mihi futurum erat, quid necesse fuit concipere?* Si sic Ecclesiæ futurum erat, vt Pontifex contra Imperatorem, Imperator contra Pontificem in eodem vtero luctarentur, quid necesse fuit concipere? Satius fuisset Ecclesiæ, si principatum temporalem in patrimonio Petri non habuisset, quam vt tali principatu insolens facta, contra Principes, Reges & Imperatores, filios & nutritios Ecclesiæ pugnaret: satius fuisset, vt Ecclesia gladium temporalem non acciperet, quàm vt gladio suo, i. temporali Principes temporales feriret: quo factum est vt Ecclesia hæresibus, schismatis, diuisionibus, excommunicationibus, Anathematis vastata & obruta; Respublica verò cædibus, rapinis, bellis, lanienis, omni deniq; malorum genere repleta & penè consumpta & exhausta sit.

4. Vnus & idem homo, dicitur vetus vel novus homo ex prædominio: si in homine dominetur primus homo, primus Adam de terrâ terrestris; dicitur vetus homo: si in eodem homine dominetur secundus homo, secundus Adam, de cœlo cœlestis, dicitur novus homo, vnus & idē homo quoad substantiam, ex prædominio ratione qualitatū dicitur vetus homo, vel novus homo: lex mentis & lex membrorum in eadem anima & carne inhabitant: falsus est Bell. si legem mentis in mente sola, non etiam in carne dominari asserat. Lex mentis in carne sicut etiam in corde regnat; & lex mēbrorum in anima, sicut in mēbris dominatur: *ex corde enim adulteria, homicidia, proditiones*, nō ex corpore originem trahunt: corpus organū tantū est, anima est quæ pulsat: In carne dominabatur lex mentis in S. Paulo, qui castigauit corpus, & in seruitutem redegit: in anima regnauit lex mēbrorū in Iuda proditore, qui triginta argēteis pretiū totius mundi vendidit. Interior homo idē est qui exterior; affectu differunt nō substā ia: ille superiora, hic terrena sapit: in his potestatibus nihil simile, par nihil: non est eadem potestas secularis, quæ spiritualis: Eadē potestas ex prædominio nō dicitur quandoq; secularis, quandoq; Ecclesiastica: Substantia & essentia differūt istæ duæ potestates, non tantum qualitatibus: distincta sunt officia, distinctæ dignitates, distincti sunt actus vtriusq; potestatis, sicut potestates ipsæ distinctæ sunt. Licet ergò idem homo dici possit vnus homo, & duo homines: vnus homo quoad substantiā, duo verò homines, vetus & nouus,

interior & exterior, quod qualitates ſiuè affectus, ſiuè exprædominio: at eadem Reſpubl. dici non poteſt vna Reſpub. & duæ Reſpublicæ, vna totalis & duæ partiales: Ratio manifeſta eſt, quia vna non eſt Reſpub. quoad ſubſtantiam ſiue eſſentiam; Reſpub. enim Eccleſiaſtica & Reſpub. ciuilis non coniunguntur tanquam duę partes eſſentiales (vt anima & corpus partes ſunt eſſentiales hominis) ſed tanquam duæ partes, vel veriùs duo tota, in tertio aggregata: vnione enim, ſiue conſenſione, ſiue mutuo amore vna eſt Reſpub. non vnitate eſſentiæ ſiue ſubſtantiæ: quia duas ſeparatas communitates, ſiue Reſpublicas, etiam in hac animorum conſpiratione retinent: & officijs & dignitatibus, & actibus poteſtas ſecularis a poteſtate Eccleſiaſtica diſtinguitur; etiamſi ambo Magiſtratus in Regno Chriſti reperiantur.

5. Quod ad inſtitutum propriùs accedit: Spiritus ſiue anima dirigere poteſt carnem ſiue corpus, quod animat ſiue informat, at nec cogere nec deponere carnem poteſt: poteſt poteſtas ſpiritualis poteſtatem ciuilem dirigere & illuminare, poteſt de rebus temporalibus & externis diſponere quoad vſum; poteſt pabulum ſuum, panem verbi, gratiam, Sacramenta, lumen ſupernum, vel communicare vel detrahere: at Regem deponere, regno rebuſq; temporalibus priuare non magis poteſt poteſtas ſpiritualis, quam anima poteſt corpus deponere. Similitudo ergo iſta Spiritus & carnis non currit quatuor pedibus; imò verò in eo ipſo, ad quod probandum ſiue illuſtrandum adhibetur, id eſt in cauſa depoſitionis, ſiue poteſtatis externę coactiuæ & temporalis claudicat. Anima non poteſt deponere corpus, ergò Pontifex non poteſt deponere Regem.

8. Secundam reſponſionem probat Barclaius ex verbis *S. Petri*, Apoſtolorum Principis ad Ananiam: *qui hanc poteſtatem diſponendi de rebus temporalibus ſibiipſi negat: Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tuâ erat poteſtate.*

„ *Non negat hanc poteſtatem (inquit Bell.) ſed ſe vſum fuiſſe hâc poteſtate*
„ *negat, cum neceſſitas nulla eſſet.*

Sanctum *Petrum* in punitione *Ananiæ* aliquâ poteſtate vſum fuiſſe, non negauit Bellarm. De Pont. l. 1. c. 22. 15. *Prærogatiua eſt Act. 5. Vbi Petrus ſummus atq; diuinus Iudex agnouit & damnauit hypocriſin & fraudem Ananiæ & Zaphiræ, & eos verbo ſuo occidit.* Occidit verbo Ananiam & Zaphiram: ſi ſine poteſtate occidit Ananiam homicida erat Princeps veſter Apoſtolorum: ſi non ſit homicida Princeps Apoſtolorum, cum poteſtate Ananiam occidit. Ergò & poteſtatem habuit & eadem vſus eſt. Et occiſio Ananiæ pœna eſt, non ſpiritualis ſed temporalis & ciuilis: Ergò & habuit, & vſus eſt poteſtate temporali in Ananiæ correctione. Quid verò? Annon vita temporalis (quam hîc *Petrus* verbo abſtulit) res eſt tẽporalis? Si vita præſens, res ſit temporalis, in re temporali vſus eſt Petrus poteſtate. Quod ſi hoc ſit in Apoſtolorum Principe ordinarium, & Succeſſoribus eius Pontificibus.

ficibus Romanis concessum, quorsum Papa Romanus tuba sit bellorum? quorsum belluam multorum capitum, populum scil. contra Reges cõcita? Quorsum Assassinatos suos, *Clementem, Barrierum, Chastellum, Rauillia-cum* alios q; multos nutrit, & ad cædem Principum emittit? Cur ambagibus vtitur? Cur verbo Reges hæreticos & tyrannos non occidit, sicut Ananiam & Saphiram occidit Petrus? Vera omnis potestas in semetipsa omnia habet media & Iuris & facti, ad executionem illius potestatis necessaria. Quisquis habet potestatem iurisdictionis, habet etiam potestatẽ executionis: eidem demandatur potestas, & executio potestatis: Quicunq; excõmunicat, eo ipso & Ecclesiam & cœlum ipsum occludit. Heterogenea hæc est potestas, cuius in vno .i. in Clerico est Iurisdictio; in altero .i. in milite siue Laico, est executio potestatis; sicut in depositione Regum cernitur.

Argumentum verò *Barclaij* validum est & immobile.

Non potuit *S. Petrus*, bona temporalia *Ananiæ* & *Zaphiræ*, ipsis inuitis tollere: Ergò Pontifex Romanus non potest Regna & Imperia, inuitis Regibus & Imperatoribus, tollere. Si enim non licet bona temporalia priuatorum, inuitis dominis, tollere, multò minus Regna & dominia Imperatorum: nisi fortè talis sit hæc potestas, qualis Excommunicatio Romanensium, quæ coronas Regũ tollit, bona verò temporalia priuatorũ non tollit.

Quod autem non licet *S. Petro* bona priuatorum ipsis inuitis tollere, docet *S. Petrus*: *Nonnè manens tibi manebat*? Si manens manebat *Ananiæ* ager, siue prædium, non potuit Sanctus Petrus, inuito Anania, eundem tollere. Dicere debuisset *Sanctus Petrus*: manens manebat tibi, donec ego propter finem spiritualem eodem te priuarem: & venundatum in tuâ erat potestate; sed nõ in tua potestate solũ; etiã in mea erat potestate, qui, per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ .i. mei: authoritatem Dei habẽtis, agrum tuum, pecuniam tuam tollere possum. Aut ergò *Sanctus Petrus* de facto loquitur, non de iure, blanditur *Ananiæ*, & in articulo fidei Bellarminianę æquiuocat, aut non erat in potestate *Sancti Petri* agrum siue pecuniam *Ananiæ*, ipso invito tollere. Neq; verò mouet, quod *Rex quilibet dicere possit Subditis suis: Ager tuus nonnè manens tibi manebat, & venundatus in tuâ erat potestate? Quis te illum donare Reipub. coëgit? & si donasse integrum profiteris, cur parte retenta, integrum te donasse mentiris.* Dispar enim omninò est comparatio inter directam potestatem Regis in bonis temporalibus subditorum suorum, & obliquam potestatem Pontificis: Nota est potestas Regis in bonis subditorum; licet enim Dominium vtile sit in Priuato quolibet, eorum bonorum, quæ possidet; Dominium tamen potestatis, siue Iurisdictionis, quo, non pro libito suo, sed vrgente necessitate subditos cogit, pro conseruando bono publico, bona sua erogare, residere directè in Imperatore vel Rege dignoscitur: ideoq; directum dominium dicitur. Id quod Religiosi apud Venetos experti sunt, Vbi non licuit

licuit eis terras & poſſeſſiones ſine ſpeciali Reipub. illius licentia recipiere. Rectè Hugo de S.Victore, De Sacramentis fid. lib. 2. par. 2. cap. 7. *Quædam Eccleſijs Chriſti, deuotione fidelium conceſſa ſunt poſſidenda, ſaluo tamen iure terrenæ poteſtatis :* Et infra: *Notandum quod Principes terreni in terrenis poſſeſſionibus quas vel in ſubiectis poſſident; Eccleſiæ aliquando concedunt ſolam vtilitatem, aliquando & vtilitatem & poteſtatem :* (ſed per Laicos exercendam:) *Sic tamen, vt & ipſum quod poteſtatem habet, à Principe terreno ſe habere agnoſcat; & ipſas poſſeſſiones nunquam ita à Regia poteſtate elongari poſſe intelligat, quin ſi ratio poſtulauerit & neceſſitas, & illis ipſa poteſtas debeat patrocinium, & illi ipſæ poſſeſſiones debeant in neceſſitate obſequium. Sicut enim Regia poteſtas, patrocinium, quod debet, alteri non poteſt dare : ſic ipſa poſſeſſio etiam ab Eccleſiaſticis perſonis obtenta obſequium, quod Regiæ poteſtati pro patrocinio debetur, iure negare non poteſt : ſicut ſcriptum eſt; Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Quod verò ad ſubiectos attinet, ſic decreuit Hugo: *Sic igitur, quando huiuſmodi, quæ ad terrenam ſpectant poteſtatem, Eccleſijs Chriſti conceduntur, ij qui largitores ſunt muneris, hoc ſolùm concedere poſſunt in ea, quod poſſident : quia nec ſubiecti id quod ſuis ſuperioribus debetur, ad aliam poſſunt transferre poteſtatem.* Hæc Hugo. In quibus manifeſtè duo docet 1. Regem habere dominium poteſtatis in bonis ſubditorum 2. Bona Eccleſiaſticorum Regiæ poteſtati patrocinanti debere obſequium. Dominium ergò poteſtatis in bonis Subditorum in Rege reſidet: Dominium vtile in priuatis eſt: Dominium vniuerſitatis ad vniuerſitatem, aut ad vniuerſitatis dominum ſpectat. Quid ergò Dominij habet Pontifex, aut *Petrus* in bonis *Ananiæ*, ſi nec Dominium poteſtatis, nec Dominium vniuerſitatis, nec Dominium vtilitatis ad Pontificem ſpectat? Manens manet Ananiæ, in cuius eſt poteſtate; nec poteſt *Petrus* aut Pontifex Succeſſor *Petri*, de ijſdem diſponere; vel pro arbitrio ſuo, vel etiam vrgente cauſâ, inuitis Dominis : multò minùs eadem bona temporalia auferre.

Vide Molinâ de Iuſtitia & Iure, tom.1.tract.2. diſput.3.

9 Quod verò aſſerit *Bellarminus*, *Apoſtolos habuiſſe poteſtatem aliquam diſponendi de temporalibus in ordine ad ſpiritualia, quia ſtatuerunt, vt Populi Chriſtiani Prædicatores Euangelij ex facultatibus ſuis alerent, idq; iuxta ordinationem Domini*; in eo totus fallitur : non enim ordinauit *Petrus*; ſed *ordinauit Dominus* 1.Cor.9. ſcribit iſta *Paulus*, non ſtatuit. Non ſolent Apoſtoli ordinationes *Domini*, tanquam ſtatuta aut decreta ſua publicare. Euangelizant, & voluntatem Domini, non ſuam, annuntiant: legem Domini, ſuppreſſo nomine Domini, ſub nominibus ſuis non ſanciunt. Et ſi hæc ordinaſſet *Paulus*, ſicut declarauit, non eſt hæc prærogatiua, non eſt hoc priuilegium *Sancti Petri*, vel Pontificis Romani, ſed commune eſt omnibus Epiſcopis, Succeſſoribus Apoſtolorum, ſicut poteſtas iſta communis erat *Paulo* & *Barnabæ*, & Fratribus Domini, & reliquis

liquis Apostolis, vt ibidem manifestum est: Dominus ordinauit & statuit. Apostoli, ordinante Domino, potestatem habuerunt non statuendi, vel ordinandi, sed percipiendi, quæ ad sustentationem suam spectabant, sicut serui & milites (& tales sunt Apostoli Christi) potestatem habent percipiendi stipendia & mercedem suam, quæ non a militibus & seruis, sed ab Imperatore & Domino statuenda & ordinanda sunt.

Pergit Barcl. *Primis trecentis annis non fuit in Ecclesia potestas disponendi de rebus temporalibus Christianorum (id est deponendi Reges) Ergò vel Respublica Christiana tunc fuit imperfecta, vel non est necessaria ista potestas ad finem spiritualem consequendum.* 10.

Sic Barclaij rationem colligit Bellarmin: sed male & imperfecte: Responsio vero multo imperfectior. *Fuit potestas in Ecclesiâ illis tẽporibus, sed non fuerunt multi Principes Christiani: quando autem Christiani futuri erant, tunc non deerat potestas dirigendi potestatem politicam, & deponendi Principes.* " " " " hæc verba addita non sunt in Bellᵐᵉ

Ratio *Barclaij* hæc est: Ecclesia Primitiua omnibus medijs iuris & facti necessarijs ad finem suum adipiscendum instructa fuit: opera enim Dei perfecta sunt. *Ego dabo vobis os, & Sapientiam, cui non poterunt resistere & contradicere omnes aduersarij vestri, Luc* 21. Pasce oues meas. Ioan. 21. (Pasce oues, i. depone Reges) aut ignorabat Christus quid facto opus erat; aut dandi facultatem non habebat; aut, quod extremæ dementiæ est, amicos & seruos suos decipiebat, si potestatem temporalem non dedit: aut ergò potestas deponendi Reges non est necessaria Ecclesiæ ad finem suum assequendum; aut Ecclesia primitiua (quæ omnia media iuris & facti ad depositionem Regum necessaria non habuit) non habuit omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum.

Huic rationi *Barclaij* addi potest quod Apostolus Paulus: 2. Cor. 10. habet: *In promptu habentes vlcisci omnem inobedientiam:* Tempore Apostolorum instructa erat Ecclesia, non solùm potestate ipsâ *iurisdictionis*, sed etiam potestate *executionis*, quâ vlcisci posset omnem inobedientiam tyrannorum & hæreticorum quorumcunq;. In promptu habentes, non solùm confundere omnem intellectum extollentem sese aduersus scientiam Christi, quoad cognitionem, sed etiam vlcisci omnem inobedientiam quoad actiones. Vlcisci ad pœnam spectat & executionem: *In promptu habentes*; in præsenti. i. tempore Apostolorum, non dicit: In promptu habituri, postquam Reges & Principes terræ ad fidem Christi conuertentur. Ecclesia ergò Primitiua tempore Apostolorum omnia habuit media necessaria Iuris & facti, quibus potestatem suam executioni demandaret; nec tamen habuit media quibus Reges deponeret: potestas ergò deponendi Reges, ad finem consequendum necessaria non est.

Quid quod, in prima Ecclesiæ plantatione, in qua infinita hominũ multitudo, maximaq; orbis pars, Christo nomina sua dederunt, eiusq; Regno corda

corda & colla sua submiserunt; in qua & donorum Spiritus Sancti copia maior, & disciplina severior, potestas ista maximè vigere debuit, nec jure post liminij post septingentos annos seipsam temporalibus armis exerere; ne rerum novandarum & ambitionis, & dominationis violētæ rea perageretur. Quod si primis illis trecentis persecutionum annis, quibus sub Persecutoribus Ethnicis militabat, hanc potestatem in temporalibus non assumpsit Ecclesia; saltem in quadringentis proximis perfectionis suæ floreatissimis annis, in quibus Reges nutricij eius facti sunt, hanc potestatem, vrgentibus & tyrannis & hæreticis periculosissimis, in maxima scilicet necessitate assumere & exercere debuit: ne gladius iste in vagina tam diu reconditus rubigine consumeretur: Quod si in septingentis primis annis, in quibus Ecclesia, hinc cum tyrannis crudelissimis, illinc cùm hæresibus pestilentissimis conflictabatur, Sapientiæ divinæ hæc potestas Ecclesiæ necessaria visa non est, & proinde media executioni eiusdem potestatis necessaria non dedit: quomodo necessaria his postremis mundi ætatibus potestas ista censenda est, in quibus Ecclesia ipsa persequitur Sanctos, hæreticiq; non de fundamentis & præcipuis fidei articulis; sed de quibusdam consequentijs, de modo, alijsq; rebus minus saltem necessarijs, Ecclesiæ negotium facessunt? Quia erga media executionis data non sunt, nec potestas ipsas Regum deponendorum data est.

Nota.

II. Proximo loco, vrget *Barclaius* verba Bernardi, l. 4. c. 3. De Consider. *Petrus hic est, qui nescitur processisse aliquando vel gemmis ornatus, vel sericis, vel tectus auro, non vectus equo albo, nec stipatus milite, nec circumstrepētibus septus ministris; absq; his tamen credidit, satis posse implere mandatum; si amas me, pasce oues meas. In his successisti non Petro sed Constantino.*

Respondet Bell. *Non dicit Bernardus, non fuisse in Apostolo Petro potestatem disponendi de temporalibus bonis Christianorum, & de ipsis Regnis & Imperijs, si necessitas spiritualis id requireret. Imò contrarium dicit, cum verba Ieremiæ Pontifici applicat; Ecce constitui te super gentes & super Regna, vt euellas, &c. sed hoc dicit: potuit Petrus sine auro & argento proprio, sine equo albo, & sine satellitibus implere salutare mandatum pascendi oues, &c.*

Accipio quod das: potuit Petrus sine auro & argento proprio, sine equo albo, & sine satellitibus, sine milite, implere mandatum pascendi oues.

adde in p. propos re [proprijs]

At sine auro & argento, & equis, & militibus & satellitibus & ministris, Reges & Imperatores non deponuntur. Ergo deponere Reges non est implere salutare mandatum pascendi oues.

Neq; verò videtur *Bell.* vim verborum Bernardi attendisse; non enim dicit *Bernardus*; sine his, auro, equo milite, ministris potest pars aliqua salutaris mandati pascendarum ouium peragi, potest enim sine auro aut gemmis aut milite, aut ministris, sine satellitibus, & verbum reconciliationis prædicari, & sacramenta gratiæ administrari, & exhortationes & censuræ

ſurę Eccleſiaſticę exerceri: religio enim ſuadenda eſt, non cogenda: quid militibus, quid lictoribus opus eſt, qui timorem incutiunt, non amorem, non deuotionem: ſed planè & rotundè & abſolutè loquitur: abſq; his, auro, ſericis, gemmis, milite, miniſtris, credidit (non erat vana opinio, non perſuaſio:) *Satis poſſe implere ſalutare mandatum paſcendi*: poteſt hoc mandatum *implere*, & *ſatis implere* Petrus, ſine milite, ſine miniſtris, ſine auro: non ſatis implet mandatum qui docet, quiq; ſacramenta adminiſtrat, quiq; cenſuris corrigit ſpiritualibus, ſi depoſitio Regum pars ſit mandati ſalutaris paſcendi oues: non ſatis implet mandatum paſcendi, qui tantum deponit per ſententiam, hoc eſt verbo, nec deponit reipſa quoad actum ſiue executionem. Ad impletionem mandati ſpectat & ſententia Paſtoris & Sententiæ executio: non impleuit mandatum qui dixit in Concilio Lugdunenſi *apud Mat. Pariſ. in H. 3. ad an. 1245. p. 658. Ego quod meum eſt feci; faciat & proſequatur Deus ſuper his quod voluerit*: ſententiam protulit, ſed *Fredericum* non depoſuit, qui vſq; ad finem vitæ regnauit, & non niſi cum vita Imperium reliquit.

Quid verò reſpondebit Pontifex in die Iudicij, qui omiſſis alijs omnibus ſalutaris mandati de ouibus paſcendis, partibus, verbi prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione (niſi fortè vno aut altero die totius ferè Pontificatus, acſi Deus ipſi debitor exiſteret, quod vnam aut alteram miſſam celebret) hoc vnum ſatagit, vt in cœna Domini Chriſtianos omnes, qui ipſum non adorant Anathemate feriat, & temporalibus rebus, tum ſuis, tum Regum & Imperatorum, quos aut ſuæ voluntati ſubijcere, aut regnis exuere meditatur, totus immergatur & implicetur.

At Bernardus contrarium docet, qui verba Dei ad *Ieremiam*, de regnis euellendis Pontifici applicat. *Factum ſuperiorem diſſimulare nequimus, ſed enim ad quid omnimodis attendendum: non enim ad dominandum opinor, nam & Propheta, cum ſimiliter leuàretur, audiuit, vt euellas & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes: Quid horum faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. Et nos igitur vt multum ſentiamus de nobis, impoſitum ſenſerimus miniſterium, non Dominium datum, &c.* Hæc Bernardus, ſolent Tyranni bona & hæreditates eorum ingredi qui inteſtati moriuntur. Oſtendat nobis Pontifex Romanus Teſtamentum *Ieremiæ* Prophetę, quo poteſtatem ſuam Sancto *Petro* & Succeſſoribus eius legauit, & nomine tyranni Pontificem liberabimus. Interim blandiatur *Eugenio Bernardus*, ſit Pontifex Princeps Epiſcoporum, hęres Apoſtolorum &c. At quãdo factus eſt hęres Prophetarum? Si hęres ſit Prophetarum, cur non Prophetat? ſed reprimo me, prophetauit Gregorius 7. *Sigeb. ad an.* 1080. Falſum Regem eodem anno morituum, moritur eodem anno falſus Rex Rodolphus, à Gregorio coronâ ornatus: *Petra dedit Petro, Petrus diàdema Rodulpho.* Rex falſus fuit, ſed Propheta verus; vt & Caiphas Propheta verus.

Lib. 2. cap. 6. de Conſul.

contra D. Bernard.

Hæres

Hæres ergò Ieremiæ Pontifex : sed negligenter causam hæredis Apostolorum agit Cardinalis, qui ex his verbis Dei ad *Ieremiam*, potestatem hanc Regum euellendorum non probat. Perijt fortasse testamentum, siue codicillus *Ieremiæ*, quo *Gregorio 7. & Eugenio* hanc potestatem legauit, proinde Cardinalis aduocatus potestatis temporalis, huius juris siue tituli mentionem non facit.

Verum sequamur Bellarm. Ieremias *constitutus est super gentes & regna, vt euellat, & disperdat & dissipet, & ædificet & plantet*: & Pontifex potestate par; imò verò potestate superior, si euellere sit Reges deponere: nullum enim Regem deposuit *Ieremias*; & prophetia hæc, potestas ista Ieremiæ data, nec vana erat, nec frustra data. Quod iussit Deus, hoc totum impleuit *Ieremias*: Impleuit & perfecit, tanquam Propheta; hos vel illos Reges euellendos, has vel illas gentes, hæc vel illa Regna dissipanda, disperdenda illa, hęc plantanda, & ædificanda prædixit & prophetauit: Impleuit, dum, non gentes & regna, sed in gentibus & regnis peccata & Idola euerteret, disperderet & dissiparet; veri Dei cultum plantaret & ædificaret. Aut vana erit hæc Prophetia, aut in altero horum sensu vera; nunquam enim depositionem Regis cuiusquam, aut Israëlitici, aut Iudaïci, aut Ethnici tentauit, nunquam tribunal ascendit, quo Regem quenquam, iudicaret. In his hæres sit Ieremiæ Pontifex: Prophetet, si spiritum Prophetię acceperit; prophetet, quia verba Prophetiæ libri Dei accepit. Constituatur super gentes & Regna, non vt gentes & regna euellat, sed vt euellat Idola & peccata dissipet, & Regnum Diaboli disperdat; verùm religionem, vitæ sanctitatem plantet & ædificet; hoc & rogamus & optamus: at hæres *Ieremiæ* in Regum depositione esse non potest; quia talem potestatem legare non poterat *Ieremias*: *Ieremias* non Sacerdos, sed Propheta, vates, non iudex, nec *Ieremias* legare potuit quod non habuit, nec Pontifex accipere potuit quod *Ieremias* legare non potuit: In Ieremia omnia extraordinaria, ordinarium nihil. Quid Pontifici Iudici Regum ordinario, cum Ieremia? Quid verò Bernardus, De Consider. lib. 2. cap. 6. *Non ad dominandum opinor*, sic præfatur: *Impositum senserimus ministerium, non datum Dominium*; & depositio dominium est & dominium violentum. *Disce exemplo prophetico præsidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit. Disce sarculo tibi opus esse non sceptro, vt opus facias Propheta: Et quidem ille non regnaturus ascendit sed extirpaturus. Blanditur Cathedra? Specula est; inde deniq; superintendis, sonans tibi Episcopi nomine, non dominium sed officium.* Et infra: *Nec enim tibi ille dare quod non habuit potuit: quod habuit, hoc dedit sollicitudinem, vt dixi super Ecclesias: Numquid dominationem? Audi ipsum; Non dominantes, aut, in clero, &c. Ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut Dominus Apostolatum, aut Apostolicus dominatum: plane ab altero vtro prohiberis: si vtrumq; similiter habere voles, vtrumq; perdes. Forma Apostolica hæc*

ca hæc est, Dominatio interdicitur; indicitur Ministratio: Hæc omnia in eodem capite sequuntur apud Bernardum: & aut Ippus Cardinalis qui hæc non vidit, aut imprudens, qui Bernardum contra sensum Bernardi toties Dominatum in Apostolico damnantis, producit: Quid enim? Si Dominatus violentię sit quam exercent Reges gentium, qui potestatem vitæ & necis habent, annon hunc ipsum Dominatum Apostolicus in Patrimonio Petri vsurpans, Apostolatum perdidit? Annon Dominatus ille, quo Reges deponuntur summè violentus, quia sine cæde & sanguine multorum, sine bellis plusquam ciuilibus & intestinis, nemo Rex vnquam depositus est, aut deponi potest? Quandò probauerit Bellarminus aut depositionem Regum, aut principatum Romanæ ciuitatis non esse dominatum violentum, dominatum Pontificis in temporalibus in illis verbis, *vos autem non sic*, non prohiberi, facilius audiemus.

Verùm quod ad sententiam Bernardi in causâ depositionis attinet, superiùs docuimus nostris partibus astipulari. *Accepistis* (inquit) *claues Regni cœlorum, prænaricatores exclusuri* (è Regno cœlorum) *non possessores* è Regnis mundi. vt cap. 8. lib. 1. fusius patet.

Fallitur præterea Bell. in illatione Barcl. *non concludit ex Bernardo Barcl.* "
Absq; his, auro, gemmis, sericis, equo albo, milite, ministris, credidit Petrus "
satis posse implere salutare mandatum, si amas me, pasce oues meas. Ergo non "
habuit potestatem Regum deponendorum; sed conclusio Barcl. hæc est. Illud necessarium non est, sine quo mandatum pascendi impleri potest: Sed sine auro, milite, ministris, mandatum salutare pascendi satis impleri potest. Ergò aurum, milites, ministri, siue Satellites ad mandatum pascendi implendum necessarij non sunt. Id verba Bernardi satis docent: Quamuis itaq; potestas temporalis, hominibus videri potuerit, Ecclesiæ necessaria, Deo tamen neq; necessaria, neq; vtilis visa est. Id confirmat duabus rationibus experientia, & euentu rerum corroboratis.

1. Potestatem temporalem nec necessariam nec vtilem iudicauit, ne humano Imperio freti Apostoli, eorumq; Successores, segnius spiritualia curarent; temporalia enim impeditiua sunt salutis æternæ; & viscо pennas Sanctorum illinunt ne ad superna auolent.

2. Ne spem in armis & authoritate & potestate temporali potissimum collocarent, quam in virtute verbi diuini, Deiq; auxilio singulari ponere debebant: Opera enim diuina, medijs supernaturalibus & diuinis peragenda sunt, nec placet Deo nimia eorũ sapientia, qui simplicitatem vel infirmitatẽ Prouidentiæ diuinę, suâ sapiẽtiâ vel potentiâ cõstabilire conãtur.

Duo insuper addit Barclaius experimenta summæ erũditionis, & judicij Barclaiani indicia singularia.

1. *Ecclesia ditione suâ, h.e. iurisdictione spirituali, verbi Euangelici prædicatione, & disciplinæ Ecclesiasticæ obseruatione sedulò contenta, sine vllâ potestatis huius temporalis mentione citò creuit, diuq; floruit: septingentis*

annis

annis, authore etiam Bellarmino.

Hæc antea dixerat Wickliffus ut abeccl. omnibus temporalia bona auferret.

Poſtquam Pontifices, ſummo Imperio ſpirituali, ſummum temporale Dominium annectere conati ſunt; Eccleſia & numero credentium, & moribus præſidentium indies defecit: antiqua verò diſciplinæ ſeueritas remiſſa penèq; amiſſa eſt: Miniſtri munera ſpiritualia ſegnius obierunt, qui ad rem temporalem attenti nimium erant, nec poteſt quiſquam duobus Dominis ſeruire.

Hic prudenter à *Bellarmino* factum eſt: quia iſtas rationes, iſta experimenta, cum ratione diluere non poterat; ſilentio prętęrit: adeoq; iuſtè in ipſum retorqueri poteſt, quod ipſe ex Iob in Barclaium iaculârat. *Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?* Concluſionem *Barclaij* mutauit, rationibus & experimentis eius non reſpondit; imperitis ergo Sermonibus ſententias inuoluit, dum à paupertate propria ad poteſtatem collatam diſcurrit: *Quid enim nobis cum paupertate Petri, aut primâ Pontificis? Eadem procul dubio eſſe poteſt in pannis & Serieis poteſtas; nec refert, quibus veſtiatur, ſed quis ſit.* Tota vis argumenti Barclaiani, non in auro & gemmis, & ſericis, ſed in Miniſtris & militibus latet, ſine quibus cura Paſtoralis impleri poteſt; depoſitio vero Principum impleri non poteſt: Quamuis aurum & pecunia neruus ſit belli, nec his diebus magnum quicquam aut in pace, aut in bello, ſine nummis geratur: Quamuis autem apud Romanos *Fabricius*, & *Curius*, & *Cincinnatus*, alijq; Conſules, & Dictatores, qui de regnis, regniq; opibus, tanquam victores diſpoſuerunt, quoad rem familiarem inopes ipſi fuerunt; Reſpublica tamen cuius armis hoſtes ſubegerunt opulenta ditiſſimaq; fuit, etiam iuxta *Craſi* regulam, non ſolum enim exercitum, ſed & exercitus alere poterat: abundabat fiſcus; & ſi Dictator pauperiem aut ruſticitatem non fugiebat. Et non ſine prouidentia diuina factum gloriantur Pontificij, quod paſtor ſummus principatum in Italia obtinuit, quo & à Iugo Imperatorum liber eſſet, & Imperatoribus iugum aut frœnum imponeret. Et niſi auro, & gemmis, & ſericis, & milite, & miniſtris, & ſatellitibus ſeptus ſit Pontifex, paſtoralem hanc curam Regum deponendorum nunquam implebit. Sit ergo Pontifex diues poteſtate, nunquam depoſitionem Regum implebit, niſi itidem diues ſit pecunijs. Prælatos ordinum religioſorum voto paupertatis aſtrictos non moror: de illis rectè dici poteſt, *Humiles eſſe volunt ſine deſpectu; pauperes ſine defectu; bene veſtiri ſine ſolicitudine; delicatè paſci ſine labore.* Bernardus verò in Pontificibus & pompam & dominatum reprehendit. *In his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino*: Et *Conſtantinus* non pompæ, aut oſtentationis, ſed poteſtatis exemplar. Et Bernardo idem eſt euangelizare quod paſcere: *Hoc opus Euangeliſtæ & paſtoris opus impleſti*: Et reges deponere nõ eſt Euangelizare ſed ſcandalizare.

Siue vero *Bernardus* de pompa Pontificis, qui non ſolum equo albo ſed etiã humeris hominum vectus procedere, regeſq; ad frẽni ſtrepęq; ſeruitiũ ſordi-

non sunt in Bellarmino hæc verba.

ſordidiſſimum adhibere ſolet; ſiue de principatu temporali & dominio violento in Patrimonio Petri loquatur, nihil ad propoſitũ facit; ſiue enim in Pontifice pompã & diuitias, ſiue principatum temporalẽ reprehendat, id certum eſt ex Bernardo, ſalutare mandatum de paſcendo grege ſine diuitijs & Principatu ſatis impleri poſſe; depoſitionem vero Regum, ſine diuitijs et Principatu nec tentatam quidem eſſe, multo minus impletam. Quod ſi reponas, poteſt pauperrimus Pontifex per ſententiã Regem deponere, etſi ſententiã executioni demandare non poſſit, quæro, cur ergo per 400. annos, poſt finitas perſecutiones, cõtra tyrannos et hæreticos peſtilentiſſimos, lata non eſt à doctiſſimis et ſanctiſſimis et conſtantiſſimis Pontificibus ſententia depoſitionis, etſi ad eiuſdem ſententiæ executionẽ viribus deſtituti erant, vt vobis placet? cur non fecerunt quod potuerunt, quodq; debuerunt, reliquum verò Deo et populo reliquerunt, vt Innocentius 4? Laudatiſſimi ſunt illi Pontifices antiqui, qui diligentiſſime evangelizabant, et ſalutare munus paſcendi per omnia ſatis implebant, nec Principatum, nec diuitias, nec pompam hodiernam nouerunt, nec depoſitionem Regum attentarunt. Depoſitio ergo Regum non eſt pars ſalutaris illius mandati; ſi amas me paſce oues meas.

Neque vero opus erat, vt Barclaius ad tertium cœlum raperetur, vt à poſteriori concluderet; ex verbis ſancti *Petri* ad *Ananiam*, & ex praxi primitiuæ Eccleſiæ per 700. annos, & ex Bernardo.

Salutare mandatũ, ſi amas me paſce oues meas, ſatis impletum fuit per annos 700. ſine vſu & exercitio huius poteſtatis Regum deponendorum; ergo poteſtas iſta Regum deponendorum Deo nec neceſſaria, nec vtilis viſa eſt; ſi enim neceſſaria vel vtilis viſa fuiſſet ſapientiæ diuinæ, omnia media iuris & facti, ad huius poteſtatis executionem, in ſæuiſſimis perſecutionibus, & hæreſibus peſtilentiſſimis (quæ caput & fundamentum religionis Chriſtianæ petebant) contuliſſet Deus: illi potius rapti ad tertium cœlum videntur, qui, tanquam conſiliarij Dei, ore impuro emouere audent; ſi hanc poteſtatem Regum deponendorum Eccleſiæ non daret Deus, vt cum eius reuerentia dicam, diſcretus non eſſet.

Illi proculdubio ad tertium cœlum rapti ſunt, qui verba Concilij Hieroſolymitani à quibus abſtinuerũt omnia Cõcilia grauiſſima, ſanctiſſima, doctiſſimaq;, etiam in ſpiritu S. congregata, *Viſum eſt ſpiritui S. & nobis*; in ſuis nouis & detortis expoſitionibus vſurpare auſi ſunt; ſicut & Lorinus tuus In Acta Apoſtolorũ. c. 15. v. 28. *poſſunt Concilia omnia legitime congregata & approbata, quibus ſpiritus S. præſidet, proinde idem adeſt Spiritus S. dicere eodem modo: Viſum eſt Spiritui S. & nobis: tamen, ob reuerentiam fortaſſe primi huius Concilij non ita dicunt.* Imo vero rectius dicere poſſunt: Spiritui mundano, & nobis Hierarchiæ & Monarchiæ temporalis authoribus viſum eſt; qui verba hæc; *quicquid ligaueris*, ad depoſitionem Regum *deterquent*: eadẽ proculdubio temeritate, qua *Bonifacius* 8. verba illa *memẽto* Plat. in vita,

annis, authore etiam Bellarmino.

Poſtquam Pontifices, ſummo Imperio ſpirituali, ſummum temporale Dominium annectere conati ſunt; Eccleſia & numero credentium, & moribus præſidentium indies defecit: antiqua verò diſciplinæ ſeueritas remiſſa penèq; amiſſa eſt: Miniſtri munera ſpiritualia ſegnius obierunt, qui ad rem temporalem attenti nimium erant, nec poteſt quiſquam duobus Dominis ſeruire.

Hîc prudenter à *Bellarmino* factum eſt: quia iſtas rationes, iſta experimenta, cum ratione diluere non poterat; ſilentio præterit: adeoq; iuſtè in ipſum retorqueri poteſt, quod ipſe ex Iob in Barclaium iaculârat. *Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis?* Concluſionem *Barclaij* mutauit, rationibus & experimentis eius non reſpondit; imperitis ergo Sermonibus ſententias inuoluit, dum à paupertate propria ad poteſtatem collatam diſcurrit: *Quid enim nobis cum paupertate Petri, aut primâ Pontificis? Eadem procul dubio eſſe poteſt in pannis & Sericis poteſtas; nec refert, quibus veſtiatur, ſed quis ſit.* Tota vis argumenti Barclaiani, non in auro & gemmis, & ſericis, ſed in Miniſtris & militibus latet, ſine quibus cura Paſtoralis impleri poteſt; depoſitio vero Principum impleri non poteſt: Quamuis aurum & pecunia neruus ſit belli, nec his diebus magnum quicquam aut in pace, aut in bello, ſine nummis geratur: Quamuis autem apud Romanos *Fabricius*, & *Curius*, & *Cincinnatus*, alijq; Conſules, & Dictatores, qui de regnis, regniq; opibus, tanquam victores diſpoſuerunt, quoad rem familiarem inopes ipſi fuerunt; Reſpublica tamen cuius armis hoſtes ſubegerunt opulenta ditiſſimaq; fuit, etiam iuxta *Craſi* regulam, non ſolum enim exercitum, ſed & exercitus alere poterat: abundabat fiſcus; & ſi Dictator pauperiem aut ruſticitatem non fugiebat. Et non ſine prouidentia diuina factum gloriantur Pontificij, quod paſtor ſummus principatum in Italia obtinuit, quo & à Iugo Imperatorum liber eſſet, & Imperatoribus iugum aut frænum imponeret. Et niſi auro, & gemmis, & ſericis, & milite, & miniſtris, & ſatellitibus ſeptus ſit Pontifex, paſtoralem hanc curam Regum deponendorum nunquam implebit. Sit ergo Pontifex diues poteſtate, nunquam depoſitionem Regum implebit, niſi itidem diues ſit pecunijs. Prælatos ordinum religioſorum voto paupertatis aſtrictos non moror: de illis rectè dici poteſt, *Humiles eſſe volunt ſine deſpectu; pauperes ſine defectu; bene veſtiri ſine ſolicitudine; delicatè paſci ſine labore.* Bernardus verò in Pontificibus & pompam & dominatum reprehendit. *In his ſucceſſiſti non Petro ſed Conſtantino*: Et *Conſtantinus* non pompæ, aut oſtentationis, ſed poteſtatis exemplar. Et Bernardo idem eſt euangelizare quod paſcere: *Fac opus Euangeliſtæ & paſtoris opus impleſti*: Et reges deponere nõ eſt Euangelizare ſed ſcandalizare.

Siue vero *Bernardus* de pompa Pontificis, qui non ſolum equo albo ſed etiã humeris hominum vectus procedere, regeſq; ad freni ſtrepęq; ſeruitiũ ſordi-

ſordidiſſimum adhibere ſolet; ſiue de principatu temporali & dominio violento in Patrimonio Petri loquatur, nihil ad propoſitũ facit; ſiue enim in Pontifice pompã & diuitias, ſiue principatum temporalẽ reprehendat, id certum eſt ex Bernardo, ſalutare mandatum de paſcendo grege ſine diuitijs & Principatu ſatis impleri poſſe; depoſitionem vero Regum, ſine diuitijs et Principatu nec tentatam quidem eſſe, multo minus impletam. Quod ſi reponas, poteſt pauperrimus Pontifex per ſententiã Regem deponere, etſi ſententiã executioni demandare non poſſit, quæro, cur ergo per 400. annos, poſt finitas perſecutiones, cõtra tyrannos et hæreticos peſtilentiſſimos, lata non eſt à doctiſſimis et ſanctiſſimis et conſtantiſſimis Pontificibus ſententia depoſitionis, etſi ad eiuſdem ſententiæ executionẽ viribus deſtituti erant, vt vobis placet? cur non fecerunt quod potuerunt, quodq; debuerunt, reliquum verò Deo et populo reliquerunt, vt Innocentius 4? Laudatiſſimi ſunt illi Pontifices antiqui, qui diligentiſſime evangelizabant, et ſalutare munus paſcendi per omnia ſatis implebant, nec Principatum, nec diuitias, nec pompam hodiernam nouerunt, nec depoſitionem Regum attentarunt. Depoſitio ergo Regum non eſt pars ſalutaris illius mandati; ſi amas me paſce oues meas.

Neque vero opus erat, vt Barclaius ad tertium cœlum raperetur, vt à poſteriori concluderet; ex verbis ſancti *Petri* ad *Ananiam*, & ex praxi primitiuæ Eccleſiæ per 700. annos, & ex Bernardo.

Salutare mandatũ, ſi amas me, paſce oues meas, ſatis impletum fuit per annos 700. ſine vſu & exercitio huius poteſtatis Regum deponendorum; ergo poteſtas iſta Regum deponendorum Deo nec neceſſaria, nec vtilis viſa eſt; ſi enim neceſſaria vel vtilis viſa fuiſſet ſapientiæ diuinæ, omnia media iuris & facti, ad huius poteſtatis executionem, in ſæuiſſimis perſecutionibus, & hæreſibus peſtilentiſſimis (quæ caput & fundamentum religionis Chriſtianæ petebant) contuliſſet Deus: illi potius rapti ad tertium cœlum videntur, qui, tanquam conſiliarij Dei, ore impuro emouere audent; ſi hanc poteſtatem Regum deponendorum Eccleſiæ non daret Deus, vt cum eius reuerentia dicam, diſcretus non eſſet.

Illi proculdubio ad tertium cœlum rapti ſunt, qui verba Concilij Hieroſolymitani à quibus abſtinuerũt omnia Cõcilia grauiſſima, ſanctiſſima, doctiſſimaq;, etiam in ſpiritu S. congregata, *Viſum eſt ſpiritui S. & nobis*; in ſuis nouis & detortis expoſitionibus vſurpare auſi ſunt; ſicut & Lorinus tuus In Acta Apoſtolorũ. c. 15. v. 28. *poſſunt Concilia omnia legitime congregata & approbata, quibus proinde idem adeſt Spiritus S. dicere eodem modo: Viſum eſt Spiritui S. & nobis: tamen, ob reuerentiam fortaſſe primi huius Concilij non ita dicunt.* Imo vero rectius dicere poſſunt: Spiritui mundano, & nobis Hierarchiæ & Monarchiæ temporalis authoribus viſum eſt; qui verba hæc; *quicquid ligaueris*, ad depoſitionem Regum *deterquent*: eadẽ proculdubio temeritate, qua *Bonifacius* 8. verba illa *memẽto* Plat. in vita,

quod cinis es & in cinerem reuerteris, dum cinerem in oculos *Porcheti* Epiſcopi Genuenſis conjiceret, ſatis audacter mutauit: *Memento quod Gibellinus es & in cinerem cum Gibellinis reuerteris*: Quaq; vt Naucl. Generat. 40. ad an. 1175. *Alexander* 3. verba illa Pſal. 90. *Super aſpidē & baſiliſcum ambubalis, & leonē & draconē conculcabis*, vſurpauit, cū collū *Frederici* Imperatoris pedibus comprimēret. Egregie, vt cætera omnia, diabolus præcedentem verſum illius Pſalmi: *Angelis ſuis mandauit de te, ne forte offendas ad lapidē pedem tuum*, contra Chriſtum Dominum; Alexander 3. hæc ſequentia, ſuper aſpidē &c. contra Chriſtum Domini vſurpauit.

Sed quam infæliciter facta ſit hæc applicatio horū verborū, quicquid ligaueris in Concilio Romano, ſatis conſtat, in quo *contra voluntatē totius pene Concilij eum* (Henr. 4.) *excommunicauit*, vt Fragmentum Hiſt. Franc. In Concilio vero Lugdunenſi *cum horrore & ſtupore omnium*, teſte Matt. Paris In Henrico 3. recepta eſt. In Concilio vero illo fictitio Lateranenſi nulla horum verborum mentio facta eſt.

13. At, inquit Bell. *Non ſolum poteſtas ſpiritualis, quæ Reges deponit, ſed etiam poteſtas ſiue Principatus temporalis, quem per octingentos annos poſſedit Eccleſia in Patrimonio Petri, Deo & neceſſaria & vtilis viſa eſt; alias hunc Principatum non retinuiſſent Zacharias, Adrianus, Nicolaus, 1, & 2. Leo 3. & 4. & 9. & alij, multo minus pro eo cōſeruando cōcertaſſent.* Si hæc ratio quicquā valet, quidni proſtibula & lupanaria Romana Deo neceſſaria & vtilia viſa ſint, quæ in ciuitate ipſa retinent, pecuniæq; ſumma elocant, nec non contra omnium reprehenſiones defendunt multi Pontifices, qui vobis authoribus, optimi, ſanctiſſimi Deoq; gratiſſimi habentur? Verum audi quid de Principatu iſto dicat Ioan. Gerſ. De vit. ſpirit. animæ. Lect. 4. Coroll. 4. prop. 5. *Non eſt vſq; quaq; certum, an ius diuinum conceſſerit Ecclesiæ iuriſdictionem temporalem immediat, e aut ſaltem eius exercitium ſicut Chriſtus à ſe illud abdicauit: aut ſi hoc conſtare poteſt, remaneret tamen incertum ſi iuriſdictionem ſecularem ex conſuetudine vel dono Principum conceſſam ſibi, poſſit Eccleſia per iuriſdictionem ſuam pure ſpiritualem exercere, proſequi & defendere.*

Syluester à *Laurentio Valla* In Declamatione in Donationē Conſtant. introducitur ſic, inter cætera *Conſtant.* alloquens. *Vereor Cæſar, ne me ex Petro facias Indam qui loculos habebat*: Tandē vero ſic concludit Valla: *Vtinam, vtinam aliquando videam, nec enim mihi quicquam eſt longius, quam hoc videre, & præſertim meo conſilio effectum; vt Papa tantum Vicarius Chriſti ſit, & non etiam Cæſaris; nec amplius horrenda vox audiatur, partes contra Eccleſiam, Eccleſia contra Perusinos pugnat, contra Bononienſes: non contra Chriſtianos pugnat Eccleſia ſed Papa: illa pugnat contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus: Tunc Papa & dicetur & erit, Pater ſanctus, pater omnium, pater Eccleſiæ; nec bella inter Chriſtianos excitabit, ſed ab aliis excitata, cenſura Apoſtolica & Papali maieſtate ſedabit.*

Quod

Quod ſi non placeat *Laurentius Valla*, qui totus contra donationem *Conſtantini* inuehitur; audi ſaltem *Nauclerum*, qui etſi Romanæ Eccleſiæ aſſentiatur, quoad opinionem ſuam, quod licite poſſident, quæ obtinent, de dei tamen voluntate ſic differit: *Ego enim, inquit, vt de meo ſenſu loquar vtrum Deo magis placeat hæc Eccleſia, quæ nunc cernitur exaltatio, quam prior humiliatio prorſus ignorare me profiteor. Videtur quidem ſtatus ille fuiſſe melior, iſte fœlicior.* Si ſtatus prior melior fuit, profecto Deo magis neceſſarius & vtilis vitus eſt; quia quæ bona ſunt Deo maxime placētia ſunt. Gen. 32.

At Ioannes Petrus Ferrarienſis In forma reſponſ. rei conuentæ v. Præſcr pt. Num. 24. diſertè Principatū iſtum Pontificis improbat: eius verba ſunt; *Numquam quieſcet Eccleſia, nec Italia, quandiu ipſa Eccleſia poſſidebit ciuitates & caſtra: & donatio eidem facta per Conſtantinū, non fuerit per aliquem probum & potentem Imperatorem reuocata, cum non bene conueniat Pſalterium cum cythara, nec dictum ſit à Chriſto, nec à B. Petro, quod poſſidere debent talia, ſed, quod Cæſaris reddatur Cæſari, & quod eſt Dei reddatur Deo.*

Mitto alios permultos eiuſdem ſententiæ authores: illud vnū ſupperaddo, Antiquos illos Pontifices, qui hunc Principatum nec acceperunt, nec ambierunt, & *Gregorio* 2. cui *Romani Pontifices Principatū ſuum debent*, & eius ſucceſſoribus, præferendos: quibuſcū hi poſteriores Pontifices, qui relicta paſtorali cura temporalibus immerſi & implicati, adeoq; pene abſorpti ſunt, quicq; filios & nepotes ditare potius quā animas lucrari fategerunt, ſine iniuria comparari non poſſunt. De quo Principatu præciſe Bernard. *Abſq; hu ſatis credidit poſſe implere ſalutare mandatum, Paſce oues.* Papyr. Maſſon. in Greg. 2.

Iulius vero, *Liberius*, *Damaſus*, *Anaſtaſius*, *Gregorius Magnus*, qui tyrannos & hæreticos Reges deponere nunquam cogitarunt; mille (dicere poſſem) *Zacharijs*, *Adrianis*, *Nicolais* & *Leonibus* quos *Bell.* (ſed falſo) hanc poteſtatem vendicaſſe aſſerit, confidenter vero dico, mille *Gregorijs* 7. *Innocentijs* 3. & 4. eorumq; ſimilibus, omniū bonorū iudicio præferendi ſunt: vtpote qui & doctiores, & ſanctiores, & Deo gratiores; quique pacē cū Deo, potius quā bella inter homines facere obnixe contenderunt: qua in re toti potius antiquitati, quam nouatori *Bell.* credendum eſt.

Illud vero obiter obſeruet Lector; cum tota hæc ratio de neceſſitate huius Poteſtatis ſpiritualis in regibus deponendis inſtituatur, à neceſſitate ad vtilitatē tranſilit Bell. *ſi Deo, inquit, viſum eſſet, non eſſe vtilem Eccleſiæ hunc Principatum*: Neceſſarium hunc Principatum dicere non eſt auſus, tunc enim per primos 300. annos defuit Deus Eccleſiæ ſuę in neceſſarijs: ideo vtilem dixit: Ego vero Principatum hunc vtilem dico, ſed qui Pontifices à cura ſpirituali & paſtorali ad curam ſecularem & mundanam diuertat. De quo ſic Theodoricus à Niem. De Schiſm. l. 3. c. 10. *Quid igitur inducit aliud hæc pompa tantorum temporalium Dominiorum, de quibus nunc gloriatur Eccleſia Romana, quam negligentiam in ſpiritualibus, &*

erectionem tyrannorum in ijsdem Dominijs, & diuisiones seu schisma in eadem Ecclesia, & alia mala plurima satis est notum.

14. Retorquet deinde Barclaius rationem istam, à natura reipub. petitam. *Respub. ciuilis perfecta esse debet, & sibi sufficiens in ordine ad finem suum debet ergo habere omnem potestatem necessariam ad finem suum consequendum; probat hanc propositionem Bellarminus ex natura rerumpub. tales enim sunt omnes Respub. bene institutæ.*

Aut ergo Respub. ciuilis tali potestate instructa est, aut non tenet propositio in Repub. Ecclesiastica, quæ à natura Reipub. bene institutæ desumpta est.

Minor propositio hæc est: *necessaria est ad finem temporalem potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem Ecclesiasticum. Alioquin possent mali Principes Ecclesiastici impune turbare statum & quietem Reipub. temporalis, & impedire finem ciuilis gubernationis, vt de facto nonnulli summi Pontifices aliquando perturbarunt.*

Maiorem propositionẽ non negat *Bell.* si enim negasset, vnâ totam suam demonstrationem euertisset: de minori tota est controuersia: *Non est* „ inquit, *necessaria potestas disponendi de rebus spiritualibus, siue deponendi* „ *Principem spiritualem, ad finem temporalem: non potestas ista, sed abusio* „ *potestatis*: at vera est hæc minor propositio Barclaij, aut vnâ falsa tota ratio Bellarmini; id quod sic deduci potest.

Ad perfectionem & sufficientiam Reipub. spectat, omnia impedimenta remouere, omnia habere adiumenta, quibus ad finem perueniatur. Quomodo enim perfecta erit & sufficiens, si nec impedimenta quæ a fine retardant, è medio tollere possit, nec adiumenta, sine quibus ad finem non peruenitur, ad manum habeat?

At potest Princeps spiritualis impedire finem temporalem, id quod res ipsa & experientia edocet: neque hoc negat *Bellarm.* qui a hoc ipso loco agnoscit: *Si forte Princeps spiritualis abutatur potestate sua, iniuste excommunicando temporalem Principem, vel eius subditos sine iusta causa ab eius obedientia absoluendo, eoque modo statum reipub. temporalis perturbet, &c.* proinde hoc dilemmate vrgetur Bellarm.

Aut potestas disponendi de rebus spiritualibus, & deponendi Principem spiritualem necessaria est ad finem temporalem consequendum (id quod negat Bellarm.) si Princeps spiritualis impediat finem temporalem; alioquin possunt mali Principes Ecclesiastici, impune turbare statum Reipub. & impedire finem gubernationis temporalis: Aut Respublica ciuilis & bene instituta non est perfecta & sufficiens sibi in ordine ad finem suum: quia non potest remouere impedimenta, quibus Princeps spiritualis retardat à fine temporali consequendo: id quod Bell. ponit in maiore propositione.

Sic aut ratio Barclaij vera est, aut falsa erit Bellarmini demonstratio.

Quid

Quid vero? An Moses, Magistratus politicus, potestate sua abutitur, & ordinē peruertit, cum Aaronē Sacerdotem summū propter vitulum aureum corripit? An Aaron suæ dignitatis & præeminentiæ oblitus est, cum Mosi supplicat, eumq; Dominum suum appellat? Exo. 32. 22. *Ne indignetur Dominus meus*, Nu. 12. 11. *Obsecro, Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatū quod stulte cōmisimus.* Ecce Moses dominus Aaronis vt & Dauid Dominus est Sadoc Sacerdotis. 3. Reg. 1. 32, *tollite, seruos Domini vestri*: An potestate sua abutitur *Salomon*, cum *Abiatharē* Sacerdotem propter proditionē deposuit? An abutitur potestate sua *Ioas*, cū Sacerdotes & Leuitas egredi mandauit, vt pecuniā colligerēt ad reparationē templi, & *Iehoiadā* summū Sacerdotē reprehendit? *Quare tibi non fuit cura, vt cogeres Leuitas inferre pecuniā*? Inuertit forte ordinē, *quod non gemit, quod nō fatisfecit*, cur ausus est dicere Principi Sacerdotū. Cur ita facis? An *Ezechias* & *Iosias*, dum altaria & excelsa euerterunt, in quibus Sacerdotes adolere [incensum solebant, potestate sua abutuntur? An *Ezechias* dum Serpentem æneum confregit, ordinē inuertit? Multa sunt in Veteri Testamento, quibus manifestum est, Sacerdotes in ordinem coactos, templum Dei purgatum, cultū Dei restauratū, idq; potestate Regum legitima, non potestatis abusione. Aliàs multi Reges, quos Scriptura inter bonos pioſq; Principes canonizat, præsumptionis & arrogantiæ notandi sunt, quod ea quæ supra eorum officiū erant, attingere ausi sunt. Quid vero in nouo Testamento *Constantinus*? An potestate sua abutitur, ordinemque inuertit, dum Idola destruit, Christianā religionē promouet, leges contra hæreticos, pacisque Christianæ perturbatores, etiā Episcopos & Sacerdotes promulgat; nonnullos Episcopos relegat, & in exiliū mittit? Nec hoc ad imperium sed ad preces *Syluestri*, aliorumq; Pontificū. An *Otho* dum *Ioannē* 12. & *Benedictum* deponit, potestate sua abutitur, ordinemque inuertit! Henricus 3. Greg. 6. nota Simonię infamē deposuit. Notum est, quid in Concilio Constantiensi fecerit Sigismundus Imperator, cuius potestate Antipapæ omnes (è quibus vnus Papa verus) in Concilium adducti & depositi sunt.

Si Papa de hæresi suspectus sit, intantum est Imperatoris fidem defendere, quod si est de hæresi suspectus, potest ab eo exigere, vt indicet, quid sentiat de fide; nec non Concilium conuocare: sic Cardinalis Zabarellis. Tractat. de Schismate 5. Quarto quæro.

Consulat de hac re Lector, quæ supra c. 10. diximus ex Theodorico de Niem. l. 3. c. 9. Occhamo Dialog. l. 6. c. 4. & 5. Somnio viridarij l. 1. c. 181. ex quibus apparet, posse & debere Imperatores & Reges excessus & delicta summorum Pontificum, qui perniciem Reipub. Christianæ & ciuilis machinantur corrigere, & ne Respub. quid detrimenti capiat prouidere.

Subiungit Bellarm. *temporalia ordinantur ad spiritualia*: sæpius dictum est temporalia non subordinantur spiritualibus, nec enim inter temporalia & spiritualia subordinatio vlla est, sed vtraque & temporalia & spiri-

se extollit super omne id quod vocatur Deus: aut tertia est potestas in Ecclesia, scilicet potestas Dei, quam forte non magis videt in Ecclesia Cardinalis, quam seruus Prophetę vidit exercitum Dei circa Prophetam excubantem. Miror vero quemodo hic Cardinali exciderit locus ille. Matt. 28. *Ecce ego vobiscum sum vsq; ad consummationẽ mundi.* Aut ergo Christus Ecclesiam deseruit, aut vterq; Magistratus in Ecclesia, sub tertia potestate, Dei scil. Creatoris & Christi redemptoris est, qui vtriusq; opera interrogabit in die iudicij, nec iã in cœlo sedet otiosus, sed res curat & Ecclesiasticas & ciuiles: & tunc maxime auxiliatur, cum auxilium humanum deest maxime.

Etsi vero Pontifex, se vnicum & vniuersalem Christi in terris vicarium iactet, Imperator tamen siue Rex vicarius Dei est in temporalibus, sicut in spiritualibus Pontifex. Rex caput potestatis terrenæ, sicut Pontifex caput est potestatis spiritualis: vterque immediatè sub Christo Magistratus est: Rex non Christo & Pontifici, sed Deo siue Christo soli peccat, vti supra l. 1. c 8. ex multis Authoribus, ex ipso etiam Bell. docuimus: non Pontifici sed Deo rationem reddere debet: à quo solo destitui potest, sicut à Deo solo locum & sedem & potestatem Dei consecutus est.

CAP. XVIII.

Refellitur 2. pars rationis Bellarmini, Ecclesia nec cogere potest Rempublicam vt mutet formam administrationis, nec regem deponere.

1. *Vna respublica in aliam sibi non subiectam Ius non habet nisi gladiatorium, ideo propositio contradictionem implicat.* 2. *Etsi respublica rempublicam cogere possit, at Ecclesia rempublicam cogere non potest temporaliter.* 3. *Si valet ratio Bellarmini eodem iure potest Rex Pontificem deponere, ratione iniuriæ, quo Pontifex Regem.* 4 *An duas faciant respublicas an vnam.* 5. *Ecclesia quæ sola habet arma spiritualia non habet arma temporalia, in potestate sua; ideo inuocat populum, quem ad reges deponendos concitat.* 6. *De excommunicatione Regum & Imperatorum & absolutione subditorum à Iuramento fidelitatis: Excommunicatio de principe, non principem non facit.*

SEquitur secunda pars huius rationis Bellarminianæ.

Potest qualibet Respublica, quia perfecta & sibi sufficiens esse debet, imperare alteri reipublicæ, non sibi subiectæ, & eam cogere ad mutandam administrationem; imo etiam deponere eius Principem, & alium instituere, quando non potest ali-

aut acumine gladij, potius quã in codice aut digestis habetur; ius hoc gladij non fori, militum, non Iurisconsultorum. Contradictio vero in hac propositione delitescit. Si enim imperare potest vna Respub. alteri, tum altera illa subjecta est; si subjecta non sit, nec potest alteri, altera imperare: Imperare enim & cogere potest Superior, rogare et dirigere potest *Par aut etiam inferior*: At de jure naturæ licitum est vnicuiq; priuato, multo magis Principi supremo, & Reipubl. vim vel injuriam illatam propulsare, cum inculpatę tamen tutelę moderamine; Id est, licitum est vnicuiq; Principi aut Reip. bellum defensiuum propter sui tutelã gerere. Defensio licita esse potest. At offensio quomodo licita erit? Si bellum offensiuũ etiam licitum erit, nec remissioni fraternæ nec Charitati locus datur vllus. At quomodo licitum pro malâ administratione Principem alterius Reipub. deponere et aliũ instituere, quando non potest ab eius injuria aliter se defendere; vindicta enim, modum injuriæ excedere non debet, et depositio Principis fortasse superat injuriæ modum.

Sed incertam, contradictoriam, gladiatoriam hanc propositionẽ mittamus, ad conclusionẽ accedamus, nec enim quæritur quid possit hostis in hostem, vna Respub. in alteram, nullo nexu sibi coniunctam, sed quid possit et debeat potestas Ecclesiastica in Ciuilem, quas amor et mutuus nexus, tanquam duos magistratus, sub vno Domino communi Christo conjunxit. *Ergo multo magis* (infert Bell.) *potest Respub. spiritualis imperare temporali Reipub. sibi subiectæ, & cogere ad mutandam administrationem, & deponere Principes atq; alios instituere, quando aliter non potest bonum suum spirituale tueri.* Imò verò, multo minus. Quid enim? An quia licitum est vni Reipub. fines suos bello contra hostes tueri, ideò licitum est Ecclesiæ Religionẽ cõtrà persecutores armis defẽdere? An licita fuit primis in Ecclesiâ Primitiuâ Christianis bello Religione Christi tueri?

Si quid possit ratio hæc Bell. Si non à maiori certè à pari, potuit olim Ecclesia Primitiua imperare Principibus Ethnicis, vt formam administrationis suæ mutarent, potuit eorum Principes deponere, potuit alios instituere, quia aut olim nõ potuit aliter se ab eorũ injurijs defendere, aut hodie etiã potest Ecclesia aliter à christiãorũ Prĩcipũ injurijs se defẽdere.

Potest etiam hodie Ecclesia militãs sub Mahumetismo, Imperatorem Turcicũ cogere, vt mutet formam administrationis suæ, sibi periculosissimam, et si nolit, eundem deponere et alium ejus loco substituere. Sicut enim à majori; potest Respub. spiritualis deponere Principem Politicũ Christianum sibi subjectũ, Sic à Pari, Potest Respub. spiritualis deponere Principem Ethnicũ sibi non subjectum, vnde hoc dilemmate cõstringitur Bell. Aut Ecclesiastica Respub. eandem habet potestatem deponendi Principem sibi non subjectum, quam habet alia quæuis Respub. Sic Ecclesia potest deponere Principes Ethnicos: Aut Ecclesiastica Respub. eandem non habet potestatem, quam habet alia quęuis Respub. in Principem

cipem politicum ſibi non ſubjectum: et proindè non poteſt deponere Principes Chriſtianos, quod aſtruit Bell. Tota enim vis hujus demonſtrationis, hac majori propoſitione ſic nititur.

Reſpublicę perfectę et ſufficientes beneque inſtitutę hanc habent poteſtatem vt poſſint Principes aliarum Rerumpublicarum ſibi non ſubjectarum ratione injurię deponere.

Eandem habet poteſtatem Reſpub. ſpiritualis quam habent alię omnes perfectæ et ſufficientes, beneq; inſtitutę Reſpub.

Ergo Reſpub. ſpiritualis, poteſt Principes aliarum Rerumpub. ſibi non ſubjectarum .i. eſt Ethnicos et Infideles ratione injurię deponere.

Aut ergo demonſtratio directam poteſtatem probat, aut indirectam non probat, quia falſum aſſumit medium. Et ſi ratio valet à maiori, etiam
3 a Pari valebit.

Deinde ſic retorqueturargumentum Bell. in caput ſuum.

Reſpub. perfectę et ſufficientes beneq; inſtitutæ, hanc habent poteſtatem vt poſſint Principes aliarum Rerumpublicarum ſibi non ſubjectarum ratione iniurię deponere.

Eandē habet poteſtatē Reſpub. ciuilis, et Ethnica et Chriſtiana, quam habēt aliæ omnes perfectę et ſufficiētes, beneq; inſtitutæ Reſpub. A poteſtate enim Reipub. ciuilis ad poteſtatem Reip. Eccleſiaſticę arguit Bell.

Reſpublica ergo ciuilis, et Ethnica et Chriſtiana hanc habet poteſtatem vt poſſit Principes aliarum Rerumpublicarum ſibi non ſubjectarum ratione injuriæ deponere.

Tales autem ſunt Principes ſpirituales qui ſubiecti eſſe nolunt Reip. Ciuili, et injuriam Reipub. Ciuili per malam ſuam adminiſtrationem inferre poſſunt: vt concedit Cap. precedenti Bell. poteſt ergo Reſpub. ciuilis Principes ſpirituales (qui etiam in temporalibus ſubjecti ſunt Regibus) deponere. Imo etiam Reſpublica Ethnica, poteſt Principes ſpirituales, ipſumq; Pontificem ſummum deponere: Egregia proculdubio demonſtratio, quę eandem Ethnicis, et Turcis poteſtatem tribuit, quam ſibi ſoli vendicat Pontifex.

Subjungit Bellarminus: *Poteſt Reſpublica Principem alterius Reipublicæ non ſibi ſubiectum, ratione iniuriæ deponere: Ergo magis poteſt Eccleſia deponere Principem ſecularem Chriſtianum ſibi ſubiectum, non ſolum ratione iniuriæ, ſed etiam ratione ſubordinationis in ſpiritualibus & temporalibus.*

Quod ad primum: Modus ille ſubjectionis ratione injuriæ nouus eſt: Si enim injuria illata aliquem alteri ſubijciat, Superior ratione iniuriæ, ſubjectus eſſe poteſt inferiori: Imo Imperator et Pontifex ſummus, infimo Chriſtiano, vel etiam Ethnico ſubjectus eſſe poteſt, minimum è mēbris Chriſti ſcandalizare poteſt, imo Ethnico et infideli, injuriam inferre poteſt: cui quidem Debitor eſſe poteſt, et tenetur ad reſtitutionem, at ſubjectus eſſe non poteſt.

Quod

Quod ad ſecundum: aſſumit hoc loco Cardinalis, quod in quæſtione poſitum eſt; Regem ſcilicet Chriſtianum in temporalibus ſubjectum eſſe Pontifici quoad pœnam coactiuam & temporalem: non ſolum quoad pœnam ſpiritualem & ſalutarem: Quod quid eſt aliud quam petere principium, & lectorem incautum fallere?

Verum ſi Principes Chriſtiani Pontifici ſubjecti ſunt in ſpiritualibus Pontifices itidem ſummi, (niſi dono Principum liberentur) ſubiecti ſunt Regibus in temporalibus, & proinde pares ſunt.

Si ergo Pontifex juxta hanc rationem deponit Reges Chriſtianos, Reges itidem Chriſtiani poſſunt Pontifices deponere, vt ſupra concluſum eſt. Etſi ergò inferat Bell. *Ergo multo magis poteſt Pontifex deponere Reges ſibi ſubiectos*: tamen in hoc pares ſunt Pontifex, & Imperator: Si Imperator Pontifici ſubiectus ſit in ſpiritualibus, Pontifex itidem Imperatori ſubjectus eſt in temporalibus: & inferior Imperatore in iis in quibus deponit: Et proinde non multo magis, vt Bellarminus, quia in temporalibus Pontifex nec ſuperior eſt Imperatore, nec æqualis, ſed inferior & ſubditus: Sed multo minus: Non enim habet inferior ſiue ſubditus eandem poteſtatem in ſuperiorem, quam habere poteſt Par in Parem, æqualis in æqualem.

Licet ergo Princeps æqualis ſiue Par, ratione injuriæ poſſit Principem Parem ſiue æqualem deponere: quod regulæ omnium Iuriſconſultorum & Theologorum repugnat: *Par in Parem non habet Imperium*: At inferior ratione injuriæ, Superiorem deponere non poteſt, præſertim in ijs, in quibus inferior eſt: ſcilicet in temporalibus. Propoſitio ergo Bellarmini incerta eſt & contradictoria. Concluſio vero ex præmiſſis non ſequitur.

Iam ad Barclaij reſponſionem deſcendamus. Duo hic reſpondit Barclajus. 1. *Poteſtas ſpiritualis & temporalis non ſunt duæ Reſpublicæ, ſed vna tantum Chriſtiana Reſpublica, duabus poteſtatibus nixa quarum neutra alteri ſubijcitur.* Valet hæc reſponſio, contra Bell. qui in ratione prima, diſerte aſſerit vnam eſſe Rempub. non duas. *Poteſtas ciuilis ſubiecta eſt poteſtati ſpirituali, quando vtraque pars eſt eiuſdem Reipublicæ Chriſtianæ*; & iterum in confirmatione eiuſdem rationis 2. *Reges & Pontifices, Clerici & Laici non faciunt duas Reſpublicas, ſed vnam id eſt vnam Eccleſiam: ſumus enim omnes vnum corpus, Rom.* 12. Etſi enim vna Reſpublica poſſit Principem alterius Reipub. non ſibi ſubiectę ratione injuriæ deponere, non tamen ex hoc medio infertur. Ergo vna pars poteſt, alteram partem eiuſdem Reipublicæ deponere. Sic enim Priuatus quiſque Proximum ſuum deponere; & Cancellarius Conestabilem, & Conestabilis Cancellarium dignitate ſua priuare poteſt. 4 Cap. 13.

Quod ſi vna ſit Reſpublica totalis, & duæ Reſpublicæ partiales, vt commentatur Bellarminus, non magis poteſt poteſtas ſpiritualis, ciui-

lem

lem poteſtatem deſtituere quam anima poteſt corpus deponere, aut caput poteſt cor ipſum deſtituere, quod ſine totius hominis, adeoque totius Reipublicæ Chriſtianæ diſſolutione & interitu fieri non poteſt. *Eccleſia eſt in Republica, id eſt in Imperio Romano*: Sic Optatus, L. 3. At iam vetera tranſierunt, noua facta ſunt omnia. Reſpublica eſt in Eccleſia; Eccleſia enim deuorauit Rempublicam, Alumna nutricem, Pontifex *Cæſarem* deuorauit: Anguis Æſopicus, præ frigore ſemimortuus, calore Regum & igne temporalium fotus, ſibilo, & veneno ſuo, Imperium ipſum pene ad internecionem vulnerauit. 2. Etſi duæ ſint diſtinctæ Reſpub. quæ diſtinctas dignitates, diſtincta officia, diſtinctos actus, diſtinctas communitates etiam in vnione ſuâ retinent, non tamen poteſt Reſpublica ſpiritualis Principem Ciuilem deponere, quia ſpiritualis Reſpublica ſola habet arma ſpiritualia: ſicut Reſpublica ciuilis ſola habet arma corporalia: Arma enim Reipublicæ ſpiritualis alia non ſunt *quam preces & lachryma*, & cenſuræ ſpirituales. Nec à Rebuſpublicis Ciuilibus inter ſe collatis ad Rempublicam ſpiritualem valet conſecutio.

Talia ſunt munimenta Sacerdotum, aliter nec debent nec poſſunt reſiſtere: non pila quærunt ferrea, nec arma Chriſti milites; 23. *Queſt.* 8. *Canone Non Pila, Can. conueniat ex Ambroſio de tradendis Baſilicis in Epiſtola* 31.

Non audet iſta negare Bellarminus, nè contra torrentem antiquitatis » niti videatur: proinde reſpondet: *Arma Reipublica ſpiritualis quibus ipſa* » *per ſe vtitur, ſpiritualia ſunt: arma vero temporalia in eius poteſtate ſunt:* » *gladius enim eſt ſub gladio, & poteſt Eccleſia invocare brachium ſeculare,* » *& per illud vti gladio corporali.* Habet ergò Eccleſia arma ſua, & arma non ſua; Armis ſuis id eſt ſpiritualibus vtitur per ſe; Arma aliena & non ſua, id eſt corporalia ſunt in eius poteſtate, hęc mutuatur à poteſtate ſeculari: his vti poteſt; ſed an per ſe, an per alios non conſtat. Hic quæro: Depoſitio temporalis, an inter arma ſpiritualia, an vero inter corporalia collocanda eſt? Si depoſitio temporalis, armatura ſit ſpiritualis, Eccleſia per ſe eadem vtitur quia armis ſpiritualibus vtitur per ſe: Si Depoſitio temporalis armatura ſit corporalis, invocat Eccleſia brachium ſeculare; non deponit Eccleſia ſed brachium ſeculare; non deponit non iubet aut imperat, ſed inuocat & rogat alium vel alios, quorum ope deponit: & quod alius vel alij faciunt, non facit Pontifex.

At arma temporalia (id eſt Depoſitio) ſunt in eius poteſtate, quia gladius ſub gladio eſt, & inuocare poteſt Eccleſia brachium ſeculare.

Si arma temporalia in eius ſunt poteſtate, tunc poteſt Eccleſia imperare Imperatori vel Regi cuilibet Chriſtiano, vt Regem hæreticum, vel Tyrannum armis debellet, teneturq; Imperator, ſiue quilibet Rex Chriſtianus ſub peccato mortali, mandato Pontificis obtemperare: Si

enim

enim talis ſit poteſtas in Pontifice, inobedientia in Imperatore & Rege rebellio eſt contra Pontificem.

An verò Reges Chriſtiani & Catholici hanc poteſtatem, hanc obedientiam recognoſcunt? An Carnifices ſunt Pontifices? hoc Iugum non nouerunt antiqui Imperatores & Reges, hoc Iugum non ferent Reges moderni, niſi forte hoc prætextu Iuſſionis Apoſtolicæ abutantur, vt aliorum Regna invadere poſſint. Et tamen gladius, inquit *Bellarminus*, eſt ſub gladio. In Republicà Chriſtianà gladius eſt cum gladio: *Ecce duo gladij* hic; Et hoc ſatis eſt; non dicit Chriſtus, Alter horum gladiorum eſt ſub altero, non ergo gladium gladio ſubjecit Chriſtus: Et culpandi ſunt per omnia Sacerdotes, qui Regnum ſuo gladio, quem ipſi ex Regum habent gratia, ferire conantur: vt dixit Otho Friſingenſis: Si gladium gladio non ſubjecit Chriſtus, qui duos in Eccleſia gladios ſufficere dixit, quis alius ſubijcere poteſt, niſi is, qui vtrumque gladium, vtramque poteſtatem inſtituit? miſerè ergò in hac reſponſione mendicat quæſtionem, dum aſſumit quod erat probandum, gladium ſcilicet eſſe ſub gladio. *Lib. 7 in præfat.*

At probat Bellarminus: *Gladius eſt ſub gladio, quia Eccleſia poteſt invocare brachium ſeculare*: Et poteſt quicunque oppreſſus, & infimus è clero vel etiam è Plebe, brachium ſeculare invocare: & tamen gladius Imperialis ſiue Regalis non eſt in poteſtate infimi cuiuſque Clerici vel Laici: Imo vero, eo ipſo quod invocat brachium ſeculare, nec eſt gladius ſub gladio, nec ſunt temporalia arma in poteſtate Eccleſiæ: Invocare ſolent, qui inferiores ſunt, quique pares: Qui ſuperiores ſunt, imperant, non invocant: Invocat vnuſquiſque fidelis Deum? An vero tam impudens quiſquam, vt dicere auſit, Arma Dei eſſe in poteſtate cuiuſquam hominis, aut gladium Dei ſubeſſe gladio hominis? Quia ergo invocat brachium ſeculare, hoc eſt auxilium gladij temporalis implorat, Arma temporalia non ſunt in poteſtate Eccleſiæ inuocantis, nec ſubeſt gladius ciuilis gladio ſpirituali: ſicut & Princeps ciuilis, quando invocat brachium ſpirituale, vt in latronum excommunicatione, non eſt ſuperior Principe ſpirituali nec tamẽ ſubeſt gladius ſpiritualis gladio civili.

At vide quomodo brachium ſeculare invocat, *incitat nobiles, & Plebem vt Regi & Principi ſuo rebelles ſint*: hoc eſt *Bellarmino* inuocare brachium ſeculare: At hoc non eſt invocare brachium ſeculare, ſed contra brachium ſeculare, ſeditiones ciere; populumque excitare, vt gladium Principi à Deo commiſſum, rebellione et violentia extorqueant: Hoc eſt, non poteſtatem, ſed belluam multorum capitum invocare: Sublimior poteſtas non ſine cauſa gladium portat: Sic Apoſtolus, Imo vero gladium portat non poteſtas, ſed infirmitas; non Rex, ſed Populus, hunc invocat Pontifex: Sic non invocat brachium ſeculare, ſed deſtruit, Sic non gladius ſub gladio, eſt ſed populus erigitur contra gladium Ciuilem & ſuper Regẽ ſiue Imperatorem ponitur, vt armis alienis Eccleſia poſſit *Rom. 13.*

Reges

aut spiritualem: Annon Pontifex major Deo erit, qui contra jus diuinum & naturale dispensat? An potest Pontifex jura & debita soluere. i. relaxare, sicut & peccata soluit? *Per hoc (Quicquid ligaueris) non intelligitur aliqua potestas data nisi spiritualis, absoluendi scilicet à vinculo peccatorum: Stultum autem esset intelligere quod per hoc datur potestas absoluendi à vinculo debitorum*, Sic Ioan. de Paris. Præterea dato quod possit Papa dispensare in juramento, sicut in voto: Sunt tamen quædam juramenta sicut & vota, quę solum fiunt in reuerentiam Dei, vt juramentum castitatis, quædam quæ non solum fiunt in reuerentiam Dei, sed etiam in fauorem & vtilitatem certæ personæ, vt juramentum de pecunia soluenda: quo in genere est juramentum fidelitatis Principi præstitum à subditis, in vtilitatem Domini: Et non solum propter reuerentiam Dei; *Licet ergo Papa possit in Iuramentis primi generis dispensare, quia vicarius est Dei, At quantum ad Iuramenta secundi generis* (Inquit Iacobus Almain *De potestate Ecclesiastica & Laica ad 7 rationem* (c. 12.) *non potest dispensare, hoc est ius relaxare: quia Papa non habet authoritatem aliquam faciendi contra ea, quæ sunt in perniciem & damnum alterius. Nam non potest soluere Socratem ab obligatione, qua Platoni obligatur, vt in casu predicto.*

De potestate Regia & Papali Cap. 15. ad. 2.

Similiter si Papa soluere vasallos a Iuramento fidelitatis Principis, hoc esset in perniciem, & detrimentum Principis & libertatis Regiæ, ideo à quocunque Iuramento vel obligatione, quæ obligatio est in vtilitatem alicuius personæ, a persona obligante, non potest Papa talem ab alterius obligatione soluere: Nam faciendo de obligato non obligatum, hoc esset in iniuriam alterius personæ, & si hoc faceret, teneretur ad restitutionem: Et sic Resolutio est: Quod à Iuramento præstito in fauorem & vtilitatem alterius personæ, à persona quæ iurauit, Papa non potest dispensare, neque alterum ab obligatione ex Iuramento proueniente soluere; Quia non potest Papa regulariter soluere vassallum ab obligatione, qua obligatur suo superiori: Hæc Almain: Licet ergo *Iudicare* possit Pontifex, at *præiudicare* non potest: vt Hugo: & ex *Hugone Alensis* & *Waldensis*; Et Præjudicium est Principi, si subditos ab eius obedientia, & fidelitatis juramento, Pontifex liberet. *Quicquid solueris*, id est, *quorum peccata remiseris.*

Nota hæc vniuersalis, quicquid, nunquam distribuit extra habitum termini distributi: Quicquid .i. Peccata, non leges, non decreta Imperij: alias soluere possent Pontifex coniugia, adeoque omnes contractus humanos: posset etiam soluere non Pœnitentes, quod ipse Deus non potest; vt egregie disputat Dantes Alighetius de Monarchia L. 2. Sed de solutione Iuramẽti fidelitatis plura post dicemus: Interim, aut Pontifex potestatẽ habet soluendi, siue relaxandi, siue dispensandi contra jus diuinum & naturale; aut non potest subditos à juramento fidelitatis absoluere: quia subjectio subditorum

Francorum vel Hispanorum, habet potestatem deponendi Regem vicinum, non nisi ratione iniuriæ sibi subiectum: Aut à maiori non deducitur potestas Reipublicæ spiritualis in deponendo Rege siue principe, Christiano sibi subiecto & subordinato: Vnde inter rationem & Responsionem *Bellarmini* contradictio est, Demonstratio enim *Bellarmini* hâc propositione supplenda est: Eandem habet potestatem Respublica spiritualis, quam habent aliæ omnes perfectæ & sufficientes, beneque institutæ Respublicæ. Hæc propositio si desit, Enthymema est, demonstratio non est. Propositio explicata *Bellarmini*, hæc est.

Respublicæ perfectæ & sufficientes, beneque institutæ ratione iniuriæ habent potestatem deponendi Principes aliarum Rerumpubicarum, sibi alias non subiectarum.

In Responsione affirmat *Bellarminus: Non est similis potestas quam habet Respub. spiritualis in temporalem, potestati Francorum in Anglos, vel Anglorum in Francos*; id est, non est similis siue par, siue æqualis potestas, pontificis, in deponendis Regibus Christianis, potestati quam habet vna Respublica in aliam Rempublicam: aut Rex Anglorum in Regem Francorum, aut rex Francorum in Anglorum Regem qui alias nisi ratione iniuriæ, sibi inuicem non subijciuntur.

Et tamen Respublicæ Anglorum, Francorum, Hispanorum, perfectæ sunt & sufficientes, beneque institutæ, & quâ ciuiles sunt, & quâ Christianæ. Non audet dicere *Bellarminus*: Rex Angliæ ratione iniuriæ habet potestatem deponendi Regem Francorum vel Hispanorum, ne regibus Christianissimis & Catholicissimis iniuriam feciſſe videatur. Et tamen quia reges absoluti & supremi sunt, pares itidem sunt, pari potestate præditi, vnum idemque est Ius omnium Regum. Similis est ergo potestas principis spiritualis in deponendo Rege Christiano, potestati vnius Christiani regis in deponendo alio rege Christiano ratione iniuriæ sibi illatæ: potestas enim maioris, similis est potestati paris, siue æqualis: Maior enim esse potest, dissimilis esse non debet: aut potestas pontificis in regibus Christianis deponendis nulla est, sicut potestas vnius regis in alium regem nulla est. Aut demonstratio et responsio Cardinalis concidit, vna enim alterum euertit.

At similis est pontificis potestas, potestati, quam habet spiritus in carnem caput in membra: forte interfuit *Bellarminus* per insomnium Tribunali alicui, in quo spiritus tanquam Iudex sedebat, et deponendam carnem iudicabat, aut caput pro Tribunali sedens Brachium aut manum amputandum, aut oculum eruendum, aut Cor è Corpore euellendum decreuit: Verum nec spiritus potest ad libitum suum carnem deponere: sicut enim nati sumus antequam vellemus e

sic morimur, non quando volumus, maximeque conamur, sed quando voluerit Deus, omnium spirituum Dominus: nec habet caput potestatem super cor, aut brachium, aut manum: Anima est tota in toto, & tota in qualibet parte, et in corde habitat, sicut in Cerebro.

Vnde sic retorquetur ratio *Bellarmini.*

Potestas pontificis in Regibus deponendis, similis est potestati spiritus in carnem, capitis, in alia membra.

Sed spiritus non habet potestatem deponendi carnem, caput non habet potestatem deponendi cor, aut brachium, aut manum.

Ergo Pontifex non habet potestatem regum deponendorum; sic et rationes, et comparationes *Bellarmini*, in ipsum retorquentur.

CAP. XIX.

De Sententia Bernardi, Gladius Materialis ad nutum Pontificis, per manum militis, ab Imperatore contra iussum Imperatoris extorquendus non est.

1. *Quadrupliciter respondetur authoritati Bernardi.* 2. *Nutus non significat Imperium sed consilium, non coactionem sed directionem.* 3. *Nutus quando præcedit alias causas non significat Imperium.* 4. *Nutus in Pontifice plusquam Imperium, in Imperatore obedientiam significat.* 5. *Vterque gladius Pontificis. i. Ecclesiæ.* 6. *Quid si nolit Imperator ad nutum Pontificis gladium materialem stringere? non potest eum cogere Pontifex.* 7. *De Sententia Gratiani. 23. q. 8. in Principio.* 8. *De Sententia Ambrosij.* 9. *Verba illa Ecce. duo gladij non significant duas potestates.* 10. *Potestates istæ ordinatæ sunt, non subordinatæ.*

I

L. 4. de Conſ. c. 3. DEMONSTRATIONEM Gladiatoriam sequitur locus *Bernardi* de duplici gladio: Verba *Bernardi* hæc sunt: *Dracones* (inquit) *me mones pascere, & Scorpiones, non Oues: propter hoc, inquam, magis aggredere, sed verbo non ferro: Quid tu denno vsurpare gladium tentes quam*

semel

semel iussus es ponere in vaginam: Quem, tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Converte Gladium tuum in Vaginam: Tuus ergò, & ipse, tuo forsitan Nutu, etsi non tuâ manu, evaginandus: alioquin si nullo modo ad te pertineret & is, dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, non respondisset Dominus; Satis est, sed nimis est: Uterq, ergo Ecclesiæ, & spiritalis scilicet gladius & materialis, sed is quidem pro Ecclesiâ, ille verò & ab Ecclesiâ exercendus est: ille sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis, & iussum Imperatoris: Quæ verba in Extravagantem Vnam sanctam à *Bonifacio* octauo, cum nonnullis alterationibus translata sunt.

Multa hic multi respondent: quæ omnia ad quatuor capita reuocari possunt.

Primò, authoritas *Bernardi* in causa fidei, non sufficit: sic Somnium Viridarij: *Cum reuerentia Beati Bernardi loquendo, quantæcunque sanctitatis extiterit, scripturis suis, humano spiritu prolatis, non semper est fides irretractabiliter adhibenda. Hoc dictum non est magnæ authoritatis:* sic Ioannes de Parisijs: Et eo minor esse debet *Bernardi* authoritas in hâc causâ, quia vt inferius fatetur *Bellarminus* ipse, non ex verbis *Christi*, sed ex verbis *Bernardi*, qui mysticè verba Euangelij, *Ecce duo gladij*, de duabus potestatibus exponit, argumentum sumunt Pontificij; acsi diceret *Bellarminus*, non *Quid*, sed *Quis*. Verba scripturæ sensum *Bernardi* non ferunt, et tamen valet argumentum ab authoritate *Bernardi* scripturam præter sensum scripturæ exponentis: Quâ in re, eo minor fides *Bernardo* habenda est, quia ex verbis Euangelij sententiam suam stabilire conatur, tanquam ex literâ: Quam tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur attendere verbum Domini dicentis: Conuerte gladium tuum in vaginam: quæ tamen verba nihil tale probant: Nam, vt *Maldonatus*: *Alij recentiores Interpretes* (vide quo loco *Bernardus* sit) *Maldonato*) *duos ex hoc loco gladios Ecclesiam habere colligunt; alterum spiritualem, temporalem alterum: Hos vt habeat, ex hoc certe loco non habet, vbi de alijs vt explicauimus agitur gladijs.*

L.1.c.69. C.11. contra D. Bernar. Vide supra pag. 561. Maldonat. in Luc.22.38.

Nemo enim patrum hunc locum Euangelij in hunc sensum detorsit, et modestius de seipso solet pronuntiare *Bernardus*, In præfat. Serm in vigil.natalis Dom. *Si quid dictum est post Patres, quod non sit contra Patres, nec Patribus, arbitror, nec cuiquam displicere debere; vbi autem dixi quod à Patribus accepi, dum sic absit typhus præsumptionis, vt non desit fructus deuotionis, patienter audiam de superfluitate causantes.* Et sensus iste omnium patrum interpretationi repugnat, novus ergo est et singularis. Et sicut author est *Vincentius* aduersus Hæreses, *Quicquid vnus, quamuis ille sanctus & doctus, quamuis Episcopus, quamuis Confessor & Martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes senserit,*

id inter proprias & occultas & priuatas opiniunculas, à communis, publice, & generalis ſententiæ authoritate ſecretum ſit.

Secundò, *Bernardus* ex allegoriâ & ſenſu myſtico, non literali, ſententiam ſuam colligit: & ex allegatione allegorica non poteſt ſumi argumentum, vti ex *Dionyſio* & *Auguſtino* probat *Ioan. de Pariſijs. Ad tertium, illud de gladijs eſt hyperbolice dictum, quare ex ipſo non poteſt trahi efficax argumentum.* Sic Ioan. Maior. *In 4. Diſt. 24. q. 3. ad 3. Myſtica enim Theologia non eſt argumentatiua: & allegoria non ſufficit ad probationem, niſi cum eius habeatur aliunde authoritas manifeſta. Fiat*, inquit, *vt omnes concordent* (vt poſt ex Chryſoſtomo probat) *locutio Chriſti metaphorica:* Sic Marſilius Patauinus. *Dicunt* (inquit Dantes Aligherius) *illos duos gladios, quos aſſignauerit Petrus, duo præfata regimina importare: quod omnino negandum eſt:* Id quod etiam in ſequentibus fuſius probat: *Non enim iubet Chriſtus duos tantum, ſed duodecim emere gladios: duodecim enim alloquitur, vendat tunicam & emat gladium.*

Parte 2. c. 28. ad 5. Concluſ. De Monarchia. lib. 3

Si infirmum ſit fundamentum cui innititur *Bernardus*, authoritas *Bernardi* mole ſua facilè ruit.

Tertiò, *Bernardus* hæſitanter & dubitatiue loquitur: Tuo forſitan nutu, etſi non tua manu euaginandus [forſitan] hæſitantis eſt. *Secundo, ipſe ponit forſitan & hoc ſufficit pro toto:* Sic Ioannes Maior.

In 4. diſt. 24. q. 3. ad 3.

Anonymus qui incipit, Rex pacificus, hæc habet: *Ad 17. Argumentum: De authoritate Bernardi dico, quod Bernardus non loquitur, ibi aſſerendo, ſed magis dubitando: & hoc apparet ex duobus: & primò ex hoc, quod ipſe ponit ibi (forſitan) dicens, tuus ergo & ipſe forſitan: Secundo ex hoc, quod in fine illorum verborum dixit, & de hoc aliàs, acſi diceret, non ſtes ei quod modò dictum eſt, cum dubitatione; ſed in his quæ alias dixi, ſub aſſertione autem contrarium dixit & docuit in eodem libro, in plurimis locis, ſicut ſuperius tactum eſt, & apparet intuenti. 1. lib. c. 5. & l. 3. c. 1.*

In reſponſ. ad 17 argumentum.

Quod verò à *Bernardo* ſub hæſitatione dictum eſt, tanquam certum & exploratum à *Bellarmino* vrgeri non debuit.

2

Quartò, *Nutus* apud *Bernardum* non ſignificat poteſtatem coactiuam, ſed ſolum directiuam: *Vterque gladius eſt Eccleſiæ: ſed materialis pro Eccleſiâ, ſpiritualis verò ab Eccleſia exercendus: iſte ſacerdotis, hic militis manu, ſed ſanè ad nutum Sacerdotis, & iuſſum Imperatoris. Vbi ſignanter dicit: ad nutum Sacerdotis, & non per manum, vel ad iuſſum eius: quia in hoc non habet authoritatem iubendi vel compellendi, ſed ſolum innuendi, ſi voluerit Imperator.* Hæc Ioannes de Pariſijs. *Debet monere gladium Imperator ad nutum & Conſilium Sacerdotis ſiue Pontificis.* Sic Antonius de Roſellis.

Ioan. de Pariſ. c. 19.

In Monarch. part. 1. c. 49.

Non per nutum intellexit imperium, ſiue authoritatem coactiuam, ſed

Conſilium

consilium, quoniam hoc ad Imperatorem siue Principem expressit pertinere: Marsilius Patauinus. Quin etiam Alexander Alensis. D. Irrefragabilis, testisque ex parte *Bellarmini* productus, contra quem nulla permittitur exceptio, hæc habet notatu dignissima: *Si autem obijciatur, quod ille facit, cuius authoritate fit, vnde Papa & Episcopi, qui habent præpositos iudices sanguinis, videntur occidere: dicendum quod est authoritas iubendi, & est authoritas innuendi: in authoritate iubendi sequitur, ille facit cuius authoritate fit: in authoritate vero innuendi non sequitur: est autem authoritas iubendi occidere maleficos penes Imperatorem, authoritas vero innuendi penes Papam & Sacerdotes: Est autem ista innuitio diuinæ legis, vt dictum est, prædicatio, & vt Principes diuinæ legi obediant exhortatio*: Vnde Bernardus *in 4. de Consid. ad* Eug. *ostendit qualiter vterque gladius est Ecclesiæ, materialis & spiritualis, & quod ad ipsum pertinet gladius materialis & spiritualis, sed quod gladius materialis ad eam pertineat quantum ad nutum, non quantum ad iussum vel vsum:* Et tunc recitat verba Bernardi superius citata. *Vbi supra.* *P. 3. q. 34 Mem. 2. art. 3. in solut.*

Aluarus etiam Pelagius vtriusque, vt videtur, potestatis, & directæ & indirectæ assertor, explicans verba ista sic ait: *Quid autem sit habere gladium materialem ad nutum, quidam sic exponunt, quod spiritualem potestatem habens, potest suadere armorum sumptionem contra maleficos Principi seculari, cui materialis gladius commissus est: & potest diuinam legem exponere & prædicare, &c.* Innuitio ergo ista non est aliud quam diuinæ legis prædicatio, & vt Principes diuinæ legi obediant exhortatio: nam nutus est signum voluntatis per prædicationem autem & exhortationem, spiritualis potestas indicat se velle fieri vindictam de malefactoribus, & iste nutus quædam iussio est. *De planct. Eccl. l. 1. cap. 59.*

Atque hoc idem est quod habet Iacobus Almainus de potest. Eccles. & Laica. cap. 10. *Eiusdem est indicare de medijs, cuius est iudicare de fine: supple, innuitiue: id est innuere quæ sunt media necessaria ad illum finem consequendum, & quæ impedimenta: & hoc verum est quod spectat ad Ecclesiasticum, quia ad eum spectat ostendere quod est necessarium ad fœlicitatem consequendam: Sed si intelligas: cuius est iudicare de fine, eiusdem est iudicare iudicio coercitiuo & coactiuo, de quolibet necessario ad illum finem, negatur: Imò illa est falsa vniuersaliter, &c.* Et infra: *Etiam dico quod Summus Pontifex non iudicat de beatitudine æternâ, isto iudicio, de quo loquimur, sed per modum doctrinæ & incitamenti ostendendo de medijs necessarijs ad salutem: regulariter ergò ciuilia ad Laicos pertinent.*

Ioannes verò Maior respondens huic loco Bernardi, *Tertio,* inquit, *dicitur: quod vnum habet gladium actu, scilicet spiritualem,* *In 4. Dist. 24. q. 3.*

cum interdicit & excommunicat: alium habet in habitu, id eſt, poteſt rogare Principes terrenos, quatenus ſunt ſibi ſubſidio: & ſic habet alium in habitu; id eſt, in potentiâ: nec capitur hic habitus, vt capitur ab Ariſtotele: 11. *Ethic.* Habere ergo in habitu ſiue nutu iuxta Maiorem, eſt poſſe rogare.

In Extrau. de Maior. & obedient. a. Vnam Sanct.

Quin etiam *Bonifacius* octauus Pontifex alioquin ambitioſiſſimus, quique iuſſum Imperatoris ex verbis *Bernardi* expunxit, & ſolum per manum & Regum & militum, gladium exercendum docuit, cum tamen ad nutum Sacerdotis deſcendit: non auſus eſt dicere: ad nutum & potentiam, ſed tantum *Ad nutum & patientiam Sacerdotis*: Patientia verò multum à poteſtate ſiue imperio diſtat: nec ſolebant pontifices cum crucem contra Saracenos pro liberatione Sanctæ Ciuitatis prædicabant, imperio & minis cogere, ſed exhortatione & ſuaſionibus & precibus Reges & principes rogare, vt Sanctum bellum ſuſciperent.

Hæc omnia ante annos 200. aut ad minus 100. diſputata *Bellarm.* Theologum ſummum neſcire inſcitia eſt; diſſimulare vero nec horum Theologorum, & Iuriſperitorum reſponſa refutare, ſed Crambem ſæpius decoctam Lectoribus ſuis apponere, penuria ſumma eſt: ſed qualem qualem *Bellarmini* reſponſionem audiamus.

Quæſtio inter *Barclaium* & *Bellarminum* eſt penè Grammatica, de ſignificatione huius verbi, *Nutus*, apud *Bernardum*: Contendit *Barclaius*, *Nutum* in hoc loco ſignificare conſenſum ſiuè voluntatem Sacerdotis: Imperium verò gladij materialis eſſe penes Imperatorem: *Non ſufficit* Bellarmino: *Nutus iſte*, i. *conſenſus ſiue voluntas, vt Barclaius, ſiue conſilium, ſiue prædicatio verbi, ſiue directio gladij, vt alij*: ſed Nutus inquit, *quando præcedit alias cauſas, Imperium ſignificare ſolet, vel potius Imperium ita potens & efficax, vt ſine alio expreſſo mandato, ſolus Nutus ad rem efficiendam ſit ſatis.* Qualis verò futurus eſt pontifex Romanus, qui totum nutu tremefacit Olympum? qui ſolo nutu ſine alio expreſſo mandato, quæcunque velit efficiat: non ſine cauſâ dixit Gloſſa. *Dominus Deus noſter Papa*: Hoc enim ſoli Deo proprium eſt, vt nutu ſuo, quæcunque voluerit, faciat in Cœlo & in terrâ: dicere enim Dei, facere eſt: & velle in Deo, idem eſt quod perficere: *Dixit & facta ſunt*: Dicere, ſiue verbum Dei, & omnia creauit, & omnia regenerauit, & omnia reſuſcitabit. *Deo ſoli idem eſt facere quod loqui, idem loqui quod velle: nec verbum diſſidet ab intentione, quia Veritas eſt; nec factum à verbo, quia Virtus eſt; nec modus à facto, quia Sapientia eſt.* Verbum Dei directiuum eſt: *Faciamus hominem*, & imperatiuum eſt, *Fiat lux*: & operatiuum eſt, *Dixit, & facta ſunt*: Nutus ergo Dei cum imperio eſt: *Voluntati eius nihil reſiſtit*: *Poteſt Deus vniuerſum mundum vno nutu de-*

Extrau. Ioan. cum inter in Gloſſa.

Bernard. ſuper Miſſus eſt. Hom. 4.

lere.

lere. 2. Macch. 8. *Et columnæ Cæli contremiscunt & pauent ad nutum eius.* Iob. 26.

In his locis à *Bellarmino* allatis, *Nutus*, & consilium, & Imperium, & executionem continet, nec Consiliarios, nec executores, nec adiutores aduocat Dominus: nec consilium ab imperio, nec imperium à facto dissidet, quia hæc omnia *Nutus* continet. *Ioseph erat Princeps in terrâ Ægypti, & ad nutum eius frumenta populis vendebantur*, Gen. 42. Et *Ioseph* princeps erat & Consiliarius *Pharaonis*, *Et tu ero* (inquit *Pharao*) *super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Ægypti.* In *Iosepho* & nutus erat Consilij & Imperium siue iussus potestatis.

Domini nutu dissipatum est Consilium Achitophel vtile: 2. Reg. 17. *Clarius* (inquit *Bellarminus*) *hic patet, quod Nutus imperium significat*: Imo vero, non patet clarius, sed potius clarè patet, *Nutum* non significare Imperium: In disputatione enim consilij *Achitophel*, quædam mali speciem habent, qualia sunt quod *Chusai* subiectionem *Dauidi* debitam abrenunciat, & fidelitatem rebelli *Absolomi* spondet: Ista Deo permittente fieri possunt, at Deo imperante & iubente fieri non possunt, nisi Deus author sit peccati siue culpæ: In his *Nutus* Imperium non est, sed tantum permissio. Quædam iusta *sunt & recta*, qualia sunt, quod *Absolon* rebellis, & *Achitophel* infidelis, iusto Dei iudicio pereunt. In his, iudicia Dei occulta sed iusta; in his *Nutus* Dei voluntas est beneplaciti, siue approbatio Dei: at imperium nullum de *Absolonis* morte aut *Achitophelis* suspendio extat, nisi forte dicere velit *Bellarminus*, *Achitophel* violentas sibi-ipsi manus intulisse, adeoque laqueo vitam finiuisse ad Imperium Dei. At Prouerbiorum 6. 25. *Nec capiaris Nutibus illius* (meretricis) Et Isaiæ 3. 16. *Nutibus oculorum ibant*; *Nutus* nulla ratione significare potest imperium, sed blanditias & lasciuiam muliebrem.

Quod ergo ad regulam *Bellarmini* attinet: *Quando Nutus precedit alias causas, imperium significare solet*: tria exempla producit *Bellarminus* in quibus *Nutus* non præcedit alias causas, sed alias causas simul in vnâ & eâdem persona coniungit: vt in Deo & *Nutus* & Imperium est, quo vniuersus mundus deleti potest, & ad quem pauent & contremiscunt columnæ Cœli. In Iosepho erat nutus consilij, siue arbitrij, siue voluntatis, & etiam Imperij siue potestatis: ideo verba illa vulgatæ editionis de *Nutu* Ioseph, sic reddit *Arias Montanus*; *Et* Ioseph *ipse imperans super terram, ipse faciebat frangere omni populo terræ, & quoad mensuram, & quoad pretium*: vt Hieronymus ab Olealtro: In quarto exemplo, *Nutus aut permissionem*

missionem aut approbationem Dei significat, non mandatum: Nullum ergo ex his quatuor exemplis regulam siue propositionem Bellarmini probat.

In actionibus vero humanis, in quibus *Nutus & Imperium* diuersa sunt, tantum abest, vt *Nutus Imperium* denotet, taleque Imperium, tam potens & efficax, quod solum sine imperio, sine expresso mandato ad rem efficiendam sufficiat, vt nec imperium significet, nec imperio maior sit. Exempli causâ: Innuit, hortatur, suadet Pontifex, *Paulus* quintus, Cardinali *Bellarmino* vt Nuntij officio fungatur in Regno Hispaniæ: An *Bellarminus* ad *Nutum* Pontificis Hispaniam se conferet? An non potius mandatum & imperium pontificis, literas, delegationem, potestatemque Vicariam, Commissionem, vti vocant, expectabit? An *Nutus* iste æqui-pollet imperio, an imperio ipso magis potens & efficax est? Similiter Rex *Nutu* suo significat nobili vel Iurisconsulto alicui, vt maleficum aliquem in iudicio sistat, eundemque reum peragat & carnifici tradat: audétne nobilis ille siuè Iurista, sinè speciali Regis mandato, & literis delegatorijs, sinè commissione Regiâ eundem iudicare vel morti tradere? *Nutus* ergo nec imperium est, nec imperio potentior & efficacior.

Quin etiam solet, par pari, fortè etiàm inferior superiori *innuere*, quidque facto maximè opus est significare, ~~aut solus~~ superior imperare & iubere potest: ~~Innuere~~ ergo arbitrium siue consensum, siue Imperium voluntarium designat: Iubere vero imperium necessarium. Innuit qui dirigere potest; Iubet siue imperat qui cogere potest. In nutu imperium est directiuum, in iussu imperium est coactiuum: *Ideo motus corporis, nutus oculorum, actus membrorum, vultus, & sonitus vocis*, iuxtà Augustinum, *Sunt verba naturalia omnium gentium*: Et tamen omnes gentes, omnesque homines non imperant.

Aug. Confes. lib. 1. cap. 8.

Solent parentes filijs, filij parentibus, mariti vxoribus, vxores itidem maritis, Domini seruis, serui itidem Dominis, amici amicis, conuersi conuersis *Nutibus* quid agendum sit significare: solent amici & consiliarij nutu & consilio Reges, et potentes huius mundi dirigere. *Sapiunt tyranni sapientum consuetudine*: quin etiam nutu sæpe viatores dirigunt: nec in his *Nutus* imperium est, nec imperio potentior & efficacior. *Nutus* ergo plerumq; non significat *imperium*.

» *At hoc loco significat imperium, non assensum, quia primo loco ponitur* » *inter causas efficientes nutus Pontificis deinde iussus Imperatoris, vltimo loco* » *executio militis.* Imò verò ideo assensum significat, non imperium, qui, assensus imperium & omnes alias efficientes causas præcedit.

Quod

Quod si quid valeat hæc ratio, consilium proculdubio imperio maius est, consiliarij magis imperant quam Imperatores ipsi. Exempli causâ, suadent Cardinales Pontifici, *Bellarminus* & *Baronius*, vt Venetos Excommunicationis mucrone feriat. Venetos excommunicat *Paulus* Quinctus, sententiam promulgat Pontificis mandatorius: in hâc excommunicatione prima causa est *Nutus*, siuè consilium, siue suasio Cardinalium & consiliariorum, secundo loco sequitur Pontificis excommunicatio, vltimo loco mandatorij promulgatio: aut ergo *nutus* Cardinalium imperium est, imperioq; Pontificis potentior & efficacior, aut *nutus* non significat imperium, quià primò inter causas efficientes ponitur. *Genes.* 2. dicit Deus: *Faciamus Hominem ad imaginem nostram*: consultatio illa Trinitatis prima est inter causas efficientes creationis humanæ: secundo loco loquitur; *Formauit Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ*: Hæc est creatio ipsa; prior *nutus* Dei erat, siuè consensus, siue consultatio; posterior *Imperium* siue executio Dei: in priore verbum directiuum erat, in posteriore verbum Imperatiuum siuè operatiuum. An consultatio illa Trinitatis potentior creatione ipsâ? An verbum illud primum, *Faciamus hominem*, quià prius, potentius & efficacius, quoad creaturam, illo secundo, fiat Homo? Solent & Pontifices & Imperatores & Reges in scriptis & Diplomatis suis sic scribere: *Volumus & mandamus*: Volumus, prior est causa efficiens; Mandamus posterior est. An vox illa prior, volumus, magis est imperatiua, quam secunda hæc, Mandamus? Preces & *nutus* eorum qui imperare possunt Imperia quædam sunt: Voluntas siuè desiderium amici, imperium quoddam est. *Diligeris, coleris frequentaris, ostende modò velle te, non deerunt, qui quod tu velis cupiant.* Sic *Plinius*. *Nutus* isti imperia sunt, sed voluntatis siuè amoris, non necessitatis & debiti. Docent Sacerdotes quid faciendum sit, imperant & cogunt Reges. An quia præcedit doctrina Sacerdotis, Ideò magis imperat, quam potestas Regis? Pontifex *nutu* suo officium Imperatoris prædicat, Imperator secundum prædicationem Pontificis iubet. An *nutus* iste Pontificis ad gladium euaginandum potentior est iussu Imperatoris, cum *nutus* iste tantum dirigat non cogat? Aliâs religio cogenda non suadenda.

L. 7. Epist. 29.

Id quod *Bellarminus* ipse videtur agnoscere in verbis sequentibus: *Sicut miles, ex Sententia Bernardi, exequitur iussum Imperatoris, ita Imperator*, inquit, *monetur ad iubendum militi, ex nutu, id est ex iussu Pontificis*. Si *Nutus* iste imperium esset, non diceret *Bellarminus* »
»
»
»

nec mandat, nec iubet, nec imperat.

Præterea tres in sententia *Bernardi* sunt personæ; & tribus his attribuuntur tria *Pontifici: attribuitur Nutus, Imperatori iussus, & militi manus siuè executio.* Et vt tres sunt personæ distinctæ; *Pontifex, Imperator* & *Miles*, sic tria attributa distincta sint oportet, aut minus propriè loquitur *Bernardus*: *Nutus* ergo non erit jussus, nec iussus erit manus siue executio: Si nutus pontificis idem sit quod jussus, duo hic tantum erunt attributa, jussus scilicet & executio: nam nutus & iussus idem erunt: Et proindè sic dicere debuit *Bernardus:* In pontifice jussus est, quo imperat Imperatori; in Imperatore jussus est quo mandat militi; in milite manus est siue executio, qua obtemperat Imperatori. Imo sic dicere debuit *Bernardus*, iuxta *Bellarminum:* In pontifice jussus est, in Imperatore obedientia; in milite manus est siue executio. Id quod cautè admodum aduertisse videtur *Bonifacius* octauus: *Per manum*, inquit, *Regum & militum, sed ad nutum & patientiam Sacerdotis*: acsi gladij temporalis Imperium omne esset penes pontificem; Imperator vero carnifex tantum esset, & in numero militum, & eorum quibus executio Imperij pontificij delegata esset: Verum enimvero Imperator potestate sua à Deo sibi commissa, non pontificia vel delegata aliqua autoritate habet iussum: aliâs non posset, nisi ad *Nutum* id est iussum pontificis gladium stringere: Miles vero imperium Regis capescit, nec *Nutum* pontificis aut quærit aut expectat: Sic vt iuxta sensum *Bellarminianum*, non tantum *Nutus* in iussum, sed etiam suasio siue prædicatio in coactionem, iussus in obedientiam transit. Quinetiam præter intentionem *Bernardi*, *Nutus* siue iussus pontificis non solum Dominium & coactionem super Imperatorem sonat, sed etiam gladium, qui à Deo in manu Imperatoris positus est, per vim militum, quibus nunquam Deus gladium portandum dedit (Dei enim est Minister, non populi, qui portat gladium) Imperatori extorquet. Præterea non de deponendis siue castigandis Imperatoribus per vim coactiuam loquitur *Bernardus*, sed de lupis & subuersoribus & incredulis, qui lateri pontificis adhærebant. Quod si de Regum depositione loqueretur, nunquam dixisset gladium materialem ad *iussum* Imperatoris euaginandum, sed potius gladium potestatemq; Regiam per sententiam siue *Nutum* & iussum pontificis, & per manum i. vires militum, ab Imperatore deposito auferendum esse. Sententia vero *Bern.* de potestate pontificis in causa depositionis Regum satis clara est; præuaricatores enim excludere debet, Regno cœlorum cuius claues accepit, non possessores e Regnis terræ, quorum claues non accepit; vti superius diximus, *c. 8. l. 1.*

Vide alensem in loco antem citato.

Rom. 13.

Nutus ergo iste ad Regum priuationem non pertingit, quia gladius materialis non contra Imperatorem, sed per Imperatorem eiusq; iussum,

iussum, manu militis euaginandus & stringendus est. *Quod* si omnes authores & sacros & profanos euoluerit *Bellarminus*, vix vnquam parem inueniet locum, in quo tria tribus attributa sunt, sicut hoc loco *Nutus* pontifici, *iussus* Imperatori, militi *executio* conceditur: in quo nutus, etsi primo loco ponatur, plus sit quam iussus & imperium; sicut hoc loco infert *Bell*: Consilium enim apud omnes sapientes praecedit mandatum; nemo tamen sanus vnquam dixit, consilium potentius & efficacius imperio: sicut quando *Nutus* contraponitur Imperio, *Nutus* nunquam maior est imperio siue iussu: id quod Cardinali probandum incumbebat, si ex hoc loco potestatem coactiuam pontificis super Imperatores inferre voluisset.

Interim obseruet Lector quomodo in nomine isto (Nutus) ludant pontificij. *Passim* (inquit *Socrates*) *in historiâ, Imperatorum mentionem propterea facimus, quod ex illo tempore quo* Constantini *esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum Nutu pendere visa sunt, atq; adeò maxima Concilia de eorundem sententiâ, & conuocata fuerunt, & adhuc conuocantur.* Postulauit (*Cyrillus*) vt *authoritate & Nutu* Theodosij *iunioris qui tunc Orientis administrauit imperium, primum Concilium Ephesi cogeretur*: Sic *Euagrius*. Multa sunt alia huius generis in Conciliorum conuocationibus, quæ *nutu* Imperatorum congregari dicuntur. *Quid* hic pontificij? *Nutus Imperatoris in rebus spiritualibus, in Concilijs congregandis, in legibus Ecclesiasticis sanciendis, obedientia est imperium non est. Ex zelo & pietate, non ex imperio & potestate; hoc enim sensu* (*apud* Socratem) *negotia Ecclesiæ ex illorum nutu pendere visa sunt. Hoc sensu, nutu Imperatorum congregata sunt Concilia: Hoc sensu*, Constantinus *communis Episcopus*: Et alibi ad eundem locum: *Imperatores illis Concilia prædicta conuocârunt per modum adhortationis & pij Zeli; non autem per modum authoritatis aut præceptiuè.* Hæc *Stapletonus*.

4 *Socr. in l. 5. in Proœm.*

5 *see Baron. Nom. L. 1. e. 3.* *pag. 547 548.*

Stapleton. Tu Princep. fid. cont. 2. q. 5. art. 1. not. 10.

Con. C. 3. art. 1. ad. 1. & 2.

Etsi vero apud *Euagrium*, *nutui* jungatur authoritas, & in Concilijs ipsis reperiantur hæc verba; *Ex præcepto* (Imperatoris vel Regis) *Imperio, Iussu, Sanctione, Decreto, Dispositione, Ordinatione, Statuto, Potestate, Mandato,* & similibus; ista tamen omnia in Imperatore, aut zelum tantum & exhortationem, aut obedientiam supplicationi pontificiæ debitam denotant; non imperium, non potestatem in rebus Ecclesiasticis: At in pontifice nutus, in hoc loco *Bernardi*, in quo contradiuiditur contra iussum Imperatoris, non est suasio, aut Consilium, aut consensus, sed potestas & imperium; idq; potentissimum & efficacissimum, quodq; solum ad rem efficiendam, sine mandato speciali satis sit. Eadem vox (Nutus) in Imperatore sonat consilium & exhortationem, imò obedientiam, in pontifice imperium potestatemq; supremam; Eadem vox, at non idem animus: Qui se dicunt seruos seruorum, Domini esse volunt Dominantium.

nantium, quorum *Nutus* Imperia & Regna turbabunt. Non ſic
L.7. Epi 30. *Gregorius Magnus* ſeruus ſeruorum: non audit verba iſta; *Sicut iuſſiſtis*, cum patientiâ. *Sicut iuſſiſtis: quod verbum iuſſimus, peto à meo auditu remouere, quià ſcio quis ſum, qui eſtis, &c. non ergo iuſſi, ſed quià vtilia viſa ſunt indicare curaui:* Indicare curaui; hoc idem eſt quod conſului, ſiue nutu ſignificaui. *Gregorio* iuſſio vox inſolens viſa eſt; & pontifice indigna; at nouitijs noſtris ſeruis ſeruorum, vox *Nutus*, hominem non ſonat, non humilitatem, ſed poteſtatem & imperium, imperio ipſo maius: voces iſtas ab eorum auribus remouete: Scimus, inquiunt, qui ſumus; ſcimus qui eſtis; nimirum Regum iuſticiarij, Imperatorum Iudices ordinarij, ad quorum *Nutum* omnes mundi principes contremiſcere debent:

——Cuius aſpectum timet,
Quicquid timetur.——

Sed pergamus

At nutus iſte imperium eſt; alias non diceret Bernardus, *vtrumq; gladium eſſe Pontificis, ſed vnum eſſe Pontificis, alterum verò Imperatoris: Vterq; inquit tuus eſt: manifeſtè ergò docet vtrumq; eſſe in poteſtate Pontificis, &c.* Vterq; gladius eſt pontificis, in eo ſenſu, quo loquitur
Mat. 16. *Bernardus*, vt ſcilicet pontifex totam Eccleſiam repræſentat; *Vt vnus pro omnibus, quà vnitas in omnibus reſpondet; tu es* IESVS CHRISTVS *Filius Dei*: quo in loco *Petrus* nomine collegij ſiue Apoſtolorum, ſiue totius Eccleſiæ, fidem eandem ſingulariter profitetur, quam omnes *Ioann. 6.* profitentur ore *Petri: Et nos credimus & cognoſcimus, quia tu es* IESVS CHRISTVS *Filius Dei*; Sic hoc loco *Bernardus:* vterq; tuus eſt: vt pontifex repræſentat Eccleſiam: non tuus, vt vnica perſona eſt, vnicum membrum in Eccleſiâ. Ideò ſequitur: *Vterq; ergò Eccleſiæ eſt:* acſi diceret, vterq; ergò tuus eſt, non iure priuato & tuo, ſed iure & titulo & nomine Eccleſiæ, in quo duo ſunt gladij.

Et quomodò vterq; eſt Eccleſiæ? non Eccleſiæ quatenus Eccleſia, ſic enim vnum habet gladium, ſolum ſcilicet ſpiritualem, ſed quatenùs Eccleſia & Regnum per mutuam conſenſionem, & animorum nexum, in vnum totum collectiuum, ſiue vnam Rempub. conueniunt: poſtquam enim Reges, Chriſtianæ Religionis hoſtes, colla & regna ſua Chriſto ſubdiderunt, & Nutricij facti ſunt Eccleſiæ, gladius ciuilis, qui contra fidem Chriſti ſtringebatur, adeoq; gladius erat Antichriſti, iam Chriſti & Eccleſiæ, & Pontificis gladius factus eſt, quià pro fide Chriſti & Eccleſiæ incolumitate euaginatur. Sic enim *Bernardus; Vterq; ergo Eccleſia, & ſpiritualis ſcilicet gladius & materialis: ſed is quidem pro Eccleſiâ exercendus eſt.* Si gladius materialis eſſet Pontificis, quâ Pontifex, poſſet Pontifex eundem exercere. Tolle

quod

quod tuum est, inquit Christus operantibus in vine: iuxta hanc regulam, si gladius materialis sit pontificis, potest eundem tollere, potest & eundem stringere: *Annon licet mihi, quod volo facere in meis?* quia ergo gladius materialis non est pontificis, nec potest ipse eundem tollere & exercere, nec licet ei facere quod vult, in gladio materiali, non est gladius iste alia ratione pontificis, nisi quatenus est Ecclesiæ, quæ duos istos Magistratus summos, pontificem & Imperatorem continet: ideo etiam Euangelista: *Ecce duo gladij hic*: non dicit, Ecce duo gladij in manu, vel nutu, siue iussu *Petri*; *Sed eccè, duo gladij hic*: id est, in Ecclesia, & collegio Christi, quatenus vtramq; potestatem, vtrumq; Magistratum spiritualem & ciuilem continet. Et hæc collectio multo probabilior est illâ *Bernardi* qua vtrumq; gladium esse *Petri*; vel *Eugenij*, vel pontificis infert: *Petro* enim dictum est, de gladio illo quem manu propria stringebat, *Conuerte gladium tuum in vaginam*: Et gladius *Petri*, quem manu propria, teste *Bernardo*, euaginare potest, spiritualis est, non materialis, non ciuilis: nec dicit Christus, conuerte gladium alienum & non tuum, in vaginam, *Sed conuerte gladium tuum in vaginam*, eum scil. quem manu propria euaginasti. Quid *Petro* cum gladio condiscipuli, & coapostoli? vterq; ergo gladius *hic* i. in Ecclesia, & vterq; gladius *Petri*, quia Ecclesiæ: *omnia enim vestra sunt*: Et sicut *Petrus* potest Imperatori innuere, sic & alij possunt Sacerdotes, Apostoli, & Episcopi vt gladium stringat: ideo *Bernardus ad nutum* (inquit) *Sacerdotis*, non dicit pontificis: nihil hic proprium pontificis, sed omnia Sacerdotum communia sunt. Et *Alexander Alensis*, verba *Bernardi* & *Gratiani* proponens, sic infert: *Propterea dicendum, secundum distinctionem Beati* Bernardi *ad* Eugenium: *quod est mouere arma, siue accipere materialem gladium, Manu, Iussu, Nutu, Manu à Milite, Iussu a Principe, Nutu ab Episcopi, seu Sacerdote*: Vbi duo obseruet Lector; primo, Nutum hunc Sacerdotum esse & Episcoporum, sicut & pontificis: secundum, Nutum opponi Iussui, & proinde Iussum non esse, vti *Bell.* interpretatur. Qui verò resolutionem collegit hæc habet. *Episcopis, Sacerdotibus, & reliquis huiusmodi Personis Ecclesiasticis non licet, aut manu aut Iussu, arma mouere, sed tantum nutu.*

Matth 20.14.

*I.Cor.*3.21.

Part. 3. *q.* 47. *Memb.*3. *Art.*2. *paragr.*2.

Ibidem.

Quod si verba ista; *Vterq; ergò tuus est*, quid probant, hoc certe euincunt, vtrumq; gladium esse Pontificis habitu, vti directæ potestatis Authores astruunt: id quod etiam verbis sequentibus videtur *Bellarm.* ipse asserere: quia inquit, vnus gladius ab ipso immediatè, alter mediatè, id est, per alium, sed nutu, siue iussu ipsius exercendus sit. Si enim vterq; gladius sit Pontificis, aut habitu & actu Pontificis est, aut habitu tantum Pontificis est, actu verò siue exercitio Imperatoris; tertium modum ignorant & Theologi & Canonistæ: Ecce pendet *Bellar-*

minus

minus medius inter cœlum & terram, inter directam & indirectam poteſtatem: Vrſa nondum catulum ſuum in formam redegit: ô miſeros Catholicos qui ſub pœnâ damnationis articulos iſtos rudes & informes credere tenentur.

6 Sed inſtat *Barclaius*: *Quid ſi nolit Imperator gladium ſtringere ad nutum Sacerdotis? Quid ſi contra nutum Sacerdotis ſtrinxerit? Numquid Bernardus aliquam hoc caſu poteſtatem temporalem Sacerdoti tribuit in Imperatorem?*

Supplet hoc loco *Bell:* defectum teſtis ſui: *Bernardus* enim nihil tale habet, nihil tale ſomniat. *Coget illum Pontifex gladio ſpirituali, i: censuris Eccleſiaſticis, vt gladium materialem aut ſtringat, aut in vaginam recondat; ſi cenſuris Eccleſiaſticis non mouebitur, ſubditos ab eius obedientiâ liberabit, eiq; Imperium abrogabit; ita oſtendit gladium eſſe ſub gladio, &c.*

Coget illum Pontifex gladio ſpirituali: Gladius ergò ſpiritualis coactiuus eſt: non ſolum volentes trahit, ſed etiam nolentes cogit: cenſuræ Eccleſiaſticæ coactiuæ ſunt, inuitos impellunt: Hæc eſt Theologia *Bellarminiana*, quam ignorauit antiquitas, quam praxis Eccleſiæ nondum reperit; Si enim gladius ſpiritualis coactiuus ſit, & nolentes cogat, quorſum inuocat Eccleſia gladium temporalem, quo ſeipſum à contemptu vindicet? Si gladius ſpiritualis coactiuus ſit, quid eſt, quod omnes verbo Dei non obtemperant? Si cenſuræ Eccleſiaſticæ, coactiuæ ſint, quid eſt, quod poſt cenſuras Eccleſiaſticas, inuocat Eccleſia Brachium ſeculare, quo excommuncati incarcerantur, hæretici comburuntur, contumaces mulctâ pecuniariâ caſtigantur, & bona temporalia fiſco traduntur. Si gladius ſpiritualis coactiuus ſit, quorſum gladium ciuilem, omnium confeſſione coactiuum appellat? Si coactiuus non ſit, quomodo cogere poteſt Principem ciuilem, vt gladium temporalem aut ſtringat, aut recondat?

Sed audiamus *Bellarminum*: *Si cenſuris*, inquit, *Eccleſiaſticis non mouebitur, &c*, An cenſuræ illæ coactiuæ ſunt quibus non mouetur Princeps ciuilis? Aliud eſt *mouere*, aliud eſt *cogere*. Si cẽſuræ Eccleſiaſticæ nõ *mouent*, multò minus *cogunt*: imò eo ipſo *coactiuæ* non ſunt, quia Princeps ciuilis ijs non *mouetur*. Quæ enim non *mouent*, nullâ ratione *cogunt*: ſemper enim valet ratio à minori ad maius negatiuè. Non *mouent*, ergò non *cogunt*. Idcirco nec gladius ſpiritualis, nec cenſuræ Eccleſiaſticæ cogere poſſunt Imperatorem, vt gladium materialem aut ſtringat aut recondat. Quomodo verò cogat Pontifex, dicat textus ille *Gratiani*. *Hortatu & precibus* Adriani *Romanæ vrbis Epiſcopi exhortatus* Carolus *Rex, bellum contrà* Longobardos *ſuſcepit: quod prius quidem & à Patre eius* Pipino, *Papa ſupplicante, cum magnâ difficultate*

23. q. 8. c. Hortatu.

cultate ſuſceptum eſt. Ecce, hortatus, preces & ſupplicationes antiquorum Pontificum coactiones erant, ſic cogere ſolebant Imperatores & Reges.

At liberat Pontifex ſubditos ab eius obedientiâ: i. tollit ius diuinum & naturale quo ſubditi Principibus ſuis obedientiam & fidelitatem præſtare tenentur. Facile hoc eſt Papæ, qui non ſolum omnia peccata, ſed etiã omnia iura, omnia decreta, omnia debita, omnes leges ſoluere & refigere poteſt ad libitum: quâ de re, ſupra diximus ſæpius. Quod ſi gladius ſpiritualis ſuadeat potiùs quam cogat, cenſuræ verò Eccleſiaſticæ ſanatiuæ ſunt, non deſtructiuæ; *ad ſalutem, non ad ruinam*, vt Apoſtolus; non erit gladius ſub gladio, ſed potius gladius cum gladio: imperatorem dirigere poteſt Sacerdos lumine ſupernaturali, at poteſtate naturali cogere non poteſt.

Interim hic animaduerſione dignum eſt, quomodo hæreat nutetq; *Bellarminus*: *Subditos, inquit, liberabit ab eius obedientiâ, & imperium ei abrogabit.* Hic primo loco ſoluuntur ſubditi ab obedientiâ, ſicut cap: præcedente: quæ lege diuina & naturali debetur principi: ſecundo, loco abrogatur ei Imperium: Cap. verò 26. Hoc eſt inquit quod dicimus & docemus, vt principi ab Eccleſiâ excommunicato & depoſito, qui proinde legitimus princeps eſſe deſijt, nulla deinceps obedientia debeatur, &c. Hic primo loco deponitur princeps: ſecundo, loco liberantur ſubditi ab eius obedientiâ & ſoluuntur ſubditi ab obedientiâ principis, quia princeps depoſitus eſt; in horum altero proculdubio invertitur ordo, non cauſa pro cauſâ ponitur: in alterutro falſus eſt Cardinalis: cæcum ducem caueant cæciores Catholici, effugere enim non poſſunt, qui ſimul in foueam incidunt. Hic vero a Thomâ totâq; ſcholâ diſſentit, quæ nullam diſpenſationem contra ius diuinum aut naturale, aut iuramentum, cuius obligatio eſt de iure diuino, admittit. *Thom. 2. 2. q. 89. art. 9. ad 4.*

Hîc quæſtioni *Barclaij* aliam ſuperaddo quæſtionem. Quid ſi nolit Imperator ad nutum pontificis ſtringere gladium? Coget Imperatorem cenſuris ſpiritualibus; quibus ſi non mouebitur, ſubditos ab eius obedientiâ liberabit; ſic *Bellarminus*: Quid vero ſi nolint ſubditi Imperatori excommunicato fidelitatem & obedientiam ſuam detrahere? Quam hîc aliam comminiſcetur rationem *Bellarminus*? Quid ſi ſubditi excommunicati Regi excommunicato fideles extiterint? Alios Reges, aliorum Regum ſubditos aduocabit; eoſq; niſi Imperatorem deſtituant, eodem excommunicationis vinculo innodabit. Quid ſi aduocati illi Reges Populiq; excommunicati nolint in hâc cauſâ Eccleſiæ ſuppetias ferre. Hic aut in infinitum progreſſus erit, quod nec fert natura, nec gratia; aut tandem in nihilum redigitur poteſtas iſta ſpirituali-tẽporalis; fruſtranea enim eſt illa poteſtas coactiua; planeq; nulla,

nulla, quæ in actum reduci non potest, imo quæ seipsam in actum reducere suis viribus, suisq; medijs non potest.

7 Vrget proximo loco *Barcl.* verba *Gratiani. Cum Petrus qui primus Apostolorum a Domino fuerat electus, materialem gladium exerceret, vt Magistrum a Iudeorum iniurià defensaret, audiuit, Conuerte gladium tuum in vaginam; omnis enim qui gladium acceperit, gladio peribit. Acsi apertè ei diceretur: Hactenus tibi tuisq; predecessoribus, inimicos Dei gladio temporali licuit persequi: deinceps in exemplum patientiæ gladium tuum: i: tibi hactenus commissum in vaginam conuerte: & tamen gladium spirituale, quod est verbum Dei, in mactatione veteris vitæ exerce. Omnis enim prater illum vel authoritatem eius qui legitima potestate vtitur, qui, vt ait Apostolus, non sine causa gladium portat, cui etiam omnis anima subdita esse debet, omnis inquam, qui prater authoritatem huiusmodi, gladium acceperit, gladio peribit*: Hæc Gratianus.

23.q.8. in princip.10.

male citat. Bell. Mend. T

" Respondet *Bellarm: solum docet gladium materialem non esse exercendum* " *manu Sacerdotali: quod nos libenter fatemur*: Et tamen *Iulium* 2. alios; pontifices multos laudat *Bellarminus c.* 11. qui in proprijs personis loricati incedebant, & bella gesserunt: in promptu ratio est; pontificatum & Sacerdotium exuerant, principatum induerant; adeoq; licite fecerunt, quod faciunt, alij principes; at illicitè fecerunt, quia id fecerunt quod Sacerdotibus facere licitum non est. Annon hoc est respicere, manumq; ab aratro Dei retrahere? De qua re supra satis, *c.* 11.

An Bernardus dixerit, gladium esse sub gladio statim videbimus. Gratianus verò non tantum docet, illicitum esse Sacerdotibus gladio materiali vti, hominésue interficere, sed etiam Pontificem nullam in temporalibus potestatem quoad depositionem Regum habere: Sic enim in principio præfatur. *De Episcopis verò vel quibuslibet Clericis, quod nec suâ authoritate, nec authoritate Romani Pontificis arma arripere valeant, facilè probatur.* Si pontifex Episcopo, vel Clerico authoritatem arma arripiendi dare non potest, nec eam authoritatem arma arripiendi habet Pontifex ipse: Quisquis enim armis vti potest, armorum vsum alijs sibi subiectis, etiam sui ordinis concedere potest. Et sicut vires suas Cardinalibus & Nuntijs suis, etiam in Regum depositione, sicut in *Ioanne* Rege Angliæ factum est, committit Pontifex, sic etiam fatente *Bellar.* Pontifex per Cardinales suos bella gessit, exercituſq; duxit; & proinde contrà sententiàm Gratiani, Episcopi & Clerici authoritate Pontificis Romani (qui suprà omnes Canones constitutus est, eosdemq; spiritu oris sui dissipare potest) arma arripere & bella gerere possunt.

cap. 11.

Sed vltima verba Gratiani perpendamus. *Omnis prater illum, vel eius authoritatem, qui legitimâ potestate vtitur, qui, vt Apostolus, non sinè causâ gladium portat.* Et gladium materialem solus Magistratus ciuilis portat.

portat.) Et Apostolus subiungens, *nam Principes non sunt timori boni operis sed mali.* Et infrà: *Si malè egeris time, non enim sine causâ gladium portat:* videtur omninò per sublimiores potestates intelligi voluisse Principes politicos: sic Bellar. ipse, c. 30. Omnis ergò qui præter authoritatem huiusmodi i. præter authoritatem Magistratus ciuilis siue politici, gladium acceperit, gladio petibit: Iuxta Gratianum ergò milites & Populus, qui præter authoritatem Regis siuè Imperatoris gladium arripiunt, gladio peribunt: multò magis gladio peribunt, qui non solum præter, sed contrà authoritatem Regis siue Imperatoris gladium arripiunt, aut gladium è manibus Imperatoris, aut Regis per vim extorquent. Omnis inquam, siuè Clericus, siue Laicus. Nam nota illa omnis, vniuersalis est; & omnis, etiam ille quicunq; demum sit, etsi non tantum nutu, sed etiam authoritate Romani Pontificis gladium arripuerit. Non potest ergò Pontifex iuxtà Gratianum, subditos contrà Regem suum, præcipuè Clericos & Episcopos, armare, quia in Regnis alienis gladium non portat, ideoq; non potest Regem deponere: id quod probat verbis Apostoli: *Non vosmetipsos defendentes, Fratres charissimi: Quamuis omnibus generaliter dicatur, specialiter tamen Prælatis dictum intelligitur.* Omnis ergò hoc loco & ad Laicos & ad Prælatos pertingit: nulli licitum est præter authoritatem Regis; multò minus contrà authoritatem Regis, nec authoritate quidem Pontificis Romani arma arripere, aut gladium accipere, ni velit gladio perire.

Quod si *Gratiano* non desit effugium, quo *Leonem* contra Saracenos militantem excusat, *Quia quidam sunt Episcopi Leuitica tantum portione contenti, qui in Dei sorte tantum numerati, Deum solummodo in hereditatem accipiunt; & talibus nulla est occasio secularis militiæ. Alij sunt, qui castella, villas & ciuitates habent, ex quibus Cæsari tributa debent, his militare licet.* Non tamen video quomodo satisfacere possit Sancto *Petro*, aut *Leo* aut *Iulius*, aut alius quisquam Pontifex siue princeps spiritualis: *Ecce nos reliquimus* (& possessiones & cupiditates) *& secuti sumus te*, *Matth.* 19. 17. Annon in hac omnium abrenuntiatione pontifex Romanus Successor est *Petri*, Vicarius vero CHRISTI, sicut in primatu *Petro* succedit? Sed mittamus *Gratianum* pontificis aduocatum; ad *Ambrosium* accedamus, qui proximo loco à *Barclaio* producitur. 8

Ibid. c. si in morte.

Eius hæc sunt verba. *In Luc. l.* 10. *O Domine, cur emere iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur hàberi præcipis quem vetas promi? nisi fortè vt sit parata defensio, non vltio necessaria; vt videar potuisse vindicari sed noluisse. Lex tamen referire non vetat; & ideo fortasse* Petro *duos gladios afferenti, sat est, dicit; quasi licuerit vsque ad Euange-*

lium; vt sit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio.

Multa hic respondet *Bell:* quibus seipsum magis implicat.

1. *Non licet* (inquit) *Sacerdotibus post Euangelium propriâ manu gladium materialem stringere; nisi fortè in defensionem propriam, aut ob aliam causam, dispensante Pontifice, vsus enim ordinarius gladij, militum est, non Sacerdotum.* Non licet; esto: Quo iure non licet? Iure diuino, siue lege Christi; & ex verbis Christi colligitur: etiam, authore *Bellarmino*; Pontifex potest dispensare contra ius diuinum & legem Christi: quod & *Bellarminus* ipse *De Laicis c.* 14. *Sect. Deinde obijcit*, & sani omnes negant.

Nec hoc consilium tantum est, vt respondet *Bellarminus*, sed præceptum: Quæ enim consilia sunt, eâ naturâ libera sunt & licita, & a quocunq; Christiano, sine dispensatione Pontificis, ad libitum vel omitti vel assumi possunt, saltem ante votum: & verba *Bellarmini*, hoc loco contrarium euincunt. Non licet Sacerdotibus post Euangelium propria manu gladium materialem stringere, &c. Non licet, ergo consilium non est, quia quæ non licent sub præcepto prohibentur. Si ergo non licet Sacerdotibus gladium materialem post Euangelium stringere, quia præceptum est Christi, quomodo contra præceptum Christi dispensat pontifex: Si consilium tantum sit & non præceptum, consilia vero neminem nisi voventem obligent: quid opus est dispensatione papali, cum Sacerdotes Euangelici ista non voueant: opus hic est conciliatore aliquo, qui *Bellarmini* contradictionem remoueat.

2. *Ambrosius* (inquit *Bell:*) *de solis Sacerdotibus non loquitur, sed de omnibus Christianis: ideò* Erasmus *hoc loco abusus est ad probandum prohibitum esse bellum Christianis.* Non quæro quid de bellis Christianorum senserit *Erasmus*, nec ad institutum nostrum spectat: hoc certe negari non potest, Christianos leuissimis & friuolis de causis inter se belli gerare, aut vindictæ aut Dominationis suæ ampliandæ causa, id quod homines Christianos parum decet. Illud potius accipio, quod ad rem nostram facit plurimum. Non licet post Euangelium aut Sacerdotibus aut populo Christiano gladium materialem stringere: non ergo licet populo aut militibus arma sumere contra Imperatorem, vel Regem suum, ne ad nutum quidem pontificis, quia pontifex contra præceptum Christi dispensare non potest. *Non licet*, peccant ergo omnes illi, qui gladium acceperint præter aut contra authoritatem eius, qui legitima potestate vtitur, quiq;, iuxta Apostolum, *Non sinè causa gladium portat, i.* Imperatoris & Regis (solus enim Imperator et Rex gladium materialem portat iuxta Apostolum, et etiam iuxta *Bellarminum* vt supra ostensum est.) qui enim, quod non licet faciunt, peccant.

peccant. Quod si nulli Christiano gladium materialem stringere licet, multo minus *Petro*, cui hoc dictum est, alijsq; Sacerdotibus licebit; quibus solis verba hæc a *Ruperto in Matth. cap: 9. lib. 11.* et *Stella* applicantur. Quem etiam esse sensum *Ambrosij* particula (me) quæ supplenda est ex veteri editione 1516. satis indicat. Legitur enim Lex referire me non vetat.

3. Inquit, *Iuxta* Ambrosium, *licita fuit in lege non solum defensio, sed etiam vindicta; in Euangelio defensio licita est, vindicta licita non est: ideò legendum est apud* Ambrosium: *Lex tamen referire non vetat, non Lex vetat ferire: vt sit parata defensio non vltio necessaria.*

An legendum sit ferire vel referire non magnopere contendendum est: *Bozius* tamen (cuius *Barclaius* dum suscipit confutationem, sequitur errorem) ità legit de temporali Monarchia. *p.* 453. quamquam potest legi, Lex tamen ferire non vetat, idq; accommodate ad institutum: *Petrus* enim (in cuius personâ hæc verba profert *Ambrosius*) non referit, sed ferit. Nemo prior *Petrum* percusserat, vt *Petrus* referiret: venerunt cum gladijs & fustibus qui Christum apprehendebant; sed *Petrum* non feriebant, vt referire opus esset. Cum ergo primus *Petrus* feriret, non autem referire inuentus sit, appositè dicere potuit in *Personâ Petri Ambrosius*: Lex tamen ferire non vetat: vt *Barclaius* ex authoritate antiquorum codicum legere videtur: sed de hac lectione litem non moveo; accipio quod dat *Bellarminus*: In lege, & defensio & vindicta licita erat, in Euangelio defensio licita est, vindicta illicita est: Falsa ergo est propositio illa demonstratiua *Bellarmini cap.* 18.

Licet vni Reipublicæ ratione iniuriæ Principem alterius Reipublicæ deponere. Depositio enim ista non est defensio sed vindicta: Et vindicta in Euangelio omnibus Christianis, & proinde Regibus, Authore *Bellarmino* illicita est: falsa est altera propositio *Bellarmini*: *Licet Pontifici sub pœnâ excommunicationis mandare subditis Principis excommunicati, vt ipsum pro Principe non agnoscant*: Vindicta enim est hæc, & non defensio, & omnibus Christianis, adeoque & pontifici & populo Christiano illicita, ni Christiani & esse & haberi nolint.

4. *Licita fuit vindicta antiquis, non authoritate propriâ, sed authoritate Magistratus politici: idq; non vindictæ cupiditate, sed amore iustitiæ, atq; hoc idem Christianis licet, &c.*

Hæc verba *Bellarmini*, & *Ambrosium* & *Bellarminum* confodiunt. *Ambrosius* asserit aliquid permissum in lege, quod à Christo in Euangelio prohibitum est. *Lex inquit referire non vetat, & ideò fortasse* Petro *duos gladios offerenti, sat est dicit; quasi licuerit vsq; ad Euangelium.* Quid hoc est? Licuit in lege referire, i. vt interpretatur *Bellarminus* licita

fuit non solum defensio sed etiam vindicta antiquis, non propriâ authoritate, sed authoritate publici Magistratus. Sed licuit vsq; ad Euangelium (i. iam non licèt) in lege referire, i. vindictam non propriâ authoritate sed Magistratus publici authoritate expetere. *Hoc idem* (inquit *Bell:*) *Christianis licet*: id est, & defensio & vindicta licita est Christianis authoritate Magistratus publici. *Quid* ergo hoc est, quod in lege permissum in Euangelio vetitum est, iuxta *Ambrosium?* plane nihil: sic *Bellarminus* sententiam *Ambrosij* prorsus euertit.

In *Bell:* ipso, opus est Delio natatore; Quid enim hæc sibi volunt? *Qui* (Ambrosius) *non defensionem in Euangelio prohiberi dicit, sed vindictam; & referire, non ferire vetitum.* Expediat hic *Bell:* an in lege vetitum sit referire, permissum verò sit ferire: sic enim sonant verba sed missa ista faciamus.

Verum responsio ista totam *Bellarmini* defensionem euertit: In lege & Euangelio, antiquis & Christianis (paria enim sunt iuxta *Bellarminum*, licet iuxta *Ambrosium* imparia) licita est & defensio & vindicta, authoritate propriâ, sed authoritate Magistratus politici: *Cuius?* Eius scilicet qui gladij materialis potestatem habet, qui gladium materialem stringere potest, i: Imperatoris siue Regis, siue Principis supremi politici.

Hic enim est qui gladium materialem portat, *iuxta* Apostolum: *Rom.* 13. Non licet ergò Ecclesiæ i. Pontifici, authoritate propria, quia gladium materialem non portat, seipsum defendere aut vindicare; sed recurrendum est ad Magistratum publicum, qui Imperatore siue Rege in temporalibus superior sit, i. ad Deum solum; superiorem enim in temporalibus non agnoscit in terris, ne Pontificem summum, vt superius, *lib.* 1. *cap.* 8. manifestum est. Non licet Pontifici contra Imperatorem aut Regem, ad milites & subditos prouocare: milites enim & subditi non portant gladium, qui Imperatori siue Regi commissus est. Horum authoritas non publica sed priuata est: peccat ergo Pontifex cum subditos ab obedientia liberat, & contra Regem priuatos concitat: hoc enim est priuata authoritate non publica vindictam exercere.

Præterea, cum Deus vindictam sibijpsi reseruauit, *Mihi vindictam, ego rependam*: an cuiquã licitum est hominem mortemultare, vindictãq; ciuilem exercere vice Dei, nisi soli supremo Magistratui politico? An Pontifex authoritate sua hæreticũ morte mulctare solet extra Patrimonium *Petri?* Annon brachiũ seculare inuocat? Imo vero in patrimonio *Petri*, an Pontifex ipse quenquã morti adiudicat per se? an potius per Præpositũ & Magistratu suum ciuilẽ? Annon contendit tota schola, Sacerdotes, qua Sacerdotes, sanguinis iudices non esse? Imperator

ergo

ergò ſiue Rex in vindictâ corporali ſiue ciuili exercenda Dei vicarius eſt; ſicut pontifex in ſpirituali vindicta vel potius pœna ſanatiua vicarius eſt Chriſti. *Mihi vindictam*, temporalem, ciuilem, corporalem; mihi & vicarijs meis Imperatoribus, Regibus, *ego rependam*: Quiſquis ergo præter aut contra authoritatem eius qui Dei vicarius eſt, in vindicta corporali ſiue temporali, gladium authoritate propria aut priuata acceperit, gladio peribit. In hac vindicta corporali exercenda pontifex, qua pontifex, perſona eſt priuata, authoritatem tantum priuatam habet; ſubditi omnes, etiam ſimul ſumpti priuatæ perſonæ ſunt, priuatam tantum authoritatem habent: at depoſitio Regis vindicta eſt corporalis ſiue temporalis; nec pontifex ergo nec ſubditi poſſunt Regem deponere: quia gladium, i. poteſtatem temporalem non portant, nec vindictam corporalem aut temporalem exercere poſſunt: *Regum eſt corporalem vindictam irrogare*; *Sacerdotum eſt ſpiritualem inferre vindictam*: *Ille portat gladium ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, iſti habent claues ad excluſionem excommunicandorum & reconciliationem pœnitentium*, vti *Leo* 4.2.q.7. *nos ſi incompetenter*, vide de hac re *Alenſem* p.3.q.40. *Memb.* 5. ſupra citatum *lib.* 1. *c.* 8.

Hortatur ſuos (inquit *Bell:*) *ad vitæ perfectionem; vt ſit in lege æquitatis eruditio, in Euangelio bonitatis perfectio:* Sic *Ambroſius. Perfectio autem in eo conſiſtit, vt radices contentionum extirpent, & ſupportantes ſe inuicem in charitate, non deut occaſiones grauioribus malis, &c.*

Hic quæro a *Bellarmino*. Quouſq; ſe extendat charitas an ſepties tantum remittat, an vero ſeptuagies ſepties? ſeptuagies proculdubio ſepties, numero finito pro infinito poſito: & charitas ſub præcepto cadit, non ſub conſilio: In Euangelio ergo charitas & ſupportatio ſiue patientia ſemper præcipitur: Chriſtiani ergo qui vitæ perfectionem profitentur, patientiam & charitatem, non vindictam exercere aut quærere debent: Et pontifex exemplar huius perfectionis erit; ergo nec quærere vindictam, mediantibus ſubditis i. priuatis: nec vindictam temporalem exercere ipſe priuatus; authoritate propria debet: authoritas eius vindictæ corporalis penes Reges Dei vicarios eſt, & depoſitio vindicta corporalis eſt.

Vrget deinde *Barcl. Verba Chriſti de duobus gladijs in ſenſu literali, non ſignificare duas poteſtates, Eccleſiaſticam & ciuilem; ſicut* Bernardus & Bonifacius 8. *inſerunt*; Ambroſius *per duos gladios, gladium verbi, & gladium paſſionis, nec non duo Teſtamenta intelligit: ad literam, nulla fit mentio, in eo loco Euangelij, de gladio ſpirituali vel temporali Pontificis, ſic* Bell: *ipſe. De Summo Pont. l.* 5. *c.* 3.

Agnoſcit iſta omnia *Bell*: nec ex myſtica interpretatione arguit: *Idcò* (inquit) *nos non facimus argumentum ex verbis Euangelij, ſed ex verbis Sancti Bernardi & Bonifacij* 8. Acſi diceret, non vrgeo „

Scripturæ aut Christi authoritatem, sed *Bernardi* & *Bonifacij* authoritatem vrgeo; qui mysticè exponentes verba Christi, per duos gladios duas potestates intelligi docuerunt. Acsi diceret, valet expositio *Bernardi* & *Bonifacij*, quando scriptura ipsa non valet: sufficit authoritas *Bernardi* & *Bonifacij*, scripturam præter sensum scripturæ interpretantium; ad probandum per duos gladios duas intelligi potestates; & tamen, fatente *Bellarm.* nulla *sit mentio quoad literam de gladio spirituali vel temporali Pontificis.* Maior pars testium *Bellarminianorum* ex his locis: *Ecce duo gladij hic*, & *Converte gladium tuum in vaginam*, duas probant potestates; omnes scil. qui antiquiores, quiq; potestati directæ favent; Non placet hoc argumentum *Bell:* ideò argumentum ipsum ex verbis Christi reijcit, tanquam infirmum, parumq; Theologicum, quià à sensu allegorico deductum; at placet argumentum ab authoritate *Bernardi* & *Bonifacij* petitum, qui tamen *Bernardus* in verbis Christi & literâ sententiam suam fundare videtur: ideò *Bernardus*: *Quem tamen qui tuum negat, non satis attendere videtur verbum Domini dicentis, converte gladiũ tuum in vaginam*: *Bernardus* dicit, crede non mihi sed verbis Domini: non credo (inquit *Bell:*) verbis Domini, non facio argumentum ex verbis Euangelij, sed credo *Bernardo* & *Bonifacio*: *Litera nil tale habet, Bernardus tamen & Bonifacius mysticè, sed appositè & eleganter, quæ de duobus gladijs dicta sunt ad duas potestates transferunt: Mysticè* certè & *eleganter*; an verò *appositè*, id parum constat; appositè, enim potius ad literam quam mysterium refertur. Verumenimvero singularis est ista, & noua *Bernardi* interpretatio, & ab interpretatione antiquorum Patrum, & à sensu literali aliena: ideò quià sinè fundamento authoritatis diuinæ, & scripturá ipsâ, & Catholicâ traditione, sinè sensu Scripturæ Catholico (quibus solis fidem Catholicam inniti author est *Vincentius*) profertur, in causa fidei & *Bernardi* & *Bonifacij* verba, argumentum parum firmum faciunt. *Bernardi* tamen authoritas vt supra patet, nobis parum incommodat.

At, inquit *Barclaius, admissâ hâc mystica expositione, non potest colligi, gladium esse sub gladio, nec vtrumq; in manu Pontificis esse.*

Respondet *Bell*: *Gladium sub gladio esse dicit apertè Bonifacius.* Loquitur *Bonifacius* cum imperio: *Oportet autem gladium esse sub gladio, & tẽporalem authoritatem subijci spirituali potestati.* Oportet, necessitatis est: parum docte, at arroganter nimis. Quæ verò hæc necessitas? *Quia potestates quæ à Deo sunt ordinatæ sunt:* at non dicit Apostolus, *subordinatæ sunt*: & si gladius sit sub gladio, non solum ordinatæ sunt potestates sed subordinatæ. Ordinatæ vero sunt omnes potestates a Deo, & Deo etiam subordinatæ, at soli Deo, non autem Pontifici subordinatæ sunt: Ideo etiam Apostoli, Monachi, Episcopi & Sacerdotes potestatibus sublimioribus subditi sunt, testibus, *Chrysostomo, Theodoreto, Theophylacto*,

lacto, Oecumenio, In 13. ad Rom. Et ſi ſubordinatæ non ſunt poteſtates iſtæ duæ ſibi inuicem, ordinatæ tamen ſunt, & ſubordinatæ ſunt ambæ Deo, in quo ad monadem reducuntur. Sicut Cancellarius & Conęſtabilis Regi ſupremo ſubordinantur, inter ſe tamen ordinati ſunt, non ſubordinati. Verum *Bonifacium* in cauſâ ſuâ iudicem incompetentẽ parum moramur. *Bernardus* vero nec expreſſe, nec alijs verbis affirmat gladiũ eſſe ſub gladio. Vterq; enim gladius pontificis eſſe poteſt: i: Eccleſię: neuter tamẽ gladius ſub gladio. Pontifex caput eſt in ſpiritualib⁹; Rex caput eſt in tẽporalibus, vt *Hugo*, Põtifex Vicarius eſt Chriſti in ſpiritualibus; Rex Vicarius Dei & Chriſti in temporalibus: vtrunq; caput, vterq; Vicarius eſt in Eccleſiâ; nec tamẽ caput ſub capite, nec Vicarius ſub Vicario, ſed vterq; a Deo, & ſub Deo; neuter verò ſub alio, vt nec gladius ſub gladio. Quod ſi rationẽ *Bell:* in formam colligat, hæc erit, *Vterq; gladius ſpiritualis & materialis eſt Pontificis: Ergo gladius materialis eſt ſub gladio ſpirituali:* Deeſt maior propoſitio quæ ſic ſupplenda eſt: Cum duo gladij ſunt eiuſdem, vnus gladius eſt ſub altero. Vanitas huius rationis in maiori apparet; quia multa ſimul eſſe poſſunt in eodem, quæ non ſubordinantur: In eodem homine eſt intellectus & voluntas, nec tamen intellectus voluntati, nec voluntas intellectui ſubordinatur, ſed intellectus, & ratio, & lex dirigunt voluntatẽ non cogũt: voluntas vt agens liberum audit rationem, & tamen libere eligit: Sic Sacerdos, vt intellectus, lumine & ratione ſupernaturali dirigit Regem, quem tamen non cogit: Rex vt agens liberrimum audit Sacerdotem, libere tamen iubet, quod ipſi iuſtum & æquum videtur: ſic in eâdem Eccleſiâ duo ſunt gladij: ſpiritualis gladius nutu ſuo, ſiue conſilio, ſiue lumine ſupernaturali dirigit gladium temporalem; poteſtas tamen temporalis ab omni coactione libera, poteſtate ſuâ iũbet quæ pro cauſâ Dei & Eccleſiâ commoda viſa ſunt, & poteſt contra nutum gladij ſpiritualis non iubere, non ſtringere gladium ſuum: Eſt ergo gladius materialis in Eccleſiâ cum gladio ſpirituali, non tamen ſub gladio ſpirituali, niſi quoad conſilium ſiue directionem; dirigere autem poteſt par, etiam & inferior, cogere certe non poteſt.

Vltimo loco obſeruat *Barcl.* dixiſſe *Bernardum: tuo forſitan nutu, cum de officio Pontificali ſiuè Sacerdotali agit; cum verò non de officio ſed de perſonâ, quæ aut ambitione aut inimicitia aquandoq; innuit, omiſit illud (forſitan.)*

Non placet Bell: *hæc ſubtilitas*; nec refert an placeat: certum tamen eſt multa facere Pontifices, vel inimicitiarum exercendarum, vel effundendi odij, vel ambitionis & cupiditatis explendæ cauſa, quę Põtifices parum decent, ſed miſſa iſta faciamus quia perſonalia ſunt: illud probabile eſt, dubitaſſe *Bern.* an gladius materialis ad nutum Pontificis euaginandus ſit: vt ante *Barcl:* obſeruauit *Ioan. Maior. In loco ſupra citato:* & antea *Anonymus* qui incipit; Rex pacificus: *Et vox illa (ſane) quę*

postremo loco additur, illud designare potest, tum rectè, & piè, & iustè gladiũ materialem à potestate seculari stringi, cum tria ista conueniunt, Nutus, siue prædicatio, siue consilium, siue consensus Sacerdotis: & Iussus Imperatoris, & Manus Militis: ideò ergò substituit (sano) & omissus (forsitan) quia quando ista tria concurrunt, iustum erit bellũ, quod prò Ecclesiæ defensione suscipitur. Verum de verbis *Bern.* satis: Illud *Colophonis* instar addendum censui, quod de duobus gladijs & gladiatoria demonstratione præcedente habet *Hugo: ex Miscella. l. 1. tit. 49. Vos non quasi Iudices criminum ad percutiendum positi estis, sed quasi judices morborum ad sanandum.* Et infra *Hi sunt duo gladij, quos in Christi passione ad defensionem* Petrus *paranerat; vnus scil. corporalis qui secundum legem veterem, pœnam peccantibus irrogat; alter verò qui secundum nouam legem spiritualiter culpas feriens, homines sanat; hic est gladius vester, quo vos ferire debetis vitia hominum, ipsos homines amantes.* Vel vt alibi, *Ex Miscellan 2. l. 4. tit. 16. Primus est increpatio, secundus exhortatio; vnus quo ab Ecclesia putrida mẽbra resecãtur; alter quo sana à vulneribus defensantur. Hos* Petrus *vobis reliquit, vt vitia hominum feriatis, sed cum feruore* Petri.

CAP. XX.

Refellitur 3. Ratio *Bellarmini*, licet Christianis Regem hæreticum vel Infidelem tolerare.

1. *Expenduntur verba huius propositionis. 2. Non pertinet ad Pontificẽ solum iudicare de hæretico. 3. Aliud est deponendum Iudicare, aliud deponere. 4. Ecclesia tolerauit tyrannos & hæreticos propter conscientiam ex testimonijs patrum. 5. Idem patet exemplis Regum Iudæ, & Israelis, Assyriorum & persecutorum. 6. Idem patet ex institutione Regum; Bonus Rex nutritor tuus malus probator tuus. 7. Incommoda quæ hanc Inobedientiam sequuntur. 8. De confirmatione Bell: ex Deut. 17. Constitues Regem de fratribus, id est eiusdem religionis: An hæc lex moralis? 9. Regem Infidelẽ constituere non licet, at tolerare licet. 10. Tribus exemplis probat Bar: tolerandum Regem Infidelem, in quibus periculum par, sed non peccatum. 11. De matrimonio carnali inter virum & vxorem, & spirituali inter Regem & subditos: Neutrum propter hæresim dissolubile.*

TERTIA Ratio *Bellarmini* hæc est.

Non licet Christianis tolerare Regem infidelẽ, aut hæreticũ, si ille conetur pertrahere subditos ad suã hæresim vel infidelitatẽ. At iudicare, an Rex pertrahat, nec ne, pertinet ad Pontificem,

ficem, cui est commissa cura Religionis.

Ergo Pontificis est iudicare Regem esse deponendum, vel non deponendum.

Secunda ratio *Bellarmini* gladiatoria est, in Iure gladij, non in iure diuino, aut naturali descripta.

Tertia hæc ratio tota seditiosa, & proditoria est, populoque & multitudini hoc est Belluæ multorum capitum fræna laxat, & proditioni, & Rebellioni, & bellis intestinis & ciuilibus viam sternit. Melius proculdubio Marcellus qui dicebat se *bonos Imperatores voto expetere quales cunque tolerare: Non licet Christianis tolerare Regem Infidelem aut Hereticum.* Quibus Christianis? Imperatoribus & Regibus, & principibus Chtistianis? Quid vni regi cum politeiâ vel religione alterius? An vero pontificibus & sacerdotibus, & clericis? qui pontifices & sacerdotes & clerici, tolerantiam & patientiam prædicare debent, non ad impatientiam & arma conclamare: An vero subditis & populo Christiano?

Si non licet populo & subditis Christianis: demonstratio hæc seditiosa & turbulenta est, quæ subditos in reges, populosque in principes suos animat armatque. Secunda demonstratio rempublicam in rempublicam, reges in reges, principes in principes concitat: Tertia hæc demonstratio, subditos contra regem, populum contra principem bella ciere, gladium euaginare, capitiq; diadema tollere docet.

Quis tulerit Gracchos de seditione loquentes?

Sed propositionem ipsam perpendamus: In ea quot fere sunt termini, tot sunt ambiguitates. *Non licet*: Quo iure non licet: In iure diuino & naturali nihil tale expressum & explicatum habetur, implicitè & per metaphoras tantum nempe ligandi & pascendi, quia articulus est fidei, & ad omnes pertingit describi & sanciri lex ista non debuit quia violatio legis diuinæ & naturalis peccatum est. Ius humanum, siue Imperatorum & Regum non est; quorum interest plurimum et sine quorum consensu fieri non debuit: non licet ante sententiam: an post sententiam? an sententia declaratoria semper necessaria? vox ergo hæc, *Non licet*, dubia est, incerta et ambigua et proinde ad demonstrandum fidei articulum prorsus inepta.

2. *Non licet Christianis*: hoc est subditis, vel non subditis? subditis illius regis an externis? (De regibus enim et principibus in secunda demonstratione actum est, qui tamen nullum tale debitum agnoscant:) si subditi alieni sunt, quomodo cognoscere possunt, vtrum rex alterius regni vel ditionis, subditos suos ad suam hæresim vel infidelitatem pertrahat? an ex auditu tantum iudicandum est? an regem extraneum in Ius siue Iudicium vocare; an testes, sibi non subiectos iuramento onerare possunt? quis vero subditos vnius regni, Iudices alterius regis constituit? si subditi proprij sunt, quis ipsis potestatem dedit, Dominos suos dyscolos et malos exauthorandi? An non-

demonstratio,

Tacitus Hist. l. 4.

grauum pecus.

Bellarm. monstrauit id ex iure Diuino Deutero: 17.°

demonstratio hæc Iesuitica, hinc odijs & inimicitijs pontificalibus & Sacerdotalibus, illinc furori & nouarum rerum studio populari Reges etiam optimos exponit? Si Christiani subditi sint eiusdem Regis natiui & proprij: An de omnibus simul sumptis, simul congregatis: id est, communitate totius regni, an de maiori parte, an de singulis seperatim sumptis, intelligenda est hæc propositio? *Non licet Christianis subditis tolerare Regem hæreticum:* Si de omnibus simul sumptis, tota scilicet communitate intelligatur, nunquam inuito rege potest congregari tota multitudo subditorum? pars aliqua subditorum, particeps erit criminis & factionis regiæ, quæ hunc conuentum aut saltem consensum impediet. Si de maiore parte intelligatur, vulgus, infimi de plebe, qui nec de orthodoxa fide, nec de infidelitate iudicare possunt, ad arma conclamabunt, nec officiarios regni, nec nobiles, nec sapientes, nec fortes & magnanimos aduocabunt: maior pars vincet meliorem, mali facilius in malo conspirant, boni tardius ad rem bene gerendam conueniunt, forte suffragium vnius Oliteris aut Baiuli, qui nec Aristidem nouit, regem regno deturbabit: si de singulis seorsim intelligatur ecce Ius datum sceleri, surgunt sicarij, Assassinati, *Chastellus, Barrierius, Clement, Ravilliac*, Regem hæreticum non tolerant. Alienæ vitæ dominus est, qui contemptor est suæ: precariò regnant principes, si non liceat subdito priuato Christiano regem hæreticum vel infidelem tolerare: *Propositio ista bellis* aut externis, aut ciuilibus, aut parricidio, & Regicidio, tumultibus & seditionibus viam sternit: digna proculdubio Cardinale & Iesuitis, qui oderunt pacem.

Non licet Christianis tolerare Regem: Quid hoc est, non licet tolerare. 1. Non tolerat qui non consentit, qui in malo non obtemperat, qui dehortatur, qui arguit, qui increpat, cum omni patientia: non tolerauit *Christus Herodem*, quem tanquam vulpem redarguit: non tolerauit *Ioannes Baptista Herodem*, qui fratris vxorem habuit. 2. Non tolerat qui vi & armis Spiritualibus resistit, non tolerauit *Ambrosius Theodosium*, homicidij pessimi reum, quem ab ingressu Ecclesiæ & sacrorum communione prohibuit: non tolerauit *Paulus* fornicarium quem Satanæ tradidit in interitum carnis. 3. Non tolerat qui vi & armis resistit temporalibus: non tolerauit *Constantinus* Tyrannos *Maxentium*, & *Licinium* quos aperto Marte deuicit. Non licet ergo Christianis subditis tolerare regem hæreticum vel infidelem, id est reprehendere & redarguere verbis debent regem hæreticum: an hoc ad laicos & vulgus pertinet? an resistere debent vi & armis spiritualibus, vel gladio materiali? sicque gladium materialem arripere debent subditi, qui subditis commissus non est, sed magistratui à Deo traditus: *Minister Dei est qui portat gladium: quem quisquis acceperit,*

acceperit, præter illum eiusq; authoritatem qui legitimâ potestate vtitur, quique gladium portat, cuique omnis anima subdita est, gladio peribit, vti *Gratianus*, 23. *q.* 8. *in Principio.* Si ergo non tolerare idem sonet in hac propositione, quod armis temporalibus resistere, hic est sensus huius propositionis: *Non licet Christianis subditis Regem hæreticum & infidelem, &c. tolerare*: i. licet subditis Christianis Regi hæretico & infideli, &c. armis temporalibus resistere.

4. Non licet subditis Christianis regem hæreticũ vel Infidelem tolerare qui subditos suos ad hæresim suam vel infidelitatem pertrahere conatur. Quid est hoc pertrahere? pertrahit exemplo, vel prece, vel pretio: *Regis enim ad exemplum totus componitur orbis*: pertrahit etiam rex vi externâ siue pœnis: vter in hac propositione intelligendus est, an vterq; ; & qui vi, & pœnis ciuilibus, & etiam qui exemplo monitisq; & exhortationibus ad hæresim suam pertrahit? Concilium vero Lateranense longe aliter: si purgare neglexerit.

5. Quin etiam alia est hæresis materialiter, alia formaliter: Infidelitas vel ad doctrinam, vel ad vitam spectat. Filius hominis cum venerit, an fidem in terra inueniet? *Luc.* 18. 8. Fidem doctrinæ, vel fidei professionem inueniet, aliâs non erit Ecclesia visibilis: sed fidelitatem in moribus hominum non inueniet. Deinde ratio ista solum de hæresi & infidelitate procedit, pontifices autem ob alias causas propter tyrannidem, propter *malos mores*, propter inutilitatem reges deponere aggressi sunt, non propter hæresim.

Et rex hæreticus esse potest ante sententiam latam, sicut & hæreticus post latam sententiam: nec distinguit propositio iste hæreticum ante latam sententiam, ab hæretico condemnato: sed vniuersaliter de omni hæretico pronunciat, quod non licet subditis Christianis regem hæreticum tolerare: propositio ergo plena rimarum est, tota fallax & subdola in qua tot sunt penè effugia, quot sunt verba: de veritate propositionis post videbimus. *Qui versatur in vniuersalibus vadit dolose.*

Secunda propositio est: *Ad Pontificem pertinet iudicare, an Rex pertrahat ad hæresim nec ne, Illi enim commissa est cura religionis*, Imò vero ad Episcopos illius regni, non ad pontificem: *Per Metropolitanum & ceteros comprouinciales Episcopos excommunicationis vinculo innodetur*, Concil. Lateran. c. 3. Et si Metropolitanus & comprouinciales Episcopi excommunicare debent regem, cognoscere & iudicare debent. Vtrumque ergo iudicium & discussionis, an pertrahat ad hæresim, & non extirpet hæreticos, & retributionis, quo regem excommunicant, ad Episcopos illius regni, & non ad pontificem solum pertinet. Olim de hæresi iudicabat Concilium, de hæretico quilibet Episcopus in suo Diœcesi. Et ratio *Bellarmini*, Par est in Episcopis, & in pontifice:

immane mendacium nunquam dixit Bellarm. licere subditis etc.

2

et si satisfacere contempserit intra annum significet hoc Summo Pontifici etc.

pontifice: ſicut enim pontifici in vniuerſali Eccleſia, ſiue vnicuiq; Epiſcopo in ſuo Dioceſi, et vnicuique Metropolitano et primati in ſua prouincia commiſſa eſt cura religionis; ſicut de homicidio Theodoſij cognouit et iudicauit Ambroſius Epiſcopus. Et caſus reſeruati ſunt de iure poſitiuo: Et Apoſtoli omnes, et proinde eorum ſucceſſores Epiſcopi, *pari conſortio prediti ſunt honoris & poteſtatis: eiſdem meriti ſunt omnes Epiſcopi, eiuſdem ſacerdotij.*

Et facilius Epiſcopi illius regni cognoſcere poſſunt, quia teſtes oculati ſunt quam pontifex, qui tantum ex relatione et auditu, forte etiam vnius partis, ſiue factionis ſolius iudicat, nec enim ſolent reges infideles et hęretici coram in præſentia pontificis cauſas ſuas agere: Et Epiſcopi de alijs omnib⁹ hæreticis cognoſcunt et iudicant: Quidni ergo et de regibus hæreticis iudicent, niſi forte pontifices ſola regalia tractare dignentur.

Quid vero ſi crimen Infidelitatis vel hæreſeos publicũ ſit et notoriũ: taleq; quod nec ſcrutinio, nec iudicio indigeat? id eſt, ſi rex publicè infidelitatẽ ſuam vel hæreſim profiteatur: legibuſq; & pœnis ciuilibus omnes ad infidelitatem & hæreſim ſuã cogat: An hic opus eſt Iudicio pontificis aut Epiſcoporum? In hoc caſu non pontifex, ſed ſubditi deponere Regem poſſunt, nec licet Chriſtianis ſubditis talem Regem tolerare, ſed vi et armis temporalibus eundem depellere debent: Sic populus, et ex ore pontificis iudicium depoſitionis, et è manu Regis gladium poteſtatis extorquet: Magnum eſt hoc Monarchomachorum et Ieſuitarum in omnes Reges et principes odium, qui eos et ambitioni pontificiæ et furori populari infinitiſq; periculis, et cladibus quotidie expenunt, vt amplitudinem pontificalem aut popularem, ſuper omnes Deos extollant, De qua re conſulat lector *Barclaium* qui iſta contra Monarchomachos, doctè proſequitur.

3 Concluſio quæ in neutra præmiſſarum habetur talis eſt, *Ergo Pontificis eſt iudicare Regem eſſe deponendum vel non deponendum*: Bene ſe res habet, ſuperius ſæpe dictum eſt à *Bellarmino*: pontifex deponit: et pontifex deponere poteſt reges: Iam concludit Cardinalis, pontifex iudicat regem deponendum vel non deponendum, id eſt dignum eſſe vel non eſſe qui deponatur. Aliud vero eſt longeq; diuerſũ deponere regẽ, et dignũ depoſitione iudicare: Deponere regẽ, hoc poteſtatis eſt. Iudicare regem dignum eſſe depoſitione, ſiue deponendũ eſſe, hoc non poteſtatis eſt, ſed diſcretionis ſiue ſcientiæ: *Parturiunt montes, naſcitur ridiculus mus*: magno conatu magnas nugas agit *Bellar.* multis et infallibilibus demonſtrationibus, hoc agit *Bellar*, vt probet, Pontificem poſſe iudicare vel declarare regẽ Infidelẽ vel hæreticum dignum eſſe depoſitione, quem tamen ipſe deponere non poteſt; ſed ad pontificis declarationẽ populus deponit, poteſtas vt in populo ſit, diſcretio ſiue

ſiue declaratio in pontifice, id quod verba *Bell.* ſatis innuunt: *Chriſtiani* enim non tolerant: i. actu deponunt, pontifex deponendum iudicat, id eſt declarat: Qua vero authoritate populus: id eſt Inferior deponere poſſit Regem ſuperiorem, nondum conſtat.

Quid vero magnum hoc eſt, ſi id poſſit pōtifex, quod poteſt quilibet Epiſcopus & ſacerdos, imò & quilibet Iuriſconſultus, ſiue legiſperitus? Poteſt enim quilibet Epiſcopus vel legiſperitus, vbi crimen regis manifeſtum, notorium, & publicum eſt, iudicare ſiue declarare, quod rex dignus ſit depoſitione, & proinde deponendus. Commune ergo eſt hoc munus pontificis, cum alijs Epiſcopis & legiſperitis: & ambitioni, & amplitudini pontificali parum reſpondet, vt ipſe regem deponendum iudicet, populus vero eundē deponat: Deponendus enim & depoſitus diuerſa ſunt: & ſolent pontifices in ſententijs ſuis vtrumque adhibere, & deponendum ſiue priuandū iudicamus, priuamus & deponimus; vox enim iſta deponendum iudico, tempus & actum futurū, ſiue rem gerendam, non actam denotat, & multi etiam à pontifice deponendi ſiue depoſitione digni iudicari poſſunt, qui tamen nec à pontifice, nec à populo vnquam deponuntur.

Quod ſi naturam ordinemq; rerum ſpectemus, poteſtas, & iudicium ipſum, & iudicij executionem continet: cuicunq; data eſt poteſtas, eidem datur & iudicium ipſum & executio iudicij, non ſolum per aliū, ſed etiam per ſeipſum: exempli gratia: Rex habet iudicium ſanguinis, habet etiam & executionem: poteſtq; ille ſolus, & citra ſiue præter illius authoritatem alius nemo, hominem ſine peccato occidere. Sic quiſquis habet poteſtatem Eccleſiaſticam, & contumaces & malos excommunicat iudicialiter, & ſententiam executioni demandat, quia eo ipſo, excludit è regno Cœlorum, & communione gratiæ priuat. Et cuicunque data eſt aliqua poteſtas, eidem dantur media ad executionem illius poteſtatis neceſſaria: Et propoſitiones iſtæ conuertibiles ſunt.

Qui habet poteſtatem, habet eiuſdem poteſtatis executionem:
Qui habet executionem poteſtatis, & ipſam poteſtatem habet.

Non iam diſputo de poteſtate delegata, quando, qui poteſtatē ipſam habet vices ſuas alteri committit: quo caſu, vel poteſtatem integram, vel partem tantum poteſtatis delegare poteſt: qnin etiam partem poteſtatis vni, alteri alteram partem demandare poteſt; ſicut iudicium in foro datur Iudici vel præſidi: executio vicecomiti conceditur: ſed in natura ipſius poteſtatis, ad eandem ſpectat poteſtatem, & iudicare quoad ſententiam, & executioni demandare pœnam: nec poteſt vicecomes aut quiſquam è populo, homicidam aut latronem morti adiudicatum, morte mulctare, niſi Regis aut Iudicis vices habeat: Quod ergo ad inſtitutum attinet: Si Pontifex habet poteſtatem deponendi:

nendi reges hæreticos vel Infideles iudicialem, siue quoad sententiam; habet etiam potestatem deponendi reges infideles & hæreticos actualem, siue quoad executionem: siue dispositionem executiuam non habet, nec depositionem iudicialem habet. Similiter si Christianis non licet regem hæreticum siue infidelem tolerare: id est, si Christiani debent vi & armis regi hæretico siue Infideli resistere, eundemq; deponere quoad executionem, debent etiam regem talem quoad sententiam, siue iudicialiter deponere.

Propositio enim ista: *Christiani debent Regem hæreticum vel infidelem deponere*, non denotat delegatam aliquam potestatem executionis, quam pontifex quasi vicariam & suam, populo Christiano demandauit, sed natiuam & quasi originalem, quam obtinent, non quâ sunt vicarij *Petri*, sed quâ Christiani & subditi sunt. Præterea pontifex Iudex est spiritualis, & proinde de hæresi iudicat quatenus peccatum est contra bonum spirituale: & eâdem potestate, & de hæresi iudicat siue sententiam fert, & pœnâ spirituali castigat: pœnam vero temporalem nec infligit, nec infligere potest, sed Brachium seculare inuocat & implorat: id est, Magistratum ciuilem, non populum Christianum: nunquam hoc autem factum aut auditum, vt conciues ciuem hæreticum morte temporali mulctarint ad Imperium pontificis: Etsi non licet ciuibus Christianis conciuem hæreticum pœnâ temporali castigare, multo minus Regem hæreticum depositione temporali castigare possunt. Eandem vero hæresim, quia peccatum etiam est contra bonum temporale, morte aut mulctâ pecuniariâ, aut aliâ pœnâ ciuili castigat rex, siue magistratus ciuilis, si iudicio suo expedire visum fuerit: nec hoc necessitatis est in rege, sed indulgẽtiæ & gratiæ, quia liberũ est magistratui politico pœnã temporalẽ infligere, vel non infligere, & non ex coactione, sed ex deuotione hoc faciunt principes ciuiles, quatenus nutricij & patroni & defensores sunt fidei & Ecclesiæ: Manet ergo pontifici potestas sua, id est, spiritualis illibata & illesa, qua & de hæresi iudicat per sententiam, & hæreticum excommunicationis vinculo inuoluit per executionem: Manet itidem regi Christiano potestas sua integra & illibata, qua & hæreticum iudicio Ecclesiæ condemnatum, morte dignum iudicat quoad sententiam, & morti tradit quoad executionem: Sic pontifex iudicium & executionem habet spiritualem, & rex iudicium & executionem habet ciuilem, nec magis licet pontifici hæreticum morte temporali mulctare, quam regi licet morte spirituali siue excommunicatione hæreticum ferire: vtrique potestati & sententia siue iudicium suum, & sententiæ executio distincta & illibata, siue inconfusa permanet.

Sicut vero confusio summa esset, omnisque ordinis perturbario, si

ſi rex mucrone ſpirituali, id eſt excommunicatione feriret: ſic confuſio itidem ſumma eſt, omniſque ordinis perturbatio, ſi pontifex gladio materiali, morte ſcilicet aut depoſitione temporali, aut bonorum confiſcatione feriret: Nec confuſio tantum, ſed & confuſionis Chaos erit, ſi pontifex, ſeruus illius Dei qui author eſt ordinis non confuſionis, quique eo nomine primatum vendicat, ordinem & vnitatem conſeruet, tantum ab omni ordine deuiet, vt relicta & contempta poteſtate à Deo ordinata, plebem & populum Chriſtianum, qui ſubeſſe & parere, non præeſſe & dominari didicerunt, contra poteſtatem ſupremam ciuilem à Deo ordinatam concitet, & regi gladium, non populi ſed Dei (vtpote à Deo & non à populo, datum & proinde ab altari Dei deſumptum) per vim & violentiam extorqueat, & à Deo coronato Imperatore diadema Regium tollat. Dicat vero *Bellarminus* cuius vices agit Pontifex aut Epiſcopus cum Imperatorē aut Regem coronat: Dei an populi? ſi populi, minor benedicit maiorem: ſi Dei, quomodo tollere poteſt inferior, quod ſupremus ſummuſque contulit Deus? In depoſitione ergo regum ordo nullus, ſed horror & confuſio æterna.

Iam tandem ad propoſitionem reuertamur, *Et tam falſa eſt, quam quæ falſiſſima*: ſic *Barcl. Alioqui damnanda tota antiquitas, quæ Reges hæreticos & infideles Eccleſiam Dei deſtruere conantes pertulit, non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam, non quod viribus deficerentur, ſed quod id ſibi per Dei legem non licere iudicarent.* Hæc Barclaius.

Reſpondet Bellarminus, *Dicit iſta Barclaius non probat: probare debuit Reges Hæreticos vel Infideles Eccleſiam deſtruere conantes, non ſolum propter Iram ſed etiam propter conſcientiam toleratos.*

Ego vero cauteriatam illam iudico conſcientiam, quæ tot martyres, tot confeſſores, tot patres, tam innumerabiles omnis ſexus & ætatis Chriſtianos, qui obedientiam ſuam tyrannis debitam, ſanguine, martyrio, profeſſione, ſcriptis & moribus, vita denique et morte teſtatiſſimam reliquerunt, æquiuocaſſe, diſſimulaſſe, de facto obediendum docuiſſe, non de iure, hoc eſt, tyrannos & hæreticos Reges, propter iram, non propter conſcientiam toleraſſe, ex neceſſitate, non debito ſentiat. Vires Chriſtianorum narrant & prædicant Antiqui patres, *Cuilibet bello, cuilibet tyranno pares: vrbes, inſulas, caſtella, municipia, conciliabula, caſtra ipſa, tribus, decurias, Palatium, Senatum, forum, omnia veſtra, ſolis templis relictis, implebant, omnes pœne ciues Chriſtiani erant*: vti Tertullianus, Apologet. cap. 37. Infidelibus tamen tyrannis & perſecutoribus fideles erant, fideliter obtemperabant: rationem ſi quæras reddit Tertullianus: *Quando vel vna nox paucula facibus largitatem vltionis poſſet operari, ſi malum malo diſpungi penes nos liceret.* Et iterum: *Si non apud iſtam diſciplinam magis occidi liceret quam occidere,*

cidere: Subiecti ergo erant Christiani Infidelibus tyrannis, non propter iram, quia plures et fortiores, sed propter conscientiam, quia devotiores.

Inde est inquit *Cyprianus quod nemo nostrũ quando apprehẽditur, reluctatur nec se aduersus iniustam violentiam, quamuis nimius et copiosus noster populus, vlciscitur, Patientes facit de secutura vltione securitas*, Ratio huius patientiæ sequitur, *Innocentes nocentibus cedunt, Insontes pœnis & cruciatibus acquiescunt, certi & fidentes quod imulum non remaneat, quodcunque perpetimur, quantocunque maior fuerit persecutionis iniuria, tanto & iustior fiat, & grauior pro persecutione vindicta, nec vnquam impiorum scelere, in nostrum nomen exurgitur, vt non statim diuinitus vindicta comitetur*: Ex his manifestum est, quod Christianorum virtus patientia est, vltio vero siue vindicta ad Deum spectat, id quod probat: *Mihi vindictam, ego rependam, Deut. 32.* Et iterum Spiritus præmonet & dixit: *Ne dixeris: Vlciscor me de inimico meo; sed expecta Dominum vt tibi sit auxilio: Vnde clarum est atq; manifestũ, quia non per nos, sed pro nobis accidunt cuncta ista, quæ de Dei indignatione descendunt*: at pontifices nouitij aliter dicnnt, & pro nobis & per nos accidunt ista: vlciscemur nosmet de inimicis nostris, nec Dominum expectabimus.

Iustinus Martyr in Apologia 2. *Vectigalia tributaque à vobis instituta, vbiq; ante omnes conamur pẽdere sicut nos ipse docuit.* Et infra: *Sic fit vt Deum solum adoremus, in cæteris rebus libenter vobis subseruiamus, quos agnoscimus reges atq; principes hominum, precemurq; vt cum regia potestate prudentia par coniuncta in vobis appareat.*

Huius discipulus Tatianus in oratione ad Græcos: *Atqui Rex si iubeat tributum pendere, paratus sum, si Dominus, inseruire & ministrare, seruitutem agnosco, quandoquidem homo humano more colendus est, timendus autem Deus solus, &c. hunc solum si quis negare iubebit, non obediam.*

Athenagoras in Apologia vel legatione pro Christianis ad Antoninum & Commodum in fine. *Nos enim pro Imperio vestro preces ad Deum fundimus, & vt filius (quod iustissimum est) in regno olim parenti succedat, vtq; imperium vestrum magis magisq; semper augeatur, deniq; omnia ex animi sententia vobis eueniant oramus, quod & nobis salutare fuerit vt quietam tranquillamq; vitam degentes vobis interim ad qualibet imperata prompte inseruiamus.*

Dei clementia inhibitus atq; repressus est (Iulianus) *Christianorumq; lachrymis* (non armis *quas multas mihi profuderunt, hoc vnum aduersus persecutorem medicamentum habentes*: Sic Gregorius Nazianzenus, Orat. 1. in Iulianum: qui vires Christianorum quibus Iulianum facillime opprimere poterant, non ignorabat, qui tamen lachrymis non gladijs eundem cohibuerunt. De hac re vide plura, cap. 18.

Quid

Quid vero ſenſerit *Gregorius Nazianzenus* de obedientia ſubditorum, dicet ipſe, *In orat. ad Præſidem iratum & populum pertimeſcentem. Quemadmodum heri ſerui, vxores maritis, Eccleſia Domino, Diſcipuli paſtoribus obtemperant, ita & nos,* (Epiſcopi & populus) *etiam cunctis poteſtatibus ſubiecti ſumus non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, vt qui pendendo tributo obnoxij ſumus: atq; hæc lex in numero legum laudabilium & præclariſſime promulgatarũ à ſpiritu*; Antiquitas ergo pertulit tyrannos Infideles & hęreticos, Eccleſiam Dei deſtruere conantes, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.

Chryſoſtomus in illa verba ad *Eph. c. 6.* In ſimplicitate cordis, tanquam Domino non ad oculum ſeruientes, velut hominibus placere ſtudentes, ſed tanquam ſerui Chriſti facientes voluntatem Dei ex animo; *Oſtende*, inquit, *quod ſernias tanquam ſeruus Chriſti, non hominis, fac ſeruitutem tuam, non neceſſitatis eſſe, ſed virtutis.*

De militib⁹ *Iuliani* dicit *Aug. diſtinguebãt Dominũ eternũ à Domino tẽporali, & tamen propter Dominũ æternũ ſubditi erant etiam Domino tẽporali:* propter dominũ æternũ, non ergo propter metũ vel iram domini temporalis, ſed propter conſcienti & timorem domini æterni: i. propter præceptum Dei, qui dominis dyſcolis obedire iubet, ſubditi erant hi Chriſtiani. *In Pſalm. 124.*

In verbis *Auguſtini, in Rom. 13.* ſicut ſupra citantur, c. 3. multa ſunt, quæ hanc ſubiectionem ex conſcientiæ debito pendere docent; *Quanquam ad illud Regnum vocemur vbi nulla erit poteſtas huiuſmodi, in hoc tamen itinere, dum agimus, donec perueniamus ad illud ſeculum, vbi ſit euacuatio omnis principatus & poteſtatis, conditionem noſtram pro ipſo rerum ordine toleramus: nihil ſimulatè facientes, & in eo ipſo, non tam hominibus quam Deo, qui hæc iubet obtemperanter:* vbi iſta obſeruet lector: Euacuatio principatus & poteſtatis non fit in hoc ſeculo ſed in futuro: & tamen in hoc ſeculo evacuat pontifex, ſed ante tempus: 2. Conditio eſt pro ordine rerum, non coactio. 3. Tolerare debemus & principatus, & mala, quæ à principibus proueniunt. 4. Subiectio vera eſſe debet, non ficta, non ſucata, non ſimulata. 5. Subiectio hæc à Deo eſt, qui eam iubet, & lex Dei proculdubio ligat in foro conſcientiæ.

Super illa vero verba: non tantum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, ſubiungit; *Neceſſitate ſubditi eſtote, ne quis non integro animo & pura dilectione ſubditus fieret, huiuſmodi poteſtatibus, addit dicens, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam: id eſt, non ſolum ad iram euadendam, quod poteſt ſimulate fieri, ſed vt in tua conſcientia certus ſis, illius dilectione te facere, cui ſubditus fueris iuſſu Domini tui:* —— Integro ergo animo & pura dilectione ſubijci, hoc eſt propter cõſcientiam, & ſubiectio iſta fit iuſſu Domini, & præcepta Domini ligant conſcientiã.

Auguſtinus etiam in illa verba Pſalm. 118. Principes perſecuti

ſunt me gratis: hæc habet, *Quid enim Chriſtiani leſerant Regna terrena, quamuis regnum Cœlorum eis promiſerat Rex eorum? quid enim leſerant regna terrena? Nunquid eorum Rex milites ſuos prohibuit impendere & exhibere quæ debentur regibus terræ? Nonne de hoc ſibi calumniam molientibus Iudeis ait: Reddite quæ ſunt Ceſaris, Ceſari; & Deo, quæ Dei ſunt? Nonne tributum de ore piſcis etiam ipſe perſoluit? Nonne præcurſor eius militibus regni huius, quid facere deberent pro æterna ſalute quærentibus, non ait Cingulum ſoluite, arma proijcite, Regem veſtrum deſerite, vt poſſitis Domino militare: ſed ait, Neminem concuſſeritis, nulli calumniam feceritis, ſufficiat vobis ſtipendium veſtrum? Nonne vnus militũ eius, & dilectiſſimus Comes commilitonibus ſuis, & quodammodo prouincialibus dixit, omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, & Paulo poſt ait: Reddite omnibus debita, cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorẽ. Nemini quicquam debeatis niſi vt inuicẽ diligatis: Nonne præcepit vt pro ipſis etiam regibus oraret Eccleſia? Quid ergo eos Chriſtiani offenderunt? Quibus debitum non reddiderunt? In quo Chriſtiani non ſunt terrenis Regibus obſecuti? Ergo terreni reges Chriſtianos gratis perſecuti ſunt, &c.*

Obſecuti ergo ſunt Regibus terrenis Chriſtiani ex debito, & proinde propter cõſcientiã, nec Cingulũ ſoluere, nec arma proijcere, nec reges ſuos deſerere voluerunt, vt Domino militarent: Quantum abſint ab hac antiquitatis ſententiâ *Gregoriani*, ſiue *Hildebrandini*, iudicet lector: qui quotidie clamant, Cingulum ſoluite, arma proijcite, reges veſtros, tyrannos, infideles, hæreticos, deſerite, vt Domino militare poſſitis.

Gregorius Magnus, de ſeipſo ſic profitetur, 23. q. 8. c. Si in morte, l. 7. Epiſt. 1. *Si in morte Longobardorum me miſcere voluiſſẽ, hodie Longobardorũ gens, nec Regem, nec Ducem haberet, ſed quia Deum timeo, in mortem cuiuſlibet hominis me miſcere formido*, Gregorio non deerant vires: potuit enim reges & duces Longobardorũ tollere, ſed noluit: Ratio eſt *quia Deum timeo*: hoc eſt non propter iram, ſed propter conſcientiam: Quære ſupra, quæ ex *Gregorio* annotata ſunt ex *Epiſt. 61. lib. 2.*

Conſulat lector *Chryſoſtomum*, *Theodoretũ*, *Theophylactum*, alioſq; antiquos in illa verba, Non ſolum propter iram, ſed etiam propter cõſcientiam, & inueniet, conuenire in hoc antiquitatem, ſubiectionem regibus infidelib⁹ præſtandam, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam, quod hoc loco negat *Bellarminus*.

*Iubet propter vtrunq; (*iram & conſcientiam*) ſubditos eſſe & propter metum pœnæ & vt impleãt ea quæ oportet fieri: id enim appellat conſcientiam:* Sic *Theodoretus in cap. 13. ad Rom.* De quibus vt ſigillatim dicere ſuperſedeam, vnus pro omnibus loquatur, *Fenardẽtius in annotat in Irenæum, l. 5. c. 24. nu. 5. Hinc liquet quãta pietate, veneratione, fido & obedientiâ Imperatores, Reges & Magiſtratus politicos exceperint primarij noſtræ religionis Antiſtites, etiamſi illius pietatis illi ignari eſſent, Imo & acerrimos oppugnatores*

res eos haberent, quos vtinam vel in hac ſaltē parte imitarentur noſtræ ætatis Gnoſtici: porrò qualis illorum diſciplina de magiſtratu ciuili fuerit cum Irenæo pluribus enarrant Iuſtinus, Athenagoras, Tertullianus, Theophilus, Origenes. Ioſephus etiam *Angles. In* 2. *D.* 44. *q.* 2. *diſſic.* 2. *Chriſtiani principibus ſeculæribus tam fidelibus, quam infidelibus, in ijs quæ non ſunt contra Deū & animā ſuā non ſolū propter iram, ſed etiā propter conſcientiam obedire tenentur.*

Antiquitas ergo tota reges infideles & hereticos tolerauit, non ſolum propter iram, ſed maxime propter conſcientiam: quod miror, quomodo Cardinali doctiſſimo cigniſſimoq; excíderit, niſi quia eo erga reges & principes odio, eâ erga temporalem hierarchiam ambitione & cupiditate fertur, vt totam antiquitatē, calumnijs, ſcandalis, perfidiâ, ignorantiâ, æquiuocatione etiam in articulo fidei præcipuo, deturpare mallet, quam ambitioni pontificiæ deeſſe.

Verum & propoſitionis iſtius vanitatem paulo altius executiamus, dicat *Bell.* an iuxta regulas ſcholæ ſuæ, deerat cauſa, deponendi *Saulis*, qui à Deo deſtitutus, à *Samuele* reiectus, à *Dauide* facile opprimi potuit, niſi conſcientiæ vinculis retentus fuiſſet? An deerat aut cauſa, aut vis ad deponendū *Dauidē*, adulterū, homicidā viribus ſuis nimiū confiſum, ſi cum Rebelle *Abſolone* & populo conſpiraſſent ſacerdotes?

An deerat aut cauſa, aut vires, ad deponendum *Salomonē* Idololatrā, populum ad Idololatriam pertrahere conantem, ſi cum *Ieroboamo* cōſpiraſſent principes ſacerdotum? Et ſi quis in veteri teſtamento depoſitione dignus, *Salomon* proculdubio digniſſimus, nemo enim maior Apoſtata *Salomone*, ſapientiſſimo, fœliciſſimoq; rege, cui à Deo conceſſum eſt, templum Domino ædificare, quod *Dauidi* negatum.

An *Henricus*, *Fredericus*, *Ludouicus*, *Saulem*, *Dauidem*, *Salomonem* in hoc genere æquarunt?

Mitto plurimos reges Iudęorū, nec non Iſraelitarū, Idololatras, tyrānos, monſtra hominū quos tolerarunt et Iudęi et Iſraelitæ: An quiſquā ſacerdotum aut prophetarum qui *Ieroboamum* & *Achabum* intrepide redarguerunt, & iudicia Dei iuſtiſſima ſimulq; ſeueriſſima contra ipſos prędixerunt, de eorū depoſitione cogitauit vnquā? An quiſquā auſus fuiſſet *Ioramo Achabi* filio vitam et Diadema tollere, niſi ſpeciali Dei mādato ad hoc ipſū deſignatus et emiſſus? et quid opus mādato ſpeciali, ſi poteſtas in ſacerdote ſūmo reſideret ordinaria? An quiſquā cōtra Idololatriā *Manaſſis*, hiſcere vnquam inuentus eſt? Imo an quiſquam cōtra Aſſyrios templi Hieroſolymitani euerſores, populi Iudaici captiuatores, et religionis diuinæ violatores maximos os vnquā aperuit? an tributa, ſubiectionem, obedientiam negauit quiſquā? Cur in cauſa Dei pro bono ſpirituali tacet ſummus ſacerdos? quis prophetis Dei ſilentium impoſuit? Imo quis prophetam *Baruch*, omneſq; Iſraelitas captiuos in Babylone adulari Regibus prophanis, religionem Dei de-

ſtruere conantibus, blandiri docuit? *Orate pro vita Nabuchodonoſoris, regis Babylonis, & pro vita Balthaſar filij eius* (& tamen tyranni, infideles, religionis euerſores) *vt ſint dies eorum ſicut dies cœli ſuper terram, & vt det Dominus virtutem nobis, & illuminet oculos noſtros, vt viuamus ſub vmbra Nabuchodonoſor Regis Babylonis, & ſub vmbra Balthaſar filij eius, & ſeruiamus eis multis diebus, & inueniamus gratiam in conſpectu eorum,* Baruch. 1. 11. Si adfuiſſent Ieſuitæ, oraſſent, vt tolleret Deus tyrannos Infideles, perſecutores, vt pauci maliq; eſſent dies eorum, & proſperaret Deus opus pro religione & Eccleſiæ bono incœptum. *Gentem auſerte perfidam Credentium de finibus.*

Oratio Garnetti in actione proditoria.

Quis docuit *Tertullianum, in Apologet. cap.* 30. Imò omues Chriſtianos vt pro regibus tyrannis, Chriſtianicidis orarent, vt daret illis Deus, *Vitam prolixam, imperium ſecurum, domum tutam, exercitus fortes, ſenatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunq; hominis & Cæſaris vota ſunt. Hoc agite boni præſides, extorquete animam Deo ſupplicantem pro Imperatore: Hic erit crimen vbi veritas & Dei deuotio eſt.* & cap. 36.

Male velle, male facere, male dicere, male cogitare, de quoquam ex equo vetamur, Quodcunq; non licet in Imperatorem, id nec in quenquam, Quod in neminem, eò forſitan magis, nec in ipſum qui per Deum tantus eſt: An ſic ſolent Romanenſes pro Regibus Hæreticis, vti vocant, orare? conuerſionem aut confuſionem exoptant: fœlicitatem non exoptant: Non ſic Antiquitas: ſortè æquiuocabant Antiqui, cum inuocabant Deum, ſicut æquiuocant hodierni enm alloquuntur homines. *Et merito Paulus dicet orandum eſſe pro regibus ac poteſtatibus etiamſi talis eſſet Imperator qui Gentiliter vineret,* vt Optatus, lib. 3.

Huic praxi Eccleſiæ, totiuſq; Antiquitatis, Interpreti ſcripturarum optimo, inſtitutionem Regum ſiue Imperatorum adiungamus: omnis enim *poteſtas à Deo eſt*, Deiq; ordinatio eſt, cui *qui reſiſtit, ordinationi Dei reſiſtit*, ab eodem Deo & *Dauid*, & *Saul*, & *Salomon*, & *Ieroboam*, & *Ezechias*, & *Achab*, & *Manaſſes*, & *Ioſias*, & *Nero*, & *Conſtantinus*, & *Iulianus*, & *Theodoſius*: De bonis regibus dicitur: *Per me Reges regnant*: De malis; *Dedi eis Regem in furore meo*: boni in charitate, mali dantur in furore, omnes à Deo dantur, omnibus ergo obediendum, etſi non in omnibus; nulli reſiſtendum, ſed aut faciendum eſt quod rex iuſte imperat, aut ferendum quod crudeliter infligit.

Obedientia autem ſubditorum ſub præcepto cadit diuino, & naturali, ſiue morali, in mandato quinto, quæ etiam in Euangelio confirmatur à Chriſto, & præcepto: *Date quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; & exemplo, qui tributum ſoluit & mortem ignominioſiſſimam ſub *Pilato* paſſus eſt, qui perdidit vitam, ne perderet obedientiam: Et ab Apoſtolis, *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit*, Ethnicis & Infidelibus perſequutoribus

persequutoribus, ad infidelitatem suam subditos pertrahentibus, talis erat *Nero*, tales reliqui persecutores: *Idq; non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam: Deum timete, Regem honorificate*, honoris huius pars primaria est obedientia. Et præcepta hæc diuina, naturalia, moralia, Euangelica, indispensabilia sunt, & conscientiam ligant: Nec verisimile est, Deum, Christum & Apostolos præcepta tradidisse, quæ à Christianis obseruari nollent.

His addamus finem institutionis Regni, quem natura naturans, & natura naturata intendit: qui est vt per hæc externa & temporalia ad æterna perducamur: *Si Rex bonus nutritor tuus est, si malus probator tuus est.* Si persecutor sit exercet: si pius vnâ exercetur: Quid hic contemnere potest anima Christiana? An nutritorem suum, qui viaticum præstat, quod ad æterna perducatur? An vero probatorem suum, à quo sub cruce exercetur, vt splendescat in Regno cœlorum.

Sequuntur incommoda: 1. Error Anabaptistarum, & Libertinorũ, qui iugum omnium magistratuum ciuilium excutiunt: Error *Stephani Albestatensis, apud Dodechinum* qui potestatibus tantum ordinatis, id est bonis obediendum scribit: *Da potestatem ordinatam & parebimus*: qui in *Concilio Constantiensi* damnatus est sub nomine *Wicleuianismi*. 2. Seditiones, tumultus, bella, cædes, rapinæ, lanienæ, dissidium inter regnũ & sacerdotium, id est, inter carnẽ & spiritum, omnia deniq; mala, quæ vel satanas ipse eiusq; satellites excogitare poterant, talem Animum nobis inimici nostri vix optassent, aut saltem speressent. 3. Religio ipsa fidesq; Christiana male audit apud Infideles, & scandalizatur tanquã proditoria & Regibus politicis infesta. 4. Nomen Dei nostri blasphematur inter Gentes qui Deum non nouerunt. 5. Saraceni, Turcæ, aalijque nomini Christiano infesti, Ecclesiam persequuntur, nostrisq; dissidijs fortes facti, hęredem mundi, & Gentium: id est Ecclesiam, in angulum Europæ coarctarunt, quæq; olim toti mundo imperitabat, iam extremum quasi spiritum trahit & de incremento, & de vita ipsa pene desperat.

Hic si nec Deo Regnum instituenti, nec Deo obedientiam præcipienti, nec fini siue bono ex Regnis prouenienti detur quicquam, at propter incommoda & pericula & scandala vitanda obtemperandum est, vt vel malo coacti discamus, *Iustitiam moniti, & non temnere diuos.* Et potuerunt ergo Christiani, Reges Infideles, & Hęreticos persecutoresque suos deponere quia aderant vires & deponere noluerunt vt & *Ambrosius* (fatente *Bellarmino* potuit deponere *Valentinianum*) quia institutione & mandato Dei, hoc est debito & officio retinebantur, nec illis libuit, quod non licuit: Quod si ipsis persuasum fuisset, ipsos & potuisse, & debuisse Infidelibus Regibus imperium super Christianos abrogare,

nunquam huic debito ſiue officio, ſiue muneri defuiſſent, illi, qui pro fide Chriſti vitam & ſanguinem deponere quotidie parati erant; nec ſine opprobrio de tantis & tam ſanctis martyribus, & confeſſoribus dici poteſt, eos aut ſummum hunc fidei articulum ignoraſſe, aut ſummo & præcipuo huic debito & officio defuiſſe, quod ab Apoſtolis & pontificibus ſine peccato omitti non potuit: ſaltem facere debuerunt, ſi debitum ſit, quod fecit Innocentius 4. quod ſuum erat, ſententiam depoſitionis pronuntiaſſent: ſententialiter eos depoſuiſſent dixiſſentq; quod ille, *Faciat Deus*, vel (quia Deo curæ non eſt præcipites has ſententias ratas in cœlo habere) faciat effrenis multitudo) quod ſibi viſum eſt: ſi debitores fuerunt antiqui pontifices & Chriſtiani, ergo & peccatores, quia debiti & officij omiſſores: ſi non ſunt peccatores, ergo nec huius officij debitores, atq; hæc ad probationem reſponſionis *Barclaij* ſufficient.

8 Sequuntur propoſitionis illius proditoriæ & ſeditioſæ & *Bellarminianæ* confirmationes tres, & opus erat confirmationibus, nemo enim ſanus talem propoſitionem ſine confirmationibus firmiſſimis imò vix cum confirmationibus admitteret, quia cœlum & terram commit-tit, ſuſq; deq; omnia vertit & confundit.

Prima confirmatio, (de qua hoc capite) ex Deut 17. deſumpta eſt: *Eum conſtitues quem Dominus tuus Deus elegerit de numero fratrum tuorum: non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non ſit frater tuus.* Hinc ſic arguit Bellarminus.

„ *Prohibiti ſunt Iudei conſtituere ſuper ſe Regem non Iudæum*, Deuteron.
„ 17. *& quia lex illa moralis eſt, eodem iure prohibentur Chriſtiani conſti-*
„ *tuere ſuper ſe Regem non Chriſtianum, ne ab illo pertrahantur ad Infideli-*
„ *tatem.*
„ *At eiuſdem periculi & damni eſt tolerare ſuper ſe Regem hæreticum vel in-*
„ *fidelem conantem auertere populum à fide.*

Ergo ſi vires adſint, tenentur eum non tolerare, ſed deponere.

Prohibentur Iudæi conſtituere ſuper ſe regem non Iudæum: *Lex hæc* inquit *eſt moralis*, & proinde æterna, & Chriſtianos ligat, ſicut Iudæos, & eadem lege Chriſtiani prohibentur conſtituere ſuper ſe regem non Chriſtianum, ne ab illo pertrahantur ad Infidelitatem.

Vera hæc eſſe poſſunt in regnis electiuis, vbi proceres aut electores Regem conſtituunt: Quid vero hæc ad Reges ſucceſſiuos, quos non populus, ſed Deus & natura conſtituit? Si Chriſtiani electores Regem Infidelem eligerent, grauiſſimè proculdubio peccarent, Quod ſi Deus ipſe ad probationem aut correctionem & vindictam populi, Regem iure ſucceſſionis, aut belli, Infidelem aut hæreticum præpararet, aut conſtitueret, An hoc eſt contra præceptum Domini eundem tolerare? An Dominus cum præcepta hominibus

dedit,

dedit, sibi-ipsi itidem præcepta dedit? An qui legibus mortales omnes ligat, suis ipse tenetur legibus?

Homines sine sacramentis ad salutem non perducit Ecclesia: at Deus qui legibus suis superior est, sine sacramentis ad regnum Cœlorum perducere potest: Qui ergo prohibet Regem Infidelem & hæreticum eligere siue constituere, potest ipse Regem hæreticum, infidelem vel Idololatram constituere in pœnam vel probationem sanctorum.

Qui vero prohibentur regem eligere nisi fratrem, hoc est Iudæum eiusdem religionis professorem, ijdem obedire tenentur regibus non fratribus, id est Idololatris, Infidelibus, Ethnicis: sicut supra à Iudæis & Christianis factum esse docuimus.

Audi vero in hac causa Durandum, *l. 2. Sent. Dist. 44. quæst. 3. num. 12. Nullo modo permittit Ecclesia, quod Infidelis* (de nouo) *acquirant dominium super fideles, aut quod ijs in aliquo officio præficiantur & ratiosabiliter, &c. propter quod iustè prohibet Ecclesia, ne tale dominium introducatur: sed si introductum fuerit, sicut quidam Principes Christiani faciunt, ex Iudeis quosdam præpositos & ballinos, peccant quidem facientes contra statutum Ecclesiæ, subditi tamen tenentur Iudeis sic constitutis obedire, in his quæ pertinent ad iustam executionem officij talibus commissi*, Hæc est sententia Durandi.

Hic quæro à *Bellarmino*: Quæ est hæc lex moralis, quæ Iudæos & Christianos ligat? *Non poteris alterius gentis hominem Regem facere, qui non sit frater tuus.* Si lex quoad literam moralis sit, licet Franco nisi Francum, Italo nisi Italum, Neapolitano nisi Neapolitanum, Siculo nisi Siculum. Hispano nisi Hispanum, Germano nisi Germanum, Portugallo nisi Portugallum: id est, eiusdem gentis hominem Regem facere, sicut Iudęi Iudæum Regem eligere tenebantur; & peccauit pontifex tuus qui Imperium Romanorum in Francos & Germanos, id est in alterius gentis homines transtulit, id quod nec tu affirmare audes. Si lex quoad literā moralis sit, quare Alienigenas & Ethnicos Reges tolerarunt Iudæi? Si lex quoad literam intelligenda non sit, quare Iudæi nullum constituerunt siue elegerunt regem nisi Iudæum? Quare Herodes genealogias Iudæorum combussit, vt ipsius origo, qui alienigena erat, obscuraretur?

Si lex moralis sit quoad literam, non solum tenentur regem de fratrib⁹ id est eiusdē religionis, sed etiāciusdē gentis siue nationis constituere, quod Catholici non faciunt, & pontifices apertè hanc legē violant.

Si lex moralis sit quoad allegoriam & mysterium, id est si tenentur Iudæi fratrem, id est religionis Iudaicæ professorem regem cōstituere & hæc lex æterna sit, & moralis, quare Christiani regem constituunt Christianum, non Iudæum, non Iudaicæ religioni deditum? Lex enim

non de religione Christiana, sed de religione Iudaica promulgatur. Et lex moralis pro varietate temporum non variatur sed eadē permanet: Quanquam hoc nouum & inauditū, vt lex moralis in sensu literali mutabilis sit; & in sensu allegorico æterna & immutabilis sit; quin etiam omnia illa quæ sequuntur in descriptione officij regij, ad literam intelligenda sunt, non secundum allegoriam, & tenetur Rex Christianus legem *Mosis* à sacerdotibus descriptam & legere, & obseruare, ac proinde religionem *Mosaicam* solam admittere, si lex ista iuxta sensum allegoricum intelligatur: Aut ergo Reges Christiani religionem Iudęorum profiteri debent, aut lex hęc moralis non est.

NOTA

*Q*uanquam noua hæc est, huius loci interpretatio: Non poteris alterius gentis hominem: id est alienigenam regem facere, qui non sit frater tuus: *Cognatione*, sic Glossa interlinearis; veruntamen prȩcipit, ne fieret alienus, sed frater ex eodem populo indigena non alienigena, sic Glossa ordinaria: prima conditio erat, quod esset de filijs Israel: quod notatur cum dicitur, de numero fratrum tuorum, sic *Lyra*. Frater cognatione vel charitate: sic *Hugo* Cardinalis. Priuilegium hoc est Cardinalium & pontificiorū, nouos & allegoricos scripturarum sensus fingere, & ex ijsdem tanquam ex sensu literali articulos fidei suæ, & cudere & stabilire.

9 „ *At periculum erat, si alienigena Rex constitueretur, ne ad Infidelitatem & Idololatriā populum pertraheret: & idem periculum manet in Christianismo.*

Esto: sequitur ergo quod nec Iudęis licebat, nec Christianis iam licet regē non Christianum super se constituere: quid hæc ad tolerationem? quod enim fieri non debuit, factū tamen perferendum & tolerandum est, nisi prius probetur, quod de matrimonio dici solet, impedit contrahendum & contractum dissoluit: Diuersitas religionis impedit regem eligendum & regē electum priuat: verum multa sunt quæ matrimoniū contrahendum impediunt contractum tamen non dissoluunt: & de multis dici solet, *Fieri non debuit, at factum valet*: Rex infidelis aut hęreticus à nobis liberè & sponte eligendus non est: at electus tolerari debet: fieri rex non debuit, at rex factus tolerari debet: In eo ergo peccat ratio *Bellarmini*, quia maior hęc propositio reticetur quæ prorsus falsa est: *Quem non licet regem eligere, eundem non licet regem electum, & constitutum tolerare:* Israelitæ regem infidelem aut Idololatram eligere non debent. Ergo regem Infidelem aut Idololatram, tolerare non debent, suam vero rationem in pontificem retortam negabit *Bellarminus*.

Quem pontificem constituere siue eligere non licet, hunc tolerare non licet.

Pontificem malum lubricum, scandalosum, eligere non licet.

Pontificē ergo malum lubricum vel scandalosum tolerare non licet.

Rectè

Rectè ergo reſpondet *Barclaius:* non valet conſequentia, *Quia non eſt idem Ius vbi idem eſt damnum & periculum: dicere debuit* Bellarminus: *Eiuſdem peccati eſt eligere Infidelem vel hæreticum: & non deponere Infidelem, vel hæreticum: peccant enim qui eligunt, & non peccant qui non deponunt ſed tolerant:* eligere enim in Regnis electiuis non nullis conceditur, ſub quibuſdam conditionibus: vt & Iudæis conceſſum, quanquam apud Iudæos Deus elector ſolus fuit; approbatio ſiue conſenſus ad Iudæos ſpectabat: at deponere Regem electum nunquam electoribus conceſſum eſt, nec hoc vnquam aut Imperator Romanorum permiſit, aut vſurparunt Electores. Cum vero à peccato, quod in Infideli aut hæretico eligendo committitur, tranſit Cardinalis, non ad peccatũ, ſed ad periculum & damnum, quod in Infideli vel hæretico tolerando admittitur, mutat ſuppoſitionem, nec diſputat ad idem, ſed pro demonſtratione ſupponit fallaciam, vt incautos capiat; multa enim fieri non deben, quæ facta tollerari debent & non ſufficit contra tolerationem Regis Infidelis aut hæretici, ſi dicas. Damnum eſt aut periculum in eiuſmodi patientia: ſed peccatum eſt; multa enim damna & pericula tolerari & poſſunt & debent: at nullum peccatum imo nihil cum peccato tolerari debet: quia vero dicere non potuit *Bellarm: Peccatum eſt tolerare Regem Infidelem aut hæreticũ, dixit quod potuit,* & tamen ad rem nihil dixit, periculum eſt & damnum tolerare Regem Infidelẽ vel hæreticũ.

*Quod ſi nihil tolerandum ſit in hac vita, in quo ſit damnum aut periculum, nec vita ipſa toleranda eſt, in qua & damna & pericula multa; nec morbi, nec diuitiæ; nec ſanitas, nec amici, nec inimici, nec proſpera, nec aduerſa, nec contractus, nec ſocietates, toleranda ſunt, quia in his omnibus & damnum eſſe poteſt & periculum: Imo in fide & religione, & Eccleſia ipſa, damna multa ſunt, & pericula; *Et Chriſtiani omnium miſerrimi,* teſte Apoſtolo, *niſi propter ſpem reſurrectionis,* qui & bona omnia huius vitæ ſibijpſis negant, quod ſine damno fieri non poteſt, & pericula & mala infinita perpetiuntur: An inde arguit *Bellarm.* non licere vitam, aut Religionem Chriſtianam tolerare, quia damna & pericula inde emergunt? Sed pergamus.* 1. Cor. 15.

Tribus exemplis probat *Barclaius:* ex pari damno & periculo non ſequi idem peccatum & meritum, nec ex pari damno & periculo parem ſequi poteſtatem. 10

1. Eſt Latro, vel miles deſertor, plagas infert alicui, aut fortunis ſpoliat: magiſtratus item eundem plagis cædit aut fortunas per iniquam ſententiam aufert, Idem vtrobiq; & periculum & damnum eſt, & tamen in deſertorem irruere licet, eundemq; occidere, *ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ:* In Magiſtratum iniuſtũ irruere non licet: vtrobiq; ergo idem poteſt eſſe damnum & periculum ſed non vtrobiq; idẽ Ius.

Non ducitur hoc argumentum à ſimili, inquit *Bellarm: Ratio eſt, quia poteſt:*

„ *poteſt & debet populus eligere Regem de fratribus. i. Chriſtianum & Catho-*
„ *licum & grauiſſime peccat, ſi ſecus fecerit: Qui autem incidit in latrones, po-*
„ *teſt ſi velit vim vi repellere, poteſt tamen vim æquo animo tolerare ſine pecca-*
„ *to, imo meretur apud Deum, ſi malit iniuſte occidi, quam ſi iuſte ſe defendendo*
„ *latronem occidat.*

Quid hîc de peccato vel merito eius qui in latrones incidit ad rem noſtram? An ſimilitudo currit quatuor pedibus? an expectat *Bellarminus*, vt ſimilitudo in omnibus teneat: ſufficit in ſimilitudine, ſi in eo conueniat, ad quod illuſtrandum aſſumitur: Non adducit hanc ſimilitudinem *Barclaius*, vt doceat ſine peccato non licere homini ſpoliato, vim latronum vi repellere: ſed vt doceat idem eſſe damnum & periculum, ſiue quis Latronum violentia, ſiue magiſtratus iniuſtitia fortunis ſpoliatur: & tamen poteſt ſpoliatus vim latronum vi repellere ſine peccato, at iniuſtitiam magiſtratus vi repellere ſine peccato non poteſt. Et ſimilitudo iſta caput & Iugulum cauſæ petit, quia priuatorum iniurias repellere permittit, Imperatorum & Magiſtratuum politicorum iniurias cum patientia tolerandas docet: quâ de re quia ſilet *Bellarminus*, hoc ipſum videtur agnoſcere, tolerandas ſcilicet eſſe perſecutiones Infidelium ſiue hæreticorum Regum, & aut *expectandã emendam ſucceſſoris*, (vt *Æneas Syluius*, De ortu & autorit: Imperij c. 16.) *aut ſuperni Iudicis correctionem, qui huiuſmodi violentias & iniurias non ſinit eſſe perpetuas.* Sed & hoc non omittendum, meritum eſſe viatori, magis occidi, quam occidere, cum tamen in Iulio. 2. laudabile dixerit bellum etiam gerere c. 11. & alibi c. 6. vim vi repellendam etiam religionis cauſa docuerit, pro quâ, malle iniuſte occidi, quam alios occidere (ſi quid aliud) meretur apud Deum.

2. Exemplum eſt eius, qui nauem quaſſatam aſcendit: *Eiuſdem periculi eſt & damni nauem aſcendere, cuius carinam ſcis eſſe quaſſatam, & eandem intrare, quam putas bonam probamq́, quæ reuerà rimoſa & diſſoluta eſt: Et tamen non eſt idem peccatum, ex induſtria, & ex ignoratione periculo naufragij ſe committere*: Hæc *Barclaius*.

„ *Exemplum hoc nullam habet cum re de qua agimus ſimilitudinem*: inquit
„ *Bellarminus, non eſt idem peccatum, ſi quis ex induſtria vel ex imprudentia*
„ *eidem periculo ſe exponat: at idem eſt periculum, conſultò eligere Regem, hæ-*
„ *reticum, & conſulto tolerare Regem hæreticum ſi vires non deſint.*

Si quis Chriſtianus Regem hæreticum vel infidelem eligat proculdubio peccat vti aſſerit *Barclaius*: At ſi quis Chriſtianus Regem hæreticum vel infidelem tolerat, non peccat, Imò tantum abeſt à peccando, vt ſi non tolerat peccat, quia ordinationi & mandato Dei reſiſtit: Alias peccaſſet Redemptor noſter Dominus Ieſus Chriſtus, qui ſolus ſine peccato fuit, quod *Pilatum* & *Herodem* tolerauit: nec dicat Chriſto Domino defuiſſe vires, qui vnico verbo, *Iohn* 18. 6. *Ego ſum*,

milites

milites proſtrauit, cuius Imperio & morbi, & mors, & ſepulchra, & dæmones & omnes creaturæ paruerunt, An *Petrus Neronem* Deponere non potuit, ex defectu virium, qui Ananiam & Saphyram verbo occidit *Act.* 5? Et *Simonem* magum volare conantem morte mulctauit? *Niceph. Hiſt. Eccleſ. lib.* 2. *cap.* 36. An *Petrus, Paulus* & *Ioannes*, qui morbis & elementis, & morti ipſi imperitabant. Neronem deponere non potuerunt? ex Widdringh cap. 9.

An hi omnes Apoſtoli, alijq; Pontifices, Martyres, Confeſſores, & Doctores ſanctiſſimi peccatores erant, quia Tyrannos, perſecutores & hæreticos tolerarunt: vtcunq; ergo Regem hæreticum vel Infidelem eligere peccatum ſit, at Regem hæreticum vel Infidelem tolerare peccatum non eſt, Imò peccatum eſt talem Regem non tolerare quia *æquum* eſt, & præuaricatio contra 5. Præceptum Dei, De Parentibus honorandis: Et, ſi non ſolum peccatum non ſit, ſi vim latronum vi non repellamus, ſed maius meritum apud Deum, ſi malimus iniuſtè à latronibus occidi, quam iuſtè noſmet defendendo latrones occidere, ſicut in priori exemplo aſſerit *Bellarm:* proculdubio non ſolum peccatum non erit, ſi Infidelem aut hæreticum, perſecutorem patienter toleramus, ſed maius erit meritum apud Deum: ſi potius mortem iniuſtam ab infidelibus vel hæreticis Regibus patiamur: quam pro defenſione noſtra aut Eccleſiæ & Religionis, (quam ſartam tectam conſeruabit Deus) tyrannos Infideles vel hæreticos deponamus aut occidamus; præſertim cum dicat Apoſtolorum Princeps: (cuius præceptum omnes vicarij eius obſeruare tenentur) 2. *Pet.* 2. 13. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi*, &c. *Dominis non tantum bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis: Hæc eſt enim gratia ſi propter Dei conſcientiam ſuſtinet quis triſtitias, patiens iniuſte: Quæ eſt enim gloria ſi peccantes & colophizati ſuffertis? ſed ſi bene facientes ſuſtinetis, hæc eſt gratia apud Deum.* Chriſtus dicit *Matth.* 5. *Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam:* Beati ergo non ſunt, qui perſecutionem propter Iuſtitiam pati recuſant, & contra perſecutores ſuos inſurgunt.

Si *Beati ſunt qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam*, quia non peccant, beati ergo non ſunt qui perſecutionem propter iuſtitiam tolerare nolunt, quia eo ipſo quod non tolerant, ſed contra perſecutores ſuos inſurgunt peccare conuincuntur.

Tertium exemplum eſt: *Eiuſdem periculi eſt vxorem moroſam & rixoſam accipere ſiue ſcienter, ſiue ignoranter id fiat: Et tamen vxorem moroſam & rixoſam ſcienter accipere peccatum eſt, imprudenter accipere peccatum non eſt. Et licitum eſt talem vxorem non ducere, at talem vxorem poſt matrimoniũ repudiare eſt illicitum: Exemplum hoc nihil aut parum facit ad rem* (inquit *Bell:*) *quia agitur de eo qui ſtudioſe Regem eligit Infidelem vel hæreticum*, Barcl: *vero de eo loquitur qui ignoranter vxorẽ moroſam accipit.*

Bene.

Bene consulit Cardinalis: ideoq; sequimur quò ducit: dicimusq; Qui vxorem morosam & rixosam studiosè vel scienter accipit, peccat, *Quia qui amat periculum peribit in illo:* sicut etiam peccat qui Regem infidelem vel hæreticum sciens volensq; elegit: Sicut vero vxorem morosam & rixosam repudiare aliamve ducere non licet, etsi eam talem fuisse præsciuerit Maritus: Sic Regem Infidelem vel hæreticum deponere, vel Regno priuare non licet, etsi talem fuisse ante electionem prænouerit, qui eligendi potestatem habuit: multo minus licet Regem hæreticum vel Infidelem, a Deo, Iure successionis vel Belli constitutum destituere quia Deus eundem aut in pœnam, aut in probationem suorum super solium collocauit, vt per multas tribulationes suos ad Regnum cœlorum perduceret: Nimium delicati sunt, qui omnes hæreses & tribulationes è medio tollere volunt, vt ipsi, tanquam membra Christi, non nisi Rosis coronentur, quorum caput Christus coronatus spinis intrauit in gloriam: De Christianis omnibus sicut de Christo dictum est, *Luc.* 24. 26. *Hæc oportuit* (necessum est) *Christum pati, & sic* (per patientiam & tolerantiam multam) *intrare in gloriam.*

At Matrimonium Christianorũ indissolubile est, nec potest quisquã post matrimoniũ consummatum vllaratione ab eo vinculo solui: Quos enim coniunxit Deus nõ potest homo separare: Populus autem potest à iuramento fidelitatis per Pontificem liberari. Non hic litem *Bell:* intento, an Matrimoniũ Christianorũ indissolubile sit, Ethnicorũ vero solubile, nec disputo an Matrimonium Christianorum Sacramentũ sit, strictè sumptum, Ethnicorũ vero non sit, Non disputo an matrimonium non consummatum, sed solum contractum in verbis de præsenti, indissolubile sit; Sit & Sacramentum, & indissolubile (quanquam esse potest indissolubile, etsi non sit Sacramentum, quia in paradiso, & statu innocentiæ indissolubile erat, teste Domino) datur hoc etsi non concedatur: Sequor quo ducit responsio: Si matrimonium carnale indissolubile sit inter virum & vxorem, matrimonium itidem spirituale inter Regem & populum indissolubile est. Vt enim Deus ipse primus fuit Sacerdos, qui matrimonium instituit, sic & Deus autor est contractus siue coniugij spiritualis inter Regem & populum qui primus Regnum instituit: *Similiter nec terrena potestas,* inquit *Thomas Waldensis, p. 1. l. 2. art. 3. c. 78.* (vnus è testibus *Bellarminianis*) *Potestas regia, quâ sub annulo fidei desponsatur ad Regnum, in quemquam autoritatiuè reducitur supra Regem citra Christum.*

Nec ergo vxor potest virum suum repudiare, nec potest populus Regem suum deponere vel abijcere: In Rege autem tres potestates concurrunt. 1. Potestatem patriam habet in subditos tanquam in filios. 2. potestatem habet coniugalem in rempublicam tanquam in vxorem,

rem, & poteſtatem habet herilem in ſubditos, tanquam in ſeruos. Non poteſt vxor maritum relinquere, aliumve accipere: non poſſunt filij patrem abdicare, patriaq; poteſtate priuare: non poſſunt ſerui dominum ſuum caſtigare: multo minus poteſt aut Reſpublica, aut ſubditi, Regem Dominio ſuo priuare, quod poteſtate coniugali, patria, & herili maius eſt; quia & his poteſtatibus fines & limites ſiue leges ponit, & delinquentes coniuges, patres, Dominos, filios & ſeruos caſtigare & in ordinem cogere poteſt: Quod per Pontificem fiat a iuramento abſolutio, probare debuit, non aſſumere, petendo principium *Bellarminus*.

quid si tyrannus euadat?

Pergit *Bellarminus*: *Sicut non licet fideli cum Infideli contrahere matrimonium, nec licet fideli cum Infideli in matrimonio perſeuerare cum iniuria Creatoris: ſic fidelibus Regem Infidelem nec eligere licet nec tolerare.* 11

Incerta ſunt hæc vtraq;: Incertum eſt an liceat fideli cum Infideli matrimonium contrahere; aut ſi hoc certum ſit, incertum certe hoc eſt: An fidelis cum Infideli, nulla ratione matrimonium contrahere poſſit, ſi enim eo animo & lege contrahit fidelis cum Infideli vt Infidelem Domino lucretur, an hoc prorſus illicitum eſt? præterea Apoſtolus liberam facit cohabitationem fidelis cum Infideli: 1. *Cor.* 7. 14. *Si quis frater vxorem habet Infidelem, & hæc conſentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c. Si infidelis diſcedit, diſcedat: Non enim ſeruituti ſubiectus eſt frater aut ſoror in huiuſmodi*: Sicut ergo liberum eſt infidelem coniugem dimittere, ſic & liberum eſt retinere: Et ſi retinere liberum ſit coniugem infidelem, non eſt omnino certum, illicitum eſſe coniugem infidelem accipere: Prima ergo pars, non licet fideli Infidelem coniugem accipere incerta eſt: Secunda pars, non licet coniugem infidelem retinere, incertior multo, & contra Apoſtolum: non enim dicit ſanctus *Paulus*, non licet retinere, ſed *liberum eſt fideli coniugem infidelem, vel dimittere*, ſi ſine iniuria Creatoris retineri non poteſt: vel retinere, ſi Creatori nulla fiat iniuria: *Si conſentit cohabitare, non dimittat; Si infidelis diſcedit diſcedat*: Non dicit Apoſtolus: ſi fidelis diſcedit diſcedat: libertas indulgetur, ſi ſolum verba ſpectamus, Infideli, non fideli, quamvis in ſequentibus, eadem indulgentia etiam fideli concedi videatur, non eſt ſeruituti ſubiectus frater aut ſoror in huiuſmodi. Si omnino illicitum eſſet fideli cum coniuge infideli cohabitare vt autumat *Bellarminus*, non dixiſſet Apoſtolus, *non dimittat eam*, quæ enim illicita ſunt tolerari non debent: etſi ergo non liceat matrimonium contrahere cum infideli, non tamen ſimpliciter illicitum eſt, (quia Apoſtolus illicita non permittit) in matrimonio cum infideli perſeuerare vt aſſerit *Bellarminus*. In hoc matrimonio fidelis cum infideli nihil poteſt Pontifex; non habet poteſtatem

omnia ihi casum.

diſpenſandi:

diſpenſandi aut dirimendi in huiuſmodi matrimonio; *Si cohabitare conſenſerit non dimittat eam; ſi infidelis diſcedit diſcedat*: non dicit, perge ad Pontificem, eius autoritate prohiberis ne dimittas eam: Infidelis ſi diſcedit, autoritate ſiue Iudicio Pontificis diſcedat: poteſt ſua autoritate cohabitare fidelis ſi conſenſerit: poteſt ſua autoritate diſcedere Infidelis, ſi diſcedat: pari ratione, ſi licet Chriſtianis tolerare Regem Infidelem vel hæreticum, autoritate propria licet ſine mandato Pontificis; ſi non liceat Chriſtianis tolerare Regem Infidelem vel hæreticum, id eſt, ſi Chriſtiani debent Regem Infidelem vel hæreticum deponere, propria autoritate deponere debent, ſine iudicio aut poteſtate Pontificis: ſimilitudo iſta poteſtati pontificiæ faciet parum.

Quod ſi pontifex à Sacramento & vinculo Matrimonij carnalis liberare non poteſt, multo minus à matrimonio ſpirituali id eſt a debito obedientiæ & iuramento fidelitatis liberabit: Fortiora enim ſunt vincula ſpiritualia quam carnalia, & obedientia ſubditorum eſt de iure diuino & naturali, & proinde indiſpenſabilis: & Iuramentum fidelitatis de Iure itidem diuino eſt, & naturali, & irritum fieri non poteſt maxime cum ſine Iniuria alterius perſonæ diſſolui non debeat: vt *Iacobus Almayn De poteſt: Eccleſ. & Laica q. 2. cap. 12. ad 7.* Quâ de re fuſius dicturi ſumus *c. 23.*

Illud vltimo loco obſeruet Lector quomodo fraudulenter *Bellarminus* in cauſa hâc matrimonij, ſolum de matrimonio *fidelis* cum Infideli, & non Catholici cum hæretico mentionem facit: Nouerat Apoſtolum ſolum de matrimonio fidelis cum Infideli verba feciſſe: probe nouerat, hæreſim nec matrimonium contrahendum impedire, nec dirimere contractum: in tali matrimonio periculum eſt, peccatum non eſt: quia ergo de hæreſi dicere non poterat, quod peccatum ſit aut cum hæretico matrimonium inire, aut cum hæretico in matrimonio perſeuerare, de Infidelium coniugio tantum locutus eſt: ex quo duo colligat lector.

*P*rimum, non eſt par ratio hæreſeos & Infidelitatis: & proinde authores illi (inter quos primus eſt *Thomas*) qui infideles & Apoſtatas dominio ſuper fideles priuari poſſe per ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ, autoritatem Dei habentis aſſerunt, de hæreticis Regibus intelligendi non ſunt.

Secundum, Sicut hæreſis non diſſoluit matrimonium carnale conſummatum inter Catholicos & hæreticos, quia vinculum indiſſolubile & indiſpenſabile eſt: Sic hæreſis non diſſoluit matrimonium ſpirituale conſummatum inter Regem hæreticum & populum Catholicum; Et quæſtio inter *Barclaium* & *Bellarminum* præcipuè de hæreſi, ſiue de Regibus hæreticis à ſummo pontifice & populo catholico ex authorandis ſiue deponendis vertitur: de Infidelibus incidenter agi-

tur:

tur: Quid enim mihi de his, qui foris sunt Iudicare?

Similitudo ergo ista de matrimonio spirituali inter Regem & populum, quod crimine hæreseos non dirimitur, causam *Bellarmini* euertit vt suo loco fusius videbimus.

CAP. XXI.

Refellitur altera confirmatio 3. rationis Bellarmini, Christiani Iure Neronem deponere non potuerunt, nec conceditur talis potestas. 1. Cor. 6.

1 *Non est hæc potestas data à Petro sed à Paulo, Communis est omnibus Episcopis, nec noua est.* 2. *Non litigandum omnino: nec coram magistratibus Infidelibus.* 3. *Locus iste non tollit authoritatem magistratus Infidelis.* 4. *Iudices isti arbitri erant sine potestate coactiua, & quo Iudicio sancti Iudicabunt mundum & Angelos.* 5. *Arbitri sunt si Iudices, iuxta Chrysostomum, Ambrosium, & Salmeronem.* 6. *De sententia Thomæ, & Lyrani.* 7. *Paulus nec tollit, nec tollere potuit Iurisdictionem principum Infidelium, vbi de viribus Christianorum agitur, de quibus quomodo constat.* 8. *Pontifex non potest eximere subditos ab obedientia iure diuino naturali debita, respondetur Instantijs* 5. *Bellarmini.* 9. *De autoritate Thomæ nec non de Manibus eius.* 10. *De ratione Thomæ & an Infideles merito infidelitatis mereantur amittere dominium super fideles.* 11. *Potestas Iure diuino non de Iure humano, in quo non dispensat vicarius etsi in votis & Iuramentis dispensat.* 12. *Ecclesia primitiua non deposuit hæreticos non solum propter scandalum vitandum, sed maxime ex defectu potestatis, quia non potuit Iudicare eos qui foris sunt, soloq; Deo minores.* 13. *Subiecti erant Christiani Principibus Ethinicis, de Iure, & de facto, & depositio ad superiorem spectat.*

SECVNDA confirmatio tertiæ rationis *Bellarminiana* talis est. *Iure potuerunt Christiani Neronem & alios deponere, si vires temporales habuissent. Id patet ex Apostolo,* 1. Cor. 6. *vbi iubet constitui nouos Iudices Christianos temporalium causarum, ne cogerentur Christiani causam dicere coram* 11

Iudicc

„ *Iudice Chriſti perſecutore: ſicut enim noui Iudices conſtitui poterant,*
„ *ita & noui Principes & Reges, propter eandem cauſam, ſi vires ad-*
„ *fuiſſent.*

Omiſſa hoc loco vlteriore diſquiſitione de viribus Chriſtianorum, an ſufficerent ad tyrannos deponendos: Quâ de re cap.proximo,& ſupra.cap.6.& ſequentibus ſatis diximus: nec non de ſententia *Thomæ* & *Bellarmini* ſubdolâ inverſione verborum *Thomæ*, qui pro *(poteſtate)* apud *Thomam* ſubſtituit *(vires)* ad confirmationem & defenſionem *Bell:* deſcendamus.

In verbis verò Apoſtoli, illud primo loco obſeruandum eſt, nihil hoc ad *Petrum* eiuſq; ſucceſſorem Pontificem Romanum, aut non magis ad ſucceſſorem *Petri*, quam ad quemlibet alium Epiſcopum pertinere: Non enim eſt hoc à Sancto *Petro* ordinatum, vt *Corinthij* iudices ſibi è fratribus i. Chriſtianis deligerent, ſed à Sancto *Paulo*. AEquales erant in hoc opere reliqui Apoſtoli cum *Petro*: æquales ergo & alij omnes Epiſcopi Succeſſores Apoſtolorum cum pontifice Romano: nec auſus eſt *Bell:* inter prærogatiuas ſiue priuilegia Sancti *Petri* hanc ordinationem numerare: Quia ergò commune eſt hoc reliquis Epiſcopis cum pontifice Romano, ad Regum depoſitionem non pertingit, quæ propria & peculiaris eſt paſtoris ſummi: qui curat oues ouiumq; Magiſtros, qui & filios paſcit & patres, qui & agnorum & ovium omnium quas Chriſtus poſſidet curam venditat.

2. Non ordinat hoc loco *Paulus* nouam aliquam poteſtatem, nec novam confert *Corinthijs* authoritatem, novos Magiſtratus ſiue Iudices creandi, quam ipſi *Corinthij* prius non obtinebant. Si enim novam inſtituiſſet Iuriſdictionē, *Corinthijs* incognitam, nunquam redarguiſſet Apoſtolus *Corinthios* tanquam debiti muneris alicuius & cogniti & omiſſi reos: Non enim ſolent Legiſlatores primo loco legis alicuius violationem perſtringere, & poſtea legem ipſam promulgare. In ordine enim naturæ, præuaricationem præcedit lex, reprehenſionem antecedit legis ſiuè debiti cognitio, increpationem præcedere debet doctrina. *Argue, obſecra, increpa, cum omni patientiâ & doctrinâ:* Sic Doctor ipſe gentium, Doctrina ergo in redargutione, in obſeruatione, in increpatione: nunquam reprehendiſſet *Corinthios* hoc loco *Paulus*, niſi prius aut docuiſſet, aut doctos præſeiuiſſet. 2.*Tim.*2.4.

Imò verò non eſt noua hæc poteſtas quâ inter fratres frater, inter Chriſtianos Chriſtianus iudicat. Semper enim à prima mundi creatione in omni communitate hæc erat poteſtas, vt judices ſiue arbitros extraordinarios eligerent, qui poteſtatem tantum voluntariam obtinerent. Et etiam Magiſtratus & Reges ſuos conſtituerent qui poteſtate coactiuâ pollerent, ſi deeſſent Magiſtratus.

Etſi enim poteſtas eligendi Reges apud Iudæos quibuſdam conditionibus

onibus & limitibus concluſa ſit, *Iudeorum vnus è fratribus, prælectus à Domino*, tamen Deo Authore poteſtas populo a Deo delegata eſt: *Conſtitues eum quem elegit Dominus*; elegit Dominus, conſtituit populus: nec negabit populo hanc poteſtatem *Bellarminus*, qui poteſtatem Regiam a Deo eſſe, ſed mediante populo, author eſt; ad quem ſpectat (vti vobis placet) & de forma regiminis, & de perſona regentis, iuxta ius diuinum naturale, ſiue, vt loquitur *Bell.* per inſtinctum naturæ, ſtatuere & diſponere.

Mitto alios, ſolum in hac cauſa teſtem aduoco *Ambroſium Catharinum* in hunc locum: *Omnis namq; iuſta collectio & Reſpub: poteſt ſibi præficere proprios Iudices*: quæ eadem verba habet *Salmeron*, *Tom.* 14. *diſput.* 9. Non ergo inſtituit Apoſtolus nouam poteſtatem quam populus Chriſtianus prius non habebat, nec ſententiam depoſitionis contra *Neronem*, aut alium Præfectum infidelem aut perſecutorem protulit, ſolum conſulit ſiue hortatur (nec enim ibi vox aliqua iubendi niſi ironica) vt quod in ſua erat poteſtate, hoc facerent *Corinthij*.

Nec magnum hoc eſt aut peculiare *Petroq;* & ſucceſſoribus eius dignum, vt ipſi iubeant aut hortentur Chriſtianos, vt illud facerent quod facere ſine iuſſione aut exhortatione Apoſtolica & poterant & debebant, quodq; eodem modo & iure quilibet Epiſcopus & Sacerdos quotidie facit: Potuerunt autem & homines ſub lege naturæ & Moſis & Chriſti, imo & quilibet priuatus cum conſenſu eorum quibuſcum litigat iudices honorarios ſiue arbitros ſibi conſtituere, Sicut etiam deficientibus Regibus ſiue Iudicibus in Magiſtratibus electiuis, conſtituit Reſpublica ſuper ſe nouos Reges & Magiſtratus, idq; ſine licentia aut iuſſione aut hortatu Pontificis aut cuiuſcunq; alterius Magiſtratus ſpiritualis, imo etiam inuitis & reluctantibus. Nihil ergo novum hoc loco inſtituit *Paulus*, nihil novum faciunt *Corinthij*, nihil iubet quod alij Epiſcopi iubere non poſſunt & ſolent, quodq; communitas Chriſtiana ſine juſſu Pontificis aut Sacerdotis facere iure ſuo non poteſt & quotidie facit.

3. Loco: quærendum eſt quid facere hoc loco iubeantur *Corinthij*. Duo ſunt (ſicut conſentiunt omnes, & in textu ipſo manifeſtum eſt) quæ in *Corinthijs* reprehendit Apoſtolus: primum quod litigant cum fraude & malitia, qui iniuriam perferre potius quam malo reſiſtere & litigare aut iubentur, aut ad minimum conſuluntur. Aut enim præceptum eſt neceſſitatis, aut conſiliū perfectionis, quanquam potius præceptum quam conſiliū videatur, cum ita litigare delictum vocetur, quod in omiſſione conſiliorum non cadit. Secundū, quod coram iudicibus infidelibus & iniquis litigant, quia ex huiuſmodi iurgijs & contentionibus ſecreta Chriſtianorum eorumq; imperfectiones rimabantur

bantur Gentiles, & ex huiusmodi infirmitatibus scandalizabantur occasioneq; sumpta fidem Christi blasphemabant, & nonnullos ad Gentilium superstitiones reuocabant; non quod simpliciter illicitum esset coram Iudicibus infidelibus litigare, sed quia huiusmodi lites cum damno Christianæ religionis mouerentur.

Duo ergò hoc loco jubet Apostolus: primum vt non litigent omninò, sed potius iniuriam patiantur: Secundum, vt Magistratus infideles non adeant, sed potius causas suas fratribus, id est Christianis discutiendas permittant: Qua in re illud aduertendum est, quod in hunc locum obseruavit *Caietanus, in 1. Cor.6. Dicendo, (audet) significat se de illis loqui, qui actores erant in judicijs, hoc est qui propriâ voluntate ad profanos ibant judices, & hoc ad differentiam conventorum, in quorum libertate non erat declinare a Judicibus.* Quod etiam ait *Salmeron: cum Apostolus non âgat de his qui in ius trahebantur, nec poterant authoritatem Magistratus declinare, sed de his loquitur, qui fratres ad infidelium tribunalia trahebant.* Conuenti ergo & rei qui in judicium vocati coram infidelibus se sistebant, nec jugum Magistratuum infidelium excutiebant, nec in huiusmodi subiectione peccabant, & proindè non redarguuntur ab Apostolo: non ergo iubet vt non compareant fideles quando vocantur, coram judicibus iniquis & infidelibus, nec eorum iudicijs acquiescant, sed hoc vetat, ne ad iudices infideles causas suas deferant, ne extra Ecclesiam: *quæ arcanorum mysteriorum Thesaurus est* (vti loquitur *Chrysostomus, Hom. 26. in 1. Cor.6.*) omnia extra efferantur.

Quod verò locus iste authoritati Magistratuum infidelium nihil deroget, nec ad depositionem Neronis aut cuiusquam Regis infidelis quicquam faciat, docet praxis Ecclesiæ *Corinthiacæ* (cui hæc scripta est Epistola) in quâ nemo inuentus est, qui contra *Neronem* aut alium quemvis Magistratum infidelem, aut hiscere, aut manum levare vnquam cogitauit, nec *Corinthij* ita Apostolo immorigeri erant vt eius mandatum negligerent aut contemptui haberent, nec adeò seruitutis, aut infidelitatis, aut paganismi amantes vt libertatem quâ ab infidelium iugo subtraherentur respuerent; nec revera ante schisma inter Regnum & Ecclesiam quisquam locum hunc ad Regum depositionem vnquam detorsit.

Theodoretus in verba Apostoli hæc habet: *Sciendum est autem hæc non repugnarijs quæ ad Romanos scripta sunt; neque enim iubet resistere Magistratibus, sed præcipit, vt qui iniuria affecti sunt non vtantur Magistratibus: eligere enim aut iniuriâ affici, aut de eare, ab ijs cognosci, qui sunt euisdem fidei, pendet ab eâdem sententiâ.* Durandus etiam obiectioni ex hoc loco Apostoli sic respondet *In 2. Sent. Dist.44 quæst.3 num.14.*

Ad

Ad ſecundum argumentum dicendum quod maior eſt falſa, obedire enim Principi in his quæ ad huiuſmodi dominium pertinent eſt neceſſitatis, trahere autem alium ad iudicium coram iudice infideli eſt voluntatis, & ideo primum eſt debitum, ſecundum verò non, ſed mere voluntarium: Vnde vbi vergit in periculum, eſt illicitum; in quo caſu loquitur Apoſtolus. Inſuper annotandum eſt (inquit *Ambroſius Catharinus* in 1. Cor. 6,) *Non reprobari hic iudicium infidelium, cum & ipſi habeant poteſtatem à Deo, nec vetat quo minus obediant ſuis Præſidibus, quandò illi vocarent in ius, & eſſent ſub eorum iuriſdictione, ſed hoc tantum prohibet ne ipſi ſuâ ſponte procurent atque accedant ad eos apud quos litigent, cum habeant ipſi meliorem à Deo in hoc ipſum poteſtatem: nec me præterit ſuperiorem locum aliter à* B. Bernardo *exponi in lib. de Conſideratione, at quod mihi magis placuit enarrani.* Eodem modo *Aquinas* & *Lyranus* hunc locum intelligunt vt poſtea videbimus.

Hic inter *Barclaium* & *Bellarminum* oritur quæſtio, quales fuerint hi iudices quos *Corinthij* ad lites ſeculares dirimendas conſtituere iubentur: *Iudices iſti de quibus loquitur Apoſtolus meri arbitri erant ſine iudices voluntarij, ſine imperio, ex quorum conſtitutione nihil iuriſdictionis detrahebatur Principibus Ethnicis*, Hæc *Barclaius*: Quid contra *Bellarminus? Ego vero* (inquit) *fateor quidem non habuiſſe Iudices illos Chriſtianos iuſſu Apoſtoli conſtitutos vim coactiuam in foro exteriori et ſi CHRISTIANI vocati fuiſſent ſine ab Ethnicis ſine CHRISTIANIS, ad tribunalia Ethnicorum Iudicum debuiſſe omnino parere.*

Arbitri ſunt ſiue Iudices ſine Imperio voluntariam iuriſdictionem exercentes: Sic *Barclaius. Non ſunt meri arbitri ſine iudices voluntarij, quia Arbitri à partibus litigantibus eliguntur & ex pacto iudicant; at iudices iſti authoritate publicâ multitudinis conſtituti ſunt, & obligabantur fideles in cauſis civilibus hos adire, gentilium verò tribunalia accedere prohibebantur:* Sic *Bell.* Et veri ſunt Iudices ſicut & infideles veri erant iudices, vt ex verbis Apoſtoli probari poteſt: qui æquè refert verbum judicari ad iniquos & ad ſanctos.

Non ſunt Iudices ordinarij vi coactiuâ præditi, Iudices tamen dici poſſunt quatenus arbitri, & iudicant arbitri ſicut & ordinarij Iudices, etſi in poteſtate coactiuâ differant. Vnde ex relatione verbi efficax non petitur argumentum; 1. *Cor.* 3. 15. *Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur.* Et alibi, 1. *Cor.* 14. 24. *Diiudicatur ab omnibus.* In his alijſq; locis habetur verbum iudicandi, vbi judicium non cum iuriſdictione coniungitur. Quin & arbiter iuxta legem Imperialem dicitur *Iudex compromiſſarius*, *ff. De receptis Arbitris l. cum lege: & de controuerſijs iudicare poteſt Arbiter, Ibid. l. de his rebus.* Arbiter ergo & Iudex eſt verus & iudicat, & ſententiæ eius

standum est, sicut & sententiæ Iudicis ordinarij, non ex vi coactiuâ sed ex compromisso. Ex eo igitur quoddicitur iudicare, verum iudicium non evincitur.

Sed addit Apostolus: *Sancti iudicabunt mundum, imo & Angelos; quanto magis secularia? Ecclesia ergo suo iure potest de secularibus rebus iudicare, cum sit iudicatura cum Christo totum mundum, & ipsos Angelos Apostatas, in die vltimi iudicij: & certè Christus & Ecclesia non iudicabunt vt arbitri sine imperio & iurisdictione mundum.*

Locus iste obscurissimus proculdubio & difficillimus: multa enim & diuersa sunt iudiciorum genera, è quibus quodnam sit illud quo sancti iudicabunt ambigi potest: primo, enim est judicium *dispositionis*, quo increduli iam iudicati sunt. *Ioan.* 3. secundo, Est iudicium *principalis authoritatis*, quo iudicat tota Trinitas · tertio, Est iudicium *definitionis* siue *prolationis sententiæ*, sic Christus homo iudicat: quarto, est iudicium *assessoriæ dignitatis* quo duodecim Apostoli: quinto, est iudicium *comparationis*: sexto, est iudicium *remunerationis*. Vtrum vero sancti omnes iudicabunt mundum, Apostoli autem Angelos iudicaturi sint, iudicio comparationis, vel approbationis, vel potestatis nondum convenit inter doctos. Etsi enim de duobus prioribus, comparationis & approbationis, omnes concordent, quia (vt obseruauit *Chrysostomus Hom.* 16. 1. *Cor.* 6.) *in vobis iudicabitur mundus, non à vobis; in vobis vt in Reginâ Austri & Niniuitis*: qui non iudicabunt mundum potestatiue sed comparatiue, & præterea *Haymo* in locum diserte, *Exemplo fidei suæ & comparatione melioris facti, non potestate sicut judices seculi*: de judicio tamen potestatis non consentiunt.

At Christus & Ecclesia non iudicabunt vt arbitri sine imperio & iurisdictione. De Christo dubium non est, judicabit cum potestate & in virgâ ferreâ. Atqui hoc est subdolũ & fallax in *Bell.* quod cũ de *Christi* iudicio in toto hoc loco *Apostoli* nulla sit mentio; *Christum* iudicem vivorũ & mortuorũ in hac disputatione immiscuit; de cuius imperio siue potestate iudiciaria & coactiua nullus vnquã dubitauit Christianus. Etsi vero *Christus* in die iudicij iudicabit nõ vt *arbiter* sed vt *Iudex*, at Ecclesiam in die iudicij non solũ cõparatiue & approbatiue sed etiã potestatiuè iudicaturam, id adhuc incertum est, imo negarunt *Chrysostomus* & *Haymo*. Sic certis incerta admiscet *Bell.* vt non tã doceret quã incautũ falleret Lectorem. Quod autem ex verbis sequentib⁹ Ecclesia (i. in sensu suo pontifex) judicet de secularibus a sensu verborũ est alienũ; vti patet ex *Sedulio in hunc locũ*, & *Gregorio, moral. l.* 19 *c.* 21. *in fine*, qui proximũ a te citatũ locũ interpretantes aiunt: *Contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ illos constituite ad iudicandũ: acsi apertè dicat, qui minoris meriti sunt in Ecclesiâ, & nullis magnorũ donorũ virtutibus pollent, ipsi de terrenis negotijs iudicent, quatenus per quos magna nequeunt, bona minora suppleantur; quos & contẽptibiles*

tibiles nominat, & tamen sapientes vocat, cum dicit, Sic non est sapiens inter vos quisquam, &c. Quâ ex re quid colligitur, nisi vt hi terrenas causas examinent qui exteriorem rerum sapientiam perceperunt? qui autem spiritualibus donis ditati sunt, profectò terrenis non debent negotijs implicari; vt dum non coguntur inferiora bona disponere, exercitati valeant bonis spiritualibus inseruire. Thomas etiam in hunc locum: *Dixerat quod Sancti idonei sunt ad iudicandum secularia, & ideò vult ostendere per quos debeant Iudicia secularia exercere; scil: per contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ; vocat autem contemptibiles illos, qui sunt sapientes in rebus mundanis:* per comparationem, ad illos qui sunt sapientes in rebus diuinis, quibus est reuerentia exhibenda, quià in rebus temporalibus non occupantur, vt solis spititualibus vacent: vtcunq; ergo Ecclesia iure suo possit iudicare de secularibus, at per quos potest? Per Reges & potestates seculares, quia rerum mundanarum sapientiam habent, idq; potestate ordinariâ & coactiuâ: potest etiam per viam arbitrij, per Iudices & arbitros, vel per litigantes, vel communi Christianorum voto & suffragijs electos, sine potestate tamen coactiuâ vti *Bellarminus* ipse, de rebus secularibus iudicare: at quod Ecclesia i. pontifex, aut Episcopus iure suo i. quâ tales, de secularibus iudicent: nec viam jurisdictionis siuè potestatis ordinariæ & coactiuæ tum à veritate rei, tum ab officio Clericorum, tum a sensu Apostoli, alienum est: dato enim quod in *Christo*, & Apostolis & pontificibus, reliquisq; clericis, sit habilitas siue aptitudo ad iudicia secularia exercenda, vt tamen exerceant, opus est constitutione siue ordinatione aliquâ: dicit enim Apostolus: *Hos constituite*; & *Christus, Quis me constituit judicem.* Luc. 12. 14. *Quare sciendum est* (inquit *Catharinus* in hunc locum) *quod Apostolus non arguit indicium actuale secularium ex judicio spiritualium, sed habilitatem huius judicij.* Apostoli vero eorumq; successores, nec a Christo ipso nec ab vniuersali Ecclesiâ, nec a Repub. Christianâ, nec a Regibus potestatem in temporalibus coactiuam habentibus, judices secularium constituti sunt: Ecclesia ergo id est pontifex vel Episcopi nec jure suo nec jure Ecclesiæ, nec iure reipub. potest de secularib⁹ iudicare: Quamuis aliter sentire videatur *Augustinus*, in libro sibi ascripto de operibus Monachorum, vbi hos iudices, *examinatores negotiorum*, & Enarr. in *Psal.* 118. concion. 24. vbi *eorum iudicata posse contemni*, asserit, quæ iudicium coactiuum non sapiunt, & etiam *cognitores non inforo* vocat. Imo Christiani (qui nomine Ecclesiæ rectius gaudent quam soli Clerici, non qua Christiani & ciues regni cœlorum, sed qua homines & ciues Regni terrestris authoritatem de rebus secularibus iudicandi, aut seculares iudices constituendi habent.

Vnde in præfatione Dialogorũ, *Gregorius Magnus.* Quodam die nimis quorundam secularium tumultibus depressus, quibus in suis negotijs

plerumque cogimur ſolvere, etiam quod nos certum eſt non debere.

„ At ſequitur. *Secularia igitur judicia ſi habueritis in Eccleſiâ, contemptibiles conſtituite ad iudicandum; quià ergò malum eſt judicari apud iniquos Gentiles, & Eccleſia habet authoritatem judicandi, conſtituite communi conſenſu ſecularium controuerſiarum judices; non dicit conſtituat vnuſquiſq; ſibi eligat ſibi arbitros:* Hæc *Bellarm.*

Non laborat *Barclaius* vtrum conſtituantur hi *judices* ſiue *arbitri*, à multitudine ſiue à ſingulis litigantibus; ideo *Barclaius: De communi conſenſu Iudices conſtituti:* quanquam ſi à multitudine, etiam ex conſenſu ſingulorum conſtituantur, & non niſi ex ſingulorum conſenſu obligent: fatetur enim *Bellarminus* eos non habere vim coactiuam in foro exteriore, at in foro interiore coactio nulla niſi ex conſenſu & voluntate; aliter enim anima cogi non poteſt. Potuit ergo *Bellarminus* verba *Caietani* omiſiſſe, quæ nihil ad rem faciunt; monet vt ſapiens aliquis conſtituatur Iudex multitudinis fratrum; non dicit, conſtituatur a multitudine fratrum; quod tamen non negabit *Barcl.* Si ſinguli litigatores in arbitrum vel arbitros conſentire poſſunt ex compromiſſo, eodem iure poteſt multitudo fratrum.

Iudicium ergo Eccleſiæ quale ſit, ambiguum eſt: Ex hoc tamen, tanquam fundamento, ſic infert: habet Eccleſia Ius & authoritatem iudicandi de ſecularibus, & ſeculares judices conſtituendi, ne fideles cum ſcandalo, infidelium tribunalia adeant: ergo habet authoritatem abrogandi Principibus infidelibus imperium ſuper fideles.

Maior propoſitio deeſt. *Qui* habent poteſtatem conſtituendi, habent poteſtatem deſtituendi: quæ falſa eſt: Populus enim, qui in Regnis electiuis habet poteſtatem Reges inſtituendi, deſtituendi non habet, vt multis docuit *Barcl.* contra Monarchomachos: *Quia abundantioris poteſtatis eſt priuare, quam inſtituere, nam inter corporalia & ſpiritualia illud differt, quod corporalia facilius deſtruantur quam conſtruuntur, incorporalia autem è contra: ideo ad deponendum aliquem, vel degradandum, maior poteſtas & ſolennitas requiritur, quam ad ordinandum eum: Vt Abulenſ. in* 3. *Reg. c.* 11. *q.* 35. Vnde etiam *Gregorius* 7. in Epiſt: citata a *Bellr. Ep.* 21. *l.* 8. ait, *Aut quis eorum* (Regum) *poteſt aliquem Clericorum in ſanctâ Eccleſiâ ordinare, quanto minus pro aliquâ culpa deponere:* Plus ergò eſt deſtituere quam conſtituere; & proinde qui habet poteſtatem conſtituendi, deſtituendi itidem poteſtatem non habet.

De minore propoſitione ſatis dictum, ſatiſq; oſtenſum, quam falſa fallaxq; ſit. Vndè præmiſſis deſtructis, ruat concluſio neceſſe eſt. Quanquam hic etiam obſeruandum eſt, quomodò plus ſit in hac concluſione quam in priore; ſicut noui Iudices conſtitui poterant, ita & noui Principes & Reges propter eandem cauſam, ſi vires adſint. Licet enim

prior

prior Concluſio ſpeciem aliquam veri habeat; *Poſſunt Chriſtiani nouos Iudices cauſarum temporalium conſtituere, ne cogantur Chriſtiani cauſam dicere coram Iudice Chriſti perſecutore*; Ergò eodem jure, propter eandem cauſam, poſſunt novos Principes & Reges conſtituere, eadem enim videtur authoritas in ſocietate ſiue Repub: quæ iudices, quæq; Reges conſtituit. Attamen par oportet ſit ratio, & comparatio: ſicut enim Iudices iſti novi, nihil detrahebant poteſtati ſiue authoritati Imperatorum & Magiſtratuum politicorum, quibus in ſecularibus vocati ſiuè conuenti Chriſtiani obtemperabant, vt ſupra ex *Theodoreto*, *Caietano*, *Catharino* docuimus; & infra ex *Thoma* & *Lyrano* probat *Barel*: Sic etiam Reges ſiuè Principes iſti coactiuâ poteſtate vacui, Regum & principum iuriſdictioni detrahere non debent; quod quid aliud eſt, quam Reges Fabiarios in feſto Epiphaniæ, vel principes juventutis in Bacchanalibus conſtituere, vti poſtea aſſerit *Barel*.

At concluſio iſta poſterior: *Ergo Eccleſia habet poteſtatem abrogandi Principibus infidelibus imperium ſuper fideles*; nullam habet veri ſpeciem, nulla ratione cum præmiſſis cohæret.

Quid enim commune eſt præmiſſis cum concluſione? principes enim Ethnici veram habent poteſtatem eamq; coactiuam in ſecularibus; vti *Thomas* & *Bellarm.* fatentur; vt poſt dicemus. Iudices autem iſti novi poteſtatem habent voluntariam & arbitrariam tantum, & poteſtati *Imperatorum* & Magiſtratuum nihil derogabant, multo minus eos deponebant; quomodo ergo infert *Bell*: poſſe Eccleſiam imperium Infidelium abrogare?

Præterea concluſio iſta *Bellarmini* cauſam peſſundat: ſi enim populus Cleruſq; *Corinthiacus* poſſit imperium infidelibus ſuper fideles abrogare, quid opus eſt pontifice, cenſore Regum, qui eos in ordinem cogat, aut imperio priuet? ſi Eccleſia particularis *Corinthiaca* habeat poteſtatem novos Iudices conſtituendi, infideleſq; principes abrogandi, quare inter caſus reſeruatos hanc poteſtatem numerant Canoniſtæ? Si Eccleſia vel Reſpub. Chriſtiana, *Petro* vel eius ſucceſſore non conſulto, poſſit infideles Principes abrogare, & novos conſtituere, poteſt etiam judicare de deponendis. Iudicialis enim depoſitio præcedit actualem, & executionem ſententia: & proinde aſſumptio tertiæ rationis generalis prorſus euertitur, in qua aſſerit *Bell*: quod ad pontificem ſpectet judicare, An Rex ad infidelitatem vel hæreſim pertrahat, & ad eundem etiam ſpectat iudicare Regem deponendum. Si enim locus iſte Apoſtoli poteſtatem Eccleſiæ, vel potius Reipub. tribuat Regis deponendi, nihil *Petro* aut pontifici relinquit.

Præterea locus iſte ſolum de Infidelibus principibus intelligendus eſt, non de hæreticis: Infidelium autem & hæreticorum non eſſe parem rationem apud Apoſtolum facile colligemus ex cap. 7. huius

Epiſtolæ : Infidelitas enim ſoluit coniugium inter fidelem & infidelem : hæreſis non diſſoluit matrimonium inter Catholicos & hæreticos, vti ſupra docuimus.

5 Proximo loco tacitæ reſpondet obiectioni, id eſt authoritati Sancti *Chryſoſtomi*, qui hos iudices *arbitros* dixit: eius verba ſunt. *Cum enim frater cum fratre litigat, nequaquam ſapientiâ & grauitate opus eſt Arbitro Controuerſia, cum affectus & cognatio, multum faciat, ad hanc contentionem ſoluendam. Non loquitur hic* Chryſoſtomus, *nec alius interpres, quod* » *ſciam, de arbitris electis à partibus:* Sic *Bellarm*: Nec refert ſiue a partibus, ſiue a communitate electi ſint arbitri, modo poteſtatem ſolum arbitrariam, ſiue voluntariam, non coactiuam habeant: primum enim fatetur *Barclaius*, ſecundum agnoſcit *Bellarminus*: *Et horum arbitrorum poteſtas tantum voluntaria eſt.* Omnis enim iuriſdictio aut coactiua eſt, aut voluntaria; coactiuam eſſe negat *Bellarminus*, voluntaria ergo eſt, quæq; ſolum in foro interiore locum habet: parebant enim Chriſtiani his iudicibus a multitudine electis, non coactè ſed ſponte; id quod apertè inſinuat *Chryſoſtomus*, cum inquit, *Affectus & cognatio multum faciunt ad hanc contentionem ſoluendam.* Affectus & cognatio in iuriſdictione hâc, vinculum eſt & ligamentum; ſpontanea ergo erat hæc poteſtas non neceſſaria: neq; vero novum eſt, vt ſint arbitri quidam publici, publicâ authoritate conſtituti cum Iudices ordinarij, prætores, alijq; plurimas cauſas ad cognitionem arbitrorum deferant, eorumq; ſententiam roborent.

Quod ad alios interpretes attinet, vox iſta, *Arbitri*, apud *Ambroſium* in hunc locum habetur. *Manifeſtum eſt, quia infideles aut Arbitros, vt aſſolet fieri poſtulatos ſignificat, aut Iudicem publicum, cui dici ſolet, Hodie dies ſacrorum eſt, ius dici non poteſt:* Ecce cum coniunctione diſiunctiua, Aut contraponuntur, Arbitri, & Iudices publici.

Salmeron vero (quod miror *Bellarminum* latuiſſe) de Arbitris hunc locum intelligit. Eius verba ſunt, *Tom. 14. Diſp. 9. Et obſerua de quibus cauſis agat: Non publica iudicia extra poteſtatem noſtram ſunt, nec arbitrio noſtro debent tranſigi: De priuatis autem negotijs licet tranſigere abſque Magiſtratus conſcientiâ: nam perſtringit* Paulus Corinthios, *vt qui vellent ſapientes & prudentes videri, nec tamen inter ſe arbitros conſtituant, qui ſoluant inter fratres controuerſias.* In quibus verbis duo obſeruet Lector: Iudices hi erant *Arbitri*, vt videtur priuati, quia *inter ſe*: Et Iudicia iſta publicis Iudicijs quæ extra poteſtatem Chriſtianorum erant, nihil detrahebant: quod tamen ex hoc loco inferre conatur *Bell.*

improprie uocem [arbitros] usurpat ut etiam Chrysost.

6 Ad huius veritatis probationem vrget *Barclaius* verba *Thomæ* & *Lyrani*. *Sed videtur eſſe contra id quod dicitur* 1. Pet. 3. *Subditi eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſiue Regi, tanquam*

præcellenti,

præcellenti, siue Ducibus, tanquam ab eo missis: pertinet enim ad authoritatem Principis iudicare de subditis. Est ergo contra Ius diuinum prohibere, quod eius iudicio non stetur, si sit Infidelis. Sed dicendum, quod Apostolus non prohibet, quin fideles sub infidelibus Principibus constituti, eorum iudicio compareant, si vocentur; hoc enim esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus. Sed prohibet quod Fideles non eligant voluntarie Infidelium iudicium. Hæc Thomas.

Apostolus non prohibet hic Fideles sub Principibus infidelibus constitutos comparere coram eis quando vocantur: hoc enim esset contra subiectionem quæ principibus debetur, sed prohibet ne voluntariè recurrant ad Iudices infideles, in illis negotijs, quæ determinari possunt per fideles. Sic *Lyranus.*

Ad hæc sic respondet Bellarminus: *Fateor non habuisse Iudices illos Christianos, iussu Apostoli constitutos, vim coactiuam in foro exteriori; & si Christiani vocati fuissent, siue ab Ethnicis, siue à Christianis, ad tribunalia Iudicum Ethnicorum, debuisse omnino comparere. Et hoc est solum quod S. Thomas & Lyranus docent.*

Vbi vero apud *Thomam* & *Lyranum* habetur hoc *solum*? *Subiectio debetur Principibus Infidelibus; & est contra ius diuinum, prohibere quod eius iudicio non stetur, si sit Infidelis: & pertinet ad authoritatem Principis iudicare de subditis.* Hæc habentur apud *Thomam.* Ex quibus manifeste infertur: Primò, quod principes Infideles authoritatem habent in subditos Christianos in secularibus de iure diuino, non solum de facto, vti asserit *Bellarminus*; nihil enim debetur, quod non iure debetur. Secundò, quod subiectio debetur principibus Infidelibus ex iure diuino, & proinde merito Infidelitatis non merentur amittere Dominium super fideles, vt alibi falso asserit *Thomas, 2. 2. quæst. 10. Art. 10. in Corp.* Tertiò, quod, qui prohibet hanc subiectionem infidelibus principibus debitam, quique Dominium & authoritatem in subditos Christianos principibus infidelibus abrogat, contra ius diuinum facit. Quartò, quod ad officium siue authoritatem principis infidelis pertinet, iudicare de subditis Christianis. Et officium hoc, authoritas ista à Deo data est, & proinde à solo Deo hoc officio, hac authoritate priuari possunt, qui solo Deo minores sunt: Plus ergo apud *Thomam* & *Lyranum* habetur, quam illud solum, hoc scilicet, neminem, & proindè ne pontificem quidem Romanum, posse prohibere, vt subditi principi infideli in secularibus non obtemperent; quia subiectio ista de iure diuino est; nec potest pontifex contra ius diuinum dispensare.

Quin etiam *Gabriel Biel, in Canone Missæ. Lect. 75. in fine.* testis ex parte *Bellarmini* productus, & proinde omni exceptione maior, hæc habet: *Ad authoritatem Beati Pauli, 1. Cor. 6. dicitur, quod Apostolus*

postolus prohibet fideles, causas contra alios fideles agere, coram infidelibus Iudicibus, non coram secularibus fidelibus. Neq; tamen intendit prohibere Corinthios in omni casu apud Infidelet iudicari; neq; quod soli fideles debent secularia iudicare: Sed illos solummodo reprehendit, qui indiscretè, malitiosè, & cum scandalo apud Infidelet & iniquos iudicari volebant. Nec facit ad propositum quod non reprehendit secularium, sed infidelium iudicium. Unde dicitur: Iudicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesiâ, illos constituite ad iudicandum: Contemptibiles illos non æstimo Clericos fuisse, qui altiorem Laicis gradum in Ecclesia sortiuntur. Hanc materiam late & profunde persequitur venerabilis Guil. Ockam in suo Dialogo. l. 6. part. 1. & part. 3. tract. 2, l. 2.

Iacobus Almayn, alter testium Bellarminianorum, hæc habet, de potestate Ecclesiastica & Laica, quæst. 1. cap. 10. *Alia authoritas habetur*: 1. Cor. 6. *Angelos iudicabimus, quanto magis secularia? Ergo magis, quia Clerici sunt ex officio spectat de secularibus iudicare. Quantum ad hoc*, Occam *optime solvit: Reprehendebat enim Paulus fideles, qui conueniebant sese mutuo coram iudicibus infidelibus: admonebat enim eos vt componerent inter se, antequam adirent iudicium; & si non possent, quod ex consensu partium aliquos deligerent Arbitros* (Ecce, Arbitri ex consensu partium electi:) *Si autem non, tandem recurrerent ad ordinarium Iudicem, & ita debet facere quilibet vir bonus. Undè, Nos Angelos iudicamus, supple iudicio approbationis, approbando beatitudinem bonorum & damnationem malorum: Quanto magis secularia iudicabimus: Iudicio supple approbationis? approbando illud esse iustum aut iniustum: vnde in illis duabus propositionibus concordat maior pars Doctorum.* De expositione etiam huius loci consule eundem, cap. 14. ibidem.

Ioannes Parisiensis; alter testium Bellarminianorum (sed quem tunc non viderat *Bellarminus*, alias eum nunquam produxisset:) hæc habet, de potestate Regia & Papali, cap. 15. Quod autem tertio dicitur: *Nescitis quoniam Angelos iudicabitis? Respondeo secundum* Ambrosium, *& alios Sanctos Expositores: Apostolus loquitur, non Clericis specialiter, sed generaliter fidelibus, qui eligebant in causis secularibus Iudices seculares in scandalum fidei nostræ, & quasi inter fideles non esset sapiens ad Iudicandum: Et hoc merito reprehendit.*

„ Quod vero ex *Iustino* obijcit *Bellarminus*, *Quod arbitria Principum pro legibus erant; qui tamen Principes veri iudices erant, & arbitria eorum vera iudicia, licet ex naturali suo iudicio & non ex præscripto legum iudicabant*; nihil causæ nostræ incommodat. Notum enim est omnibus, Principes illos non solum *Arbitros*, sed etiam Iudices ordinarios & supremos siue absolutos fuisse, potestate coactiuâ in foro exteriori

exteriori præditos; quorum arbitria, & Iudiciorum & legum vim obtinebant, sicut Rescripta Imperatorum iura dabant populis, & Rescripta siue Epistolæ Decretales ius Canonicum constituunt: Principes ergo isti & *Arbitri* erant, quiâ non secundum legum præscripta, sed secundum regulas rectæ rationis & iuris naturalis iudicabant: & plusquam *Arbitri*, id est Reges siue Principes, siue iudices supremi, qui potestatem vitæ & necis habebant: reuerâ supremi, penes quos summa erat potestas, iurisdictio scilicet, siue potestas legum condendarum. In his vero *Arbitris*, quorum meminit *Chrysostomus*, nec potestas coactiua, nec iurisdictio in legibus ferendis vlla, sed tantum voluntaria, ex submissione priuata vel publica, qui secundum æquum & bonum iudicabant. Sicut vero iudicium in iudice ordinario est *Arbitrium boni viri*, qui ex præscripto & regula legum sententiam profert: sic *Arbitrium* in Iudice compromissario est iudicium boni viri, qui ex lumine rectæ rationis, vel naturalis, vel supernaturalis, sententiam fert. Neque verisimile est aut *Chrysostomum*, aut *Ambrosium*, aut alios interpretes Apostoli ex *Iustino* acceptionem huius nominis, *Arbitrij* didicisse. Abundè penuriam suam prodit *Bellarminus*, qui relictis, & Legistis, & Scholasticis, & Patribus, sensum aut vsum huius vocis *Arbitrij* ex *Iustino* petit.

Ex his duo infert *Barcl.* 7.

Primò, *Nihil iubet Apostolus hoc loco quod iudicium, iurisdictionem & imperium infidelium, in Christianos aut tollat, aut minuat, aut eidem vllo modi præiudicet.*

Secundò, *Nihil iustè iubere potuit Apostolus, contra hui⁹modi subiectionem, quia iuris est naturalis, Dei authoritate confirmati, teste Ambrosio, & Apostolo*, Rom. 13.

Primum concedit *Bellarminus* his verbis: *Non præiudicat Apostolus* „ *per illam Iudicum Christianorum constitutionem, iurisdictioni & imperio* „ *Principum infidelium, quoniam non ixbet Christianis, vt non compareant* „ *coram Iudice infideli si vocentur, sed tantum præcipit, vt sponte non accedant.* „

Vnde infero.

Non præiudicat Apostolus in hoc loco iurisdictioni principū infidelium super fideles: malè ergo abutitur hoc loco *Bellarminus*, ad depositionem, & proinde ad maximum præiudicium Regum infidelium, qui ex hoc loco potestatem regum deponendorum colligit, quam hoc loco Apostolus non intendit. Responsio ergo ista argumentum siue confirmationem hanc *Bell.* prorsus euertit. Si enim iussio Apostoli non præiudicat imperio siue iurisdictioni principum infidelium super Christianos, à minori ad maius, non tollit Dominium infidelium super fideles. *Qui enim non potest facere quod minus est, nec potest illud quod maius est facere: & argumentum à minori ad maius valet negatiue.*

nec hoc docet Bellarm.

Non

Non poteſt præiudicare: ergo nec deponere. Et in Republica Chriſtianâ, non præiudicat, multo minus deponit Regem, qui *Arbitrum*, cauſæ ſuæ, cum conſenſu aduerſæ partis conſtituit, nec ad Magiſtratum pro qualibet iniuriâ recurrit: Et in Eccleſiâ, multi quotidie, cauſarum ſuarum *Arbitros*, ex pacto ſiue compromiſſo conſtituunt, nec tamen aut iuriſdictioni Eccleſiaſticæ præiudicant aut principem ſpiritualem Dominio priuant.

„ Quod ad ſecundum attinet. *Id* (inquit Bellarminus) *ſine graui erro-*
„ *re dici non poſſe arbitror: quod ſcilicet Apoſtolus non potuerit Chriſtianos exi-*
„ *mere à ſubiectione Principum infidelium, ſi id vtile vel neceſſarium cenſuiſſet,*
„ *& vires ad perficiendum habuiſſet.*

Quis vero iſte grauis error eſt? Clericos exemptos fuiſſe ex gratiâ & indulgentiâ Imperatorum Chriſtianorum, à iuriſdictione minorum ſiue inferiorum Magiſtratuum in Primitiuâ Eccleſiâ ſatis conſtat: Ab Apoſtolo omnes Chriſtianos exemptos fuiſſe, aut ſaltem eximi potuiſſe, à ſubiectione principum infidelium, nondum conſtat. Antiquitas talem in Apoſtolo poteſtatem ignorauit, aut diſſimulauit: & Chriſtiani in primitiuâ Eccleſiâ talem à perſecutorum & hæreticorum tyrannide exemptionem, pro 700 annos experti non ſunt: Et fruſtranea videtur poteſtas illa, quæ per 700. annos (in quibus & vtilitas magna & neceſſitas ſumma huius liberationis) non reducitur in actum; & parum prouidi gregis Domini erant præſules illi, qui miſeros, afflictos, mortique traditos Chriſtianos, ab inimicorum iniurijs & oppreſſionibus, cum facile poſſent, non liberârunt.

Quod ſi de viribus quæſtio inſtituatur, dicat quid hoc ſit, *Si vires ad perficiendum habuiſſet*. Poteſt enim Deus per paucos, ſicut per multos victoriam dare. Trecenti ſub *Gedeone* infinitam incircumciſorum multitudinem debellârunt, *Iud. 7. Ionathan & Armiger* eius, copioſum Philiſtæorum exercitum fugarunt, 1. *Sam.* 14. Et ſiquidem cauſa hæc Deo grata eſſet, non deeſſet auxilium diuinum, vbi deeſt humanum. *Vnus veſtrum decem, decem veſtrum centum, centum mille fugabunt*. Si in adiutorio diuino fiduciam ſuam collocaſſet *Bellarminus* toties de viribus humanis mentionem non feciſſet. Verum quia huiuſmodi rebelliones & proditiones, parum proſperare ſolet Deus, quaſi de auxilio diuino deſperabundus, toties ad vires & arma humana conclamat. Ne verò nomine virium toties incautos fallat Catholicos, dicat nobis *Bellarminus*: quomodo dignoſci poſſit, *An Chriſtiani vires ad perficiendum: id eſt, Regem deponendum habeant*: Quid enim? An tunc vires habent Chriſtiani, cum plures numero ſunt? Quare ergo in prælio ceciderunt Iſraelitæ quindecies plures, coram fratribus Beniamitis? *Iud. cap.* 20. An impares viribus

ſunt

sunt quando pauciores numero? Quomodo ergo ducenti illi & triginta pueri Principum cum septem millibus Israelitarum *Benhadad* vicerunt? 3. *Reg.* 20. 15. Quomodo exercitus Israelitarum, quasi duo parui greges Caprarum, numeroso *Benhadad* exercitui par? *vers.* 27. Quomodo inermis *Dauid Goliam* armatum prostrauit? *Bonum est confidere in Domino, quam confidere in homine, quam confidere in Principibus, Psalm.* 117. 8. Non audit Psalmistam, *Psalm.* 142. 2. qui vires tantum humanas considerat. *Nolite confidere in Principibus, in filijs hominum, in quibus non est salus.* Cum ergo de viribus externis, nullum certum dari possit iudicium, quia & pauci vincere, & multi vinci possunt, arenosa est hæc doctrina *Bellarmini*: quâ Christianos à subiectione Principum Ethnicorum liberat, si vires ad perficiendum habeant. Verum enim vires habeant, nesciunt homines, solus scit Dominus exercituum, qui solus victoriam dat. Verum quid hoc ad Pontificem Romanum? An *Paulus* vicarius est *Christi, Co-uicarius vero Petri?* An omnes Episcopi, *Pauli* successores, in alijs Ecclesijs, possunt Christianos à subiectione Principum infidelium eximere? Non ergo peculiare hoc est & proprium *Petro* eiusque successori, Pontifici Romano, sed commune *Paulo* alijsque Apostolis & eorum successoribus Episcopis, vt Christianos à subiectione Principum infidelium eximerent, id est Reges infideles deponant: Quot ergo sunt Episcopi, tot sunt Domini & Iusticiarij Regum, qui eos in ordinem cogant: Quique soli Deo tanquam Iudici subijciuntur, tot Dominos & Iudices habent, quot Episcopos in Regnis suis admittunt.

Sed non placet ratio *Barclaij. Omnino* (inquit *Bellarminus*) *est infirma*: Ipsa hæc est. 8.

Subiectio Christianorum est de iure naturali;
Ergo Apostolus non potuit Christianos ab huiusmodi subiectione eximere.

Non negat *Bellarminus* assumptionem, sed propositionem, quæ huiusmodi esse debet: Non potest Apostolus Christianos eximere à subiectione de iure naturali debita. Hic iam controuertitur, an possit Apostolus eximere à subiectione illa, quæ de iure naturali, & proinde diuino, debetur: *Euangelium ipsum*, authore *Bellarmino, neminem priuat iure suo*: quomodo ergo potest Apostolus Regem quenquam priuare iure suo, cum gratia non destruat naturam, sed perficiat. Et Regnum in naturâ, Apostolatus in gratia & Euangelio fundatur: & gratia, siue Euangelium, siue Apostolatus non dat Regnum, & proinde nec regnum auferre potest.

Præterea Apostolus non potest dispensare contra ius diuinum & naturale. Euangelium enim, quod leges omnes, tum ceremoniales, tum

tum iudiciales è medio sustulit, & illas quidem & mortuas, & mortiferas, has vero liberas fecit, legem tamen naturalem confirmauit, imo omnia ad legem naturæ revocavit: quæ si perpetua & æterna est, per dispensationem pontificis tolli non potest: si per dispensationem pontificis tolli potest, æterna non est: *Cœlum & terra transibunt, at iota vnum, apex vnius verbi Diuini non transibit. Matth. 5:* 18. Et præceptum hoc subiectionis verbum est Dei, in naturali lege & etiam *Mosaicâ* descriptum. Aut ergo lex naturalis, siue moralis æterna non est, aut indispensabilis est, nec à quoquam, ne pontifice quidem summo, sicut plurimi Catholici, & ipse *Bellarminus, cap.* 20. in Rege, qui frater tuus sit, id est Christiano eligendo, fatetur, tolli potest.

Quod si ius naturale, à Deo confirmatum, & ab Apostolo declaratum sit, *vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, eiusdem itidem iuris est naturalis à Deo confirmati & ab Apostolo declarati, vt non possit hæc sublimior potestas, aut per dispensationem pontificis, qui in iure naturali dispensare non potest, aut per populi inobedientiam tolli, quia lex hæc æterna est, & non in diem vel annum, sed semper obligat, à quâ tum demum liberi & immunes erunt subditi, cum esse desierint, quia subiectio naturalis non nisi natura deficiente desinit. At lex naturalis tolli potest, id multis instantijs probare conatur *Bellarminus.*

quare omisisti integram rem Bellarmini!

Primò, Magistratibus inferioribus iure diuino paraedum est, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam:* & tamen Magistratus inferior per principem potest tolli & mutari & tunc Magistratui illi nemo subiectionem vel obedientiam debet. Huic instantiæ multipliciter responderi potest.

Primò, Magistratus inferiores potestatẽ habẽt, non iure diuino, sed humano, siue positiuo: si enim potestas Magistratuũ inferiorũ esset de iure diuino, tum etiam necessario esse debent Magistratus inferiores: at esse potest rex siue Magistratus supremus, sine Magistratibus subordinatis, sine Ducibus, sine Iudicibus inferioribus; sicut *Moses* iudicavit populum solus, donec ex consilio *Iethronis*, (quia oneri iudiciario propter causarum multitudinem impar erat) alios iudices & coadiutores inferiores asciuit.

nec Regum est de Iure Diuino.

Secundò, potestas magistratuum inferiorũ dici potest esse de iure diuino, non quatenùs potestas est magistratuum inferiorũ, sed quatenùs potestas est magistratus supremi, qui est à Deo. Magistratus enim supremus potestatem suam immediatè à Deo recipit, cuius est omnis potestas, cuiusq; vices obit: at magistratus inferiores potestatem accipiunt, nõ à deo immediatè, sed à supremo magistratu cuius ministri sunt. In rege fons est, minores magistratus riuuli: isti radij sunt, rex vt sol est

&

& origo omnis potestatis inferioris. Quatenùs ergo potestas inferiorũ magistratuũ, ramunculus est, radicalis illius potestatis, quæ in rege est sic de iure diuino emanare, dici potest: Rex enim in temporalibus vicarius est dei, Magistratus vero inferiores in ijsdem, vicarij sunt Regis.

Tertiò, potestas magistratuum inferiorum tolli & mutari potest: potest magistratus illis abrogari, & post magistratum abrogatum, nemo eis subiectionem vel obedientiam debet: quia plerumq; magistratus illis ad beneplacitum, aut saltem quandiu se benè gesserint creditus est. Sed potestas hæc inferiorum magistratum, non potest nisi à superiori siue supremo magistratu in suo genere, tolli. Non tollitur magistratuum inferiorum potestas à populo, nec à sacerdotibus, qui in temporalib⁹ inferiores sunt, sed à solo magistratu supremo, à quo solo destitui possunt, sicut ab eo solo instituuntur & potestatem habent. Eodẽ modo potestas magistratuum supremorum & absolutorum, qui solo Deo in temporalibus & inferiores, & minores sunt, non nisi à solo deo tolli potest; nec potest aut populus, aut sacerdos, magistratũ inferiorem, imperio siue iurisdictione priuare: multo minus reges in temporalibus supremos (*qui in Dei solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes & super omnes Deos, quia super omnes homines, vt Tertul. in Apol. cap.* 33.) potest aut populus, aut sacerdos, Imperio vel Dominio priuare: quia non ad beneplacitum aut sacerdotis, aut populi, sed ad dei beneplacitũ regnant, nec quomodo se gesserint, aut sacerdoti aut populo, sed soli Deo, qui solus illos iudicare & punire potest, rationem reddere tenentur. *vti supra, lib.* 1. *c.* 8. *ex Bell.* alijsq; multis docuimus.

Secunda instantia est: *Potest Rex, à supremâ spirituali potestate, in casu hæresis de solio deponi; nec amplius ad illum spectat illud Apostoli; Omnis anima, &c.*

Instantia hæc, petitio est principij, & quæstio quæ in controuersiam vocatur quam tanquã concessam affirmat *Bell.*, quæ nullo modo concedenda est, spiritualis potestas in spiritualibus versatur: princeps spiritualis in causis spiritualibus iudicat, & per pœnas coercet spirituales: Depositionem regis, pœnam esse spiritualem, non affirmabit credo *Bell.* ipse, nec apud Theologos & Canonistas, inter pœnas spirituales recensetur. Quid ergo pontifici cum armis, aut pœnis ciuilib⁹, quæ in manus regum non pontificum traduntur? At quomodo deponit pontifex, de Rege, non Regem: de principe, non principem facit? Obedientia debetur principi, quandiu princeps est, vt infra *Bell.* quando desinit esse princeps, non estopus, vt põtifex, ab obedientia vel iuramẽto liberet subditos, qui ipso facto sine absolutione pontificia, quando princeps esse desijt, liberantur: Absolutio ergo à iuramento siue obedientia, non facit de principe non principem.

Excommunicatio

Excommunicatio non tollit Regna mundi, sed solum excludit è Regno Christi: tollit communionem gratiæ, non naturæ: Ecclesia illud tollere potest, quod dare potest, hoc est Regnum Cœlorum, non Regnum terrenum. Excommunicatio ergo non facit de Principe non principem, sicut de subdito non facit non subditum. Depositio ergo ipsa quæ censura est temporalis, quomodo ad supremam potestatem spiritualem spectat? Licet enim ad potestatem spiritualem spectet de hæresi iudicare, & hæreticum gladio spirituali ferire, ad potestatem tamen spiritualem non spectat, hæreticum gladio temporali ferire; alias nunquam inuocaret Ecclesia brachium seculare, nunquam hæreticum Magistratui ciuili traderet, si in potestate suâ esset, pœna temporali hæreticum castigare, aut morte mulctare. Hic in luto hæret *Bellarminus*: nec sese expedire potest, quomodo supremus Princeps spiritualis, in deponendis Regibus sententiam ferre possit temporalem, aut pœnam temporalem infligere. Ille se expediat, nos ad reliquas instantias pergamus.

Tertia est: *Potest Rex, ab alio Rege, in casu victoriæ deponi, nec amplius ad eum spectat vox Apostoli. Omnis anima, &c.*

Reges multos iure belli depositos fuisse, nemo negare potest: Iure gladij hoc factum esse norunt omnes: Iure etiam poli, hoc est, Dei prouidentia factum, negari non potest: Iudicia enim Dei occulta multa, iniusta nulla: Sed an iure fori, hoc est, per regulam iustitiæ in foro exteriori, hoc certe in multis dubium est, etsi prorsus negari in omnibus non debet: aliqui enim iuste, iure belli depositi sunt: sed iustitia illa diuina, Cœlestis, supernaturalis, & extraordinaria, potius quam naturalis, & terrena, & ordinaria est. Quis enim Tribunal illud in terris erexit, in quo Rex de Rege; id est, par de pari iudicat? Multi forte digni sunt hac iniuria, vt deponantur, monstra, & portenta hominum, indigni qui viuant & aura vescantur ætherea: at indigni sunt alij Reges pij, qui hoc faciant tamen. Multi speciali Dei mandato depositi sunt, vt *Iehu* iussu Dei *Ioram* deposuit, 2. *Reg.* 9. Israelitæ: vt *David*, alijque Reges, non summum sacerdotem sed Deum consulebant, per summum sacerdotem, antequam bellum cuiquam inferrent, 1. *Sam.* 23. *Cyrus* Persarum Monarcha, pastor & Christus Dei dicitur, dum mundum ditioni suæ subigit, *Esai.* 44. & 45. *Alexander Magnus* priusquam Persarum Regem armis aggressus est, Israelitarum sacerdotem summum in somnio vidit. *Iosephus Antiq. Iudaic. lib.* 11. *cap. vlt.*

In his & iustitia Dei est, qui huiusmodi flagellis, peccata hominum coercet, & peccatum hominum, qui non iustitia, sed vindictâ aut dominandi cupiditate aut inani gloria permoti, fortè etiam falsæ alicuius

ius & heroicæ virtutis specie illecti, alios Reges deposuerunt, vt ipsi soli regnarent. At iudex ordinarius alterius Regis, nemo Rex constitutus est; & à iure gladij ad ius fori: i. à facto ad ius, & à iudicio extraordinario, ad iudicem ordinarium comprobandum, arguere non licet: præsertim cum sæpe Deus ipse, qui huiusmodis flagellis peccata filiorum suorum aut aliorum iniquorum corrigit, flagella ipsa in ignem proijciat. *Nimrod robustus venator coram Domino*, malè audit, *Gen.* 10.9. quia potens erat in terrâ, dum illinc vicinos bello, hinc subditos tyrannide opprimit. At iuxta *Augustinum, de Ciuit. Dei, lib.* 4. *cap.* 15. *Regna fœlicia erunt si parua, & concordi vicinitate latantia fuerint:* iusta si fuerint, non gladio sed legibus iudicabunt: parua si fuerint, alios Reges non debellabunt nec deponent. In his iustis & paruis regnis, locum non habet argumentum hoc gladiatorium, in quo quod libitum est militib⁹, hoc sacerdotib⁹ licere concluditur: acsi diceres; quod permissum est viris sanguinis, hoc præconibus pacis cœlestis & æternæ, qui cum *Petro* principe suo omnia reliquerunt, iustum & licitum est.

Quarta est: *Patria potestas est iuris naturalis à Deo confirmati, & ab Apostolo declarati: obedite parentibus; & tamen filij emancipari possunt, ita vt parentibus suis obedire non teneantur.*

Scribarum & Pharisęorum olim erat hæc doctrina, *qui per traditionem suam mandatũ Dei irritum faciebant. Corban: i. donum quod à filio offertur Deo, patri proderit:* Marc. 7.11. *& vltra dimittebant eum, quicquam facere pro patre & matre; rescindentes verbum Dei per traditionem suam.* An non mandatum Dei rescindunt Pontificij, qui per *Corban*, per sententiam depositionis, *Henricum* quintum à patria potestate emanciparunt, & eundem in patrem armarunt? Verum enimvero nec *Corban* Iudęorum, nec *Excommunicatio Simanca*, nec sententia pontificis, neq; aliud quidquam filios ab honore & obedientia parentibus debita liberare potest. Emancipari possunt filij à potestate patria, sicut docent iura civilia; & multæ causæ huius emancipationis assignantur.

Aetas, Magistratus, Sacerdotium, à patria potestate liberant, sed ab ea patria potestate quam lex ciuilis ordinat, non ab ea quæ iure diuino & naturali stabilitur. *Honora Patrem & Matrem*, honore reverentiæ, obedientiæ, fidelitatis & tolerantiæ, sicut distinguunt multi super mandatum quintum. Qui à potestate patria emancipantur, quoad ius civile positivum, ab hoc honore parentibus debito, quo parentes reverèri eisdemque obsequi, fidelitatem præstare sustentationem præbere, & eorum morositatem tolerare debent, nunquam emancipantur. Si filius Rex sit siue Imperator, siue Episcopus, siue summus Pontifex, ad hunc honorem pręstandum iure divino tenetur, etiamsi patrem habeat vel *Codrum*, vel *Irum*. Et pater privatus potest vel benedicere, vel maledicere filio Regi vel Sacerdoti summo. Nun-

quam ergò emancipatur filius ab illâ potestate patriâ, ad quam lege naturali & diuinâ obligatur: vincula naturalia, solâ naturæ ipsius dissolutione solvuntur.

Quintum est: *Potestas despotica est iuris naturalis à Deo confirmati & ab Apostolo declarati. Serui subditi estote Dominis: & tamen serui libertate donari possunt, sic vt dominis obedire non teneantur.*

Nota est distinctio *Aristotelis, Polit. 1. c. 4. Est seruus, quem facit natura; & est seruus, quem lex facit. Lex enim conuentum quoddam est, quo bello capta victorum esse dicuntur: quod quidem ius multi eorum qui leges scribunt, vt Oratorem iniquæ rogationis accusant*; inquit *Aristoteles*. Horum seruorum quos lex humana seruos facit manumissio quædam est: Serui isti libertate donari possunt, nec vltra Dominis eodem seruitutis genere obedire tenentur.

Manumissionem à seruitute naturali, fortè habent Romanenses, in quorum curijs talium seruorum Indenturæ & manumissiones irrotulantur: at in naturæ registro, quæ semel descripta sunt, nullâ ratione obliterari possunt: possunt forsitan obscurari, atque vel obliuione hominum exolescere, vel contemptu seponi & negligi: at in iure diuino quæ exarata sunt, deleri nullâ ratione possunt, nè semper obligent. *Quorum munus & officium in functionibus corporis omne positum est, eaq; maior & melior ex ijs vtilitas nulla percipitur, sunt ij quidem naturâ serui, quibus hoc genere imperij parere melius. Eum enim natura seruum fecit qui alterius iuris esse potest, itaq; in alterius est potestate, & eum qui rationis est particeps, tantùm quantùm sensu eius moueatur, non vt eam habeat.* Hæc *Aristoteles, Cap. 3.* Itaque seruorum corpora ad laborem robusta fecit natura, Domini ingenio & animi dotibus pollent. Serui ergo naturâ sunt, qui corporis viribus fortes sunt, animi vero facultatibus valent minùs, ideo apti nati sunt, qui ab alijs regantur & dirigantur. Ab hac seruitute naturali, qui manumittuntur, mutationem naturæ non status sentiunt; qui antea plus robore corporis valebant, iam animi potentijs valent. Hanc manumissionem non facit, aut lex ciuilis, aut sententia cuiusquam iudicis, sed Deus author naturæ, creator corporis & animæ.

Facilius erit Alchymistis, plumbum in aurum aut argentum transubstantiare, quam pontificibus seruos natura in Dominos conuertere: Domini enim natura, sicut aurum & argentum, metalla sunt puriora & nobiliora; serui vero natura, sicut plumbum aut ferrum, metalla sunt viliora & impuriora. Seruitutem ciuilem contraxit culpa, aut quæ culpam consequitur pœna: seruitutem naturalem disposuit author naturæ. Qui ingenio animiq; dotibus pollent, naturaq; Domini sunt, ciuiliter serui fiunt. Nota est vox illius, *Scio imperare liberis.* Multi qui natura Domini sunt, lege humanâ serui fiunt: multi lege humana libertate

bertate, forte etiam & Dominio regnoq; donantur, qui natura serui sunt. Manumissio ergo seruorum qui libertate, vel ciuitate, vel dominio donantur, inter homines, iure humano & positivo, non arguit manumissionem à servitute naturali, quæ naturæ ipsi coæva est, & coætanea. Nec obstat quod vrget *Thomas*, 2. 2. *q.* 10. *art.* 10. *in Corp. Serui Iudæorum, si Christiani fiant manumittuntur, & libertate donantur.* Lex enim ista humana est, non diuina, Imperatoris C. ne Christianum mancipium I. Iudæi, non pontificis; imo diuinæ repugnans videtur quæ iubet 1 *Cor.* 7. vt *vnusquisq; in eo statu permaneat in quo vocatus est*: Et lex privata est, particularis de seruis Iudæorum tantum, non de seruis aliorum. Si enim servus Christiani Christianus fiat, non manumittitur, nec libertate donatur: at si lex hæc esset naturalis, naturæ totius humanæ comes esset, ad omnes hominos pertineret: neq; manumissio à servitute naturali, quia non transelementat naturam, sed à servitute civili liberat, quia tantum status mutationem pertingit. A servitute itaque naturali, nulla manumissio. Iniq; autem *Bellarminus* pro potestate patriâ & despoticâ naturali; potestatem patriam, & despoticam ciuilem subinsinuavit.

Prima ergo instantia, de Magistratibus inferioribus in eodem genere, non valet, quia assumpti sunt iure humano, non ordinati iure naturali, nec suâ potestate, sed aliena, magistratus sunt, ad superiorum beneplacitum constituti, & nisi bene se gesserint, à superioribus removendi.

Secunda instantia, de superiore spirituali qui civilem magistratum deponat, & falsa est, & petit principium.

Tertia, de violenta depositione, iure belli facta, violenta est, nec sine peccato plerumq; fit, nec à facto ad ius valet argumentum.

Quarta de potestate patria, & quinta de potestate despotica, falsæ sunt; a potestate patria civili emancipatio est, a potestate patria naturali nulla est emancipatio. *Ius* (inquit Imperator, Institut. Imperial. tit. 9. de potestate patria) *potestatis, quod in liberos habemus proprium est ciuium Romanorum; nulli enim alij sunt homines qui talem in liberos habent potestatem, qualem nos habemus*: Hic *Bellarminus* pro potestate patria naturali omnium hominum, potestatem patriam civilem civium Romanorum substituit. A potestate despotica civili manumissio est iuxta leges civiles; a potestate despotica siue seruitute naturali manumissio nulla est: *Seruitus autem constitutio est iuris gentium, qua quis domino alieno contra naturam subijcitur*: Sic Imperator, Tit. 3. de iure personarum. Ratio assignari potest, quia omnes liberi & æquales natura. Nulla ergo harum quinque instantiarum, illud probat, quod intendit *Bellarminus*: posse scilicet ius diuinum siue naturale vlla ratione siue facto humano tolli.

Quod vero in conclusione expectat *Bellarminus*, vt probet *Barclaius*: iuris esse divini & naturalis, à Deo [illegible]ituti, & ab Apostolo confirmati, quod principes seculares, Infideles vel fideles in certis casibus per authoritatem Ecclesiasticam deponi non possint, oblitus est sui: Hoc enim sibi ipsi probandum incubuit; nondum enim probauit. Causam vero suam abunde demonstravit *Barclaius*, cum dixit; *Imperium & subiectionem esse de iure diuino & naturali.* Ius enim divinum & naturale æternum est, & proinde semper ligat. Ius divinum & naturale indispensabile est: non potest pontifex iura Dei & naturæ refigere. Exceptiones siue instantiæ *Bellarmini* falsæ sunt; & earum infirmitas causam *Barclaij* luculenter confirmat. Potestas dominij & subiectionis commune est: potestas depositionis, contra hanc potestatem communem, privilegium est in præiudicium legis communis: stricti ergo iuris est, & proinde disertis verbis explicite demonstranda, & fortissimis ac luce clarioribus argumentis, non ambiguis *Ligandi* aut *Pascendi* allegorijs confirmanda.

Instat *Barclaius*: *Consilium hoc est perfectionis Euangelicæ, non præceptum necessitatis & debiti: ideo hortatur Apostolus, vt iniuriam ferant fraudemq; patiantur, potius quam Iudicia habeant.*

Consilium hoc esse vt iniuriam ferant & fraudem patiantur agnoscit *Bellarminus*: „ *At hoc*, inquit, *præceptum est non consilium, vt* „ *si Iudicia habeant, Iudices Christianos adeant.* Neque id multum refert si præceptum sit, modo illud simul innotescat, potestatem habere Corinthios alios que homines, non tantum Christianos, sed etiam omneis infideles Ethnicos, Iudices similiter compromissarios siue *arbitros* causarum suarum, vel ex consensu partium, vel totius communitatis decreto, constituendi: qui potestatem iudiciariam, non ex iussione Apostoli, sed ex partium voluntate obtineant: Ex eo enim sequitur Apostolum nihil hoc loco præcipere, quod ab ipsis Christianis sine iussione Apostolicâ, præstari non possit: Præceptum ergo Apostoli, simile est acsi sacerdos aliquis præcipiat, vt Christiani mandatis Dei obediant, & potestate sua, ad suum ipsorum regimen vtantur quod quantum distet à potestate depositionis, cuiuis manifestum est. Aliud enim est præcipere vt alij nouos *Arbitros* constituant, aliud est, nouos magistratus constituere, veteres destituere.

91 Reprehendit deinde *Barclaius* primo sententiam *Thomæ*, 2. 2. *qu.* 10. *Art.* 10. *in Corp.* qua potestatem tribuit *Ecclesiæ potestatem Dei habenti, infideles per sententiam vel ordinationem, dominio priuare super fideles.* Secundò, rationem *Thomæ*; *Infideles merito infidelitatis suæ merentur amittere potestatem suam super fideles.* Eius tamen *Manes* veneratur.

Iniquè

Inique fert *Bellarminus*: quod *Manes Thomæ* veneratur *Barclaius*: „
Quid faceret si non veneraretur? *Spiritus huius sanctissimi Doctoris cum* „
Angelis apud superos euo sempiterno fruitur, non cum Dijs Manibus apud in- „
feros. Confidenter hoc & satis pro imperio. Interim cum de *Manium* eius veneratione loquatur *Barclaius*, non est quod succenseat *Bellarminus*, quod Aristarchum agat, & in apice verborum hæreat, cum sensum eius animumque in Doctorem Angelicum satis propensum, optime noverit. Quid vero? An quia de spiritu *Franciſci Victoriæ* dicit ille qui vitam eius scripsit: *Franciſci itaq; Victoriæ pij manibus, & fœlici genio, gratiam tuis precibus repende*; ideo animam *Fr. Victoriæ* apud inferos, cum Dijs *Manibus* incarcerari dicit *Bellarminus*? De *Manibus Leonis* 11. dixit *Boskhierius Philip.* 10. *in Oratore Terræ sanctæ. Leonis vndecimi Manes beatissimos, etiam aduoco ad hanc causam.* An anima *Leonis* 11. pontificis Romani apud inferos habitat cum Dijs *Manibus*? *Manes Deos quasi bonos dictos esse ostendit Festus. Mana enim bona dixerunt: quamuis etiam pro Dijs Infernalibus quandoq; sumantur*, vt *Ludouicus Viues in Augustin. de Ciuit. Dei, lib. 9. cap.* 11. Sed ne istis immoremur; vnus pro omnibus sit Sanctus *Ambrosius* linguæ latinæ nequaquam ignarus, *qui cum suauitate eruditionẽ coniunxit*, vt *Aug. Confes. l.* 5. *c.* 13. Is in oratione de obitu *Valentiniani* sic loquitur: *Date Manibus sancta mysteria, pio requiẽ ei poscamus affectu.* An spiritum *Valentiniani* cum Dijs *Manibus* apud inferos fuisse censuit *Ambrosius*? Vtcunq; *Bell.* culicẽ excolans, in seipso nomen *Diui*, in *Barclaio* (*Mehercule*) & (*Manes*) non ferat, camelũ tamen deglutit, tum ipse tum alij Iesuitæ, qui omisso nomine *Papæ*, & *Summi Sacerdotis, summi Pontificis* titulum à prophanis sumptum sacerdotib⁹, sæpissime inculcant, Cæterũ hæc Grammaticis discutienda relinquamus: apud bonos omnia bene aguntur, apud bonos omnia bene dicuntur: Quid verba captas cum sensum habeas? In hac causa *Thomas* & sibi-ipsi, & veritati contrarius.

Dominium & prælatio introducta sunt ex iure humano; hoc veritati repugnat, quæ docet, potestatem regiam à Deo esse, vt pote quæ Dei est, & à solo Deo hominibus communicari potest; vt supra docuimus.

Ius diuinum quod est ex gratiâ non tollit Ius humanum, quod est ex ratione naturali; potest tamen iuste, per sententiam vel ordinationem Ecclesiæ, authoritatem Dei habentis, tale ius Domini vel prælationis tolli. Ius Diuinum non tollit, Ecclesia tollit: acsi diceret, plus potest ius Ecclesiasticum quam diuinum; potest ius Ecclesiasticum tollere, quod ius naturale, & proinde diuinum contulit. Ius ergo Ecclesiasticum est suprà ius Ius Diuinum. *Est contra ius Diuinum, prohibere quod eius iudicio* (scilicet infidelis Imperatoris aut Magistratus) *non fletur.* Aut ergo ius Ecclesiasticum tollere potest ius Diuinum, aut alicubi errat *Thomas*. *Sed contra est, quod ad eum qui præest* In 1. Cor. 6.

pertinet, habere iudicium super eos, quibus præest: sed infideles non possunt iudicare de fidelibus: Sic Thomas in contrario: ex hoc loco Apostoli. 1. *Cor.* 6. Audet aliquis: *Ergo videtur quod infideles fidelibus præesse non possunt.* Sic Thomas in Theologia disputatiuâ. *Apostolus non prohibet quin fideles sub infidelibus Principibus constituti, eorum iudicio compareant si vocentur: hoc enim esset contra subiectionem, quæ debetur Principibus.* Sic in Theologia interpretatiuâ: Infideles fidelibus præesse, fidedelésue iudicare non debent: Sic Disputator Academicus: *Subiectio Principibus debetur* (ergo præsunt & præesse debent:) *vocati eorum indicio compareant.* Sic Commentator literalis. Hæc decent Thomam, qui, vt Pontifici blandiretur, contra aut præter antiquorum expositiones hunc textum in Principum iniuriam detorquet. Idem textus proculdubio idem loquitur: male ergo refert *Thomas*, qui ex eodem textu pugnantia loquitur. Ego vero interpreti maiorem fidem quam disputanti semper adhibendam censeo.

Dubius præterea *Thomas* est: *Potest Ecclesia authoritatem Dei habens.* Quænam illa authoritas? Potest Deus sine vlteriore ratione, pro beneplacito voluntatis suæ, omnes Reges destituere, voluntatis Dei nemo quærat rationem; voluntas enim Dei, prima ratio, & causa omnium: An hoc potest Ecclesia? Authoritas Dei, nullis limitibus, nullis legibus, circumscribitur: Deus qui leges omnibus dat, exlex ipse, super leges omnes, sine omnibus legibus, cuncta suo arbitratu moderatur: An hoc potest Ecclesia? An nullis legibus concluditur Ecclesia? Authoritas Dei est authoritas Domini; authoritas Ecclesiæ est potestas vicarij. Et non est eadem authoritas Domini & vicarij: Radius est, & riuulus, siue ramus huius potestatis, non fons, non radix ipsa: quamuis igitur Deus, Dominus dominantium, Reges infideles & hæreticos, & malos, & etiam bonos deponere possit, non tamen potest Ecclesia reges deponere, nisi delegationem vicariam in terminis, disertis verbis, & explicite demonstrat. Atq; hæc est sententia *Thomæ*, inconstans, repugnans, & dubia.

» At (inquit *Bellar.*) non contradicit *Thomæ Thomas*, Commentator disputanti: verissima sunt hæc: *Contra ius diuinum est prohibere, quod iudicio Principis infidelis non stetur. Principibus infidelibus debetur subiectio.* Si hæc verissima sunt, multa falsa hoc loco protulit *Thomas*. Contra ius diuinum est, non stare iudicio principum infidelium, Ergo quod principes infideles iudicant de iure diuino est: hoc certe sequitur.

Hoc tamen negat *Thomas*, authore *Bell.* de sententia scriptorum Italicorum: Dominium & prælatio iuxtà *Thomam* introducta est de iure humano, non ex iure diuino. Hic sine dubio sibiipsi cõtradicit *Thomas*.

Principibus

Principibus infidelibus debetur subiectio: debetur, hoc de iure non de facto: & de iure diuino; quia contra ius diuinum est, iudicio infidelium non stare. Id probat *Thomas*, ex 1. *Cor.* 6. Ergo non debuit *Thomas*, ex eodem loco, potestatem Ecclesiæ, siue ius Ecclesiasticum in Regibus infidelibus deponendis, contra ius diuinum stabilire: non potest enim ius Ecclesiasticum relaxare, quod iure diuino debetur, nisi dicamus Ecclesiam non solum Dei authoritatem habere, sed & authoritatem supra vel contra Deum habere. Quod si subiectio debita sit Principibus infidelibus iure diuino, sicut ex *Thomâ* commentatore colligitur, non potest Ecclesia authoritatem Dei habens, Principem infidelem dominio super fideles priuare, sicut *Thomas* disputat, nisi authoritas Ecclesiæ destituentis maior sit, authoritate Dei instituentis, & ius Ecclesiasticum sit supra ius diuinum.

non est de iure Diuº hunc ēe Regē

negatur.

Contra ius diuinum est, negare principi obedientiam, dum princeps est: Ergo, fatente *Bellarmino*, principes infideles (de his enim loquitur *Thomas*) sunt de iure diuino, & authoritatem habent super fideles de iure diuino. *Non tamen* (inquit) *contra ius diuinum est, vt Ecclesia de Principe* (& hoc iure diuino constituto) *non Principem faciat.* Eodem proculdubio iure Ecclesia principem non principem facit, quo patrem non patrem, dominum despoticum non dominum; atque hoc est, nullo. Eodem iure quo Pharisæi per Corban suum, filios à patria potestate liberabant, ne illis in necessitate positis, honorem sustentationis exhiberent: eodem Pontificij, per potestatem spirituali-temporalem, subditos ab obedientiâ principibus suis debitâ solvunt: Illi per traditionem suam, præceptum Domini irritum fecerunt: isti per vsurpationem suam, ius diuinum & naturale evacuarunt. Episcopatus à patria potestate ciuili filium emancipare potest, at à patria potestate naturali non eximit, vt supra dictum est. Non credidit sibi-ipsi, dum hæc scripsit *Bellarminus*, qui aut impius, aut patri (si tunc viueret) honorem reuerentiæ, obedientiæ, fidelitatis, sustentationis & tolerantiæ, & Episcopus, & Cardinalis, præstitit: quem etiam dominus noster, summus sacerdos secundum ordinem *Melchisedech*, parentibus suis detulit. Sententia ergo *Thomæ* sibi-ipsi non concordat.

m. Tuculeni.

Sequitur ratio Thomæ: Quia *Infideles merito suæ infidelitatis merentur potestatem amittere super fideles, qui transferuntur in filios Dei.* Mala hæc ratio, & tanto viro indigna. Quid enim? An simpliciter merentur potestatem amittere super omnes, an tantum super filios Dei? Si simpliciter, eodem iure possunt infideles subditi, infidelem regem deponere, propter meritum infidelitatis, quo Christiani possunt Reges infideles deponere: si non simpliciter super omnes, sed

10

chote.

ſed tantum ſuper fideles, tum idem Rex infidelis, qui habet nonnullos ſubditos fideles, alios vero infideles, depoſitionem meretur, & non meretur: ab infidelibus non meretur deponi, à fidelibus meretur: & meritum hoc, non in infideli Rege, ſed in populo fideli. Quod ſi infideles Reges, merito infidelitatis, merentur amittere poteſtatem, tum ſuper fideles, tum ſuper infideles, nullum eſt verum dominium aut imperium apud Infideles: vbi enim eſt meritum depoſitionis, ibi precario regnant Reges, de facto, non de iure. Et ſicut de infidelibus pronuntiat Dominus, iudex viuorum & mortuorum: *Qui non credit, iam iudicatus eſt*, *Ioan.* 3. 18. Sic de infidelibus Regibus, qui merito infidelitatis merentur amittere poteſtatem ſuper fideles, dici itidem poteſt, *Qui* non credit, iam iudicatus & depoſitus eſt. Quid enim opus eſt, expectare ſententiam Iudicis, cum crimen infidelitatis publicum & notoriũ ſit, nec ſcrutinio nec iudicio indigeat, ſed tantum executione? Hæc ergo ratio *Thomæ* liberum facit populo inconſtanti, imo & cuique ſicario, perduelli, rebelli, manus violentas Regi inferre. Eodem enim iure dominium & vitam amittere meretur. Quis vero de hoc infideli Rege iudicauit? Non populus, quia ad Pontificem ſpectat, iudicare, an infidelis pertrahat ad infidelitatem ſuam, vti ſupra. cap. 20. Non ſacerdos: quid enim mihi iudicare, de ijs qui foris ſunt? Nullus ergo eſt iudex Regis infidelis.

Præterea, an quia merentur amittere, ergo ſtatim amittunt, aut per Eccleſiam depoſui poſſunt? Quam hæc non ſapiunt iudicia Dei, qui & ſupra condignum præmiat, & infra condignum punit. Eodem modo de quolibet peccato loqui poterat *Thomas*, quod non tam huius quam æterni etiam Regni privationem meretur; diſcat Eccleſia ab illo, qui humilis eſt & mitis. Quamuis directè contrarium aſſerat B. *Auguſtinus* ab *Ancona*, *Qu.* 23. *Art.* 3. *ad* 2. *Infideles merentur amittere poteſtatem & libertatem gratiæ, non autem poteſtatem naturæ: ideo ordo naturalis regiminis, qui eſt de lege naturæ, ab ijs non ſubſtrahitur.*

De merito (inquit *Barclaius*) litem non intendimus. Quis enim poteſt cum Deo in iudicio contendere? De quo Pſalmiſta. *Et vincis cum iudicaris.* Sed de iudice quæſtio eſt.

Nemo poteſt infideles poteſtate priuare, niſi qui eam poteſtatem dedit, aut qui mandatum expreſſum ab eo habet.

At principes infideles à Deo poteſtatem habent & ſolo Deo minores ſunt.

Ergo à ſolo Deo poteſtate priuari poſſunt: non ab Eccleſia, quæ nec Principibus infidelibus poteſtatem dedit, nec expreſſum habet mandatum, quo illam auferre aut debeat, aut poſſit.

» Reſp. Bellar. *Argumentum hoc nullas habet vires, quia falſum eſt, Prin-*
» *cipes politicos à ſolo Deo poteſtatem habere.*

Imò falſarius *Bell.* qui verbum hoc (*ſolo*) de ſuo adiecit, quod apud

Barclaium

Barclaium: non habetur. *Principes* (inquit *Barclaius*) *à Deo potestatem habent*. Respondet *Bellarminus*, *Principes politici à solo Deo potestatem non habent*. Verum aliud est a Deo potestatem habere, aliud, a Deo solo habere. A Deo habet, quicunq; potestatem, vel immediate, vel mediante populo habet: a Deo solo habet, qui non mediante populo potestatem habet: Hoc verbum (solo) addidit *Bellarminus*, vt aliquid haberet quod responderet. Quanquam nihil hoc ad argumentum diluendum. Esto enim: Principes potestatem habent a Deo, sed non a Deo solo, sed mediante populo: prima causa Deus est, secunda causa populus est: Agens principale Deus est, agens secundarium & instrumentale populus est; Deus fons est & radix potestatis, nam potestas est Dei, quæ homini communicatur: *mihi vindictam; Minister Dei est:* Populus rivulus est & ramus, per quem potestas hæc a Deo ad Principem derivatur. In bonis enim Deus prima causa est & agens principale; qui Deum in secundis, aut infra secundos collocat, Deo iniuriam facit: nec secunda causa, nec instrumentum hominis Deus dicendus est, siue ergò Deus solus, siue Deus mediante populo det Principibus infidelibus potestatem, vera est *Barclay* propositio.

Nemo potest Principes potestate priuare, nisi qui ijs potestatem dedit, aut expressum ab eo mandatum habet.

Deus & populus, vel Deus per populum, Principi infideli potestatem dederunt: ergò

Populus sinè Deo non potest Principes infideles potestate priuare.

Populus enim instrumentum est; & instrumentum nihil potest sine agente principali: Absurdissimum verò est, cum eadem sint principia institutionis & destitutionis, vt secundæ causæ destituendi authoritatem assumant, sine causa prima, aut vt causæ instrumentales, sine causâ principali, potestatem omnem deponendi vsurpent. Ecclesia enim non constituit Regem, sed Deus per Ecclesiam; Populus non constituit principem, sed Deus per populum. Quomodo ergò audet, aut Ecclesia aut populus, Regem siue Deo destituere? Sed quod principes etiam a solo Deo potestatem habeant, præter eâ quæ cap. 5. proponuntur, quod immediate, & alia in prolegomenis, illud disertis verbis affirmant *Epiphanius, qui Regnum non aliundè nisi ex Deo esse asserit.* Hæresi 40. & *Martinus Ledesmius* loco ate citato concl. 3. *Imperator à solo Deo habet potestatem in temporalibus.*

At principes politici habent potestatem a Deo: sed quomodo? Lateraliter fortè, aut oblique cum quadam limitatione: *Quatenus scilicet Deus instinctum quendam naturalem, in animis hominum inseruit vt ab aliquo gubernari velint.* Esto: & quomodo patria potestas, aut 11.

potestas.

potestas maritalis, imo & potestas Sacerdotalis in lege naturali? An non per eundem instinctum naturalem in cordibus hominum descripta, & data est Patriarchis ante Mosen? Instinctus iste ius est naturale; lumine rationis naturalis in cordibus hominum descriptum, & ius diuinum & morale est, quatenus Deo authore & Legislatore promulgatum est. Sicut vero ius morale, siue naturale, à Deo est, tanquam a Legislatore primario & principali, etsi per instinctum naturalem, & legem naturæ & *Mosis*, mediante populo & Ecclesiâ, Reges inter homines creati sunt, Deus author est, homo instrumentum. Qualis qualis ergo iste instinctus naturalis sit, qualiter-cunq; à *Bellarmino*, eiusq; collegis, adulatoribus Pontificijs extenuetur, Apostolo *Rom.* 13. *Ordinatio Dei est*, non tantum ordo, aut approbatio, aut permissio: *Cui qui resistit ordinationi Dei resistit.* Et tempore Apostoli omnes Reges infideles erant. Et si Deo Opt. Max. & *Christo*, & Apostolis eius, infidelitas sufficiens causa siuè meritum depositionis & priuationis non videatur, videant *Thomas* & *Bell.* quo iure asserant ipsi infideles, merito infidelitatis mereri priuationem Dominij sui. Quod enim Deo, qui reges infideles instituit, quod Christo & Apostolis, qui Reges Infideles tolerarunt, & obedientiâ illis debitâ docuerunt, sufficiens causa priuationis visa non est; nec *Thomæ*, nec *Bell.* videri debuit.

At forma regiminis, per Reges, vel consules, vnum vel multos, perpetuos vel annuos, à voluntate hominum pendet: quod *iste vel ille* sit Rex, non Dei specialis iussio, sed hominum voluntas facit.

De forma regiminis & personâ regentis supra dictum est. *c.* 5. Illud hoc loco addendum duximus. Aut forma regiminis ordinata est à Deo, aut falsæ sunt aliquæ propositiones, quas tanquam veras, obtrudunt Pontificij.

Entia volunt optimè Regi.
Monarchia est optimum regimen: ergo
Entia volunt monarchicè Regi.

Deus optimum ordinauit regimen.
Monarchia est optimum regimen: ergo
Deus Monarchiam ordinavit.

Ab ordinatione Dei non licet discedere: non ergò licet aliam formam regiminis ordinare.

An hæc vera sint, penes authores sit fides, Quod ad responsionem *Bellarmini* attinet, illud statuendum est: si liberum sit hominibus Monarchiam aut Aristocratiam, aut Democratiam instituere; & hoc ex instinctu naturali, quælibet ergo forma regiminis est a Deo, aut ordinata, aut approbata; & eam, aut instituit, aut approbat Deus, dum eandem

eandem per voluntates hominum operatur. Sicut enim in regimine administrando, corda Regum in manu Dei sunt, & ad eius voluntatem diriguntur; sic in regimine eligendo, corda populorum in manu Dei sunt, & ad eius beneplacitum inclinantur.

Persona regentis in Regnis electiuis in voluntate hominum est; sic tamen quod voluntates hominum a Deo inclinentur: In regnis successiuis non homo, sed Deus Reges facit. *Ab eo potestas, à quo & spiritus; A Deo Regnum, sicut à Deo anima.* Imò in vtrisque, vbique etiam regentes à Deo coronati, Dei gratiâ Reges dicuntur: & plurimi interpretes, potestatem a Deo ordinatam, apud Apostolum de ipsis Regibus interpretantur: & multos Reges, etiam sine populi consensu, specialis præfecit Dei prouidentia: In vtrisq; verò hoc obseruandum; postquam de formâ regiminis, & personâ regentis, statutum semel est a populo siue communitate, non licet eidem populo siuè communitati, aut formam regiminis mutare, aut personam regentis destituere. Quod enim licitum est, re existente integrâ, id cum alterius cuiusquam iniuria, licitum non est.

At Thomæ res certa & explorata est, dominia & principatus politicos „
non esse de iure diuino, sed de iure humano, & nemo doctus contradicit. Con- „
tradicit *Barclaius: non ex passione* sed cum ratione; & omnes antiquos, astipulatores habet, etiam ipsam *Thomam. Dominia enim & principatus introducta sunt ex ratione naturali:* ratio naturalis, lex est naturalis. Et lex naturalis, lex diuina est; eadem nempè quæ moralis & æterna: Imo præceptum illud de parentibus, i. Magistratibus honorandis antiquius est ipso homine: nec speciem habet vel probabilitatis, quod Deus præceptum conderet æternum de inuento aliquo humano: nec potest vniversitas hominum, potestatem Dei, sine Deo cuiquam communicare. At alia est doctrina *Thomæ.* in Commentarijs, *in Rom.* 13. *Non est potestas nisi a Deo: Quicquid enim communiter de Deo & creaturis dicitur, à Deo in Creaturas deriuatur: sicut patet de sapientiâ.* Eccle. 1. *Omnis sapientia à Domino Deo est: potestas autem de Deo & hominibus dicitur:* Iob. 39. *Deus potestates non abijcit, cum ipse sit potens: Vnde consequens est quod omnis humana potestas a Deo est.* Hæc *Thomæ* interpres, quicquid in contrarium *Thomas* disputans statuat. *Vide suprac.* 5.

Quod si Rex à Deo sit immediatè constitutus, & ab illo solo potestatem „
habeat, (quod non concedit *Bellarminus*) *At Ecclesia authoritatem habet* „
à Deo per rectorem & pastorem auferendi potestatem à Deo datam in certis „
casibus. Quia Vicarius est Dei, & potestatem habet dispensandi & mu- „
tandi in multis, secundum voluntatem Dei cuius ipse interpres est. Hæc „
Bellarminus. „

Habet Pastor siuè Rector Ecclesiæ authoritatem auferendi potestatem

testatem a Deo datam in certis casibus: verba audimus, probationem non videmus. Vicarius est Dei in spiritualibus; hoc verum est, sicut Rex Vicarius est Dei in temporalibus, vt *Augustinus* & *Hugo*. Vicarius est Dei; Quid dixti? Vicarius est hominis Christi, non Dei; & Vicarius est Christi hominis mortalis, non immortalis & gloriosi, militantis, non triumphantis. Olim sic docuisti: Iam quantum mutatus ab illo *Bellarmino*, *Bellarminus*? An Deus aliquam potestatem delegatam pontifici commisit, quâ Deus? Si pontifex Vicarius sit CHRISTI hominis mortalis, Imperator Vicarius Dei; quomodo Vicarius CHRISTI hominis, superior erit Vicario Dei? Atque ita distinguit *Augustinus* in quæst: ex veteri Testamento cap. 35.

Sed esto; sit pontifex Vicarius Dei: an per hoc potestatem habet a Deo dispensandi & mutandi in multis? Dispensator est, proindè dispensare potest verbum, & Sacramenta, sed dispensare id est iura relaxare non potest, quâ Vicarius: dispensare fortè potest in canonibus suis, & legibus positivis; sed in legibus diuinis dispensare non potest, talem Vicariam potestatem non contulit homini Christus Deus & homo: multò minus mutare potest, quæ iuxta voluntatem Dei & Christi promulgata sunt: Si hoc attentaret Angelus de Cœlo, Anathema esset iuxta Apostolum: & qui Anathema dixit Angelo, an ab Anathemate Apostoli abstineret? Qui *Petro restitit* in faciem, an *Petri* successori parceret?

„ *At dispensatio & mutatio aliqua est secundum voluntatem Dei, cuius ipse interpres est*: Ostendat nobis scriptam illam voluntatem Dei, quâ permissum est Apostolico dispensare & mutare secundum voluntatem Dei, & conclusum est in causa: verum si hæc millies repetant omnes Cardinales Romanenses, nec probant; non audimus sine authoritate clamantes.

Pontifex interpres est voluntatis Dei. An solus? Si omnes alij Episcopi & Sacerdotes dispensatores sint mysteriorum Dei, & interpretes voluntatis diuinæ, addo etiam & Vicarij Christi in suis Ecclesijs, possunt eodem iure, quo pontifex in vniuersali Ecclesiâ, singuli Episcopi & Sacerdotes in suis Ecclesijs Reges deponere: verum nec pontifex, nec omnes Episcopi simul congregati, possunt contra legem Dei aut naturæ dispensare; nec Christus ipse vnquam dispensavit contra legem Dei aut naturæ; qui non venit vt dissolveret legem, sed vt adim-
„ pleret: *Mutare autem voluntatem Dei*, nec cum patientia audio: Evangelium enim testamentum est siue vltima voluntas Christi: audet quisquam testamentum hominis defuncti mutare? mutare verò voluntatem siue testamentum Dei quod immutabile est, sine blasphemia vix dici potest.

At

At dispensat in votis & iuramentis Pontifex, quæ de iure diuino obseruanda sunt: id est, interpretatur Deo placere, vt in casu iuramentum aut votum relaxetur.

Interpretari votum & iuramentum, quia malum, aut non obligat, potest quilibet Episcopus & Sacerdos, sicut & pontifex.

At vota & iuramenta relaxare, quæ sine violatione iuris diuini & peccato non relaxantur, hoc est supra potestatem pontificis aut hominis: *Habentes damnationem quia primam fidem irritam fecerunt*, 1. *Tim.* 5. 12. id est, votum violarunt vobis interpretibus: In voti ergò violatione peccatum est, quia damnatio est quæ pœna peccati: violatio iuramenti periurium est; nec potest per omnes suas dispensationes pontifex, de peccato non peccatum facere. Qua de re fusius suo loco.

At Paulus 2. Cor. 2. 10 *in persona Christi Corinthio incestuoso donavit, id est condonavit pœnam, quam iure diuino in hâc vitâ, vel in Purgatorio luere debebat: atq; hoc est quod* Thomas *loco citato dicit, Ecclesiam habere authoritatem Dei, quâ Infidelem dominio priuare possit.* Hæc *Bellarminus.*

Miror quomodo hoc *Bellarmino* excidere potuerit. An quisquam sanus hoc vnquam dixit, *Paulum* excommunicato *Corinthio* pœnam temporalem remisisse? Remisit *Paulus* vincula excommunicationis, remisit pœnitentiiincestuoso & culpam & pœnam æternam: quod pœnam temporalem, in hac vita, vel purgatorio perferendam remiserit, sine omni ratione dicitur: nec enim solent Episcopi aut Sacerdotes pœnam temporalem iniungere, antè remissionem culpæ. Et quod non sit remissio pœnæ temporalis impositæ, aut pœnarum purgatorij, sicut sine authoritate *Bellarminus*, patet ex textu. *Cui autem aliquid donastis, & ego:* Ecclesia *Corinthiorum*, Clericorum & Laicorum (quos omnes alloquitur Sanctus *Paulus*) non condonavit, aut remisit incestuoso pœnam temporalem, sed rogabat Apostolum, vt pœnitentem in communionem & gratiam Ecclesiæ reciperet. Sicut ergò in priori Epistola incestuosum vinculis excommunicationis innodarat, & Satanæ tradiderat, sic in hac Epistola ab excommunicatione liberat, pœnitentemq; in gremium Ecclesiæ recipiendum scribit. Atque hoc facit authoritate Christi, non propria; Christus enim remittit peccata authoritate, alij vero, quibus commissum est, ministerio, & sicut membra Christi.

Et hoc potest quilibet Episcopus in foro suo exteriori, nec tamen potest Reges deponere. Et potestas remittendi peccata ministerialiter, Apostolis & eorum successoribus expresse a Christo data est *Ioan.* 20. *Quorum remiseritis peccata, &c.* vana est ergo conclusio *Bellarmini*, ex hoc loco: S. *Paulus* in persona Christi condonat & remittit peccatum incestuosi, & vinculum excommunicationis dissolvit: Ergo

Eccle-

Eccleſia authoritatem Dei habens, Principes infideles dominio priuare poteſt: *Paulus* enim in perſonâ Chriſti ſummi Sacerdotis (& Sacerdos non eſt, quâ Deus) ex ſpeciali, expreſſo & explicito Chriſti mandato, & retinet peccatum inceſtuoſi, & excommunicationis vinculo ligat, & ligatum ſolvit. At Eccleſia quæ Regum depoſitionem vſurpat, authoritatem Dei, non Chriſti hominis mortalis, idq; ſine expreſſo, aut explicito eius mandato vſurpat: nec, a poteſtate perſonæ Chriſti hominis, ad poteſtatem Dei, valet conſecutio, nec ex vnâ vel altera poteſtate indultâ, & vicaria communicata, licet omnem Domini poteſtatem vſurpare.

12 Pergit *Barcl. Eccleſia abſtinuit* (a depoſitione Ethnicorum Principum) *non ſolum propter ſcandalum, vt* Thomas, *ſed propter defectum poteſtatis: Quid mihi de his qui foris ſunt judicare?* 1. Cor. 5. *Et quia Principes a Deo conſtituti, ſolum Deum ſupra ſe judicem habent, a quo ſolo deponi poſſunt.*

Indignatur *Bellarminus*, quod cum *Thomas* dicat, Eccleſiam non vti jure ſuo propter ſcandalum, *Barclaius* particulam (ſolum) addat; oblitus ſeipſum in hoc capite vocabulum *(ſolo) Barclaij* verbis addidiſſe. Particula quidem iſta non habetur apud *Thomam*, reipſa habetur: iuxta *Thomam*, habet Eccleſia poteſtatem, nec vires deſunt: Pontifex iudex eſt ordinarius Regum & Imperatorum: Non eſt peccatum iuxta *Thomam* Reges deponere, imò fortè peccatum *erit non* deponere reges infideles, ſi adſint vires: Sola ergò cauſa quæ Eccleſiam ab executione huius poteſtatis retardat, eſt ſcandalum: & hoc magis manifeſtum fit exemplo Chriſti, qui propter ſcandalum vitandum tributum ſoluit.

Sed benè eſt: ſunt aliæ cauſæ præter ſcandalum, propter quas, & Chriſtus tributum ſolvit, & ſervi Chriſtiani dominis infidelibus obediant, & Eccleſia jure ſuo non vtitur, in Infidelibus puniendis. Quæ illæ? Multa non fiunt, quia peccata ſunt; multa non fiunt, quia etſi licita ſint in natura ſua, cum ſcandalo tamen aliorum fiunt: Alias cauſas non aſſignat *Bellarminus* tributi ſoluti a Chriſto. & huius debiti omiſſi, ſcilicet deponendi infideles, lupos gregem Dei deuorantes tolerandi; quod propter nullum periculum, ne mortis quidem temporalis prætermitti debuit: Si vires deeſſent, facere debuerunt, quod ſuum erat, cum *Innocentio* 4. quodq; in ſe erat: nulla ergo ſufficiens cauſa, præter ſcandalum aſſignari poteſt, niſi quod nondum Eccleſia talem poteſtatem haberet, quam poſtea ex facto *Gregorij* 7. acquiſiviſſe videtur. Sed vt ad propoſitum propius accedamus: Si iuxta *Thomam* Eccleſia antiquior ab hâc depoſitione abſtinuerit propter ſcandalum, cur non & hodie abſtinet propter ſcandalum? cùm hâc vſurpatione non ſolum detereantur Infideles a regno Chriſti, ne in deteriore ſta-

tu,

tu, quoad regna sua, sint in regno Christi, quam extra regnum Christi fuerant; foris enim non deponuntur, intus deponuntur: sed etiam plurimi Christiani Reges, jugum hoc Pontificale perosi, ab obedientia Romanæ Ecclesiæ discesserunt: Et Ecclesia Romana non solum in externis bonis, sed maxime in internis humiliata sit: nec solum fortunarum sed etiam animarum iacturam (vt ipsis placet) maximam fecit; Ecclesia ipsa in Angulum Europæ compulsa est, maxima verò huius pars schismatis dilacerata & discerpta.

At quomodo iudicat Ecclesia de Infidelibus? *Quid mihi de his qui foris sunt judicare* 1. *Cor.* 5. Si non potest iudicare de Infidelibus, Ecclesia nullam habet potestatem in Principes infideles. Non iudicat, inquit *Thomas* & *Bellarminus* de Infidelibus, qui nunquam fidem receperunt, quatenus infideles sunt, sed quatenus dominantur fidelibus: Ergo ad Ecclesiam non spectat iudicare, an Infideles qui nunquam fidem receperunt ad infidelitatem pertrahere conantur: quod si iudicare non potest Ecclesia de Infidelibus, qui nunquam fidem receperunt, nec deponere potest Principes infideles, nisi fortè depositio Pontificia sine iudicio fiat: Nova verò hæc est glossa, nova evasio *Bellarmini*, quam Lector controversiarum nondum cuderat: tunc enim simpliciter & absolutè docuit, *Lib.* 5. *de Pontif. c.* 2. *in Princip. Deinde non potest Ecclesia iudicare Infideles* 1. Cor. 5. *Quid ad me, de his qui foris sunt iudicare?*

Verum esto, de Infidelibus qui nunquam fidem recèperunt, non iudicat Ecclesia, de Infidelibus qui post fidem receptam apostatarunt judicat Ecclesia: Id est: Ecclesia non habuit potestatem judicandi de Imperatoribus persecutoribus ante *Constantinum*: de *Iuliano* solo (is enim solus ad infidelitatem apostatavit) iudicandi potestatem habuit. Dicat ergo *Bellarminus* quorsum *Thomas* Doctor Angelicus qui omnia vidit, primò quærat; vtrum Infideles possint habere prælationem siue Dominium super fideles: secundo, vero loco quærat, An princeps propter apostasiam a fide, amittat dominium in subditos, ita quod ei obedire non teneantur. Si enim verum sit, quod in quæstione de Apostasia dicit *Thomas*, *ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis, qui nunquam fidem susceperunt*; *iuxta Apostolum* 1. Cor. 5. 12. *Quid mihi de ijs qui foris iudicare? sed infidelitatem eorum, qui fidem susceperunt, potest sententialiter punire*: Sequitur proculdubio, quod Infideles merito Infidelitatis, non merentur amittere dominium super fideles, sed merito Apostasiæ. *et propter alias causas.*

Et falsus est *Thomas* sibiq; contrarius: primò, quia Infidelitas secundum seipsam non repugnat Dominio: & tamen, potest Ecclesia authoritatem Dei habens, Infideles simpliciter, non Apostatas, dominio priuare: secundò, *Ad Ecclesiam non pertinet punire infidelitatem in illis*

quid ad rem!

ineptè

Q. 12. Art. 2. Non simpliciter sed ea supposito. 2 Q. 10. Art. 10. Loquit r tantùm de Dominio sup fideles. non de alijs.

illis qui nunquam fidem susceperunt; & tamen in Iudeis qui nunquam fidem susceperunt infidelitatem punit, quando statuit vt seruus Iudeorum cum factus fuerit Christianus, statim (invito Domino) *à seruitute liberetur.*

At quomodo iudicat de Apostatis? An iudicat de absentibus, nunquam auditis? Et quomodo judicat? Eijcit ex Ecclesia illos, qui priùs seipsos de Ecclesia ejecerant, nec iam erant de Ecclesia: priuat communione gratiæ, qui antea seipsos privaverant. Hoc non est iudicare Apostatam, aut pœnam ei infligere, quam ipse prius sponte susceperat; sed vt alibi *Thomas*, *prohibere fideles, nè cum Apostata & Infideli communicent in gratia*: Nam vt in natura siue in temporalibus ne communicent, prohibere non potest; sicut Apostoli non prohibuerunt, vt Christiani cum infidelibus communicarent, hoc enim esset iubere, vt fame perirent. Et Sanctus *Paulus* permittit, vt de Idolothytis comederent Christiani: &, vt observavit *Ioannes Driedo*, De Libert. Christian. l. 1. c. 14. *Vtiq; possumus comedere & bibere cum illis, sicut patet ex doctrinâ Apostoli: licet in Sacramentis communicare non possumus.*

„ Novum vero est illud *Bellarmini* commentum *Thomæ* ignotum:
„ *Ob solam infidelitatem, Ecclesia non potest Infideles iudicare, quia ad eius*
„ *regimen non pertinent: sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando subditos fideles a fide avertere conantur, tunc Ecclesia habet Ius privandi illos dominio,* quod *habent super fideles. Thomas* enim simpliciter sic asserit: *Infideles merito infidelitatis, merentur amittere dominium super fideles:* Hoc non placet *Bellarmino: Ob solam infidelitatem non potest Ecclesia infideles iudicare; sed quando dominantur fidelibus, & præsertim quando fideles avertere conantur, tunc Ecclesia potest eos iudicare & dominio privare.* Non conveniunt Doctores isti: nec tutum est Catholicis, fidem suam super arenosum fundamentum hoc, id est, super dissidentes Doctorum suorum opiniones ædificare: Nec facilè potest quisquam vel cogitando comprehendere, quomodo Infidelis princeps, aut exemplo aut præmijs, subditos suos ad Infidelitatem non pertrahat, etsi pœnis non cogat. Religio vt ignis est, omnia in suam naturam convertere conatur: Religio, si seipsam propagare desinat, religio esse desinit.

Quod si principem infidelem dominio infideles privare non licet propter infidelitatem, si legitima sua potestate contentus, nec subditos ad infidelitatem reducere conatur, nec blasphemias vel iniurias inferat Creatori, quia post subditorum conversionem, novum peccatum, siue meritum depositionis non superaddidit; & subditus conversus, non mereatur per conversionem suam, libertatem a servitute, sed a peccato: dicat *Bellarminus* quorsum Apostoli *Petrus* & *Paulus*

qui

qui sub Nerone scripserunt, tanto conatu de fidelitate & obedientia, *Neroni* tunc Imperatori præstanda cauent, qui post Christianorum multorum conuersionem eosdem ad infidelitatem reducere satagebat, in Creatorem & Redemptorem blasphemus extitit, & eo nomine multos, ipsos etiam Apostolos martyrio affecit. Si Apostoli Principi infideli, subditos ad infidelitatem pœna mortis reducere, & Creatorem blasphemanti obedire præcipiunt, quis *Bellarminum* contraria præcipientem patienter feret?

Reges solo Deo minores esse, nec iudicem supra se nisi Deum habere, supra docuimus lib. 1. cap. 8. & nobis tacentibus docet in Comment: in Psalm. 51. *Bellarmin.* cum nouam aliquam rationem vel euasionem comminiscitur vlterius respondebimus.

In fine huius capitis vrget *Barclaius* contra *Bellarminum*, verba *Bellarmini*, qui ex his verbis Apostoli *(quid ad me de his qui foris sunt iudicare?)* probat, quo tempore Principes Ethnici erant, Pontificem non fuisse Iudicem illorum: sed e contra illis subiectum fuisse in ciuilibus causis, non minus quam cæteros homines; non solum de facto, vt *Turre-cremata*, sed etiam de iure: rationem adhibet, quia lex Christiana neminem priuat suo iure & dominio; sicut ante conuersionem ad legem Christianam homines subditi erant Imperatoribus & Regibus; sic & postea. Merito appellauit *Paulus Cæsarem*, eumq; Iudicem agnouit, cum accusaretur seditionis & tumultus in Populo excitati. 11

Quid ad hæc *Bellarminus*? Prius opinionem Cardinalis de *Turre-cremata* reiecerat, sententiæq; *Pighij* adhæserat: ea sententia incommoda visa est: subiectionem enim illam, quam induerat pontifex, exuere pontifex factus, facile cum ratione non poterat: Ideo, vt testatissimum sit omnibus, Iesuitas & votifragos, & versipelles esse, & in vita & in doctrina, mutauit opinionē suam, & Turre-cremataæ adhæret: *Cæsar nonerat Iudex Pauli* de iure sed de facto tantum: ideo coactus appellat *Cæsarem*: vt habetur Actorum 28. similitas

Pontifices & Episcopi Primitiuæ Ecclesiæ, a Tribunalibus inferiorum Magistratuum in temporalibus, ex gratia & indulgentia sanctorum Imperatorum exempti, eorum pietatem, & erga sanctam Dei Ecclesiam, bonitatem, summis laudibus prædicant. Eorum vero obdurationem, qui Patrum & Prædecessorum suorum indulgenas violarunt, eo nomine redarguunt, non quod talis exemptio de iure diuino debita esset, sed quod leges Patrum suorum in gratiam Ecclesiæ & Ecclesiasticorum latas reuocarunt. Nec inter antiquos quisquam inuentus est, qui hanc exemptionem de iure, sed solum de gratia & indulgentia Imperatorum vendicat, subiecti ergo erant & de iure, & de facto.

tatibus suis privabit? Ecclesia ergò nec Regem infidelem excommunicare potest, nec excommunicando de Rege non Regem facit: & vltra excommunicationem non progreditur Ecclesia, authoritate suâ. Depositio insuper censura temporalis est, nec ad spiritualem potestatem spectat.

Verum esto: retractavit ista priora *Bellarminus*, An & ista etiam retractavit: *Non licet eum iudicare vel punire, vel deponere, quod non est nisi superioris.* Quod nos etiam in *l.* 1. *c.* 8. in 1. classe authorum nostrorum annotavimus.

Deponere est actus superioritatis; & proinde non a populo, non a pontificibus, qui in temporalibus subditi sunt Imperatoribus peragendus. Inde sic arguit *Barclaius.*

Subditi non possunt jure iudicare, punire vel deponere superiorem.
At omnes Christiani subditi erant Neroni, Diocletiano, ceteris q; Imperatoribus & Regibus Ethnicis. ergo,
Christiani non poterant eusmodi Imperatores vel Reges deponere.

Multa hic respondet *Bellarminus*, primo, *Propositio vera est, subditi iure non possunt deponere superiorem, sed debet esse vniversalis*: Et vniversalis est: Propositio enim indefinita in materia necessaria pro vniversali sumenda est: & in depositione necessarium est, vt qui deponit, superior sit deposito: deponere enim, ex necessitate, actus est iurisdictionis & potestatis, & potestas siue iurisdictio arguit superioritatem: *Subdita sit omnis anima potestatibus sublimioribus*, si potestates sunt, superiores siuè sublimiores sunt, respectu subditorum: Qui ergo subditus est, & inferior, non potest actus superioris exercere: propositio ergo vera est vniversaliter: Subditi non possunt deponere superiorem, i: nulli subditi siuè Clerici sint, siuè Laici; siuè singulares, siuè coniuncti possunt superiorem suum deponere, quia in superiorem imperium & iurisdictionem non habent: & est contra naturam superioritatis, vt inferioribus subdita sit: nec potest iudicari aut puniri aut deponi ab inferioribus, nisi inferioribus & subditis suis subdita sit. Secundo, *Intelligi debet formaliter. i: subditus vt subditus*: Et verum hoc est, sed explicatione indiget: *Subditus vt subditus*: i. quatenus subditus siuè in quibus subditus: nec enim potest subditus in spiritualibus deponere superiorem in spiritualibus: ideo imperator non deponit pontificem spiritualiter per se, sed per Concilium quod est supra pontificem. Pontifex vero non potest Imperatorem deponere in temporalibus (at depositio temporalis est, & in temporalibus fit, & inter censuras temporales habetur) quia in temporalibus Imperator neminem superiorem, nisi Deum, habet, *Cuius Vicarius est* (vt *Augustinus*, *In quæst. ex vet. Testam. cap.* 34.) *& caput Laicorum*, vt *Hugo. De Sacramentis fidei part* 2. *l.* 2. *c.* 4. Et pontifex quâ pontifex (etsi non qua princeps

temporalis, & de facto) & alij omnes Episcopi & Clerici in temporalibus inferiores sunt Imperatore & Regibus; qui *secundi post Deum, & ante & super omnes homines constituti sunt.* Tertiò, intelligi debet, *subditus vt subditus*, i:quandiu subditus, non potest deponere superiorem, vt superiorem, quandiu superior est, Noua est hæc ars, de subdito non subditum facere, de superiore siuè Regè non superiorem siue non Regem facere: sicut novum est, de patre non patrem, de filio non filium, de marito non maritum, de vxore non vxorem, de Domino, & servo non dominum, & non servum facere: quam soli callent Pharisæi antiqui, qui præceptum Domini per traditionem suam irritam faciebant; & moderni Romanenses, qui scientiam hanc, de Rege non Regem faciendi, profitentur.

Verum sicut pater, non desinit esse pater, quandiu vixerit, sic Reges in diem aut annum non creantur, sed durante vita durat eorum Regnum: nec liberatur ab obsequio *Regio* subditus, etsi *Rex* bello victus aut captus fuerit. Cogi possunt subditi jure, siue verius violentiâ gladij vt *Regem* suum deserant: potest gladius nodum Gordianum dissolvere, potest gladius subditum à vinculo externo *Regis* liberare: at vinculum interius conscientiæ, gladius victoris non dissolvit. Dicat ingenue *Bellàrminus* Annon iuste beneq; fecerunt Franci, Angli, Scoti, alijq; populi & gentes, qui *regibus suis*, in bello captis, fideles extiterunt, eosdemq; aut copijs & sanguine suo, aut facultatibus redemerunt?

Quomodo autem de subdito fiat non subditus, de rege non rex, nondum constat. Iuramentum fidelitatis naturale, & subiectio non dissolvitur nec relaxatur quandiu *Rex* est: & proinde & *Gregorius* septimus, & Concilium Lateranense de *Rege* non *Regem* non faciunt, nec subditos a fidelitate & obedientia liberant. Quandiù *Rex* est, manet iuramentum & debitum fidelitatis, & hoc indispensabile etiam per pontificem ipsum, qui contra ius diuinum dispensare non potest. Hanc ergò subditorum ab obedientiâ liberationem præcedit aliquid, quod de *Rege* non *Regem*, de subdito non subditum *facit*: Non excommunicatio, quia Episcopi *Regni* illius excommunicant, non pontifex; & excommunicatio illa præcedit depositionem per spatium anni: & Excommunicatio privat bonis gratiæ non naturæ, & excludit a communione gratiæ non naturæ. Depositio sola est, quæ potest de *Rege* non *Regem* facere: Et pœna est temporalis, a superiori in temporalibus pronuntianda: Et pontifex quâ pontifex, non habet censuras temporales, & *Rege* in temporalibus inferior est, & rex in temporalibus superiorem non habet.

Ars ergo illa, de rege non regem faciendi, nondum ars est, nondum

convenit

convenit inter artifices, de modo faciendi non principem de principe. Citius de lapide siue pulvere philosophico convenient Chymici, vt aurum multiplicent, quam de hâc arte, hoc medio, quo rex, non rex, efficiatur, convenient Theologi & Canonistæ.

Assumptio illa; Omnes Christiani subiecti erant Neroni, Diocletiano, &c. falsa est; quia Apostoli eorumq; successores; Principes spirituales, non erant jure subiecti Regibus terrenis: Hæc *Bell*: Acsi diceres; *Christus* ipse & Apostoli, in hoc articulo fidei de exemptione Clericorum ius suum, aut ignorabant aut dissimulabant, & æquivocabant, & contra conscientias suas blandiebantur principibus infidelibus. Acsi diceres, *Chrysostomus, Theophylactus, Theodoretus, Oecumenius*, alijq; patres, qui verba Apostoli, *Omnis anima, Rom.* 13. de Apostolis, Episcopis, Sacerdotibus & Monachis intelligunt, falsi sunt, non intellexerunt Apostolum, ius suum ignorarunt. Acsi diceres, Omnes illi Antiqui, qui praxi suâ & vniversalis Ecclesiæ, hanc subiectionem Clericorũ docuerunt, mentiti sunt: Nos vero soli Christum, & Apostolos intelligimus: primi pontifices per mille annos non erant interpretes voluntatis Christi. *Gregorius* 7. & *Innocentius* 4. alijq; recentiores sensum Scripturarum, & traditionem Ecclesiasticam, quam ignorarunt Patres per mille annos, soli habent: soli sciunt voluntatem Dei interpretari: sensus noster, qui antiquitate, vniversalitate, consensione caret, solus verus est. Aut ergo *Christus* & Apostoli & Patres male locuti sunt, seq; ipsos & alios in errorem perduxerunt, aut Principes spirituales, a subiectione temporali Principum terrenorum, liberi non sunt.

At non sufficit ista responsio; pontifex per se Regem deponere non potest: imò pontifex & Clerici qui arma corporalia tractare nec norunt, nec jure possunt, non sufficiunt ad Regis depositionem, nisi effræni multitudini laxentur habenæ.

Inventa ergò est ratio puritano-Iesuitica, quâ populus Christianus, alioqui subiectus regibus & Imperatoribus infidelib⁹, ideoq; semper inferior, in casu tamen amittendæ fidei divinæ (non ergò in casu invtilitatis aut adulterij aut aliorum peccatorum) poterit, iure iustæ defensionis, excutere iugum principis infidelis; præsertim si Ecclesia, per summum pontificem, ita faciendum esse censeat. Ecce quomodo in Regibus deponendis symbolizent puritani & Iesuitæ rebelles: puritani superiorem rege in regno suo pontificem non agnoscunt: quia superiorem non habent ad infimum confugiunt, infimos de plebe concitant, his classicum canunt, facem præferunt: vestrum est, etsi inferiores & subditi sitis, regum excessus & delicta corrigere, religionis negotium procurare, reges ad religionis reformationem cogere, aut nolentes & reluctantes exauthorare & deponere. Quid princeps Iesuitarum? *Potest populus, alioqui subiectus Regibus,*

in caſu periculi fidei diuinæ amittendæ, iure iuſtæ defenſionis excutere iugum Principis infidelis. Quibus authoribus, quibus iubentibus iſta facere poſſunt & debent Chriſtiani ſubditi? Ad Imperium miniſtrorum Puritanicorum: Quibus authoribus idem facient Catholici? Ad imperium vel nutum Pontificis? In eo proculdubio conveniunt Puritani & Ieſuitæ, quod populo ſiuè ſubditis poteſtatem faciunt, jurandi Regibus, eoſq; exauthorandi, vt ſcilicet liberum ſit illis gladium Dei, hoc eſt poteſtatem, ex Regum manibus extorquere. Sed *Puritanos* in hâc cauſa mitius tractandos cenſeo, vtpote qui à Pontifice ſummo *Zacharia* ſcilicet edocti, hanc doctrinam proditoriam imbiberunt Regem, plebs inſtituit, eundem & deſtituit, &c. ſicut apud Aventinum profatur *Zacharias, lib.* 3. Quod ſi vera ſit hæc reſponſio, Reges omnium hominum miſerrimi ſunt, quos & Pontifex & Populus exauthorare poteſt, Infœlices certè Reges ſunt, quibus negatur quod infimis de plebe conceditur, & cuilibet non Regi. Nam priuato cuiuis datur appellare à Iudice quovis inferiori ad ſupremum. Regibus omnis appellatio negatur, quia vltrà infimos de plebe vltraq; pontificem, qui ambo judicare & deponere Reges poſſunt, nulla datur appellatio. Verum quantum hæc à veritate diſtent, docent antiqua illa & vniuerſali omnium conſenſu recepta atque approbata Principia: *Par in parem, inferior in ſuperiorem non habet imperium: & judicare & punire, & deponere, non niſi ſuperioris eſt.* Aut ergo ſubditi, ſiue inferiores Rege ſuo ſuperiores erant, aut Regem ſuum, in nullo caſu, deponere poſſunt, quia in illo caſu, quo iudicant, puniunt, & deponunt Regem, Rege ſiuè ſuperiore ſuo ſuperiores ſunt. *Eſai.* 5.20. *Væ illis qui bonum malum dicunt, & malum in bonum tranſmutant*: An illi ſinè væ, qui vt Hierarchiam ſuam temporalem ſtabiliant, in eas coguntur anguſtias, vt ſubditos conſtituant Magiſtratus, & Magiſtratuum ſublimiorum ſiue Regum Magiſtratus & Reges faciant, & Inferiores ſuperiores dicant, & Iudices ponant judicandos. Ima iſti mutant in ſuprema omnemq; ordinem pervertunt; & cœlum deniq; terrâ miſcent, quo ſibijpſis in terrâ cœlum faciant.

seditiosè.

thosè omnia.

CAP.

CAP. XXII.

Confutatio alterius confirmationis Rationis 3. Tolerare Regem Infidelem vel hæreticum, &c. non eſt Religionem euidenti periculo, ſed probationi exponere.

1 *Ratio hæc peccat in forma. 2. Tolerare talem Regem, non eſt Religionem exponere ſeu pati verſari, in evidenti periculo, Imovero, probationi exponitur. 3. Homines non poſſunt Religionem periculo exponere. 4. Et fides Deo, & obedientia Regi ſervanda de Iure diuino. 5. Etſi hic vel ille Rex ſit de Iure humano, at obedientia huius Regis eſt de Iure diuino. 6. Concilium eſt ſuper Papam, & eum deponit, Regnum non eſt ſuper Regem nec eum deponit, Pontifex deponitur propter hæreſim, non Rex, & Concilium tribunal eſt Pontificis. 7. Rex in temporalibus ſuperiorem non habet Pontifex vero habet. 8. An Pontifex ſit ſervus principalis ſuper omnem familiam conſtitutus à ſolo Domino caſtigandus? 9. Concilium eſt ſuper Papam, Regnum non eſt ſuper Regem.*

CONFIRMATIO tertia Rationis tertiæ principalis hæc eſt. 1

Tolerare Regem hæreticum conantem homines ad ſuam ſectam pertrahere, eſt exponere Religionem evidentiſſimo periculo.

Chriſtiani non tenentur, imò nec debent eum evidenti periculo Religionis tolerare Regem infidelem. Ergo,

In hoc argumento *Barclaius* primò reprehendit, formam deindè materiam: Et meritò formam reprehendit, quià nulla omnino eſt forma: Duæ ſunt propoſitiones ſinè concluſione, & concluſio nulla ex his propoſitionibus elici poteſt, vix enim in tertia aliqua concluſione convenire poſſunt: Et tamen apud *Ariſtotelem* demonſtrationes ſicut materiam habent neceſſariam, ſic formam etiam Syllogiſticam. Nec ſufficit quod reſpondet *Bellarminus*: *Non cogitavi redigere argumentum ad formam Syllogiſticam*: eodem enim modo poſſunt omnes Sophiſtæ, dum incautos paralogiſmis & fallacijs auditores fallunt, cauſam ſuam agere: *Non cogitavi redigere argumentum ad formam Syllogiſticam,*

gisticam: Veritas enim materiæ ex formâ argumenti facillimè deprehenditur, Ideò qui dolos & fallacias ex proposito concinnant, apertam & perspicuam siuè Logicam demonstrandi rationem fugiunt, involucris & ambagibus, homines rerum imperitos, capiunt, vt hamo inescato capiuntur pisces. Orator pugno aperto & extenso, Dialecticus pugno contracto ferit: tangit & titillat ille, at punctis argumentorum iste premit. Audivi olim quendam rationes vel scopas suas dissolutas in hunc modum defendentem. Demonstrationes sunt non Dialecticæ, sed Theologicæ. Ego vero antehac didiceram, Dialecticam omnium artium & scientiarum ancillam, singularum argumenta in modum & formam redigere: eoq; maiorem, in quolibet telo inesse secandi & nocendi vim, quo aptiore ad pungendum acumine formatū sit. Id quod in hisce Demonstrationibus *Bellarminianis* eò magis expectaram, quia argumenta sunt, non a scripturis, & authoritate divina vel humanâ, sed ex ratione, siue jure naturali & morali petita. Sicut verò ratio est naturalis, sic & ratiocinatio, siue Dialectica naturalis est. Eadem natura, quæ lumine rationis, lumine etiam ratiocinationis, siue demonstrandi arte illustrat: Eadem ratio & argumenta ad faciendam fidem, & argumentandi artem adinvenit: Vbi materia sine formâ, ibi nihil nisi Chaos: Quod si juxta *Barcl.* ratio hæc *Bell:* in formam reducatur, infirmitatem suam facilè prodit:

Tolerare Regem hæreticum vel infidelem conantem pertrahere homines ad sectam suam, est Religionem evidentissimo periculo exponere. Hæc est propositio: Sed non tenentur Christiani nec debent Religionem evidentissimo periculo exponere. Hæc esse debet assumptio in bonâ Dialecticâ: Non altera illa rudis & indigesta moles, quæ minorem & Conclusionem in vnâ propositione confundit: in hunc modum. *Sed non tenentur Christiani, imò nec debent cum evidenti periculo religionis tolerare Regem Infidelem.* Conclusio hæc erit, quam subticet *Bellarminus. Ergo Christiani non tenentur nec debent tolerare Regem Infidelem vel hæreticum, &c.*

5. Sicut verò peccat hæc ratio in formâ, sic in materiâ peccat. Propositio prorsus falsa est: *Tolerare enim Regem infidelem non est exponere religionem evidentissimo periculo, sed pati Religionem versari in evidenti periculo: vti Barclaius:* Imo vero tolerare Regem infidelem vel hæreticum, non est Religionem periculo exponere, sed probationi. Nam vt *Leo, in Natiu. Petr. & Pau. Serm. 1. Cap. 6. Non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiore vestitur, dum grana quæ singula cadunt multiplicata nascuntur. Iustis quicquid malorum ab iniquis Dominis irrogatur, non est pœna criminis sed virtutis examen: malus autem etiamsi regnet, servus est, nec vnius hominis, sed quod grauius est, tot dominorum, quot vitiorum,* Sic

Augustinus.

Augustinus, De Ciuitate Dei, Lib. 4. *Cap.* 3. Persecutio & hæresis vt Cribrum est, quo frumentum cribratur, palea vento dissipatur: in Sagena Christi persecutio & hæresis, inter bonos pisces, & malos distinguit: in Ouili Christi visibili, persecutio lupos ab ouibus, mercenarios à pastoribus secernit. *Bonus Pastor vitam suam ponit pro Ouibus, mercenarius autem & qui non est Pastor, cuius non sunt propriæ Oues, videt Lupum venientem, & dimittit Oues, & fugit: & Lupus rapit & dispergit Oues: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de Ouibus*, Ioan. 10. 11. 12. 13. *Oportet hæreses esse, vt qui probati sunt, manifesti fiant in vobis*, 1. Cor. 11. 19.

Persecutio ergo & hæresis, sicut & aliæ omnes afflictiones, à Deo in Ecclesiâ & permittuntur, & ordinantur, non ad periculum Sanctorum & fidelium, sed ad probationem & manifestationem: tantum vero abest, vt per persecutiones & hæreses Religio ipsa euidenti periculo exponatur, vt magis in persecutionibus, quam in prosperis & crescat & clarescat: *Sanguis enim Martyrum, semen est Ecclesiæ*, & sancti in igne persecutionis, igne ipso coruscant magis; damnati ad fodinas auri & argenti, auro & argento pretiosiores sunt; exilio mulctati Sancti, novos orbes Christo lucrifaciunt.

Filij Israëlitarũ in Ægypto exposiți sunt, creuit tamẽ in immensũ numerus Israëlitarum. An in immani illa persecutione *Pharaonica* Religio vera evidentissimo periculo exposita est, an potius insigni & incremento & gloria aucta est? Grauissima fuit calamitas decem illarum persecutionum Ecclesiæ primitivæ, in quibus Religio non tam periclitari quam prorsus submergi, & premi, & opprimi, nec obscurari solum, sed penitus extingui visa est: plures tamen Martyres & Confessores, & Sanctos, persecutio illa trecentenaria in Cœlo coronauit, quam forte mille vltimi anni, in quibus Ecclesia à persecutorum tyrannide plerumque libera fuit. Numerus vero Christianorum innumerabilis: *Vestra omnia implemus, Vrbes, Insulas, Castella, Municipia, Conciliabula, Castra ipsa, Tribus, Decurias, Palatium, Senatum, Forum: sola vobis templa relinquimus*, vt Tertul. in Apol. c. 37.

Persecutioni succesſit grauior pestis hæreticorum; quia persecutio, & pœna, homines à fide deterrere non potuit, aliâ viâ, viâ hæreseos siue erroris, aggressus est Ecclesiam Satanas: Quid persecit? Quo plures pestilentioresque hæretici, eo insigniores, & illustriores Patres, & Doctores, totius Christianitatis lumina: vbi maxima vigent vitia, ibi maximæ & maxime exemplares paratæ sunt virtutes: fraudes & impostura has hæreticorum detexerunt Sancti Patres, quorum pares subsequens ætas non vidit: periculum hoc maximum Ecclesiæ imminere visum est. Tolerauit Ecclesia per sexcentos annos monstra Tyrannorum & portenta

&

& prodigia hæreticorum, nec tamen decreuit numerum Chriſtianorum, ſed auctus eſt: Religio non periculo, ſed probationi expoſita claruit magis: Succeſſerunt tempora pacis: *Pax a Paganis; pax ab hæreticis*: an Eccleſia à perſecutorum tyrannide, & hæreticorum conflictu libera à periculo liberata eſt? Creuit inter perſecutiones, creuit inter hæreſes: an in pace incrementa ſua, an vero decrementum & ſenium paſſa eſt? Aut falſus eſt *Bernardus*, in Cantica Serm. 33. aut maximum Eccleſiæ & Religionis in pace eſt periculum. *In pace amaritudo mea amariſſima: Pax à Paganis, Pax ab hæreticis, ſed à domeſticis pax nulla. Amara pax in nece Martyrum, amarior in conflictu hæreticorum, amariſſima in moribus domeſticorum*: Ciuitas Roma ſtante Carthagine ſtabat, quandiu inimicos habuit, quibuſcum vel de regno, vel de gloriâ certaret, tamdiu creuit & aucta eſt: poſtquam omnibus inimicis deuictis, ipſa ſecum certare, otioque indulgere cœpit, vitijs ingruentibus impar, luxu & delitijs eneruata, mole ſua ruit. Religio quandiu cum hoſte externo, Tyranno ſcilicet, vel interno, videlicet hæretico, decertat, tamdiu, non tam periculis exponitur, quam de periculis triumphat: poſtquam vero periculis omnibus liberata, vigilare, & excubias agere deſinit, maximum diſcrimen ſubit: *Nulli enim periculo exponi hoc Religionis eſt maximum periculum, ſicut non tentari maxima omnium tentatio eſt.* Religio tunc maximo in periculo verſari viſa eſt, cum totus mundus videns ſe factum Arianum ingemuit. Quid hic Pontifices Romani, quid Patres? Tolerarunt illi quidem *Conſtantium*, quem tamen facile deponere potuiſſent, viuente *Conſtante*, forte etiam & mortuo, vti ſupra docuimus, cap. 7. At Religionem periculo non expoſuerunt: Deus expoſuit, qui *Conſtantium* Imperatorem dedit in furore ſuo, non Eccleſia: Tolerare enim patientis eſt & coacti, exponere vero hoc agentis & volentis eſt: Etſi vero Religioſi Chriſtiani ſeipſos expoſuerunt periculis, morti & Martyrio, non tamen Religionem periculo expoſuerunt: imo vero ſeipſos periculis expoſuerunt, ne Religionem periculo exponerent, Quæ in periculis, & tyrannide, & Martyrio clareſcit & augetur: imo gauiſi ſunt Martyres & Confeſſores religioſi, quod ipſis, vt clypeo, vſus eſt Deus, ne in ipſam Religionem irruerent, quæ in morte, & Martyrio filiorum ſuorum viuit, vigetque maximè Nec ergo in periculis Sanctorum periculum vllum eſt Religioni, nec religionem periculo expoſuerunt Sancti, qui vitam & ſanguinem ſuum depoſuerunt, vt teſtimonium Religioni ſuæ perhiberent.

Imò vero tantum abeſt vt in periculis Chriſtianorum periclitaretur Religio Chriſtiana, vt perſecutio, periculum, & tribulatio,

via sit Religionis & sanctitatis, patientia vero & tolerantia virtus sit propria Christianorum. Vincere enim, & debellare, hoc heroicum est & mundanum, at inter Christianos, *Vincit qui patitur*: tolerare, hoc Christianum est. *Per multas tribulationes oportet nos intrare in Regnum Dei*, *Act.* 14. 21. Oportet, necessitatis est, non est alia via nisi per tribulationes: hâc iter ad superos; hâc præcessit Dominus, *Hæc oportuit Christum pati*, hâc sequuntur serui: *Delicatus nimium servus est qui coronari vult in viâ desiderat* (sicut Romanenses qui illicitam hanc tolerantiam asserunt) *cum vident Dominum in cruce pendentem, spinis coronatum*: si per multas tribulationes itur ad Regnum Dei, sine periculis proculdubio non itur: comes enim tribulationis est periculum, *In periculis*; sic Apostolus, 2. *Cor.* 12. 26. De impijs sic Psalmista, *Psal.* 70. 5. *In labore hominum non sunt, & cum hominibus non flagellabuntur*, & qui in labore hominum non sunt, in labore Dæmonum erunt.

Mittit Deus in fornacem tribulationis, ut coquatur vas, non ut frangatur: Sic *Augustinus, in Enarrat. Psalm.* 103. Qui tribulationes & pericula hominum tollit, viam cœlorum tollit. Quid vero? An non noui isti Doctores Seraphici Deo sapientiores videri volunt? Deus enim per patientiam & tolerantiam viam fecit ad gloriam: at Patres isti sine tolerantiâ & patientiâ regnare volunt, non solum in patria, sed etiam in via. *Virtus Dei in infirmitate perficitur*, 2. Cor. 12. Virtus Pontificia in potentiâ. *Non erit tibi hoc.* Sic princeps Apostolorum, *Matth.* 16. id est, non patietur Christus; *Non erit tibi hoc*: Sic Successores *Petri*: id est, Christianus non tolerabit. Audit *Petrus* propter consilium hoc naturale humanum; *Vade retro post me Satanas*: Isti noui Consiliarij, qui Christum non sequi, sed præcedere, & ducere volunt: quid audient? Si consilio, & sapientiâ, & potentiâ humanâ stabilis permaneret Religio, fortè tolerare tyrannum esset Religionem euidenti periculo exponere: Verum quia sapientiâ & potestate diuinâ (quæ in infirmitate humanâ & perfectissima & fortissima est) stat caditque religio, *Et infirma & stulta electa sunt ad confusionem fortium & sapientum mundi*, 1. Cor. 1. qui sapientiâ & potentiâ humanâ Religionem Dei nutantem & periclitantem stabilire cupiunt, stante religione cadunt ipsi, sicut nutante arcâ Dei cecidit *Vzza*, qui manu sua, id est sapientia & potestate non sacratâ arcam sustentare cogitauit. Ita maior propositio infirma, imo prorsus falsa, & quæ Christianissimum vix sapiat.

Quid hic Bellarminus: *Tolerare Regem infidelem vel Hæreticum,* »
&c. *Cum desunt vires, non est Religionem euidenti periculo exponere, sed* »
pati eam in periculo versari: cum suppetunt vires, & potest Ecclesia per »
Vicarium

" *Vicarium Chriſti priuare Regem hæreticum vel infidelem, tunc tolerare Re-*
" *gem talem, non ſolum eſt pati religionem in periculo verſari, ſed etiam euiden-*
" *tiſſimo periculo exponere, quia non adhibet remedium quod in promptu habet.*

In promptu habentes, ſiue parati vlciſci omnem inobedientiam, ſic olim Apoſtolus, 2. Cor. 10. 6. In promptu habuit omnia remedia (& iuris & facti, alias omnia non habuit) quibus omnem inobedientiam vlciſceretur; omnem ergo & infidelium & hæreticorum, & *Principum* & populorum: Et tamen hoc remedium depoſitionis, per Vicarium Chriſti, & ignorauit, & ſubticuit Apoſtolus.

Primo ergo docere debuit Cardinalis, hoc remedium depoſitionis a Chriſto inſtitutum, & Apoſtolis traditum, & ab Apoſtolis poſteritati commendatum: tum hanc impatientiam, & inobedientiam ſuadere potuit. Interim quia nec *Chriſtus*, nec Apoſtoli tale remedium, doctrina vel praxi ſua, ne inter traditiones non ſcriptas tradiderunt; & Apoſtoli ſe paratos, armis ſuis mere & ſolum ſpiritualibus, ad omnem inobedientiam vlciſcendam prædicant, nos remedium hoc depoſitionis per Vicarium *Chriſti*, tanquam nouum & commentitium, de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, non diuino, ſed humano natum reijcimus, tanquam iuri diuino, & paci Eccleſiæ, & animarum ſaluti contrarium. Tolerantia vero iſta, patitur quidem, non tam religionem, quam religionis profeſſores in periculo verſari; Religio ipſa, quæ ſuper *Petram* fundata eſt, *inter ventos & fluctus & procellas tyrannorum & hæreticorum*, periculum non ſentit, quia ſuper *Petram* fundata eſt. Neque poteſt Religio & fides Chriſtiana periculo exponi, quia portæ Inferorum contra eam prævalere non poterunt: & proculdubio, ſine periculo illa eſt fides & Religio, quæ ante pugnam ſemper certa eſt de victoria: ſiue ergo Chriſtiani tyrannos & hæreticos patiantur inuiti, ſiue tolerent volentes, cum vires ſuppetunt, Religio tamen Chriſtiana nec periculo exponi, nec in periculo eſſe poteſt.

Aſſumptio hęc eſt. At non tenentur, imo nec debent Chriſtiani. Religionem euidentiſſimo periculo exponere. Imo, nec poſſunt: Religio enim, & *fides eſt, quæ vincit mundum*: quæ hominibus periclitantibus periclitari non poteſt; Imo vero, quod periculum poteſt religioni creare rex infidelis, vel hæreticus? quod enim eſſe poteſt Religionis periculum, ſi omnes electi & ſaluandi, ſalui fiant; & electi omnes per tyrannidem & hæreſim probari poſſint, nullus vero eorum perire poteſt? Si qui Reprobi, fures & mercenarij, qui in ouili ſunt, de ouili non ſunt, ventis, & fluctibus & procellis ingruentibus pereant, & ſubmergantur, nullum inde Religioni aut fidei chriſtianæ periculum, aut damnum conſequitur, qui Filij erant perditionis: Nullus enim perire poteſt in his periculis tyrannorum

norum & hæreticorum, nisi qui filius est perditionis: *Nemo ex iis periit, nisi filius perditionis*, inquit Dominus, *Ioan.* 17. 12. Et merito perit filius perditionis, id est, reprobus quisque, quia in fornace tribulationis & persecutionis probatus non est: non ergo Tyrannis aut Hæresis cuiquam electo, aut religioni siue fidei Christianæ periculosa aut damnosa est, quia sanctos probat, religionem siue fidem ipsam adornat & illustrat: nisi forte illud religioni, siue fidei, vitio versatur, quod omnes reprobos & iniquos saluos non faciat: Quod si omnes electos perficiat, & saluos faciat fides Christiana, reprobandos vero reprobet, quod ignem probationis, hoc est hæreses & tyrannidem perferre non poterant, nullum ex tolerantia regum infidelium & hæreticorum, aut damnum aut periculum ex huiusmodi Christianorum patientia, religioni siue fidei Christianæ accedere potest.

De cæco nato quærunt Iudæi, *Ioan.* 9. 2. *Quis peccauit, hic an parentes?* Regem Infidelem, vel Hæreticum eligere forte peccatum est, an vero tolerare Regem Infidelem vel Hæreticum peccatum sit, sub Iudice lis est. Sed esto: sit peccatum: *Quis vero peccat?* An Deus, qui dat talem regem in furore suo? an Christiani qui ex mandato Dei tolerant? an vt ibidem Christus, nec Deus qui dat, nec Christiani qui tolerant? *Assur virga furoris mei*: In pœnam & correctionem peccatorum nostrorum dati sunt tales reges. *Duplex enim est finis regis; vnus vt ad Deum dirigat; sic Rex est: alter vt peccata hominum vlciscatur, & subditorum patientiam probet, & vt ad Deum redeant, per tyrannidem cogat: Ideo inxta* Iob: *Deus regnare facit Hypocritam propter peccata populi: sic tyrannus est.* Hæc *Ioan. Parisiensis*, cap. 8. de potestate Reg. & Pap. Deus proculdubio peccare non potest, & tamen ratio ista *Bellarmini* eodem modo contra Deum quo contra Christianos concludit.

Tolerare regem Infidelem, vel Hæreticum, pertrahentem homines ad Sectam suam, est religionem euidenti periculo exponere.

At Deus, & Christus talem regem tolerat, cui tamen nunquam desunt vires, Deus ergo religionem euidenti periculo exponit.

At benefacit Deus qui tolerat & exponit: populus ergo Christianus, qui hoc facto Deum imitatur, malè non facit. Vel, vt sequamur *Bellarminum* in terminis suis.

Tolerare regem Infidelem, vel Hæreticum, pertrahentem homines ad sectam suam, est Religionem euidenti periculo exponere.

Sed Deus non tenetur, nec debet, Religionem euidenti periculo exponere:

exponere. Ergò.

Deus non tenetur, nec debet, talem Regem infidelem vel hæreticum tolerare. Et si Deus facit, quod facere non debet, quomodo innocens est?

Ecce talis est *Bellarmini* demonstratio quæ æqualiter contra Deum, & contra Christianos concludit: Imò & contra Pontificem.

Tolerare Regem Hæreticum, vel Infidelem, pertrahentem homines ad sectam suam, est Religionem euidenti periculo exponere.

Sed Pontifex nec tenetur, nec debet, etiam cum euidenti periculo vitæ suæ, Religionem euidenti periculo exponere. *Qui enim vitam suam, aut Patrem, &c. diligit plus quam me, non est me dignus.*

Ergò Pontifex nec tenetur, nec debet, etiam cum periculo vitæ suæ, tolerare Regem Infidelem, vel Hæreticum.

Conclusio verò huius demonstrationis, Pontificis est exclusio. Quid enim si pontifex nolit deponere Regem Infidelem vel Hæreticum? At semper tenentur & debent Christiani, non tolerare: id est, deponere Regem Infidelem, vel Hæreticum, Potest ergo populus Christianus, inconsulto vel reluctante Papa, Regem Infidelem, vel Hæreticum deponere: debita enim officia obligant, etiamsi negligat, & quod suum est, aut non faciat, aut facere nolit Pontifex.

4 A demonstratione ad probationem accedamus: ea huiusmodi est.

„ *Quando ius diuinum & humanum pugnant, debet seruari ius diuinum*
„ *omisso humano: De iure autem diuino est seruare veram fidem & Religio-*
„ *nem, quæ vna tantum est, non multæ: De iure autem humano est quod hunc*
„ *aut illum habemus Regem.*

Satius est obedire Deo quam hominibus: id est, quam pontificibus: hoc certum est: *Si aliud iubeat Imperator, aliud Deus* (imò si aliud pontifex, aliud Deus) *Hic* (inquit *Augustinus*) *timendo potestatem contemne potestatem*; timendo potestatem Dei, contemne potestatem hominis, qui contra Deum nihil potest, etsi præter Deum, id est in his, quæ adiaphora & indifferentia sunt, plurimum potest.

Quando ius diuinum pugnat cum iure humano, debet seruari ius diuinum, omisso iure humano: hoc certum est, sed ad propositum nostrum non facit. Nulla enim hic est pugna, inter ius diuinum & humanum: sed inter ius diuinum, & diuinum concordia maxima. Præceptum de Religione Dei conseruanda in prima tabula primum est, præceptum de Rege honorando in secunda tabula itidem primum est; quæ duo sic coniunxit Apostolorum princeps, vt nulla ratione disiungi

iungi, aut seperari possint: *Deum timete, Regem honorificate*: Nec potest quisquam Regem honorificare ex corde, nisi Deum timeat, nec potest quisquam Deum timere, qui Regem inhonorificauerit: iniuria enim imagini illata, ad Archetypum pertingit, & qui Archetypo non paret, nec imagini siue proregi paret: nec quisquam in Regem impius est, qui non prius in Deum impius fuit, cuius mandatum in Rege violando violauit. Duo ergo hæc præcepta, veram scilicet Dei religionem seruare, & regem Infidelem siue Hæreticum tolerare, iuris divini sunt; quorum, qui vnum violauerit, totius legis violatæ reus erit. Imò verò eo nomine, Rex infidelis & hæreticus tolerandus est, & in licitis & honestis ei obtemperandum, propter conscientiam scilicet, & religionem Dei, quæ sola veram obedientiam Regibus & præstat & docet; dum in temporalibus. *Cæsari quæ sunt Cæsaris* reddit, *& quæ sunt Dei Deo* reseruat. Id quod vel ex illis Christi verbis obseruari potuit, non enim dixit Christus, Date Regi fideli & pio quæ sunt Regis, sed reddite quæ sunt Cæsaris & Regis siue Imperatoris, Cæsari Regi etiam infideli & Tyranno, qui per præfectum suum Pilatum Dominum vitæ & Sacerdotem summum morti tradidit. Habet ergo Cæsar iura sua quæ illi sarta tecta conseruanda CHRISTVS summus Sacerdos præcepit, etsi Regibus Infidelibus eadem relaxet & dissoluat Vicarius CHRISTI.

Verum *Bellarminus* alter est Caiphas, prophetat invitus & contra sensum & sententiam suam vera prædicat. *In non tolerando vel deponendo Rege Infideli vel Hæretico pugnat ius Diuinum & humanum*: Regi enim seruire & obedire iuris est diuini, iure diuino tenemur obedire siue parere regi dum rex est: vt autem de rege fiat non Rex, de Principe non Princeps, iuris est Ecclesiastici: id est, humani: *Potest enim Ecclesia authoritatem Dei habens per sententiam vel ordinationem, Infidelem Regem dominio priuare*, vt Thomas & eius sequaces, qui potestatem hanc de iure Ecclesiastico esse statuunt.

Pugnat ergo ius Diuinum cum iure humano in Regis depositione; & proinde cum ius diuinum regi parere iubeat, ius vero Ecclesiasticum, de rege non regem faciat, hoc est regem deponat, debet seruari ius diuinum de obedientia regis, omisso humano de depositione regis.

Vide vero, lector, quomodo subterfugia & diverticula quærat *Bellarminus*! Non est ausus dicere, obedientiam & seruitium regibus debitum, non esse iuris diuini, sed humani: ausus non est dicere, iure diuino non tenemur regi parere dum rex est, ne in Deum & reges & omnes homines blasphemus esset. Et hoc tamen dicere debuit, si ius Diuinum cum iure humano pugnaret in regum depositione. Sicut

cut vero de iure diuino est, veram religionem seruare, sic de iure humano esse debet, regi semel constituto obedire, alias non esset contrarietas, pugna nulla inter ius diuinum & humanum.

At seruare Religionem & fidem Christianam, & hunc vel illum Regem habere nulla ratione contrariantur; Disparata esse possunt, pugnantia non sunt.

Quod autem dicat *Bellarminus*, de iure humano esse quod hunc vel illum habeamus regem, illud sic intelligendum est, quod nemo rex sine Deo, & potestatem ipsam instituente, & formam regiminis approbante, & personam etiam regentis volente. Impossibile enim est, vt vniuersus mundus, & inferior, & etiam superior, quenquam, nolente & inuito Deo, constituat regem. Qui enim dedit *Constantinum, & Neronem dedit, qui Constantem & Constantinum, qui Iouinianum idem & Iulianum Imperatorem. Dedi illis Regem in furore meo*: Etsi in furore, dedit tamen: & dedit aut nutritorem aut probatorem: Persona ergo Principis per homines, siue mediante consensu hominum, à Deo est: Postquam autem à Deo mediantibus hominibus rex quisquam constitutus est, tunc, etiam fatente *Bellarmino*, de iure diuino debetur huic regi obedientia: Duo ergo hæc præcepta, de religione Dei seruanda & obedientia regibus præstanda, diuina sunt: & præcepta siue iura diuina inter se non pugnant, nec vnum eorum propter alterum omittendum est, *quia vtraque* simul obseruari possunt: Fides enim & religio Deo illibata seruari potest, sine violatione regum: obedientia vero regibus præstari potest sine iniuria Creatoris, quandiu nihil contra Deum mandant: sicut vero Proconsuli obtemperandum non est, si aliquid contra Imperatorem præcipiat, sic nec Imperatori, nec Pontifici, quicquam contra Deum imperanti parendum est, quia in præsentia Domini cessat potestas Vicarij.

Hic expectat *Bellarminus*, vt probaret *Barclaius*, iure diuino cautum esse, vt regi nullis de causis regnum abrogari possit: atqui hoc abunde probatum est, quia obedientia regi semel legitime constituto est de iure diuino & naturali: ius vero diuinum & naturale æternum est & indispensabile. Etsi vero multæ factæ sunt ab exordio mundi regnorum alterationes, multique regnis exuti sunt, idque iusto Dei iudicio hoc ipsum & ordinante & co-operante. An tamen omnes illi qui hanc regnorum mutationem regumque depositiones attentarunt, à violatione æterni huius diuini, & naturalis iuris liberi sint, ipsi viderint. Ego ius belli & gladij pro iure diuino & naturali semper non accipio: at argumentum, à facto ad ius, militem magis decet quam Theologum.

Iusta fuit diuisio regni Israëlitici à Iudaico per *Roboamum* & *Ieroboamum*

boamum apud Deum; an vero iuſtè, aut populus, aut *Ieroboamus* à *Roboamo* detecerint, ipſi viderint: factum ipſum conſecuta eſt pœna peſſima, Idololatria, & vitulorum cultus: & nunquam ſequitur pœna, niſi præcedat culpa: & pœna peſſima illa eſt, vbi peccata præcedentia per peccata ſubſequentia puniuntur.

Pergit *Barclaius: Etſi, vt hic vel ille Rex ſit, de iure humano ſit, poſtquam tamen Rex conſtitutus eſt, obedientia illi debetur de iure diuino, quo conceſſo, totum Bellarmini eliditur argumentum.*

Quid hic *Bellarminus?* Fatetur obedientiam hanc eſſe de iure diuino: *Iure diuino illi parendum eſt, dum in ſolio præſidet:* ſed varias comminiſcitur rationes, quibus Rex non Rex fiat. Primò, Abdicatione ſiue ceſſione propriâ, de quâ litem non intentamus, ſicut nec de ſpontaneâ Papatus abdicatione: quæritur inter nos an Rex deponi poſſit à Pontifice, vel populo, inuitus? Secundò, Iure belli, vel gladij: Si expreſſo hoc fiat Dei mandato, ſicut *Dauid* regnavit præterito *Iſhboſheth*, & *Iehu* depoſuit *Ioram*, idem eſt ius poli & gladij: ſi ſine expreſſo Dei mandato, aut alio iuſto titulo, iure diuino & naturali confirmato, ius poli & ius belli duo ſunt: *Regna beata ſi parua & concordi vicinitate lætantia.* Tertiò, depoſitione Pontificali, id eſt, petitione principij: hoc enim non ſumendũ, ſed probandum erat, ſpeciali aliquo, & explicito, priuilegio cautum eſſe, vt Pontifex Reges Infideles, & Hæreticos, aut malos, aut inutiles, ad tribunal ſuum vocare, & dominio, & Regnis exuere poſſit.

Vltimo loco vrget *Barclaius* verba *Bellarmini*, *Lib. 2. de Pontifice*, *Cap. 29.* Circa Pontificem: *Non licet Concilio iudicare, punire vel deponere Papam nitentem deturbare & deſtruere Eccleſiam Dei, etſi liceat ei reſiſtere, & non facere quod iubet, & impedire nè voluntatem ſuam exequatur. Potiori ratione, cum populus Regibus inferior ſit, Rex vero Iudicem in terris nullum habeat, nemo poteſt Regem iudicare, punire, vel deponere: Concilium enim Oecumenicum maiore authoritate ſupra Papam preditum eſt, iuxta multos magni nominis Theologos, quam habeat populus in Principem.*

Multa hic reſpondet *Bellarminus*: Primo, *Pontifex Hæreticus ſine dubio deponi, aut certe depoſitus declarari poteſt à Concilio, vti conſentiunt omnes Catholici: Rex ergo deponi poteſt propter hæreſin ſicut Papa, quamuis in temporalibus non habeat ſuperiorem, cum Papa propter hæreſin deponatur, qui ſuperiorem nec in temporalibus, nec in ſpiritualibus habet in terris.*

Quid vero, ſi infidelis, aut Idololatra fuerit Papa, & Dijs thura ſacrificauerit, ſicut fecit *Marcellinus?* Quid ſi Apoſtata fuerit, *Chriſtumque* abnegauerit, & abiurauerit, ſicut fecit Princeps Apoſtolorum *Petrus?* An infidelitas & Idololatria & Apoſtaſia ſpecies ſunt

Hęreseos, sicut hęresis species quædam est infidelitatis iuxta *Bellarminum*, qui ea, quæ de depositione Infidelium dicuntur apud *Thomam*, de hęreticis etiam intelligit? An vero propter infidelitatem, Idololatriam, & Apostasiam, non est deponendus pontifex, quia nec Sanctus *Petrus*, nec *Marcellinus* depositi sunt? *Si Infideles merito infidelitatis mereantur amittere dominium temporale, quod habent super fideles*, multo magis pontifices infideles, Idololatræ, & Apostatæ, merentur amittere dominium spirituale, quod habent super fideles: ratio manifesta est, quia etsi infidelis, & Idololatra, & Apostata, præesse & dominari possit in externis & temporalibus, quæ ad naturam spectant: at præesse, & dominari in diuinis, & spiritualibus non debet, qui diuinis & spiritualibus interesse non possit, nec vllâ ratione permittitur, nè margaritæ cœlestes coram porcis proijciantur. Non solum ergo propter hæresin, sed etiam propter infidelitatem, & Apostasiam, & Idololatriam deponi, vel depositus declarari potest, & debet pontifex.

At eodem iure Rex propter hæresin, quo pontifex deponendus est. Imò verò non est: idque duplici de causa. Primò, qui Papatus in gratiâ fundatur, non in naturâ, & quod ab Euangelio, siue gratiâ, siue Ecclesiâ datũ siue collatum est, à gratiâ siue Ecclesiâ tolli potest: Regnum vero non fundatur in gratiâ, sed in naturâ; & gratia, siue Ecclesia non tollit, quod à natura datum est, non à gratia, siue Ecclesia collatum est. Pontifex ergo deponitur à Pontificatu propter hæresin, quia gratia, siue Ecclesia illud tolere potest, quod contulit. Rex autem propter hęresin à regno non deponitur per Ecclesiam, siue pontificem, quia gratia non tollit, nisi quod à gratia donatum est: Regnum autem Regi non contulit gratia, siue Ecclesia, sed natura, & Respublica. Licet ergo Rex amittere potest per sententiam Ecclesiæ quicquid accepit ab Ecclesia, id est, communionem gratiæ & hęreditatem in Regno Dei, non potest tamen per sententiam Ecclesiæ amittere communionem naturæ, & hęreditatem Regni terreni, quam à Deo, & natura, non à gratia percepit. Quod si pontifex propter hæresin, vel infidelitatem, vel Apostasiam, vel Idololatriam depositus, & à communione gratiæ priuatus, bonis temporalibus, & communione naturali non privatur: Rex itidem, quando bonis spiritualibus, & communione Ecclesiæ priuatur; bonis temporalibus, & communione naturæ, & Reipub. spoliari non debet.

Secundò, quia Pontifex habet tribunal, in quo sine dubio deponi, aut certe depositus declarari potest, etiam authore *Bellarmino*, atque hoc tribunal antiquum est, & cum ipso Euangelio creuit; ideo in Concilio *Marcellinus* causam suam egit, postquam Idolis sacrificâsset, & multi pontifices causas suas in concilijs egerunt. Quin-

etiam

etiam & princeps Apoſtolorum, *Act.* 11. in Concilio cauſam ſuam perorauit, & Coapoſtolis & diſcipulis rationem reddidit, cur ad Gentiles ingreſſus ſit, & verbum Euangelij præcidarit: In poſterioribus vero Concilijs, multi Pontifices non ſolum propter hæreſin, ſed etiam propter ſchiſma & malos mores depoſiti ſunt, vt poſt dicemus: Et hoc non ſolum de facto, ſed etiam de iure: Nihil enim priuatum aut peculiare *Petro*, quatenus priuata perſona eſt, conceſſum eſt, ſed *Petro* perſonam totius Collegij & Eccleſiæ repræſentanti dictum eſt. *Tibi dabo claues, & quicquid ligaueris*; & quod vni nomine omniũ promiſſum eſt, *Mat.* 16. id omnib⁹ præſtitum eſt, *Ioan.* 20. vt abundè ſupra, cap. 3. l. 2. docuimus. Cui quicunq; contradicit, ſicut adulatores pontificũ nuper ſolent, toti antiquitati & primitiuæ Eccleſiæ praxi manifeſtè contradicit. Quod ſi poteſtas & iuriſdictio Eccleſiæ in foro exteriori ſicut plurimis ijſq; doctiſſimis viſum eſt, in illis verbis, *Quæcunq; alligaueritis*, fundata ſit; non de *Petro*, ſed de Collegio dictum eſt: *Dic Eccleſiæ*. Ideo, inquit *Ambroſius, in* 1. *Tim.* 5. 1. *vnde & Synagoga, & poſtea Eccleſia ſeniores* (ſacerdotes, nam *Epiſcopus primus eſt Presbyter* apud *Ambroſiũ*) *habuit quorũ ſine cõcilio nihil agebatur in Eccleſiâ: Quod qua negligentiâ obſoleuerit neſcio, niſi forte Doctorũ deſidia, aut magis ſuperbia, dum ſoli volunt aliquid videri.* Quinetiam eo nomine Pontifex Cardinales ſecum retinet, tanquam aſſeſſores & Conſiliarios, vt totius conſilij, quod quotidie congregari non poteſt, vices ſuppleant, parteſq; agant. Ergo, *Dic Eccleſiæ*, non eſt, *Dic Petro*, ſed dic Collegio. Commentum eſt plane *Bellarminianum*, fictitium & nouum, & à plurimis doctiſſimiſq; reijcitur, quod *Petro* data eſt omnis Iuriſdictio à *Chriſto*; cæteris vero Apoſtolis, tanquam in partem ſolicitudinis aſſumptis, pro libito *Petri*, vel pontificis communicata: Quod *Petrum* ſolum ordinarit & conſecrârit *Chriſtus*, *Petrus* vero reliquos Apoſtolos, ingenium verè Ieſuiticum & adulatorium ſapit; & toti antiquitati repugnat, quæ vno ore profitetur, *Apoſtolos pari conſortio præditos, & honoris, & poteſtatis.* Et vbicunq; poteſtas legum ſanciendarum, ibi ſuprema poteſtas: leges enim figere & refigere, quibus & pontifex iudicare, & ſubditi iudicari & poſſint, & debeant, ſupremæ poteſtatis eſt ſignum certiſſimum: leges declarare & interpretari, & ſecundùm eaſdèm iudicare, poſſunt inferiores Magiſtratus: At legiſlatorem eſſe, leges ſancire, vim vitamq; legibus præbere, ad ſupremam poteſtatem ſpectat: Leges autem Eccleſiaſticæ in Eccleſia primitiua, Canones erant Conciliorum, non reſcripta, aut decreta pontificum, quibus & pontifices ipſi obligabantur, donec noui iſti & illuminati Doctores, pontificem ſuper Concilia, & Canones eleuarunt. Sicut ergo non *Petro* ſoli & ſingulari, ſed Eccleſiæ & Apoſtolorum collegio collata eſt poteſtas à *Chriſto*; ſic Eccleſia & Conciliũ, ſuper põtificẽ eſt, & proinde Conciliũ

eſt tribunal ordinarium, in quo iudicari poteſt & debet Pontifex, & proinde etiam deponi: & à Pontifice ad Concilium datur appellatio, vt & multi Theologi & Iuriſconſulti & Imperatores, (licet eo nomine à vobis malè audiant) appellârunt: Quinetiam & Pontifices ipſi in Eccleſia primitiua ad Concilium provocârunt, magnoque conatu ab Imperatoribus conuocationem Conciliorum obtinuerunt: quod cuiuis antiquitatis ſtudioſo notiſſimum eſt.

Nec ſolum in Concilio deponendus declaratur Pontifex, ſed etiam ipſo iure & facto deponitur: Eiuſdem enim eſt iudicis, depoſitum declarare, & deponere, vt idem Iudex, & excommunicat, & excommunicatum ipſo facto, vel iure declarat: nec ad hunc iudicem ſpectat excommunicatio & depoſitio: ad alium vero excommunicationis & depoſitionis declaratio: eiuſdem Iudicis idem eſt munus. Si ergo Cõcilium poteſt Pontificem hæreticum, depoſitum declarare, poteſt Concilium Pontificem propter hæreſin deponere.

» Quod vero addit *Bellarminus: Pontificem ſuperiorem non habere, nec* » *in ſpiritualibus, nec in temporalibus.* Id vero non eſt verum. Nam in temporalibus Pontifex, qua Pontifex, Imperatoribus etiam infidelibus ſubijcitur; ſi *Tertulliano, Chryſoſtomo, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio*, alijſque pluribus Patribus, & doctoribus fides adhibenda ſit, vti ſupra docuimus, Lib. 1. Cap. 8. Et Pontifex, qua Princeps temporalis, de facto, in temporalibus neminem *ſuperiorem habet*: Quo autem iure, temporalis Princeps ſit, iugumque Imperij excuſſerit, quovè iure Imperator Imperium diſſipare & diſtruere poſſit, vt Pontificem de non Principe, fortè etiam principatus temporalis incapace, Principem faciat, mea non intereſt, ipſe viderit. *Quod* ſi forte Imperator aliquis Magnanimus, & Heroicus, plumas Imperij furtiuas à Pontifice repetat, movebit cornicula riſum, furtivis nudata coloribus.

In ſpiritualibus Concilium eſt ſupra Papam, aliàs Concilium non poſſit propter hæreſin Pontificem deponere, aut depoſitum declarare. Deponere enim, necnon & depoſitum declarare, actus eſt ſuperioritatis; Et fatente *Bellarmino*: aliqui viri docti ſenſerunt Concilium eſſe ſupra Papam.

Quinetiam quoad exteriorem adminiſtrationem, & Conciliorum conuocationem, necnon & correctionem per cenſuras ciuiles tantum, non ſpirituales; Pontifices & Epiſcopi in cauſis merè ſpiritualibus, vpote hæreſi, & ſchiſmate, alijſque multis, ſubiecti erant Imperatorib⁹, & ab ijs in ordinem cogebantur: Et extant leges in iure ciuili, & Patrum, & hiſtoriarũ monumentis, per Imperatores latæ, de ſumma Trinitate, & fide Catholica: necnon pœnæ in fidei Catholicæ, & diſciplinæ Eccleſiaſticæ violatores conſtitutæ, quibus omnes & Clerici, &

Lai-

Laici, & Pontifices, & Episcopi, & populares, iudicio & brachio seculari puniuntur; in quibus nulla extat exemptio vel pontificis summi. Quin & *Salomon Abiatharem*, sacerdotem summum, non propter hæresin, sed propter proditionem deposuit. Et proinde in primitiua Ecclesia, etiam in spiritualibus, quoad censuras ciuiles, pontifices Imperatoribus subditi erant. Quod etiam senectus Ecclesiæ, in Concilijs Constantiensi, & Basiliensi, factum vidit: in quibus Pontifices, & coacti sunt per Imperatores in Concilijs adesse, & per Concilia depositi sunt. De quo Imperatorum & Conciliorum facto, ætas illa bonarum literarum, & literatorum numero florentissima, omnia bona dixit. Pontifex ergo, & in temporalibus, & in spiritualibus, superiorem, imo & superiores habet.

Quod ad Regem siue Imperatorem attinet; non habet ille in temporalibus superiorem, vti supra multis, & antiquorum, & neotericorũ testimonijs probauimus. *C.* 8. *l.* 1. Et idipsum videtur S. *Paulus*, nec non, & Apostolus *Petrus* agnoscere. Dicendo enim. *Rom.* 13. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit*, sublimiorẽ hac in temporalib⁹ potestate nullam agnoscit: non enim cauet eo loci Apostolus de minorib⁹ & inferiorib⁹ magistratib⁹, qui delegatam à superiore potestatem habent, sed de sublimioribus siue supremis. *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter deũ: siue Regi vt præcellenti, siue ducibus ab eo missis*, 1. *Pet.* 2. 13. Distinguit hic Apostolus supremos magistratus ab inferioribus, Reges à Ducibus: Rex ergo præcellit, quia in sua ordine: i. in temporalibus superiorem non habet. Id quod & *Innocentius* 3. Pontifex *C. per venerab. qui fil. sunt legit.* de Rege Francorum, & eodem iure, eadem regula, de omnibus Regibus agnoscit. Et quis erit in Regno suo, Rege superiorior? Non populus, qui omni modo subditus & inferior, nullo modo superior esse potest: neq; enim populi minister dicitur rex, *sed Dei minister est*, *Rom.* 13. nec in regẽ transtulit populus potestatẽ suam sed Deus, cuius vices gerit in terris: potestas enim Regia radius est, siue riuulus, & ramus potestatis diuinæ: *Mihi vindictam, ego retribuã*: vindicat rex, non iure populi, sed iure Dei: Imò populus ipse in Rebuspub: Democraticis, non suã, sed Dei, Regis sũmi & æterni potestatẽ habet: Populus enim non habet in se potestatem Regiam, qua populus, sed qua vices Dei agit, cuius est omnis potestas. Neq; vero populo data est primario potestas ista, & per populũ in reges translata, sed sicut patria potestas, Deo & natura authore, in patrefamilias, supra vnicã familiã erat, antequã filij potestatẽ suam in Patrẽ transferre, aut etiam cõsentire poterant: sic etiã regia potestas, quæ patriæ potestati succedit, in eodẽ Patre super multas familias inerat, ijsdẽ familijs potestatẽ illam in Patrẽ patriæ non transferentib⁹. *Beneficẽtia quidẽ Reges cõstituit, quod est bonorũ virorũ officium*, inquit *Arist. Pol.* 3. *c.* 11. ipsa vero

potestas immediatè à Deo emanat, & in Regem confertur: Populus autem potestatem in regem non transfert, etsi in personam principis consentiat, aut personam principis quandoque eligat. Etsi data fuerit primariò hæc potestas populo, non sic data est, quasi populi sit, sed Dei; nec populo aliter collata est, nisi vt rivulo, vel radio, vel instrumento, quo in alium vel alios deferatur. *Entia volunt optimè regi*: & Democratia omnium pessima, & ab exemplari: i. Regno siue principatu diuino alienissima. Populus ergo, nullâ ratione in temporalibus Rege superior est, & proinde nullâ ratione Regem iudicare, & punire, & deponere potest, quod solius est superioris. Et Rex in terris Iudicem superiorem à quo puniatur, non habet: vti ex *Bellarmino* ipso, alijsq; plurimis manifestum est, *l.* 1. *c.* 8.

Quod si Rex nullum Iudicem superiorem, qui ipsum puniat temporaliter, habeat, etsi Pontifex, & Episcopus quisque in ijs quæ sunt ordinis, superior sit rege in spiritualibus (inferior tamen est, vti supra diximus, quoad iudicia & censuras ciuiles:) Etsi pontifex & quilibet Episcopus, fortè etiam, quoad imperium directivum, in temporalibus rege superior sit, quatenus scil. non quoad vsus ciuiles, sed quoad vsus spirituales per scientiam diuinam dirigere possunt, laicos & potentissimos & doctissimos: at quoad imperium coactivum, quoad leges ciuiles (quæ etiam Clericos ligant, si non quâ leges, at certè qua rationes) quoad censuras & pœnas ciuiles, rex etsi Christianus sit superiorem neminem in terris habet, nedum pontificem Romanum, à quo ciuiliter siue temporaliter puniatur aut deponatur. Neq; vero potest potestas coactiua temporalis, in pontificem, qua pontifex est cadere, nisi vna homines ab infidelitate, & hæresi, & malis moribus, non tantum suadendos, sed etiam ad veram religionem cogendos doceamus: quod & veritati & antiquitati plurimum derogat.

Quacunq; ergo potestate spirituali superior siue supremus Princeps spiritualis polleat quibuscunq; armis spiritualib⁹ paratus & instructus incedat, quibuscunq; pœnis & censuris spiritualibus, inobedientes & contumaces cogat & coerceat, quâcunque scientiâ siue authoritate directiua, circa vsum temporalium (quorum erogatione sæpenumero acquiruntur æterna) instruatur; arma certe tẽporalia, censuras & pœnas temporales (inter quas regum depositio) non habet, nisi militiam spiritualem & cœlestẽ deserat, & armis temporalibus siue ciuilib⁹ accingatur. Sicut enim miles carnalis arma carnalia, sic miles spiritualis arma tractat spiritualia. Aut ergo principem temporalem se iactet pontifex, siue princeps spiritualis; aut desinat falcem in messem alienam mittere, imo falcem & gladium temporalem è manibus Regum & Imperatorum extorquere, nè in die Iudicij in quo miles per arma sua iudicandus est, non miles Christi, sed Martis, aut Romuli, aut

Cæsaris

Cæsaris deprehendatur. ——*Quod medicorum est*
Promittant medici, tractent fabrilia fabri.

Si princeps spiritualis sit, quid illi cum armis spiritualib⁹? vtraq; vocatio & sacerdotis & regis totum hominem desiderat: aut Sacerdos sit, non Rex; aut si Rex esse velit, Sacerdotem se deneget.

At (inquit *Bellarminus*) *Pontifex est seruus principalis, quem Dominus super omnem familiam suam posuit, cuius delicta castigabit Dominus ipse. Veniet Dominus in die, quâ non expectat, & seuerissime eum puniet: Nec familia ipsa, nec aliquis de familia ipsum puniet; Dominus enim iudicium de illo seruo sibi reseruabit.* „ „ „ „

Caue vero, ne hunc locum *Petro* eiusq; successoribus appropries, ne conseruus iniurius deprehendatur pontifex, falsus vero Cardinalis. Seruus enim ille, qui super totam familiam constituitur, pastui intendit, non delitijs; & mensuram tritici cuique distribuit: id est, verbum prędicat: non sic pontifex *Romanus*. Percutit ille conseruos, forte hoc facit pontifex *Romanus*, cum Reges deponit. Quid enim est conseruos percutere? An pœnis & censuris spiritualibus ferire? Hoc licitè fecerunt Apostoli & Episcopi sanctissimi in singulis Ecclesiæ seculis: & sic facere debuerunt: nec tamen conseruos percusserunt.

Si qui sunt, qui conseruos pœnis & censuris non suis: id est, temporalibus feriunt, hi sunt qui conseruos suos illicitè & iniustè percutiunt: qui non gladio Anathematis, sed gladio depositionis temporalis conseruos feriunt, hi conseruos percutere dici possunt. Percutit pontifex conseruos, non hęreticos: neque enim *Henricus* quartus, nec *Fredericus* secundus, nec *Ludouicus Bauarus*, hęreseos labe notati sunt. Quodnam vero est hoc vinum inebrians? Non vinum spirituale quo reficiuntur animæ, sed vinum temporale quo inebriantur, qui tanta dulcedine potestatis terrenæ inescantur, vt delitias spirituales fastidiant.

Quis vero sit qui principatum temporalem, regnum mundi à Domino contemptum amplexatur, satis notum. Seruus iste tyrannizans, non pascens, caue ne pontifex sit. Quid vero hic Cardinalis? An falsarius? pontifex est seruus ille principalis, quem posuit Dominus super *omnem* familiam. *Super familiam*, sic in Græcis exemplaribus, & in vulgata editione legitur: vocem hanc *omnem* de suo addidit Cardinalis. At dicet fortè; sequitur in textu: *Super omnia bona sua constituet eum*: ibi habetur omne: sed de secundo aduentu loquitur, non de primo. *Beatus ille seruus, quem cum venerit Dominus, inueniet sic facientem, verè dico vobis, quoniam super omnia quæ possidet constituet eum, Matth.* 24. 46. & 47. Cõstituet in futuro, in aduẽtu secũdo; non dicit constitutus est, in aduentu primo. *Et constituet super omnia bona*, non dicit, super *omnem* familiam, sed tantum *super familiam*, omnẽ de suo addidit *Bell.* Et vnusquisque

quiſque Sacerdos,& Epiſcopus ſuper familiam conſtitutus eſt; vnuſquiſq; Epiſcopus eſt Epiſcopus Eccleſiæ vniuerſalis ſiue Catholicæ, at nemo,ne Pontifex quidem ſummus, vniverſalis eſt Epiſcopus Eccleſiæ,niſi ſolus Chriſtus,qui ſuper totam familiam conſtituturus eſt : ſi *Gregorio* credimus. *At hunc ſeruum nemo de familia, imo nec tota familia punire poteſt, quia Dominus iudicium de ſeruo illo ſibi reſeruauit.* Et hic *Bell.* iudicium viæ pro iudicio futuro ſubſtituit: *Veniet Dominus ſerui illius, in die quâ non expectat, & diuidet eum, & partem eius cum infidelibus ponet.* Dies illa quam expectat ſeruus, dies eſt Iudicij adueniens tãquam fur in nocte : tunc diuidet eum, & ſeparabit eum Dominus ab ouibus quarum dominabitur,& partem eius cum infidelibus ponet.Et meritò damnatur cum infidelibus,quia ſeruus eſt infidelis?In futuro ergo iudicio ſervum illum iudicabit &puniet Dominus:*Quid* hoc ad præſens Iudicium Eccleſiæ? An quia in fine ſeculi à Domino iudicabitur, in hoc ſeculo ab Eccleſia,ab Epiſcopis, à Regibus non Iudicabitur?De Regibus dicitur,*Sapient. 6. Data eſt vobis poteſtas à Domino, & virtus ab altiſſimo,qui interrogabit opera veſtra* : i. iudicabit. Iudicium hoc regum futurũ eſt: *Quid* ergo? An Reges in hoc ſeculo iudicari non poſſunt? Si hoc conſequatur,Pontifex ergo Iudex Regum in hac vitâ non eſt.

Verum eſto: ſit hoc Iudiciũ viæ : *diuidet eum:* quid hoc eſt? An ſchiſma & diviſionem inter Regnum & Sacerdotium prædixit Dominus? An diſceſſionem ab Eccleſia & obedientia Romanenſium?*Partem eius cum infidelibus ponet* : quid hoc eſt? An Pontifex *Gregorius* 7. excommunicari,& cum Ethnicis & publicanis & Infidelibus collocari poteſt? Servus ergo iſte qui ſuper familiam omnem ſe conſtitutum venditat,& diuiſione ſiue ſchiſmate, & excõmunicatione ſiue anathemate puniri poteſt : Ergo & Iudicari poteſt : Et Dominus per ſeipſum non iudicat,ſed aut per Eccleſiam,aut Principes temporales. *Qualiſcunque* ergo pœna fuerit, iudicatur ab Eccleſia ſeruus iſte principalis.

Idipſum fatetur *Bell.l.* 2 *c.*29. de Pontifice,hic vero repetit: non iudicatur extra cauſam hæreſis, non ſi vita & morib⁹ Eccleſiam perturbet aut deſtruat. Iudicatur ſervus iſte principalis ab Eccleſiâ propter hæreſim; fallitur ergo *Bell.*cum dicit Dominum iudicium de ſeruo illo ſibi reſervaſſe,quia à familiâ & aliquib⁹ de familia iudicatur & punitur propter hæreſin: non enim omnino,ſed ex parte reſeruat Dominus ſibi-ipſi iudicium ſerui illius principalis.At iudicatur propter hæreſin,propter vitam & mores non iudicatur. Duo requiruntur in ſeruo iſto; in fide ſcientia, in vita ſanctitas. *Quis eſt ſervus fidelis & prudens* : fidelis propter morum integritatem, & in munere paſtorali obeundo diligentiam, prudens per donorum & ſcientiæ vbertatem. Et quare dicitur, *Quis putas eſt ſervus fidelis & prudens* ; primò fidelis, tum prudens? An quia fidelitas in munere paſtorali præſtando,

& morum integritas plus potest ad salutem animarum, quam prudentia in docendo? Duo ergo in Pontifice bono necessaria, fidelitas in vitâ, & prudentiâ in doctrinâ: Pontifex fatente *Bellarmino*, deponi potest, quia prudens non est, id est hæreticus est, rectus in fide non est: Quidni ergo deponi etiam potest Pontifex, propter vitæ & morum improbitatem, quæ primo loco inter boni Pastoris dotes ponitur? Dicat vero *Bell.* Pontifex si Simoniacus sit, i: si Pontificatum donis aut promissis, aut ambitu acquirat (quod vtrum in conclavi fiat necne novit Cardinalis, in die verò iudicij vniverso orbi notum fiet) An propter Simoniam, saltem per sententiam declaratoriam (nam Simoniacus nunquam vere consecratur) deponi potest? Et Simonia hæc peccatum est vitæ non doctrinæ: *Henericus* 3. duos vel tres Pontifices sub hoc nomine Simoniæ deposuit, *Ioannes* 12. propter lubricitatem & malos mores a *Leone* depositus est: Pontifices illi qui in Concilijs *Pysano*, *Constantiensi* & *Basiliensi* depositi sunt, propter hæresim, an propter schisma & malos mores deponuntur? Cæteros taceo. An quisquam vero Pontifex propter hæresin depositus sit, haud scio; propter malos mores depositi sunt procul dubio multi. Qui verò illos Pontifices in Concilijs *Constantiensi* & *Basiliensi* iniustè vel de facto tantum, non de iure depositos asserit, non solum facta Conciliorum, sed & approbationem sequentis Pontificis, qui Concilio infallibilitatem tribuit, in dubium reuocat. Mala ergò vita Pontificum depositionem meretur, sicut & hæresis: Infidelitas in Pontifice pœna digna est, sicut & error & pertinacia: Pontifex ergo & propter hæresin, & propter vitam, depositionem meretur. Quinetiam & Pontifex de Pontifice iudicat, & mortuum quantum in eo est punit, vt de *Formoso* & *Stephano* notum est satis: Nec tamen *Formosus* hæreticus audit. Quorsum vero tendant ista non video, nisi vt verba *Bonifacij* Martyris de Pontifice pessimo confirmaret *Bell: Si Papa sue & fraterne salutis negligens deprehenditur, inutilis & remissus in suis operibus, & insuper à bono taciturnus, quod magis officiat sibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos catervatim secum ducit primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturos; huius culpas istic redargnere præsumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus, a nemine est iudicandus, nisi deprehendatur à fide devius.* Dist. 40. c. Si Papa. Miros vero ludos hic nobis facit *Bell:* quasi enim nobis gratificaretur, concedit quod Papa propter hæresin solam deponi, aut depositus declarari potest a Concilio: at Papam hæreticum esse posse, aut vnquam fuisse, hoc constanter negat. Sic deponi potest Pontifex propter hæresin solam, quia hæreticus esse non potest: Nonnè hoc est Lectoribus fucũ facere?

At Concilium est supra Papã: id senserunt viri aliqui docti: Regnũ vero non est supra Regẽ: Sic aliqui magninominis Theologi; vti *Barcl.* Sic enim senserunt *Ioannes Gerson, Iacobus Almayn, Petrus de Aliaco, Nicolaus Cusanus,*

Cardinalis

Cardinalis Zabarellis, Panormitanus Abbas, quos omnes sic sensisse agnoscit *Bellarminus, De Conciliis lib.* 1. *cap.* 14. nec non idem senserunt patres Conciliorum, *Pisani, Constantiensis & Basilienſis.* Quid hic *Bellarminus?* Non multum de eorum sententia laboramus: Credo equidem Pontifices parum laborare de eorum sententijs, qui ipsis contradicunt; soli enim illi vera intelligunt & docent, qui pro ipsis sapiunt & loquuntur: cæteri omnes reprobantur, prohibentur, expurgantur; inter authores prohibitos aut castrandos reijciuntur: In hoc genere nec Catholicis nec Patribus, imo nec Scripturis diuinis pepercerunt. An verba illius mandati secundi de non faciendis sculptilibus siue imaginibus, inter reliqua præcepta decalogi in Catechismo *Bellarminiano* habentur? Mira procul dubio hominis audacia, qui verba mandati secundi è Decalogo expunxit. Neq; verò mirandum est, si multos magni nominis Theologos sibi contrarios parum curet *Bellarminus*, qui partem legis diuinæ in Decalogo ne recitavit quidem.

Dixerunt olim Donatistæ, qui Ecclesiam hæredem orbis in angulo Africæ incluserunt *Vt Augustinus Epist.* 48. *Quod volumus, sanctum est.* Annon hodie itidem dicunt Romanenses, qui Ecclesiam hæredem orbis in angulum Europæ detruserunt; *Quod dicimus verum est*; non multum de aliorum sententia laboramus: sint docti & magni nominis Theologi; sint Concilia Oecumenica & approbata; at in eo quod adversatur nobis, approbata non erunt: approbamus quod volumus, quod docemus verum est; vt verum sit quod volumus, omnes omnium contradicentium sententias vna litura delemus; omnium testium, qui contra causam nostram testimonium perhibent, ora obstruimus, linguas eruimus. Hoc certè est studere parti potius quam veritati, malamq; causam peioribus & artibus & advocatis defendere: bona autem causa non nisi bonis artibus vult defendi: vtcunq; verò de his magni nominis Theologis & Concilijs non multum laboret *Bellarminus*; eorum tamen doctrinam & sanctitatem & præsens illud in quo vixerunt seculum admirabatur, & memoria eorum in benedictione; quod torrente potestatis Pontificiæ abrepti non sunt, sed veritati & libertati Christianæ, contra tyrannidem Romanensium studuerunt. Nec magni refert quo loco eos habeat *Bellarminus* qui hierarchiæ, fortè etiam & Monarchiæ Pontificię temporalis columna videri vult, pro qua tanquam pro aris & focis dimicat. Supereſt tacita obiectio, quam ędificat & destruit *Bellarminus*, Dixerat supra: pontifex per Concilium deponi potest, aut depositus » declarari propter hęresim solam. Hic objicit: *Si Papa nullam habet* » *omnino superiorem in terris, quo iure deponi potest à Concilio vel Ecclesiâ propter hæresim?* Respondet vero huic dubio & friuole & subdole.

Alij

Alij homines propter alia crimina per excommunicationem ejiciuntur ab Eccleſia, Hæretici per ſe exeunt, & recedunt, & ipſi ſe quodammodo excommunicant : frivole hoc, quęſtio erat de depoſitione à dignitate pontificali: reſponſio eſt de excommunicatione ſiue de eiectione ab Eccleſia.

Hęreticus vero qui ſeipſum quodammodo excommunicat, & exit de Eccleſia, ſe nec excommunicatum, nec ab Eccleſia eiectum credit: Imò verò, Eccleſiam totam ſe in hęreſi illa ſequi autumat: ſicut *Saul*, cum apprehendit ſummitatem pallij *Samuelis*, 1. *Reg.* 15. 27. credidit ſe *Samuelem* retinuiſſe; oram verò veſtimenti, ſiue ſummitatem pallij tantum retinuit, quę ſciſſa eſt: ſic hęretici exeuntes ab Eccleſia, Eccleſiam vniverſalem ſe ducere credunt, cum revera partem tantum Donati aut alterius Hęretici pro Eccleſia ſumant; nec Eccleſiam ipſam ſcindunt, ſed ſeipſos ab Eccleſia abſcindunt: Hęretici tamen qui ab Eccleſia recedunt & quaſi ſponte exeunt, ſeq; ipſos quodammodo excommunicant, a dignitate pontificali non exeunt, nec ſeipſos deponunt; imo ne deponantur ab alijs magnas in Eccleſia turbas & ſeditiones concitant. Sponte ergo exeunt ab Eccleſia, & per ſe, quia hęretici ſunt, & opinionem ſuam prętер & contra fidem Catholicam eligunt: at ſeipſos nulla ratione deponunt, dignitatibuſve privant. Imò vero Hæreticus eo nomine eſt, & ſic definitur: *Qui relictâ fide & Eccleſiæ doctrina alicuius temporalis commodi gratiâ, & maximè gloriæ, falſas vel novas opiniones gignit vel ſequitur, vt vel ſic maneat ab Eccleſiâ diuiſus.* Vel vt *Auguſtinus*, De vtilitate credendi c. 1. *Qui falſas novaſq; opiniones alicuius temporalis commodi, & maximę gloriæ principatuſq; ſui gratia vel gignit vel ſequitur.* Pontifices ergo etſi hæretici fiant, & à fide Catholica devient, & ab Eccleſia ſponte recedant, nec tam ab alijs ejiciantur quam ſeipſos ejiciant, ab alijs tamen ejici, facile non patiuntur: Imò verò & vitam & animam potius quam pontificatum perdunt. Qui ergo ab Eccleſia ſeipſos ejiciunt ſine ſententia ſuperioris; a pontificatu ſive commodo temporali ſeipſos non ejiciunt, nec niſi per ſententiam, forte etiam & vires, ſuperioris ſe ejici patiuntur.

Quinetiam & hæretici, qui ſeipſos ab Eccleſia ejiciunt, & ſeipſos quodammodo excommunicant, excommunicantur tamen perſententiam Epiſcopi vel pontificis, & excommunicati declarantur. Et forte etiam non eſt hoc proprium hæreticorum, ſed etiam omnium peccatorum, præſertim qui in mortali ſunt: Qui enim in mortali ſunt vobis authoribus a gratia excidunt; qui à gratiâ per peccatum voluntarium excidunt, ipſi ſponte ab Eccleſia exeunt; non enim eſt vere in Eccleſia, qui non eſt in gratia. Et forte etiam hoc verum eſt; nemo iuſte ab alio ſuperiore excommunicatur, niſi qui merito ſuo, & materialiter

terialiter ſeipſum excommunicat: poteſt ergo eâdem ratione Pontifex, qui per hæreſin exit ab Eccleſiâ, per ſuperiorem excommunicari & deponi, quâ alij omnes hæretici, qui ſeipſos excommunicant, ab alijs tamen excommunicantur & deponuntur. Illud præterea advertat, Lector multos quotidie Epiſcopos & Sacerdotes ob multa crimina excommunicari, qui tamen Epiſcopatibus & dignitatibus non privantur. Et proinde ab Excommunicatione, ad depoſitionem arguere frivolum eſt & puerile.

Altera pars Reſponſionis ſubdola eſt & fallax, & planè ſucum facit Lectori: *Si Pontifex, quod fieri non poſſe arbitror, hæreticus vel Infidelis, vel Apoſtata fiat, non tam deponendus, quam depoſitus declarandus à Concilio* eſſet: Id eſt, deponi poteſt propter hæreſim, ſed hæreticus eſſe non poteſt, hoc eſt deponi non poteſt: & tamen Princeps Apoſtolorum, primuſq; Pontifex, Apoſtata fuit a fide, & Chriſtum abiuravit: & ſi cecidit magnus gregis aries, quomodo ſtabunt agni puſilli? Verum hæc quæſtio extra oleas: ad proximam confirmationem deſcendamus.

CAP. XXIII.

Refellitur altera confirmatio 3. Rationis. Etſi fides Chriſtiani ſoluat vinculum Coniugij inter fidelem & Infidelem, non tamen liberat ſubditum fidelem à Iugo Regis Hæretici.

1 *Non diſcedat coniux fidelis ab Infideli, patiatur potius fidei iniuriam, & Creatoris blaſphemiam quam diſcedat: modo non faciat.* 2. *Ratio hæc poteſtatem Pontificis non probat, quia inconſulto Pontifice, diſſolvitur tale coniugium, diſpenſatio eſt Dei, non Pontificis* .3. *Solvitur coniugium Infidelium, non apoſtatarum, non hæreticorum; hæreſis ergo & Apoſtaſia, non liberant ſubditos ab obedientia.* 4. *Retorquetur argumentum Bellarmini.* 5. *Coniugia Infidelium vera, & indiſſolubilia de Iure diuino, & naturali, etſi non rata, & ſolubilia de Iure ciuili, & poſitivo.* 6. *Liberatur ab errore Turcarum Bartolaius; & diſpenſatio iſta in Coniugio Infideliũ diſſoluendo non Vicarij*

eſt

est sed domini, qui solus dispensat in legibus suis. 7. Comparatio vinculorum coniugij & carnalis & spiritualis.

TERTIAE rationis principalis sequitur confirmatio 3. siue 4. (de numero enim non contendimus sed de pondere) quæ sub forma interrogationis in hunc modum proponitur: *Deniq; cur non potest liberari populus à Iugo Regis Infidelis & pertrahentis ad Infidelitatem, si coniux fidelis liber sit ab obligatione manendi cum coniuge infideli quando ille non vult manere cum coniuge Christiana sine iniuria fidei vt aperte deducit ex Paulo* 1. Cor. 7. Innocentius 3. *in Cap. Gaudemus, Extra de divortijs, non enim minor est potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos, sed aliquando etiam maior.*

Studium partium plerumq; homines, alioquim doctos, occæcat & abripit. Id *Bell:* doctissimo Cardinali accidisse in hac confirmatione sua, argumentum hoc retortum facile docebit.

Si licet tolerare coniugem Infidelem pertrahentem vxorem ad Infidelitatem suam quando coniux infidelis cohabitare consenserit, tum licet Christianis Regem Infidelem pertrahentem subditos ad infidelitatem suam, tolerare.

Sed licet Christianæ talem coniugem infidelem tolerare: Apostolus enim aperte dicit, *1. Cor. 7. 13. Si Infidelis consentit habitare cum illa, non dimittat virum, &c. Ergo* Christianis licet talem Regem Infidelem tolerare, si cohabitare consenserit: Frater enim tolerare debet vxorem Infidelem cohabitare volentem, & soror tolerare debet virum infidelẽ cohabitare volentẽ: nec aliam discedendi copiã facit *Apostolus* parti fideli, nisi quando pars infidelis prius discesserit. *Si alter infidelium coniugum ad Catholicam fidem convertatur, altero vel nullo modo, vel non sine blasphemia divini numinis, vel vt eum pertrahat ad mortale peccatum, ei cohabitare volenti, qui relinquitur ad secunda si voluerit vota transibit: Et in hoc casu intelligimus quod ait Apostolus, si Infidelis discedat discedat, &c. Contumelia enim Creatoris soluit Ius matrimonij circa eum qui relinquitur.* Hæc *Innocentius* 3. *De divortijs, C. Quanto li.* 4. *tit.* 19. Pati ergo & tolerare debet fidelis coniux, & fidei iniuriam, & Creatoris contumeliam nec tamen discedere debet. Quod si coniux infidelis cohabitare nolit, nisi coniux fidelis fidei iniuriam inferat, & nomen Dei blasphemet, & peccatum mortale committat, In hoc casu frater vel soror, servituti subiectus non est, In pace enim vocavit nos Deus; & proinde non debemus esse causa discordiæ. Vnde Sedulius *In pace vocavit vos, cæterum non ad dissidium sumus vocati, vltro ergo discedere non debemus:* Et *Theodoretus: pars quæ credit ne det occasionem divertio, sin autem pars quæ laborat, velit divertere, est innocens, & nullis affinis reprehensionis:*

quomodo consen... h. Fidem destrue... censetur?

non intelligo

reprehensioni: Et *Augustinus* Epist. 89. ad consulta Hilarij. *Quia occurrit aliquando necessitatis articulus, vbi aut vxor dimittatur aut Christus; vt alia omittam, si ipsi vxori maritus displicuerit Christianus, eiq; proposuerit, aut à se divortium, aut à Christo, hic ille quid eligat nisi Christum, & dimittat vxorem laudabiliter propter Christum*, & infra,

Si infidelis noluerit esse cum coniuge fideli: hic agnoscit fidelis suam libertatẽ, ne ita se subiectum deputet servituti, vt ipsam dimittat fidem, ne coniugem amittat infidelem, Et *Ambrosius*, in 1. Cor. 7. *Hoc dixit, inter illa primordia, cum ambo vtiq; essent gentiles, fiebat vt vnus ex his crederet, & qui horrebant perfidi cultum Dei, similiter & credentes contaminationem praeteriti erroris, ideo praecepit, vt si contenti essent habitare cum immutatis, contenti essent fideles cum illis*, & infra: *Propositum Religionis custodit praecipiendo, ne Christiani relinquant coniugia: Sed si Infidelis odio Dei discedit, discedat, Fidelis non erit reus dissoluti matrimonij*: & infra: *non debetur reverentia coniugij ei, qui horret autorem coniugij, Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei deuotione est: ac per hoc non est peccatum ei, qui dimittit propter Deum, si alij se coniunxerit: Contumelia enim Creatoris solvit Ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus: Infidelis autẽ discedens, & in Deum & in matrimonium peccare dignoscitur, quia noluit sub Dei deuotione habere coniugium, Itaq; non est ei fides seruanda coniugij, qui ideo recessit, ne audiret autorem esse Christianorum Deum coniugij*, Idem docet *Chrysostomus* Hom. 19. in 1. Cor. 7. *Si Infidelis vxori imperet, vt sacrificet, & impietatem communicet propter matrimonium, vel vt discedat, melius est diuortium facere nuptiarum, quam pietatis* Et Anselmus, *sed si Infidelis vir aut mulier discedat odio fidei, permittatur discedere, ideo dico vt detur ei libertas abeundi, quia non est subiectus seruituti frater aut soror, id est Christianus vel Christiana in huiusmodi coniuge, vt cogatur fidem dimittere, ne coniugem amittat infidelem.* Et *Thomas* in hunc locum ista obseruat, *quod fidelis non dimittat Infidelem cohabitare volentem, quodq; nisi prior Infidelis recedat, debet fidelis patienter commanere.* Consulat lector *Petrum Lombardum*, alios; interpretes in hunc locum, & omnes in hoc conuenire agnoscet, quod si Infidelis cohabitare velit, non debet fidelis infidelem dimittere, nisi infidelis fidelem ad fidei iniuriam & Creatoris blasphemiam non audiendam aut ferendam, aut tolerandam, sed inferendam cogat. *Si Infidelis discedit discedat: id est, vt propter fidem Christi, etiam ipsa vxor legitima societate coniuncta, sine vlla culpa relinquatur, si cum viro Christiano, propter hoc quod Christianus est permanere noluerit; non attendunt eo modo illam rectissime dimitti, si viro suo dicat, Non ero vxor tua, nisi mihi de lenocinio diuitias congeras, aut nisi solita lenocinia, quibus nostram domum transigebas, etiam Christianus exerceas: aut si quid aliud vel facinorosum, vel flagitiosum in viro noverat, quo delectata vel libidinem explebat, vel*

facile

pessima fide citantur

nova theologia

vide S. Augustinum de adulterinis coniugijs lib. 6. cap. 13 ubi expresse docet contrarium. vide Sanchez de matrim. lib. 2. lib. 7. disp: 73 et 74.

facile victum habebat, vel etiam incedebat ornatior. Tunc enim ille cui hoc dicit vxor, &c. plus tenebitur amore diuinæ gratiæ, quam carnis vxoriæ, &c. Hæc *Augustinus, De fide & operibus c.* 16. Pati ergo debet & tolerare, & audire fidei iniuriam, & Creatoris blasphemiam, & tamen cum Infideli cohabitare, si ille manere voluerit, at fidei iniuriam inferre, & Creatorem blasphemare non debet: satius in hoc casu est, ab Infideli coniuge, quam à Deo discedere: fidelis relinqui potest, relinquere non potest: dimitti potest, dimittere non potest, tolerare potest Infidelem, Infidelem deserere nisi deserta non potest Pariergo ratione Rex Infidelis relinquere potest populum Christianum, at populus Christianus Regem Infidelem relinquere non potest. Imo vero, sicut pars fidelis tolerare debet Coniugem infidelem & blasphemum cohabitare volentem; sic & populus fidelis tolerare debet Regem Infidelem & blasphemum. Sicut vero parti fideli libertatem discedendi non concedit Apostolus, si pars Infidelis cohabitare ~~nolit~~ *vellit*, nisi pars etiam fidelis iniurijs coacta, fidei iniuriam inferat, & Creatorem Blasphemijs infectetur, aut contra Deum peccet: sic etiam fidelibus subditis liberum est, non quidem a Rege infideli discedere, sed tamen Regi Infideli non obedire, in ijs quæ fidei & Dei sunt, si iniuriam fidei inferre, aut Creatorem blasphemare, aut peccatum mortale committere cogat. In hoc casu obediendum non est Regi Infideli, vt Deo obediamus; sed omnia mala ferenda sunt potius, quam vel minimum malum faciamus: verum à subiectione in rebus honestis & secularibus discedendum non est. Sicut enim Regibus bonis propter Deum obtemperandum est, in bonis & licitis; sic & in illicitis & iniquis, etsi faciendum non est, quod iniuste imperant, at ferendum tamen est propter Deum, quod iniuste infligunt; quia idem Dominius, qui Dominis bonis & modestis, etiam malis & discolis parendum præcipit. Malis Dominis parendum est, etsi non in malis, modus enim obedientiæ tenendus est, vt bonis in malo non consentias, nec malis in bono contradicas. Vnde sic retorquetur argumentum.

Tolerare ~~debet~~ *potest fidelis coniux, infidelem coniugem cohabitare volentem.*

Ergo tolerare ~~debet~~ *potest populus fidelis, Regem Infidelem regnare volentem.*

Verum quid hæc confirmatio ad potestatem pontificis confirmandum? Apostolus enim *Paulus* hoc loco iudex non est, sed legis Evangelicæ præco: nec Canonem *Petri*, aut Pontificis cuiusquam promulgat, sed aut Consilium suum (quod idem & spiritus sancti est) aut legem vel potius dispensationem, non cuiusquam hominis, sed Dei optimi maximi, qui solus contra legem suam, & naturæ, dispensare

potest,

poteſt, notam facit: Etſi enim in verbis proxime præcedentibus præfatur, (*Cæteris ego dico, non Dominus*) vt tamen Conſilium hoc non humanum ſed diuinum agnoſcas, in fine Capitis addit, *Puto autem quod & Ego ſpiritum Dei habeam: Cæteris ego dico, Ego, non Dominus: Sed ego ſpiritu Dei plenus*, qui in omnem veritatem & non niſi in veritatem deducit.

Et rationes Apoſtoli, de filiorum ſanctificatione, & infidelium lucro, hanc legem communem, aut ſaltem diſpenſationem publicam eſſe, loquuntur, quam quilibet Chriſtianus, inconſulto Pontifice, aut Epiſcopo, ex ſola Evangelij promulgatione, ſine Iudicis ſententia, aut Eccleſiæ ordinatione, prout vrgebat neceſſitas, vtebatur: *Hoc ego dico, pro eo quod eſt, non inveni hanc legem ſcriptam in ſacris Evangelijs, ſed eam nunc fero: Quod autem Apoſtoli leges, ſunt Domini, clarum eſt ijs qui in rebus diuinis ſunt eruditi, & Ita etiam hic fit legem ſanctiſſimo per eum loquente ſpiritu:* Hæc *Theodoretus*, in 1. Cor. 7. *Ego dico ex Deo quidem, non Dominus proprio ore*; Sic *Petrus Lombardus*: *Hoc dico ex Deo: licet ipſe non dicat hoc proprio ore*, Sic *Thomas Aquinas*, Lex ergo hæc eſt, vel diſpenſatio à Deo per Apoſtolum promulgata, quâ in hoc caſu ſolvitur matrimonium Infidelium per converſionem vnius ad fidem, per quam liberum fit, non fideli (niſi in caſu, vt ſupra dictum eſt) qui tolerare debet iuxta Apoſtolum coniugem Infidelem cohabitare volentem, ſed infideli, vt à coniuge fideli diſcedat non per ordinationem Eccleſiæ, vel ſententiam Pontificis aut Epiſcopi, qui de his qui foris ſunt non Iudicant, ſed per legem vel potius diſpenſationem diuinam: Sic vt talia matrimonia, in quibus infidelis cohabitare nolit, ipſo Iure, ſine vlteriori Iudicis ſententiâ ſoluta erant. Nec veriſimile eſt, infidelem, penes quem poteſtas diſcedendi erat, Pontificem vel Epiſcopum vel Eccleſiam conſulturum, ſed potius authoritate & Iure proprio (vti ſolebant qui libellum repudij dabant) vel autoritate Magiſtratus Civilis, ad novum matrimonium convolaſſe vnde Hoſtienſis, *Sum. l. 3. De converſione Infidelium num. 2. Inter Infideles non eſt ratum matrimonium, ideò ſine ſententia ſoluitur, Inter fideles ratum eſt, Ideò ſententia requiritur.* Ex quo ſequi videtur, quod ſi vxori fideli, liceat à marito infideli, autoritate propria, ſine ipſo Iure diuino ſic ſtatuente, ſine ſententia vel Iudicio Pontificis diſcedere; licebit itidem populo fideli, ab obedientia Regis Infidelis inconſulto ſummo Pontifice diſcedere: Ideoq; ad Pontificem non ſpectat Iudicare de Rege Infideli, ad Infidelitatem ſubditos pertrahente: ſed populus ſine Pontifice poteſt Regem Infidelem & Iudicare & punire & deponere: Id quod & *Bannes In 2. 2. q. 12. art. 2. in dub.* docet: Cuius hæc ſunt: *Licet Pontifex non puniat illum, Reſpublica tamen Chriſtiana punit eum*: Imo etiamſi Pontifex videns & ſciens tolerarat illum Apoſtatam, adhuc reſpublica

reſpublica Chriſtiana poſſet illum pellere à regno: Quoniam Pontifex, ſine ratione permittit illum impunitum, vnde ex hoc capite ſic retorquetur argumentum.

Si coniugi fideli licitum ſit, ipſo Iure, ſine ſententiâ Iudicis diſcedere a coniuge infideli, cohabitare nolenti, inconſulto Pontifice vel Epiſcopo, ſine ſententia Eccleſiæ, tum etiam licitum erit populo fideli, ipſo iure, diſcedere ab obedientia Regis Infidelis, inconſulto Pontifice vel Epiſcopo, ſine ſententia Eccleſiæ.

Sed licet coniugi fideli, ipſo iure diſcedere a Coniuge Infideli cohabitare nolente, idq; inconſulto Pontifice & Epiſcopo, ſine ſententia Eccleſiæ.

Ergo licet populo fideli, ipſo iure, diſcedere ab obedientia Regis infidelis, inconſulto Pontifice & Epiſcopo, ſine ſententiâ Eccleſiæ.

Sic depoſitio propter infidelitatem non ſpectat ad Eccleſiam; ſicut diſſolutio matrimonij propter infidelitatem ad Eccleſiâ non ſpectat:

Sed vt ad confirmationem ipſam deveniamus; duo ſunt in Argumento *Bellarmini* ambigua, quæ reſponſione ſua delevit: prius iuxta ordinem *Barclaij* eſt, circa vocem manendi: coniux fidelis liber eſt ab obligatione *manendi*: an ſcilicet coniux fidelis liber ſit ab obligatione manendi cum coniuge infideli: id eſt vt dicere ſolent Iuriſconſulti a Thoro, & menſa, an etiam a Iugo ſiue vinculo coniugij. Reſpondet ſe non ſolum libertatem ab obligatione cohabitandi, ſed etiam a Iugo ſiue vinculo coniugij intelligere: ſicut omnes Theologi, Apoſtoli verba intelligunt.

Secundum, eſt circa vocem, *fidelis coniux*, vtrum per coniuges fideles, intelligat eos, qui in infidelitate matrimonium inierunt, & poſtea vnus eorum ad fidem convertitur: An eos intelligat, qui in fide Chriſti baptizati coniugio iuncti ſunt, & poſtea vnus eorum ad infidelitatem apoſtatavit: reſpondit *Bellarminus* ſe ſolum de matrimonio inter infideles contracto loqui, quorum alter ad fidem convertitur, miſſa igitur iſta faciamus; atq; ex conceſſis *Bellarmini* contra *Bellarminum* ex hoc loco ſic ratiocinamur.

Si hæreſis, & Apoſtaſia, non liberant fidelem coniugem a vinculo coniugali, nec liberant populum fidelem, a vinculo regis hæretici vel apoſtatæ.

Sed hæreſis & Apoſtaſia non liberant coniugem fidelem a vinculo coniugij.

Ergo non liberant populum fidelem, a Iugo ſiue vinculo regis hæretici vel apoſtatæ: vel ſic: eadem eſt vis hæreſis & Apoſtaſiæ ad ſolvendum vinculum matrimonij carnalis inter fideles contracti, & ad ſolvendum vinculum matrimonij ſpiritualis inter regem fidelem, & ſubditos Chriſtianos contracti.

Sed hæresis vel apostasia, non dissoluit vinculum matrimonij carnalis inter fideles contracti: Ergo non dissolvit vinculum matrimonij spiritualis inter Regem fidelem & populum Christianum contracti.

Conclusio sequitur ex præmissis: maior est *Bellarmini* in hac confirmatione sua, minorem his verbis agnoscit, hoc loco. „ *Initio enim fingit me loqui de coniugio inter fideles contracto, quorum alter postea in hæresim* „ *labitur: quod matrimonium omnino insolubile est.*

Innocentius vero 3. *In loco ante citato*, idem agnoscit: *Si vero alter fidelium coniugum, vel labatur in hæresim, vel transeat ad Gentilitatis errorem, non credimus, quod in hoc casu, is qui relinquitur, viuente altera, possit ad secundas nuptias convolare, licet in hoc casu maior appareat contumelia Creatoris.* Confirmatio igitur ista *Bellarmini* si concedatur, nihil ad regum Christianorum, qui in hæresim labuntur, depositionem facit, sed ad privationem Infidelium principum.

Vitio vertit *Barclaio Bellarminus* quod Turcarum errorem de coniugij dissolutione sequatur; *Bellarminus* ipse Turcarum errori infestus Turcicũ forte spirat imperium, Rationes multas hoc loco congerit, quibus liberum faciat Christianis, Reges infideles, Turcas forte intelligit, deponendi: Cum tota nostra disputatio præcipue de Iure Pontificis in Regibus fidelibus deponendis versetur: *Quid nobis, de his qui foris sunt*, disputandum est, cum de his qui intus sunt, orta sit hæc tota controversia: verum hoc demus penuriæ Cardinalis, qui si extra oleas, ad Infideles evagari non permittatur, nihil pene habet quod vrgeat in hac causa.

„ Quod addit *Bellarminus, matrimonium fidelium rectè cum vinculo in-* „ *ter Regem & Populum non comparari*: Id vero infirmitatis huius argumenti conscientiam magis loquitur. Si enim matrimonium carnale ratum sit, & insolubile inter fideles, qui Sacramento fidei initiati sunt, quidni & ratum & indissolubile erit coniugium spirituale inter Regem fidelem & populum Christianum, qui eodem fidei sacramento tincti sunt?

Et eodem iure fieri potest comparatio inter matrimonium carnale fidelium, & coniugium spirituale inter Regem & populum Christianum, quo instituitur comparatio inter matrimonium carnale Infidelium, quorũ alter ad fidem convertitur, & coniugium spirituale Regis & populi Infidelis quando populus ad fidem convertitur, Rege in infidelitate sua permanente Quod si sequatur Ratio *Bellarmini*.

Solvitur vinculum Coniugij inter Infideles contracti, altero infidelium ad fidem converso.

Ergo solvitur vinculum coniugij inter Regem & populum infidelem contracti populo ad fidem converso, Rege vero in infidelitate sua.

sua permanente? Quidni etiam sequatur ratio *Barclaij* ex eodem fonta petita.

Non solvitur vinculum coniugij inter fideles contracti, altero coniugum ad Hæresim vel Infidelitatem labente.

Ergo non soluitur vinculum coniugij inter fidelem Regem & populum Christianum contracti, Rege ad hæresim vel infidelitatem relabente: Atq; hinc patet infirmitas collectionis *Bellarminianæ, De Scriptoribus Italicis c.* 2. qui ea quę a *Thomæ* de Infidelium & Apostatarum regum depositione dicuntur, de regibus etiam Hæreticis intelligit, cum dispar prorsus sit ratio hæreseos ab infidelitate, quia Infidelitas, teste Apostolo dissoluit matrimonium, altero infidelium ad fidem converso, Hæresis vero, vti hic agnoscit *Innocentius* 3. & *Bellarminus* (& est communis opinio omnium Theologorum & Canonistarum) vinculum matrimonij nullatenus dissoluit.

Ad argumentum autem *Bellarmini* sic respondet *Barclaius; Matrimonium infidelium iuxta* Innocentium, *ratum non est, quantum ad indissolubile coniunctionis vinculum attinet; habuerunt infideles plenam dissolvendi matrimonij libertatem, vel ex mutuo consensu vel ex ira, & animi offensa: alter ab altero invito discedebat, & nexum coniugij per Repudium & divortium dissolvebat, non mirum ergo, si coniux ad fidem perductus, à coniugis in infidelitate manentis consortio & potestate liber sit cum etsi ambo in infidelitate manssissent, æquè liberum alter vtri eorum fuisset, ab altero recedere, & matrimonium repudio dissolvere, quia nullum initio inter eos ratum & firmum obligationis vinculum intercessit.*

Hic exclamat *Bell. vt argumentum solvat, gravissimo errore se implicat.* Quis vero est iste error gravissimus? quod scil: matrimonia Infidelium rata non sunt iuxta *Innocentium*, & proinde ad libitum solubilia, rata non sunt, hoc certum est, quia non præcessit Sacramentum fidei, quo rata fiunt coniugia, & indissolubilia. Quanquam & hæc ratio infirma est. Indissolubilia enim sunt matrimonia Infidelium, Iure naturæ, non Iure Evangelij, aut Ecclesiæ aut Sacramenti: nec insolubilia facit matrimonia fides sed fidelitas: Et in Evangelio revocat *Christus* matrimonia, ad Ius naturæ, & primã matrimonij in Paradiso institutionem; non ad Ius Sacramenti aut fidei, aut Evangelij: *ab initio non fuit sic: Matth.* 19. 8. non dicit, nunc post Evangelium promulgatum, post fidem revelatam, post Sacramenta instituta non erit sic, sed *ab initio non fuit sic.* Ius ergo divinum & naturale omnia repudia, omne, vinculi sine lugi coniugalis dissolutionem tollit, non Ius Evangelij & Sacramenti siue fidei, nec novum ius instituit *Christus* cum repudia Iudæorum tollit, sed Ius antiquum & primum restituit. Matrimonia ergo Christianorum rata sunt & insolubilia non propter Sacramentum fidei, sed propter Ius divinum & naturale.

Coniugia vero Infidelium, etſi iuxta ſcholaſticos & Canoniſtas, rata non dicuntur, inſolubilia tamen ſunt de Iure diuino & naturali; nec niſi in caſu iſto Apoſtoli, per converſionem vnius coniugis ad fidem diſſolvuntur, ex ſpeciali indulgentia Dei, per Apoſtolum declarata.

At dicit *Barclaius* matrimonia infidelium, quia rata non ſunt ex Sacramento fidei, ad libitum ſolubilia eſſe atq; graviſſimus hic error eſt *Barclaij*. Qualis vero error *Cœleſtini* (qui *Alfonſo de Caſtro, l. 1. contra Hæreſes cap.* 4. inexcuſabilis eſt quiq; eius decretalem vidit; quem etiam reprehendit *Innocentius* 3.) qui matrimonia fidelium ſolubilia decrevit, altero Coniugum in hæreſim lapſo: non dixit *Cœleſtinus*, ſolubilia eſſe matrimonia, Infidelium ad libitum, ſed non cauſam pro cauſa poſuit, hæreſim admiſit, tanquam cauſam matrimonij diſſolvendi, quæ cauſa non eſt.

Quod ſi error hic ſit facile condonari potuit: veriſſime enim & ſine omni errore loquitur *Barclaius* de matrimonio Infidelium, ſiue praxin, ſiue Ius ciuile poſitivum reſpicias: quotidie enim libellos repudij dabant viri vxoribus, & plenæ ſunt hiſtoriæ talium divortiorum, ſicut Liuiam prægnantem Imperatori *Auguſto* conceſsit *Tiberius Nero*, & lex Imperialis abunde de huiuſmodi libertate cavit: *De divortijs & Repudijs & matrim: ſoluto.* Verè ergo dixit *Barclaius: Matrimonia Infidelium ad libitum ſolubilia ſunt*, & de facto ſiue praxi Infidelium, & de iure poſitivo ſiue ciuili. Et de libertate iſta ſoluendi coniugij, & Iure ciuili & poſitivo locutum fuiſſe *Barclaium*, videre facile potuit *Bellarminus* niſi ſponte cæcutiret, In Margine enim Lectorem refert ad *L. Lucius D.* 38. matrimonio ſoluto. Vbi manifeſtum eſt, æquali Iure mulierem viro, quo vir mulieri, repudium mittere ſolere: Quod ſi coniugia ad Ius naturale & divinum revocantur: Verum itidem eſt, quod *Innocentius C. Quanto de divortijs* aſſerit: *Matrimonium Infidelium verum eſt: & Matrimonium coniunctio eſt viri & fœminæ, individuam vitæ conſuetudinem retinens*: quam definitionem approbant Canoniſtæ & Theologi: verum eſt quod ibidem *C. Gaudemus Innocentius: Talia repudia reprobat veritas in Evangelio*: Vere etiam notat *Bellarminus*, *Repudia Infidelium valere iure fori non Iure poli*: Vt habetur 28. q. 1. Si quis Iudaicæ ex concilio vrbanenſi.

Vbi Concilium eodem modo de repudijs & divortijs loquitur, quo hic *Barclaius*: *Legitimum Coniugium eſt, quod inſtitutione vel provinciæ moribus contrahitur: hoc inter infideles ratum non eſt, quia non eſt firmum, & ideo ſolubile coniugium eorum: dato enim libello repudij licet eis recedere ab invicem, & alijs copulari, lege fori, ſed non lege poli*: Ius hoc fori in margine denotat *Barclaius*, vt ſupra diximus.

Lex

Lex enim illa quam pronunciavit *Gen. 2. Et erunt duo in una carne*, non tantum de matrimonio Christianorum, sed de matrimonio in genere prolata est: & proinde omne verum matrimonium habet perpetuum & indissolubilem nexum: Et Repudium Iudæorum à Deo permissum est, aut tanquam minus malum, aut tanquam licitum; sed propter duritiem cordis concessum: quod quidem Repudium, siue dispensatio Iudæis concessa, à Christo sublata est, nec amplius aut Iudæis, aut gentilibus permittitur; Quia Christus ad legem naturæ revocat, in qua nec polygamia, vti ex hoc loco obseruat *Innocentius*, nec diuortium, nec Repudium licita sunt. Nec latebant ista *Barclaium* magnum Iurisconsultum, qui hoc loco non de Iure naturali, sed de Iure ciuili & positivo loquitur. Et verum ergo est quod asserit *Barclaius*, *Matrimonia Infidelium per alterius conversionem ad fidem solubilia sunt, quia Iure positivo ad libitum per Repudia & diuortia dissolvebantur.*: Et verum itidem est, quod asserit *Bellarminus*, *Matrimonia Infidelium Iure naturali & vera esse, & insolubilia, nec per Repudia, nec per diuortia dissolvenda.* Quod si de his Matrimonijs Infidelium, sententiam suam dixisset *Barclaius*, iuxta Ius diuinum & naturale, proculdubio eandem insolubilitatem cum cæteris, & Iurisconsultis, & Theologis defendisset. Quanquam si dixisset *Barclaius* matrimonia Infidelium solubilia esse, idq; ad libitum sine autore non fuisset: *Ambrosius* enim, *In 1. Cor. 7.* non solum matrimonia Infidelium rata esse negat, *Non est ratum matrimonium, quod sine Dei deuotione fit:* Sed matrimonia esse negat; *Illud enim non debet Imputari matrimonium, quod extra legem Dei est, sed cum post cognoscit, & dolet se deliquisse, se emendat, vt veniam mereatur, Si autem ambo crediderint, per cognitionem Dei, confirmant coniugium: Barclaius*, coniugia Infidelium solubilia ad libitum dicit: *Ambrosius* ne coniugia quidem reputari posse, quæ extra legem Dei sunt, asserit. Nota sunt etiam verba illa Cap. Deinde, Dist. 26. *Non est ligitimum matrimonium, nisi illud (vt nobis videtur) quod post baptismum assumitur:* Et summarium Navarri in Enchiridio c. 22. nu. 49. *Matrimonium quod inter infideles nullum, & quod annullandum.*

Quin etiam *Innocentius*, etsi coniugia Infidelium vera esse affirmet, quia tamen rata esse negat, facile solubilia affirmat, eius verba sunt, C. *Quanto: vbi supra: Etsi matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum. Inter Infideles autem verum & ratum existit, quia Sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij Sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret*, vera ergo sunt coniugia Infidelium, sed rata & insolubilia non sunt, iuxta *Innocentium*, propter defectum Sacramenti.

Si ergo iuxta *Innocentium* coniugia rata sunt & insolubilia propter hanc rationem solam scil: propter Sacramentum fidei, coniugia Infidelium solubilia erunt ad libitum sicut ex *Innocentio* colligere videtur *Barclaius*, quia sine Sacramento fidei contrahebantur: Quanquam non satis intelligo, quid sibi velit *Innocentius* in Cap: Gaudemus, cum dicat: *Sacramentum coniugij apud fideles & Infideles existit*, Coniugium esse apud Infideles nemo dubitat, an vero apud infideles sit Sacramentum coniugij, videant Pontificij.

6 Vtcunq; se res habeat *Barclaius* ab errore Turcarum alieniſſimus, qui ipsum coniugium religiose coluit, & eius Theologiæ & Iurisprudentiæ discipulus fuit obsequentissimus, quæ matrimonia religiosissime observat, obseruandaq; docet & in omnibus Catholicus extitit.

Quod si errore graviſſimo Turcicoq; infectus fuerit, eundem ex fontibus *Innocentij* tertij hausit, malitia vero hæc est plusquam Turcica, quæ errores Turcicos hominibus Catholiciſſimis præter sensum & verba ascribit quos ipsi nunquam cogitarunt, aut docuerunt.

Solutio ergo argumenti huius, etsi *Bellarmino* insolubilis, hæc est; omnia matrimonia & Infidelium & fidelium iuxta legem Dei, & naturæ, indissolubilia sunt quoad vinculum: nec potest aut *Petrus*, aut *Paulus*, aut *Angelus* de cœlo, contra hanc legem communem dispensare, aut coniugium dissolvere, nisi solus legislator, sive autor legis ipsius, Deus ipse; ab eodem Deo, est dispensatio contra legem, à quo & lex ipsa: Servus omnis, etiam servus servorum sub lege est, supra legem non est, & proinde in nullo casu, contra legem dispensare potest.

Dispensatio autem ista, in casu conversionis vnius coniugum ad fidem Christianam, altero in infidelitate permanente, non datur a vicario, sed a Domino: nec datur per sententiam vel cognitionem servi, sed per legem ipsam promulgatur, per quam licitum fit vnicuiq; sine cognitione vel sententia Iudicis cuiusquam, multo minus Pontificis, autoritate propria, ad nova coniugia convolare, Ratio ergo ista potestatem Pontificis non confirmat.

Præterea dispensatio omnis stricti Iuris est: sicut favores ampliandi sunt, sic dispensationes restringendæ sunt, multiplicandæ vero nullatenus sunt.

Contra communem legem, de coniugij indissolubilitate, dispensavit Dominus in hoc vno casu, si alter Infidelium coniugum ad fidem convertatur.

Lex itidem extat publica & communis, divina & naturalis, de obedientia Regibus præstanda: In hac lege non dispensavit præcisè & explicitè Dominus, sicut in lege coniugij præcisè & explicitè, Revelante Apostolo, dispensavit. Quid ergo, an servo liberum est dispen-

sare,

sare, quia Dominus in simili casu dispensavit? an hoc legitimum & Theologicum est argumentum?

Dominus per Apostolum, contra legem coniugij, in casu per Apostolum dispensavit; Ergo potest servus principalis, servus servorum in simili casu, id est in coniugio spirituali inter Regem & subditum dispensare.

Si dispensare potest contra primum præceptum secundæ tabulæ de honorandis parentibus, quidni etiam dispensare possit in secundo & reliquis? Quidni ergo & homicidium & adulterium, & furtum, & falsum testimonium, in aliquibus casibus, licitum faciat? Si dispensare possit in secunda tabula, quidni etiam in prima tabula dispensare potest? Eodem enim iure, servus in prima tabula, quo in secunda dispensat; eodem Iure Idololatriam, & periurium, & Sabbati violationem licita facit, quo rebellionem, homicidium, adulterium licita facit; par enim est potestas servi in vno, & in omnibus mandatis dispensandis, i. nulla, nec in vno nec in omnibus dispensat, quia custos & interpres legis esse potest, Iudex aut abrogator legis esse non potest: pro lege, non contra legem potestatem accepit.

Si dispensatio ista circa coniugia data esset, autoritate vel potestate servi, eodem Iure in reliquis, quo in hac lege dispensare posset: verum quia dispensatio ista Domini est, non servi: nec quoad ministerium, ad servum spectat, quia sine sententia & cognitione servi principalis vnusquisq; conservus autoritate propria, vi legis, per seipsum secum dispensat; non licet cuiquam in alijs mandatis dispensare, nisi in quibus Dominus iste legislator, & autor legis prius dispensavit.

Quid ergo ambagibus opus est? ostendant Pontificij dispensationem Domini explicitam, per quam licitum sit, subditis Christianis, ab obedientia Regis Infidelis, Apostatæ, aut Hæretici, in rebus ciuilibus discedere; sicut ostendimus nos dispensationem Dei, non hominis, qua licitum sit, vni coniugum ad fidem converso, alterum in infidelitate permanentē relinquere, & ad nova coniugia convolare; & vltro dabimus manus: Quod si dispensationem Domini de Rege non honorando ostendere non possunt: quid est, quod puerile & ridiculum hoc argumentum, nobis vltra obtrudunt.

Dispensavit Dominus contra legem coniugij
Ergo nobis licitum est dispensare contra legem obedientiæ.

Nec valet in hâc causa ratio æqualitatis aut similitudinis, *non est minor potestas coniugis in coniugem, quam Regis in subditos; sed aliquando etiam maior*: rectius enim rationem æquitatis, siue æqualitatis, novit dominus quam servus; Quiq; sapienter dispensationem in lege coniugij promulgavit: sapienter itidem dispensationem in lege obedientiæ

non promulgavit: cuius quidem voluntatis diuinæ rationem quærat nemo, quia voluntas Dei prima ratio eſt, & cauſa omnium.

Quid vero? etſi par ſit ratio, par poteſtas, forte etiam maior in coniuge, quam in Rege, at par non eſt poteſtas in ſeruo, ſicut in Domino.

Servus contra nullam legem divinam, aut naturalem, poteſtate ſua vicaria diſpenſare poteſt: Dominus in vna tantum lege diſpenſavit: etſi ergo par poteſtas, par ratio in ſervis & ſubordinatis, at poteſtas omnis, omnis ratio diſpenſandi penes Dominum eſt.

Futilis ergo eſt ratio ſiue comparatio omnis, quæ ſine Domini & Legiſlatoris poteſtate in legibus diſpenſandis, vel abrogandis adhibetur.

Quod ſi maiorem propoſitionem (quam conſultò & fraudulenter omiſit) addidiſſet *Bellarm.* omnem huius demonſtrationis falſitatem ſtatim deprehendiſſet. Illa talis ſit neceſſe eſt. Si liberari poteſt coniux fidelis a vinculo coniugis infidelis per diſpenſationem Dei, poteſt itidem populus fidelis, a Iugo Regis infidelis, ſine diſpenſatione Domini & Legiſlatoris, per diſpenſationem ſerui ſiue vicarij liberari, Hanc addidiſſe confutaſſe eſt.

Quanquam & illud quod in fine capitis addit *Bell: Vinculum Principis & Populi debilius eſt, quam vinculum viri & vxoris*, omnino infirmum eſt: vinculum enim ſpirituale fortius eſt vinculo carnali: & quo vnaquæq; res magis ſpiritualis eſt, & proprius ad Deum accedit, eo magis de eſſe participat, & proinde fortior eſt: *Quæ enim ſpiritualia ſunt, ea magis ſunt.* Et ſi ordinem præceptorum divinorum ſpectes, prius eſt mandatum de honorandis parentibus, quam de conſervandis coniugijs, *Quod* ſi mandata primę tabulę priora ſunt mandatis ſecundæ tabulæ; mandata etiam ſecundæ tabulæ, quæ primũ locũ obtinent, non ſunt debiliora poſterioribus. Deus enim, author ordinis, non confuſionis, legem iuxta naturam rerũ ordinavit: Ordo rerũ, ordinem fecit verborum, ſiue legis & Decalogi; Et gravius eſt peccatum occidere Regem, quam occidere hominem, fortè etiam gravius eſt peccatũ occidere hominem, quam per violationem coniugij generare hominẽ, & ſic in ſequentibus: *Quod* ſi magis peccatum ſit, obedientiam regalem, quam coniugalem obedientiam vel ſocietatem violare, vinculum inter Regem & populum, non eſt debilius vinculo viri & vxoris.

Præterea vinculum coniugij infidelium ſolvitur per converſionem vnius ad fidem; hoc certum eſt: at ſub Iudice lis eſt, an populus ad fidem converſus ab obedientia Regis Infidelis liberatur: nec ſatis inter Doctorem Angelicum *Thomam*, & eius ſequaces convenit: cùm, *Thoma* autore, meritum infidelitatis, ſufficiat ad privandũ Infideles principes dominio ſuper fideles: *Bell:* vero & alij novã conditionẽ apponant, ſi ſubditos ad Infidelitatem ſuam pertrahat, nec eſt quiſquam in tẽrris Iudex aut ſuperior Rege in tẽporalibus, qui poſſit cũ deponere.

cum

cum & sacerdos & populus in temporalib⁹ Rege inferiores sint vinculum ergo coniugij in vno casu soluitur: vinculum inter Regem & populū in nullo casu, iure soluitur, etsi vi & gladio quandoq; soluatur: In multis casib⁹ permittitur separatio à thoro & mensa inter coniuges fideles: At in nullo casu permittitur separatio à cohabitatione inter Regē & populum: licet ergo à domino concedatur in vnico casu solutio vinculi in coniugio carnali, in nullo tamen casu conceditur solutio vinculi spiritualis coniugij, quod inter regem & populum intercedit, quos sic coniunxit Deus, vt ab hominibus separari non possint.

CAP. XXIIII.

Confutatio 4. Rationis, In baptismo Regum non est conditio expressa, aut tacita regni terreni amittendi, si in hæresim labantur.

1. *Lex Christiana neminem priuat iure suo, nisi Regem.* 2. *Explicatur propositio ista: Quando Reges veniunt ad Ecclesiam recipiuntur cum pacto regni perdendi.* 3. *Ecclesia ex hoc pacto non acquirit ius Regum deponendorū.* 4. *Pactum hoc non fit cum Pontifice, qui Imperatores non baptizat, sed cum Christo. Hic est qui baptizat.* 5. *An recte Romani socios debellarint.* 6. *Christus homo temporale dominium, non habuit, ex Ioan. 13. & 17. Omnis potestas, quid significet.* 7. *Non exercuis, cum Dæmones in porcos immisit.* 8. *Pactum hoc fit cum Christo domino, nec potest à vicario siue seruo puniri: Pontifex non est magister domus, sed seruus, siue Cācellarius.* 9. *Christianus paratus est amittere omnia etiam Regna, propter Christum: at non licet Pontifici eadem tollere.*

QVARTA ratio *Bellarmini* hæc est: *Quando Reges & Principes ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, recipiantur cum pacto expresso, vel tacito, vt sceptra sua subijciant Christo, & polliceantur se Christi fidem seruaturos & defensuros, etiam sub pœnâ Regni perdendi. Ergo quando hæretici fiunt, aut Religioni obsunt, possunt ab Ecclesiâ Iudicari, & etiam deponi à Principatu nec vlla fiet ijs iniuria si deponantur, &c.*

Lex Christiana neminem priuat iure suo; sic multi & antiqui & moderni, sic sæpe ipse *Bell.* Regula hæc est generalis, sed nulla regula generalis sine exceptione: Exceptio in solis Dominis & Regib⁹ inuenitur.

Lex

Lex *Chriſtiana* priuat Iudæum ſeruitute ſerui ſui, ſi ad fidem Chriſtianam conuertatur ſeruus: imò vero lex *Imperialis*. Lex Chriſtiana priuat Regem infidelem ſubiectione ſubditorum ſuorum ad fidem conuerſorum, ſed lex Pontificia non Chriſtiana: At peſſime cum Regibus actum eſt, vtrinq; tinguntur, & Infideles & Chriſtiani.

Si rex in infidelitate permaneat, ſubditis ad fidē conuerſis, lex Chriſtiana regem infidelem dominio ſuper fideles priuat: imo vero, non lex Chriſtiana, ſed Eccleſiaſtica, iuxta *Thomam*, 2.2.*q.* 10.*art.* 10. Si Rex infidelitatē deſerat & ad fidem Chriſti conuertatur, an hæc conuerſio ſine damno ſine præiudicio? Imo cum damno & præiudicio maximo: i. ſub pœnâ regni amittēdi, ſed lex hęc non Euangelica, ſed Pontificia. Mirū vero eſt, quos ludos faciant hominib⁹ Pontificij: venite ad regnū Chriſti ſine vllo damno regni terreni, cum ſummo lucro noui Regni & cœleſtis accipiendi, accedite: *Lex Chriſti neminem priuat iure ſuo*: Vocatio hæc eſt expreſſa & explicita: at quæ eſt tacita conditio? *Recipiuntur reges cum conditione tacita, ſub pœna regni perdendi: Palam laudares, ſecreta eius malè audiebant*: & merito malè in hac cauſa audiunt Pontificij, quibus in ore promptum: ſola Religio Romana veram docet Regum obedientiam, in corde vero clauſum Religio Romana Reges dominio priuat; ſolus Pontifex deponit Reges.

In ore mel, in corde venenum: venenum aſpidum ſub labijs eorum, etſi non in labijs, veriſsime de *Bellarm.* Doctiſsimus *Iacobus* Magnus, Magnæ Britanniæ Rex: *Regibus infeſtus eſt*: Imo vero Religio omnis Romanenſium Regibus infeſta eſt, quæ toto conatu hoc agit, vt Reges ſub iugum mittat.

Cœterum video tandem errorem meum, Pontifex non ſolum Regibus Chriſtianis, ſed etiam infidelibus Regibus, Turcis & Perſis, alijſque omnibus imperitare ſatagit: nec ſunt peiore conditione Reges fideles, ad fidem Chriſtianum conuerſi, quam ante conuerſionem ſuam cum infideles erant; Infideles enim meritò infidelitatis depoſitionē merentur: Fideles vero, propter Apoſtaſiam & hæreſim & alia peccata, etiam propter inutilitatem deponi poſſunt. Durior itaq; conditio fidelium Regum: nemo enim rex Regib⁹ infidelib⁹, propter inutilitatē deponendus eſt; tunc enim omnes deponendi, quia omnes inutiles.

Vide vero lector quam vana & friuola ſit hæc propoſitio *Bell. Reges ad Eccleſiam venientes recipiuntur cum tacita vel expreſſa conditione, ſub pœna Regni perdendi, niſi fidem Chriſti ſeruent.* Et tamen hæc eadem conditio Regibus infidelibus incumbit, vt amittant Regna ſua, niſi regno Chriſti ſua ſceptra ſubijciant; *Merito enim infidelitatis merentur amittere dominium ſuper fideles.* Quid opus erat conditione hac expreſſa vel tacita in Baptiſmo Regum, quæ in legibus Regni deſcripta eſt, ſi Pontificijs fidem adhibeamus? An eadem ſunt leges, & pacta, & conditiones

ditiones Baptiſmi, quæ regni? Si in legib⁹ baptiſmi conditio, ſiue pœna hæc regni perdendi numeranda ſit, lex ergo Chriſti Reges iure ſuo priuat: nam lex baptiſmi, lex Chriſti eſt: Aut ergo in Baptiſmi legib⁹, nulla talis lex iudicialis ſiue pœnalis, aut lex Chriſti priuat aliquos, reges nimirum iure ſuo: quod Seraphici iſti inconſtantes Doctores negant: ſed propoſitionem ipſam perpendamus.

Multa in eâ dubia ſunt & ambigua. Primò, an de omnibus Regib⁹, an de illis ſolum, qui cum infideles reges extiterunt, ad fidem Chriſti conuerſi ſunt, & baptiſmum ſuſceperunt, intelligenda ſit. Si de omnibus, quid opus erat illis ambagibus: *Quando Reges & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt Chriſtiani fiant, recipiuntur cum pacto expreſſo, vel tacito*, &c. Satis erat dicere: Omnes reges cum pacto expreſſo vel tacito recipiũtur, &c. Ambages iſtæ & circuitiones, à veritate potius, quã in veritatẽ deducunt. Si de ſolis infidelibus Regibus ad fidem Chriſtianam conuerſis intelligatur, quid ad reges Chriſtianos ſpectat, qui omnes plerumq, in Eccleſiam per baptiſmum prius recipiuntur, quam ad regna promoueantur. 2

Secundò, quando Reges & Principes ad Eccleſiam veniunt, vt fiant Chriſtiani, recipiuntur cum pacto, &c.

Quando venit hoc quando? In Baptiſmo an in inauguratione regum? Si in baptiſmo, ſpondent ergo ſe ſceptra ſua Chriſto ſubiecturos, & fidem Chriſti & ſeruaturos & defenſuros, antequam reges ſunt, aut reges eſſe, aut cogitãt, aut ſperant. & hoc ipſum pollicentur omnes alij Chriſtiani, ſicut & reges; quia quilibet Chriſtianus, poteſt etiam ad ſolium regni promoueri: quod enim cuiuis id cuiquam accidere poteſt; eadem autem ſunt pacta, conditiones eædem priuatorum, & regum in Baptiſmo. *Sed per Baptiſmum non ſoluuntur coniugia, ſed crimina dimittuntur.* Sic *Innocentius* 3. *De Diuortijs, C. gaudemus.*

Per vnius baptiſmum non debet alijs ius ſuum tolli. Item *in baptiſmo non tollitur iuſtitia, quâ ligata eſt adultera, ſcil. quod virum repetere non poſſit, cum peccata tantum dimittantur et non lex.* Sic *Innoc.* 4. ibidem.

Quod ſi baptiſmus pœnam temporalem non remittat, vt in homicidis, & latronibus, & adulteris baptizatis patet, nec quoad pœnas temporales ſoluit iura ciuilia & poſitiua hominum, quomodo iura diuina & naturalia de obedientia ſubditorum regibus præſtanda ſoluere poteſt? Si in inauguratione regum; reges proculdubio erant antequam inaugurarentur, & ſponte non ex debito, voluntate non neceſsitate, aut ſaltem iure poſitiuo, non diuino & naturali ſpondẽt quæcunq; pollicentur: inauguratio enim non eſt de eſſentia, ſed de ſolennitate, ſiue celebritate regum, inter ea quæ rite fiunt quoad ceremoniã non quæ recte fiunt quoad ſubſtantiã: valent enim omnia regum acta ante inaugurationem, eodem iure quo poſt inunctionem, ſicut

etiam

etiam coronatio non facit Pontificem, sed electio; honoris & maiestatis ista sunt insignia, potius quam potestatis; nec nouam conferunt potestatem, aut confirmant, sed potius declarant.

Tertio, quæ sunt pacta tacita quæ in baptismo, & inauguratione regum implicite exprimuntur? Pacta expressa norunt omnes, tum baptismi, tum inaugurationis. In illis promissa multa sunt, de fidei Christianæ conseruatione, & defensione, de subiectione Christo debitâ, & præstandâ, sed de pœna Regni perdendi altum silentium. Qui iudicialia siue pœnalia in interrogationibus baptismi & inaugurationis Regalis qværit, hic sine iudicio est. Verum quod deest in pacto expresso & explicito, id pacto tacito implicito supplendum est; sicut quod non est de fide explicitâ, in rotulo fidei implicitæ continetur, & quæ desunt in verbo Dei scripto, verbo siue veritate traditâ & non scripta supplenda sunt: vbi vero in traditione aliquâ antiquâ. habentur pacta hæc tacita & implicita, quibus iudicia ista, & pœnæ siue censuræ regales explicitæ fiunt? Quid inter antiquos quæro ea, quæ quotidie pro temporũ ratione & necessitate noua cuduntur? Pontifex, authore *Bell.* interpres est voluntatis *Dei:* Cardinales interpretes sunt, & precones voluntatis Pontificiæ: Qui à secretis sunt Pontificum, soli sciunt secreta ista, & tacita pacta, quæ alijs omnibus ignota prorsus sunt. *Diligenter obseruant filij hominum* (inquit *August. Confes. l. 2. c. 8.*) *pacta literarum & syllabarum, accepta à prioribus locutoribus, & à Deo accepta æternæ salutis pacta negligunt:* Pacta ista, nec pacta Dei sunt, nec pacta literarum, sed pacta non scripta, quæ in infinitum pro temporum, vel potius cupiditatum varietate crescunt: quod si talia sunt pacta regum ad Ecclesiam receptorũ, talia itidem pro ratione officij sui, sunt pacta subditorũ cum Christiani fiunt: vt scil. reges fidei Christi defensores, & Ecclesiæ vastatores, vi & armis prosequantur, sub pœna itidẽ perdendorum bonorũ & hæreditatum suarum priuatarum. Mirum vero est quod inter pacta illa, iuxta quæ Eunuchus *Candacis Reginæ* ad baptismum recipitur, pactum hoc de non tolerandâ Reginâ infideli non habetur. Verum tacita hæc & implicita pacta in infantiâ, imo in virili & florẽte Ecclesiæ statu, lucem non viderant, senecta Ecclesiæ hæc pacta edidit: quæ suis authoribus relinquamus: Decuit profecto magnum Theologum (qualem omnes prædicant Cardinalem *Bellar.*) authorem aliquem & patronum, ex Apostolis, aut Patribus protulisse, sub cuius nomine pacta hæc implicita & tacita militarent, ne novitatis nomine malè audirent,

Act. 8. 37.

ac nuda concedit Barclajus

Quartò, sceptra sua subijciant *Christo:* Quid hoc est? vt in spiritualibus dirigantur per leges *Christi* & Euangelij: hoc certe verissimum est: vt verò in temporalib⁹ per leges, siue canones Ecclesiæ regantur Reges, & Regna terrena, hoc proculdubio ferendum non est, ni velimus vnâ liturâ omnes leges ciuiles, & municipales, omnium nationũ

delere

delere. Etsi enim leges Iudæorum cæremoniales, tanquam figuræ ad præsentiam veritatis, & tanquã vmbræ coram substantia ipsa *Christo*, qui finis est legis euanuerunt; leges vero iudiciales illius Regni propriæ & peculiares, alijs regnis & Rebuspub: impositæ non sint; apertè tamen *Chrysostomus, in Rom.* 13. *Hom.* 23. alijque Patres asserunt, *Christum leges suas non ad hoc induxisse vt politeias euertat, pietatem enim non euertit subiectio ista.* Quod si sic subijciant sceptra sua Christo, vt penes Ecclesiam sit potestas mutandi leges, & tollendi, & auferendi Regna, quomodo immunes erunt Apostoli ab illa calumnia quam o illis intentabant Pagani: *Apostolos* scil. *seditiosos esse & rerum & nouatores, qui omnia ad euertendas leges communes & dicerent & facerent?* Sic ergo subijcere debent Regna sua *Christo* reges Christiani, vt leges pro Christo, non contra Christum faciant: *Summa enim est ratio summa lex, quæ pro Religione Christi facit*, & omnia arma pro Christo eiusq; Ecclesia militant: ita tamen vt ipsi Reges regna sua sibi ipsis retineant, quæ *Christus* oblata refugit: & ipsi in temporalibus solo Deo cuius vicarij sunt, minores sunt, solumq; in terris Iudicem, à quo iudicari & puniri, & deponi, saltem in temporalibus possunt, Deum habent. Subiectio spontanea est & voluntaria, non necessaria, non coacta, vtpote quæ tamdiu Deo grata est, quandiu voluntaria est: *Suadenda est religio, non cogenda*: Sic ergo subijciunt se & regna sua Christo reges Christiani, vt iudicem in futuro seculo Christum agnoscant; iudicem vice Christi, in temporalibus in hoc seculo non agnoscant.

Quinto, quodnam est illud regnum, sub cuius perdendi pœna recipiuntur reges, cum ad Ecclesiam veniunt: Si regnum Christi spirituale siue æternum intelligat *Bell.* proculdubio verissimum est: perdunt partem suam in regno Christi, qui fidem Christi non seruant, quique Ecclesiam non defendunt, Nutritij enim sponsæ Christi sunt, & fidei defensores: Si regnum temporale & terrenum intelligat, gratis hoc dicit, sine authore, sine ratione. Quæ enim ratio euincit, vt Ecclesia regna terrena tollere possit, quæ regna terrena dare non potest: Eadem clauis claudit, & excludit, quæ aperit: Non aperit clauis *Petri* regnum terrenum, non ergo excludit è regno terreno: non dat Ecclesia communionem naturæ, sed gratiæ tantum, non ergo excludit à communione naturæ, sed gratiæ. Pœnam ergo perdendi regni terreni infligere non potest Ecclesia, quia præmium regni terreni conferre non potest: etenim maius quiddam, est destituere quam instituere, non instituit nec confert Ecclesia regna terrena, non ergo destituit Reges terrenos, nec regna eorum abrogat.

Propositio ergo, si in sensu spirituali accipiatur, speciem aliquam habet veri: Reges enim Christiani in inauguratione sua, non

tantum

tantum tacite sed etiam expresse pollicentur se fidem Christi & seruaturos & defensuros, idq; sub pœna amittendi Regni spiritualis & æterni, & Regna, & sceptra sua subijciunt Christo in spiritualibus: Verum in temporalibus & Regna, & iura, & leges suas omnes (dummodo legi diuinæ contrariæ non sint) retinet, & in temporalibus neminem superiorem agnoscunt, à quo temporaliter iudicari, aut puniri, aut deponi possunt. In temporalibus itaq; falsa est propositio, sicut in spiritualibus probabilis est.

Verum esto: Principes cum ad Ecclesiam veniunt, spondent se fidem *Christi* & conseruaturos & defensuros: sceptra sua subijciunt *Christo*, etiam sub pœna perdendi regni: hæcq; omnia etiam iuramento cõfirmant: quid hoc ad Ecclesiam vel Pontificẽ, si pactum negligunt iuramentum violent, fidem fallant? *Christo Deo* peccant soli, quoad pœnas tẽporales non Christo homini, non pontifici, non Ecclesiæ: Christo enim competit suprema iurisdictio & potestas temporalis in omnes reges mũdumq; vniversum, qua Deus Deiq; filius, non qua homo mortalis filius hominis. Qua homo enim nullum temporale dominium vel potestatem vsurpavit: Pontifex autem vicarius est *Christi*, non qua Deus, nec qua homo immortalis & glorioſus triumphans in cœlo, sed qua mortalis & militans in terra. Neq; ergo Ecclesia vt Ecclesia, nec Papa vt caput Ecclesiæ & vicarius Christi, vllam potestatem temporalem habet: Vicarius est in ea gubernatione quam habuit ante passionem non post passionem.

Quid hic *Bellarm.*? *Consequentia hæc mala est, antecedens falsum est:* Consequentia mala est, quia habet Ecclesia potestatẽ reges hæreticos deponendi, etsi non ex se, at saltem ex pacto & compromissione iurata. Id est, habet potestatem deponendorum spontaneã, siue concessione vel submissione voluntaria Regum, non ex necessitate, vel debito, & iure diuino: id est, precario deponit Reges. Hoc si concesserit *Bell.* actum est de causa Pontificis, & defensione Cardinalis: nec enim Imperator aut Rex quisquam Christianus in tale pactum expressum, aut explicitũ in baptismo, aut inauguratione sua cõsentit. Consensu vero tacito vel implicito, taliter præter sensum vel sententiã suam, per fraudẽ Pontificis & Ecclesiæ illaqueari, indignũ est Christianis & Catholicis. Quinetiam pactum, siue compromissio vel iuramentum, non dat alteri potestatem depositionis in ijs, qui nulla alia ratione siue iure subordinantur: Iurant enim cõfœderati inter se mutuo iuxta conuentionẽ inter ipsos factam, nec tamen ex hoc pacto, sive compromisso, vel iuramento violato accrescit ius depositionis, quo læsus lædentem regno exuere possit: Exempli gratia: Init Pontifex *Romanus*, qua Princeps politicus, fœdus pacis cum Imperatore, vel alio Rege vicino, vel cum Repub: *Venetorum* aut *Genuensium*, idq; fœdus (sicut sæpenumero

factum

factum eſt) violat: An ex hoc fœdere & iuramento violato, accreſcit poteſtas deponendi Pontificem *Romanum*? An propter violatas pacis conditiones licet Reipub: *Venetorum* aut *Genuenſium*, aut Imperatori, aut Regibus *Francie*, aut *Hiſpanie*, Pontificem *Romanum* Principatu priuare? Ex huiuſmodi ergo pacto, vel compromiſſione, vel iuramento, nulla noua poteſtas acquiritur, quam prius Eccleſia, ſiue pontifex non habuerat. Quòd ſi iuramentum Imperatoris quod extat, & in iure Canonico, & in Cæremoniali percurramus, nulla extat talis conditio regni perdendi, nulla talis poteſtas Eccleſiæ, aut Pontifici, aut cuiquã alteri Epiſcopo, ad quem de iure vel conſuetudine ſpectat Regum inauguratio, ſiue inunctio, vllo modo conceditur? In illis iuramentis ſatis cautum eſt de defenſione Eccleſiæ & Pontificis, at de pœna regni perdendi, ne verbum quidem: Extant præterea iuramenta aliorum regum, qui omnes Eccleſiæ & fidei defenſionẽ conceptis verbis ſpondent; at nulla in illis pœna tacita vel expreſſa de regno perdendo.

D. 63. C. Tibi Domino.

Cæremonial. l. 1 Tit. 5.

Iuramentum vero illud Imperatoris & aliorum Regum in die inaugurationis ſuæ, non eſt iuramentum homagij, neq; fidelitatis, ſed defenſionis, vnde *Iacobus Almayn.* hanc rationem ſic format & ſoluit.

De poteſt. Eccleſ. & laica. q. 2. c. 11.

Imperator tenetur præſtare iuramentum fidelitatis Papæ.
Sed illud iuramentum eſt ſignum Vaſallatus. Ergo.
Imperator eſt Vaſallus Papæ, & ab eo poteſtatem habet.

Reſpondet vero: *Quantum ad hoc; nego quod teneatur præſtare iuramentũ Papæ: Imo potius è conuerſo, Papa habens prædia, tenetur potius præſtare iuramentum Imperatori, ratione prediorum, & ad tributum ſoluendum, iuxta Paulum, Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Et Chriſtus, Mat. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Secundo fateor, quod Imperator præſtat iuramentum Papæ, non ratione Imperij, ſed quod tuebitur & defenſabit Eccleſiam; ſicut Rex iurat in curiâ Parliamẽti ſe defenſurum regnum & tamen non accipit poteſtatem regiam ab illâ curiâ. Vnde iure naturali inter Dominum & ſubditum eſt mutua obligatio, qua Dominus ſiue Princeps tenetur ſubditos defendere & tueri, & ipſi tenẽtur ad tributum ſoluendum Principi: Dico ergo quod non iurat neq; præſtat iuramentum Papæ tanquam recognoſcens illum ſuperiorem in temporalibus, ſed vt dictum eſt.* Hæc *Iacobus Almayn.* Sicut ergo inauguratio Regum actus eſt ſolennitatis, non poteſtatis: ſic iuramentum Regum non eſt homagij aut fidelitatis, ſed defenſionis ſiue protectionis.

Quod ſi coronatio per Pontificem vel Epiſcopum facta, aliquam cõferret coronato poteſtatem; aut ſi coronatus eo ipſo quod coronatus, coronatori ſuo ſubditus ſit, *Rex Franciæ Archiepiſcopo Rhemenſi, Rex Angliæ, Archiepiſcopo Cantuarienſi*, ſubditis ſuis, quiq; ipſis regibus ſuis iuramentum homagij & fidelitatis, & debent, & præſtant, ſubijciantur neceſſe eſt: vnde *Antonius de Roſellis: Item ad iurandum, ſi non vult, non poteſt*

Vide Somnium Viridar. 175. c.

P. 1. c. 47. Monarchiæ.

tantum tacite sed etiam expresse pollicentur se fidem Christi & seruaturos & defensuros, idq; sub pœna amittendi Regni spiritualis & æterni, & Regna, & sceptra sua subijciunt Christo in spiritualibus: Verum in temporalibus & Regna, & iura, & leges suas omnes (dummodo legi diuinæ contrariæ non sint) retinet, & in temporalibus neminem superiorem agnoscunt, à quo temporaliter iudicari, aut puniri, aut deponi possunt. In temporalibus itaq; falsa est propositio, sicut in spiritualibus probabilis est.

Verum esto: Principes cum ad Ecclesiam veniunt, spondent se fidem *Christi* & conseruaturos & defensuros: sceptra sua subijciunt *Christo*, etiam sub pœna perdendi regni: hæcq; omnia etiam iuramento cõfirmant: quid hoc ad Ecclesiam vel Pontificẽ, si pactum negligunt iuramentum violent, fidem fallant? *Christo Deo* peccant soli, quoad pœnas tẽporales non Christo homini, non pontifici, non Ecclesiæ: Christo enim competit suprema iurisdictio & potestas temporalis in omnes reges mũdumq; vniversum, qua Deus Deiq; filius, non qua homo mortalis filius hominis. Qua homo enim nullum temporale dominium vel potestatem vsurpavit: Pontifex autem vicarius est *Christi*, non qua Deus, nec qua homo immortalis & glorioſus triumphans in cœlo, sed qua mortalis & militans in terra. Neq; ergo Ecclesia vt Ecclesia, nec Papa vt caput Ecclesiæ & vicarius Christi, vllam potestatem temporalem habet: Vicarius est in ea gubernatione quam habuit ante passionem non post passionem.

Quid hic *Bellarm.*? *Consequentia hæc mala est, antecedens falsum est:* Consequentia mala est, quia habet Ecclesia potestatẽ reges hæreticos deponendi, etsi non ex se, at saltem ex pacto & compromissione iurata. Id est, habet potestatem deponendorum spontaneã, siue concessione vel submissione voluntaria Regum, non ex necessitate, vel debito, & iure diuino: id est, precario deponit Reges. Hoc si concesserit *Bell.* actum est de causa Pontificis, & defensione Cardinalis: nec enim Imperator aut Rex quisquam Christianus in tale pactum expressum, aut explicitũ in baptismo, aut inauguratione sua cõsentit. Consensu vero tacito vel implicito, taliter præter sensum vel sententiã suam, per fraudẽ Pontificis & Ecclesiæ illaqueari, indignũ est Christianis & Catholicis.

Quinetiam pactum, siue compromissio vel iuramentum, non dat alteri potestatem depositionis in ijs, qui nulla alia ratione siue iure subordinantur: Iurant enim cõfœderati inter se mutuo iuxta conuentionẽ inter ipsos factam, nec tamen ex hoc pacto, sive compromisso, vel iuramento violato accrescit ius depositionis, quo læsus lædentem regno exuere possit: Exempli gratia: Init Pontifex *Romanus*, qua Princeps politicus, fœdus pacis cum Imperatore, vel alio Rege vicino, vel cum Repub: *Venetorum* aut *Genuensium*, idq; fœdus (sicut sæpenumero

factum

factum est) violat: An ex hoc fœdere & iuramento violato, accreſcit poteſtas deponendi Pontificem *Romanum*? An propter violatas pacis conditiones licet Reipub: *Venetorum* aut *Genuenſium*, aut Imperatori, aut Regibus *Francie*, aut *Hiſpanie*, Pontificem *Romanum* Principatu priuare? Ex huiuſmodi ergo pacto, vel compromiſſione, vel iuramento, nulla noua poteſtas acquiritur, quam prius Eccleſia, ſiue pontifex non habuerat. Quòd ſi iuramentum Imperatoris quod extat, & in iure Canonico, & in Cæremoniali percurramus, nulla extat talis conditio regni perdendi, nulla talis poteſtas Eccleſiæ, aut Pontifici, aut cuiquã alteri Epiſcopo, ad quem de iure vel conſuetudine ſpectat Regum inauguratio, ſiue inunctio, vllo modo conceditur: In illis iuramentis ſatis cautum eſt de defenſione Eccleſiæ & Pontificis, at de pœna regni perdendi, ne verbum quidem: Extant præterea iuramenta aliorum regum, qui omnes Eccleſiæ & fidei defenſionẽ conceptis verbis ſpondent; at nulla in illis pœna tacita vel expreſſa de regno perdendo.

D. 63. C. Tibi Domino.

Cæremonial. l. 1 Tit. 5.

Iuramentum vero illud Imperatoris & aliorum Regum in die inaugurationis ſuæ, non eſt iuramentum homagij, neq; fidelitatis, ſed defenſionis, vnde *Iacobus Almayn.* hanc rationem ſic format & ſoluit.

De poteſt. Eccleſ. & laica. q. 2. c. 11.

Imperator tenetur præſtare iuramentum fidelitatis Papæ.
Sed illud iuramentum eſt ſignum Vaſallatus. Ergo.
Imperator eſt Vaſallus Papæ, & ab eo poteſtatem habet.

Reſpondet vero: *Quantum ad hoc, nego quod teneatur præſtare iuramentũ Papæ: Imo potius è conuerſo, Papa habens prædia, tenetur potius præſtare iuramentum Imperatori, ratione prædiorum, & ad tributum ſoluendum, iuxta Paulum, Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal. Et Chriſtus, Mat. 22. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari. Secundo fateor, quod Imperator præſtat iuramentum Papæ, non ratione Imperij, ſed quod tuebitur & defenſabit Eccleſiam; ſicut Rex iurat in curiâ Parliamẽti ſe defenſurum regnum & tamen non accipit poteſtatem regiam ab illâ curiâ. Vnde iure naturali inter Dominum & ſubditum eſt mutua obligatio, qua Dominus ſiue Princeps tenetur ſubditos defendere & tueri, & ipſi tenẽtur ad tributum ſoluendum Principi: Dico ergo quod non iurat neq; præſtat iuramentum Papæ tanquam recognoſcens illum ſuperiorem in temporalibus, ſed vt dictum eſt.* Hæc *Iacobus Almayn.* Sicut ergo inauguratio Regum actus eſt ſolennitatis, non poteſtatis: ſic iuramentum Regum non eſt homagij aut fidelitatis, ſed defenſionis ſiue protectionis.

Quod ſi coronatio per Pontificem vel Epiſcopum facta, aliquam cõferret coronato poteſtatem; aut ſi coronatus eo ipſo quod coronatus, coronatori ſuo ſubditus ſit, *Rex Francie Archiepiſcopo Rhemenſi, Rex Angliæ, Archiepiſcopo Cantuarienſi*, ſubditis ſuis, quiq; ipſis regibus ſuis iuramentum homagij & fidelitatis, & debent, & præſtant, ſubijciantur neceſſe eſt: vnde *Antonius de Roſellis: Item ad iurandum, ſi non vult, non*

Vide Sommium Virid. 175. c.

P. 1. c. 47. Monarchiæ.

poteſt

Inter Clementinas de iure iurando, l. 2. Tit. 4.

potest compelli: nec si iurat est fidelitatis iuramentum per quod censeatur inferior. Nec obstat quod *Clemens* 5. iuramentum istud fidelitatis appellet, quod enim ad potestatem Pontificis eiusq; Hierarchiam temporalẽ facit, hoc verum & magnum est: Protectio & defensio quæ superioritatis sunt, homagium & fidelitatẽ Pontifici eiusq; creaturis sonat: nec enim solent inferiores clientelam & defensionem superiorũ suscipere; sed à superioribus & potentioribus protectionem & patrocinium petere.

c. 19. ad 7. de potest. Reg. & Papali.

Ioannes de Parisijs huic argumento sic respondet. *Quod autem dicitur septimo quod Imperator iurat Papæ: Respondeo: Imperator Otho non iurauit Papæ, nisi de regno Italiæ, quod ab ipso, seu ab Ecclesia suscepit in feudum: iurauit enim reddere terram Sancti Petri, si quam tenebat: sed nihil facit ad cæteras partes mundi, vel quæ non sunt de Imperio, vel quæ non cadunt sub donatione Constantini.*

quid hoc ad rem?

Quod si de Religiosis & Monachis alijsq; qui in Collegijs & societatibus & spiritualibus, & ciuilibus degunt, quæratur, quid possit submissio, siue pactum, siue compromissio, siue iuramentum spontaneum siue liberum, vtrum scil: potestatem siue iurisdictionem tribuat coactiuam in foro exteriori, sine authoritate superioris, leges & statuta illius societatis siue Collegio confirmantis, non affirmabit, credo *Bell.* submissionem istam voluntariam, in foro exteriori, quoad pœnas coactiuas iurisdictionem siue potestatem conferre; qui *optime nouit* omnes ordines Religiosorum à summo Pontifice confirmatos, & legibus & statutis corroboratos, ideo disciplinam in nouitios & inferiores exercere, quia authoritate superiorum in spiritualibus, nec non in temporalibus stabiliuntur. Imo nec licere huiusmodi societates, aut spirituales, aut ciuiles, sine licentia & speciali mandato, & authoritate supremi magistratus inire. Pacta ergo & compromissa & iuramenta, etsi in foro interiori obligent, non tamen ligant in foro exteriori quoad pœnas coactiuas, nisi per leges & statuta superiorum roborentur, & confirmentur, addo etiam & instituantur: quia sine venia & licentia superiorum huiusmodi societates & pacta, & iuramenta fieri non debent. Quomodo ergo pactum siue compromissio, siue iuramentum Imperatoris vel regis, superiorem in temporalibus non habentis, obliget ad pœnam coactiuã depositionis in foro exteriori, non accedente institutione & confirmatione superioris; cum pacta, & compromissa, & iuramenta priuatorum & subditorum non ligant in foro exteriori quoad pœnas coactiuas, sed tantum in foro interiori, nisi authoritate superioris, qui a Deo potestatem accepit sanciantur.

Sed supponamus (etsi non concedamus) pacta & compromissa & iuramenta Imperatorum & regum ligare in foro exteriori quoad pœnas coactiuas, easq; temporales: Quid hoc ad Pontificem? Pontifex enim

enim Imperatorem vel Regem quenquam non baptizat: solum vero Imperatorem coronat, nec alium quenquã regem inaugurare deprehenditur. Sunt enim regnorum quidam Antistites, vt *Rhemensis* apud *Francos*, *Cantuariensis* apud *Anglos*, ad quos, de consuetudine (& consuetudo ius aliquale est) spectat sacratio regum suorum. Si ergo inauguratio iurisdictionẽ & potestatẽ deponendi regis coronati, confert coronatori siue inauguratori, Pontifex solũ Imperatorẽ deponere potest, quem solum coronat, *Rhemensis* regẽ *Francorũ*, *Cantuariensis* regẽ *Anglorũ*, quos ipsi plerumq; sacrant, alij Antistites, alios Reges quos inungunt, deponere possunt. Quid vero si à sacerdotib°, qui nullam in foro exteriori iurisdictionem habent, sacrati fuerint? An & sacerdotes potestatem habent deponendorum Regum? Quod si à sacerdotib° raro coronentur reges, at à sacerdotib° baptizari proculdubio & possint & solent; necnon in casu necessitatis etiamà laicis: Et Reges, & Principes, cum ad Ecclesiam veniunt, vt Christiani fiant, per baptismum ad Ecclesiam recipiuntur: aut ergo perplexe admodum loquitur *Bellar.* aut de ingressu regum in Ecclesiam per baptismum loquitur: sicut ergo per baptismum recipiuntur reges ad Ecclesiam venientes per ministerium sacerdotum, sic per sacerdotes cum Christo Domino pacisc̃untur; & proinde per sacerdotes itidem deponi possunt: Aut ergo ratio ista nihil valet, aut potestatẽ solius Imperatoris deponendi Pontifici tribuit, quem solum coronat Pontifex, aut potestatẽ nullius Imperatoris aut Regis deponendi Pontifici tribuit, quia nullum Imperatorem aut regem baptizat: aut eandem plurib° Episcopis, necnon sacerdotib° deponendorum regum potestatem tribuit; quod dicere non audet *Bell.* Et tamen *Bell.* propositio hæc est; *Si Pontifex sit Monarcha temporalis totius orbis, quilibet Episcopus Monarcha temporalis est in suâ Diœcesi; siquidem id quod Papa est in vniuersâ Ecclesia, est quilibet Episcopus in particulari.* Quicunq; vero baptizat, siue Episcopus, siue Sacerdos, de *Christo* dixit verissime *Ioannes Baptista*; *Hic est qui baptizat*: potestate *Christus*, homo ministerio: *Nec Petriani sunt, nec Pauliani* (nec Pontificij) *Christiani*, inquit *Aug. in Psal.* 44. Nunquam vero aut legi, aut audivi de Pontifice dictum aut scriptum: *quicunq; baptizat, Pontifex est qui baptizat.* Pactum ergo aut ineunt Reges baptizati & inaugurati cum Episcopo & sacerdote baptizante vel inaugurante, sic ab eodem Episcopo vel sacerdote deponendi sunt; vel cum solo Christo pacisc̃untur, & proinde à solo Christo deponendi sunt; Ad eundem enim spectat pacti violatio, ad quem pactum ipsum.

Lib. 5. de Pont. c. 13.

Sed probationem *Bell.* audiamus. *Romani societatem cum diuersis Regibus inibant, qui illis fidelitatem iurabant: hic ad hostes Romanorum deficientibus Romani iniuriam arbitrati non sunt, si illos Regnis priuarent.*

Quid in hac causa fecerit sentiritq; *Roma* Ethnica, satis constat, quæ

Dum hæc & his similia mecum ipse volutarem, & ad Deum, ut
mihi consilium daret, precibus assiduis implorarem, ecce tibi
Ianuenses, qui me ad Regem Francorum ire cupiebant, ut
pacem inter ipsum & Mediolanenses componerem, ad me
venerunt. Quibus ego, quamvis ad Regem ire nollem, ut
tamen ad Mediolanenses pergerem, non recusavi. Ad Regem
enim ire nolebam, quia ipse Mediolanenses, quos ego ad pacem
cum eo componendam ire debebam, ut hostes habebat. Ad
Mediolanenses autem ire non recusavi, quia ipsi me ad Regem
Francorum ire nolebant, & ego ad eos pergere cupiebam. Ad
eos igitur pergere cupiebam, ut eos ab ira, quam contra Regem
habebant, revocarem, & ad pacem cum eo componendam
inducerem. Ad eos pergere nolebam, ut eos ad bellum contra
Regem incitarem, sed

runt, hoc certum est. Quo iure quâq; iniuria priuarint, hoc incertissimum. *Bell.* nec ius poli, nec ius fori, sed ius gladij, in quo iura regnorum plerumq; describuntur vrget, acsi sic argueret: factum est, ergo fieri debuit. *Romani* Ethnici, ambitiosissimi rerum domini, qui Monarchiam suam in sanguine fraterno fundarunt, eandemq; sanguine sociorum regum ampliarunt, non existimabant iniuriam si socios & cõfœderatos reges regnis priuarunt: Ergo *Romani* Christiani authoritate Põtificis siue Ecclesiæ, possunt iure pacti siue compromissionis reges regnis spoliare. Acsi dicerent, *Romani* Ethnici Idola coluerunt. Ergo *Romani* Christiani Idola iure colunt. Quatuor enim maxima Imperia quorum caput *Nimrod*, quatuor magna extiterunt latrocinia, quæ per ius fasq; dominia sua extenderunt. Inter hæc maximũ fuit *Romanorum* Imperiũ, maximũ ergo & latrocinium, si *Augustino* credimus. Ab huius Imperij tyrannide ad potestatem pontificis arguere, quid est aliud, quã magnos latrones, minorẽ furem suspendio necare, vel potius à suspendio liberare? Illud autem aduertat lector: *Bell.* iuramentũ hoc sociale, quo *Romani* cum regibus socijs fœdus faciebant, iuramentum esse fidelitatis: fidelitatem (inquit) illi iurabant: acsi subditi essent *Romanorum* non socij: iuramentum enim fidelitatis præstant subditi Dominis & Regibus suis: iuramentum fidelis societatis præstant socij, siue amici, siue confœderati. Facile est Iesuitæ societatem in subiectionem, iuramentum societatis, vel defensionis fidelis, in iuramentum fidelitatis & debitæ subiectionis transelementare, in lucrum causæ suæ: imo vero in dispendium: certum enim hoc est infirmitatis & diffidentiæ signum, testes vel testimonia corrumpere.

Impidè ac fi essent synonima subiectio et fidelitas.

III

De consequentia *Barclay* eiusq; firmitate dictum est satis: sequitur antecedens & hoc verum est, aut falsus *Bell.* Anticedens enim *Barc.* est: *Christus nullum temporale dominium & potestatem vsurpauit dum in terris, vt homo, inter homines ageret.*

Hanc refellit *Bell.* Christus inquit, quamuis noluit vllum temporale regnũ eripere ijs, qui ea possidebãt, idq; vel assumere, vel alijs tradere, tamen qui negat potuisse Christũ id facere Euangeliũ ipsũ negat.

Quid ais? Annon hoc est negare Euangelium? An non hoc negat Christus, qui Euangelium non poterit? *Regnũ meũ non est de hoc mundo.* Quomodo potest illa regna huius mundi tollere alijsq; tradere, cuius regnum non est de hoc mundo? Si non sit de hoc mundo, non potest esse de regnis huius mundi: Quo iure potest regna mundi alijs eripere, qui vt homo mortalis, nec iure successionis, nec iure electionis, nec iure specialis alicuius doni regna mundi accepit? *Quis me cõstituit iudicem aut diuisorem inter vos?* Id est, nemo. Si ergo nec seipsum constituit, nec ab alio constitutus est, quomodo aut vnde habet *Christus* homo mortalis potestatem regum priuandorum? Tantum ergo abest,

quam insulsè.

Bell. lib. 5. de Pont. c. 4 Luc. 12. 14.

vt, qui potestatem tollendorum regnorum mundanorum *Christo* homini mortali neget, Euangelium neget, vt, qui talem Christi potestatē astruat, quā ipse negat, & reijcit *Christus*, verba ipsius Euangelij neget.

Sed audiamus probationes ipsius *Bell.* prima est ab authoritate, ex „ *Ioan.* 13. *Dedit ei omnia Pater in manus:* & *Ioan.* 17. *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis. Dedit ei omnia in manus*; Ergo super omnia habuit po„ testatem; potuit ergo de temporalib⁹ reb⁹ omnium hominum dispo„ nere, & proinde de regnis omnium regu·n & Imperatorū, quos potuit „ si voluisset, iudicare, punire & deponere regnisq; Imperijs priuare.

Ex his locis, duo perspicua sunt: 1°. quod Christo tradita siue data sunt omnia: sicut *Matt.* 11. & *Luc.* 12. dicitur: *Omnia mihi tradita sunt à Patre.* 2°. quod Christus potestatē habuit omnium, siue omnis carnis. Tertio quod ad rem maxime facit, dubitatur. An scil. sicut Christo data est potestas omnium siue omnis carnis, sic data, sit potestas omnis & spiritualis & temporalis: *Omnis potestas* ad redemptionem omnium, *Omnis potestas*, ad regimen spirituale Ecclesiæ, & *omnis potestas* ad regimen mundi, tēporale. Cur ergo quod in his duob⁹ locis de omni potestate defuit, non suppleuit *Bell.* ex illo altero loco, *Mat.* 28. *Data est mihi potestas, omnis in cœlo & in terra?* Forte timuit *Bell.* ne ex his locis simul iunctis, Christus Monarcha totius orbis summus & spicitualis & tēporalis, & quoad habitū, & quoad actum, & quoad ius siue titulū, & quoad possessionē, siue executionē probaretur. Si enim omnis carnis siue omnium hominum potestas, & omnis potestas & spiritualis & tēporalis, & quoad habitū, & quoad actum Christo tradita sit, tum *Christus* ex speciali dono Dei, Monarcha tēporalis totius mundi cōstituetus est, quod disertis verbis negat *Bell.* Quod autē verba ista non solū ad ius & titulum siue habitum, sed etiā ad actum siue executionē, sive ipsā possessionē pertingant, manifestum est in litera: non solum enim dicitur, *Dedisti ei potestatē omnis carnis, & data est mihi omnis potestas in cœlo & in terrâ*, quæ de potestate quoad habitum siue ius intelligi possunt, sed etiā dicitur: *Dedit ei omnia pater in manus*, id est in potestatē & possessionē actualē. Quinetiā verba illa, *data est mihi omnis potestas*, hoc ipsum satis apertè innuunt: potestas siue monarchia temporalis regnum siue imperium, aliqua est potestas, ergo potestas siue monarchia tēporalis, siue Regnum, siue Imperium, *Christo data est*: potestas temporalis executionis, siue potestas quoad actū, aliqua est potestas, potestas ergo temporalis executionis, siue quoad actum, *Christo data est*: Omnis enim potestas in genere continet omnes species, omnesq; partes potestatis. Aut ergo verba hæc de omni potestate spirituali & temporali, omniq; eius parte habituali scil. & actuali, authoritatis & executionis intelligenda sunt, quod de potestate temporali diserte negat *Bell.* & quoad actū & quoad habitū; aut de potestate tantū spirituali intelligenda

ligenda sunt, atq; sic nihil probant ad institutum: Dedit *Christo* Pater omnia in manus, quæ ad officium redẽptoris, & munus summi sacerdotis, ad salutẽ animarũ, & regimen spirituale Ecclesia necessaria sunt: at regimen temporaliũ in sacerdote impeditivũ eſt ęternæ salutis, quia implicat negotijs huis vitæ, potestas depositionis inflat, & superbire facit humiles Christi seruos, cum videant se supra regna & reges cõstitutos: vnde nonnulli eorũ, Reges & Imperatores ad infima frænorũ & streparum, & equorum suorũ seruitia coëgerunt, alij diademata, & coronas, & colla Imperatoru & Regum calcarunt, alij Imperatores & reges in niue, & frigore, & pruina pernoctare coëgerunt, dũ interim illi cum amicis suis delicijs vacarunt. Ideo *Christus* ad regnũ quæsitus fugit: & potestatem hanc spirituali-temporalẽ cum maxime opus esset, & vires non deerant, non exercuit, nec quisquã Apostolorum, aut successorum, eandem per septingentos annos exercuit. Et tamen *Christus* de seipso, *c. 17. Ioan.* in proximis pene verbis diserte asserit: *Opus consummaui quod dedisti mihi vt faciam:* Consummavi opus, non solũ inchoavi, ad consummationẽ operis spectat, non solum potestas ipsa, sed etiã potestatis executio. Quicquid incœpit Christus hoc cõsummauit: aut ergo potestatẽ hanc, hoc opus regũ deponendorũ non accepit Christus à Patre, aut consummavit i. opere implevit: at non implevit opere, talem ergo potestatem à Deo non accepit. Quod autẽ de hominib⁹ & animab, non de reb⁹ temporalib⁹ loquatur Christus docent verba subsequentia. *Nunc manifestaui nomẽ tuũ hominibus quos dedisti mihi: Tui erãt, & mihi eos dedisti, & sermonẽ tuũ seruauerũt. Nunc cognouerunt, quia omnia quæ dedisti mihi abs te sunt, quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis.* Et v. 14. *Pater, quos dedisti mihi custodini, & nemo ex eis periit, nisi filius perditionis.* Sæpe repetit Christus hæc verba; *quos dedisti mihi*, semel addit, *verba quæ dedisti mihi*; vt aut de animab⁹, aut de donis spiritualib⁹, & gratia cœlesti locutũ intelligãt omnes, nõ de bonis, aut potestate tẽporali.

Neq; vero quisquã est antiquorũ, qui verba ista de potestate in temporalib⁹ intelligat, sicut glossat *Bell.* quorum interpretationes, quia non vrget *Bell.* silentio prætereundas censeo. Vnum addo *Aug. Omnia dedit ei pater in manus; ergo & ipsũ traditorẽ: nam si eum in manibus non haberet, non vtiq; illo vteretur vt vellet: proinde iam traditor, traditus erat ei, quẽ tradere cupiebat, atq; ita malũ tradẽdo faciebat, vt de illo tradito bonũ fieret, quod nesciebat: sciebat enim dominus quid faceret pro amicis, qui patiẽter vrebatur inimicis: Ac sic omnia dederat pater in manus eius, & in vsum mala, & in effectum bona.* Quantum absint ista in sensu *Bellarminiano*, judicet lector: nos ad factum siue praxin Christi descendemus. *In Ioan. c. 13. tract. 55.*

Secundo probat ex facto siue vsu huius potestatis, siue exẽplo Christi, *qui cum damno dominorum dæmonibus licentiam concessit, vt in gregem porcorum intrarent; quos precipites in mare actos suffocârunt aquæ. Marc. 5.*

Quid hoc ex facto inferat *Bell.* non satis colligo: Quid enim? An Pontifex à Deo petit impetratq; vt ipse reges terræ præcipitet, & in aquis tribulationis suffocet, sicut dæmones porcos demersérũt? Si reges vt porci sunt, Pontifices certe vt Dæmones erunt. An hoc vult *Bell.* vt sicut *Christus* porcos tradidit Dæmonib⁹, sic Pontifex Reges & Imperatores tradat Satanæ, propter peccata sua, ad interitum carnis? Nihil hoc ad regũ depositionẽ facit: tradere enim Satanæ non est regno priuare. An vero expectat *Bell.* vt Pontifex suus *Christo* vicarius sit, in hac Dæmonũ electione & castigatione? Potest quidẽ Pontifex & Episcopus & sacerdos, imo etiã & exorcista quilibet vobis authorib⁹, dæmones ejicere, sed dæmones in porcos mittere, ne pontifex quidẽ potest. Multa fecit *Christus* vt Deus, multa vt homo, potuit *Christus* vt homo, dæmones ejicere, aliaq; miracula plurima peragere, vt fidẽ Euangelio cõciliaret: an vero potuerit *Christus*, vt homo mortalis ante diẽ iudicij Dæmones punire, & in abyssum mittere, & vltricib⁹ flammis tradere, non satis cõstat. Potestas miraculorũ & dæmonũ ejiciendorũ *Christo* homini cõcessa est, an vero potestas iudicandi dæmones & in gehennã mittẽdi, *Christo* homini mortali, ante passionẽ collata sit, id vero dubiũ est: clamant dæmones, *quid tibi & nobis, Iesu fili Dei?* Et hoc opus Dei esse interpretatur *Beda.* *In Mat. 8. lib. 2.* *Notandũ est, quod nec pecoribus nocere possunt dæmones, quanto minus hominibus, nisi concessâ à Deo potestate, quã in nobis bonus Deus occulta iustitia dare potest, iniusta non potest.* Catena enim est diuina prouidẽtia, qua ligatur Diabolus, ne noceat hominib⁹; ideo Satanas à Deo veniam petijt vt *Iob* affligeret. Hanc ergo licentiam vt intraret in porcos cõcessit dæmonib⁹ *Christus*, quâ deus, non quâ homo.

Sed demus, *Christum*, vt homini dæmonib⁹ concessisse, vt in porcos, intrarẽt. Quid hoc ad pontificem? An in hoc opere Pontifex vicarius *Christi*, eiusq; potestatem exercet? Quare ergo omnes dæmones in abyssum non mittit, aut saltem in porcos abigit, ne hominib⁹ noceant? Cur permittit dæmones in regione *Romanensiũ*, in parte Pontificia, in Cathedra ipsa Pontificali, in curiâ *Romana*, non porcos, sed homines, non carnales tantum, sed etiam spirituales, in abyssо omniũ peccatorum mortaliũ demergere? Verum an omnis potestas quæ *Christo* Domino, vt homini mortali, & sacerdoti summo concessa est, etiã seruis, & Apostolis, eorumq; successorib⁹, ordinarie conceditur? Triplex est potestas *Christi* Domini, quatenus homo mortalis est, quæ nulli seruo cõmunicatur, vt scholastici omnes, & vna *Bell.* ipse fatetur. 1ª. est, potestas sacramentorum instituendorũ, nemo enim gratiã supernaturalẽ annectere creaturæ potest, nisi Dominus, & creaturæ, & gratiæ: 2ª. est potestas seruandi sine sacramentis: qui enim leges omnib⁹ dedit supra leges suas est. 3ª. est potestas miraculorum propria authoritate faciendorum: nemo enim ordinem naturæ immutare potest, nisi author

naturæ

naturæ, aut cui Deus naturæ, hanc poteſtatem communicauerit. Hanc poteſtatẽ quam vocant excellentiæ quamq; habuit Chriſtus, vt Deus & homo, non habet Pontifex. Solam enim illam Pontifici poteſtatem cõmunicauit, quæ puro homini cõmunicari poteſt, quęq; neceſſaria eſt ad gubernandos ita fideles, vt ſine impedimento vitã æternã conſequi poſſint. Etſi ergo *Chriſtus* vt homo, hanc habuerit poteſtatẽ miraculorum, vt poſſit licentiam intrandi in porcos dęmonib⁹ concedere; Pontifex tamen hanc poteſtatem non habet, nec Dęmones eijcere poteſt, nec in porcos immittere, nec in abyſſum detrudere aut torquere: poteſtas enim iſta extraordinaria eſt, non ordinaria, & proinde in vicarium *Chriſti, Petriq;* ſucceſſorem non tranſit: nec magis poteſt Pontifex dominia & imperia regum, aut bona temporalia priuatorum, poteſtate ſua vicaria tollere, quam dæmones in porcos, aut in abyſſum mittere, quæ ſolius Chriſti Dei & hominis propria ſunt, quin potius audi quid ex factis Chriſti colligit *Tertullianus, Et ſi ipſe Dominus poteſtatem quoq; nullam ne in ſuos quidem exercuit, quibus ſordido miniſterio functus eſt, ſi regẽ dẽiq; fieri, cõſcius regni ſui refugit, pleniſſime dedit formã ſuis dirigendo omni faſtidio, et ſuggeſtu tam dignitatis quam poteſtatis; Quis enim magis his vſus fuiſſet, quam Dei filius. Ergo in habitu poteſtatẽ habuit quod contendimus.*

Mitto illa quæ *Bell.* pro defenſione ſua adijcit cõtra *Barcl.* ne videatur Monarchiæ Pontificis ſpirituali-temporali, lino-lanæ, heterogeneæ deeſſe: ſit enim perme, huius Hierarchiæ temporalis aſſertor aduocatuſq; ſummus; non inuideo illis hanc laudem, vtinã pro ſpirituali Chriſti regno in animabus hominum dimicaſſet fortius; pro ſpirituali poteſtate Pontificis in legibus ferendis, in traditionib⁹ humanis propagandis dimicaſſet minus: temporalem vero iſtam Monarchiam ne attigiſſet quidem, & ſaluti aliorum & famæ ſuæ conſuluiſſet magis: Dum enim hinc inde confligit, & dimicat Chriſtianus orbis, de primatu, vt olim diſcipuli *Chriſti*, decreſcit regnum *Chriſti*, & inter incaleſcentes nimium multorum cogitationes, frigeſcit charitas multorũ: multi cõtrouerſiarum condimentis acutioribus delectati nimium, cibum Dei faſtidiunt, à quarum lectione ſurgunt multi concitatiores, at pauci meliores, aut ad vitæ Chriſtianæ caſus inſtructiores. *Surgunt indocti, & rapiunt cœlum, & docti cum doctrinis ſuis contentioſis ſine corde, ecce vbi voluntamur in carne & ſanguine.* Sed reprimam me. *Auguſtin. Confeſſ. lib. 8. cap. 8.*

Duo in præmiſſis *Bell.* ſunt, quorum primũ eſt ambiguum & incertũ, quodnã ſcil: ſit pactum tacitum vel implicitum regum, cum ad Eccleſiam ſiue regnũ veniunt, & demonſtratiua ratio ſine omni ambiguitate vel incertitudine eſſe debet: ſecundũ plane falſum; Reges ſcil: ad Eccleſiam recipi ſub pœna regni terreni. Hoc à *Sandero* perduelli & mẽdaciorum fabro & architecto didicit *Bell.* cuius tamen nomẽ refugit, ne, quod alijs modeſtiæ eſt, profiteri videatur per quem profecerit.

Quod etsi à *Barel.* diserte pernegetur; adeo vt *Bell.* in arenam prouocet his verbis; nec vnquam poterit vel *Bell.* vel alius quisquam, efficax aliquod testimonium ex vllius seculi monumentis eruere, quo nobis planum faciat, Reges & Principes seculares, dum ab Ecclesia ad fidem recipiuntur, ita iuri suo abrenunciasse, vt & Imperium tẽporale quod à deo acceperãt prorsus deponerent, & seipsos in negotijs politicis iudicãdis, pœna tẽporali plectendos ecclesiæ subijcerẽt, in hac tamen responsione sua (quod eruditionẽ & candorẽ *Bell.* parum decuit) ne rationem vllã adhibuit, qua falsam hanc assertionẽ suam roboraret.

8. Sequitur tertium quod in argumento *Bell.* reprehendit *Barel.* *Quod licet reges ista promittãt Christo promissionẽ acceptante Ecclesia vel Põtifice, obligatio principaliter acquiritur Christo, & à Christo solo, quem solũ supra se Iudicẽ habent, cuiusq; solius in verba iurarunt, temporaliter puniri possunt.*

Quid hic *Bell.*? Potest, inquit, *Christi vicarius, huius pacti & iuramenti transgressores punire; sicut à Prorege puniuntur qui fidelitatẽ absenti Regi in præsentia Prorẽgis iuratã violauit: & à vicario generali Episcopi puniuntur, qui absenti Episcopo obedientiã coram eodem vicario generali iuratã violant.*

Cur impostoram Barclaio hoc in loco a Bellar. obiectam tam alte silentio præterijt?

Similitudines istæ illustrant, non probant; nec sunt ad idem. Prorex enim punit violationem fidelitatis absenti regi in præsentia sua iuratã, quia sic commissione regiâ, aut legibus eautum est positiuis explicitè. Vicarius generalis Episcopi absentis, contumaciam, & inobedientiam clericorum in præsentiâ suâ promissam corrigit, quia canonib⁹ sic prouisum est: in cõpromissione regum nihil simile est, quia nec extat pactũ aut cõpromissio sub pœna temporalis perdẽdi; nec extant leges, quib⁹ Põtifici *Christi* vicario potestas hæc regum deponendorũ cõmissa est. Sufficit vero cœcis Catholicis, qui sub pœna æternæ damnationis sine vlteriore disquisitione, fide implicitâ credere tenẽtur, quicquid doceant qui Põtifici à secretis sunt, si Cardinalis *Bell.* ista sine authore sine ratione affirmauerit: *Sic volo, sic iubeo, stet pro ratione voluntas.* Reverâ fides illa implicita est, quæ sine ratione credit, quæ sine ratione dicũtur.

I extant canones.

Instat *Barc.* *Cancellarius iuramentum fidelitatis subditorum Regi debitũ recipit; nec tamen feudum aufert propter feloniam, quam solam rex punit.*

Non sufficit *Bell.* quod pontifex sit in regno *Christi* taquã Cãcellarius summi regis, sed præses est, & pastor, & *magister* domus, & cum summa iurisdictione & amplissima præest. Id probat 4. scripturæ testimonijs.

Matth. 16. 1. Huic dictum est, *quicquid ligaueris: Non est officium Cancellarij qui* „ *nullam habet iurisdictionem, sed Præsidis iurisdictionem habentis.*

Et Cancellarius iurisdictionem habet, eamq; amplissimã in foro conscientiæ, cuius fidei rex plerumq; conscientiã suam committit, etsi in foro exteriori iurisdictionem coactiuam non habeat eandem quam alij Iudices aut Rex ipse. Pontifex itidem in causis temporalibus iurisdictionem coactiuam non habet de iure, licet in regum depositione e-

eandem

andem vsurpauerit, quia nec bona priuatorũ confiscare, nec hæreticos morte mulctare, nisi brachio seculari prius advocato potest. Et nihil hic *Petro* soli promissum, nisi quod alijs omnibus Apostolis *Ioan.* 20. præstitum est: Collegium vel Ecclesiam in hac fidei professione & potestatis siue clavium institutione repræsentat *Petrus*: & ligare & solvere nihil aliud, nisi peccata remittere vel retinere significat, sicut supra multis Patrum & aliorum testimonijs probavimus. *c.* 3. *huius libri*.

2. *Pasce Oves Ioan.* 21. sonat hoc officium, non Cancellarij, sed Pastoris in oves, qui eas vtiq; regere, & ligare, & baculo ferire, & ad omnem obedientiam cogere potest. Verum hoc est in spiritualibus; sed in temporalibus Pontifex non est Pastor Imperatoris, sed è contra Imperator Pastor est Pontificis. Et convenit hoc officium cuilibet Episcopo; cui in *Petro* dictum est; *Pasce Oves*. Cæterum benè se res habet: regit Pontifex disciplina spirituali, non ciuili; ligat vinculis spiritualibus, non temporalibus: baculo ferit pastorali; quid illi ergò cum gladio temporali, cum pœna temporali depositionis? quid est, quod tollit pascua naturæ & regni, qui sola pascua gratiæ & Ecclesiæ confert? Ad omnem obedientiam cogit, armis & medijs suis, sed non alienis: eodem jure Pastor civilis, sicut fuit *David*, Pontifices armis spiritualibus cogere potest, quo potest Pastor spiritualis, reges armis temporalibus cogere: Id est, nullo. De quibus locis repetat Lector quæ diximus, *cap.* 3. *huius libri*.

3. *Attendite vobis & vniverso Gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, Act.* 20. 28. Non hoc est officium Cancellarij, sed rectoris & Præpositi. Esto: Quilibet Episcopus Pastor est, & rector & Præpositus Gregis, vt regat Ecclesiam Dei; nec tamen potest quilibet Episcopus, quia rector & Præpositus est Ecclesiæ, reges depositione, aut subditos bonorum temporalium confiscatione, aut morte punire: Proprium hoc est, & peculiare Pontificis opus, deponere reges, & tamen commune est hoc Pontifici, & omnibus alijs Episcopis, vt sint rectores & præpositi & Pastores Ecclesiarum. Quanvis nomen Pastoris hoc loco Episcopis non communicat *Bell.* acsi proprium hoc esset Pontifici: quum in omnibus instrumentis electionis, & consecrationis, Episcopus dicatur Pastor Ecclesiæ, & per mortem Episcopi Ecclesia viduata sit Pastore suo: Vidit *Bell* quod si nomen Pastoris cuilibet Episcopo, aut alij cuiquam præterquam Pontifici *Romano*, qui solus Pastor Ecclesiæ videri vult, concederetur, argumentum illud ex verbis Christi, *Pasce Oves meas*, desumptum, in fumum & fœtorem abiret, si alij Episcopi præter Pontificem Pastores essent Ecclesiæ: Idcò rectores & Præpositos Episcopos, Pastores non dixit.

4. *Quis putas est seruus fidelis & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam?* Luc. 12. *Non est officium Cancellarij, sed Magistri Domus*.

Ante-

Ante dixerat, *ſervus iſte principalis eſt*: hoc ambitioni Pontificiæ parum eſt: *Magiſter eſt domus*, qui toti familiæ cum poteſtate præeſt. Maior Palatij ſiue domus fuit *Pipinus* qui *Childericum Chriſtum Domini* regno exuit: an & Pontifex ſic *Magiſter domus, vt Chriſtum Dominum* regno ſuo deijciat? Apoſtoli *Chriſti* ſe Oeconomos, & diſpenſatores domus Dei dixerunt, *Magiſtros domus* Dei non dixerunt. Hoc non ſufficit ſucceſſoribus *Petri*; Proreges in Regno Chriſti, Vicarij in Epiſcopatu, Rectores in ciuitate Dei, præpoſiti in familiâ Chriſti, capita in corpore; imo & *Magiſtri* non tantum in domo, ſed *domus Chriſti* eſſe volunt. Quod ſi *Magiſtri domus* ſunt, tum Eccleſia domus eſt Pontificis, ſponſa Pontificis, familia Pontificis; oues Pontificis ſunt, Chriſti non ſunt: Oues enim duos Dominos non habent, ſed vnum; & Pontifex, etſi Vicarius *Chriſti* videri velit, *Chriſtus* tamen non eſt. Sic ergo Pontifex *Magiſter domus*, ſicut *Pipinus Magiſter Domus*, verum Dominum excludit: nec mirum ergò ſi Reges deponat, qui *Chriſtum* ipſum deponere vellet: Nemo enim *Magiſter Domus* niſi ſolus *Chriſtus*. Igitur, vt *Bernardus De conſid. l. 3. c. 1. Eugenium*, ſic ego *Paulum*: *Proſis vt proſis; præſis vt fidelis ſervus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam. Ad quid? vt des illis eſcam in tempore, hoc eſt, vt diſpenſes, non imperes; hoc fac vt ne affectes dominari hominum homo, vt non dominetur tui omnis iniuſtitia.*

1. Cor. 4.

Verum quiſquis fuerit ille *ſervus fidelis, & prudens*, hoc primum & præcipuum eſt fidelitatis & prudentiæ ſignum, quod loco & nomine & officio ſervi contentus, nolit *Dominus* aut *Magiſter Domus* aut eſſe aut haberi, Nam vt piè *Ioannes Ferus*, *Da ſive Papas ſive Epiſcopos, ſive Cardinales ſive Doctores, & quid aliud ſunt quam ſervi? ſi autem ſervi ſunt (quemadmodum omnes libenter fatentur) id agere deberent ne ſupra ſuum Dominum aſcenderent. Quomodo autem hoc fiat ipſi conſiderent, &c. Non enim eſt hic locus hanc Camarinam mouere, ſua ipſis conſcientia declarabit in quibus Chriſto diſſimiles ſint, imo in quibus ſupra Chriſtum eſſe conentur &c. Ferus in Ioan 13.* Ille verò ſervus eſt fidelis, & prudens, qui panem & menſuram tritici, hoc eſt verbi divini miniſtrat. An talis ſervus eſt Pontifex? Ille verò ſervus eſt infidelis, & imprudens, qui conſervos, non gladio ſuo, i. ſpirituali, ſed alieno & non ſuo, hoc eſt civili percutit; quiq; dapibus cœleſtibus cum faſtidio contemptis, delitijs temporalibus, principatu & poteſtate ciuili gloriatur & indulget. An non talis ſervus eſt Pontifex? In his vero quatuor, nulla datur poteſtas temporalis, nulla niſi ſpiritualis confertur authoritas, ſicut ex multis Patrum teſtimonijs ſupra demonſtrauimus. Ex ſolis verò allegorijs *ligandi, paſcendi & miniſtrandi*, ſine expreſſo *Chriſti* teſtimonio, articulum fidei de plenitudine poteſtatis, & depoſitione Regum condere, proculdubio contra omnes regulas Theologiæ eſt. Ex tacito autem

tem & implicito pacto, vel compromiſſione arguere, quid eſt aliud quam tyrannidi & ambitioni, & ſuperbiæ viam ſternere. Deſinat ergo *Bell:* pactis iſtis taciti & implicitis, hoc eſt fraudibus & fallacijs, & impoſturis Lectores ſuos in fraudem illicere: expreſſis, apertis & manifeſtis agat tabellis, vt virum Catholicum decet. Si huiuſmodi pactis apertis & expreſſis cauſam ſuam agat, nunquam poteſtatem hanc heterogeneam ſpirituali-temporalem, vel ex Scripturis, vel ex antiquâ traditione ſiue ſenſu Eccleſiaſtico probabit. Poteſtas Pontificis poteſtas eſt ſervi, non Magiſtri, non Domini, certis legibus & limitibus concluſa; in his legibus, niſi poteſtatem hanc Regum deponendorum deſcriptam oſtenderit *Bellarminus* pacta ſua tacita & implicita, & non ſcripta taceat.

At pacta tacita non ſunt, ſed expreſſa & explicita; idq; ſic probat 9
Bellarminus.

Primò, *Non eſt idoneus Sacramento Baptiſmi, qui non eſt paratus Chriſto* „
ſervire, & propter Chriſtum amittere quicquid habet. Ait enim Dominus: „
Si quis venit ad me, & non odit Patrem & matrem, & vxorem, adhuc etiam „
& animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus. Luc. 14. v. 26. „

Quæſtio inſtituitur de poteſtate Pontificis temporali vel in temporalibus: Reſpondet *Bell:* de voluntate baptizati ſiue Chriſtiani. Acſi quis ſic argueret.

Ego paratus ſum propter Chriſtum amittere quicquid habeo: Ergo Pontifex poteſt à quolibet Chriſtiano auferre quicquid habet. Sic ſolent Doctores Cathedratici Romanenſes demonſtrare.

Non eſt dignus Chriſto qui non odit patrem & matrem & vxorem & animam propriam: Ergo Pontifex poteſt deponere Reges. Sic ſolent arguere qui quidlibet ex quolibet probant.

Quanquam enim paratus ſit quiſpiam, ſponte propter Chriſtum amittere quicquid habet, non ideo tamen licet Pontifici, vel alij cuiquam, præterquam legitimo Magiſtratui à Deo conſtituto, bona ſua eidem eripere. Omnes in Baptiſmo, & Reges, & Pontifices, & Laici, & Clerici mundo abrenunciant; neq; idcirco licitum eſt cuiquam bona huius mundi temporalia ab ijſdem auferre. Iniquo animo ferret Pontifex, ſi quis principatum ſuum vel bona temporalia ei eriperet, quia in Baptiſmo paratus fuit, & ſpoſpondit propter Chriſtum amittere.

Nolite diligere mundum, inquit Apoſtolus *Ioannes*, 1. *Ioan.* 2. 15. non dicit, *nolite habere mundum, ſed nolite diligere mundum: Ecce nos reliquimus omnia*: Inquit Apoſtolus *Petrus*, *Luc.* 18. 28. *non ſolum ſubſtantiam, ſed etiam concupiſcentiam, eamq; maximè; plus enim nocet mundi concupiſcentia quam ſubſtantia.* Amor ergo & deſiderium mundi interdicitur, non poſſeſſio mundi; qui non amat mundum, etſi non derelinquat Bernard.

mundum, Sacramento Baptiſmi indignus non eſt. Quod ſi pacta in Baptiſmo, de mundi abrenunciatione, poteſtatem deponendorum regum cuiquam conferunt, quidni omnium privatorum exhæredationem jmo & omnium Pontificum deponendorum poteſtatem itidem conferunt? eadem enim ſunt pacta regum & Pontificum & priuatorum & in eadem juſtitiæ lance, eundem operantur effectum: valent ad depoſitionem Regum, quidni ad Pontificum depoſitionem valeant?

Quare verò vrget *Bell*: verba illa *Chriſti*: *Qui venit ad me & non odit patrem & matrem & vxorem, adhuc autem & animam, non eſt me dignus*: bene enim novit hoc à Chriſto, non abſolute, & ſimpliciter dici, acſi licitum eſſet Chriſtiano, odio habere patrem, aut matrem, aut vxorem, aut animam: nemo enim odit carnem ſuam, etſi carnis miſeriam multi odio proſequantur. Senſus enim horum verborum hic eſt: *Qui non odit*, id eſt, qui plus amat patrem, aut matrem, aut vxorem, aut animam ſuam quam Chriſtum, non eſt Chriſto dignus. Deus enim nos, & plus amat, & prius; & nos Deum & prius ante omnia, non poſt omnia, & pluſquam noſmet redamare debemus Deum, ex toto i. plus quam te, plus quam tuos, plus quam tua diliges: Proximum ſicut teipſum, Deum verò ſupra teipſum diliges. Quorſum hunc locum de odio parentum elegit *Bellarminus*? An hoc agit, vt ſubditi odio habeant parentes i. Reges, præ amore *Chriſti*: cum propter *Chriſtum*, & in *Chriſto* diligendi ſint omnes, maximè verò Reges, qui non ſolum imagines, ſed etiam in temporalibus vicarij, & Proreges Dei ſunt? Sed miſſa iſta faciamus, conſecutionem videamus.

Odio habendi ſunt patres, & matres, & vxores, anima etiam noſtra, præ amore *Chriſti*. *Perge per calcatum Patrem, matris vbera, vxoris lachrymas contemne, ſolum hoc pietatis genus eſt, in hac re impium, & crudelem eſſe.* Ergò poteſt Pontifex Reges, huius pacti violatores, qui præ amore Regni terreni, Regnum Chriſti negligunt, aut deſerunt, deponere.

Reges tenentur, regna ſua terrena odio habere, præ amore Regni Cœleſtis: Ergo poteſt Pontifex Regnis priuare reges illos, qui amore regni terreni, regnum Chriſti contemnunt aut violant. Indignus proculdubio ſchola *Ariſtotelis* qui ſic arguit.

Secundò, *Eccleſia graviter erraret, ſi admitteret aliquem Regem, qui* „ *vellet impunè fovere quamlibet ſectam, vt defendere hæreticos, & evertere* „ *religionem.* „

Quid hoc eſt, Impunè. An impunè quoad Deum, ne a Deo puniretur omnino neq; in hac vita, neq; in futura. An impunè quoad cenſuras Eccleſiæ ſpirituales? An impunè quoad pœnas civiles & temporales

temporales per Ecclesiam vel populum infligendas? Si de primâ & secundâ impunitate loquatur *Bellarminus* non esset Rex ille admittendus in Ecclesiam, qui si fidem violaret, regionemq; evertere vellet, impunitatem paciscereturt, aut cum Deo, aut cum Ecclesiâ. Quod si Rex talis Deo Iudici æterno, & spiritualibus Ecclesiæ censuris se subijceret: an ideò ab Ecclesia admittendus non est, qui per censuras temporales, & civiles nec a Pontifice, nec a populo (qui ambo in temporalibus Rege inferiores sunt) velit puniri sed cum *Davide* diceret; *Tibi soli peccavi. Non peccavi Deo & Pontifici, non peccavi Deo & populo, sed tibi soli peccavi, &c. te solum Iudicem in temporalibus habeo, à quo solo temporaliter puniri possum.* Rex enim talis, Ecclesiæ se in omnibus submittit, in quibus Ecclesiæ subiectus est, volo excommunicari, excommunicatus deponi a Pontifice nolo, nolo a subditis fidelibus deseri; volo vt subditi mihi excommunicato in temporalibus subijciantur, volo vt subditi mei, qui in communione Ecclesiæ, & gratiæ, mecum communicare non debent, in communione Regni & naturæ, mecum communicent. Qui enim me in communionem gratiæ admittere potest excludere potest: qui me in communionem naturæ, & Regni terremi non introduxit, a communione naturæ & regni eijcere non potest, Rex ergo qui fidem Christi profitetur, & potestati Ecclesiæ se subijcit, etsi depositioni temporali Pontificis se non subijciat, idoneus est qui in Ecclesiam recipiatur, qui omnem potestatem Ecclesiæ debitam agnoscit, solam indebitam negat: authoritatem legitimam Ecclesiæ prædicat, vsurpationem nonnullorum ambitiosissimorum Pontificum abhorret: Imò verò magis idoneus Baptismo, aut Regno, talis Rex, qui indebitam Pontifici, & Ecclesiæ, aut populo potestatem negat, quam adulator quisquam, qui indebitam Pontifici & Ecclesiæ, aut populo potestatem attribuit.

Comparatio verò *Bellarmini*, de eo qui proditorem civitatis se futurum pollicetur, ad institutum non facit: non enim de vna civitate, sed de duobus, civitate terrena & cœlesti disputamus: nec valet consequentia: non est idoneus civis civitatis cœlestis, qui fidem Christi se violaturum profitetur: ergo idoneus non est civis civitatis terrenæ. Quod si demus talem Regem, qui fidem violare impunè velit non esse idoneum, qui aut ad Regnum aut ad Baptismum admittatur, quod tamen non concedimus, vt supra explicatum est: at postquam Rex constitutus est, nemo potest eum temporaliter judicare, nisi Deus solus, quem solum in temporalibus judicem habet.

Illud verò absurdissimum est, quod Deum confert *Bell.* Regi in regione longinqua manenti, a quo statim Rex infidelis vel hæreticus puniri non potest. Deus enim nec absens est in regione longinqua

nec

nec tardus in vindicta: Multos enim tyrannos, & hæreticos Reges, morte ſubitâ & violentâ Deus abſtulit: Reges verò illi, in quos vindictam exercuit Eccleſi, diu ſuperſtites fuerunt; vt oſtenderet Deus, parum ſibi placere eorum præſumptionem, qui vindictam è manibus Dei eripere auſi ſunt.

Licet verò ridiculum videatur *Bell:* ſi Rex dicat, paratus ſum vitam & Regnum pro Chriſto amittere, ſed nolo per ſententiam hominum privari, volo per Deum Iudicem meum privari, qui ſolus ſupra me in temporalibus Iudex, & vindex conſtitutus eſt, videat *ipſe* an non magis ridiculum ſit ſic arguere.

Rex paratus eſſe debet, pro Chriſto vitam & regnum ſponte amittere: Ergò poteſt Pontifex eundem Regem invitum, & reluctantem, Regno privare: Rex enim qui à ſolo Deo judicari vult, dat Deo quæ ſunt Dei: Pontifex qui *Cæſarem* deponere tentat, non dat *Cæſari* quæ ſunt *Cæſaris.*

Illud potius vere ridiculum eſt quod ſomniat *Albertus Pighius;* Eccl: Hierarch: l.5. c.7. *Reges ſcil. cum ad Eccleſiam veniunt, ſe & ſceptra ſua ſubmittere, atq; adeo tradere Chriſti Eccleſiæ, atq; ab eâ veluti accepta recognoſcere.* In quibus cum nonnihil exceſsiſſe confitetur Molina. *Tom.1. de juſtit. & jure tract.2. Diſput.29. Concluſ.1.*

Quod verò addit *Bell:* Eccleſiam valdè imprudentem eſſe, ſi talem Regem in gremium ſuum admitteret, politicum ſe oſtendit, potius quam Theologum: Acſi Eccleſia politeiâ humanâ, non divina & cœleſti, dirigenda eſſet; acſi plus ſaperet curia Romana, quam cœleſtis: Curia enim cœleſtis talia pacta, tales compromiſsiones non requirit.

CAP. XXV.

Refellitur 5. ratio: Non eſt pars officij paſtoralis deponere Reges; depoſitio temporalis, non eſt cenſura paſtoris ſpiritualis.

1 *Quando data poteſtas paſtoralis, ſiue paſcendi & quibus.* 2. *Paſtor abigit lupos, ſed armis ſpiritualibus non temporalibus & coactivis, vti patres, de Bernardo.* 3. *Ratio Bell: in ipſum retorquetur, ſi poteſt deponere Reges, poteſt priuatos exhæredare.* 4. *Si non habet poteſtatem temporalem, non poteſt in temporalibus deponere.* 5. *Petrus non habuit hanc poteſtatem ſpiritualem in temporalibus:*

temporalibus: necessaria est, ergo data; Imo vero data est, ergo necessaria est. 6. De comparatione spiritus & carnis.

SEquitur quinta & vltima ratio, ex cura & officio pastorali deducta in hunc modum, *Cum Petro dictum est*, Ioan. 21. *pasce oues meas, data est illi facultas omnis, quæ pastori necessaria est ad gregem tuendum.* 1.

Sed Pastori necessaria est potestas triplex 1. circa lupos, vt eos arceat omni ratione qua poterit. 2. circa arietes, vt si quãdo cornibus ladant gregem possit eos recludere. 3. circa oues reliquas, vt singulis tribuat conuenientia pabula. Ergo hanc potestatem triplicem habet summus Pontifex.

Antequam ad solutionem, vel potius retorsionẽ huius argumenti descendamus, operæ pretium erit investigare, quo sensu verum sit quod dicit *Bell.* Data est illi, *Petro* scilicet, facultas omnis: sed non in his verbis *Pasce oues meas* data est facultas aliqua noua, sed potius facultatis siue potestatis datæ executio iniungitur: nec datur facultas aut potestas, sed prius data præsumitur. Apostoli enim prius ordinati erant pastores siue Sacerdotes, & Episcopi consecrati, aut in cœna, aut statim post resurrectionem, *Ioan. 20, cum insufflauit in eos, & dixit, Accipite spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata, &c.* Aut (quod verisimilius est) antequam in Apostolorũ chorũ admissi sũt. Neque enim credibile est Apostolos sine ordinatione, sine ordinibus, officia & munia propria ordinatorum & Sacerdotũ, qualia sũt prædicatio verbi, & administratio Sacramẽti Baptismi, dum merè Laici erant, peregisse; neq; Christum authorem vnitatis & ordinis, non confusionis, in prima ordinis & disciplinæ Christianæ institutione permisisse, vt Apostoli sine ordinibus, ea quæ sunt ordinis pertractarent, ne posteri eorum exemplo seipsos ordinarent, & sine omni ordine, officia Pastorum invaderent; sicut proximo seculo fecit *Nouatianus, Episcopus ex se*; & sicut hodie faciunt multi, qui vocationem extraordinariã in Ecclesiam, quę sicut castrorum acies ordinata est, introducunt. In ordinatione vero Episcoporum, siue Pastorum, datur omnis facultas siuẽ potestas quę ante hæc verba *Christi* pasce oues peracta erat: nulla ergo noua potestas in his verbis *Pasce oues meas, Petro*, & reliquis Pastoribus collata est, quam in ordinatione non acceperant. *Cypr. L. 1 Ep. 6.*

Nec in his verbis, *Pasce oues meas*, datur quicquam *Petro* peculiare aut proprium, quod reliquis Apostolis non datur. Data est illi facultas omnis; sed non illi soli, sed illi, personam totius Ecclesiæ, aut illi personam totius Collegij repræsentanti, data est omnis facultas. *Eiusdem sunt meriti omnes eiusdemque Sacerdotij, pari consortio præditi & honoris & potestatis. Id quod est Papa in Ecclesia vniuersa, est quilibet Episcopus in particulari.* *Bell. de Pont. l. 3. c. 30.*

At-

Act.20.28. *Attendite vobis & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus Sanctus, Episcopos siue Pastores regere, siue pascere Ecclesiam Dei.* Act.20. *officiũ hoc* (inquit *Bell.*) *non est Cancellarij sed Rectoris & præpositi*: Et eadē vox hoc loco & *Ioan.*21. habetur. Et eadem vox à Christo, & apostolis prolata, eandem habet significationem; *Pasce oues meas; pascite Ecclesiam, vniversum gregem qui in vobis est: pasce oues omnes: pascite omnes oues vobis commissas*: Loci siue districti, siue diœceseos amplitudo, non dat ampliorem potestatem, sed eandem potestatem in diœcesi maiori exercendam.

Potestas in *Vrbe* & in *Orbe* eadem esset potestas, etsi latius regnet Rex orbis, quam vrbis. Si ergo eadem potestas *Petro*, Pastori vniuersi gregis, & *Iacobo* Pastori gregis Hierosolymitani concessa sit, omnis facultas quæ concessa est *Petro*, etiam *Iacobo* & Pastori cuiq; hoc est Episcopo, in diœcesi sua concessa est. Locus ergo iste potestatem depositionis Regum non cõfert *Petro* eiusque successoribus, aut eandem reliquis Apostolis, eorũq; successoribus Episcopis confert. *Omnis enim facultas Pastori necessaria vnicuique Pastori & Episcopo concessa est.*

Pascite qui in vobis est, gregem Domini: Sic Princeps Apostolorum in Epistola Canonica, 1.*Pet.*5.2. ad omnes Presbyteros, ipse Presbyter. Episcopi illi Pastores erant, & Pastoribus data est omnis facultas necessaria. Nihil ergo proprium, vel peculiare datum est *Petro* soli, quod nulli alij Apostolo & Episcopo datum est. Consulat Lector Cap.3. vbi plura de hoc loco diximus. Illud certum & exploratum est apud omnes antiquos, *Petrum* in hac missione Dominica, personam totius Ecclesiæ, & Collegij repræsentasse: Quicquid *Petro*, hoc Ecclesiæ & Collegio collatum est, & reliquis commune est. *Pasce oues meas: quas oues & quem gregem, non solum tunc Beatus suscepit* Petrus, *sed & nobiscum eas suscipit; & cum illo eas nos suscepimus omnes.* Sic *Ambrosius, de dignitate Sacerdot.c.*2. Commentum vero *Bellarminianum* est, à pluribus explosum, quod *Christus* solum *Petrum*, *Petrus* vero reliquos Apostolos ordinauit: & directe pugnat cum textu, vbi expresse habetur quod *Christus* omnes vocauit & duodecim Apostolos selegit: non selegit *Petrum*, vt *Petrus* reliquos seligeret, sed duodecim elegit, quos vocauit Apostolos. Quic; elegit, idem misit. missi à *Christo*, à *Christo* ergo ordinati: nec missi antequam ordinati; nec vocati Apostoli antequam Sacerdotes, & Episcopi: Sic enim per saltum ordinarentur, & omnem perverteret ordinem author ordinis, & ordinationis institutor: nec noua potestate in missione, sed vsu siue executione potestatis instructi *Pasce oues*: cum Episcopus consecratus es, potestatem accepisti; cum emissus es, ad pascendum, data est facultas vtendi potestate data ad lucrum Domini. Quod si eadem potestas data sit omnibus Episcopis in consecratione sua; si eadem sit materia eademq; forma consecrationis Episcopi Romani, aliorumque Episcoporum: si amplitudo

distri-

districti siue diœcesecos pleniorum non conferat potestatem; eadem facultas proculdubio, quæ *Petro* omnibus Apostolis data est; eadē quæ successoribus *Petri*, successoribus etiam aliorum Apostolorum. Aut ergò *Petrus* eiusq; successores potestatem Regum deponendorum non acceperunt; aut alij omnes Episcopi, in suis diœcesib⁹ siuè particularib⁹ Ecclesijs, eandē potestatē deponendorū Regū acceperunt, quā *Petri* successor in vniversa vēdicat Ecclesiā. Vnde sic retorquetur hęc ratio.

Potestas deponendorū Regū necessaria est ad lupos abigendos & arietes recludēdos: Vnicuiq; Pastori siuè Episcopo data est omnis facultas quoad Ius divinū, ad lupos abigēdos, arietes recludendos, & oves pascendas necessaria. Alias Pastor sine potestate necessaria instituitur. *ergò.*

Vnicuiq; Pastori i. vnicuiq; Episcopo, data est potestas deponendorū Regum. Si hæc ratio *Bell:* non placeat, nec placebit sua.

Cyprianus qui *Petro* eiusq; sedi duo illa loca, *quicquid ligaueris, &c. pasce oves*, applicat, super quem vnum ædificat Ecclesiam *Christus*, & oves pascendas mandat; statim addit, *lib. De vnitate Ecclesiæ, Et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam, parem potestatem tribuat, & dicat; sicut misit me Pater, & ego mitto vos: accipite Spiritum Sanctum: si cui remiseritis peccata remittuntur illi, si cui tenueritis retinebuntur; tamen vt vnitatē manifestaret, vnā Cathedram constituit, & vnitatis eiusdem originem ab vno incipientem, sua authoritate disposuit. Hoc erant vtiq; & cæteri Apostoli quod fuit &* Petrus *pari consortitio præditi & honoris & potestatis: sed exordiū ab vnitate proficiscitur, & primatus* Petro *datur, vt Christi Ecclesia & vna cathedra monstretur; & pastores sunt omnes & grex vnus ostenditur qui ab Apostolis omnib⁹ vnanimi cōsensu pascatur, vt Ecclesia Christi vna mōstretur.* Ecce primatus datur soli *Petro*, paritas potestatis in omnibus Apostolis.

Mirum vero est quod Antiqui Patres alijq; plurimi qui de officio hoc pastorali plurima scripserunt, spirituali-temporalem hanc potestatem Regum deponendorum, aut ex ignoratione non agnoverunt, aut ex timore vel adulatione tacuerunt; aut (quod in tantis Patrib⁹ luminibusq; Ecclesiæ, qui libentius vitam quā veritatem deseruissent penè blasphemum est) in articulo fidei per æquivocationem dissimularunt. De hoc argumento scripserunt ex professo multi, cæteri alij: *Chrysostomus* sex libros de sacerdotio siue officio sacerdotali scripsit: *Cyprianus* de vnitate Ecclesię siue simplicitate prælatorum librum edidit; & in Epistolis multa de dignitate sacerdotali dixit. *Ambrosius* de dignitate Sacerdotali librū edidit: Apologeticus fugæ a *Gregorio Nazianzeno* de hāc materiā scribitur. Liber *Gregorij Magni* de cura pastorali insignis est. Scripsit de hoc argumento *Bernardus* libros quinq; de consideratione ad *Eugenium*. Extat tractatus *Petri Blesensis* de hac materiā, qui inscribitur, Canon Episcopalis, siue de institutione Episcopi. Mitto alios plurimos. Ex his omnibus, vno *Bernardo* excepto, nihil adducit *Bellarminus*, quo argumentum hoc suum stabiliat; addo etiam, nihil adducere

potuit tantum enim abſunt ab hac poteſtate, ſiue coactione civili & temporali, vt ſolis armis ſpiritualibus, gladio ſcil: verbi & cenſuris Eccleſiaſticis contenti, munus paſtorale obeundum ſentiant.

2 Paſtor ſpiritualis officium habet ſpirituale, arma habet ſpiritualia, non carnalia, cenſuras habet ſpirituales, lupos abigere poteſt ab ovili Chriſti, arietes cornupetas recludere vel includere poteſt: aperire poteſt Eccleſiã, & regnum cœlorum, & eadem clavis, quæ aperire poteſt, poteſt etiam claudere; poteſtas quæ ligare poteſt, poteſt & ſolvere, paſtor qui paſcua divina, panem cœleſtem miniſtrat eadem paſcua, eundem panem auferre poteſt. Hæc ſi non ſuccedant, *Sola relinquuntur preces & lacryme*; ad has recurrendũ, *Talia ſunt munimenta ſacerdotum, aliter nec debent nec poſſunt reſiſtere*, Sic *Ambroſius, l. 5. Epiſt. Orat. in Auxentium. Non dominamur fidei veſtræ, ſed adiutores ſumus gaudij veſtri: hoc autem cum in alijs, tum maxime inter Chriſtianos, non licet aliqua violenter peccata corrigere. Nam qui foris ſunt Iudices quoſq; cum ſubdiderint legibus, oſtendunt in ijs plurimam poteſtatem, & invitos eos à priorũ morum pravitate compeſcunt. In Eccleſiâ verò non coactum ſed acquieſcentem oportet ad meliora converti, quia nec nobis à legib⁹ data eſt talis poteſtas, vt authoritate ſententiæ cohibeamus homines à delictis, nec ſi data eſſet haberemus, vbi exerceremus huiuſmodi potentiam, cum Deus noſter non neceſſitate ſubmotos à peccato, ſed propriâ ſeſe ſponte abſtinentes ſit remuneraturus*: Sic *Chryſoſtomus, De ſacerdotio l. 2. c. 3.* qui hanc poteſtatem coactivam apertè Sacerdotibus negat.

Quid *Gregorius Nazianzenus*, qui toties circa Imperium animæ in carnem Sacerdotum in populum vrgetur? *Quod autem* (inquit *In Apologet. Fuga*) *à libera voluntate proficiſcitur, equiſſimũ ſimul & certiſſimũ eſſe ſolet, vtpote benevolentiæ vinculis aſtrictum atq; conſervatum: ac proindè vel maxime lex noſtra, & Legiſlator ſanxit, vt grex non coactè, ſed ſponte ac libenti animo paſcendus ſuſcipiatur.* Et tamen ſi huius Sacerdotij ſublimitatem ſpectes, *Gregorio ars artium eſt & ſcientia ſcientiarum hominem regere.* Qui etiam plenius hanc poteſtatem temporalem negat. *Quos* (inquit *Orat. in Iulianum*) *à Magiſtratibus dignitatibuſq; ſubmovimus, aliſq; honoribus; in quos plebem furentem concitavimus.* Sanctus *Baſilius In verba Moſcot: Attende tibijpſi:* Sacerdotes Dei *venatores, viatores, architectos, ædificatores, agricolas, Paſtores, athletas, milites* appellat: His omnibus dicitur: *Attende tibijpſi Paſtor* (inquit) *attende ne ea te, quæ officij tui paſtoralis prætereant*: hęc autem quæ ſunt? *Errantem à viâ veritatis converte, contritum ligâ, ægrotum ſanâ.* Quid hæc ad Regum depoſitionem?

Sequitur *Gregorius Magnus*, Paſtor magnus, paſtor paſtorum: ſub cuius nomine confictum S. *Medardi* privilegium toties à *Bell:* inculcatur. Quid ille? An Pontifex, Pontificiæ huic poteſtati ſucceſſorum ſuorum favet? Non placet illi violenta curatio, *In paſtorali p. 3. admon. 14. Quos enim cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus levia blandimenta compeſcunt; durus adamas inciſionẽ ferri minime recipit, ſed leni-*

leui hircorum ſanguine molleſcit: egros quos fortis pigmentorum potio curare non valuit, plerumq; ad ſalutem priſtinam tepens aqua revocavit: & nonnulla vulnera, quæ curari inciſione nequeunt, fomentis olei ſanantur. De ſubditis verò ſic admonet p.3. *admon.5. Admonendi ſunt ſubditi, ne præpoſitorum ſuorum vitam temere iudicent, ſiquid eos fortè agere reprehenſibiliter vident, ne unde mala rectè redarguant, inde per elationis impulſum in profundiora mergantur: admonendi ſunt, ne cum culpas præpoſitorum conſiderant, contrà eos audaciores fiant, ſed ſic, ſi qua valde ſunt prava apud ſemetipſos deplorent, vt tamen divino timore conſtricti ferre ſub iÿs iugum reverentiæ non recuſent.* Ne verò hoc nihil ad Reges deponendos ſpectare reponat quiſquam, exemplo *Saulis* à Deo reiecti, a *Samuele* declarati hoc ipſum illuſtrat. *Quod melius oſtendimus, ſi* Dauid *factum ad medium deducamus*: Saui *quippè perſecutor, cum ad purgandum ventrem, ſpeluncam fuiſſet ingreſſus, illic cum viris ſuis* Dauid *inerat, qui tam longo tempore perſecutionis eius mala toleravit: cumq; enim viri ſui ad feriendum* Saul *accenderent, fregit eos reſponſionibus, quia manum mittere in Chriſtum Domini non deberet. Qui tamen occulte ſurrexit, & oram chlamydis eius abſcidit. Quid enim per* Saul, *niſi mali rectores? quid per* Dauid, *niſi boni ſubditi deſignantur? Sed igitur ventrem purgare eſt pravos præpoſitos, conceptam in corde malitiam oſq; ad opera miſeri odoris oſtendere, & cogitata apud ſe noxia, factis exterioribus exequendo monſtrare: Quem tamen* Dauid *ferire metuit, quia pias ſubditorum mentes, ab omni ſe parte obtrectationis abſtinentes, præpoſitorum viam nullo linguæ gladio* (an ergo gladio ferreo?) *percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt: Qui etſi quando pro infirmitate ſe abſtinere vix poſſunt, vt extrema quædam, atq; exteriora Præpoſitorum mala, ſed tamen humiliter loquantur, quaſi oram chlamydis ſilenter incidant, quia videlicet dum prælati dignitati, ſaltem innoxiè & latenter derogant, quaſi Reges ſuperpoſiti veſtem ſecant, ſed tamen ad ſemetipſos redeunt, ſeq; vehementiſſime, vel de tenuiſſimâ verbi laceratione reprehendunt: Unde bene & illic ſcriptum: poſt hæc* Dauid *percuſſit cor ſuũ, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis* Saul: *facta quippe Præpoſitorũ oris gladio ferienda non ſunt, etiã cum reprehendenda iudicantur. Si quando verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, neceſſe eſt, vt per afflictionẽ pœnitentiæ cor prematur; quatenus ad ſeipſum redeat, & cũ præpoſitæ poteſtati deliquerit, eius contra ſe iudicẽ, a quo ſibi prælata eſt perhorreſcat. Nam cũ in Præpoſitis delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit obviamus, vnde* Moſes *quoquè, cum contra ſe, &* Aaron, *conqueri populum cognoviſſet, ait, Nos enim quid ſumus? Nec contra nos eſt murmur veſtrum, ſed contra Dominũ.* Hæc *Gregorius Magnus*, qui pro fulminibus, excõmunicationib⁹, Anathematis, depoſitionibus, admonitiones ſcribit, tanquam curæ paſtorali accommodatiores. An ſimilis eſt *Gregorius* hic verus curam paſtoralem deſcribens, *Gregorio* ficto fulminanti, excõmunicanti, anathematizanti, deponenti? vbi vero magis decuit hanc poteſtatem Regum deſcribere, quam in de cura paſtorali tractatu, in quo paſtorem bonum

Pastor summus, vt vobis placet, graphicè depinxit, & instruit. Nõ licet subditis maledicere Regibus & deponere licet? In *Bernardo* nihil reperire potuit *Bell:* quod ad suum propositum inverteret, præter illa verba: *l. 4 c. 3. Gladius materialis ad nutum Sacerdotis, & jussum Imperatoris, militis manu exercendus est.* Innuit Sacerdos, non tantum Pontifex, cum mãdata Dei prædicat, cum consulit, cum ostendit, nunc deberi gladium materialem exerceri, sed ad jussum Imperatoris, per manum militum: non sine iussu Imperatoris, non contra iussum Imperatoris, dicit *Bernardus:* multo minus contra Imperatorẽ ipsum, cui a Deo ipso cõmissus est, extorquendus aut exercendus est. Omisit vero verba præcedentia in eodem capite: *Draconet*, inquit, *& scorpiones me mones pascere, non oves; propterea, inquã, magis aggredere eos, sed verbo non ferro;* gladius verbi, non ferri pastori competit. Neq; attendit sequentia. *Nunc autem accipe illum, qui tibi ad feriendum creditus est, & vulnera ad salutem efficit.* Non sic vulnerant, qui deponunt reges. Potestas Apostolica ad ædificationẽ datur, non ad ruinam; ad salutem, non ad eradicationem. *Insta*, inquit *Bern:* *Importunè, opportunè; si corde sint indomito, at non indomibili: Si durâ fronte sint, durato & tu è contra tuam: nihil tam durum, quod durieri non cedit. Dominus ad Prophetam* Ezech. 3. *dedi frontem tuam duriorem frontibus eorum: vnum est quod te absoluit; si egisti cum populo illo, vt possit dicere populus meus, quid tibi debeo facere & non feci? Si sic feciſti, nec profeciſti, est demum quod facias & quod dicas: Exi de Hur Chaldæorũ & dicito, quia oportet me, & alijs ciuitatib⁹ Evangelizare: puto quod nec pœnitebit Exulij, Orbe pro Vrbe cõmutato.* Omnia facit quæ facere debuit: & tamen *verbo aggreditur non ferro.* i spirituali gladio, non materiali, non depositione, non exhæredatione: Exhæredatio enim privati idem est quod in Rege depositio: Depositio ergo temporalis ad Pontificis officium pastorale non spectat. *In criminib⁹* enim, *non in possessionibus* potestas Pontificis est: *propter hæc* (scil: crimina) *non propter illas* (possessiones scil:) *accepit claves Regni cœlorum* (nõ terræ) *prævaricatores vtiq; excluſurus* (è Regnò cœlorum) *non possessores.* (è regnis terræ, *l. 1 c. 6.*) Mitto alia plurima. Extant apud *Ber:* in insigni illâ cõmentatione in Cãtica, sermones varij in hæc verba: *Capite nobis vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas* Ser. 16. *Vulpes pessimæ, occultus detractor, nec minus nequã adulator blandus: vulpeculæ sunt tentationes; vulpecula est intentio de faciendi aut decendi: vulpecula est hæreticus occultus, nec non & manifestus. Non dicit, exterminare, non abigite, non occidite: Solum hoc malignitatis genus id proprium habet, vt agnitũ iã minime noceat, ita vt agnosci sit illi expugnari. Quis enim nisi demẽs cõpertâ decipulâ, sciens & prudens pedẽ mittit in illud? capi igitur, hoc est in medium dede & prode, hoc sufficit quippe quib⁹ apparere, ferire est. Hæretici capiantur potius quam effugentur; capiantur, non armis sed argumentis, refellantur errores eorũ, qui ipsi verò, si fieri possit, reconcilientur Catholicæ, revocentur ad veram fidem. Capite nobis i. convince vt cõvertas; si convertere non potes, at de vita, vtpote omnino subversum. Ex hoc*

culpa

enim melius effugatur, aut etiam religatur, quum sinitur vineas demoliri.

Capite vulpeculam: dicite & suggerite qualiter fraus deprehendatur, hoc est enim cepisse vulpeculam; quia plus nocet falsus Catholicus, quam si verus appareret hæreticus. Non sufficit hæreticos esse, nisi & sint hypocritæ. In eodem Sermone, nonnullos describit hæreticos, qui *nuptias, baptismum parvulorum, purgatorium ignem, & orationes pro defunctis negabant*: horum aliqui à plebe capti, & in medium producti, examinati judicio aquæ, impietatem suam libere & confessi & professi: *Ita irruent in eos populus novos hæreticæ suæ ipsorum perfidiæ martyres dedit. Approbamus zelum*, inquit *Bern. sed factum non suademus, quia fides suadenda est, non imponenda.* Hoc autẽ per pastores spirituales, quod enim ad Magistratus civiles attinet, subiungit. *Quanquã melius proculdio gladubio coercerentur, illius videlicet, qui non sine causa gladium portat; cum in suum errorem multos mittere permittantur.* Ad gladium ergo temporalem spectat coactio, ad gladium spiritualem suasio. In his sermonibus nihil habet *Bernardus*, quod potestatem hanc deponendorum Regum Pontifici tribuat: hic verò & in libris de Consideratione, qui curam pastoralem ex professo tractant, potestas ista describenda erat.

Petrus Blesensis in Canone Episcopali ad Episcopum *Wigornienſem* hęc habet. *Scias te assumpsisse pastoris officium, non Baronis: Dicit Christus; Ego sum Pastor bonus: Tu vero constitutus es ab eo pastor aut villicus: villicatio tibi commissa est, opus est sarculo vt Agricolæ, baculo vt Pastori, Sarculo, vt tanquam Prophetæ filius, evellas, & destruas, ædifices, & plantes: Baculo vtere, lupos ab ovili coercendo, oves debiles sustentando, erigendo lapsus, erroneas reducendo.* Ecce, dictũ *Ieremiæ Episcopo Wigornienſi* accõmodat *Petrus Blesensis*, nec tamen, credo, quisquam affirmabit Episcopo *Wigornienſi* datam est potestatem Regum deponendorum. Et infra, *In ædificandis palatijs, molendinis & furnis, in augendis reditibus tota Pontificum solicitudo ferveſcit: Numquid vox salvatoris est ad principem Apostolorum & præsulũ: Si diligis me, excole terras, ædifica domos altas. Legimus eum dixisse ad* Petrũ: *Si amas me, pasce oves meas. Hæres es, & Vicarius* Petri, *pasce oues meas Evangelizando, fac opus Evangelistæ, & pastoris: non erubescas Evangelium si erubescendum non credis pastorale officium.* Et infra. *Animabus prælatus es, non corporibus: nihil prælato commune est cum Pilato.* Et Pilatus habuit potestatem coactivam externam. Qualis vero sit gladius Episcopalis dicit in sequentibus. *Exurge igitur, homo Dei, ex adverso, ascende ad opus solicitudinis te accingens: succurre plagis Ecclesiæ: Vende cum Apostolis tunicam, vt emas gladium, ignitum eloquium & spiritum vehementem, arma potentia Deo ad convincendam omnem inobedientiam, ad captivandum omnem intellectum in obsequium Christi. Vas electionis es vt portes nomen Domini coram gentibus & Regibus; evaginato lingua gladio executionem Episcopalis justitiæ, &c.* Et infra. *Si longa est manus Regis at longior esse debet manus Episcopi.* Ecce qualem gladium habebant

paſtores & Epiſcopi tempore *Petri Bleſenſis*: quem quidem contra reges evaginare non reformidabant; eloquium ſcil: ignitum, & ſpiritum vehementem: evaginabant iſti gladium linguæ: poſtquam Pontifices gladium *Pilati* evaginare cœperunt, gladius ſpiritualis contemptu habitus eſt; Eccleſia vero decrevit, quia viribus humanis non diuinis ſtare voluit. Mitto alia plurima ex his & alijs authoribus graviſſimis in hunc ſenſum dicta; Quis autem ferat hominem novum, poſt mille ſexcentos annos, præteri, mò contra omnes antiquos, qui ex profeſſo curã hanc paſtoralẽ deſcripſerunt, inter cætera paſtoralis officij munia, novum hoc regum deponendorum munus interſerentem? Annon hoc eſt omnes antiquos arguere aut ignorantiæ quod neſcierint, aut infidelitatis, quod articulum fidei ſummumq; Eccleſiæ columen & fundamentum tacuerint, aut hypocriſeos, quod in fide æquivocarint. *Concludo cũ Bernardo, De conſiderat l. 2. c. 6. Age ergò, puta tempus, putationis adeſſe, ſi tamen meditationis præiuit: Sicor noviſti, movenda iam lingua, movenda eſt & manus. Accingere gladio tuo. gladio ſpiritus, quod eſt verbum Dei* (an depoſitio Regum eſt verbum Dei?) *Glorifica manum & brachium dextrum in faciendo vindictã in nationibus, increpationes in populis: In aligando Reges eorũ in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: Si hæc facis, honorificas miniſterium tuum & miniſterium te. Non mediocris iſte Principatus, exturbare hoc* (ideſt verbo Dei) *malas beſtias à terminis tuis, quo greges tui ſecuri in paſcua educantur; domabis lupos, ſed ovibus non dominaberis, paſcendas vtiq; non premendas ſuſcepiſti.* Si gladio ſpiritus, verbo Dei ligantur Reges in compedibus, malę beſtię hoc gladio exturbantur, quid opus eſt Regum depoſitione? Imò quid opus erat falſario, qui textum *Bernardi* corrumperet? *Nec mediocris iſte principatus, exturbare hoc eſt malas beſtias.* (Hoc) in antiquâ lectione in ablativo, vt verbum ſit, inſtrumentũ huius extirpationis, mutavit in (hoc) nominativum & *Eſt*, deſuo tanquam mala beſtia addidit, vt verba *Ber*: eludere vti legitur in editione *Voſſij*: An. 1605. Coloniæ. Iam ad rationem *Bell*: deſcendamus: quã ſic retorquet *Barcl.*

3. *Chriſtus* commendans oves ſuas *Petro*, dedit omnem poteſtatem neceſſariam ad tuendum gregem.

Sed non dedit *Petro* poteſtatem temporalem. Ergo,

Poteſtas temporalis non eſt neceſſaria ad tuendum gregem, vel ſic,

Omnis poteſtas data Succeſſoribus *Petri*, data eſt *Petro* ipſi:

Poteſtas temporalis in Chriſtianos non eſt data *Petro* ipſi: ergo,

Poteſtas temporalis in Chriſtianos non eſt data ſucceſſoribus *Petri*.

„ Reſpondet *Bell.* 1. non dedit poteſtatem temporalẽ quæ in ſe propriè
„ & formaliter ſit temporalis; ſed dedit poteſtatem in ſe ſpiritualem, quę
„ extenditur ad temporalia; & dedit poteſtatẽ diſponendi de temporalib⁹
„ in ordine ad ſpiritualia, ad quæ referuntur & ſubordinantur tẽporalia.

Acſi diceret: dedit gladium ſpiritualem, quo amputaret caput corporis, ſiue corporeum gladius ſpiritualis eſt, ſed effectum operatur carnalem,

nalem: forte *Romæ* gladio spiritus amputantur capita hominum. Dedit excommunicationem spiritualem, quæ communionem naturalem tolleret. Medicina corporis non sanat spiritum siue animam, & medicina spiritus siue animæ corpus vulnerabit? Hoc mirandum; Noua procul dubio hæc est distinctio quam antiquitas non novit. *Arma nostra non sunt carnalia*, inquit Apostolus: arma nostra spiritualia sunt & carnalia, inquit *Bell.* Arma Apostolorum spiritualia erant, 2. *Cor.* 10. 7. & homines è regno cœlorum & communione gratiæ excludebant: arma *Romanensium* spiritualia sunt, & homines è Regno cœlorum & communione gratiæ, hoc parum est, è regnis terræ & cõmunione naturæ excludunt. *Corinthium* tradidit Satanæ Apostolus *Paulus*, 1. *Cor.* 5. & eundem excommunicavit: acies huius mucronis spiritualis incestuosum *Corinthiũ* a communione gratiæ tantum separavit, non a communione naturæ, è Regno cœlorum eiecit, non è regno terræ, bona eius temporalia non confiscavit, nec hæreditate privauit, sed tantum bona spiritualia abstulit: at sententia Pontificis, bona spiritualia & temporalia, regnum cœlorum & regnum terræ simul aufert. Fortè acutior est gladius Pontificis quam Apostoli: *Gladius Christi anceps, sermo vivus & efficax, penetrat ad divisionem animæ & spiritus, compagum & medullarũ, & cogitationes & intentiones cordis discernit: Heb.* 4. 12. Nihil hic de pœnâ aliquâ corporali & civili, sed de spirituali tantum: gladius vero Pontificis plus quam anceps, triceps forte vt cerberus, non solum animam & spiritum, & cogitationes cordis attingit, sed caput carneum amputat, non solum vitia & peccata, nec solum bona gratiæ & spiritus, sed etiam corporis & naturæ bona abscindit, quæ tamen non dedit: sicut enim homines sumus antequã Christiani sumus, sic & homines remanemus, postquã Christiani esse desinimus: etsi ergo per Ecclesiæ sententiam, ea quæ sunt Christianorum amitti possunt, at quæ sunt hominum, per sententiam Ecclesiæ non amittuntur. Mira vero est pontificiorum, præcipue vero *Bell:* oculatissimi, sed studijs partium addictissimi cæcitas. *Pontifex, inquit, habet potestatem spiritualem quæ ad temporalia extenditur & de temporalib⁹ in ordine ad spiritualia disponit*: hoc est deponit Reges: i. sententia pontificis tollit bona temporalia Regum, paucorum scil: Christianorum: vix enim decem sunt Reges, qui Christianam religionem profitentur; at bona temporalia privatorum Christianorum non tollit: Excommunicatio pontificia tollit Regibus communionem & gratiæ, & naturæ: privatis Christianis communionem gratiæ tollit, naturæ non tollit.

Ad has angustias reductus est *Bell:* vt necesse habeat dicere, aut posse pontificem per potestatem suam spiritualem tollere bona temporalia omnium privatorum Christianorum (quod nec ipse affirmare audet, nec vnquam tolerabit populus Christianus, quippe quod omni antiquitati & præsenti Ecclesiæ praxi repugnat, confiscantur enim hodie bona temporalia Christianorum privatorũ in causis Ecclesiasticis,

non per authoritatem Ecclesiæ, sed per gratiam & indulgentiam Regn & Imperij. per leges Imperiales & ciuiles, non per canones:) aut non posse Pontificem per potestatem suam spiritualem bona temporalia Regum Christianorum tollere: aut deniq; (quod argumentũ *Bell:* prorsus evertit) dicat necesse, datam potestatem spiritualem, quæ bona Regum temporalia tollat, privatorum verò non tollat: sicq; non datã esse omnem potestatem Pastori necessariam, Si enim pastori necessaria sit omnis potestas spiritualis, quæ se extendat ad temporalia, & de ijsdem disponat in ordine ad spiritualia, tum necessaria est hæc potestas quoad temporalia omnium ovium. Sed, non est necessaria potestas spiritualis di ponendi de temporalibus omnium ovium i. privatorum; nec data est nec vnquam in vsu fuit in Ecclesia, nec eam potestatẽ in bona temporalia privatorum vendicat Ecclesia Romana extra Patrimonium *Petri.* Ergo, Non est necessaria pastori potestas spiritualis disponendi de temporalibus. Præceptum enim generale est, *pasce oves, pasce agnos,* i. omnes, Reges & populos; & ex hoc textu, Pontifex Romanus, portione gregis non contentus, pastorem se totius orbis, & Regum, & privatorum; & ovium, & agnorum venditat. Aut igitur potestatem spiritualem accepit, quâ de bonis temporalibus omniũ ovium, & agnorum, & Regum & populorum disponeret, aut omnino nullarum.

Oculatissimus *Bell:* qui in hoc textu legit potestatem Pontificis in deponendis Regibus, cæcitate cæcior est, si simul non legat potestatem in exhæredandis privatis. Opus est hic gladio *Alexandri,* quinodũ hunc *Gordianum* expediat; vi enim, non ratione, facto, non iure dissoluitur.

Præterea excommunicatio vobis authoribus, priuat Regem communione naturæ, privatum vero Christianum communione naturæ siue Regni & Reipub: non privat. Eadem tamen est natura excommunicationis in se ergà omnes, expediat *Bell:* quomodo eadem censura, Regibus bona temporalia tollat, privatis non tollat, aut errorem suum de Regum depositione agnoscat. Cur enim hanc energeiam obtineat censura Pontificis siue Pastoris in Regem, quam in alium præterea neminem exercet: nobis, & omnibus, rationem non passionem sequentibus ducem, insolubile videtur:

4 „ 2 Respondet *Bell:* Syllogismus *Barclaij* petit principium & assumit
„ quod in quæstionem vocatur: non est data potestas temporalis *Petro:* hæc quæstio est: hæc est assumptio *Barclaij,* quam quia sic assumit, vt postea probet, idq; ex concessis *Bell:* non tam petit principium, quam partem suam confirmat: Non sicut *Bell:* qui rationes & responsiones suas magistraliter proponit, nec probat, in quibus plerumq; assumit quod in quæstione positum est, & fallaciter petit principium; vti superius in multis ostendimus.

Sed an hæc est petitio principij? An hæc est quæstio? An *Petro* data sit potestas temporalis? Si hæc sit quæstio, victum se fateatur necesse

est

est *Bell.* qui toto hoc opere hoc agit, vt distinguat potestatem mere temporalem à potestate spirituali, quæ se ad temporalia extendat, & de temporalibus in ordine ad spiritualia disponat, id est, reges deponat. Ita vt quæstio iam non sit, an *Petro* data sit potestas mere temporalis, quam *Petro* & Pontifici *Romano* concessam prorsus negat *Bell.* de iure divino: sed an *Petro* talis potestas spiritualis concessa sit quâ de temporalibus regum disponat: i. reges deponat in ordine ad spiritualia. Non ergo assumpsit quæstionem *Barc.* sed potius argumentum addidit, quo probaret, non dari talem potestatem *Petro*, quâ reges deponeret, quia potestates istæ distinctæ sunt, & distincta habent officia, actus distinctos: depositio spiritualis actus est potestatis spiritualis; depositio temporalis actus est potestatis temporalis: aut ergo non sunt distinctæ potestates, nec actus eorum distincti, aut potestas spiritualis non potest deponere temporaliter, sicut potestas temporalis non potest deponere spiritualiter; vt post dicemus.

Præterea *Bell.* in noua hac defensione, & novo statu quæstionis, omnes authores & testes suos, aut saltem plurimos, quin etiam & Pontifices ipsos deserit, plurimi enim potestatem hanc temporalem appellant. *Innocentius* dicit; *Temporalem iurisdictionem in aliis regionibus casualiter exercemus.* Mitto alios, quos consulat lector in locis ab ipso *Bell.* citatis: vnum addo ipsum *Bellarm. qui lib. 5. de Pontif. c. 6.* hunc præfigit titulum: *Papam habere summam temporalem potestatem indirectè.* Potestas ergo temporalis est etsi indirectè acquisita: Novæ istæ & subtiles distinctiones, de potestate merè & propriè temporali, & spirituali-temporali scholam Iesuiticam potius quam fidem Catholicam redolent; in qua simplicitas, non subtilitas dominatur.

cap. per Venerab. Qui filij sunt legitimi.

Quin etiam *Barcl.* cum in minore propositione assumit, potestatem temporalem *Petro* concessam non esse, non tantum de Theoricâ aliquâ potestate, siue Chymerâ, quę nunquam in actum reducenda esset, locutus est: eius verba perspicua sunt: *Nec vsquam accepimus aut Dominum Petrum, aut aliũ quemlibet Apostolorũ temporali Imperio functum esse, cuius imperio in Christianæ fidei desertores seu directè, seu indirectè* (ne quis in verbis vim faciat) *ciuilibus pœnis Magistratuũ more animaduerteret.* Acsi diceret; nec data est potestas temporalis *Petro* aut Apostolis, nec quisquã Apostolorum aut successorum suorum (per 700 annos, fatente etiam *Bell.*) hac potestate vsus est ne indirectè quidem. Quod si talis potestas *Petro* data fuisset, aut eandẽ exercuisset *Petrus* eiusq; successores, aut si forte propter scandalum, aut aliud incommodum ab vsu eiusdem potestatis abstinuissent, talem tamen potestatẽ sibi à Christo concreditam fuisse scriptis suis aut concionibus, aut saltem per traditionem aliquã docuissent. Silentiũ, & praxis Apostolorũ & Ecclesiæ per 700 annos, abunde probãt novã hanc vsurpatã esse potestatem, quam posteriores Pontifices, spiritu Monarchiæ temporalis potius quam Dei, acti, attentarunt.

His

His ſi addamus, quod *Thomas*, eiuſq; ſequaces, *Ioan. Dried.*, alijq; hanc poteſtatẽ iuri Eccleſiaſtico non diuino attribuũt, fortius erit argumentũ *Barc*: quia nondum Eccleſia hanc poteſtatem aut per ordinationem decreverat, aut per ſententiam exercuerat. Et proinde *Petrus* hanc poteſtatem temporalem nec directe nec indirecte habere, aut exercere, nec in ſucceſſores ſuos tranſmittere poterat. Firma eſt igitur ratio *Bar.* nec petit principium, ſed potius iugulum ipſius cauſæ: quam vt eludat *Bell.* ad eas redigitur anguſtias, vt lino-laneam & heterogeneã poteſtatem ſpirituali-temporalem excogitet, quæ in ſe ſpiritualis ſit, in operatione vero temporalis: vt, nouo & inaudito ſtratagemate, cenſurâ ſpirituali pœnam temporalem omnium maximam infligat.

Tertio reprehendit *Bell.* formam argumenti *Barclaiani*, à ſimili. *Si iſto modo diſputare liceret, poſſem ego ita ratiocinari.*

Chriſtus Petro eam ſolum poteſtatem dedit quæ neceſſaria eſt ad gregem tuendum & paſcendum.

Sed dedit poteſtatem ſpiritualem qua ad temporalia extenditur, vt ad ſpiritualia referuntur. Ergo.

Eiuſmodi poteſtas neceſſaria eſt ad gregem tuendum & paſcendum. Differt ratio iſta *Barcl.* à priori quam cõfutat *Bell* hoc modo: Prior ratio cõcludit poteſtatem hanc neceſſariam eſſe, & proinde datam: poſterior datam aſſumit, & proinde neceſſariam. Vtra verior ſit in diuinis, iudicet lector. *Dare debuit Deus, ergo dedit*: vel è conuerſo: *Dedit Deus, ergo dare debuit*; fecit ergo facere debuit. Poſterior proculdubio firmior, quia nihil dat aut facit Deus, niſi quod recte dare & facere debet: prior vero infirmior: facere vel dare debuit, ergo fecit vel dedit: quia Deus, qui in ſuperfluis abundat, in neceſſarijs non deeſt: neceſſarium eſt, ergo factum eſt; non eſt factum, ergo non eſt neceſſarium. *Quid* facere debui pro vineâ meâ quod non feci? Sic Deus: ibi arguit Deus à facto ad debitum.

Quod ſi hic reponeret Ieſuita aliquis: Debuiſti ô Deus bone, Reges Idololatras per ſententiam ſacerdotis, & rebellionem populi deponere, malas beſtias extirpare; indeq; cõcluderet, datam eſſe pontifici ſummo poteſtatem Regum deponendorum: næ, ille ſapientior Deo erit, qui Deo leges deſcribere, & officia & debita imponere auſit. Fallax ergo plerumq; eſt hæc ratiocinatio à debito ad datum ſiue factum, non quia Deus non facit, quod facere debet, ſed quia debitum hoc, non ex iuſtitiâ diuinâ, ſed ex ſapientiâ & politeiâ humanâ ponderatur; quæ plerumq; in ſtatera tabernaculi ſtultitia eſt coram Deo.

Verum, *Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum*: qui hanc ratiocinandi formam in *Barc.* hoc capite reprehendit, ipſe, *cap.* 17. ſic ratiocinatur: *Eccleſia Reſpub. eſt perfecta & ſibi ſufficiens ad finẽ ſuum conſequendum. Ergo debet habere omnẽ poteſtatem, ad finẽ ſuum conſequendũ neceſſariũ, ſed neceſſaria ad finem eſt poteſtas vtendi & diſponendi de rebus temporalibus;*

alioqui

alioqui poſſent mali Principes impune fouere hæreticos, & religionem euertere. Igitur & hanc poteſtatem habet. Aut hæc ratio peccat à debito ad datum ſiue factum, aut ratio *Barc.* valet, quæ multo fortior eſt, quia negatiuè concludit: non eſt data poteſtas ipſa, ergo nec neceſſaria eſt, nec dari debuit. Nam affirmatiua ſæpe fallit: neceſſaria eſt hæc poteſtas, ergo data eſt: quia neceſſitas hæc vera non eſt in natura rei, ſed imaginaria & ſuppoſititia, in conceptu humano. Quod ſi vera & naturalis eſſet neceſſitas, æqualiter valeret ratio & affirmatiuè & negatiuè. 6 *Lib. 5. de Pont. c. 6.*

Probatio huius aſſumptionis ex *Bell.* hæc eſt: *Poteſtas ſpiritualis ſpiritui, poteſtas temporalis carni ſimillima eſt: ſpiritus & caro in homine coniunguntur; in Angelis & brutis ſeparantur: poteſtas ſpiritualis & temporalis in Eccleſia iam coniunctæ ſunt: ſeparatæ erant tempore Apoſtolorum, quando nullus erat in Eccleſia Princeps Chriſtianus.* ” ” ” ”

Recte hæc colligit *Bell.* ſed ſubtiliter vim probationis *Barcl.* ſubticet, quæ in his verbis latet: Ita prorſus politica poteſtas habet ſuos Principes, leges, iudicia, addo ergo, quod negare non poteſt *Bell.* pœnas ſuas & communitatem ſuam: Similiter Eccleſia ſuos Epiſcopos, Caones, Iudicia: addo ego; pœnas ſuas communitatem ſuam, &c. Huius probationis hæc vis: ſi poteſtas politica habet principes ſuos, leges ſuas: iudicia ſua, pœnas ſuas, communitatem ſuam, poteſtas vero Eccleſiaſtica item Principes ſuos, leges ſuas, iudicia ſua, pœnas ſuas, communitatem ſuam: atq; hæc omnia impermixta, & ſeparata, & diſtincta ſunt, licet in eodem toto aggregato regnum & Eccleſia conueniant, neceſſario ſequitur, non poſſe Eccleſiam eadem pœna corrigere qua corrigit regnum; nec poſſe Epiſcopum privare communitate regni ſiue naturæ, ſicut rex non privat cõmunione gratiæ ſiue ſpiritus: non excommunicat rex à communione ſpirituali; non ergo excommunicat Epiſcopus à communione regni ſiue naturæ. Non eſt confuſio harum poteſtatum ſed ſeparatio: diſtincti ſunt vtriuſq; actus: depoſitio temporalis, & mors corporis, actus ſunt poteſtatis politicæ: depoſitio ſpiritualis, & mors animæ actus ſunt poteſtatis Eccleſiaſticę: aut ergo falſus eſt pontifex qui dixit dignitates iſtas diſtinctas eſſe, & diſtincta officia, diſtinctos actus habere: aut falſus eſt *Bell.* qui hanc ſeparationẽ agnoſcens, depoſitionẽ temporalẽ qui actus eſt poteſtatis temporalis, ad poteſtatem ſpiritualem ſpectare affirmet. Depoſitio enim temporalis, exhæredatio temporalis confiſcatio temporalis, actus ſunt poteſtatis temporalis: & actus poteſtatis temporalis ab actib⁹ poteſtatis ſpiritualis diſtincti ſunt, ad quam ſpectat depoſitio ſpiritualis, exhæredatio ſpiritualis, confiſcatio ſpiritualis, ſiue bonorum ſpiritualium. Non ergo conceſſum eſt poteſtati ſpirituali actus hos poteſtatis ſpiritualis, ſcil. depoſitionem, exhæredationem, confiſcationem temporalem exercere, nec falcem ſuam in meſſem alienam mittere. Confuſio enim hæc eſſet poteſtatum, non diſtinctio, non ſeparatio: Diſſimulauit iſta

Bell.

Bell. non ignoravit. Aliud vero est nescire, aliud & longe maius, nolle scire: noluit intelligere, quia non potuit bene respondere.

Præterea sic separatæ erant hæ potestates tempore Apostolorũ, vt tota politica potestas fuerit penes Imperatores Ethnicos, & Apostoli & Apostolorũ princeps quãvis Ecclesię caput, & Christi vicarius, de iure & de facto Principibus Ethnicis subijciebantur. Et inferior et subiectus in temporalibus, non potest superiorem suum temporalem destituere.

Quid hic reponit *Bell.*? Mirifice illi arridet similitudo illa, Sancti *Gregorij Nazianzeni*, de spiritu et carne: quam ad has potestates illustrandas *Hugo de sancto de Victore*, *Thomas*, *Alensis*, *Waldensis*, & alij adhibent. Esto vero; sit potestas spiritualis vt spiritus, temporalis vt caro: sit hæc similitudo aptissima: eam tamen claudicare in causa principali, in ipsa quæstione Depositionis sæpius docuimus. *Spiritus non potest deponere carnem. Ergo Pontifex non potest deponere Regem.* Quanquam & hæc similitudo nullatenus quadrat: spiritus informat animatq; carnem. Ecclesia non informat, nec animat Regnum: Rex anima est Regni, & Rempub. & informat, & animat: sicut Pontifex animare & informare Ecclesiam præ se fert: quod tamen non facit vicarius sed Dominus *Iesus Christus*, qui vita est & spiritus & anima animarum nostrarum. Lumen cœleste Reipub. tribuit Ecclesia, lumen naturale habet à se: quando ergo Ecclesia lumen cœleste tollit, tenebras inducit interiores, at tenebras exteriores non inducit, nec tollit lumen naturale, quia non tribuit.

Probationes vero *Barcl.* non hoc tantum probant, nullam Pontifici potestatem merè temporalem competere, sed id potius evincunt, potestates istas distinctas & separatas esse, etiã cũ in vno toto aggregato conueniunt, vt spiritualis potestas actum potestatis politicæ exercere non possit: Depositio exhæredatio & confiscatio temporalis actus sunt potestatis politicæ & proinde sine actuum confusione à potestate spirituali exerceri non possunt.

Aerem deinde verberat *Bell.* adversariũ sibi fingit eundemq; vellicat. Fingit enim *Barc.* ex defectu materiæ defectũ potestatis collegisse, cum nihil tale habeat *Barcl.* sed hoc potius agat, ut doceat talem potestatẽ nec *Petro* datam à *Christo* fuisse; neq; à *Petro* aut eius successorib⁹ per 700. annos vsurpatã: sic discrimen inter tempora Apostolorũ & nostra non sunt circa materiam subiectam siue vsum potestatis, sed circa potestatẽ ipsam: non enim deerat materia subiecta tempore *Christi* & *Apostolorũ*: non deerant *Christo* vires qui potuit legionib⁹ Angelorũ & Dæmonũ, mari & vẽtis, & omnib⁹ morbis mortiq; ipsi, omnib⁹ creaturis & hominib⁹ imperare, qui spiritu oris sui vno verbo, *Ego sum*, potuit milites fustib⁹ & gladijs armatos, ad terrã prosternere, potuit & *Pilatũ* & *Tiberiũ* deponere. Qui morbis & morti & dęmonib⁹ cũ imperio pręerat, qui *Ananiam* & *Sapphiram* morte mulctauit, potuit & *Neronẽ* de solio deturbare

turbare. *Et Infideles merito infidelitatis, merẽtur dominis privari, quod habẽ super fideles*, inquit *Thomas*: addit vero *Bellarm. Et ad sectam suam homines pertrahere conantur.* Non deerat materia subiecta: potestas enim ista non solum data est contra Reges Christianos, qui lupi facti gregẽ Domini inficiunt, sed etiã contra infideles reges, qui lupi quasi nati fideles persequuntur. Quin etiam, post *Constantinum* fuerunt multi Reges, & Imperatores Christiani, hæretici & persequutores: & *Iulianus* non tantum hæreticus, sed etiam Apostata, non ergo deerat materia subiecta, nec vsus potestatis, vel potius occasio vtendæ potestatis istius: si quidem talis potestas à *Christo* Ecclesiæ collata esset: sed defectus erat potestatis ipsius. Quem quidem defectum colligit *Bercl.* non ex defectu materiæ, nõ ex defectu vsus, sed ex doctrina & praxi Ecclesiæ. Ex Apostolis enim & Patribus, nemo talem potestatem, aut scripto docuit, aut per manus successoribus suis tradidit. Ex Pontificibus *Romanis* nemo ante *Gregorium* 2. hanc potestatem vel in parte vsurpauit, & male audiunt eo nomine *Itali*, qui defectionis ab Imperatore *Græcorum* à *Germano*, perstringuntur. Non ergo defecit materia subiecta, quia & persecutores maximi & hæretici infestissimi illa ætate Ecclesiam turbabant: sed deerat potestas ipsa, aut saltem deerant Pontifices potestati, qui viribus pollentes, talia hominum monstra pertulerunt; imò & eorum potestatem in ciuilibus prædicarunt.

Apud Baron. Annal. Tom. 9. ad annum 730. num. 6.

Quod autem noua hæc sit potestas, quam primitiua Ecclesia non nouerat, satis patet ex *Thomâ*: qui aperte dicit, *Ius diuinũ quod est ex gratiâ, non tollere ius humanũ quod est ex ratione naturali; potest tamẽ per sententiam vel ordinationẽ Ecclesiæ, auctoritatẽ Dei habentis, tale ius domini tolli.* In primitiva autem Ecclesia per 600. annos, nec tale extat ordinationis decretum, nec talis sententia executioni demandata est. Acquisiuit ergo hanc potestatem Ecclesia processu temporis ex Pontificum ambitione, quam ex institutione diuinâ non accepit. Non ergo est hæc potestas nisi de iure humano siue Ecclesiastico, non diuino: quam plurimi ex tertibus *Bellarminianis* in iure Canonico fundant, non in Euangelio.

Non igitur opus erat, quatuor illis similitudinibus, de potestate animæ in corpus, & de potestate Angeli in corpus assumptum, & animæ in membrum abscissum, & Apostolorum in Diaconos antequam Diaconi essent; quæ prolixe à *Bell.* frustra describuntur. Quid enim ad rem nostram facit, quod anima separata eandem potestatem, non nouam habet, quam habuit vnita cum corpore in hâc vita, & habitura est post resurrectionem in vitâ futurâ? Aut quod anima per membri abscissionem, potestatẽ nullam ex defectu membri amittat; aut quod Angelus nouam nullam potestatem acquirat, quando corpus nouum assumit. Nativa enim potestas & Angelorum & animarum semper eadem est, & potestas Apostolorum semper eadem.

Quæstio nostra non de potestate naturali instituitur (nemo enim n[illegible]

ra ſummus eſt Pontifex, ſicut Angelus, & anima natura eſt Angelus & anima) ſed de poteſtate acquiſita & collata, vel ex inſtitutione Chriſti, vel ex ordinatione Eccleſiæ: poteſtas à Chriſto inſtituta, tẽpore non creſcit: poteſtas iure Eccleſiaſtico acquiſita vt luna eſt, incrementa & decrementa patitur. Poteſtas paſtoris à Chriſto collata eſt, in ordinatione ſacerdotũ, & conſecratione Epiſcoporum, hæc poteſtas tota ſimul data eſt; nec vſu creſcit, nec deſuetudine diminuitur, nec ex non vſu deperditur. Inde vero colligit *Barel.* Eccleſiam ſiue Pontificem, poteſtatẽ regum deponendorũ non habere; quia *Petro* talis poteſtas data non eſt, in prima Epiſcoporum inſtitutione; Imo vero quia *Chriſtus* ipſe pontifex ſummus, qui homo mortalis ante paſſionem, talem poteſtatem non habuit: non ſectatur rivulos, ſed petit fontem, nec quiſquã per 600 annos hanc poteſtatem docuit aut exercuit: Ergo Pontifex *Romanus* hanc poteſtatem non habet: nec eſt leue hoc argumentum, ſed ponderoſum; praxis enim Chriſti, & Apoſtolorum, & patrum primitiuæ Eccleſiæ, optimus eſt interpres ſcripturarum, articulus ille fidei, qui antiquitate, conſenſione ſexcentorum primorum annorum poſt Chriſtum deſtituitur, inter nouos & ſuſpectos iuſte collocãdus eſt. *Ille verus & germanus eſt Catholicus, qui quicquid vniuerſaliter antiquitùs Eccleſiã Catholicũ tenuiſſe cognouerit, id ſolũ ſibi tenendũ credendũq; diſcernit, quicquid vero ab aliquo deinceps vno, prater omnes, vel contra omnes ſanctos, novum & inauditũ, ſubinduci ſenſerit, id non ad religionẽ, ſed ad tentationẽ potius intelligat pertinere.* Sic *Vincentius.* Propria & priuata & occulta eſt hæc opiniuncula, & à communis, publicæ ac generalis ſententiæ authoritate ſecreta.

Vincen. contra profanas hæreſ. nouitate.

CAP. XXVI.

Refellitur prima confirmatio rationis 6. Hæretici Lupi ſunt, arcendi ab Ovili gratiæ, non naturæ, non deponendi.

1. *Examinatur propoſitio Bell. Quis paſtor? quæ neceſſitas? quod ouile, &c.* 2. *Poteſt paſtor Imperatorẽ per excommunicationem ab Eccleſia eijcere (idq; caute) ſed è regno eijcere non poteſt: quia contra ius naturale, vbi reſpondetur quinq; inſtantijs.* 3. *Pontifex non diſpenſat in voto, cuius redditio eſt de iure diuino. Votum declarari poteſt, relaxari non poteſt.* 4. *De voti redditione, opiniones* 4. *ex Hoſtienſi.* 5. *Papa de Monacho, non Monachum non facit, nec de Rege non Regem.* 6. *De Conſtantia Moniali quinquagenaria Henrico* 6 *nupta è monaſterio educta per Papæ diſpenſationem.*

1 DIctum eſt de ratione hac quinta in generali, iam ad partes deſcẽdendũ eſt: circa lupos primo loco, de arietib⁹ poſtea ſua ordine agendum eſt, circa lupos ſic ratiocinatur *Bell. Paſtori neceſſaria eſt poteſtas circa lupos, vt eos arceat, omni ratione quà poterit ab ouili: 1. Lupi autem qui Eccleſiã vaſtant ſunt hæretici.* Ergo, *ſi princeps aliquis ex oue aut ariete lupus fiat: 1. ex Chriſtiano*

stiano hæreticus, poterit pastor Ecclesiæ eum arcere per excommunicationem, & simul iubere populo, ne eum sequatur: & proinde priuare dominio quod habet in fideles.

Hic primum quærendo respondeo: Quid si priuatus aliquis ex ove lupus, ex Christiano hęreticus fiat; an pastor ecclesiæ, qui potest eum arcere per excõmunicationẽ, & simul iubere populo, ne eum sequatur in hęresi, potest itidem priuatũ dominio priuare, quod habet in vxorẽ & liberos, & seruos, & bona temporalia & hęreditates, priuatorũ tollere, sicut tollit regna & bona temporalia & hęreditatem, Principis? Hic respondeat *Bell.* An excommunicatio & sententia Pontificis tollit bona temporalia regũ, priuatorũ non tollit? An necessaria est pastori potestas spirituali-temporalis in reges, in priuatos non est? An maior est pastoris potestas in oues, i. Reges quam in agnos, i. priuatos. Cum enim potestas pastoris in omnes oues & agnos, magnos & paruos, reges & populos, par sit: hoc dilemmate vrgetur *Bell.* Aut potest pastor tollere dominia, & hæreditates, & bona temporalia priuatorum, quod nunquam tentauit aut docuit Ecclesia, aut non potest tollere dominia & hæreditates & bona temporalia Regum.

2. Ratio ista, aut petit principiũ in maiori propositione, aut peccat in conclusione, quia plus est conclusione quam in præmissis: quod in demonstratione vitiũ non est ferendũ. Pastori necessaria est potestas, circa lupos, vt eos arceat, omni ratione quâ poterit ab ouili: si arcere lupũ omni ratione quâ poterit ab ouili sit dominio priuare, quod in cõclusione ponitur, manifestè & sophisticè mendicat principium, & petit sibi concedi, quod in quæstionem vocatur: sic eo vitio laborat *Bell.* ratio, cuius in capite præcedenti *Bare.* falso insimulat: quæstio enim est, an possit pastor principem priuare dominio super fideles. Si arcere lupum omni ratione qua poterit ab ouili, sit tantum priuare cõmunione ouilis Ecclesiæ siue gratiæ, aperte peccat ratio, quia quatuor sunt termini, & plus infertur in conclusione quam in præmissis probatur.

3. Quis est iste pastor, cui potestas ista arcendi lupos, i. hæreticos cõcredita est? An solus *Petrus*, eiusq; successor, an quilibet Episcopus? Id enim sonat hæc ratio, vt pastor idem, qui lupũ ab ouili arcet per excõmunicationem, & iubet populo, ne eum sequatur, dominio etiã priuare poterit, quod habet in subditos, i. idem pastor qui excõmunicat lupum siue principem hæreticũ, eundem etiã deponit: imò & eo ipso deponit, quia excommunicat: id enim sonare videtur, *Et proinde deponit.* At in confecto illo decreto Concilij *Lateranensis*, Metropolitanis & Episcopis illius regni concreditũ est, vt principem hæreticorum fautorem excõmunicẽt: Episcopis ergo & Metropolitanis, pastorib⁹ scil: illius regni & Ecclesiæ particularis, data est iure diuino potestas deponendo: ũregum: nam reseruatio omnis est de iure positivo. Præterea Episcopi in suis Ecclesijs hęreticos omnes per excõmunicationem arcent ab ouili *Can. 3.*

Ecclesiæ

Ecclesiæ, et djudicent & damnant, & brachio seculari cõburendos tradunt. Quidni ergo & Principes ab ipsis excõmunicatos, ipsi & djudicent, & damnent, & privandos siue exauthorãdos, populo tradãt? Princeps enim vobis minister est & carnifex Episcopi, vt hæreticũ priuatum comburat, quidni ergo & populus minister sit, & carnifex Episcopi, vt hæreticum principem dominio privet. Audi vero quid de potestate cuiuslibet Episcopi, forte etiam cuiuslibet sacerdotis de arcẽdo principe, siue rege, siue duce dicat *Chrysost.* *Si quis dux militiæ sit, siue præfectus, siue Princeps diademate coronatus, indigne autem accedat prohibe, maiorẽ illo potestatẽ habes. Tu vero si tibi quidã aquæ fons traditus fuisset purus, gregi custodiendus, & pessudã multũ ore fimũ habentẽ vidisses deorsum inclinari, non permisisses, nec fluentũ turbare: nunc vero, non aquæ, sed sanguinis, & spiritus fontẽ habes concreditũ, & cœno fœdius habentes præcatũ videns accedentes, non indignaris, nec arces & c?* Arcere ergo possunt à sacris sacerdotes & Episcopi, à fonte sanguinis & spiritus prohibere possunt: An vero à fonte aquæ & carnis simul prohibere & arcere possũt Episcopi? Hic ergo altero dilemmate *Bell.* premitur: Aut potest quilibet pastor & Episcopus principes hæreticos arcere ab ouili per excommunicationem, & iubere populo, ne eos sequatur, & proinde dominio priuare super fideles, aut pontifex non potest: Episcopi enim pastores sunt, sicut Pontifex pastor est: *Et quod est Papa in Ecclesia vniuersa, hoc est Episcopus in particulari.* Amplitudo loci non dat ampliorẽ potestatẽ. Vtrũ horũ mavis accipe *Bell.*

Ad Pop. Antioch. hom. 60.

Bell. l. 5. de Pont c. 3.

4. Quid est hoc, necessaria est pastori potestas circa lupos. Quæ est hæc necessitas? *Necessarium est quod aliter se habere non potest*; sic potestas ista depositionis necessaria non est, quia nec semper, nec plerũq; deponit reges, i no per 700. annos nec audita est hæc doctrina, nec disciplina hæc in praxi siue vsu fuit. Est necessitas naturæ: talis nulla reperitur huius potestatis necessitas, quia sine huius potestatis vsu & exercitio stetit & floruit Ecclesia per 700 annos: Est necessitas præcepti siue finis, sine qua finẽ nulla ratione consequi possumus: talis vero necessitas non est huius potestatis, quia finis Ecclesiæ est salus animarum, & sine hac potestate peruenerunt omnes sanctẽ septẽ primorum seculorum, ad salutẽ æternam. Multa dicuntur nẽcessaria quia vtilia sunt: Si necessarium hoc loco pro vtili ponat *Bell.* vis argumenti pene ad nihilũ redacta est. Si enim sic arguat *Bell. Pastori vtilis est potestas deponendorũ regũ; ergo data est:* duram suscipit prouinciam, quisquis probare contẽdit vtilia omnia pastoribº data. Sed nec vtilis hæc est potestas; non *Pastori*, quẽ negotijs secularibº implicat, & submergit, & à spiritualibº auocat, & plerumq; spiritu superbiæ & ambitionis mũdanæ inflat; nec *Ouibus*: quæ per huius potestatis executionẽ, in partes & schismata scinduntur, & vna cum pace temporis, pacem pectoris amittunt, & pericula multa animarum, sicut & corporum subeunt; forte etiam per excõmunicationes, & fulmina Pontificum, ad gehennã mittuntur, vt mittã alia incõmoda huius

vitæ,

itæ innumerabilia: nec Ecclesiæ ipsi, quæ his regni & Ecclesiæ dissidijs ebilitatur & in angulum detrusa est: quo factum esse, vt *Mahumetes* :gnet vbi olim Christus regnauit; & seges est, vbi Ecclesia floruit; & :ges, vt liberi sint a tyrānide temporali, iugū etiam spirituale excusse- it. Nulla ergo necessitas huius potestatis, vtilitas nulla. Imo vero, quia ile, ideo etiam necessariū est, vt Pontifex hanc potestatem depositio- s deponat, vt Christiani omnes remoto hoc scandalo, vinculo charitis vniantur, *multitudinis credentium sit cor vnum anima vna.*

5. Qui sunt lupi? Hæretici. Hoc certum est, sed an soli hæretici? *Cauete à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimētis ouium, intus vero sunt lupaces: ex fructibus eorum cognoscetis eos.* An soli hæretici veniunt pelous ouium induti? Annon & omnes mali lupi sunt? *In rerum natura* Matth. 6. *na sunt omnia, vt Oues; sed in sanctis libris lupi malos significant, Oues tem bonos:* sic *August.* Si omnes mali deponendi sunt, mortiq; tradendi Contra Iulian. Pelag. l. 6. c. 3. iquam lupi, nec erunt pastores, qui eos deponant, nec erunt boni qui s sepeliant, nec sancti qui eorum bona possideant. *Capite nobis vulpeulas:* sic *Sponsus Cant. cap.* 2. 15. Detractor & adulator vulpeculæ sunt: sus Catholicus & apertus hęreticus vulpeculæ sunt: persecutor & Astata, lupi sunt: an hi omnes deponēdi? Pręterea deponēdi sunt lupi: & pastores? Pontifex pastor est Ecclesiæ; annon rex pastor Reipub:? ntifex pascua gratiæ, Rex pascua naturæ habet: ille in Ecclesia, hic Regno: ille cibo spirituali, hic naturali pascit, Nonne *Dauid* de pae ouium factus est pastor populorum? *Psal.* 77. 70. 71. 72. *Depostibus accepit eum, vt pasceret Iacob seruū suum, & Israel hereditatem su: Et pauit eos in innocentia cordis sui:* Rex ergo pastor Regni, & Pontipastor Ecclesiæ: Pontifex deponit lupos, an & pastores deponit? ponit pastores quâ oues sunt, hoc est Christiani: an & pastores deit quâ pastores?

Sicut pastores duo sunt, spiritualis & civilis, sic & ouilia duo sunt: e gratiæ, hoc est Ecclesia: ouile naturæ, hoc est regnum. In ouili lesiæ sunt Christiani regenerati per gratiam, in ouili regni sunt homes generati per naturam. Pontifex potestatem habet arcendi lupos uili gratiæ. i. Ecclesiæ: an itidem potestatem habet arcendi ab ouili ræ, hoc est regni, in quod eos non introducit? Potestas pastori neria est, vt arceat lupos ab ouili gratiæ: an vero potestas arcendi lub ouili naturæ Pontifici competat, hoc in dubium vocatur. Eximunicatio arcet à cōmunione gratiæ; at excōmunicatio non arcet munione naturæ; & pastor arcet per excommunicationem. Quâ : sic *Durandus. Per idem intelligo, quod Domini & superiores possunt* In 4. dist. 18. q. 5 *cipare cum inferioribus excommunicatis, sicut è conuerso, in his in qui-* num 9. *nutuo sunt districti: sicut enim inferior astringitur superiori, sic superior iori:* Et idem docent plurimi Scholastici, vt cap. 30. videbimus. ontifex arceat ab Ouili naturæ, siue Regni, proculdubio claues

ouilis naturalis ſiue Regni accepit, & paſtor eſt ouilis naturalis, quod affirmare non audet *Bell.*

7. Quorſum addidit verba illa, *arceat eos omni ratione quâ poterit.* Quid ſonant verba illa, *quâ poterit?* An aliqua ratio eſt, quâ Pontifex lupos arcere non poteſt? Si aliqua ſit ratio arcendorum luporum, quæ Pontifici data non eſt, non habet Pontifex omnem poteſtatem ad lupos arcẽdos, & tamen paſtoris omnis poteſtas ad lupos arcendos neceſſaria data eſt. Eſt ergo aliqua poteſtas neceſſaria ad lupos arcendos, quæ data non eſt: alias quid opus poteſtate Regia in Eccleſia? Si omni ratione poteſt lupos arcere, quid opus erat addere, *omni ratione quâ poterit?* Sed ſubdola & fallax eſt hæc verborum architectura. *Paſtori neceſſaria eſt poteſtas circa lupos, vt ab ouili eos arceat omni ratione quâ poterit*, ipſe ſcil. paſtor. *Quâ poterit*, id eſt, pro menſura & amplitudine poteſtatis ſpiritualis paſtori conceſſa. Sic propoſitio vera eſt. Quod ſi verba illa, *omni ratione quâ poterit*, ad lupos referantur: poſſunt proculdubio lupi per gladium merè & propriè temporalem arceri: poſſunt per milites & exercitus armatos in ordinem cogi, poſſunt per magiſtratus merè & propriè ciuiles & politicos abigi, & incarcerari, & morte mulctari: nec tamen datur poteſtas mere temporalis paſtori ſpirituali, nec eſt Pontifex quâ Pontifex, Magiſtratus propriè ciuilis. *Nec ferro, ſed verbo lupos & draconeſ aggredi oportet, & verbo exturbãtur male iſte beſtiæ*, vti *Bernardus lib.4.conſid.c.4. Magnus iſte principatus eſt, exturbare hos* (i.gladio ſpiritus, verbo Dei) *malas beſtias*; In hoc verbo latet anguis.

8. Poteſt paſtor Eccleſiæ hæreticũ per excõmuncationẽ arcere, poteſt iubere populo nè eum ſequatur: & proinde priuare dominio quod habet in ſubditos. Quid hoc eſt, proinde priuare dominio? An Põtifex neminẽ dominio priuare poteſt, niſi quem prius per excõmunicationẽ arcet ab ouili? Quare ergo *Bell. Zachariam* depoſitũ nec excõmunicatum prædicat? Quare pontifices quandoq; reges non excõmunicatos deponunt: quare excludunt pontifices è regnis terrarũ, cum illis ſolæ claues regni cœleſtis conceſſæ ſint, non terreni? Si claues regni cœleſtis ſolas habet Põtifex, ijſq; clauib° reges deponit, qui fit, vt claues iſtæ regnum cœlorũ non claudunt, & regnum terrenũ occludunt? Non arcent à cõmunione gratiæ, & arcent à cõmunione naturæ? Directè é regno cœlorũ excludunt, indirectè è regno terræ, & tamẽ actu elicito & natiuo omiſſo, actũ alienũ & imperatũ producunt. Spinoſa ſunt iſta & præpoſtera, quæ omnem ordinem euertunt, & proinde à Deo ordinis non ſunt.

9. An ſic tractandus rex, vti lupus? *Ars artium & ſcientia ſcientiarum eſt regimẽ animarum*: In regimine autem ouium permittuntur multa, quæ in regimine animarum non permittuntur; vti multis docet *Greg. Nazianzenus* in *Apologetico fugæ*: Licet paſtori quandoq; ouem occidere: paſtori animarum animam occidere nunquam licet. Licet paſtori lupum dormientem, nihil mali cogitantẽ, ab ouili remotiſſimum, idq; propria manu,

armis

rmis materialibus occidere. An pastori animarum licitum est, lupum ormientē, nihil mali ouib⁹ machinantē, oues & ouile non infestantem, :d alia polluta animalia sectantem idq; manu propriâ, & armis mate-alib⁹ occidere? Plura ergo pastori carnali quam spirituali, & plura in ıpum naturalē, quam in lupum spiritualē licent: lupus enim naturalis on mitescit, non transformatur: lupus spiritualis in agnum & ouem, i-ıo etiam in pastorē, sicut *Paulus minarū spirans* conuertitur. Similitudo rgo ista de lupo, quatuor non currit pedibus, sicut lupus, claudicat in nultis: & in articulo fidei, Theologia allegorica, à Metaphoris *Pastoris & Luporū* desumpta, non est argumentatiua, nihil probat, nisi expressis cripturarū testimonijs, teste *Aug.* cōfirmetur. Ista dubia in demōstra-one sua cum soluerit *Bell.* demonstrationē suam merè fallaciam sophi-icam vel inuitus agnoscet. Iam ad solutionem *Barcl.* accingamur.

Act.9.1;

Epist.48;

Duo in ista ratiocinatione reprehendit *Barc.* 1. potest pastor iubere fi-elibus vt regem hæreticum non sequantur in hęresibus, hoc agnoscit, :d cautè tamen faciendum, ne cum scandalo & detrimento Ecclesiæ at, id quod probat ex *Augustino: nam vbi periculum est ne membra Chri-i per sacrilega schismata lanientur* (sicut in excommunicatione *Henrici* 4. *rederici*, & *Lodouici* factū narrāt historici) *diuinæ disciplinæ seuera misericordia necessaria est: Nam cōsilia separationis & inania sunt & pernicioſa atq; icrilega, quia & impia & superba fiunt, & plus perturbāt infirmos bonos quā rrigūt animosos malos.* An non potest iubere, vt eum non sequantur in :bus politicis?

L.3.c.3.contra Epist.Parmen.

2. *Potest pastor regem hæreticum priuare communione fidelium in rebus sacris; sed non potest priuare dominio, quod habet in subditos*: id quod in conclusione à *Bell.* positum est, in præmissis autem non habetur.

Quid ad hæc *Bell.*? Ad hæc responsū est à me, in *cap.*9. eo remittit lectorē. Et à me ibidē illa abunde refutata sunt: nec opus est repetitione, :d recognitione vt aut sua fortius probet *Bell.* aut retractet. Vnum superaddo circa necessitatē huius potestatis ex *Ambrosio. Quid si obijciant, quod defensionē ab ijs* (pauperib⁹) *requirā, non nego. sed etiam ambio: habeo defensionē, sed in orationibus pauperū, cæci illi & claudi, debiles & senes, robustis bellatoribus fortiores.* Hæc *Ambrosius*, qui fatente *Bell.* viribus *Valentiniano* par, poterat eundem imperio priuare, si idem, iuuenili ardore, & malis cōsilijs abrepto, non peperciſſet. Hæc est necessitas huius potestatis reponendorū regum: ad orationes pauperum non ad gladios Christiano-rum confugit *Ambrosius*. Qui etiā in Epistola ad sororē: *Exigebatur* inquit) *à me vt compescerē populū, referebā in mea iura esse, vt non excitarem, in Dei manu vt mitigaret.* E contra *Bell.* In iure pastoris est, vt populū excitet, & iubere ne sequatur hæreticum in politicis. Ratio vero *Barc.* quare n potestate Pontificis aut cuiusquā alterius hominis non sit, dominio riuare regem, hæc est: quia obedientia regibus debita est de iure diuino & naturali, quod est indispensabile etiam per summum Pontificem.

Lib.5.Epist.32. in oratione contra Auxentium.

Ibidem.Epist.33

Quid hic Bell.? Ratio hæc nullius est roboris. Credo equidē nullius est roboris ius diuinū, contra ius Ecclesiasticū: nam sic pater vester S. *Thomas, Ius diuinum quod est ex gratia,* &c. in quibus dicitur posse *Ecclesiam habentē Dei authoritatē tollere ius diuinū & verbū Dei, quod tamen deus ipse non potest.* Pontifex dominus Deus vester, à quo iuxta *Thomā*, omnis plenitudo gratiæ, potest per sententiā vel ordinationē suā tollere quod ius diuinum tollit: hoc parum est, quod ius diuinum præcipit, i. fidelitatē & obedientiā regibꝰ etiam dyscolis & malis debitam, sicut multis authoribꝰ, & exemplis sacrarum literarum probat hoc cap. *Barc*, Ita dominus Deus vester super dominum Deum cœli & terræ; superioris enim est leges refigere; neq; enim potest inferior, aut par, superioris sui legem infringere, aut eius alicui gratiam facere; vt recte hoc capite *Barcl.*

22.q.10.Art.10

In regimine princip.l.3.c.10

» *At de iure diuino est, vt inferior superiori obediat, quādiu superior est: si desieris* » *superior esse, desinit præceptū de obedientia illi exhibēda.* Esto. Sed quæ est illa ars, quæ potestas, quæ de superiore non superiorem facit? Hanc docet multis similibꝰ: quę quidē non probāt, sed quę tandē sunt? *de iure diuino est, vt patri obediat filius, seruus domino.* Filius vero emācipatur, sed non à patria potestate naturali, sed ciuili & positiva: sic seruus libertate donatur & manumittitur, non à seruitute naturali, sed ciuili legibꝰ *Romanorū* introducta; vti ex ipso *Iustiniano* & verbis iuris ciuilis supra ostēdimus.

Cap.21.

In his autē similibꝰ egregiè sophistā agit *Bell.* qui emancipationē & manumissionem ciuilem supponit pro naturali, à qua nulla est liberatio. 3. *Vxores maritis obediūt de iure diuino & naturali, & tamē per diuortiū vel repudiū separatur vxor à viro, nec amplius tenetur illa lege diuina.* Non tenetur: quid hoc est? Ergo soluitur vinculū per repudiū vel diuortiū: manētē enim vinculo, manet obligatio obedientiæ, & peccat alter cōiugum, cuius culpa aut repudiū, aut divortiū fit. Id quod ex eo manifestum est quod si reccōcilientur cōiuges, non ineunt novū coniugiū, aut pactum; sed obedientia illa, quæ habitu semper debetur, actu præstanda est, suspenditur ergo actus per diuortiū, non tollitur debitū: manet obedientia in habitu etsi non in actu: Ideo Apostolus disertis verbis: *Nam quæ sub viro est mulier, viuēte viro, alligata est legi. Si autem mortuus fuerit vir* (non dicit, si divortiū fecerit) *soluta est à lege viri.* Divortium ergo non soluit vxorē à debito obedientiæ, etsi ab actu suspendat, quia non cohabitāt. Matrimonia infideliū insolubilia sunt lege naturali: & in vno tantū casu per conuersionē vnius ad fidē Christi dissolvuntur, altero in infidelitate remanente & cohabitare nolente. Atq; hæc est dispensatio domini non serui, cōcessit dominus, promulgavit Apostolus. Matrimonia *Iudæorum* insolubilia sunt, nisi per libellū repudij: quod repudiū *Iudæis* concessum est (authore *Bell.*) vel vt minus malū, sed illicitū, vel vt licitum, propter cordis duritiā, sed à *Christo* sublatum. Atq; hæc *Iudæorum* dispensatio Domini est, non seruī. concessit Deus, declarauit *Moses*, in quibus nihil potest Pontifex. Nec valet ratio: dispensauit Dominus in coniugio

Rom.7.2.

1.Cor.7.

Cap.23.

Iudæorum

idęorum contra legem ſuam, per libellum repudij: ergo poteſt ſervus rincipalis vxorem ſoluere ab obedientia mariti, iure diuino debiti.

4. *Promiſſio iurata iure diuino ſeruanda eſt; & tamen is cui promittitur poſt eam relaxare; nec tenetur promiſſor.* Eſto. Et ſubditus etiam liberari oteſt per Principem ab obedientia ſua, nec vltra tenebitur. Nec hoc l inſtitutum noſtrum facit: non enim quæritur de voluntaria ſubtorum liberatione per Dominum ſiue principem facta, ſed de invontaria per tertiam perſonam, vtpote Pontificem, invito ac reſtante Principe: in cuius tertiæ perſonæ Iniuriam non poteſt Pontifex iramentum ſoluere, vt docet *Iacobus Almayn*; ſicut non poteſt iuraentum promiſſoris, invito eo cui promiſſio facta eſt ſoluere. Hic Soiſtam agit *Bell.* non diſputat ad idem. Præterea poteſtas vnicuique iuato à Deo & natura data eſt, vt debita & promiſſa ſibi facta remitre poſſit. Imò eâ lege nos à Deo dimiſſionem debitorum noſtrorum timus, *ſicut nos dimittimus debitoribus noſtris*: at vnicuiq; priuato non t data poteſtas à Deo & natura, vt ſuperiorem ſuum abdicare liere pro arbitrio voluntatis ſuæ poſſit, ſicut poteſt quilibet priuatus thoritate ſua promiſſa ſibi iurata relaxare.

5. Sequitur quintum, quod eiuſdem eſt generis: *Reſtitutio eſt de iure uino: poteſt tamen creditor debitum remittere, & debitor ad reſtitutionẽ non ligatur.* Eſto: ſed non poteſt Pontifex inuito & renitente creditore ebitum remittere, & reſtitutionis obligationem relaxare, nec poteſt bedientiam, & iuramentum fidelitatis, inuito rege vel principe relaxa-. Ergo neq; hic *Bell.* ad idem diſputat.

Quod autem addit *Bell. Non eſſe de iure diuino, vt Rex iuſtis de cauſis non ponatur, & non Rex fiat*, gratis hoc dicit ſine probatione. Ego vero reono & probo, de iure diuino & naturali eſſe vt rex iuſtis de cauſis non eponatur ab homine: quia lex diuina de obedientia ſubditorũ moralis t & æterna, in qua ſeruus principalis diſpenſare non poteſt: & ſicut de atrimonio carnali, ſic de coniugio inter regẽ & ſubditũ ſpirituali, vere icitur, *quæ ſub viro eſt mulier, viuẽte viro, alligata eſt legi viri*: qui ſub prin- *Rom. 7. 2.*
pe eſt populus viuente rege alligatus eſt legi regis: nec magis poteſt ẽtifex coniugiũ hoc ſpirituale regis & populi, quã illud carnale viri & xoris diſſoluere: vtraq; enim lex moralis eſt, & æqualiter & æternaliter gat, nec magis poteſt ſervus diſpenſare in vna quã in altera. Dominus ivno diſpenſavit, 1. *Cor.* 7. in altero non diſpenſauit: Quis vero ille eſt omo qui ea diſiungere audet, quæ à Deo coniuncta ſunt.

Reprehendit deinde *Barc.* in Pontificib⁹ in votorũ diſpenſatione facitatem nimiã, & in Aulicis Pontificijs adulationem non ferendam, qui t Pontificũ ambitioni gratum facerent, poteſtatem eius in diſpenſãdo ontra ius divinum & contra Apoſtolum (ſicut multi ex teſtibus *Bellarminianis* loquuntur) magnificant: contra decretum *Innocentij* 3. *cap.* cum d monaſterium; de ſtatu Monachorum. *Nec æſtimet Abbas, quid ſuper*

habenda proprietate poſſit cum aliquo Monacho diſpenſare quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ Monachali, vt cõtra eam nec ſummus Prntifex poſſit licentiam indulgere. Duo iſta, vxorem ſcil. ducere & rerum proprietatem habere, ex natura ſua omnib⁹ hominib⁹ libera & permiſſa ſunt: votum enim proprie in adiaphoris eſt: at, accedente voto, quod de iure divino ligat in foro cõſcientiæ, licita non ſunt: nec poteſt in his diſpenſare ſummus Pontifex. Quando ergo diſpenſare poteſt cum obedientia ſubditorum, quæ non ſolum eſt de iure divino, ex pacto & compromiſſo, ſiue iuramento, ſed etiã de natura ſua cadit ſub mandato diuino, & expreſſe, & in terminis iubetur per legem naturalem & moralẽ, quæ & æterna eſt, & indiſpenſabilis. Obedientia enim ſubditorũ neceſſaria eſt, cõtinentia vero & paupertas voluntariæ.

Atq; hic quidem obſeruet lector Curialium adulationem pluſquam caninam, qui, vt plenitudini poteſtatis Pontificiæ gratum faciant, ſolemq; ſplendentem adorent, & iuri diuino & canonico etiam vim faciunt. *Vouete & reddite Domino*, ſic ius diuinum. *Pſal.* 75. 12. in quo vouere liberum eſt, reddere vero debitum. *Contra votũ continentiæ & paupertatis nec ſummus Pontifex poteſt licentiã indulgere.* Sic *Innocentius* 3. Quid hic canes *Romani? Licentiam indulgere non poteſt ſummus Pontifex, niſi ex cauſa:* Sic *Innocentius* 4. Acſi tam ſtupidus & bardus eſſet Pontifex *Innocentius* 3. vt ex cathedrâ ſic definiret; contra votum continentiæ, & paupertatis, nec ſummus Pontifex licentiam indulgere poteſt, *niſi ex cauſa?* Abbas non poteſt ex cauſa, pontifex non niſi ex cauſa. An quiſquam adeo ſtupidus aut vecors cenſendus eſt, vt Pontifici poteſtatem diſpenſandi in votis ſine cauſa tribuat: i. vt ſine cauſa, ſine ratione inſaniat? Diſpenſatio enim ſine ratione, diſpenſatio eſt contra omnem rationem. Audite vero ſapientiam *Innocentij* 4. ex fictione iuris (non dico impoſſibili, ſed tamen quæ nec vnquam fuit nec erit) ordinariam diſpenſandi in votis praxin probat: verbi gratia. Regnum aliquod in ſummo periculo verſatur, nec vlla ratione liberari poteſt, niſi Monachus aliquis Rex fiat, vxoremq; & ex ea liberos, ſuſcipiat: alias Regnum à Regnicolis Regi alicui infideli tradetur. *Quid hic Monachus? An contemplationem vel continentiam ſuam ſaluti totius Chriſtianitatis aut magnæ partis illius præferet? An potius ſe totum in holocauſtum Deo offerat? An Deum ita crudelem reputabis, quod nolit per proviſionem vicarij ſui, huic Chriſtianitati prouideri?* Imò verò, quid magis diuinæ providentiæ derogatorium, quam non poſſe Deum Chriſtianitatem conſeruare, niſi Monachus vota ſua irrita faciat? Acſi diceres, non poteſt Deus Chriſtianitatem conſeruare niſi per mala media & peccata. Fictio iſta hunc *Innocentium* Pontificem *Romanum* abunde redolet, quia polleiâ ſuâ & humanâ ſapientiâ Eccleſiam & religionem Dei conſeruare velit, acſi ſapientia ipſa, Deus Opt: Max: non ſaperet, niſi vicarios ſuos Pontifices conſiliarios audiret. Quid vero hæc fictio, quæ anno proximo poſt natiuitatem ſecundi,

c. cum ad monaſterium de ſtatu monachali.

Ibidem.

ecundi filij Beatæ virginis accidet, ad ordinariam & communem in otis diſpenſandis praxin? Fortè *Bell.* tale regnum, talem Chriſtianitais ſtatum vidit, cum per diſpenſationem Papalem votifragus Cardinais factus eſt. Nec obeſt, quod dicitur (inquit *Innocentius* 4.) *vouete & eddite Domino. Vouere quidem eſt voluntatis, reddere vero neceſſitatis; quia ene intelligitur votum Deo reddere, qui ſe eius diſpoſitioni committit, & quia agis eius beneplacitũ facit.* Siccine verò, benè votũ reddit Deo, qui eius liſpoſitioni ſe cõmittit? Dei ergo diſpoſitioni ſe cõmittere, eſt votum eddere Inuenta proculdubio eſt ratio, qua non votum reddere, ſit votum reddere. *Vouere voluntatis eſt, reddere vero neceſſitatis,* ſic olim aniqui; quid poſteri? vouere neceſſitatis eſt, nemo enim aut Monachus, ut ſacerdos eſſe poteſt, niſi voueat: reddere vero voluntatis; facilius nim diſpenſatur ne reddas, quam ne voueas: Imò ſæpe diſpenſatur ne eddas, ne voueas nunquam diſpenſatur: libertas vouendi in neceſſitaem tranſijt; neceſſitas reddendi voluntaria facta eſt: tam facile eſt Põficib⁹ contra ius diuinum: i. voti redditionem, tam difficile contra ius uum: i. voti neceſſitatem diſpenſare. Annon hoc eſt ius diuinum iure o irritũ facere? Nec quis reponat: votum non eſt de reb⁹ neceſſarijs, ed de adiaphoris; non eſt de præceptis & bonis cõmunib⁹, ſed de bonis eliorib⁹: i. conſilijs: in his habet poteſtatẽ Pontifex. Eſto vero, habet in conſilijs & adiaphoris, in legib⁹ & Canonib⁹ ſuis poteſtatẽ; eadẽ oteſtas quæ figit leges itidem refigit: habeat poteſtatem diſpenſandi, e quis voueat: at poſtquã votum emiſerit, iam redditio voti non eſt de ire poſitivo, ſed diuino & naturali, in quo põtifex diſpẽſare nõ poteſt. Verum voti violatio nonne peccatum eſt? Nonne infidelitas à vobis icitur? An poteſt Pontifex de peccato non peccatum facere, ſicut de ege non Regem facere ſe iactat? An poteſt de infidelitate fidelitatem icere? Quidni ergo & bonum faciat malum & malum bonum; nec auiat væ illud propheticum: *Væ illis qui malum dicunt bonum; &c. Ruina eſt omini deuotare vel deuorare ſanctos, & poſt vota retractare:* In quæ verba c gloſſa: *vtroſq; & eos videlicet, qui ſua vota contemnunt, & eos qui vt vota a cõpleant ſanctos perſequuntur, damnatio æterna manet.* Et *Lyranus. Ruina eſt homini deuotare ſanctos*: i. *facere ijs vota & non implere; quia licet vouere voluntatis, reddere tamen vota facta eſt neceſſitatis: & ideo non reddens ruit peccatũ, niſi per impotentiã excuſetur.* Ecce non reddere votum peccaim eſt, & damnationem meretur; aut ergo Pontifex, de peccato non eccatũ facere poteſt, aut cum voti redditione diſpenſare non poteſt. Præterea, votum quoad redditionem vobis authoribus, cadit ſub præepto tertio primæ tabulæ; *De nemine Dei in vanum non ſumendo*: ſicut : iuramentum: qui enim votum non reddit, nomen Dei cui vouet, in anum aſſumit. An poteſt Pontifex in primâ tabulâ diſpenſare, in quâ ari non poteſt inſtantia, quod Dominus ipſe cum quoquam diſpenſaerit? Præſertim cum huius tertij præcepti violatoribus minatur Do-

Eſaiæ 5. 20.

Prouerb. 20. 25.

In Pron. 20. 15.

Vid. Bell. in Catechiſmo in 2. præcepto.

minus ipse: *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustrà.* Rectè enim *Bonauentura: Quædam sunt præcepta moralia primæ tabulæ, ordinantia ad Deum, quædam secundæ ordinantia ad proximũ; quædã superaddita, vt Canonica sanctiones & Patrum instituta. In primis non potest dispẽsare nec homo nec deus, in secundis non homo sed deus, In tertijs et homo & Deus. Ratio huius est quia præcepta primæ tabulæ immediate ordinant ad Deũ.* Hæc *Bonauentura, in* 4. *dist.* 38. *art. q.* 3. *in obiect.* 3. *& sol.* 1. in obiectione: (ne quis dicat me obiectionem pro solutione adhibere.) In solutione vero non negat, sed respondet iuxta oponionem rationabiliorem & securiorem, *quod Papa in nullo potest dispensare, secundũ quod dispensatio est iuris relaxatio; potest tamen secundum quod dispensatio est iuris declaratio, quia ius concedit votum non teneri, cum possit recompensari: Et vniuersaliter Domini Papæ est hoc ius interpretari.*

Quicquid vero de hac re sentit *Bonauentura* illud proculdubio certum est *Bernardum, lib. de præcepto & dispensatione* ex quo desumpsit ista *Bonauentura* expresse docere, & dogmatizare, præcepta 2. tabulæ nullam prorsus humanam dispensationem admittere. *Nec cuiquam* (inquit) *hominum ex his aliquo modo soluere aut licuit aut licebit, Dominus tamen horũ quod voluit, & quando voluit, soluit.* Præcepta 1. tabulæ inter necessaria incommutabilia recenset, de quibus sic statuit. *Iam vero necessariũ incõmutabile quid accipi velim. Equidẽ nihil cõgruentius, quã quod diuina ita cõstat & æterna ratione firmatũ, vt nulla ex causa possit vel ab ipso Deo aliquatenus immutari, & c. Hæc quippe talia sunt quæ nec liceat, nec expediat, aliquãdo non habere. Eo siquidẽ immobiliter quo & naturaliter bona, nunquã nisi innocẽter nunquã nisi sal ubriter aut imperantur aut obseruãtur. Omni tempore, omni personæ mortẽ contempta, custodita salutẽ operantur.* Hæc *Bernardus*, qui regulas religiosorũ, inter præcepta primæ vel secundæ tabulæ non recenset: *regulæ enim stabiles sunt sed mutabiles: hanc autẽ* (inquit) *ipsã mutationẽ taliter & à talibus recipere possunt, quoniã non naturaliter, nec per se bona sunt. Ex prima quidem quod efficitur, etsi non penitus immutabile, vix tamen mutabile esse constat, dum solis illud liceat mutare Prælatis* (non dicit solis Pontificibus) *& hoc non nisi fideli & prouida dispensatione. Quod vero fit ex sequenti quæ & maior ista, est pene iam incommutabile: soli quippe Deo esse mutabile superius demonstratum est. Porro quod de nouissima fit tanquam omniũ maxima, omnino incommutabile est, vtpote quod ne ipsi quidẽ Deo mutare liberũ est. Quod igitur nulli hominũ fas est, nisi solis mutare Prælatis, dici vix mutabile congrue potest. Quid soli constat licere Deo, dicatur pene immutabile, quod ne ipsi quidem Deo penitus immutabile nominetur.*

His si addamus, quod docet *Bell.* in Catechismo suo, *vota ad secundum præceptum, de non assumendo in vanum nomine Dei pertinere*, & eodem præcepto votorum redditionem mandari, consequens erit, aut Papam posse in præceptis primæ tabulæ dispensare, quod authore *Bernardo*, nec Deo ipsi liberum est, aut non posse cum redditione voti dispensare.

Ve

Vt rem hanc in pauca conferam: Dispensatio vel iuris relaxationem denotat, sic dispensare posse Pontificem in votis Religiosorum negant plurimi, vti supra constat ex *Bonaventurâ*: vel juris declarationem, sic dispensare ad Theologum potius quam ad Iudicem spectat; quatenus scil: quilibet Theologus potest declarare quando tenetur quisq; ad voti redditionem, & quando non tenetur. Sic talis dispensatio nullam Pontifici peculiarem potestatem arguit, sed potius communem omnium Episcoporum & Sacerdotium doctorum, qui eodem jure declarare possunt, quandò ius divinum voti redditionem exigit, quo quotidiè declarant, quibus in casibus & quatenus jus divinum obligat: nisi forte solus sapiat Pontifex, solus Pastor intelligat jus divinum, reliqui omnes stupidi & insensati sint.

In veteri testamento, in quo vota maximo in honore erant, non videtur data potestas dispensandi, hoc est ius relaxandi in votis, imò ne ius quidem declarandi. Quid enim? An tam stupidus erat *Iephete* Iudex Israelitarum, *Iudicum* 11. vt nesciret, potuisse summum Pontificem, votum illud nefarium de filiâ sacrificanda, in melius bonum commutare, aut declarare, quod votum illud, quia impium & crudele in conscientiâ non obligaret? Cum in malis promissis fides rescindenda sit, non servanda: & facillimum fuisset nefarium hoc votum in melius commutare, quia in peius, quam in sacrificium humanum degenerare non potuit. Votum hoc facile redimi potuit, & votum hoc, quia cum peccato coniunctũ, reddendum non erat: nisi forte quisquã tam amens sit, vt dicat votum 40. illorum Iudæorum, *Act.* 23. 12. qui mortem, S. *Pauli* voverant, in conscientia obligare.

Præterea, vovere non licet quod in potestate nostra situm non est: vt filia voverit aliquid de bonis paternis, non valet votum, nisi consenserit pater *Num.* 30. 4. secundum quam regulam, si votum continentiæ non sit in potestate nostra, non obligat; & satius est semel violare votum, quam semper peccare, vel concupiscendo vel adulterando: blasphema vero est eorum sententia, qui melius esse vri, vel adulterare quam vxorem ducere dogmatizant. Si ergo votum malum sit & peccatum in natura sua, vt votum illorum qui Apostoli mortẽ voverunt, aut impossibile, i. supra vires & potestatem nostram, jus ipsum declarat tale votum in conscientia non obligare; & potest quilibet Theologus, & meritus in iure declarare votum hoc non obligare, & proinde in voto dispensare, sicut potest Pontifex pastor summus.

An vero votum quod in natura sua licitum est commutari possit, quia impeditiuum est maioris boni, quale est votum Iesuitarum, id vero dubium est. Non est enim faciendum vel minimum malum vt inde vel maximum consequamur bonum: & bona non nisi bonis medijs pergenda sunt: & violatio voti mala est, contra tertium præceptum primæ tabulæ, in qua nec Deus ipse dispensat, vt *Bonaventura*;

&

& proinde Pontifex gratiam cuiquam in hâc causâ facere non potest.

Quod vero in omni voto duo ista tacita & implicita sunt pacta: 1. *scil. nisi aliter à supremo Pastore & juris interprete dispensatũ sive declaratum fuerit:* 2. *nisi bonum hoc, in bonum melius commutetur*: id verò gratis dicitur, sinè authoritate scripturæ & antiquitatis, & sinè ratione: & proindè prius à plurimis & doctissimis explosum est: secundum verò, etsi à plurimis admittatur, qui votorum redemptionem admittunt, non tam inter pacta votorum habetur, quam ad discretionem dispensantis refertur; qui non tam minus bonũ tollere, quã in maius bonũ votum convertere debet.

4 Cæterum quam male circa votorum dispensationẽ conveniant Pontificij, ex vno *Hostiensi* satis patebit, *de voto & voti redempt: vtrum & per quẽ, nũ.* 16. *in summa:* qui quatuor in hac re opiniones suâ ætate recenset. *Prima opinio in hoc concordat, quod etiam Papa in votis dispensare non potest, quia redditio est de jure naturali sive divino, & ideò contra hoc Papa non potest venire: & in hâc opinione fuit* Hugo *& eius sequaces. &c.*

Secundi dicunt, quod potest dispensare in omnibus voluntatis, excepto voto continentiæ.

Tertij dicunt, quoad votum continentiæ: quoad alia verò distinguunt, vtrum vovens vel jurans simpliciter & indeterminatè promiserit, non excludendo vel includendo authoritatem Papæ, nec de ipso forte cogitando; aut determinatè: Si indeterminate, tunc potest dispensare Papa, quia talia vota vaga & indeterminata interpretationes recipiunt: nisi determinate intendens hoc adimplere, si Papa cum eo dispensaret; planum est quod tunc Papa dispensare poterit. Si autem intendebat se obligare expresse in omnem eventum, etiamsi Papa secum dispensaret, & erat licitum id quod voverat, non est tutum venire contra, &c. Quod si id ad quod se obligabat erat malũ, sive illicitũ, nullo modo tenetur adimplere; vnde reprobatur Iephte, *qui occasione voti sivè promissionis filiam suã occidit; &* Herodes, *qui eadẽ occasione fecit amputare B.* Ioannis Baptistæ (capur.)

Quarti dicunt & verius; & hoc omnino teneas, quod Papa de plenitudine potestatis in omni voto dispensare potest, quod ab initio voluntarium fuit: peccat, si sine causa dispensat, nec ei obediendum est, si manifeste liqueat, quod sit contrà Dominorum Domini voluntatem; alias ei obediendum est. In necessario autem nullo modo dispensare potest, si illicitũ sit; nec si illicitum sit, aliquatenus est servandum. Episcopus vero & superior in omni voto voluntario, excepto continentiæ & crucis, ex causâ dispensare potest; sine causa non potest.

Ex his multa obseruanda sunt: 1. antiquiores Pontificij negant Pontifici potestatem dispensandi in voto; quia redditio voti de jure divino est vt *Hugo.* 2. votum continentiæ in Monacho indispensabile esse iuxta plurimos. 3. voti dispensationem ex pacto tacito vel implicito pendere. 4. vota voluntaria dispensationẽ admittere; necessaria i. ea quæ de præceptis fiunt, non de consilijs, qualia sunt & iuramenta de obedientiâ subditorum, quę sub præcepto divino naturali cadunt, iuxta *Hostiensem* indispensabilia esse. 5. Episcopum posse in omnib° votis voluntarijs (excepto

exceptò voto continentiæ)diſpenſare. Reſervatio verò iſta, vtrum ſit le jure divino vel poſitivo,iudicet Lector.Etſi verò multi ſunt,qui poeſtatem Pontificis in votis redimendis vel commutandis vel diſpenndis amplificant,non deſunt tamẽ & doctiſſimi inter Pontificios, qui i non ſimpliciter,ſaltẽ in voto continentiæ poteſtatẽ diſpenſandi Ponifici negant.De quibus ſic *Soto In.4 Diſt.38.q.2. Art.2.Secunda concluo.Super votum ſolenne religionis nulla cadit Eccleſiæ diſpenſatio;hanc concluonem expreſſe & ex profeſſo conſtituit D.Thomas 22.q. 88.art.11. eademq; iit indubitata opinio ſemper antiquorum Patrum,vt Altiſiodorenſis & Alexdri Halenſis 3.p.& Bonaventuræ,diſt.præſente in fine: & inter juniores Sylſter,verbo votum 4.q.5.& gloſſa in Cap cum ad Monaſterũ,de ſtatu Mochorũ: Et proculdubio nõ ſolum ſanior & tutior eſt opinio,verũ ni fallor,omnò tenenda: Imò eſt aſſertio Innocentij Pontificis:* Idem docent *Capreolus* in ,diſt.33.in fine:& eiuſdem Epitomator *Soncinas* ibidẽ; & eiuſdem aditionator *Aquarius* in 4.diſt.38.Concluſ.9. Idem *Figuerius* in Inſtitut. 5.*Sect.*5.ver.14.*Et Petrus de Arragõ* de juſtitiâ & jure q.87.Art.11.Idẽ cet ex *Alberto Dionyſius Carthuſianus* qui *Henricũ de Gandauo,* audaciæ guit, quod Papæ poteſtatẽ in ſolenni voto continentiæ diſpenſando ocet.*Hæc Henricus,qui ſatis audacter hic loquitur.*In 4.Diſt.38.quæſt.3.

At invenit *Bell:* effugium, quo iſta omnia eludat: *Summus* (inquit) „ 5
ontifex non poteſt facere,vt idem ſit Monachus & coniugatus,idem Mona- „
us & dives opum in particulari:aliud autem,vtrum poſſit ſummus Pontifex „
ſpenſare cum Monacho,vt tranſeat à vitâ Monaſticâ,ad vitam ſecularem, „
ſecularis effectus matrimonium inire poſſit,& opes proprias retinere:De hoc „
im variè ſentiunt Doctores. „

Quorſum verò iſta? De *Innocentio* falſum reſpondet *Bell: Innocentius* iim diſertè aſſerit: *abdicationem proprietatis, ne eo non cuſtodiam caſtitatis gulæ Monachali ita annexam eſſe,vt contrà eam nec ſummus Pontifex licentiam indulgere poſſit* Ergò non ſolum aſſerit matrimonium & rerum proietatẽ cum ſtatu Monachali conſiſtere non poſſe, ſed etiã addit,Ponicem non poſſe contra hęc licentiam indulgere. Id *ſolum,* malè addidit *ell:* Verum in ipſius cauſæ determinatione,an ſcil:Pontifex de Monaonon Monachum facere poſſit, nihil omninò ſtatuit *Bell:* ſed ad inrtas & digladiantes Doctorum opiniones nos remittit: de hoc variè ntiunt Doctores.Et in hac varietate ſententiarum fundatur fides Caolicorum,& poteſtas Pontificũ in votorum relaxatione ſiuè commuione. Ego vero miſeros dico & prædico Catholicos,qui in arena & ari opinionum pugnantium,fidem ſuam fundare coguntur.

Quia verò nonnullis imperitioribꝰ videri poteſt,poſſe Pontificẽ eodẽ re de Rege non Regẽ facere, quo de Monacho non Monachum facit: uanquã nulla ſit inter hęc cõparatio,Monachiſmus enim eſt inter cõia & inventa hominũ,Regnũ verò & obedientia de jure divino natui:)audiãt quid de hac ipſa *diſmonachatione* ſentiant inſignes Pontificij.

Thomas

Thomas Princeps Scholasticorum sic docet: 2.2.q.88.*art.* 11.*in O. Papa non potest facere, quod ille, qui est professus religionem non sit religiosus: licet quidam Iuristæ ignoranter contrarium dicunt. Ideò non oportet vt Papa possit in talibus, ex quo facta sunt, dispensare vel facere de Monacho non Monachum, vel de aquâ benedictâ non benedictam, vel de re consecrata non consecratam; quia hoc est contra præceptum divinum,* sic *Capreolus*, vbi supra.

Paludanus illudere vult decretum Innocentij, *dicens id tantum intellexisse, quod cum Monacho permanente Monacho non potest in castitate dispensare: at vero Papa talem moderationem non insinuat, sed simpliciter ait* (aduerte *Bell.*) *non posse dispensare cum Monacho in castitate, siue manente* Monacho, *siuè non manente:* Sic *Soto* vbi supra.

Mitto alios; quia sententiam suam in hac quæstione subticet *Bell:* & factum *Cœlestini* circa *Constantiam* negat, cuius exemplo tanquã fundamento innituntur posteriores Põtifices; & ab hoc facto ad ius arguunt & Theologi & Canonistæ; cum tamẽ dispensatio *Cœlestini* inter decreta non referatur. *Innocentij* vero proximi successoris decretum patet in decretalibus, acsi hoc decretum pro iure habendum sit, factum vero *Cœlestini* inter priuata facta Põtificum referatur, quæ ius non faciunt. De quo recte *Syluester*, verbo votum 4.q.7. *Dico secundo, quod dispensauit de plenitudine potestatis non de iure: dico tertio quod ego etiam vidi Pontificem facientem maiora cum scandalo totius Christianitatis.* Et *Franciscus Victoria. Relect.4.de potest Papæ & Concilij: propos.5.probat.6. Papa dispensando in legibus & decretis, tam Conciliorum, quam aliorum Pontificum, potest errare, & grauiter peccare. Vtinam liceret dubitare de hâc conclusione; sed videmus quotidiè à Romanâ curiâ tam largas, imò omnino dissolutas dispensationes profectas, vt orbis ferre non possit; nec solum in scandalum pusillorum sed etiam maiorum.* Krantzius etiam, *nostra sunt tempora liberaliora; nescio si meliora, quandoq; vna puella tertium vt dicitur experitur maritum primis duobus superextantibus, Saxoniæ l.5.c.13.*

In facto uero *Cœlestini* circa *Constantiam Rogerij* filiam *vxorem Henrici* 6. matrem *Frederici* secundi: negat *Bell:* Monialem fuisse, & quinquagenariam è Monasterio eductam per dispensationem *Clementis* 3. vel *Cœlestini* 3. vel *Alexandri* 3. *Henrico* 6. nuptam. 6

Historia ista verane an falsa sit, parum ad institutum nostrum facit. Esto enim quod *Constantia* Monialis non fuerit, quod quinquagenaria non nupserit, sed tricenaria; quod posteriores historici pro veritate fabulam narrant: at Pontificem pluries in hoc casu dispensasse non est negandum. *Claudius Espencæus* huius generis circiter sexdecim exempla enumerat. *De Continential.5.c.7.*

Bernardus Iustinianus in vita *Laurentij Iustiniani cap.*1. narrat, rogatu *Michaelis* Ducis Veneti, Pontificem cum *Nicholao Iustiniano* Monacho dispensasse vt ad nuptias convolaret, ex quibus natus *Laurentius Iustinianus:* idq; factum exemplo huius dispensationis, *Constantiæ* indul-

tæ.

ultæ. Etsi ergo vana sit fabula de *Constantia*, fabula tamen non
st, quod Pontifex multis Monachis & Monialibus gratiam fecerit, vt
lonasterio relicto, liberis operam darent. Mirum vero est, quod *S. An-*
ninus vir sanctus & doctus, atq; ab omni adulandi specie alieniſſimus,
ıbulam pro veritate, mendacium pro historia narret. An sancti Roma-
enses mendaces sunt, fabulas narrant? Nunquid *Antoninus* ex cerebro
ıo hanc fabulam confinxit? An *Gotefridum Viterbiensem* non vidit, non
:git? An *Vrspergensem* non inspexit? Ignarus admodum *Antoninus*, si an-
iquiores hosce historicos non viderat: indignus nomine sancti, si con-
:a historicorum fidē, sine ratione, sine testibus fide dignis fabulam pro
eritate narraverit. Sed an nemo ante *Antoninum* hanc historiam scrip-
s mandavit? *Martinus Polonus* circa annum 1320 (non ille qui Indicem
liquem expurgatorium passus est, sed antiquior quem vidit *Laziardus*;
list, *vniv. l.* 2. *c.* 219) *Constantiam* Deo dicatam fuisse narrat. Verba *Lazi-*
di sunt. *Hic (Henricus 6.) Constantiam filiam Regis Sicilia secundū Chro-*
cam Martini, licet Deo dicata esset; cum dispensatione Apostolica in vxorem
cepit. Albertus Stadensis circa annum 1240. Hæc habet. *Ibi* (Mogun-
æ) *confirmatum est matrimonium Constantiæ cum filio Imperatoris, &c. fuit*
tem Constantia iam sexagenaria. *Martinus* ergo *Polonus* dispensatum
im dicata: *Albertus* sexagenariam fuisse, ante *Antoninum* narrant. *Fa-*
ellus præterea vrget traditionem Annales Siciliæ, diplomata & decreta
œlestini, quæ in archiuo Rom: & decretis publicis leguntur. *De Reb. Si-*
l: Decad. posterior. l. 7. *c.* 6. *Petrus* de Arragon *De iustit. & iure q.* 87. *art.*
.arg. vltimo. Bellugantium, Belvesium, Illesean, Ioannem Zonaram & *Ni-*
am, cum non parva illius temporis caterva infert; vnde immerito *Soto*
cit huiusmodi fabulas non esse vndiquaq; veras.

Quid posteri? An fidem *Antonino* detrahunt? *Ex recentioribus complu-*
,imò fere omnes asserunt Constantiā Monialē fuisse: Sic *Baronius*, *Annal.*
12. *ad an* 1186. *num.* 25. Hi sunt quos videre contigit: [a] *Hartmannus*
hedel in Chronico Chronicorum: [b] *Blondus*, [c] *Platina*, [d] *Volaterranus*, [e] *Cus-*
sianus, [f] *Krantzius*, [g] *Paulus Langius*, [h] *Sabellicus*, [i] *Trithemius*, [k] *Bene-*
tus de Rambaldis, [l] *Gervasius Tornacens*, [m] *Genebrardus*, [n] *Machiauellus*,
olydorus Virgilius, [p] *Michael Ritius*, [q] *Carranza*, [r] *Pandulphus Collenu-*
s, [s] *Ioannes Philippus Bergomas*: præter Scholasticos & Canonistas, qui
hoc facto *Cœlestini*, ad ius Pontificis, in votorū dispensatione siue cō-
mitatione arguunt. An hi omnes mēdacio S. *Antonini* decepti sunt? At
ıtiquiores historici qui *Henrici* & *Constantiæ* coætanei, aut proximi
ıt, hanc *Monialem* fuisse tacent. Quid inde? An semper credendū est
ætaneis tacentibus, posteris loquentib' fides deroganda? Quare ergo
ll. in hoc ipso opere circa excōmunicationē *Arcadij* & *Eudoxiæ* mor-
e, propter *Ioannis Chrysostomi* depositionē, & exiliū, per *Innocentiū* la-
credit *Nicephoro* homini Græco, nimiūq; forte loquaci, tacentib' an-
uissimis & fide dignissimis, *Socrate*, *Sozom.* & alij historijs coætaneis
qui

[a] *In Henrico 6.*
[b] *Decad. 1. lib. 6.*
[c] *In Cœlestino 3.*
[d] *Anthropol l. 23.*
[e] *In vita Henr. 6. & Freder. 2.*
[f] *Saxoniæ l. 6. cap. 4.*
[g] *In Chron. Citiz. ad an. 1189.*
[h] *Enead. 9. l. 5.*
[i] *Chron. Hirsaug. An. 1189.*
[k] *In lib. Angustali inter opera Petrarchæ.*
[l] *In præfat: ad Falcand. de Reb. sicul.*
[m] *Chron. anno 1191.*
[n] *In Hist. Flor. lib. 1.*
[n] *Hist. Angl. in Ricardo 1.*
[p] *De Regib. Sicil. l. 1. in fine.*
[q] *In Summa Concil. & vita.*
[r] *In Hist. Neapolitana lib. 4.*
[s] *In supplemento Chronicorū l. 12.*

qui cętera omnia, exceptâ hâc excõmunicatione fideliter narrant? Quid est quod idem *Bell: In prolog. in c. de Concilijs, Zonarę* homini itidẽ Græco fidem habet, de Synodico Anathemate, quo *Leonem Isauricũ* perstrinxit *Gregorius* 2. & vectigalibus Italiæ, quibus eundẽ *Leonem* Imperatorem privavit? An quandoq; veri sunt antiquiores historici, posteri verò mẽdaces? An verò antiquiores quandoq; negligentes & cæci, posteri verò oculatissimi, plus vident narrantq; quam vnquã factum est? An potius, quod res ipsa loquitur, studium partium regula est fidei *Bell? credimus quod volumus quodq; in rem nostram est?* Quia conculcatio *Frederici* fastum nimium Pontificis loquitur, ideò errant historici, nihil tale vnquã fecit *Alexander* Pontifex. Quia dispensatio hæc *Cælistini*, cum *Constantia* Moniali, clamat post Pontifices, ideò mẽdax, aut fabulosus est *S. Antoninus*; non sic dispensavit Pontifex. Fides hęc est hominũ, non rerũ, *Tot sunt fides quot voluntates, tot doctrinæ quot mores*, vt olim *Hilar. Adversus Const:* Erubescunt Pontificij, salva res est, & spes aliqua subest, ipsos ad saniorẽ mentem reversuros, quos pudor fastus, & arrogantiæ Pontificalis, si non virtute ipsâ, saltem colore virtutis, erubescentiâ decoravit.

Verum esto: Verè narravit *Gotfridus Viterbiensis* præceptor *Henrici* 6. *Constantiam* tricennalem, *Henrico* nuptam, nec Monialem fuisse *Constantiam*, nec gratiam moniali indultã à Pontifice, quia nihil tale narrat *Gotefridus Contemporaneus*: Quanquam subesse potest ratio, cur ista faceret *Gotefridus*, vt odium Pontificis in *Tancredum* cui Regnũ Siciliæ devolvebatur, si sine prole moreretur *Constantia*, & novitatem huius dispẽsationis cum *Moniali* factam celaret. Nihil indè lucratus est *Bell.* nec enim negare audet sæpius in hoc genere Pontifices dispensasse: & Erubescentia ista nihil aliud arguit, nisi quod vulgò dici solet, *factum valet, at fieri non debuit.* Sicut vero de civitate *Roma*, igne *Veroniano* incensa, olim dictum est; *Nobis illuxit*, sic de igne hoc contentionis inter facta Pontificum, & doctrinã scholarũ, interq; varias & pugnantes Doctorũ hinc indè digladiantium opiniones, rectè dici potest: *Nobis illuxit*; quibus tutum non est huiusmodi cęcos cæcorum duces sequi; qui cum de viâ inter se contendunt, viam se ignorare planè confitentur.

CAP. XXVII.

Iuramentum magis obligat quam votum, nec potest Pontifex dispensare in Iuramento subditorum, quod ex se obligat de Iure naturali diuino etsi in voto dispensare possit.

1 *Quæstio frivola est de comparatione Iuramenti & voti.* 2. *Iuramentum obligat magis quam votum: probatur autoritatibus.* 3. *Respondetur rationibus Bell: de obiecto, de peccato, de absolute bono.* 4. *Iuramentum magis obligare quam votum probatur rationibus.* 5. *Pontifex qui in votis i. constitutionibus*

stitutionibus suis dispensat, in obedientia subditorum quæ Iure diuino debetur, non dispensat: ordo monachalis à Iure positiuo. 6. Votum solenne est: at Iuramentũ simplex. 7. Redditio voti aut de Iure diuino non est, aut à Pontifice indispensabilis est. 8. Non est dispensandum in Iuramento per quod tertiæ personæ Ius acquisitum est. 9. Etsi dispensare possit in Iuramento at in re iurata, obedientia scil: subditorum dispensare non potest. 10. Deponit Regem qui absolvit subditos: absolvit subditos qui deponit Regem, In hoc circulo haret Bell: 11. An Papa superiorem habeat à quo cogi possit?

IN principio huius cap: *Bell:* sine hoste, novam instituit quæstionem de juramento & voto, vtrum magis obliget. 1
Quæstio certè spinosa & difficilis: Redditio enim voti, sicut & juramenti, vtraq; est de jure diuino & naturali, & in præcepto illo, de non assumendo nomine Dei in vanũ, ntinetur, si *Bell:* credimus: vtraq; etiam à Deo indispensabilis, si *Ber-* *In Catechism.*
do & *Bonaventura* credimus (quamvis Deus cum *Dauidis* voto de tẽ-
ædificatione dispensaverit) nam præcepta 2 tabulæ a solo Deo dis-
ısabilia sunt, non ab homine; præcepta 1. tabulæ etiam a Deo ipso in-
pẽsabilia sunt. Cum ergo vtrumq; eodẽ præcepto mandetur, vtrumq;
lã dispensationem admittat, vtrumq; obliget in foro conscientiæ, &
iosum est & arduum, definire vter magis peccet, qui Iuramentum
qui votum non reddit; vtrum magis obliget iuramentum, an votum.
Nec spinosa tantum & difficilis est hæc quæstio, sed ad rem nostram
rsus invtilis. Quid enim interest ad rem nostram, votumne an iura-
ıtum magis obliget, si nullus homo aut voti aut juramenti gratiã fa-
possit? Aut si concedatur, quod Pontifex votorum & Consiliorum
ensator summus & interpres, possit ex plenitudine potestatis dispẽ-
in voti redditione, quod maius est, quia aut jus relaxare, aut jus de-
are potest in consilijs quæ ad Deũ solũ spectant, non tamẽ sequitur,
d in juramento quod minus est, possit jus hominis, eo invito, aut re-
re aut declarare: neq; enim potest debita hominum dimittere: sicut
.ta Dei dimittit, nec jura hominum relaxat, sicut jura Dei relaxat.
seq; hoc agit *Bucel:* vt doceat maiorem esse obligationẽ juramenti
voti; sed quod minor sit facultas Pontificis in absolutione juramẽti
tatis, quã in relaxatione voti religiosi; quia absolutio huius jura-
fit cũ iniuria hominis, tertiæ scil: personę præter Deum: Relaxatio
cum injuria solius Dei coniungitur: Iuramentum fidelitatis est de
bita & necessaria i. obedientia subditorum, quæ sub præcepto ca-
votum est de re libera & voluntaria, quæ ad consilium spectat.
mvis ergo maior esset voti obligatio quam juramenti, eadem ta-
ion esset facultas pastoris, in iuramento & in voto dispensando.
erum vt *Bell:* in non necessaria hac quæstione sequamur; vrget 1. 2
iuthoritatẽ *Thomæ*, & omnis ferè scholę Theologorũ in 3. Dist. 39

Cui

Cui quidem reſponderi poteſt, non numeranda, ſed ponderanda teſtimonia in hoc cauſa, in qua, quia nihil definitum erat ab Eccleſia; liberũ cuiq; erat, & ſentire quicquid vellet: & ſcribere quæ ſentiret. Nec mirũ eſt, ſi plures è Scholaſticis vota ſua & cõſilia magni facerent, & prę præceptis Dei & juramentis hominum extollerent; votarij enim erant & Regulares plurimi fere Scholaſtici, & ſeculares e Monaſterijs & Eccleſijs expulerant: & Spartam quam quiſq; nactus eſt, hanc adornat miriſq; laudib' proſequitur. Non deſunt tamẽ nonnulli, magni nominis Scholaſtici, qui maiorem obligationẽ juramento quam voto attribuunt, idq; rationũ pondere, nõ teſtiũ numero cõfirmant. Inter quos eſt *Alexander Alenſis*, *Thoma* antiquior p. 3. q. 3. Memb. 3. art. *Sect.* 1. *Non eſt ſimile de voto & iuramento; licet enim in vtroq; obligat veritas, tamen differenter, quia debitum veritatis ſervandæ Deo obliget in voto; debitũ autẽ veritatis ſervandæ Deo, & proximo, in iuramento.* Et infra, *Sic ergò in voto non eſt niſi vna ratio obligandi, in iuramento eſt duplex ratio obligandi.* Ideo concludit, *votum Idolo factum non eſſe ſervandum, iuramentum autem homini per Idolum factum eſſe ſervandum.*

Richardus de Media villa In 4. diſt. 38. art. 5 q. 2. *probabile eſt obligationem voti eſſe iuramento fortiorem; oppoſitum tamen probabilius videtur, tota enim voti ratio in iuramento comprehenditur, & quid amplius.* *Ioannes Maior* in 4. diſt. 38, q. 4. dub. 2. *Robertus Holkot.* in 3. quæſt. vnica art. 1. *Iacobus Almayn* de poteſt: Laica cap. 12. *Martinus Nævarrus* in Enchiridio cap. 27. num. 275. *Gregorius de Valentia* Ieſuita, & *Thomæ* commentator; Sed *Thomæ* & Ieſuitis contrarius 22. diſput. 6. q. 7. punct. 4. ff. 1. Eius verba addam, quia rationes *Thomæ* euertunt. *Si tamen reſpiciamus obligationem ſolius Religionis, vt religio eſt, non videtur ea in voto eſſe maior, per ſe loquendo, quam in iuramento, ſed aliquanto minor: nam maior irreverentia eſſe videtur, ſi expreſſe illum contemnat, aut contumelia afficiat, aut minuat ipſius honorem.* Præterea *Bartholomæus Fumus* author armillæ, aureæ dicit, *Iuramentum & votum ſecundum Canoniſtas currunt de pari, vt dicit* Panormitanus *in c. Si verò: eodem titulo, vbi dicit quod Eccleſia facit maiorem vim in iuramento quam in voto, quia eſt maius periculum deierandi eo quod crebrius fit iuramentum quam votum.*

Verbo iurare num. 19.

5 „ Sed omiſſis teſtibus, ad teſtimonia ſiue rationes deſcendamus.

„ 1. Ratio *Bell:* ex *Thoma* deſumpta hæc eſt: ab obiecto: *Votum eſt promiſſio facta Deo: iuramentum eſt confirmatio promiſſionis homini factæ: magis autem tenetur homo implere promiſſionem factam Deo, quam homini.*

Reſpondeo 1. Etſi iuramentum ſit confirmatio promiſſionis homini factę, non tamen homini ſoli, ſed etiã Deo. Quicquid enim promittitur imagini, id Archetypo; quod homini id Deo juratur. Qui iurat obedientiam Regi, non Regi qua homo, ſed qua Deus: *Dixi Dij eſtis: Pſal* 82. 6. quaq; Dei Vicarius, & Prorex obedientiam ſpondet. Quiſquis in Regem rebellis eſt, primum in Deum rebellis eſt, cuius præceptum in

Rege

Rege violando violat: proditor in Regem prius Dei proditor eſt. Omnia peccata quæ in proximum committuntur, per latera proximi contra Deum fiunt. Imo Deus in medio, inter te & proximum; non potes proximum vulnerare, niſi per latera Dei. Omne peccatum, ideo peccatum eſt, quia eſt contra præceptum diuinum: vti *Holkot, in loco citato*, in ſolutione huius argumenti. Promiſſiones proximo factæ, per proximũ fiunt Deo: In iuramento ergo, ſicut fit promiſsio homini, ſic & Deo fit: & proinde æqualis eſt obligatio ratione obiecti in iuramento & voto; quia iuramentum habet Deum in proximo pro obiecto, ſicut & votum.

2. Sicut promiſsio homini facta iuramento confirmatur, ſic etiã promiſsio Deo facta iuramento confirmari poteſt: vt ſi *Socrates* promittat de continentiam poteſt eandẽ Deo iuramento confirmare, & Deum contra ſe, in cauſa Dei teſtem, iudicẽ & vindicem advocare: ſicut enim iurat homo homini per Deum, ſic etiam iurare poteſt homo Deo per Deum: nec hoc mirum cum Deus homini jurat per ſeipſum, quia maiorem non habet per quem iuret. Non eſt igitur aſsignanda talis differentia inter votum & iuramentum, quod iuramentum non poteſt fieri niſi homini; *poteſt enim fieri Deo, vel homini per Deum*; inquit *Holkot*: id quod *omnes in contrario*, non negat. *Per iuramentum autem aliquis obligatur quandum homini: Interdum homini*: caute hoc & verè: ergo aliquando & non. Illud (interdum) fraudulenter omiſit *Bell:* & vniuerſaliter inquit: *iuramentum eſt confirmatio promiſſionis factæ homini*; acſi nullum fieri poſsit Deo iuramentum. Non ergo diſputat ad idem, ſed mutat ſuppoſitionem, dum iuramentum homini factum, confert cum voto quod Deo fit. Quod ſi æqualis fiat cõparatio i. ſi iuramentũ Deo factum, conferatur cum voto quod Deo itidem fit; aut ſi iuramentũ homini factum cum voto homini facto conferatur; & tunc de obligatione inſtituatur diſputatio an iuramentum Deo factum magis obliget, quam votum Deo factũ, euaneſcit hoc argumentum ab obiecti diuerſitate, quia idem vtriuſq; obiectũ; & par erit obligatio iuramenti & voti, aut aliquando maior, quia ſimplici promiſsioni voti, ſuperadditur confirmatio iuramenti. Quod ſi promiſsio homini facta, cum promiſsione Deo facta cõferatur, iniqua prorſus erit cõparatio; inter Deũ enim & hominẽ, inter infinitũ & finitũ, ratione obiecti, nulla erit cõparatio, quia plus quam genere differunt. Magnitudo eius cui fit iuramentũ, vel votũ, maiorẽ obligationẽ inducere poteſt: æqualitas vel identitas eius cui iuratur & voti æqualem obligationẽ facit. Idẽ eſt obiectũ iuramenti & voti: erit ergo obligatio par: cæteris ergo paribꝰ poſitis plus obligat iuramentum quam votum, vt *Ioannes Maior vbi ſupra*. Vndè ſic recolo. Omne iuramentum fit Deo & homini, aliqua verò iuramenta fiunt Deo ſoli, ſicut votum: æqualiter ergo ratione obiecti obligat iuramentum & votum. Secunda, ratio *Bell:* ex *Thoma* hæc eſt. *Qui votum violat infidelis eſt. Qui frangit iuramentum crimen irreuerentiæ in Deum committit;*

Cui quidem reſponderi poteſt, non numeranda, ſed ponderanda teſtimonia in hoc cauſa, in qua, quia nihil definitum erat ab Eccleſia; liberũ cuiq; erat, & ſentire quicquid vellet: & ſcribere quæ ſentiret. Nec mirũ eſt, ſi plures è Scholaſticis vota ſua & cõſilia magni facerent, & prę præceptis Dei & juramentis hominum extollerent; votarij enim erant & Regulares plurimi fere Scholaſtici, & ſeculares e Monaſterijs & Eccleſijs expulerant: & Spartam quam quiſq; nactus eſt, hanc adornat miriſq; laudib' proſequitur. Non deſunt tamẽ nonnulli, magni nominis Scholaſtici, qui maiorem obligationẽ juramento quam voto attribuunt, idq; rationũ pondere, nõ teſtiũ numero cõfirmant. Inter quos eſt *Alexander Alenſis*, *Thoma* antiquior p. 3. q. 3. Memb. 3. art. *Sect.* 1. *Non eſt ſimile de voto & iuramento; licet enim in vtroq; obligat veritas, tamen differenter, quia debitum veritatis ſervandæ Deo obligat in voto; debitũ autem veritatis ſervandæ Deo, & proximo, in iuramento.* Et infra, *Sic ergò in voto non eſt niſi vna ratio obligandi, in iuramento eſt duplex ratio obligandi.* Ideo concludit, *votum Idolo factum non eſſe ſervandum, iuramentum autem homini per Idolum factum eſſe ſervandum.*

Richardus de Mediavilla In 4. diſt. 38. art. 5 q. 2. *probabile eſt obligationem voti eſſe iuramento fortiorem; oppoſitum tamen probabilius videtur, tota enim voti ratio in iuramento comprehenditur, & quid amplius.* *Ioannes Maior* in 4. diſt. 38. q. 4. dub. 2. *Robertus Holkot.* in 3. quæſt. vnica art. 1. *Iacobus Almayn* de poteſt: Laica cap. 12. *Martinus Navarrus* in Enchiridio cap. 27. num. 275. *Gregorius de Valentia* Ieſuita, & *Thomæ* commentator; Sed *Thomæ* & Ieſuitis contrarius 22. diſput. 6. q. 7. punct. 4. *ff.* 1. Eius verba addam, quia rationes *Thomæ* euertunt. *Si tamen reſpiciamus obligationem ſolius Religionis, vt religio eſt, non videtur ea in voto eſſe maior, per ſe loquendo, quam in iuramento, ſed aliquanto minor: nam maior irreverentia eſſe videtur, ſi expreſſe illum contemnat, aut contumelia afficiat, aut minuat ipſius honorem.* Præterea *Bartholomæus Fumus* author armillæ, aureæ dicit, *Iuramentum & votum ſecundum Canoniſtas currunt de pari, vt dicit* Panormitanus *in c. Si verò: eodem titulo, vbi dicit quod Eccleſia facit maiorem vim in iuramento quam in voto, quia eſt maius periculum deierandi eo quod crebrius fit iuramentum quam votum.*

Oerbo iurare num. 19.

5 „ Sed omiſſis teſtibus, ad teſtimonia ſiue rationes deſcendamus.

„ 1. Ratio *Bell:* ex *Thoma* deſumpta hæc eſt: ab obiecto: *Votum eſt promiſſio facta Deo: iuramentum eſt confirmatio promiſſionis homini factæ: magis autem tenetur homo implere promiſſionem factam Deo, quam homini.*

Reſpondeo 1. Etſi iuramentum ſit confirmatio promiſſionis homini factę, non tamen homini ſoli, ſed etiã Deo. Quicquid enim promittitur imagini, id Archetypo; quod homini id Deo juratur. Qui iurat obedientiam Regi, non Regi qua homo, ſed qua Deus: *Dixi Dij eſtis: Pſal* 82. 6. quaq; Dei Vicarius, & Prorex obedientiam ſpondet. Quiſquis in Regem rebellis eſt, primum in Deum rebellis eſt, cuius præceptum in

Rege

Rege violando violat: proditor in Regem prius Dei proditor est. Omnia peccata quæ in proximum committuntur, per latera proximi contra Deum fiunt. Imo Deus in medio, inter te & proximum; non potes proximum vulnerare, nisi per latera Dei. Omne peccatum, ideo peccatum est, quia est contra præceptum diuinum: vti *Holkot, in loco citato*, in solutione huius argumenti. Promissiones proximo factæ, per proximũ fiunt Deo: In iuramento ergo, sicut fit promissio homini, sic & Deo fit: & proinde æqualis est obligatio ratione obiecti in iuramento & voto; quia iuramentum habet Deum in proximo pro obiecto, sicut & votum.

2. Sicut promissio homini facta iuramento confirmatur, sic etiã promissio Deo facta iuramento confirmari potest: vt si *Soeraet* promittat Deo continentiam potest eandẽ Deo iuramento confirmare, & Deum contra se, in causa Dei testem, iudicẽ & vindicem advocare: sicut enim iurat homo homini per Deum, sic etiam iurare potest homo Deo per Deum: nec hoc mirum cum Deus homini jurat per seipsum, quia maiorem non habet, per quem iuret. Non est igitur assignanda talis differentia, inter votum & iuramentum, quod iuramentum non potest fieri nisi homini; *potest enim fieri Deo, vel homini per Deum*; inquit *Holkot*: id quod *Thomas in contrario*, non negat. *Per iuramentum autem aliquis obligatur interdum homini: Interdum homini*: caute hoc & verè: ergo aliquando & Deo. Illud (interdum) fraudulenter omisit *Bell:* & vniuersaliter infert: *iuramentum est confirmatio promissionis factæ homini*; acsi nullum fieri possit Deo iuramentum. Non ergo disputat ad idem, sed mutat suppositionem, dum iuramentum homini factum, confert cum voto quod Deo fit. Quod si æqualis fiat cõparatio i. si iuramentũ Deo factum, conferatur cum voto quod Deo itidem fit; aut si iuramentũ homini factum cum voto homini facto conferatur; & tunc de obligatione instituatur quæstio an iuramentum Deo factum magis obliget, quam votum Deo itidẽ factũ, euanescit hoc argumentum ab obiecti diuersitate, quia idem est vtriusq; obiectũ; & par erit obligatio iuramenti & voti, aut aliquanto maior, quia simplici promissioni voti, superadditur confirmatio iuramenti. Quod si promissio homini facta, cum promissione Deo facta cõferatur, iniqua prorsus erit cõparatio; inter Deũ enim & hominẽ, inter infinitõ & finitũ, ratione obiecti, nulla erit cõparatio, quia plus quam genere differunt. Magnitudo eius cui fit iuramentũ, vel votũ, maiorẽ obligationẽ inducere potest: æqualitas vel identitas eius cui iuratur & vovetur æqualem obligationẽ facit. Idẽ est obiectũ iuramenti & voti: ergò obligatio par: cæteris ergo parib⁹ positis plus obligat iuramentum quam votum, vt *Ioannes Maior vbi supra*. Vndè sic recolo. Omne iuramentum fit Deo & homini, aliqua verò iuramenta fiunt Deo soli, sicut & vota: æqualiter ergo ratione obiecti obligat iuramentum & votum.

Secunda, ratio *Bell:* ex *Thoma* hæc est. *Qui votum violat infidelis est Deo; Qui frangit iuramentum crimen irreverentiæ in Deum committit;*

„ *grauius autem crimen infidelitatis est quam irreverentiæ; cum infidelitas omnis*
„ *erga superiorem irreverentiam coniunctam habet, non omnis irreverentia in-*
„ *fidelitatem; Igitur grauius peccat votifragus quam juramenti violator; proindè*
„ *magis obligat votum quam juramentum.*

Respondeo: Si in maiore propositione infidelitas opponatur fidei, falsa est prima pars propositionis, vti rectè observat *Ioan: Maior vbi supra. Possibile est enim* (inquit) *transgressorem voti, habere fidem rectam in intellectu, sicut non implentem juramentum.* Si infidelitas opponatur non fidei in intellectu, sed fidelitati in affectu, siue vitâ & moribus, falsa est secunda pars maioris, qui frangit iuramentum crimen irreverentiæ in Deum committit, (non infidelitatis) illud enim addendum est, alias nō concludit, sicut enim votum nascitur ex fidelitate quam Deo debemus, vt ei promissum solvamus; sic etiam juramentum ex eâdem fidelitate nascitur: & sicut in violatione voti est peccatum infidelitatis, sic etiam in violatione juramenti maior est infidelitas, quia intercedit non solum promissio vt in voto, sed etiam confirmatio promissionis per Deum: &, vti author est *Chrysostomus, In Act. Apost. Hom.* 9. non solum Deum testē, Iudicem siue vindicem advocat, sed etiam *fide jussorem adhibet, cui non propter se, sed propter Deum creditur*; quiq; iuramentum violat non solum seipsum periurum, sed etiam Deum quantum in se est, falsum facit.

Non est ergo maior infidelitas in voti transgressione, quam in transgressione juramenti. Præterea in violatione juramenti est crimen irreverentiæ in Deum annon & eadem est irreverentia in voti violatione? Si ergo par sit infidelitas, irreverentia par in violatione iuramenti & voti, obligatio juramenti & voti, hoc respectu, saltem æqualis erit. *An autem infidelitas qualibet irreverentiam Dei exaqueret, nunc non inquiro:* (inquit *Ioannes Maior*) Vide *Gregorium* de Valentia vbi supra.

„ Quod addit *Bell:* in conclusione; *Grauius peccat votifragus quam iura-*
„ *menti violator*: Id si verum sit, Votifragus periuro peior esset: quod si in voto Pontifex dispensare non potest, quia votum ad 1. tabulam pertinet, autore *Bell:* in qua dispensare non potest, nec Deus, vti ex *Bernardo, Bonaventura* patet, proculdubio *Bell: quia votifragus, periuro peior est.* Neq; video quomodo cum voto *Bell:* dispensare potuerit Papa. Pontifex enim cū Monacho dispensare non potest, vt votum non servet; at de Monacho non Monachum facere potest, & tunc cessat votum: potest ergo de Iesuita non Iesuitā facere; sed Iesuita existente, non potest votum eius tollere. Sed missa hæc faciamus. Iuramenti violatio *Augustino Epist. 154 ad Publicolam, Immane; & Epist. 89. ad Hilarium, grauissimum est peccatum.*

Si Regem terræ ad infima tribunalia in testem vocare nefarium est, vtpote maiorem & actoribus & judicibus, cur increatum ad Creata accersimus, & Deum ab hominibus negligi efficimus. Apagè id omnem superat iniquitatem & audaciam. Hæc *Athanasius*. De passione & cruce Domini *Deum citare te-*

stem.

stem mendacij scelus est nefarium, Sic Philo, de Decalogo. *Periurium de ratione sui importat contemptum Dei*; Sic *Thomas* 2.2. *q.* 98. *art.* 3. *in corp.* Præterea periurium est quædam abnegatio Divini nominis, & secundum post Idololatriam locum tenet. Iuramentum actus est latriæ; periuriũ ergo directè opponitur latriæ, & cultui divino. Nec videtur quod voti redditio ad 1. tabulam spectet, quia Deus, qui iuxta *Bonaventuram* in 1. tabula non dispensat, in voto *Davidis* de Templi ædificatione dispensavit (non Summus Sacerdos, non homo) quiq; periuris plurima mala minatur, voti violatoribus non minatur; videtur ergo violatio voti minus peccatum quam violatio iuramenti: & proinde magis obligat iuramentum quam votum.

3. Ratio, *Bell:* propria, hæc est: *Votum est res absolute bona, iuramentum bonum est necessitate cogente: alioqui Dominus Mat.* 5. 34. *dicit: Ego autem dico vobis, non jurare omnino. Et Iacobus Iacob.* 5. 12. *Antè omnia nolitè jurare: nusquam autem legimus: nolite vovere; sed è cõtra: Vovete & reddite Domino Deo vestro: Psal.* 75. Respondeo. Si iuramentum non sit res absolute bona, nec votum est res absolute bona: juramentũ enim non est res absolute bona propter abusũ: quia aut falso, aut otiosè & sine causa sępe iurant homines: alias veritatẽ ipsã primã, in testimonium veritatis aduocare, in suâ naturâ res bona est: nec jurasset Dominus ipse per seipsũ nisi iuramentum esset in naturâ suâ res absolute bona: quicquid enim facit Deus est valde & absolute bonũ: Iurare ergo res est absolute bona sed hominẽ iurare, qui & peierare & otiosè jure solet, ex abusu res absolute bona nõ est. Verũ annõ idẽ in voto abusus est? vovet *Iepbte* sacrificiũ filiæ: voverunt 40. *Iudæ* mortẽ S. *Pauli* vovent multi otiosa & frivola hoc parũ est, etiã otiosa & horrenda, mala & impossibilia. Non est ergo votũ res absolutè bona, quia aliquando votũ malum est, sicut & iuramentũ: nec potest dici res absolutè bona, quę quãdoq; bona est, quãdoq; mala.

Iuramentum bonum est, necessitate cogente, i. juramentum nisi necessitate cogente non est faciendum: ficcinè verò? An necessitate cogente iurat Deus, qui nunquam nisi benè jurat? An necessitas externa in Deum cadit? An facit quicquam quod non vult? aut vult quod non est bonum in se sine necessitate cogente? An credit quisquam Deo iuranti, i. seipsum testem advocanti (maiorem enim non habet) qui Deo promittenti non credit? Eadem fide creditur Deo promittenti, & iuranti; quia idem est jurans, & testis: Iuramentum ergo in naturâ suâ res absolute bona est, quia à Deo & instituta est, & vsitata: licet homines propter timorem periurij, aut vani iuramenti, nisi cogente necessitate iurare prohibeantur: & qui falsò, aut otiosè, iurare prohibentur necessitate cogente, iurare non tantum permittuntur, sed etiam iubentur: in omni enim præcepto est mandatum & vetitum: *Non iurabis* falso aut otiosè; jurabis cum necessitas vrget: vbi prohibetur malum, bonum præcipitur *Non habebis Deos alienos*; habebis Deum vnum & verum: non iurabis

fruſtra; jurabis ergo cum opus fuerit: jurare ergo in naturâ ſuâ res eſt bona, quia ſub præcepto divino cadit.

At *Iacobus* dicit, *nolite iurare*: Dominus dicit; *Nolite iurare omnino*. Si verba hæc iuxta literam intelliguntur, error Anabaptiſtarum veritas eſt; non licet iurare omnino, ne vrgente quidem neceſſitate. Iuramentũ res eſt, non tantum bona ſub conditione, ſed ſimpliciter & abſolute mala. Si *Scripturæ ſint in intelligendo, non in legendo*, non prohibetur in his verbis Domini, & ſerui, vſus iuramenti, ſed abuſus. *In nouo teſtamento dictum, ne omnino iuremus: quod quidem mihi propterea dictum videtur, non quia verum iurare peccatum eſt, ſed quia peierare immane peccatum eſt, â quo nos longe eſſe voluit, qui omnino, ne iuremus admonuit*: Sic *Auguſt. In Epiſt.* 154. *ad Public.* Et alibi *In Ep.* 89. *ad Hilarium. Multò tutius, quantũ ad nos attinet, nunquam iuramus vt ſit in ore noſtro, eſt, eſt, non, non, ſicut Dominus monet: non quia peccatum eſt verum iurare, ſed quia graviſſimum peccatum eſt falſum iurare; quo citius cadit, qui conſuevit iurare.* Vnde *Thomas* 2.2. q. 89. art. 2. in corp. *Nihil prohibet aliquid eſſe ſecundum ſe bonum, quod tamẽ cedit in malũ eius, qui non vtitur eo conuenienter. Sicut ſumere Euchariſtiã eſt bonum, & tamen qui indigne ſumet iudicium ſibi manducat & bibit*: 1. Cor. 11. *Sic ergo in propoſito, quod iuramentum ſecundum ſe eſt licitum & honeſtum; quod patet ex origine & fine, &c. ſed iuramentum cedit alicui in malum, ex eo quod male vtitur eo, id eſt ſine neceſſitate & cautelâ debitâ.* Et in reſponſione ad 2. ex *Auguſt.* Sic ſtatuit: *Apoſtolus iurans in Epiſtolis ſuis, oſtendit quomodo accipiendum eſſet, quod dictum eſt: diſo vobis non iurare omnino; ne ſcilicet iurandi ad facilitatem iurandi perveniatur, & ex facilitate iurandi ad conſuetudinem, & â conſuetudine in periurium decidatur.*

Quid multis opus eſt? *Quicquid abuſu corrumpi poteſt, vſum habet bonum & legitimum*, & proinde in natura, & ſecundum ſe bonum eſt: at iuramẽtum in natura ſua licitum & honeſtum eſt: alias Deus, & Apoſtolus, non iuraſſent; & eo melius, quo facilius magiſq; corrumpitur: *corruptio enim optimi peſſima eſt*: & latria res bona, & optima eſt, inter actus humanos, & tamen in Idololatriam omnium peſſimam divergit. Nec dicit Chriſtus, iuramentum non eſt bonum, niſi vrgente neceſſitate; *Sed nolite iurare*, vt intelligant omnes eum non de re ipſa in natura ſua bona, ſed de vſu & exercitio rei bonæ locutum eſſe.

Quid vero votum? An votum abſolute bonum? Bonum ergo abſolute erat votum *Iephte Iudic.* 10. bonũ illud 40. *Iudeorum Act.* 23. qui mortẽ *Pauli* voverunt, bonum eſt votum eorũ, qui res malas, vel impoſſibiles vouent. Abuſus eſt in votis maximus, ſicut in iuramentis: aut ergo votum res non eſt abſolute bona, aut iuramentũ itidẽ erit abſolutè bonũ.

At nunquã dicitur, *nolite vovere: ſed vovete & reddite*: Et tamen multa emittuntur ab hominibus vota, quæ fortè Deo accepta non ſunt, & de votis malis & otioſis rectè dicitur; *nolite vovere*, ſicut de iuramentis falſis & frivolis dicitur, *nolite iurare*. In Evangelio vero, ſicut non

dicitur:

dicitur, *Nolite vovere*, sic nec dicitur, *vovere*. & tamen multiplicata sunt vota Christianorum super vota Iudæorum: sicut etiam ratione ęremoniarum, tolerabilior est conditio Iudæorum quam Christianorum, sic vt Christiani qui in spiritu & veritate Patrem adorant, in carne, in figuris, & votis, Iudæos superent.

Quod ad Conclusionem attinet; votum non est nobilius juramento, nec magis obligat, quia iuramentum Deum ligat, non itidē votum, periurium vero maximum penè peccatum est, quia in 1. tabulam: voti vero præuaricatio iuxta *Io: Maiorem vbi supra*, ad pręceptum de falso testimonio spectat: nec satis constat, quomodo qui votum violat, nomē Domini in vanum assumat. Quamvis vero dispenset Pōtifex, satis pro imperio in votis suis, id est in regulis ab ipso institutis, non tamē potest in iuramētis dispēsare, quę a Deo instituta & lege divina & naturali roborata, a servo dispensari, aut relaxari non possunt. Imovero minus potest in iuramēto, quā in voto dispēsare; quia ex iuramēto ius homini, ex voto ius *Deo* acquiritur: licet vero Papa jus *Deo* acquisitū sępe solvat, vt patet in illis quę *Deo* data sunt, ius tamē homini acquisitū remittere non potest; quia rerū divinarū nō humanarū dispēsator & Oeconomus cōstitutus est.

Vt vero par pari referam, aliquas pro obligatione juramenti rationes adiungam: Prima sit. Omnis ratio obligationis in voto est in iuramento, & aliquid amplius; votum obligat propter promissionem, iuramentum & promissionem habet & confirmationem: magis ergo obligat juramentum, quam votum. Vide *Richardum*: *Holkot* & *Maiorem*. Secunda, Iuramentum ligat ex veritate diuinâ & humana; votū obligat solum ex veritate humana: Ergo iuramentum magis obligat quā votū. Tertia, Iuramentū violentū siue coactū ligat; votū autē coactū nō ligat; maior ergo est obligatio iuramenti quam voti: quia etiā nolentē ligat. Quarta, Iuramentum finis est omnis controuersiæ, votum non est; proinde magis statur iuramento quam voto. Ergo iuramentū magis, &c. Quinta, maxima est pœna periurij & iuramenti violati, in hac vita; quia iurisiurandi contempta religio Deum habet vltorem: at voti violati nulla extat pœna: maior ergo est obligatio iuramenti quam voti. Sexta, Iuramentū immutabile est, *Heb.* 6. 18. Votum vero secundū vos mutabile, ergo &c. Hęc de iuramenti & voti obligatione obiter dicta sint, ne *Bell*i digressioni quæ tota extra oleas, nihil respondisse videamur: iā ad 1, principale argumētū *Bare*. redeamus: quod breviter sic colligi potest.

Ordo Monachalis ab humanis constitutionibus & iure positivo profectus est, in quo plena & omnimoda Pontifici potestas est.

Obedientia Regibus & Principibus debita, est iuris divini & naturalis, in quo Papa dispensare non potest.

Licet ergo possit in votis Monasticis Pontifex dispensare, at in obedientiâ subditorum non potest.

Resp. *Bell*: 1. *Totus ordo Monachalis ab humanis constitutionibus &*

„ *iure positivo profectus non est : id quod asserere & falsum est & hæreticum.* An hæreticum sit, id vero patebit, cum Canone millius Concilij, in quo decretum sit, ordinem Monachalem esse de jure diuino, ostendat *Bell*: An vero falsum sit, id iam agamus. Si totus ordo Monachalis à constitutionibus humanis & iure positivo profectus non sit: tum ex jure divino naturali, aut saltem positivo ortum habet; neq; enim datur tertiũ: Quicquid est, aut de iure divino, aut positivo, ortum habet. Si de jure divino positivo in Evangelio, in consilijs nempe Evangelicis ortum habeat ordo Monachalis, vt in sequentibus innuere videtur *Bell.* tum ex jure divino naturali & æterno ortum non habet. Et proindè nec *Enoch*, qui cœpit invocare nomen Domini, nec *Filij* Prophetarum qui in Collegijs tanquam Academijs vivebant, nec *Ioannes Baptista* qui in Eremo vitam austeram agebat, ordinem Monachalem ex jure divino instituerunt, quia jus positivum Evangelicum, & consilia Evangelica nondum edita & statuta erant.

Si de jure divino naturali & æterno ortum habeat ordo Monachalis, vt innuere videntur probationes *Bell*: de *Enoch*, & *Nazaræis*, & *filijs prophetarum*, & *Rechabitis*; & *Ioanne Baptistâ*, tum in consilijs Evangelicis non fundatur, vti *Bell*: quia nullum ædificium, nulla structura fundamento suo antaquior est; & proinde domus ista sine fundamento, vt arenæ acervus, mole ruit sua. Interim vero dum hinc inde fluctuat *Bell*: dubius vetũ in jure divino naturali, an in iure divino positivo in Evãgelicis consilijs Monastici ordinis fundamenta locaret; hoc proculdubio certũ est, nondũ convenire inter Monachalis ordinis patronos, cui iuri divino naturali scil: an positivo ortum Religiosorũ regularium tribuat: & proindè hæreticum non esse cum *Barc*: affirmare, totum ordinẽ Monachalẽ ab humanis constitutionibus & iure positivo profectum esse.

Interim observet Lector, quam male inter se cohæreant ista; *Ordo Monasticus fundatur in consilijs, & ordo Monasticus est iure divino.* Etsi enim consilia ex ore Domini, & Dei nostri, *Iesu Christi* profecta sunt, non tamen fiunt jus divinum, qui non vt jus divinum, sed vt consilia divina proponuntur: nec quicquid loquitur *Christus*, est jus divinum; nec instituit *Christus*, vt quisquam aut cælebs, aut pauper viveret, sed liberum cuiq; reliquit, vt castitatem, vel in cælibatu, vel in coniugio, vel in viduitate eligeret: sic liberum fecit unicuiq; vt mundi contemptum & abrenunciationem vel possessor, vel sine proprietate præoptaret: Quicquid vero est de iure divino, hoc aut præcipitur, aut prohibetur: quicquid est inter consilia, nec præcipitur nec prohibetur.

Præterea cõsilia ex ore ipsius Domini nostri *Iesu Christi* profecta sunt, sed vt consilia, non vt iura; nec cuiquam homini, multo minus cuiquam hominũ generi, siue ordini, & vocationi imposita. Quatenus ergo cõsilia sunt omnibus libera, eatenus à Domino profecta sunt: quatenus vero huic vel illi ordini imposita, eatenus non ab ore Domini, sed à iure

positivo

positivo & institutione humanâ sunt. Quamvis ergo fundamentum à Domino sit, superstructura tamen, non à Domino sed a servo est. Nec iam quæritur an consilia sint a *Christo* Domino, sed an ordo Monachalis, qui (vt putat *Bell:*) in consilijs fundatur, sit a Domino. Nec magis sequitur: *Consilia sunt à Domino; ergo ordo Monachalis est a Domino:* quam istud: *Socrates fundavit domum, ergo eandem perficit. Secundum gratiam quæ data est mihi, vt sapiens architectus fundamentum posui, alius autem superædificat:* Sic Apostolus, 1. *Cor.* 3. 10. Et ibidem constat, super idem fundamentum, alios *aurum, argentum, lapides pretiosos:* alios itidem *lignum, fœnum, stipulam* superædificare. An quia in his fundamentum est a Deo, proindè etiam & lignum, fœnum, stipula, quæ superædificantur, a Deo sunt? *Consilia sunt à Deo: ergo regulæ consiliorum sunt à Deo;* non sequitur. *Consilia sunt à Deo; ergò vovere consilia est de iure divino.* Si rectè concludit *Bell:* In Evangelio nunquam dicitur *nolite vovere;* Ergo etiam votum eorum qui malum vovent, est absolute bonum: quidni etiam concludere licet: Nunquam dicitur in Evangelio; vovete consilia Evangelica: ergo vota non sunt de jure divino vel institutione Domini. *Regula Sanctorum, Basilij, Augustini, Benedicti, nec non authentici Canones, & si qua sunt alia Ecclesiastica instituta digne authoritatis: qua quoniam à sanctis tradita sunt, sancita stabiliter perseverant.* Et infra. *Tamen ab hominibus etiam per homines loco & officio illis canonicâ electione succedentes, licitè interdum, innoxieq; pro causis, personis, locis & temporibus dispensantur.* Rationem addit: *quoniam non naturaliter, nec per se bona sunt.* Hæc *Bernardus.* Si regulæ istæ de jure divino essent, naturaliter, & per se, bonæ essent. Et de obedientiâ Monachorum dicit. *Sed quis sane dicat plus tribuendum humanis quam divinis traditionibus, pluriſq; quod per suos Deus, quam quod per seipsum imperat æstimandum?* Ecce *Bernardo* ordo Monachalis institutio est Ecclesiastica, traditio humana, per servum, non per Dominum ipsum facta. Et *Thomas* de temporibus Apostolorum hæc habet: *Nondum tunc temporis religiones institutæ erant.* Quid multis opus est? ordo Monachalis & regula monastica idem sonant: hunc ordinem, hanc regulam iuris divini esse, & a Christi ore profectam dicit *Bell.* non probat, nec probabit vnquam: Donec probet, hæc Lectori sufficere possunt; non esse institutionis divinæ sed humanæ quia & votà & regulæ religiosorum ab hominibus institutæ sunt. Addit *Bell: Vota ipsa monastica in quibus essentia monasticæ vitæ consistit iuris divini esse, non modo Catholici omnes docent, sed & ipse Barcl. paulò ante confessus est.* Sed locum non designat, nec ego talem apud *Barcl.* confessionem reperio. Quid docent votarij de essentia votorum suorum, non iam quæritur: (quamvis *Iosephus Angles In* 4. *part.* 2. *de voto art.* 8. *in concluſ.* dicat ex *Thomâ & Richardo, Votum nihil aliud est quam lex quædam humana, quam aliquis sibi præscribit: licet enim observatio voti sit de lege divina, facere tamen votum actus humanus est.* An vita monastica sit

Bernard de præcepto & dispensatione.

de jure diuino, & an vota Monastica, in quibus consistet essentia vitæ Monasticæ, sint de iure diuino, nunc non inquiro; quia authores suos tacet *Bell*: Sed vtrum nemo Monachus esse poterit, nisi qui tria illa, cœlibatus, paupertatis, & obedientiæ vota emiserit, id vero magnopere dubitatur: Nec enim satis probari potest, antiquos illos Monachos, *Paulum, Antonium, Hilarionem*, alioſq; quos celebrat antiquitas, hæc tria vouisse. *Polydorus Virgilius*, Indagator inventarum rerum omnium sagacissimus, de his Monachis sic refert, *De Inventor: rerum* l. 7. c. 1. *Item nullum*, (apudillos Monachos) *votorũ vinculũ ita vt integrũ vnicuiq; foret, manere aut proficisci quo terrarum vellet: vel si quem eiusmodi instituti sui pœnituisset, etiam potestas esset ad pristinam redeundi vitam; non absq; tamen inconstantiæ nota.* Id quod etiam animaduertit *Erasmus* ex lectione *Hieronymi, In vita Hier: Votorum nulla vincula, nisi quæ sunt cuiusq; puri Christiani.* Vnde *Caietanus* explicans verba illa Christi: *vade, vende, &c. Matt.* 19. sic habet: *Attende prudens Lector, quod nullum inducitur à Iesu votum, volenti perfectionem vitæ assequi: quia non in vinculis votorum, sed in operibus cõsistit perfectionis assecutio. Laudabilia sunt vota religionis sed non illorum professione, sed operibus quibus imitamur Iesum Christũ acquiritur perfectio.* Idẽ etiam dicit Apostolos non vouisse paupertatem: *Act.* 3. quos tamen Monachos fuisse author est *Bell*: Vnde etsi res illæ, quæ sub votum cadunt, ad essentiam vitæ monasticæ pertinere possunt quod tamen non concedimus; at vota ipsa non sunt de essentia vitæ monasticæ. *Respondet* 2. *Submissio Regibus debita est iuris divini & naturalis; submissio Monachorum præpositis suis debita, itidem est de iure diuino & naturali: sicut ergo dispensat Pontifex cum obedientia Monachorũ erga Præpositos suos, sic etiam dispensare potest cum obedientia subditorum erga Reges.*

Respondeo. Non potest Pontifex dispensare cum obedientia subditorum, quia est de iure diuino & naturali, in quo Pontifex gratiam facere non potest. Dispensat Pontifex cũ obedientia Monachorũ de facto; an vero de iure ipse viderit: Redditio enim voti est de jure diuino, quod relaxare non potest servus principalis: Si vera narrat *Bell*: qui votorum redditionem ad secundum præceptum l. tabulæ refert, in quo (inquit *Bonaventura*) *Deus ipse non dispensat.* Hic ergo libera detur *Bell*: optio, aut redditio voti est de jure diuino, in quo non potest iure Pontifex dispensare, quia servus non est supra Dominum: aut redditio voti non est de iure diuino, & sic inæqualis est comparatio: Ius autem diuinum declarare, non judicis est sed Theologi, & proinde in hoc sensu nõ magis spectat ad Pontificem, quam ad quemlibet Episcopum & Theologum, qui clauem habet scientiæ: declaratio enim ista ad clauem scientiæ potius quam ad clauem discretionis spectat.

6 *At votum Monachorum solenne est, iuramentum vero subditorum simplex: & voti vinculũ maius est quam iuramenti vt Theologi* (diceres, votarij) *docent.* De vinculo juramenti & voti satis dictum est supra. Nemo est

qui

qui voti obligationē iuramenti vinculo maiorē asserat, quin traditionē Ecclesiæ mandato Dei, cultum voluntarium cultui diuino à Deo ipso descripto, promissionē simplicē promissioni iuramento cōfirmatæ prę-ferat: quiq; violationē traditionis Ecclesiasticæ maius peccatum facit, quam immane & grauissimum periurij peccatum, quod contra primam tabulam legis diuinæ, & immediate contrà Deum committitur.

Solennitas vero voti nihil addit ad obligationē in foro cōscientiæ, aut si quid addat, non deest eadē solennitas in iuramento. Solenne votū est quando aliquis seipsum tradit in obsequiū Dei corā Episcopo, aut alio potestatem huiusmodi vota recipiendi habenti: In iuramento eadē solennitas reperitur: sicut enim iurare potest quisquā inter priuatos parietes, etiā in secreto animæ suæ, & hoc dici potest iuramentū simplex, sic sæpius iurant subditi corā rege, vel alio Magistratu inferiore, & hoc solenne iuramentū dicitur. Eadē ergo esse potest solennitas in iuramēto, quæ in voto reperitur; eadē traditio nostri coram Episcopo in voto obedientiæ, & coram rege in iuramēto obedientiæ, & proinde obligatio par ratione solennitatis. Si solennitas, id est ritus quicquam addat, solennitas par; quanquā ritus & cęremonia maiestatē addere solent potius quam obligationē. Simplex interim erit & Theologus & Dialecticus, qui votū solenne cum iuramento simplici & non solenni confert.

3. Respondet. *Vt Principi obediamus est de iure diuino & naturali, vt hunc vel illum habeamus Principē iuris est humani: vt hunc vel illum habeant Monachi præpositum, aut hoc vel illo ritu & formâ viuendi vtantur, iuris est humani: vt autem Præposito, quem semel susceperint, submisse pareant, iuris est diuini: omnia ergo paria, & Pontifex, sicut in obedientia Monachorum dispensat, sic etiam in obedientia subditorum dispensare potest.* 7

Vota Monastica obligant in foro conscientiæ, non ex natura rei, sed quia vota sunt facta Deo; ad quorum redditionem tenentur homines iure diuino; sed in foro exteriori non obligant nisi per legem superioris, à quo Monasteria instituuntur. Submissio ergo Monachorum, quâ præpositis suis voluntarie obedientiā spōdent, quoad forum exterius & pœnā temporalem à Pontifice siue superiore dispensabilis est, at quoad vinculum internum pontifex dispensare non potest, quia votorū legitimorum redditio, est de iure diuino. In obediētia vero subditorū non est par ratio, quia obedientia subditorum ex natura sua sine iuramento est de iure diuino, & indispensabilis per se. Licet ergo forma regiminis, & persona regentis, & in regno & in monasterio, à Deo sint, mediante cōsensu hominum (quanquā in eo etiam ratio dispar est, quia in electione plus potest homo, in successione omnia operatur deus, plerūq; sine homine) non tamē par est ratio dispēsandi in obediētia monachorū & subditorū, quia obediētia subditorū necessaria est, & sine accessione voti & iuramenti indispensabilis, quia de iure divino est in 2ª tabula, in qua nō dispēsat homo, sed deus solus. Obediētia autē monachorū volūtaria est

&

& in uatura ſua diſpenſabilis, quia à iure poſitiuo eſt, quod eadem poteſtate refigitur, qua figitur; & indiſpenſabilis ſolum ratione voti, cuius redditio eſt de iure diuino: In quo tamen diſpenſare præſumit Pontifex (qua authoritate ipſe viderit, non eſt enim ſeruus ſupra Magiſtum:) fortè quia regula & ordo Monachalis ab homine introducta, ab homine reſcindi poteſt: Non eſt ergo par ratio obedientiæ ſubditorum & Monachorum.

8 2ª. ratio *Barclaij* deducitur ab iniuria tertiæ perſonæ, quæ ex iuramenti relaxatione conſurgit in hunc modum. *Ex voto religionis ſoli Deo & Eccleſiæ, cuius vicarius caput eſt Papa* (non, vt *Bell.* vicarius eſt Dei) *obligatio acquiritur: hanc obligationem Eccleſiæ acquiſitam, velut genere quodã nouationis, in aliam obligationẽ transferre poteſt, cui omnium negotiorũ Eccleſiæ procuratio & diſpenſatio libera permiſſa eſt, & maioris boni permiſſione vel facto, Deo principali creditori ſatisfactum eſſe interpretari; ſicq; à prioris voti nexu liberare: niſi id obſtat quod voti liciti transgreſſio ſimpliciter & ex natura ſua malum ſit, & malum nullius boni quantumvis maximi cauſa permiſſum ſit. At in iuramento quod homines alterius obligationis cauſa, ſponſionibus & pactis ſuis adhibent, ius ſine obligatio acquiritur homini, quod priuatus quiſq; ſolus ſine Pontifice, eiuſq; interpretatione, ſine Eccleſia* (ſine conſenſu etiam Dei expreſſo) *ſine cauſa præter meram voluntatem liberare poteſt, & iuramenti religione promiſſorem ſoluere, ſic vt coram Deo periurij reus non habeatur: non poteſt ergo ſummus Pontifex homines à iuramento ſoluere, quoniam priuaret creditorem inuitum obligatione ſibi optimo iure, ſcilicet diuino, naturali & humano quæſita.*

„ Quid hic *Bell.*? *Quando ſummus Pontifex ſoluit homines à iuramento, non*
„ *tollit ius quæſitum, ex iuſta & legitima obligatione, ſed declarat obligationem*
„ *fuiſſe vel eſſe illicitam.*

Ius Regum ex iuſta & licita obligatione quæſitum eſt, quia imperatum eſt iure diuino & naturali, vt taceam ius humanum poſitivum: & ius Regum tale eſt, vt non ſolum *bonis & modeſtis, ſed etiam dyſcolis* (in hoc numerõ ſunt infideles, tyranni, Apoſtatæ, & hæretici) *debitum ſit*, vt author eſt primus *Chriſti* in terris vicarius, & praxis Eccleſię per 700 annos poſt Chriſtum primos, hoc ipſum confirmauit. Quid ſi Pontifici data ſit poteſtas, qua dominos dyſcolos, tyrannos & hęreticos è medio tollat, data proculdubio eſt poteſtas, qua Deo reſiſtat, qui hos tyrãnos & hæreticos in furore ſuo dedit, data eſt Pontifici poteſtas, qua probationem fidelium, preſſuras ſcil. & hæreſes è medio tollat: data eſt talis Pontifici poteſtas, vt Deus optimus Max: ferias agat otioſus in cœlo, nec vltra res ſeculi aut Eccleſię curet, cum poſſit ſeruus principalis omnia impedimenta remouere, omniaq; adiumenta & externa & etiam interna (nam, vt *Thomas, de regim. princip. l. 3. c. 10.* omnis plenitudo gratiæ à Pontifice) ſuppeditare, quibus electi, addo etiam & reprobi ad ſalutem æternam perducantur: poteſt enim, & per internas cenſuras, &

per

per externas pœnas omnes cogere, vt ouile Christi intrent, aut è mundo exeant. Quantum distent ista ab hæresi illa quam docuit *Stephanus Alhestatensis: Potestates quandiu bonæ & ordinatæ sunt, tandiu potestates sunt; da mihi potestatem ordinatam, & non resistimus, imo illico dabimus manus*; Iudicet lector. Obedite Principib⁹ quandiu ius ex iusta & licita obligatione quæsitum habent: si tyranni & hæretici fiunt, imo si inutiles, si terram sanctam adire noluerint, si mali fiant, desinit iusta & licita obligatio. Bene est *Bell.* hæc scribat *Romæ*, vbi omnia cum liceant, non licet esse pium: si hæc scriberet sub rege Christianissimo vel Catholico, iniquo animo ferrent, librumq; & authorem igni traderent. *In Epist. quæ extat apud Dedechin.*

Non soluit à iuramento sed declarat obligationem non fuisse vel non esse licitam. Vbi vero legit *Bell.* obediendum esse Regib⁹ de iure diuino & naturali, quandiu tyranni vel hæretici non sunt? Vbi legit ius diuinum & naturale, quod æternum est, ligare, quãdiu reges boni sunt, aut donec à Pontifice iudicentur mali? Ignoravit hanc commentationem *Dauid*, qui *Saulem* à Deo reiectum, à *Samuele* declaratum tanquam *Dominum* & vnctum *Domini* agnovit, 1. *Sam.* 24. & conscientiæ singultum passus est quod oram chlamydis amputasset: Ignorauit *Christus*, qui *Tiberio* & Pilato obediens fuit, & *Cæsari quæ Cæsaris reddenda*, potestatem *Pilati* à Deo contra seipsum datam, docuit: Ignorarunt *Petrus & Paulus* qui monstro illi *Neroni* licitam obligationem non negarunt: ignorauit tota antiquitas per 700. annos, quæ nec verbo, nec scripto, nec traditione quicquam docuit, nec facto demonstrauit quod obedientiam tyrannis aut hæreticis detrectaret.

Quod si vere narret *Bell.* ius ex iniustâ & illicitâ obligatione quæsitum non obligare, i. promissionem iuramento confirmatam, factam infideli vel hæretico, illicitam esse, & proinde non obligare, annon manifeste docet fidem siue fidelitatem infideli vel hæretico datam, non esse seruandam, si pontifex regem infidelem vel hæreticum esse declarauerit. Quod quid aliud est quam Deum iniustitiæ arguere, qui tamen *Amurathis* Turcarum Imperatoris preces quibus violata fœdera Christianorum *Christo* exposuit, audiuit; & violatæ fidei pœnas inflixit; vt narrat *Bonfinius, Decad. 3. lib. 6. In illo prælio superiores Turcæ, vt demonstretur nobis* (inquit *Æneas Syluius lib. 1. Epist. 81*) *iuramenta non solum domesticis fidei, sed etiam hostibus Turcis & infidelibus seruanda.* Præterea *Thomas, 22. q. 87. art. 9. ad 1. Dispensatio quæ fit in iuramento, non se extendit ad hoc, quod aliquid contra iuramentum fiat; hoc enim est impossibile, cum observatio iuramenti cadat sub præcepto diuino, quod est indispensabile.* At in iuramento promissorio vel assertorio, in quo promittitur obedientia Regi, per dispensationem Pontificis, aliquid fit quod est contra iuramentum, quia denegatur principi obedientia iurata, & iure diuino & naturali & proinde indispensabili, debita. Et iure diuino & naturali debetur hæc obedientia: *Dominis dyscolis, sicut & bonis & modestis.*

Nec

Nec obstat quod dicitur: *Iuramentum de malo vel homicidio perpetrando non obligat, quia tale iuramentū dispensatione non indiget*; vt ibidem *Thomas*. Et quilibet iurans à iuramento malo liberatur ex se, propria authoritate, & peccat, si tale præstat iuramentum, etsi à Pontifice irritum declaretur. Quod si Principi infideli & hæretico obedire malum sit, & peccatū, non potest ille, qui solus à peccato liber fuit, *Christus* Dominus à peccato excusari, qui *Tiberio* & *Pilato* obediens fuit: nec Apostoli, nec Martyres, nec confessores, nec Patres, nec Sancti omnium sæculorum & ætatum, qui infidelibus, hæreticis, Apostatis, malis & inutilib⁹ regib⁹ obsequentes fuerunt. Verum parum refert, si *Christus*, & Apostoli, & Sancti omnes peccatores existant, modo Pontifex, Rex Regum sit, & Dominus dominantium. ——*Pro regno velim*

Patriam, penates, coniugem flammis dare:
Imperia pretio quolibet constant bene.

Quod si *Iuramentū ideo dispensabile sit, quod maioris boni impeditiuū*, vti *Thomas* ibid. licet proculdubio contra præceptum *Christi* malum facere propter maius bonum. Nam violatio iuramenti liciti ex natura sua mala est. Obedientia enim Regis infidelis vel hæretici, aut bona & licita est, aut illicita & mala: si bona sit & licita, valet obligatio & peccat qui non obtemperat; & peccatum non est committendum propter lucrum totius mundi: si mala sit & illicita, non valet obligatio ex se nec opus est dispensatione vlla: & quisquis in hoc casu obtemperat Regi hæretico vel infideli, vel malo, à peccato excusari non potest; peccat quisquis obtemperat. Nullum ergo in iuramentis locum habet cōmutatio, quia propter maximum bonum, non est admittendū minimum malum: violatio autem iuramenti liciti & iusti, malum est pene maximum, & peccatum contra tabulam primam, contra quam nec Deus ipse dispensat.

Neque hic locum habet distinctio illa, de iuris relaxatione, & iuris declaratione; ius enim relaxare nemo potest, ne Pontifex ipse: ius declarare potest quilibet Episcopus & Sacerdos doctus, æque ac Pontifex. Declaratio enim iuris diuini, quatenus scilicet obligat, non est potestas iurisdictionis sed ordinis; ad clauem spectat scientiæ, non potestatis. Quinetiā *Thomas* ipse in multis iuramentis, *dubij* scilicet, *statuit*, *Ibid. ad 3. posse Episcopum quemlibet dispensare*: Dispensatio ergo in iuramento quatenus iuris declarationem denotat communis est omnibus Episcopis & Sacerdotibus doctis, cum Pontifice: quatenus iuris relaxationem significat, præsertim tertiæ personæ, in cuius vtilitatem iuratur, sic supra potestatem Pontificis & omnium Episcoporum est.

Quod autem vrget *Barcl.* Pontificem non posse soluere iuramentum subditorum quia cedit huiusmodi relaxatio in iniuriam tertiæ personæ, regis scil. in cuius gratiam adhibetur; id, quia cum ratione diluere non potest, silentio præterit *Bell.*: nihil dixit, quia nihil habuit quod diceret: si enim possit Pontifex soluere iuramenta cum iniuria tertiæ personæ,

potest

poteſt omnia debita priuatorum, quæ iuramentis firmantur, inuitis creditorib⁹ relaxare: quod non audet *Bell* aſſeuerare ne ſorte ipſe cum doctrina ſua in loctiſſima populo pœnas daret. Interim videat lector quid de hac iuramenti relaxatione doceat *Iacob. Almayn. de poteſt. Eccl. & laica. c. 11. q. 2. Duplex eſt Iuramentum; quoddam quod ſit ſolum in reuerentiam Dei: aliud quod ſit in fauorem certæ perſonæ alterius à iurante, &c. Quantũ ad iuramenta primi ordinis, poteſt Papa diſpenſare, quia ſit vicarius Dei: quantum vero ad iuramenta ſecundi ordinis, non poteſt diſpenſare, hoc eſt, ea relaxare, quia Papa non habet poteſtatem aliquam faciendi contra ea, quæ ſunt in perniciem & damnum alterius.* Vnde colligi: Pontificem non poſſe diſpenſare in iuramento fidelitatis ſubditorum, quia hoc fit in præiudicium & damnum regis. Vide verba ipſa c. 8.

Idem docet *Dominicus Soto, de Inſtit. & Iure, l. 8. q. 1. art. 9. Haud enim poteſt relaxare iuramentũ, quod homo homini præſtitit, id ſoluendi, quod ei debeat: Et hoc neq; accidit ex minore facultate Papæ, neq; ex dignitate iuramenti, ſed ex natura contractus, qui iuramento confirmatur: Enimvero quia eſt vicarius Dei, poteſt votum quod Deo fit, in id quod ei gratius eſt cõmutare: at quoniam facultatem non habet tollendi alteri quod ſuum eſt, nequit ei iniuriam inferre, cui præſtitum eſt iuramentũ, illud relaxando. Et vice verſa, quamuis homo priuatus in voto quod Deo fit, diſpenſare nequeat, quia non eſt eius vicarius: ille tamen cui iuramentum præſtitum fuit, poteſt illud relaxare, non quod cumulatiorem habeat facultatem quam Papa, ſed quod eſt dominus bonorum ſuorum; & ideo ſicut poteſt illa donare, ſic & iuramentum ſibi exhibitum remittere: quapropter non eſt illa diſpenſatio, ſed remiſſio donatioq; debiti.* Et infra, *In iuramentis relaxandis cauenda eſt iniuria, ne fiat tertiæ perſonæ.* Ex quibus ſatis liquet, quod docet *Barcl.* non poſſe Pontificem relaxare iuramentum obedientiæ quod fit in vtilitatem tertiæ perſonæ. i. regis, quia ſine eius iniuria, huiuſmodi relaxatio fieri non poteſt.

De ſecunda parte reſponſionis *Bell.* verbum non addo, nec enim ſatis intelligo, quomodo poſſit Pontifex ſoluere à iuramento, id eſt, à confirmatione promiſſionis, & à promiſſione ipſa non ſoluere: neq; vero opus eſt vt ſoluat à iuramento in eum ſolum finem, vt ſubditus ius ſuum contra regem coram ſuperiore Regis, hoc eſt, Pontifice, (ſi vobis credamus) proſequatur: negari enim non poteſt ſubdito ius appellationis ad ſuperiorem, quia appellatio eſt de iure naturali, contra quod iuramentum non obligat.

Sequitur 3ª ratio *Barc.* quod Papa qui in voto diſpẽſat in iuramẽto fidelitatis ſubditorũ diſpenſare non poteſt: ea deducitur à re iurata; Etſi iuramentũ diſpenſabile ſit per Papã, res tamẽ iurata id eſt obedientia & fidelitas ſubditorũ indiſpenſabilis eſt, quia de iure diuino & naturali. Id quod ſic probat *Barcl. Iuſiurandũ hoc acceſſio tantũ eſt confirmatrix illius obligationis qua fides & obedientia principi promittitur: Acceſſiones tolli poſſunt & liberari ſine interitu obligationis principalis. Manet ergo principalis obligatio* 9

obedientiæ

obedientiæ & fidei Principi debita, & ſi tollatur iuramentũ promiſſorium, ſiue aſſertorium huius obligationis; quæ quia iuris eſt diuini & naturalis, ſublato iuramento manet indiſpenſabilis & obligat ex ſe.

Hic *Bell.* duo reſpondet: 1. *Papa qui abſoluit à iuramento, ab obedientiæ obligatione ſoluit.* Facile credo, eodem iure iuramentum & obedientiam ſubditorum ſoluit. i. nullo: Iuramentum enim ad 1. tabulam ſpectat in qua nunquam diſpenſauit Deus; obedientia ſubditorum ad ſecundam pertinet; in ea diſpenſat Deus, ſed non homo: Si in ſecunda tabula diſpenſat Papa, æqualis eſt Domino, ſi in primâ, maior. Conſulat lector quæ de hac re dicta ſunt à *Barclaio cap. 26.* ex Turre-cremata & Speculatore

2. Non poteſt tollere ius diuinum & naturale, at poteſt de Rege non Regem facere. Hic politici noſtri in circuitu ambulant, ſoluit ſubditos à iuramento fidelitatis, & ſic de Rege non Regem facit; de Rege non Regem facit, & ſic ſoluit ſubditos à iuramento fidelitatis. Dic enim ſodes *Bell.* quid horum prius eſt? An prius fit de rege non rex, & tunc ipſo facto ceſſat obligatio iuramenti & fidelitatis, an præcedit abſolutio iuramenti & fidelitatis, & ſic ipſo facto fit de Rege non Rex? Si præcedat abſolutio, tunc tollit Pontifex obedientiam iure diuino & naturali dibitam Regi dum Rex eſt; & ſic ius diuinum tollit: quod etiam ordini decreti iſtius *Lateranenſis* repugnat, in quo præcedit excommunicatio Epiſcopalis, quæ de rege non regem facit, dum communione gratiæ & naturæ priuat, alia enim non eſt depoſitionis ſententia quæ de rege non regẽ faciat: deinde ſubditorum abſolutio à iuramento fidelitatis, & vltimo ſequitur, quod exponatur terra à Catholicis occupanda. Sin vero præcedat ſententia illa, quæ de rege non regem facit; illa vero non ſit excommunicatio, quæ ſolum communionem ſpiritualem tollit, quæ eſt illa ſententia ſiue cenſura ſpiritualis? (nam vltra excommunicationem nihil habet quod faciat Eccleſia) Si depoſitio temporalis præcedat, cenſura ergo & ſententia temporalis præcedit, quæ à Iudice ſolo temporali procedit: quia actus poteſtatum ſunt diſtincti, non confuſi, non communes: depoſitio temporalis gladius ſiue poteſtas eſt temporalis, quem ſtringere hon debet Princeps ſpiritualis; ergo nec ſententiam depoſitionis temporalis ferre. Relinquitur ergo, vt aut Pontifex poteſtatem habeat ſupremam mere temporalem, quæ effectum mere temporalem producat, aut, quod hic negat *Bell.* infert vero *Barcl.* tollit ius diuinum, & obedientiam iure diuino & naturali debitam, dum de Rege non Regem facit.

De Doctorib° & Concilijs, *Bellarminianis* ſatis dictum eſt ſupra ſuis locis: de rationibus manifeſtis id vnum addo: nihil eſſe manifeſtius quam in his ſimplicitatem & veritatem Euangelicam deſiderari, & ſapientiam humanam in regno Chriſti Monarchiam mundanam fabricare. Sed ad Rem.

At

At ius naturale indiſpenſabile eſt. id vrget ipſe Bell pro Pontifice, Papa enim ſe coactiuæ ſententiæ Conciliorum ſubijcere non poteſt, qui ſuper omnes eſt de iure diuino: non autem poteſt Papa diſpenſare in iure diuino. Hæc *Barclaius.* 11

Reſpondet *Bell. Si ſubijceret ſe Pontifex coactiuæ ſententiæ Conciliorum, aut Principũ, vere ſubijceret ſuperiorẽ inferioribus.* Quid vero opus eſt ſubiectione voluntaria? De iure enim diuino ſubijcitur coactiuæ Conciliorum ſententiæ in ſpiritualib°, & qua Pontifex, non qua Princeps, ſubjicitur coactiuæ ſententiæ Imperatorum & Principum in temporalib°: quamuis etiam de ſententiâ Pontificis *Romani* iudicauit *Conſtantinus* ipſe, & alij Epiſcopi ex edicto Imperatoris. Quin & *Gregorius Magnus lib. 2. epiſt. 62.* coactiuæ ſententiæ *Mauritij* Imperatoris ſe ſubiecit, cum legẽ Imperatoris promulgavit, & ipſo authore, exoluit quod debuit, & multi Pontifices ex decreto Conciliorum & Principũ depoſiti ſunt, & Põtifex non poteſt canones Conciliorũ irritare. Sed rationẽ audiamus. *Iure diuino Papa eſt paſtor, & pater, & præpoſitus omnium Chriſtianorum ac per hoc ſuperior omnibus, qui oues & filij & ſubditi ipſius ſunt, & iure diuino ſuperior ab inferiori iudicari non poteſt, iudicio ſaltẽ coactiuo.* Non conſtat iure diuino quod Papa paſtor ſit, & pater, & præpoſitus omnium Chriſtianorum: multi inter quos Marſilius de Padua poteſtatem Pontificis iuri Eccleſiaſtico & Imperatorum, præcipuè Phocæ conceſſioni tribuunt: ſed de hac re litem hic non movebo: Sit paſtor, pater, præpoſitus omnium Chriſtianorum, & per hoc ſuperior: ſicut per hoc ſuperior, ſic etiam in hoc ſuperior, in quo Paſtor, & pater & præpoſitus. i. in ſpiritualibus: Et proinde ab ouibus, filijs & ſubditis in ijs in quibus oues & filij & ſubditi, i. in ſpiritualibus, iure diuino iudicari non poteſt, iudicio ſaltem coactiuo. At qui ſuperior eſt in vno genere, poteſt ab inferiori ſuo, qui in alio genere ſuperior eſt iudicari. Sicut ergo Pontifex paſtor eſt, & pater, & prępoſitus omnium Chriſtianorum, quatenus oues ſunt & filij, & ſubditi Chriſti & Eccleſiæ. i. in ſpiritualibus, ſic Rex ſiue Imperator in ſuo Regno; quatenus oues ſunt & filij, & ſubditi Dei & Regni. i. in temporalibus paſtor eſt, & pater, & præpoſitus. Qui vero ſuperior eſt in aliquo genere, non eſt ſuperior ſimpliciter, qui ſuperior eſt in ſpiritualibus, non eſt per hoc, vt Sophiſta hic *Bell.* ſuperior in omnibus: ſicut qui ſuperior eſt in temporalibus, non eſt per hoc, ſuperior in omnibus. Reges autem patres eſſe, & paſtores, & prępoſitos, & ſuperiorem in temporalibus non habere, plurimis Patrum & doctorum teſtimonijs patet in prolegomenis *c.* 8. Et *Hugo de ſacram. fidei, part 2. lib. 2. cap. 4.* Regem ſiue Imperatorem *caput in temporalibus*, ſicut *Pontificem in ſpiritualibus* conſtituit. Vt ergo Papa de Rege iudicat tanquam ſuperior de inferiore in ſpiritualib°, ſic Rex de Pontifice in temporalibus: ille pœna ſalutari, hic vere coactiua: Si quando ergo Pontifex de Imperatore vel Rege in temporalibus iudicat eumq; deponit, directe agit contra ius diuinum, quia inferior ſuperiorem, ouis paſtorem,

filius

CAP. XXVIII.

Canonistæ diuinam potestatem Pontifici tribuunt qui ex C. inter corporalia: De translatione Episcopi, potestatem dissoluendi conjugij carnalis & spiritualis ei ascribunt. Digressio Barclaij.

1. *Canonistæ potestatem diuinam Pontifici tribuunt.* 2. *Innocentius ipse diuinam potestatem sibi arripit.*

IN hoc capite controuertitur inter *Barclaium & Bellarminum*, vtrum Canonistæ ex verbis Innocentij 3. De translatione Episcopi, male intellectis, Pontifici omnẽ potestatẽ diuinam et humanã tribuant: Affirmat *Barcl.* negat *Bell.* sed subdole: *Id* (inquit) *tantum abest a vero, vt contrà potius, nonnulli eorum propter istum Canonẽ Pontifici detrahere aut illum corrigere nõ vereantur*: Quid vero, quia occasione ex hoc Canone sumpta, nonnulli, vt *Glossa* et *Ostiensis* Pontifici detrahũt; An ideo falsum est, quod asserit *Barclaius*, Canonistas potestatẽ omnẽ diuinam et humanam Pontifici tribuere? nec enim de omnibus Canonistis loquitur *Barclaius* sed de Canonistis indefinite. 1.

Verum audiamus, quid ex hoc titulo ij si colligant Canonistæ; Inprimis Glossa C. Quanto super verbo, ueri Dei vicem; hæc habet, *vnde dicitur habere cæleste arbitrium: & ideo etiam naturam rerum immutat, substantialia vnius rei applicando alij, & de nullo potest aliquid facere: & sententiam quæ nulla est, facit aliquam, quia in his quæ vult, ei est pro ratione voluntas: nec est, qui ei dicat, cur ita facis, Ipse enim potest supra ius dispensare, idem de iniustitia potest facere iustitiam, corrigendo iura & mutando, &c. plenitudinem obtinet potestatis*, Quamuis vero, vt vrget *Bell.* in fine huius C. Glossa corrigit verba Innocentij dicentis *fortius esse vinculum spirituale*, dicatq; *dignius non fortius*: in illis tamen potestatẽ plusquam humanam, diuinam scilicet Pontifici tribuit, nec hæc agit *Barc.* vt probet Canonistas in *Cap. inter corporalia*, vt male videtur in titulo huius C. Bell. innuere sed in C. 2. 3. et 4. sicut in margine citantur, diuinam potestatem Pontifici tribuere, in vno ergo corrigit, in plurimis palpat.

Quinetiam *Ostiensis*: qui vti a *Barcl.* citatur, Innocẽtij rationem reijcit *Illa* (inquit) *ratio, non est sufficiens, salua authoritate & reuerentia reddentis, nisi aliter intelligatur*, tamen in C. Quanto dicit: *Papa cum Deo facit idem Consistorium*: vti citatur à *Ioanne de Sylua De beneficio p. 3. q. 8. & Alphonso Alvarez* in speculo C. 11. num. 34.

Innocentius 4. in C. inter corporalia: super verbum, Constitutione hęc habet, *Id est potestatem dissoluendi matrimonia; non habet ex authoritate terrena sed diuina*: et infra, *Item: id est, sicut matrimonium carnale, non*

tutus, citra Deum, sed vltra hominem, minor Deo, sed maior homine. An hoc est moderate de potestate sua loqui? Quid vero, an in hoc ipso decreto moderate loquitur Innocentius 3. de potestate suâ, C. inter corporal? verba eius hæc sunt; *Cum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin Omnipotens Deus spirituale coniugium quod est inter Episcopum & Ecclesiam, suo tantum iudicio reseruauerit dissoluendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugij quod est inter virum & fœminam, suo tantum iudicio reseruauit, præcipiens, vt quos Deus coniunxit, homo non separet: Non enim humana sed potius diuina authoritate coniugium spirituale dissoluitur cum per translationem, depositionem aut cessionem, authoritate Romani Pontificis (quem constat esse Vicarium Iesu Christi) Episcopus ab Ecclesia remouetur.*

Omnipotẽs Deꝰ spirituale cõjugiũ suo tãtũ Iudicio dissoluẽdũ reseruauit Põtifex spirituale cõjugium judicio Dei Omnipotẽtis reseruatũ dissoluit. Ergo Pontifex est Omnipotens Deus.

Si minus placet hæc conclusio; at negari certe non potest, Innocentium per judicium Dei Omnipotentis judicium Pontificis intelligere: Deus enim per se nullum Episcopum aut per translationem, aut per depositionem, aut per cessionem remouet; Cum ergo Omnipotens Deus spirituale conjugium dissoluendum reseruauerit, et suo iudicio, et suo judicio tantum; et tamen solus Pontifex de hac dissolutione conjugij spiritualis judicet, tribunal et judicium Dei Omnipotentis, et Pontificis, vnũ sit, necesse est. Deus vt Iudex, et Episcopus summus erit vt Assessor siue Cãcellarius, qui Iudicem Iuris Pontificij ignarum doceat, & dirigat, vt sub nomine Dei Omnipotentis Pontifex etiam includatur, vel etiam primario intelligatur necesse erit: præterea non humanâ, sed potius diuina potestate conjugium spirituale dissoluitur. Quæ est potestas diuina, humana quæ? Patriarchæ, Metropolitani, Archiepiscopi, Episcopi non possunt hoc conjugium spirituale, per translationem, depositionem, vel cessionem Episcopi dissoluere: vti per totum hunc titulum patet: Et tamen potestas Patriarcharum, Metropolitanorum, Archiepiscoporum, et Episcoporum diuina est & supernaturalis, & à Christo ipso deriuata, cuius vices in suis Patriarchalibus et Dioecesibus gerunt, humana nõ est, quia ab homine instituta non est, sed à Deo. Quinetiam potestas Regum & Principum secularium, etsi in humanis versatur in hoc sensu, humana non est, sed diuina, qua a Dei ipsius potestas est, & à Deo collata, cuius vices in terris gerunt. Potestas ergo diuina cuius hoc loco meminit Innocentius 3. non quælibet potestas spiritualis, vnicuiq; Patriarchæ, aut Metropolitano, aut Archiepiscopo, aut Episcopo communis, sed peculiaris & singularis quædã potestas diuina est, quâ Pontifex Deo quasi æquiparatur, dũ id se posse profitetur, quod soli Deo Omnipotenti reseruatum prædicat: Sicq; non potẽtia quædã diuina & regularis, sed Omnipotẽtia quædã diuina, quæ nullis limitibus, siue cãcellis, nisi voluntatis Pontificiæ concludatur.

confert: An non hoc est seruum Domino vicariũ *Christo* ęqui arare, imo vero et preferre? Deus enim legem de conjugio carnali necnon spirituali æternam, indispensabilẽ fixit, *Quos cõiunxit Deus homo non separet*: Hanc legem refigit Pontifex, dum hinc vinculum matrimonij rati, sed non consummati dissoluit lege sua: illinc Episcopos transfert: Ergo Pontifex major Deo est, majorque Deus: Etsi enim Par non teneatur lege Paris, at superior sit oportet, qui refigit legem, aut ad minimum idem, nemo enim gratiam legis facit nisi Legislator, & leges tam diu vim obtinent, donec eâdem, aut superiore potestate dissoluantur quâ sancitæ sunt: Pontifex ergo, qui Conjugium aut carnale, aut spirituale dissoluit, aut Deo Legislatore superior est, aut idem Deus & Legislator.

CAP. XXIX.

De sensu Cap. Inter corporalia de translatione Episcopi: Papa nec in Conjugio spirituali inter Episcopum & Ecclesiam vniuersalem; nec in Conjugio carnali inter virum & fœminam: nec in Conjugio inter Regem & Subditum, dispensat, in ijs quæ sunt juris diuini naturalis.

1. *Innocentius de carne loquitur, eius sensus quis?* 2. *Coniugium inter Episcopum & Ecclesiam vniversalem de Iure diuino est indispensabile per Papam: at inter Episcopum & Ecclesiam particularem dispensabile est quia de iure positiuo.* 3. *Quis dispensat cum eo qui ab alia sede Cathedrali ad Papatum transfertur.* 4. *An vinculum Coniugij spiritualis fortius sit Coniugio carnali?* 5. *An maritus si resurgat, vxorem repetere possit?* 6. *Quo Iure soluitur matrimonium per ingressum Religionis, vbi respondetur* 4. *exemplis Bell. in quibus soluitur Coniugium carnale.*

IN prę cedente capite *Barclaium* a calumnia vindicaui: in hoc ab errore liberandus est: Non est calumniator *Barclaius*, quia Canonistę ex his verbis *Innocentij*, Pontifici potestatem diuinam supra leges Dei tribuunt, vt earum gratiam faciat, quod soli Deo omnipotenti reseruatum est, & hanc ipsam potestatem ambire videtur *Innocentius*. Falsus non est *Barclaius*, quia aut aliud sensit, aliud scripsit *Innocentius tertius*; aut mentem suam non explicuit. Duo enim sunt conjugia, alterum carnale inter virum & fœminam, alterum spirituale inter Episcopum & Ecclesiam, 1

quod inter eligentes, nomine Ecclesię, & electum, in electione contrahitur, in confirmatione ratum, in consecratione consummatum est: vtriusque conjugij, & hujus spiritualis, fortioris siue dignioris, & illius carnalis debilioris siue vilioris dissolutionem, Deus suo tantum judicio reseruauit: De dissolutione conjugij carnalis tacet *Innocentius*, nec Pontifici potestatem conjugij carnalis dissoluendi tribuit: hoc conjugium solus Deus omnipotens, non per vicarium, sed per se, siue per dispensationem suam, à *Mose* non ab *Aarone* promulgatam, per libellum repudij, sub lege: per conversionem alterius conjugum ad fidem Christianam, altero in infidelitate permanente, & sine blasphemiâ Creatoris cohabitare nolente, in Euangelio, dispensatione per Apostolum *Paulum* non *Petrum*, declarata, quoad vinculum dissoluit: Dissolutionem conjugij spiritualis, suo item judicio tantum reseruauit; & tamen vinculum inter Episcopum & Ecclesiam contractum, ratum & consummatum, dissoluit Pontifex, nec tam Pontifex quem Deus; *Non enim humanâ, sed potius diuina potestate coniugium spirituale, dissoluitur*, quando per authoritatem Pontificis Romani, vicarij Christi, (quique non puri hominis sed veri Dei vicem gerit in terris) transfertur, vel deponitur, vel resignat Episcopus.

Hæc est summa rationis *Innocentij*, quam merito insufficientem dixit *Ostiensis*, salua authoritate & reuerentia reddentis: nullatenus enim cohæret, nec concludit.

Dissolutio vtriusque conjugij, & carnalis, & spiritualis, quoad vinculum, Iudicio Dei omnipotentis tantum reseruata est, *Quos enim coniunxit Deus homo non separet.*

Sed Pontifex authoritate diuinâ non humanâ conjugium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam suam contractum, ratum, consummatum, quoad vinculum dissoluit.

Ergo Pontifex authoritate diuinâ, non humanâ, conjugium carnale inter virum & fœminam contractum, ratum & consummatum, quoad vinculum, dissoluit.

Assystaton item hoc est. Dissolutio vtriusque conjugij, & carnalis, & spiritualis quoad vinculum, judicio Dei omnipotentis tantum reservata est: *Quos enim coniunxit Deus, homo non separet.*

Sed Pontifex nulla authoritate, nec diuinâ, nec humanâ, conjugium carnale contractum, ratum, & consummatum quoad vinculum dissoluit.

Ergo Pontifex nulla authoritate, nec diuinâ nec humanâ, vinculum conjugij spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam contracti, rati & consummati dissoluit: Aut enim duo ista conjugia paria sunt in dissolutionis ratione, aut *Innocentius* Pontifex omnium judicio optimus & sapientissimus, sine judicio, conjugium spirituale Episcopi & Ecclesiæ, cum conjugio

jugio carnali viri & fœminę, quoad dissolutionis rationem comparauit.

Et licet Pontifex interpres sit voluntatis diuinæ in Scripturis reuelatæ, parum fideliter tamen *Innocentius* verba Christi, *Quos coniunxit Deus, homo non separet*, interpretatur de vtroque conjugio carnali sc licet & spirituali; si de conjugio carnali vera sint, quoad vinculum, quia conjugium carnale consummatum, nulla ratione, nisi per mortem solubile est; ne per Pontificem quidem: conjugium autē spirituale inter Episcopum & Ecclesiam, solubile sit per indulgentiam Pontificis propter necessitatem, vel vtilitatem Ecclesiæ.

Quis fuerit sensus, quę intentio *Innocentij* in hoc titulo, satis constat: vt scilicet propter amplitudinem & lucrum suum, soli Pontifici Romano translationem, & depositionem, Episcoporum & pallij concessionem (de quo in titulo proximo, de Authoritate & vsu pallij) reseruaret: id quod, ex eo demonstrari potest, quod in translatione Sacerdotis, ab vnâ parochiâ ad aliam, nulla est dispensatio, & tamen conjugium inter Sacerdotem & Ecclesiam, & inter Episcopum & Ecclesiam par est, quia nullum inde speratur lucrum, aut exigiuum: Aquila non capit muscas: Huic ambitioni & auaritiæ (quæstus enim iste multo vberrimus) vt viam sterneret, fundamenti Scripturarum & titulo Iuris Diuini, *Quos coniunxit Deus, homo non separet*: innixus, suos Canones, sanctiones suas superædificat, vt Patriarchæ Antiocheno potestatem translationis Episcoporum negaret: Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis: *Innocentius* tertius, ad rem suam attentus satis, vt sub speciosо nomine Iuris diuini, Ius suum Canonicum stabiliat, agit in *C. Inter corporalia*, acsi tria hæc, quæ præmisimus, translatio, depositio, cessio Episcoporum, non tam constitutione Canonica, quam institutione diuina, soli sint Romano Pontifici reseruata: Sed quam immemor sui *Innocentius*, qui Cap. Cum ex illo: sic prædixerat; *Cum ex illo generali priuilegio, quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanæ Dominus noster indulsit; Canonica postmodum manauerint instituta, continentia maiores Ecclesiæ causas ad Apostolicam sedem perferendas: ac per hoc, Episcoporum ac sedium mutationes, ad summum Apostolicæ sedis Antistitem de Iure pertinere: nec semper in his quicquam præter eius assensam debeat immutari*: Ecce quomodo crescunt ista cundo: In Cap. Cum ex illo, *Canonica sunt hæc instituta*, quæ Cap. Quanto, *Decreta patrum & traditiones Apostolicas appellat*: in Cap. Inter corporalia: *non tam è constitutione Canonica quam institutione diuinâ*. Solent enim posteriores Pontifices & Scholastici, constitutiones siue Canones & decreta Ecclesię, & Pontificum, pro diuinis institutionibus habere, vt & Thomas Pater scholæ: *Potest Princeps infidelis Dominio super fideles priuari, per sententiam siue ordinationem Ecclesiæ authoritatem Dei habentis*, acsi omnia quæ ab Ecclesia vel Pontifice (vt hic Innocentius) fiunt à Deo fieri dicenda sint.

Vt ergo ſenſus *Innocentij*, & ſententia *Barclaij* magis eluceſcãt diſtinctione ſiue explicatione opus eſt.

Quod ergo ad conjugium hoc ſpirituale attinet: Quædam ſunt Iuris diuini, & naturalis, & æterni; verbi gratia; vt qui Domino per ordinationem conſecrati ſunt ſeipſo ſque Domino dedicant, vt Domino omnibus diebus vitæ ſuæ in Eccleſia, & vinea Domini, in vocatione ſiue ſtatione ſuâ, ſeruiant & min ſtrant, hoc eſt de jure diuino & naturali, à Chriſto ipſo ſancito & declarato Luc. 9. *nemo mittens manum ſuam ad aratrum, & reſpiciens retro, aptus eſt Regno Dei.* Et ab Apoſtolo: *Neceſſitas mihi incumbit: væ mihi niſi Euangelizauero*: in his nemini, ne Pontifici Romano, data eſt poteſtas diſpenſandi: hoc vinculo tenentur ſuſpenſi, excommunicati, hæretici, ſchiſmatici, depoſiti & degradati, & ſiquidem corpus Domini conficiunt, aut ordines conferant, valet conſecratio, baptiſmus enim datur foris, etſi non proſit niſi intus: Id quod, vel hoc vnico argumento conſtat, quia ſi reſipiſcant, & ad Eccleſiæ vnitatem & Epiſcopatus ſuos redeant, de nouo non contrahunt, nec nouo vinculo ligantur, præterea fatẽte Bellarmino, *vinculum Coniugij ſpiritualis non poteſt in totum ſolui, ne per mortem quidem, ſemper enim manet impreſſus character Epiſcopalis, qui nulla vi deleri poteſt,*

1. Cor. 9. 16.

Contractus ergo ſiue conjugium hoc ſpirituale, cum Eccleſia Chriſti vniuerſali ſiue generali, ſemper obligat, nec per diſpenſationem Pontificis Romani, aut cujuſquam hominis, aut Angeli tolli poteſt quoad vinculum, etſi actus ſiue executio quandoque tollatur, aut impediatur, *Quos enim coniunxit Deus homo non ſeparet.*

Quædã ſunt Iuris Eccleſiaſtici & poſitiui: Diuiſio Epiſcopatuum ſiue Dioceſium, & Parochiarum, non eſt de jure diuino, ſed Eccleſiaſtico & poſitiuo; Electio & confirmatio, & conſecratio Epiſcopi, eſt de jure diuino & naturali: Electio & confirmatio & conſecratio Epiſcopi, ad hanc vel illam ſedem, vt hanc vel illam Eccleſiam paſcat & regat particularem, eſt de jure Eccleſiaſtico & poſitiuo, Epiſcopus enim omnis ſicut Sacerdos, Epiſcopus eſt, & Sacerdos Eccleſiæ vniuerſalis, ſiue generalis, ideo quędam officia & munia Epiſcopalia & Sacerdotalia vbique, & in omni loco, ſiue parte Eccleſiæ exercere poteſt, ſicut Epiſcopus, *ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopolis, ſiue Antiochiæ,* & confert ordines, & conſecrat Epiſcopos, & omnia quæ ſunt ordinis peragit, prædicat, baptizat, conſecrat: At Iuriſdictionem in foro exteriori, & contentioſo, in Dioceſi ſiue diſtrictu ſuo ſolum exercet: Priora hæc ad Iuriſdictionem voluntariam, poſteriora ad neceſſariam referuntur: poſteriora hæc quia ad Ius poſitiuum Eccleſiaſticum ſpectant, ab illo qui ſe ſupra Concilia & Canones effert, diſpenſari & relaxari poſſunt, quia Iuris poſitiui ſunt. At hunc eſſe ſenſum Innocentij, caſus Innocentij ipſe probat.

Inno-

Innocentius enim Patriarcham *Antiochenum* ab Episcoporum confirmatione suspendendum duxerat, quod *Apamiensem* Episcopum in *Tripolitanam* Ecclesiam transtulit, quia Translatio Episcoporum per canonica instituta, ad Apostolicæ sedis Antistitem pertinet: Ius ergo illud, quo negatur transitus siue translatio Episcopi ab vna in aliam sedem, Ecclesiasticum est, & positiuum, diuinum & naturale non est, In iure Ecclesiastico & positiuo dispensat Pontifex, in iure diuino & naturali non dispensat, & proinde dispensationem in coniugio carnali tacet *Innocentius*, vt recte obtenuat *Barclaius*, & solam in coniugio spirituali potestatem diuinam dispensandi vendicat: fallaciter tamen & subdole: In eo enim quod in hoc coniugio spirituali, diuinum & naturale est, non dispensat, non liberat Episcopum Apamiensem, à labore prædicationis, ab officio regiminis, & curæ pastoralis, hoc debitum solus Deus relaxare potest: In eo vero quod in coniugio spirituali positiuum est, & Ecclesiasticum vt scilicet ab Ecclesia Apamiensi ad Tripolitanam fiat translatio Episcopi, solum Pontificem Romanum dispensare posse affirmat *Innocentius* idque institutione diuina.

Id quod & verba Bell. videntur innuere: *Vinculum coniugij spiritualis à solo Pontifice maximo solui potest, non quidem omnino, vt diximus, sed in ordine ad Ecclesiam particularem, cui vinctus erat.* ”

Acsi diceret: Potest Pontifex soluere vinculum Episcopi cum Ecclesia particulari, sed non potest soluere vinculum initum cum Ecclesia vniuersali, id est potest soluere ius Ecclesiasticum positiuum, non ius diuinum naturale. ”

Rem totam abunde explicat Ostiensis. De translatione Episcopi, num. 4. Cuius authoritate fiat: *Potest*, inquit, *esse Episcopus sine vinculo alicuius Ecclesiæ, intellige specialis*: & infra: *Dic ergo quod matrimonium spirituale inter Episcopum & Ecclesiam generalem, contractum & maxime consummatum, ex quo semel tenuit, & confirmatum fuit, nunquam dissoluitur*: & infra, *quia vnus est Episcopatus per mundum diffusus*: *est autẽ alius Episcopatus specialis sc. cuiuslibet Cathedralis Ecclesiæ*: & infra, *Limitatio Episcopatuum & parochiarum constitutione insurgit, & sicut diuisio & vnio Episcopatuũ ad solum Papã, ex cuius constitutione hæc inœperunt pertinet, sic & translatio & mutatio eorundem: quia hæc retinuit sibi Papa specialiter & quædam alia*: & infra: *Sed quis consentit ibi nomine Ecclesiæ generalis? Respond. Capitulum, ad quod spectat electio, gerit typum Ecclesiæ generalis*: *nec mireris, quia vnicus clericus innans celebrare Presbyterum idem facit, vnde Presbyter dicit ei*: *Dominus vobiscum*: & *ipse respondit*: *cum spiritu tuo*; Et tandem infert. *Per electionem igitur Capituli, & consensum proprium, confirmationem Archiepiscopi, vtriq; Ecclesiæ copulatur*: *sed vinculum quo ligatur, Episcopus Ecclesiæ generali, ordina-*

ordinationi diuinæ, & sacro eloquio. Quos Deus coniunxit, homo non separet, omnino innititur, & ideo rumpi nequit: vinculum vero, quo ligatur Ecclesia Cathedrali, firmatur constitutione Canonica ideoque per Papam dissolui potest; hæc *Ostiensis*, qui nodum illum quem *Bellarminus* de longe aspicit, nec tractare audet, enodauit. Ideo enim ambiguus est *Innocentius* qui ius diuinum & Ecclesiasticum, Ecclesiam generalem & particularem commiscet.

Ideo *Bellarminus* de sensu & sententia *Innocentij* dissentit à *Barclaio* ne huius comparationis siue similitudinis, inter coniugium carnale viri & fœminæ, & spirituale Episcopi & Ecclesiæ infirmitatem & iniquitatem, prodere videatur: si enim ingenue, id quod res est, agnosceret *Bellarminus*, non posse scilicet Pontificem dispensare in coniugio carnali vel spirituali, in ijs quæ sunt de iure diuino & naturali, actum esset de potestate Pontificis spirituali in Regibus deponendis: quia obedientia & subiectio subditorum, est de iure diuino, & proinde non accepit Pontifex potestatem dispensandi siue relaxandi fidelitatem Principibus & Regibus iure diuino debitem; *diuino enim eloquio omnino innititur & ideo rumpi nequit*, ista subiectio: En Deificam & diuinam potestatem *Innocentij* 3. & Canonistarum, qui Pontificem solum in translatione Episcopi dispensare posse, non contra ius diuinum, sed contra ius canonicum, strenue docent.

Sic ergo se res habet: si translatio Episcoporum ab vna Ecclesia Cathedrali ad aliam, ratione coniugij spiritualis, fit contra ius diuinum & naturale non potest Pontifex huius iuris gratiam iniquam facere, quia non potest refigere vel relaxare ius diuinũ & naturale, vtpote qui sub lege diuina, non supra legem diuinam constitutus sit, quique secundum legem diuinam iudicare, non supra legem Dei se extollere, debet: si translatio Episcoporum ab hac vel illa Ecclesia speciali, propter necessitatem vel vtilitatem Ecclesiæ non propter lucrum, fit iuris Ecclesiastici positiui, quomodo potestas diuina, non humana, dicenda est, per quam Pontifex qui Canonum legislator videri vult, contra leges suas dispensat?

Quod si translatio Episcoporum sit contra ius diuinum & naturale, & per solum Pontificem Romanum dispensabilis: Dic sodes *Bellarmine*, quis potest cum Episcopo Mediolanensi aut Senensi aut alio quouis Cardinali, qui Episcopus fuerit, sede Apostolica vacante, vt ad Episcopatum Romanum transferatur? nemo enim potest sua authoritate translationem sui facere ab vno Episcopatu ad alium. Pontifex ante translationem, electionem, & confirmationem nullus est; Ecclesia Romana potestatem dispensandi, sede vacante non habet, quia potestas ista *Petro* & eius successoribus, non *Petro* & Ecclesiæ suæ, collata est: Et si potestas ista in Ecclesia esset, Pontifex potestatem suam ab Ecclesia, non à *Christo* immediate perciperet, nec vnquam auditum est, Cardinales cum quoquam Episcopo

dispen-

dispensasse vt ab Ecclesia aliqua Cathedrali, ad Episcopatum Romanum promoueretur. Peccat ergo aut in ius diuinum, aut in ius Ecclesiasticum, quisquis Episcopus ad Pontificatum transfertur: nisi forte leges istæ vt Araneatum telæ sunt, quæ magnas muscas non tenent: licet vero vobis authoribus Canones non obligent Pontificem, quia par in parem, prædecessor in successorem imperium non habet, at quemlibet alium Episcopum antequam ad Papatum promoueatur obligant: & proinde violator ad minimum est Canonum, et si *Innocentio* 3. credimus, iuris diuini, quisquis Episcopus ad Pontificatum provehitur.

Jam ad sensum Bellarmini accedamus: qui vno vel altero verbo id ostendere conatur, verba capituli non tantum in se esse verissima, sed etiam ad mentem Pontificis explicandam aptissima: *fortius esse dicit Pontifex vinculum coniugij spiritualis quam carnalis*: id esse verum probatur hac ratione, &c. In sequentibus supplet *Bellarminus*, quod deest in probatione *Innocentij*. Quid vero hæc ad sensum *Innocentij*: Etsi enim vinculum coniugij spiritualis fortius sit vinculo coniugij carnalis, manet tamen ambiguitas in verbis: nec enim inde planum est, sed potius magis dubium, quomodo soluere possit vinculum coniugij spiritualis contracti, rati, & consummati quod fortius est; qui soluere non potest coniugium carnale, contractum, ratum, & consummatum quod infirmius: Nec inde manifestum est, quod vtriusque coniugij dissolutionem suo tantum Iudicio reseruauit Dominus, cum coniugium carnale in lege per libellum Repudij, in Euangelio per conuersionem vnius ad fidem, altero in infidelitate remanente dissoluat Dominus per se, non seruus principalis: Coniugium vero spirituale dissoluat seruus principalis Episcopus Romanus & non Dominus per se, nec satis constat, quomodo potestas illa diuina, & non humana dicenda sit, quæ contra constitutiones canonicas dispensat, quod quilibet Rex & Princeps in legibus suis quotidie facit: Quod si id, præcipue intendat *Innocentius*, vt probet Pontificem, eumq; solum posse dispensare in translatione Episcopi: an mentis compos erat *Innocentius*, qui hanc potestatem dispensandi in coniugio spirituali, comparatione sumpta à coniugio carnali probaret, in quo post consummationem apud omnes constat, Pontificem dispensare non posse, quia *quos coniunxit Deus homo non separet*, nisi forte Innocentius hominem se neget Deum se venditet, qui etsi maior sit homine minor tamen est Deo. 4.

Fortius est vinculum coniugij spiritualis quam carnalis: sic Bellarm. »

Dignius non fortius: sic glossa, & Ostiensis De translatione Episcopi, 4. Qua authoritate: *sed contra: quia carnale vinculum etiam ob consummationis suam fornicationis non soluitur, &c. Solutio, Expone fortius, id est dignius secundum omnes*, & hoc procul dubio verum est, si intelligatur de coniugio spirituali cum hac vel illa Ecclesia particulari siue Cathedrali, contracto, rato & consummato. Nam si de coniugio spirituali cum Ecclesia generali

siue

ſiue vniuerſali contracto intelligatur, coniugium iſtud aut fortius, aut ſaltem æquè forte eſt: & in hoc ſenſu verum eſſe poteſt quod tradit *Oſtienſis: non intendit ponere differentiam inter dignius, & vilius, ſed inter fortius & debilius*: & iterum: *igitur cum carnale ſoluatur in caſibus & ſpirituale nunquam (vt probatum eſt)* (de ſpirituali loquitur, quod contrahitur cum Eccleſia generali ſiue vniuerſali, & ligat de iure diuino & naturali, vt verba ſuperius citata docent) *nemo ſane intelligens dubitat, quin ſpirituale ſit fortius quam carnale.*

Quod ergo ad inſtitutum attinet: fiat comparatio inter paria: inter coniugium carnale ratum & conſummatum inter virum & fœminam, & coniugium ſpirituale inter Epiſcopum & Eccleſiam vniuerſalem, vtrumque obligat de iure diuino & naturali, vtrumque eſt indiſſolubile, & indiſpenſabile etiam per ſummum Pontificem: vtrumque forte eſt, nec facile dici poteſt quod nam ſit fortius: licet ſpiritualia quia ad Deum, magnam ſpirituum manſionem, proprius accedant, fortiora forſan dici poſſunt: quoad diſſolutionem tamen & indiſpenſabilitatem, æqualiter fortia ſunt. Quod ſi inſtituatur comparatio inter vinculum coniugij carnalis rati, & conſummati, quod obligat de iure diuino & naturali, & vinculum coniugij ſpiritualis rati & conſummati inter Epiſcopum, & hanc vel illam Eccleſiam cathedralem ſiue ſpecialem, quod obligat quoad tranſlationẽ, de iure tantum Eccleſiaſtico & poſitiuo, ſiue canonico, ſicut in caſu Innocentij manifeſtum eſt: falſum proculdubio eſt quod dicit *Innocentius*, & *Bellarminus*: *fortius eſt vinculum coniugij huius ſpiritualis quam carnalis*. Nam debilius eſt, quod iure tantum Eccleſiaſtico & poſitiuo ſiue canonico, quam quod iure diuino & naturali confirmatur.

Verè quidem dicit *Bellarminus*: *vinculum coniugij ſpiritualis non poteſt in totum ſolui, ne per mortem quidem, ſemper enim manet, impreſſus character Epiſcopalis, qui nulla vi deleri poteſt*: vere item dicit iuxta ſanctiones Pontificum canonicas: *vinculum coniugij ſpiritualis, à ſolo Pontifice maximo ſolui poteſt: non quidem omnino vt diximus, ſed in ordine ad Eccleſiam particularem cui vinctus erat*: ſed dum veritatis aſſertor eſt, *Innocentij* proditor eſt: *Innocentius* enim non de Eccleſia generali ſiue vniuerſali, ſed de coniugio Epiſcopi cum Eccleſia particulari vel Cathedrali, & de vinculo non iuris diuini & naturalis, ſed Eccleſiaſtici & poſitiui loquitur: Quo in ſenſu falſum eſt, quod dicit Innocentius: *fortius vinculum coniugij ſpiritualis, quam carnalis*: *Bell.* vero de coniugio ſpirituali, inter Epiſcopum & Eccleſiam vniuerſalem, quod iure diuino & naturali obligat reſpondet, & ſophiſtã agit quia non reſpondet ad idẽ, & cauſam optimi & ſapientiſſimi Pontificis *Innocentij* tertij negligenter agit, imo prorſus euertit, dum alium ſenſum de quo *Innocentius* ne ſomniat quidem, confirmat, *Innocentium* vero, vt per ſe ſtet vel cadat, ſibi ipſi relinquit,

5. At inquit Bellarminus: *Vinculum coniugij carnalis ita ſoluitur per mortem*

mortem, vt si maritus defunctus ad vitam rediret, non posset vxorem repetere, quam viuens duxerat. Doctrina est Apostoli ad Rom. 7.

Vinculum coniugij carnalis per mortem dissolui, aperte docet Apostolus Rom. 7. & per mortem solam: imperfecte enim, mortis mentionem faceret Apostolus, si aliquo alio modo per constitutiones nempe Apostolicas solui possit vxor à vinculo viri: an vero absolute de morte agat perpetua, siue continua vsq; ad resurrectionem generalem duratura, an de morte loquatur breui & temporaria, quatriduana scilicet qualis fuit *Lazari*, an de vtraque? disputant forte Theologi; sed decretum siue determinatum nihil est: licet de hac re vnicuiq; saluo meliore iudicio, quod magis probabile videbitur amplecti: de morte continua hoc proculdubio verissimum est quod pronuntiat Apostolus, *mulier alligata est lege viri quamdiu vixerit vir eius.*

Quod vero resuscitatus, iterumq; moriturus, vxorem repetere non possit, non est hæc doctrina Apostoli: sed glossa quorundam neotericorũ: sicut & illa, qui Religionis votum emiserit solenne, morte ciuili siue spirituali defunctus est, ideoq; licet vxori ad secundas nuptias conuolare. Et tamen *Lazarus* resuscitatus possessionem omnium bonorum suorum repetijt, & vxor tua dicitur sicut domus tua, & fundus tuus, nec par est ratio resurrectionis æternæ & temporariæ: Bonum enim illud triplex nuptiarũ, id est procreatio liberorum, remedium contra concupiscentiam, nec non societas mutua, terminatur in hac vita, ideo post resurrectionem generalẽ nec nubent nec nubentur. At in resurrectione temporaria huius vitæ, in qua resurgunt homines morituri, non terminatur bonum nuptiale, quia qui temporaliter resurgunt, iterum morituri, & prolis desiderio moueri, & carnis concupiscentia vrgeri, & mutua societate indigere possunt, & proinde vxores suas eodem iure, quo cætera huius vitę bona repetere possunt. In magnas vero angustias coactus est Cardinalis, cum ex hoc capite, fortius esse vinculum spirituale, coniugio carnali probat, quod maritus defunctus, si ad vitam redeat, non possit vxorem repetere, quam viuus duxerat. Quod quidem pronuntiatũ vix inter dialecticas & probabiles propositiones numerari possit. Consulat lector Petrum Anchoranũ, de frigidis & maleficiatis, cap. Fraternitatis: an Lazarus resuscitatus habeat vxorem. De ordinato vero ad vitam resuscitato, an habere ordinem, vel possit eius actum exercere, non est adeo certum: nam Gulielmus de Rubione in 4. D. 27. q. 2. in fine sic disputat, *nec naturaliter scire possumus, nec supernaturaliter de facto scimus*: Vinculũ coniugij spiritualis à solo Pontifice maximo solui potest. Esto. Sed & cum hac additione: in ijs solis; quæ sunt de iure positiuo & Pontificio, non diuino & naturali, non omnino, sed in ordine ad Ecclesiam particularem vt ipse fatetur *Bellarminus*. Quid vero, an potest Pontifex maximus soluere coniugium carnale in ijs quæ sunt

iuris

iuris diuini & naturalis ? licet in ijs quæ ſunt iuris Eccleſiaſtici & poſitiui ſoluere poſſit, et ſæpe ſoluit: Non poteſt vt opinor, non audet, ne contra Deum pugnare, et ſemet ſupra omne quod dicitur Deus efferre videatur. Ex hoc capite ergo paria ſunt coniugium ſpirituale et coniugium carnale: Pontifex maximus in vtroq; ſoluit quod eſt iuris Eccleſiaſtici et poſitiui: quod eſt iuris diuini et naturalis non ſoluit: hoc ergo nomine coniugium ſpirituale coniugio carnali fortius non eſt.

6. *At vinculum coniugij carnalis non ſolus ſoluit Papa, ſed ipſi etiam contrahentes aliquando licitè liberèq; diſſoluunt*: Eſto. Quicquid faciant aut facere poſſint contrahentes, vt mox videbimus, Papa nunquam iure ſoluit vinculum coniugij carnalis: Id patet in ſingulis exemplis *Bellarmini*: *Poteſt alter coniugum matrimonium ratum, & non conſummatum* » *Iure ſoluere, ſi ordinem religioſum profiteri velit, idque ſine facultate* » *ſummi Pontificis*; verba enim Bellarmini hæc ſunt: *neque in hac re vllam à ſummo Pontifice facultatem petere debet.* Pontifex ergo in hoc caſu vinculum non ſoluit. Quia vero mentio facta eſt iuris; poteſt iure ſoluere: Dic ſodes: Iure diuino, naturali, an Eccleſiaſtico poſitiuo? Si Iure diuino naturali, Religiones ergo, et religioſi ſunt de Iure diuino naturali ſub præcepto non ſub conſilio: et de Religionibus habemus præceptum & mandatum Domini, non cõſilium Eccleſiæ, At conſilia ſunt præter præceptum & mandatum Domini, & adiumenta ſunt quibus facilius & perfectius implentur mandata domini, nec vllatenus mandatis domini repugnant, nec mandata domini in vllo irrita faciunt; & Ius diuinum naturale eſt, *Quos coniunxit Deus homo non ſeparet*: Et coniungit Deus eos, quos matrimonium per verba de præſenti contractum, & per benedictionem ſacerdotis ratum in facie Eccleſiæ conſociauit, modo perſonæ ad contrahendum habiles ſint: nam conſummatio matrimonij per Concubitum, non eſt de eſſentia matrimonij: aliàs *Adam* & *Eua* in Paradiſo in ſtatu Innocentiæ omnia eſſentialia coniugij non acceperunt, nec Deus in Paradiſo perfeci, ſed incœpit tantum coniugium, nec inter *Ioſephum* & *Mariam* perfectum fuit coniugium, quod dicere, errorem iudicat Lombardus Sent. lib. 4. diſt. 26. lit. G. nec dicendum eſt coniugium quod inter ſenes contractum & ratum habetur, qui forte per impotentiam ad conſummationem non perueniunt. Non enim eſt de eſſentia matrimonij finis eius, & finis non eſt de eſſentia rei ſed extra rem, Non eſt perfectio eſſentialis ſed accidentalis vt Soto in 4. D. 27. q. 2. Art. 3. Sed omnium pleniſſime Hugo & Lombardus.

Hugo De ſacramentis p. 11. lib. 2. cap. 3. *Copula carnis, que ante peccatum in coniugio, officium fuit, & poſt peccatum in eodem, pro Remedio conceſſa eſt, ſic vtrobique coniugio adiungitur, vt cum coniugio*

iugio, ipsa sit, non coniugium, ex ipsa, nam & ante ipsam, coniugium verum est,, & sine ipsa, sanctum esse potest. Et ante; *Coniugium verum est: & verum coniugij sacramentum etiamsi carnale commercium non fuerit subsecutum.*

Et Lombardus Sentent. lib. 4. D. 26. lit. G. *Sine permixtione sexuum, non minus sanctum est coniugium, quia vt ait, Augustinus, in nuptijs plus valet sanctitas sacramenti, quam fœcunditas ventris.*

Et idem distinct. 27. in litera D. & F. ex Isidoro, Nicolao, Chrysostomo, Ambrosio, concludit, *Ex his apparet, quod consensus, id est, pactio coniugalis matrimonium facit, & ex tunc coniugium est, etiamsi non præcessit vel secuta est copula carnalis.*

Et ideo in litera I. determinat totam quæstionem & respondet obiectionibus, distinguendo inter desponsationem, vbi est compromissio viri & mulieris de contrahendo matrimonio, non est autem ibi consensus de præsenti, atque hi sponsi & sponsæ, vocantur, & talibus licet sine communi consensu continentiam profiteri & monasterium eligere: & inter desponsationem, vbi est consensus per verba de præsenti, in qua coniugium contrahitur.

Et idem D. 28. lit. C. dicit *quod consensus cohabitationis vel carnalis copulæ, non facit coniugium, sed consensus coniugalis societatis, verbis secundum præsens tempus expressis.*

Et Sanctus Thomas in supplemento, Quæstione 45. Articulo 1. in Contrario, & in corpore, vbi citat Chrysostomum. & Quæstione 42. articulo 4. *Carnalem commixtionem non esse de integritate matrimonij, asserit, quia in Paradiso matrimonium sine copula, & matrimonium sine ea sanctum: vnde non est de necessitate sacramenti.*

Præterea Melchior Canus: Locorum Theologicorum libro 8. cap. 5. *Sanctus spiritus & sacramenti gratia per coitum non datur*, vt collegit ex 32. quæstione 2. Connubia: in Iure Canonico, & est Regula in Iure Ciuili vbi citat Barclaius. Et nota est vox illa, & Ethnicorum & Christianorum omnium consensu recepta, *Matrimonium facit consensus, non concubitus*: Et post benedictionem Sacerdotis sacramentum est, & proinde indissolubile: Et solet Sacerdos post contractum matrimonium, per verba de præsenti in facie Ecclesiæ, pronuntiare M. & N. legitimo matrimonio coniunctos esse, & tum demum verba saluatoris, (non expectata prius consummatione) profert, *Quos coniunxit Deus, homo non separet.*

Si Iure itaque Ecclesiastico & positiuo hoc est Pontificio soluit vinculum, qui religionis votum ante consummationem emittit, tum ius Ecclesiasticum positiuum refigit Ius diuinum naturale, & Pontifex Deo & natura fortior erit quod sine blasphemia non dicitur. Vnde sic arguo.

Quod

Quos coniunxit Deus, homo separare non potest.

At eos qui coniugium contractum per verba de presenti & ratum per benedictionem Sacerdotis in facie Ecclesiæ ineunt, coniungit Deus. Si personæ sint ad contrahendum habiles.

Ergo eos homo, siue alter coniugum per ingressum in religionem separare non potest.

Quod vero Papa iuris Ecclesiastici origo, non possit tale matrimonium dissoluere, dicit Covarruvias, Tom. 1. part. 2. c. 7. 2. §. 4. nu. 2. *Tutior & verior est communis opinio Theologorum quæ probat matrimonium ratum nondum secuta commixtione carnis, & sic non consummatum minime posse dissolui Romani Pontificis dispensatione*, Et postea, licet acta Paparum Pauli quarti & Iulij tertij recenseat, concludit, *Ipse vero non auderem à communi Theologorum sententia discedere*: & post addit rationem, (quæ & huic de rato, & illi de consummato applicari possit) *Nulla enim causa constitui aut reddi potest, ex qua id, quod iure diuino ac naturali prohibitum est, Romanus Pontifex permittere valeat, tametsi legem diuinã & naturalẽ possit interpretari.* Et P. Arragõ de iustitia et iure q. 87. Art. 11. ait, *Cæterũ falsum est dicere, quod Papa potest dispensare in matrimonio rato & non consummato, vt communiter tenent Theologi* in 4. dist. 26. & Soto in 4. D. 27. q. 1. art. 4. Idq; colligi videtur ex sacra scriptura Matth. 19. et Marc. 10. Vbi referens Christus uerba Adam dicit: Quos Deus coniunxit homo non separet, et certum est quod loquebatur de matrimonio rato & non consummato; nondum enim Adam vxorem cognouerat.

2. Exemplum Bellarm. desumitur ex 1. Cor. 7. *Vbi Apostolus liberum* „ *facit alteri coniugum ad fidem conuerso, coniugium dissoluere, & ad nouas* „ *nuptias conuolare, altero in infidelitate permanente & sine iniuria creatoris* „ *cohabitare nolente*: Et hoc ius diuinum est, vel potius relaxatio Iuris diuini et naturalis per legislatorem ipsum, qui solus supra leges suas est, indulta: cuius præco *Paulus* Apostolus, non *Petrus* Vicarius *Christi*, ne forte aliquid iuris in hac coniugij solutione arrogaret successor *Petri*; Atque hoc coniugium dissoluit alter coniugum authoritate sua, sine sententia vel declaratione cuiusquam Iudicis: A iure fiunt ista, non à Iudice: et plus potest in hac causa priuatus ad fidem conuersus, quam Pontifex cum plenitudine potestatis.

3. Exemplum Bellarmini ex Deut. 24. petitur, ex veteri testamento, *in quo matrimonia etiam consummata, passim etiam ipsi coniuges per libellum Repudij dissoluebant, non expectata Pontificis potestate*: Et dissolutio ista coniugij à Domino non à Vicario, à Iure non à Iudice, authoritate priuata, non publica Pontificis: legislator qui solus supra leges suas est hanc indulgentiam propter duritiem cordium populi illius concessit, qua in re nihil Pontifici summo permissit, ne se supra legẽ Dei positum præsumeret: In his duobus exemplis soluitur vinculum coniugij carnalis: hoc concessum

sum est: Sed à Deo ipso legislatore supremo, qui solus legis suæ gratiam facere potest, nec valet hæc ratio.

Dominus legislator supremus per seipsum dispensauit in coniugio carnali, in coniugio spirituali non dispensauit.

Ergo fortius est vinculum coniugij spiritualis quam carnalis.

Fieri enim potest vt Dominus, propter rationes sibi soli cognitas, vinculum fortius soluerit, manente vinculo debiliori; sicut Iudæis concessit Dominus, vt per libellum repudij, soluerent vinculum coniugij carnalis, quibus nunquam concessit, vt carnem suillam comederent: Et tamen vinculum coniugij carnalis fortius, quam mandati illius de carne suilla non comedenda, non negabit credo *Bellarminus*.

4. Exemplum Bellarmini *de separatione coniugum à thoro & mensa* ad propositum non spectat, quia manet vinculum coniugij rati & consummati, quod sola morte dissoluitur: Et separationem hanc coniuges ipsi authoritate sua incipiunt: ne vero alter cõiugum, alterum ipso inuito repetat, accedit sententia Iudicis, Episcopi scilicet vel etiam Archidiaconi, quibus hæc potestas iure Ecclesiastico positiuo concessa est, propter maius malum mariticidij aut vxoricidij aut sęuitiæ non ferendæ vitandum. 31.

Quod autem asserit Bellarminus, coniugium spirituale, ne quoad cohabitationem quidem ab alio quam à summo Pontifice solui posse: id quidem verum est iuxta Canones & constitutiones papales, qui omnes maiores causas ad sedem Apostolicam propter lucrum suum, ad auri sacram famem explendam reseruarunt, *discite Pontifices in sanctis quid facit aurum*: at nec *Innocentius*, nec *Bellarminus* Canonem Concilij alicuius generalis proferunt, in quo decretum sit vt nullus Episcopus aut transferatur, aut absit ab Ecclesia sua, sine licentia Pontificis Romani. Quod si hoc tentasset *Innocentius* primus aut *Syluester*, aut alius quisquam antiquorum Pontificum, quod hoc loco contra *Patriarcham Antiochenum* ausus est *Innocentius* tertius: reclamassent procul dubio, omnes Patriarchæ, Metropolitani, & Archiepiscopi; nec vnquam dominatum istum in clerum pertulissent: Nec potest Bellarminus aut alius quisquam Pontificum, ex monumentis antiquitatis vnquam probare omnes translationes, aut non-residentias Episcoporum, à Pontificis Romani indulgentia siue licentia promanasse. Multæ memorantur translationes à Socrate: an illæ omnes factæ per dispensationem Pontificis Romani? *Socrat. l. 6. c. 35.*

Multa extãt decreta contra mutationes sedium, Episcoporum absentias sed malum hoc in eo genere est de quo historicus: *semper vetabitur & semper retinebitur*, qua de re audi *Ambros. Catharinũ* qui cum respondisset argumento *Caietani* vrgentis perpetuã residentiã Episcop. esse de iure diuino: sic infert: *Dicet forte aliquis, certe ipsi non recte faciunt, nec ambulant* *Catharinus in 1. Tim. 3.*

ſecundum veritatem Euangelicam quam profitentur; nam etſi Caietanus, qui ea ſcripſit, videlicet, Reſidentiam eſſe de iure diuino, facto ipſo non probauit, qui cum eſſet Epiſcopus Caietanus, Romæ tamen degebat, non propterea infringitur rei veritas, ſi quis ſuo muneri deeſt, & nos dicimus curare gregem omnino eſſe neceſſarium, & præceptum de iure diuino, non tamen ita præceptum eſt, vt exigatur continua & perpetua Epiſcopi reſidentia.

Ex his igitur manifeſte colligitur quod Pontifex pari Iure diſpenſat in coniugio carnali & ſpirituali, in ijs quæ ſunt iuris poſitiui & Eccleſiaſtici. In ijs vero quę ſunt iuris diuini & naturalis, nec in coniugio carnali, quoad vinculi ſolutionem, nec in coniugio ſpirituali diſpenſat omnino, & proinde in obedientia & fidelitate ſubditorum, relaxandi poteſtatem nullam obtinet, quia obedientia & fidelitas ſubditorum eſt de iure diuino & naturali, in quo Pontifex ſeruus eſt, qui iudicare debet ſecundum leges: Dominus non eſt qui ſupra leges ſuas conſtitutus, eaſdem ad libitum refigere poteſt.

CAP. XXX.

Refellitur confirmatio primæ partis Rationis 5. Paſtor lupum id eſt, Regem hæreticum arcere poteſt per excommunicationem, ſed non poteſt abſoluere ſubditos à iuramento fidelitatis, nec eundem deponere in temporalibus.

1. *Quare ſyllogiſmos non faciat Bellarmi? fallaciam pro demonſtratione propoſuit.* 2. *Excommunicatio non tollit communionem naturæ: patet hoc exemplis ſcripturæ & aliorum multorum, etiam ex Gregorio 7.* 3. *Non arcet priuatos à communione naturæ: non ergo arcet Reges.* 4. *Licet cum excommunicatis communicare in ciuilibus: probatur authoritate ſcholaſticorum.* 5. *Explicatio illius verſus: vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.* 7. *Explicatio alterius verſus: Os, orare, vale, communio, menſa negatur.* 7. *Definitio excommunicationis duplex.* 8. *Depoſitio nec in excommunicatione nec in abſolutione ſubditorum à iuramento fidelitatis continetur.* 9. *Non poteſt Pontifex iubere populum vt regem non ſequatur in temporalibus, quia contra ius diuinum iubet.*

iubet. 10. *Hic semper hæret Bellarminus : non potest ostendere quomodo de Principe fiat non Princeps.*

POst digressionem vnam aut alteram de comparatione obligationis voti & iuramenti, nec non coniugij carnalis inter virum & fœminam, & spiritualis inter Episcopum & Ecclesiam: tandem ad confutationem defensionis primæ partis rationis quintæ, cap. 26. propositæ deuentum est, quæ sicut à *Bellarmino* proponitur, peccat, quia plus est in conclusione quam in præmissis.

Nullum hic (inquit Bell.) *est vitium, sed compendio dictum est quod longiori circuitu dici potuisset.*

Et nullum sine dispendio compendium est: Epitome vero neminem aut Philosophum aut Theologum facit: *dum breuis esse laboro obscurus fio.* — hoc parum est, etiam fallax. Quæ ergo in vnum syllogismum tanquam in fasciculum conferta sunt, si per alterum explicemus & resoluamus manifestum deprehendemus sophistam: syllogismus in paralogismum transit; id quod facile apparebit si in formam redigatur.

Pastori necessaria est potestas circa lupos vt eos arceat omni ratione qua poterit, vel sic:

Potest pastor lupos arcere omni ratione qua poterit.

Hæretici Principes qui Ecclesiam vastant, lupi sunt.

Ergo,

Potest Pastor Principes hæreticos arcere omni ratione qua poterit.

Hoc totum (inquit Barcl.) *verum est, & hoc totum concedimus,* desit iam alter syllogismus, qui ex isto sic sequitur, et eundem explicat,

Quicunque potest Principes hæreticos arcere omni ratione qua poterit, potest iubere populo ne eosdem sequatur (in temporalibus) & proinde priuare dominio in subditos.

Potest pastor Principes hæreticos arcere omni ratione qua poterit:

Ergo,

Potest pastor Principes hæreticos arcere per excommunicationem & simul iubere populo, ne eos sequatur (in temporalibus) & proinde priuare dominio in subditos.

Non equidem miror quod *Bell.* in libris scribendis syllogismos proprie non formet secundum modos & figuras iuxta morem scholarum: Modi & figuræ apud Romanenses, magis ad ingenij exercitationem quã ad veritatis indagationem inuenti sunt: habent demonstrationes suas ad vnguem, possunt rationum suarum vim & energiam exprimere & ostendere, sicut solent librorum Theologicorum scriptores, sine syllogismis, sine modis & figuris; quibus credulos Lectores fallunt & capiunt. Quod si rationes suas apodicticas in modo & figura, in materia & forma vere de-

monſtratiuas propoſuiſſet, ea vis eſt veritatis, facile omnes in ſuam ſententiam traxiſſet, nec librum eius flammis vltricibus deuouiſſent *Pariſienſes*. Verum quæ pulchra ſunt nuda videri amant: mos eſt, fœda coloribus abdere; veritas hos angulos non quærit: lucem formæ veritas materiæ non refugit, ſed ambit. Dixit Chriſtus, *qui male agit odit lucem*; qui male arguit quoad materiam, fugit lucem formæ, ne à luce deprehendatur fallacia. Ideo in concluſione coaceruat Bell. quæſi in præmiſſis prepoſuiſſet, omnes ſophiſtam inueniſſent; id quod in omnibus rationibus siue demonſtrationibus præcedentibus ſatis patet, in hac ipſa ratione multa concluſioni inferuntur quæ cum præmiſſis nullatenus cohærent.

2 Sed ad rem. Miſera hæc eſt fallacia, in qua emendicatur principium; in maiore enim propoſitione aſſumitur quod in quæſtionem vocatur: & maior propoſitio manifeſtè falſa eſt: poteſt enim Paſtor per cenſuras Eccleſiaſticas, lupos arcere, poteſt hæreticos ab ouili gratiæ ſiue Eccleſiæ arcere, ab ouili naturæ arcere non poteſt: poteſt hæreticos à communione Regni cœleſtis arcere, à communione Regni terreni ſiue Reipub. arcere non poteſt: poteſt paſtor ſpiritualis Satanæ tradere, carnifici tradere non poteſt. Multa ſunt exempla excommunicatorum in Scripturis; è quibus nemo priuatus eſt communione Reipub. ciuilis. *Sit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus*; non peior omni Ethnico & Publicano, ſed in ſtatu quo Ethnicus & Publicanus. At commercia naturalia inter Ethnicos & Iudæos, vt inter Ethnicos & Chriſtianos licita ſunt: & ſub titulo huius commercij naturalis, Luſitani & Hiſpani Indos inuaſerunt, & Regna eorum diripuerunt, vt *Franciſcus Victoria*. Relect. De Indis. Sect. 3. *Communicatio enim ciuilis, & commertium eſt de iure naturali omnium gentium*; vti fatentur omnes: ſic Soto. De iuſtitia & iure lib. 1. q. 6. art. 6. Licet Chriſtiano communicare cum Ethnico & Publicano in ciuilibus; licet ergo cum excommunicato cõmunicare in ciuilibus. Quod ſi non licerat, ſi nemini liceat excommunicato cibum aliaque huius vitæ neceſſaria miniſtrare aut vendere, excommunicatio non ſolum mortem animæ ſiue ſpiritus, ſed etiam corporis ſiue naturalem infert, nec ſolum fame gratiæ, ſed etiam fame naturæ enecat: ſicut in Anglia perierunt quidam Publicani, tempore *Henrici* 2. Regis, quos bonis omnibus exutos, nemo cibo alere permiſſus eſt. Neubrigenſis lib. 2. ca. 13. Id tamen permiſit Gregorius 7. c. Quoniam multos 11. quæſt. 3. vt inox patebit. *Licet neceſſaria victui & veſtitui excommunicatis communicare*: vti refert Ioſephus Angles. in 4. q. de Excommunicat. diff. 6. dub. 2. concluſ. 3.

Paulus inceſtuoſum Corinthium Satanæ tradidit. 1. Corinth. 5. *Alexandrum & Hymmeum*. 1. Tim. 1. quos ex Eccleſia & communione gratiæ ſiue regno Chriſti eiecit; ſed eoſdem è Republica, & regnis terræ non eiecit, nec ejicere potuit; vt neque hæreditate

aut bonis ſuis temporalibus, neque dominio in vxores, liberos aut ſeruos priuauit: nec alia eſt excommunicatio priuati, alia Principis, nec alium effectum in Rege, alium in ſubdito ſortitur.

Innumeri ſunt quotidie quos arcet Eccleſia per excommunicationem; quorum nullus aut dominio aut bonis temporalibus, aut communione Reipub. & naturæ priuatur. Opus eſt *Bellarm.* lingua Angelica, qua demonſtret, qua ratione paſtor, qui arcet ſubditum ab ouili per excommunicationem ſimulque prohibet ne populus eum in ſpiritualibus ſequatur, nec tamē prohibere poteſt ne populus cū in tēporalibus ſequatur, aut in naturalibus cum eo commercium ciuile exerceat, nec hæreditatem aut bona eius temporalia auferre; ſic tamen Regem ab ouili per excommunicationem arcent, vt continuo ſequatur depoſitio temporalis, exhæredatio, regni & dominij amiſſio, nec vltra liceat populo eundem in temporalibus ſequi, aut eidem in ciuilibus obtemperare. Forte alius eſt mucro, quo priuatus, alius iſque acutior, quo Rex feritur, qui Regem non ſolum à corpore Chriſti, ſed etiam à ſuo corpore, id eſt, à regno & Republica dividat. Si excommunicatio eadem, ſi culpa eadem, idem erit effectus excommunicationis in priuato & in Rege: aut ergo dominium & bona priuatorum temporalium tollit, aut dominium & temporalia Regum non tollit excommunicatio, quæ lupos, id eſt, hæreticos, ſiue priuatos, ſiue Reges ab ouili Chriſti arcet.

At per ſententiam excommunicationis eos remouet à commercio Catholicorum, & per abſolutionem à vinculo ſubiectionis efficit, ne populus Catholicus Principem hæreticum deinceps ſequatur. Hæc Bellarm. 3

Quidni ergo priuatos per ſententiam excommunicationis remoueat à commercio Catholicorum, & per abſolutionem à vinculo ſubiectionis efficiat, vt vxor, filij, ſerui, creditores, alijque Catholici, neceſſitudinis vinculo obligati, dominum ſuum priuatum, in hæreſin lapſum deſerant: eodem enim iure poteſt iubere ne vxor debitum reddat marito, ne filius honorem deferat Patri, ne ſeruus obedientiam præſtet domino, ne debitor mutuum ſoluat creditori, quo iubet ne populus Catholicus Principem hæreticum deinceps ſequatur.

Rex enim maritus eſt Reipub. pater eſt patriæ & patriotarum omnium Dominus eſt ſubditorum, creditor eſt, cui ſubditi debent honorem & obedientiam, & coniugium ſpirituale authore *Innocentio* 3. De tranſlat. Epiſcop. c. inter corpor. & *Bellarm.* cap. 29. inter Epiſcopum & Eccleſiam, fortius eſt coniugio carnali inter virum & fœminam, et coniugium inter Regem et Rempublicam ſpirituale item eſt; quidni ergo et fortius coniugio carnali, et omnino inſolubile, quia Regem et Regnum coniunxit Deus, ſicut virum et fœminam, et proinde Regem et regnum homo ſeparare non poteſt.

Quinetiam Gregorius 7. author condemnationis eorum qui in schismate inter ipsum & Henricum 4. per excõmunicationes pericrunt, forte pœnitentia & misericordia motus, anathematis sui sententiam sic temperat. 11. quæst. 3. ca. Quoniam multos. *Apostolica itaq; authoritate, ab anathematis vinculo hos subtrahimus, viz. vxores, filios, seruos, ancillas, seu mancipia, nec non rusticos & seruientes, nec non omnes illos, qui non adeo curiales sunt, vt eorum consilio scelera perpetrentur, & eos qui ignoranter excommunicatis communicant, siue illos qui communicant cum illis, qui excommunicatis communicant, &c.* Hæc Gregorius ipse nouis nostris Magistris magis misericors, miseriarum quarum author extitit pertæsus. Quod vrgent *Leodienses* in Epistola, *Primo indiscrete Henrico fauentes excommunicauit, sed reprehendens se intemperantiæ, excepit ab excommunicatione illos qui Imperatori adhærebant, necessaria & debita subiectione, non voluntate faciendi vel conciliandi malum; & hoc pro decreto scripsit.* Et canone proximo: Antecessor: *Bonifacius* Martyr cum excommunicatis Pseudo-Episcopis communicauit, etsi inconsiliũ, & consensum eorum non venit anima eius, corporaliter autem omnino abstinere ab ijs non potuit. Cui cap. Quod Prædecessor: sic respondet Zacharias Papa: *itaque propter hoc quod cum ijs conuersatus es, non consentiens iniquitati eorum, nullum tibi est detrimentum coram Deo.* Licet ergo cum excommunicatis communicare ciuiliter, si cum ijs spiritualiter, siue in spiritualibus, siue in iniquitatibus eorum non communicemus.

Et Glossa in cap. Quoniam multos, verbo, temperamus: *Est ergo hoc verum quod nunquam familia est excommunicanda propter delictum Domini*: Et in verbo, vxores: dicit, *quod vxor tenetur reddere debitum viro excommunicato*; & Respub. est familia & vxor, & subditi filij sunt & serui Regis, eique necessitate iuncti. Vnde versus.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse,
Hæc anathema quidem faciunt, ne possit obesse.

De quibus antequam plura dicam, id obtinuet velim Lector, quod annotauit Iosephus Angles. De excom. q° vnica. An Eccles. &c. difficult. 1. *Hinc collige excommunicationem à iure diuino, modum autem excommunicandi esse à iure Ecclesiastico, vt scilicet non manducent cum illo, neque illum salutent, &c.* Et ante. *Cum tres sint excommunicationis effectus, scilicet priuatio generalium suffragiorum, exclusio à communione fidelium, & priuatio participationis actiuæ & passiuæ sacramentorum; duo priores non comprehendunt excommunicatum ex iure diuino, sed tantum ex Ecclesiæ institutione: ratio est, quia solum effectus posterior fuit à Christo institutus, &c.*

Cum ergo ex iure diuino licitum sit communicare cum excommunicatis in rebus naturalibus & ciuilibus, vti multis docet *Ioannes Driedo.* De libert. Christiana. cap. 14. lib. 2. & reliqui effectus excommunicationis

tionis sint de iure Ecclesiastico positiuo, non diuino & naturali, sicut vel ex eo patet, quod ex iure solum canonico probantur; & Ecclesia non possit ius diuinum & naturale per canones & constitutiones suas tollere, manifestum proculdubio est, excommunicationem quæ ex iure diuino non priuat Regem communione naturali & ciuili, quæ inter eum & subditos intercedit, non posse ius Regium, & subditorum obedientiam, & fidelitatem Iure diuino, & iuramento confirmatum tollere. Vnde Durandus. Lib. 4. sent. distinct. 18. quæst. 5. *Sunt etiam aliquæ personæ, quibus licituro est cum excommunicatis loqui & participare, scilicet vxor, & filij non emancipati, serui, rustici & cæteri seruientes, dummodo non participant cum ijs in crimine, nec in diuinis: Et hæc omnia nominantur.* 11 q. 3. cap. *Quoniam multos, &c. Per idem intelligo quod Domini & superiores possunt participare cum inferioribus excommunicatis; sicut è conuerso, in his in quibus mutuo sunt districti: sicut enim inferior astringitur superiori, sic superior inferiori; & hoc tangitur in illo versu.*

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse:

Vt vtilitas referatur ad locutionem, quæ sit causa salutis, lex ad vinculum matrimonij, humile ad subiectionem seruorum, filiorum & huiusmodi.

Et summatim Gabriel Biel. In 4. Dist. 18. quæst. 3. lit. F. *Generaliter, qui ante excommunicationem fuerunt excommunicato astricti, per excommunicationem à debito non absoluuntur, &c.* Vbi in sequentibus concordat cum Paludano, quòd eo ipso quod excommunicatus quis est, non est solutum iuramentum fidelitatis.

Etiam Ioannes Gerson: De potest. Ecclesiast. consider. 4. *Et sunt qui dicunt pœnam hanc (excommunicationis) esse vltimam, quam infligere possit Ecclesiastica potestas iurisdictionis ex institutione Christi sola primaria, sic quod non extendatur ad incarcerationem, nec vt aliquis adiudicetur morti vel flagello corporali; sed hoc facit Ecclesiasticus dum facit, ex concessione Principum.*

Idem docet Ockam. Dialog. p. 1. lib. 6. cap. 9. in 3. ad 3. *Tertia responsio est quod Papa in quantum Vicarius Christi, habet potestatem excommunicandi, sed pœnam maiorem nullatenus inferendi: dicunt enim quod est vltima pœna quam possunt Ecclesiastici exercere.*

Ioan. de Friburgo in sum. Cõfess. de sententia excõmunicationis. L. 3. tit. 3. quæst. 136. Quamuis neget licere militare, aut defendere excommunicatos, *tenentur tamen ei reddere tributa & pensiones & huiusmodi, sicut debitor tenetur reddere excommunicato quod ei debet, nec peccat sic communicando ei, &c. quia casus est necessitatis.* Et quæstione 137. *An homines qui non sunt eorum vassalli, à Magistratibus & Ballinis excommunicatis in ius vocati, teneantur venire, aut poterunt rem deducere coram ijs*

tempore excommunicationis absq; peccato. Resp. secundum Glossam ibidem; *Sine præiudicio credo quod sic, quia sic vocati stant iuri, coram ijs, videtur esse necessitatis, cum Hugo reputet casum necessitatis, cum debitor soluit excommunicato quod debet; si autem conueniant iniuriatores suos coram ijs, similiter excusantur per casum necessitatis.*

Summa Angelica verbo excommunicatio 8. *Humile; sub hoc excusantur serui, filij, ancillæ, rustici, seruientes, &c. vt in decreto Gregorij 7. tales enim personæ ex quo ante sententiam latam ad familiare obsequium exhibendum erant astricti, excusantur communicando etiam post sententiam: idem intelligas de nutricibus, & illis qui contraxerunt societatem, vel alio modo, per aliquem contractum ijs erant obligati.* Et infra. *Idem dic de vassallis: & habentibus emphytheosin ab ijs, quoniam possunt reddere pensiones, & alia ad quæ obligantur secundum veriorem opinionem.* Et infra. *Sic nullus tenetur euitare excommunicatos quando id facere non potest sine tali periculo, quia præceptum de excommunicatis vitandis cum sit iuris positiui, non potest ad hoc ligare aliquem.*

Et ipse etiam Alensis (etsi excommunicatis durior quam par est) excipit casum. Sum. p. 2. l. 7. tit. 8. art. 3. quæst. 1. *Vbi Pagani, & hæretici, vel alij hostes iniusti venirent in brachio forti, ad deuastandam & delendam patriam; & excommunicatus ex aduerso vellet pugnare pro patria, tali esset soluenda pecunia; & etiam vassalli iurati sui tenerentur sequi talem, hoc tamen intelligas esse verum, si esset Dominus terræ, vel si non esset alius qui patriam possit defendere, ex Hostiensi.*

Ludouicus Richeomus. In expos. apologet. cap. 21. *Excommunicatio non nisi excommunicatum facere potest; eaque fulminatur in Principes, non vt Tyranni fiant, neque vt suis ditionibus remoueantur, neque vt subiectis gentibus, quas moderandi ac regendi sui ipsa suis Regibus dederunt, laxentur habenæ, vel iurata conceptaque more ac legibus fide liberentur, verum vt homines salutari terrore commodisque supplicijs ad pietatis frugem, quasi deducto fræno reuocentur.*

Soto de iustitia & iure Lib. 1. quæst. 6. art. 6. *Ratio ergo quare Ecclesia excommunicare potest, ipso facto, absque causæ cognitione & iudicis sententia est, quia dum priuat hominem suis suffragijs, aut susceptione sacramentorum, non priuat eum bonis suis proprijs, quæ iure peculiari possidet, vel tradere per actionem teneatur, sed communibus quorum ipsa est dispensatrix.*

Eadem Bartholomæus Medina. In 1. 2. q. 9. art. 4. *Quoniam non est priuatio alicuius boni proprij quod transgressor legis prius possederat; sed est priuatio bonorum communium, quæ ab Ecclesia erat recepturus; vt priuatio communionis spiritualis & receptionis sacramentorum; & ideo*

Ec-

Eccleſia, eo ipſo, quod quiſquam eſt violator legis ſuæ, poteſt illum inhabilem ad bona communia ſuſcipienda facere

Verum quidin congerendis authoritatibus immoror? Conſulat Lector C.8. Libro 1. in quo plurimos videbit, qui poteſtatem depoſitionis Pontifici negant, qui tamen excommunicationis poteſtatem non negant. Quin etiam multi Imperatores et Reges excommunicationis vinculo innodati ſunt, qui Regna et diademata et temporalia non amiſerunt. *Ambroſius Theodoſium*, *Archadium Innocentius*, (Si vera narrat *Nicephorus*,) excommunicauit, neuter tamen eorum depoſitus aut Imperio priuatus eſt: *Zacharias*, *Childericum*, ſi vobis credimus, depoſuit, nec excommunicauit; nec ergo depoſitio præſupponit excommunicationem, nec excommunicatio depoſitionem infert: id quod manifeſtè docet fictus ille Canon Lateranenſis, iuxta quem Princeps per Metropolitanum et Epiſcopos excommunicatur, poſt annum verò a Pontifice liberantur vaſſalli à Iuramento fidelitatis, et terra eius Catholicis occupanda exponitur.

Quod ſi rationem illius verſus ſuperius citati, quem Theologi et Canoniſtæ omnes admittunt, perpendamus, etſi iuris tantum poſitiui et Eccleſiaſtici declaratoſit, ſatis tamen indicat, excommunicationem, bonis tantum Eccleſiæ ſiue ſpiritualibus non bonis temporalibus, naturę ſiue Reipub. priuare. Exillis enim quinque quæ in illo verſu memorantur, quatuor ſunt quæ ſatis oſtendunt excommunicationem non priuare excommunicatum bonis temporalibus, ſiue Regno. 5

1. Vtile, extenditur ad debitores et debita: et omnes ſubditi debitores ſunt obedientiæ, et fidelitatis, tributi, honoris et ſuſtentationis quę Regibus iure diuino et naturali debentur: ſicut enim Rex debet ſubiectis ſuis regimen et protectionem, eoſq; excommunicatos et regere et protegere debet; Sic et ſubditi Regibus ſuis debent honorem, tributa, obedientiam, fidelitatem et ſuſtentationem; et eadem Regibus ſuis etiam excommunicatis de Iure diuino et naturali præſtare tenentur, nec poteſt Ius Canonicũ hoc debitũ juris naturalis quoquo modo obliterare; quia Ius diuinum quamuis ſponſione ſiue promiſſione, quovis iuramento aut chirographo, iure Pontificio, aut humano fortius eſt, magiſque obligat. Vivunt vero ſubditi ex feudis Regis, et omnia ſua bona mobilia et immobilia tenent: et vt dicitur Act. 12. 20. aluntur ab illo.

2. Lex, extendit ſe ad vxores, *quæ lege viri durante vitâ tenentur*, et proinde vxor tenetur reddere debitum viro excommunicato, ſicut et vir vxori excommunicatæ: Eadem vero poteſtate diuina ſcilicet lex Dei obligat Rempub. vxorem Regis, vt debitum reddat viro ſuo id eſt Regi excommunicato: Sicut et Rex excommunicatus tenetur debitum reddere vxori ſuę id eſt Reipub. illius eſt regere, huius regi; illius præire, huius obſequi; nec magis licet Reipub. ad noui Regis nuptias convolare,

re, propter prioris Regis excommunicationem, quam licet fœminæ ad ſecundas nuptias convolare, quia prior vir excommunicationis vinculo innodatur.

3. Humile; extenditur ad filios, ſeruos, ancillas, ruſticos, ſeruientes, vaſſallos, alioſq; qui non ſunt adeo curiales, vt conſilij & crimnis Regis excommunicati participes ſunt: quo in numero ſunt omnes ſubditi, quia filij ſunt Patris patriæ, ſerui ſunt Domini & Regis, eiuſquè vaſſalli ſub poteſtate Regis conſtituti, idque plus quã filij in poteſtate patriâ, quia poteſtatem vitæ & necis in eos habet. Quod ſi maior ſit ratio humilitatis in ſubditis erga Regem, quam in filijs & ſeruis, verſus Patrem & Dominum, quià Rex etiam in patres & Dominos Imperium habet, & lex Imperialis patriam & herilem poteſtatem certis limitibus & cancellis circumſcribit; ſubditi non obſtante excommunicatione Regis, debent obedientiam & fidelitatem eidem præſtare, ſicut filij & ſerui, non obſtante excommunicatione Patris familias, eidem ſeruire, & miniſtrare in temporalibus tenentur.

4. Neceſſe, magis extenditur ad ſubditos, quam ad creditores: Rex enim debitor eſt juſtitiæ & protectionis: & licet populo creditori, à Rege excommunicato debitum juſtitiæ, & protectionis repetere, & recipere: imo neceſſe eſt, vt à Rege, eoq; ſolo, hoc debitum, creditor populus repetat, quia ſolus miniſter eſt Dei, portans gladium in laudem bonorum, & pœnam malefactorum. *Ideo* inquit Apoſtolus, *neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam*; vt duplex hic ſubſit neceſſitas, & externa propter iram quia gladium portat, quo rebelles in ordinem cogat, & interna, propter conſcientiam, quia ſine hoc præcepto obedientiæ & ſubjectionis, non pervenitur ad finem, pacem ſcilicet & temporis & æternitatis. Neceſſitas ergo iſta ſiue neceſſitudo, quę inter Regem & ſubditum eſt, major & fortior eſt illa, quæ inter creditorem & debitorem intercedit. Et poinde, ſi licet Creditori repetere jus ſuum à debitore excommunicato, propter neceſſitatem; licebit etiam ſubditis cum Rege ſuo excommnnicato communicare in iuſtitiâ ciuili, & defenſione externa, quarum debitor eſt Rex, infimo cuiquè de plebe.

6. Nec obſtat alter ille verſus. *Os, orare. vale, communio, menſa negatur*: hæc enim juris poſitiui & Eccleſiaſtici ſunt, quatenus temporalia ſunt, & contra jus diuinum & Apoſtolum, qui expreſſè licitum facit vxori fideli cum marito infideli & hæretico cohabitare, nec non oſcula dare, & debitum reddere: licite permittuntur iſta fieri publicano & Ethnico, multò magis ei qui tantummodo tanquam Publicanus & Ethnicus. Et licet, teſte eodem Apoſtolo, de Idolothytis, & cum Idololatris comedere. Ex quibus deducit Iohannes Driedo De libert. Chriſtianâ Lib. 4. Cap. 14. licitum eſſe de jure diuino & naturali, cum hæreticis excommuni-

municatis communicare in temporalibus, etsi in spiritualibus non liceat. Quod forte à Prædecessore suo Iacobo Latomo didicit, qui de Indulgentijs Art. 7. dicit. *Quarto, vides rationem quare quædam personæ exceptæ sint quibus licitum est anathematizato communicare, in quibusdam pertinentibus ad particulares quasdam communicationes, communioni, quæ consequitur fraternitatem regeneratorum impertinentes, atq; ab ea separabiles, vt est communicatio Patris & filij, viri & vxoris, domini & serui, quæ sunt de iure naturæ vel gentium, & communes sunt regeneratis & non regeneratis, de quibus in Cap. Quoniam multos* 11. *Quæst.* 3. Quod si excommunicatio bona temporalia & dominia & subjectionem & fidelitatem tollat, non jam pœna salutifera, sed eradicatio & damnifera pœna dicenda est. Imperfecte dixit Apostolus 1. Cor. 5. 5. *Tradidi eum Satanæ in interitum* id est ruborem & confusionem *carnis, vt spiritus saluus sit in die Domini* (quos enim non inhabitat Deus, possidet Satan:) dicere debuit; Tradidi eum Satanę, & bonis omnibus, spiritualibus & temporalibus exui, vt et corpus fame pereat, & spiritus in æternum perdatur in die Domini.

Sed excommunicationis definitionem audiamus. Excommunicatio juxta Thomam & omnes Scholasticos & Canonistas sic definitur. Thomas in Supplem. Quæst. 21. Art. 1. in 4. Dist. 18. Quæst. 2. *Excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ, quoad fructum, & suffragia generalia. Sicut enim aliquis per baptismum in Ecclesiâ ad duo ascribitur, scilicet ad cœtum fidelium & ad participationem Sacramentorum, & secundum istorum præsupponit primum; & ideo aliquis potest extra Ecclesiam esse per excommunicationem dupliciter; vno modo, ita quod separetur tantum à participatione Sacramenntorum, & hæc est excommunicatio minor; alio modo ita quod excludatur ab vtroque, & sic erit excommunicatio maior, quæ hic definitur. Præmissa ergo definitio importat separationem a Sacramentis, in hoc quod dicit quoad fructum, & à communione fidelium, quantum ad spiritualia, in hoc quod dicit, & suffragia Ecclesiæ communia.* In hac definitione, nihil est quod neget communionem fidelium cum excommunicatis in rebus temporalibus & ciuilibus: excommunicatio ergò, siue maior siue minor sit, non deponit Reges, nec tollit obedientiam & fidelitatem subditorum, quin licite possint Regibus suis in temporalibus & ciuilibus famulari. Id quod & Thomas videtur agnoscere, qui in objectione 3. Sic arguit. *Fructus Ecclesiæ non videtur esse aliud quam suffragia; non enim potest intelligi de fructu bonorum temporalium*; quod in resp. non negat: & in object: *pœna excommunicationis est priuatio alicuius boni spiritualis quod omnibus bonis temporalibus præeminet*: non ergo priuat temporalibus, sed gratia & protectione Dei. 7.

Altera vero illa descriptio excommunicationis, cuius ibidem memi-

nit

nit Thomas; *Excommunicatio est à qualibet licita communione fidelium separatio*, quatenus scilicet à duplici communione fidelium, & in spiritualibus & in corporalibus priuat, magis Monarcham supremum spiritualem & temporalem, quam summum Sacerdotem, vel Christum Dominum redolet; *qui Regnum & quæstiue fugit, & hæreditatem inter fratres diuidere rogatus recusauit.* Distingui enim solent & contradiuidi duo ista, mors corporis & mors animæ; excommunicatio in spiritualibus opponitur, excommunicationi in temporalibus major pœna est versari inter homines & hominum carere suffragijs, quam ejici extra ciuitatem, puta in exilium deserti aut nemoris: & bannitus à Rege & excommunicatus æqui parantur. Vide Hostiensem in sum. de sent. excom. quid sit excom. num. 1. Excommunicatio ergo non includit in se pœnas corporales aut ciuiles, qualis est depositio; aliàs Reges & Principes Christiani, ex gratiâ & indulgentia, pœnas corporales & ciuiles in contemptores excommunicationis non addidissent. Medicina ergo hæc mordax est, sacramenta gratiæ subtrahit.

Audi vero quid de hac re Magister L. 4. Dist. 18. G. doceat. *Est et alius modus ligandi & soluendi, qui per excommunicationem geritur: dum aliquis secundum Canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententiâ Ecclesiæ à loco orationis, & Sacramentorum communione, & fidelium consortio præscinditur, vt erubescat & pudore sceleris conversus pœniteat, & sic spiritus eius salvus sit. Quod si pœnitentiam profitens respuerit, negatæ communioni admittitur, & Ecclesiæ reconciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio, hanc pœnam illis qui dignè percelluntur infligit: quià gratia Dei, & protectio illis amplius subtrahitur ac sibijpsis relinquũtur, vt sit illis liberum ruere in interitum peccati, in quos etiam maior Diabolo sæuiendi datur potestas, Orationes quoquè Ecclesiæ, & benedictionum ac meritorum suffragia ijs nequaquam suffragari putantur.* Excludit ergo excommunicatio, homines à Regno Christi, et gratia siue protectione Dei speciali, sed è Regnis terræ, et protectione siue prouidentia Dei generali non excludit: Remouet homines à consortio fidelium in spiritualibus non in temporalibus, et proinde depositionem Regum temporalem non infert.

Agmen claudant Theodoretus et Tertullianus.

Theodoretus in 2. ad Thessalon. Cap. 3. Nolite quasi inimicum existimare sed corripite vt fratrem. Eos quibus sunt Ecclesiarum commissa gubernacula, hanc regulam oportet attendere: corporalem enim eorum qui peccant subventionem non prohibuit diuinus Apostolus: eos autem spirituali libertate priuauit, sed vult vtriusque ab ijs curam geri.

Tertullianus *De præscript. aduersus hæreses, Cap. 30. Marcion filius Episcopi, hæresiarcha tamen propter stuprum cuiusdam virginis, ab Ecclesia*

ſiæ communione abiectus eſt: hic cum ducentis HS. quæ Eccleſiæ intulerat, nouiſſime in perpetuum diſſidium relegatus &c. Super quæ verba ſic Rhenanus: *Attende morem veterum reiectis ab Eccleſia ſua reddentium.* Sic antiqua Eccleſia bona temporalia excommunicatis reddidit; Romana Regibus excommunicatis bona temporalia, Regna & diademata tollit.

Et alibi *In Lib. de Idololatria. Cum Ethnicis eſt commercium vitæ, quod Apoſtolus concedit; non peccare quod nemo permittit; licet conuiuere cum Ethnicis, commori non licet: conuiuamus cum omnibus, conlatemur ex communione naturæ, non ſuperſtitionis; pares animæ ſimus, non diſciplinâ; compoſſeſſores mundi, non erroris.*

Atque de hoc etiam conqueritur Fredericus apud Nauclerum, generatione 42. ad annum 1242. vt citauimus in L. 1. C. 8.

Quod vero in abſolutione ſubditorum ab obedientiâ & juramento fidelitatis (quod 2. loco ponitur à Bell.) non contineatur depoſitio, patet; quia in C. Alius, depoſitio præcedit, ſubſequitur abſolutio à juramento fidelitatis. Et Thomas 2. 2. Quæſt 89. Art. 9. ad 1. de diſpenſatione in juramento, ſic ſtatuit. *Diſpenſatio quæ ſit in iuramento, non ſe extendit ad hoc, quod aliquid contra iuramentum fiat; hoc enim eſt impoſſibile, cum obſeruatio iuramenti cadat ſub præcepto diuino, quod eſt indiſpenſabile; ſed ad hoc ſe extendit diſpenſatio iuramenti, vt id quod ſub iuramento cadebat, ſub iuramento non cadat, quaſi non exiſtens debita materia iuramenti.*

Opus eſt hîc interprete, vt intelligamus quid hoc ſit (*Cadebat ſub iuramento, & ſub iuramento non cadit*) loquitur de juramento promiſſorio de quo vt de alijs Propheta: *Iurabis in iudicio, & iuſtitia & veritate.* Rationem aſſignat, *quia illud quod ſub iuramento promittitur licitum & bonum erat, cum interceſſit iuramenti obligatio; at materia variante quod bonum & licitum erat, factum eſt malum & illicitum. Et tunc iuramentum non eſt ſeruandum.* Si de adiaphoris loquatur, poſſunt illa quidem & bona, & mala, & licita, & illicita fieri pro temporum, & perſonarum, & circumſtantiarum varietate; at in rebus ex naturâ ſuâ bonis, quæ ſic bona & licita ſunt, vt non bona & illicita fieri nequeant, non habet locum diſtinctio iſta. At obedientia & fidelitas ſubditorum talis eſt; & proinde in ijs rebus quæ ſub Dominorum & Regum Imperio cadunt, ſemper præſtanda, ſiue juramento confirmetur ſiue non: Cum ergo conſenſu omnium in temporalibus, Imperatoribus & Regibus etiam *dyſcolis & malis* parendum ſit, de jure diuino & naturali, quod eſt indiſpenſabile; Pontifex non poteſt ſubditos abſoluere à juramento fidelitatis. *At poſtquam Rex Apoſtata, hæreticus & Tyrannus factus eſt, poteſt merito Dominio in fideles priuari, & poſt priuationem ſubditi liberantur, quia*

Rex

Rex esse desyt, & Pontifex etsi non relaxat vinculum iuramenti, obligationem tamen relaxatam esse declarat. Hæc si demus, etsi non concedamus, ex his consurgit, declarationem hanc, siue solutionem subjectionis non esse Regis depositionem, sed potius illius consequentiam, prius enim deponatur Rex necesse est, antequam solutum vinculum subjectionis declarare potest Pontifex. *Hic latet anguis in herba.* Excommunicatio & declaratio absolutionis à juramento, quia spiritualia videntur, ad Pontificem forte spectare possunt, qui supremus Pastor & Monarcha spiritualis videri vult: depositio quæ solutionem subiectionis & præcedit, & efficit, quia mere ciuilis & temporalis est censura, actus est gladij temporalis; & proinde ad Pontificem non spectat. Ideo subdole & fraudulenter de excommunicatione præcedenti, & absolutione subjectionis consequenti, quia spiritualia videbantur, mentionem facit *Bell.* mediam verò depositionem quia temporalem & ciuilem esse constat, prorsus tacet; ne dum harum potestatum spiritualis scilicet & temporalis dignitates, officia & actus velit distinguere, confundat. Nec ergo per excommunicationem, nec per absolutionem à vinculo subjectionis, efficere potest Pontifex, vt populus Catholicus Principem hæreticum deinceps non sequatur in temporalibus.

At iubere potest ne Populus eum sequatur.

Id potest Pontifex quod jure potest; ostendat jus diuinum quo collata est *Petro* potestas quâ possit jubere, vt populus qui tenetur Regem suum etiam *dyscolum* in temporalibus sequi, ipsum tamen, postquam in hæresin lapsus fuerit, vel tyrannice desæuiat, non sequatur, & parebimus. Verum si jus diuinum ostendere non possit, aut dispensationem Dei, vt in libello Repudij apud Iudeos aut in conjugio infidelium, quorum alter ad fidem convertitur inter Christianos proferre nequeat; sed pro jure diuino sanctiones Canonicas, & vsurpationes Pontificias & ambitiosas supponat, sicut faciunt omnes huius Tyrannidis Patroni, confidenter dicimus, Pontifici in mandatis illicitis non obtemperamus. Lex enim Ecclesię non potest tollere legem Dei; si aliud jubeat Deus, aliud Pontifex, *Satius est obedire Deo quam Pontifici. Si ergo subditi excommunicantur, ideo, quia ad malum cogi non possunt,* dicit Gratianus 11.Q.3.C. Si is qui præst. *Tunc sententiæ non est obediendum:* quia juxta illud Gelasij, *nec apud Deum, nec apud Ecclesiam eius, quenquam grauat iniusta sententia:* Imò ei est resistendum, vt probant Doctores.

Iohannes de Turrecremata Sum. de Eccles. L.2.C.106. *Tertium remedium, vbi præcedentia occulto Dei iudicio non iuuarent, hoc supereſſet, videlicet, resistentia, &c.* Id quod etiam ex *Paludano probat.* Antonius Cordubensis: Quæstionarij L.4.Quæst.10.Dict.3. *Tertium dictum est, quod, supradicta resistentia abusionis Papæ fieri debet authoritate*

ritate publica tantum, ita viz. &c. quod Epiſcopi &c. poſſent & debèt ei non obedire, illam abuſionem non exequendo, &c. Et ſi hoc non ſufficeret, poſſunt etiam brachium ſeculare invocare & implorare Principes ſeculares, vt eorum authoritate & potentia reſiſtant ſummo Pontifici, impediendo executionem mandatorum eius, & etiam facto, vi & armis, ſed non per viam iuriſdictionis in Papam, ſed iure defenſionis modo prædicto; impediant executionem illorum mandatorum, illiſquè reſiſtant, & comprehendant atquè puniant executores ſiue Miniſtros talium mandatorum & diſpenſationum. Et alibi L. 3. Q. 13. Reg. 3.

Si Eccleſia iubeat denuntiare, & inde probabiliter timetur maius malum quam ſit vtilitas, ſeu ſi immineat ſcandalum, tunc non tenetur, nec debet quis denunciare, quia qui iuſta cauſa non paret mandato, excuſatur à non paritione; vt communiter DD. cum Syluestro.

Franciſcus Victoria: Relect. 4. de Poteſt. Papæ & Concil. Prop. 21. *Sequitur corollarium; quod non ſolum liceret, non parere talibus mandatis, ſed etiam facto & vi, ſi opus eſſet, reſiſtere illis, & impedire armis executionem mandatorum; & maxime intercedente publica authoritate; vel Principis; & comprehendere & punire executores mandatorum, ſemper tamen ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ; non excedendo reuerentiam, nec negàndo aliquo pacto authoritatem illius, &c. Quia profectò tyrannicum eſt dicere, quod ſummus pontifex habeat maiorem authoritatem ad gubernandam Eccleſiam in hac parte, quam Rex ad gubernandam Rempub. & ciuitatem temporalem, &c.* Vide propoſitiones 17. et 22.

Andradius; in defenſione, Tridentinæ fidei. L. 1. *Non inficior, quod ſi aliquando Romanus Pontifex ita decipiat, vt, quæ iniuſta & pernicioſa ſint, imperet, audacter ſit illius voluntati repugnandum, & ſcelerata iuſſa forti & inuicto animo contemnenda, quod tamen non eſt obedientiam abijcere, aut ex ampliſſima atque diuina ditione eximere, ſed humanæ voluntati diuinam anteferre, & veram obedientiæ rationem tenere. Nam cum diuina & naturalis lex quæ ſempiterni Numinis voluntatem demonſtrat, ſuprema quædam & vniuerſalis ſit iuſtitiæ & æquitatis norma; Si quis, vt Principibus morem gerat, Dei præcepta aſpernetur, non obſequens ſed diſſolutus, non obtemperans ſed pernicioſus aſſentator dicendus eſt.*

Vniuerſitas Pariſienſis; In appellatione ſuâ contra Leonem 10. pro Concilio Baſilienſi. In Monarchiâ Haminsfeldij. Tom. 1. *Si quid Papa, quod iniuſtum eſt, faciendum eſſe præceperit, patienter ſuſtinere debeat, Si non fiat quod ei prauâ inſinuatione ſuggeſtum, eique parendum non ſit, ſi quidcontra diuina præcepta ſtatuendum eſſe decreuerit; imò ei reſiſti iure poteſt.*

Syluester in ſummâ, verbo Obedientia; num. 5. idem ſtatuit, *Si Papæ mandatum ſapiat peccatum etiam veniale; item ſi ex obedientiâ præſume-*

retur

retur ſtatus Eccleſiæ perturbandus vehementer, vel aliud malum, aut ſcandalum futurum etiamſi præciperetur ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ ſi mandat etiam ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, aliquid ex eius executione præſumitur ſcandalum animarum vel corporum futurum in ciuitate, non eſt ei obediendum, quia hoc fit legis authoritate, Et poſtea.

Num.6. *Sexto queritur, vtrum Papæ ſit in omnibus obediendum à ſecularibus; & dico quod ſic in ſpiritualibus & Eccleſiaſticis pertinentibus ad ſalutem, & bonorum morum conſeruationem; quia in Baptiſmo ſe obligarunt ad renunciationem Satanæ & operibus eius, non autem in temporalibus niſi ſint ei ſubiecti ratione perſonæ vel cauſæ: vnde ſi præciperet ſeculari nulla ratione ſibi ſubdito quod ſibi tribuat bona ſua, obedire non tenetur: & idem dic de alijs ſpiritualibus Prælatis quoad temporalia; & ſimiliter de temporalibus Dominis quoad ſpiritualia.*

Adrianus, Quodlib.6.Art.1. *Lex iniqua, ſine præceptum iniuſtum neminem ligat in foro conſcientiæ: contingit autem legem eſſe iniuſtam, vel quia contra Deum eſt, puta, ſi prohibet quod Deus præcipit, aut certe iubet aut concedit quod Deus vetat.* Tunc concludit. *Quod autem legi iniuſtæ hoc primo modo obedire non tenemur, patet, quia obedire oportet Deo magis quam homini.* Et in artic.2. Idem tenet ſi præceptum contra bonum publicum.

Alphonſus de Caſtro de poteſtate legis pœnalis. Cap.5.Concluſ.3. *Poteſt ſubditus ſine vllo peccato legem aut præceptum ſuperioris contemnere, iudicando illud malum & contra rationem*: Scotus in 4.Sent.Diſt.3. Quæſt.4.Art.1. *Quia nullus tenetur credere, rem aliter eſſe quam eſt; & conſtat multorum Prælatorum præcepta ſæpe iniuſta: ergo nullus tenetur credere illa eſſe iuſta: & inde aperiè ſequitur, ſubditum poſſe tunc ſine peccato præceptum Prælati contemnere, iudicando illud eſſe irrationabile.*

Toletus in Inſtructione Sacerdotum: Lib.5.Cap.3. *Vltima cauſa eſt debita obedientiæ; cum enim Papa imponit aliquod negotium Epiſcopo quod requirit ad tempus abſentiam, abeſſe poteſt: ſed attende, quod non ſufficit obedientia tantum, ſed debita; quia cum abſque cauſa rationabili aliquid præcipitur, non debemus audire; nec Papa pro ſuo libito excuſat, &c.*

De tali ergo obedientia optime Bernardus Epiſt.7. *Ex his ergo liquido apparet mala imperantibus non eſſe parendum, præſertim dum pranis obtemperans Imperijs in quo homini videris obediens, Deo plane, qui omne quod perperam agitur interdixit inobedientem te exhibeas: valde autem perverſum eſt profiteri te obedientem, in quo noſceris ſuperiorem propter inferiorem, id eſt diuinam propter humanam ſoluere obedientiam: Quid enim*

nim? quod iubet homo, prohibet Deus, & ego audiam hominem ſurdus Deo? Et infra, *Igitur facere malum qualibet etiam iubente conſtat non eſſe obedientiam, ſed potius inobedientiam: Sanè hoc aduertendum, quod quedam ſunt pura bona* (vt obedire Regibus quia lege diuina iubetur): *quedam pura mala, & in his nullam deberi hominibus obedientiam, quoniam nec illa omittenda ſunt etiam cum prohibentur, nec iſta vel cum iubentur omittenda. Porrò inter hæc ſunt media quædam, &c.* Nec erit ita impudens quis vt obedientiam ſubditorum inter Adiaphora numeret. Et infrà, *Nullius prohibitio valet obuiare præceptis, nullius iuſſio præiudicare prohibitis.* Et infrà, *Quomodo ergò vel Abbatis iuſſio, vel Papæ permiſſio, licitum facere voluit, quod purum malum fuit, & pura mala vt nunquam iuſsè iuberi, ſic nec licitè poſſe fieri? &c.*

His addi poſſunt *Panormitanus, Innocentius, & P. Anchoranus*, qui ca. 4. proferuntur.

Cum ergò excommunicatio ſpiritualis communione ſpirituali tantum priuet, non naturali, ſiue ciuili & proinde depoſitionem temporalem non inferat, abſolutio verò à juramento & vinculo obedientiæ depoſitionem temporalem ſequatur, non præcedat, nec efficiat. Et ſi Pontifex à millies jubeat, vt Populus Regem hæreticum & infidelem, in temporalibus non ſequatur, non eſt mandato Pontificis obtemperandum, quia jus diuinum & naturale (quod eſt omninò indiſpenſabile, niſi per Deum ſolũ,) obedientiam Regum Ethnicorum tyrannorum & dyſcolorum præcepit, nec poteſt vlla ratione, aut jubere aut efficere Pontifex, vt populus Regẽ infidelem, apoſtatam vel hæreticum, in temporalibus deinceps non ſequatur, quia iuri diuino et naturali repugnat. Id quod in hanc formam redigit *Barcl.*

Summus Pontifex nihil præcipere vel diſpenſare poteſt contra ius naturale & diuinum.

Subiectio & obedientia Principibus & Superioribus debita eſt de iure naturali & diuino. Ergo.

Summus Pontifex nihil contra hanc obedientiam & ſubiectionem præcipere vel diſpenſare poteſt: & per conſequens non poteſt præcipere ſubditis, ne Principi ſuo temporali obediant in eo, in quo Princeps eſt & Superior. Et ſi de facto præceperit, licebit ſubditis tanquam extra Territorium ius dicenti, impunè non parere.

Hæc inquit *Bellarminus*, refutata ſunt in cap. 26. Imo verò, egregium ibi Sophiſtam egit *Bellarminus*, ſicut & cap. 21. vt ſuprà docuimus. Septem enim adducit exempla, in quibus ius diuinum & naturale ab homine irritum fit; quorum nullum ad Pontificis magis quàm ad cuiuſuis poteſtatem ſpectat, niſi vnum illud in quo miſere emendicat quæſtionem, petitq; Principium, Pontifex deponit Reges. Reliqua aut priuati ſunt iuris, vt in creditore, aut ius humanum pro diuino ſubſtituunt, vt in

Patre et Domino, aut ius gladij pro iure naturali reponunt, vt in Rege Conqueſtore aut ius voluntarium et delegatum pro principali, vt in ducibus & magiſtratibus inferiorum accipiunt.

10 Sed formalem Bell. reſponſionem audiamus. Minor propoſitio hæc eſt; *Subiectio & obedientia Principibus debita eſt de iure diuino & naturali. Verum eſt* (inquit) *pro tempore quo ſunt Principes & ſuperiores; nam* „ *Principes hæretici poſt ſententiam ſummi Pontificis declarantis eos hæ-* „ *reticos & depoſitos, non amplius Principes ſunt vel ſuperiores; ſed poſtquam* „ *Principatus ijs abrogatus eſt, falſum eſt quod aſſumit.*

At Bellarminum oſtendere docuit quomodo Principes iſti non Principes fiant: nam non opus erat vt plura diceret Barclaius quam quod obedientia ſubditorum ſit de jure diuino & naturali: eo enim nomine indiſpenſabilis omnino eſt. Actori igitur incumbit probatio, et Bell. grauat onus hoc probationis; vt ſcilicet probet Pontificem ſuum ſupra ius diuinum et naturale poſitum eſſe, vt diruat et ædificet, et mutet, hunc dejiciat, illum vero ad libitum exaltet.

Rex non poteſt niſi à ſuperiore deponi; ſic Barcl.

„ *Et Pontifex omnino ſuperior eſt, quia Vicarius eſt non puri hominis, ſed* „ *Dei & hominis, & paſtor & rector omnium Chriſtianorum, & proinde* „ *Regum & Imperatorum*, ſic Bell.

Quid eſt hoc, *omnino ſuperior*? Id eſt ſimpliciter et abſolute et in omnibus hoc (omnino) ſimpliciter falſum eſt, vt ſupra in Lib. 1. Cap. 8. in Claſſe 1. vbi Authores, Imperatorem aut omnino et ſimpliciter, aut ſaltem in ſuo genere, id eſt in temporalibus ſuperiorem conſtanter prædicant.

Atquè hoc ipſum Regem ſcilicet in eadem ſpecie, id eſt in temporalibus ſuperiorem non habere agnoſcit Pontifex Innocentius 3. nec iudicem à quo puniri poſſit ſaltem temporaliter: ſic Barcl.

Quid hic *Bell.* Pontifex etiam in temporalibus ſuperior eſt Regibus, et diſponit de temporalibus propter ſpiritualia; quia ſpiritualibus ſubordinari debent. Primum negat *Innocentius* 3, cuius authoritati proxime allatæ non reſpondet *Bell.* Ad ſecundum. Habet quidem Pontifex, vt etiam quilibet Epiſcopus et Sacerdos Imperium directiuum, (vt *Ioannes Gerſon*, De poteſtate Eccleſiaſtica conſid. 12.) ſiue regitiuum quoad temporalia quatenus ad ipſos ſpectat de vſu temporalium docendo ſic diſponere, vt homines tanquam Dei diſpenſatores et Oeconomi per hæc temporalia ex Mammone iniquitatis faciant ſibi amicos in hac vita, vt cum defecerint recipiant eos in æterna tabernacula: Luc. 16. 7. Habent etiam Pontifices et Epiſcopi Imperium coactiuum in foro exteriori, in quo per cenſuras merè ſpirituales et ſalutares, volentes ad obedientiam reuocant; ſed Imperium coactiuum externum per cenſuras temporales et eradicantes non habent; et proinde ciuiliter in neminem cor-

pora-

poraliter desæuiunt, sed brachium seculare invocant et implorant; et proinde temporalia non subordinantur, sed mutuo charitatis nexu spiritualibus adsunt et opitulantur, et temporalia, spiritualia et tanquam duę lineæ ad vnũ finem scilicet ad æterna ordinantur; vt scilicet temporalia viaticum sint corporis, spiritualia vero animę, quibus totus homo ad Deum perducatur. Nec postulat ordinis ratio, vt potestas temporalis spirituali subjecta sit quoad censuras ciuiles et depositionem. In his enim solum Deum Iudicem habet, à quo solo puniri potest: vt patet in L. 1. C. 8. Sed hoc potius postulat ratio ordinis, vt vtraque potestas, quę à Deo originem traxit, Deo subijciatur, et ad Monadem siue vnitatem in in Deo reducatur. Sed de subordinatione diximus superius. Cap. 13. et 14.

CAP. XXXI.

Defenditur Dialogismus Barclaij inter populum legitime subjectum Regi terreno, & Pontificem contra ius diuinum naturale imperantem.

1. *In hoc dialogo siue epitome, puncta sunt argumentorum.* 2. *Obsequium temporale, nisi in malis nunquam saluti animarum officit.* 3. *Pontifex non audiendus contra Deum.* 4. *Pontifex interpretando legem Dei dissoluit.* 5. *Interpretari potest Pontifex legem Dei, relaxare non potest. Antiochus per tyrannidem regnat in Iudæa.* 6. *Pontifex nec indirecte legem Dei refigit.* 7. *Pontifex de peccato, non peccatum facere non potest.* 8. *Mandato Pontificis iniusto, aut scandaloso, aut statum Ecclesiæ turbanti non parendum.* 9. *Bonum spirituale per obedientiam ciuilem impediri non potest, an quisquam propter hæresim depositus?* 10. *Lex Dei non distinguit inter Reges bonos & malos quoad obedientiam.* 11. *Etsi in voto at in iuramento fidelitatis, cum iniuria tertiæ personæ scilicet Regis Pontifex non dispensat.* 12. *Non potest Pontifex de Rege non Regem facere nisi contra legem diuinam dispensat.* 13. *Locus Deut.* 17. *Nolens obedire Sacerdotis Imperio ex decreto Iudicis moriatur &c. nihil ad depositionem.* 14. *Quando Pontifex doceat ex Cathedra.* 15. *Pontificatus amittitur*

mittitur propter hæreſim, Regnum vero non amittitur. 16. *Non contemnit mandatum aut minas Vicarij, qui obtemperat mandato Domini.* 17. *Licet communicare cum hæreticis in ciuilibus non in ſpiritualibus: fugienda familiaritas hæreticorum, præcipue doctorum.*

1 IN poſteriore parte C. 30. per modum Dialogi inter Populum & Pontificem, colligit Barclaius ſummam ſiue Epitomen earum omnium rationum, quas ſupra contrà Regum depoſitionem adduxerat, vt populo, cuius partes in exauthoratione reali maximæ ſunt, perſuaderet, non licere propter mandatum, aut ſententiam, aut ordinationem Pontificis, præceptum & jus diuinum & naturale contemnere. Quę quidem, *ἀπραγμοσύνας* apud oratores, Philoſophos, & etiam Theologos frequentiſſima eſſe ſolet, non vt gemitibus & importunitate miſericordiam moueant, ſed vt punctis & aculeis argumentorum, quaſi pugno, & contracta manu aſſenſum veritati extorqueant. Etſi vero leues & imperiti, vento cuiuſlibet doctrinę huc illuc circumferantur, & verborum quodam lenocinio, & Rhetorum floſculis in errorem perducantur; hominibus tamen cordatis, & prudentibus veritatis amatoribus, valde placet ſtrictum hoc nervoſumq; arguendi genus, quo Sophiſtarum omnium captiones & argutiæ facile ſoluuntur. Non eſt ergo mirum, ſi *Bell.* pigeat ijſdem reſpondere: nam contracta & pungentia iſta argumenta non fert. In prioribus vero hactenus reſpondit vt Cardinalis verum cum hæc meditaretur, aut ſcriberet, Papatum forte ſomniabat; ita enim graphicè perſonam, faſtum, & ſuperbiam depingit, acſi ipſe iam eſſet. *Ad hæc non ſine ſtomacho* (inquit) *In fine Cap. reſpondi.* Credo equidem: ſtomachari decet Cardinalem, Pontificis perſonam præ ſe ferentem, ſi rationem populo factorum ſuorum reddere cogatur; cui ſemper voluntas pro ratione. Verum his omiſſis, videamus quomodo ratio cum ratione cauſa cum cauſa, Populus cum Pontifice confligat.

2 POPVLVS. *Pater ſancte, non es Rege noſtro ſuperior in temporalibus.*

PONTIFEX. *Quando ſalus tua in periculum adducitur, propter obſequium temporale Regi præſtitum, tunc omnino ſuperior ſum Rege tuo in temporalibus; & illum & te, ad vitam æternam dirigere debeo, & omnia impedimenta de medio tollere.*

POPVLVS. Salus noſtra, propter temporale obſequium Regi præſtitum, nunquam in periculum adduci poteſt; niſi ſit in malis; ſed potius ſaluti noſtræ conducit; quia pars eſt debiti & officij noſtri, & vnum è mandatis Dei, ſine cuius obſeruatione reiecimus legis diuinæ violatæ, & proinde à ſalute æternâ ſine pœnitentia excludendi: Si vero obſequium

ſit

sit plus quam temporale, in hæresi vel schismate, vel in malis, nec Regi, nec tibi obedimus, nec obedire debemus, sed Deo soli, ne salus nostra in periculum adducatur: quæ nos præter cæteros docuit Theophylactus In Matth. 22. *In corporalibus atquè externis obediendum est Regi; in internis autem & spiritualibus soli deo.* Nec superior es Rege nostro in temporalibus, quia pauci ambitiosi Pontifices & eorum adulatores, vt amplitudini Pontificiæ viam sternerent, sic docuerunt; magis audio *Ignàtium*, *Tertullianum*, *Gregorium Nazianzenum*, *Chrysostomum Optatum*, *Theodoretum*, *Pelagium* 1. *Agapetum*, *Fulgentium*, *Gregorium Magnum*, *Theophylactum*, *Oecumenium*, vide eorum authoritates in Libro 1. C. 8. Classe 1. (mitto juniores,) qui mille Pontificibus & Scholasticis in hac causa pręponendi sunt, quia ante hanc controuersiam natam nati mortuiquè de hac causa libere, sine partium studio, judicarunt. *Da mihi Clementes, Linos, Syluestros, & omnia permittam arbitrio eorum: vt nihil grauius dicatur in recentiores Pontifices, certe multis partibus sunt priscis illis inferiores*, vt etiam vester agnoscit Victoria Relect. 4. de Potest. Papę, Propos. 22. in fine. Vere dixit Innocentius 3. C. per venerab. Qui fil. sunt legit. *Ego non sum Rege Francie in temporalibus superior*: & male audit satuitas Bonifacij 8. quod Regi Frãciæ scripserit, *In temporalibus & spiritualibus nobis subes.* Potes tu quidem, sicut & cæteri Episcopi & Sacerdotes, & Regem, & nos in vsu temporalium ad vitam æternã dirigere: potes etiam armis tuis et censuris tuis spiritualibus cogere, (si medicina salutaris coactio dicenda sit) sed armis carnalibus, Regijs siue popularibus cogere non potes: tantum vero abest, vt possis omnia impedimenta salutis ęternæ de medio tollere, vt nec carnem, nec mundum, nec Diabolum, nec vnam quidem tentatiunculam tollere possis, multo minus, aut hæreses, aut Schismata, aut persecutores remouere potes, quæ consultò posuit, aut saltem permisit Deus ad probationem sanctorum; et si tollere posses, non tam impedimenta, quam adjumenta salutis nostrę è medio tolleres. *In Epist. Philippi pulchri*

POP. *Cur nos facere prohibes, quod Deus nos facere iubet?*

PONT. *Absit, non prohibeo, sed impero.* 3

POP. Imò vero prohibes: dum Regem nostrum, etiam lupum factum, sequi prohibes, non in malis, hæresibus, vel persecutionibus suis, in quibus lubentes vocem & Dei & tuam audimus, sed in temporalibus & ciuilibus, in quibus Rex est; Lupus non est: Quatenus Lupus est in spiritualibus, non sequimur ducatum Regis nostri; quatenus Rex est in ciuilibus, sequimur ducatum Regis nostri, licet Lupus sit in spiritualibus: Iure diuino prohibes nè sequamur Lupum in Lupinis, id est in hæresibus, & in malis: & in auditu auris obtemperamus: jure Pontificio, non diuino, imo jure tuo, quod in hoc, diuino iuri opponitur, iubes vt

Regem nostrum in temporalibus non sequamur; in hoc, quia nihil potes contra Ius diuinum, non obtemperamus: finit Deus, cur tu non finis?

4. POP. *Tuum est voluntatem Dei in Scripturis & lege Dei interpretari, non evacuare, non destruere non interpretando dissoluere*

PONT. *Quam legem Dei interpretando dissoluunt Pontifices?*

POP. *Lex* Dei est, vt *omnis anima*, etiam Apostolus, Monachus vel Clericus, *potestatibus sublimioribus subdita sit*; hanc legem interpretando dissoluisti, dum doces, posse Principem spiritualem omnes Clericos à secularium potestatum subjectione eximere, & re ipsa eximis. Clerici enim de jure diuino & naturali Principibus subditi sunt secularibus, nec enim exempti sunt jure diuino & naturali, & non datur medium; aut exẽpti sunt jure naturali, aut subjecti sunt: Lex Dei est Matth. 19.6. *Quos coniunxit Deus, homo non separet.* Qui contracti sunt in verbis de præsenti, in facie Christi, in his matrimonium ratum est, hos coniunxit Deus, *Consensus facit coniugium, non concubitus*; alias matrimonium in paradiso à Deo institutum non matrimonium perfectum, sed inchoatum, & pars quędam erat matrimonij: nec verum fuit matrimonium inter Ioseph & Mariam; nec Christus conceptus est in sponsalibus, in matrimonio natus: nec verè dixit Deus per Angelum Ioseph: Matth. 1.20. *noli timere accipere Mariam coniugem tuam.* Hanc legem multoties violâstis & interpretando destruxistis: *Coniugium ratum ex consensu, non tamen per copulam consummatum, per dispensationem Pontificis etiam quoad vinculum dissolui potest:* Sic multi, sicut refert Covarruvias (De diuort. & matrim. dissol, Tom. 1. P. 2. C. 7. §. 4. nũ. 19. & 22) & multos huius sententiæ authores recitat: *Papa potest dispensare, vt matrimonium ratum & carnali copulâ consummatum dirimatur, quoad vinculum:* sic multi quos ibidem recitat & reprobat Covarruuias. Tale matrimonium ratum, sed non consummatum dissolui, si alter conjugum religionem ingrediatur, lege Pontificiâ receptum est, etiam contra Magistrum & Hugonem. vt supra C. 29. Sic homo separat quos coniungit Deus; *Imo Papa aliquando dispensat super matrimonio copula carnali consummato, licet fit contra ius diuinum* vt Ioan. de Sylua. de beneficio P. 3 Q. 8, Num. 19. Annon dispensare est interpretari? sic dicebas C. 21. *Sed & Celestinus interpretatur dissolutionem matrimonij ex hæresi;* vt testatur *Adrianus.* Quodlib. 6. Præterea gradus prohibitos in matrimonio dissolvitis dispensando, vt ex praxi Paparum & Can. Concil. Tridentini Sess. 24. Can. 3. patet.

Lex Dei est, Iurate & reddite Domino, vouete & reddite Domino. Has leges per dispensationes & interpretationes prorsus destruxistis; sed quid his immoramur? 2. præceptum de Imaginibus non adorandis, non solum violâstis adorando, sed penè è Decalogo exterminastis; quod nec referre nec recensere dignatur Bellarminus: Sic mandata Dei per traditiones

di.iones & explicationes et dispensationes vestras irrita fecistis. Sed pergamus.

Pop. *Interpretari legem Dei in ambiguis tuum est; non opus est in claris & perspicuis, Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, quæ sunt Dei Deo. Tuum est declarare, quæ sunt Cæsaris, quæ Dei; at dicere, nolite reddere quæ sunt Cæsaris Cæsari, nec quæ sunt Dei Deo, hoc tuum non est; in hoc quia Christo contradicis, vocem tuam non audimus.* 5

Pont. *Quando Dominus dixit, reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, iussit tributum ei dari qui nec Iudæos ad Idololatriam cogebat, nec dum per legitimam potestatem depositus erat.*

Pop. Nos oves Christi sumus; vocem eius per linguam Pontificis audimus, non mutatam, non alteratam quoad substantiam etsi magis perspicuam & claram, non nouam etsi nouè prolatam. Vox Christi hæc est: *Reddite quæ sunt Cæsari Cæsari*, tributa scilicet, vectigalia, obediẽtiam, fidelitatem, honorem & similia: sed reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris, quando aut ad Idololatriam non cogat, aut per legitimam potestatẽ deponatur; non est hęc vox Christi, sed Vicarij; invẽta hæc est explicatio non accepta; assumentum Pontificium non vestimentum Christi: Christus dicit sine limitatione temporis, Reddite; Pontifex dicit, Reddite, sed quamdiu non cogit ad Idololatriam, quamdiu non depositus. Conditiones istę reales, in authentico Christi instrumento non reperiũtur: vnde aut falsarius est, aut additor, qui voci Christi illimitatę hos opponit limites. Pontificis est interpretari quoad sensum, non coarctare quoad tempus: nam que tempora etiam hæc posuit Deus in potestate sua, non tua. Si has limitationes ex voce Christi, quam interpretaris non probaueris, vocem Christi non tuam audimus. Nec Nec est par ratio *Antiochi* & Regis nostri: *Antiochus* populum á fide Patrum suorum ad cultum idolorum cogebat, Rex noster, non dominatur fidei nostrę, sed obedientiam in temporalibus poscit: jure gladij regnâsse *Antiochum* & Iudæis imperitâsse satis constat, sed an jure fori, non constat; Cum jus Regni Iudaici ad stirpem Dauidis jure poli pertineret; & contra Ius Regni nec valet præscriptio nec possessio *Antiochi*, qui vsurpatione Regnum Iudææ occupauit; quod Pater eius *Ptolomæo* in dotem dederat cum filiâ *Cleopatra, adeo vt subditi Ægypti Regibus, quibus soluebant vectigalia, non Antiocho iure viderentur*: vti Zonaras *Annal. Tom.* 1. ait; cui consensit Iustinus. Lib. 30. in Princip. Præterea per fraudem & factionem ingressus Hierosolymam, tyrannidem inauditam in corpora, fortunas, religionem exercuit: cui restitit *Mattathias*, et zelo zelauit propter domum Domini; quod ei facere licuit, *quia tyrannum armis aut vi iniusta, dominium capescentem, in quod ius nullum habeat, vbi ad superiorẽ nõ datur recursus etiam priuato licet interficere.* Vti Thomas, 2. *sent. dist. vlt. q. vlt. art. 2. ad vlt.* et Covarruvias *de mat. p. 1. c. 3. §. 4 n. 13.*

& Bartholomæus Fumus in Armilla: Verbo, *Tyrannus*, ergo multo magis, cum eo bellum gerere licuit *Mattathiæ* & filijs, qui ſummi Sacerdotes & Principes erant.

Præterea, te Authore, Sancte Pater, *Deus inſpirauit Mattathiæ & filijs eius*, vt exercitu congregato bellum cum Antiocho tanquam cum hoſte gererent; inſpiratio iſta non ordinarium erat ſummi Pontificis tribunal aut judicium, ſed vocatio & authorizatio extraordinaria, qualis fuerat et Cyri, & Alexandri Magni, quos viſionibus ad mundi caſtigationem excitauit Dominus. Qualis & *Ehud*, Iudic. 3. & *Phinees* Num. 25. qui peccaſſent quidem grauiter niſi inſpirati feciſſent quod fecerant. Et poteſt Deus, qui ſupra legem ſuam conſtitutus eſt, Reges deponere: poteſt ille *Iehu* in Regem vngere, vt vindictam in *Achabi* familiam exerceat. Tu tamen, hoc ipſo, quia dicis iſtud à Mattathiâ factum fuiſſe per inſpirationem diuinam & particularem, abunde probas non eſſe conſtitutum tribunal aliquod generale, & ordinarium, ex cuius decreto Reges ſunt deponendi. Cum vero tu, Pater Sancte, eundem inſtinctum Dei particularem cum *Mattathia* filijſque tibi datũ probaueris, vocem non tuam, ſed Dei per te revelatam, nec interpretationem tuam, ſed vocem Dei, per quem ſolum Reges regnant, audiemus: Interpres enim es, Propheta non es; et aliud eſt interpretem agere, aliud vatem, vti dicit Hieronymus; In præfat. ad Pentateuch. Præco es, judex Regum in hâc cauſa, non es. Ne vero hoc de inſpiratione Dei temere tibi excidiſſe videatur, non nos latet, verba *Danielis, de paruo auxilio*; (quæ à perfidis Iudæis de deſtructione Hieroſolymæ per *Veſpaſianũ* & *Titum* facta expoũntur) de *Antiocho* & abhominatione deſolationis, per ipſum, in templo poſita à Chriſtianis intelligi; *Mattathiam* vero & filios eius *paruum illud auxilium* à *Daniele* prædictum extitiſſe: quia permotus eſt per inſtinctum ſpiritus ſancti: vti *Lyranus*. *Mattathias* itaq; reſiſtit Antiocho, non motu proprio aut priuato, non authoritate aut jure ſummi Sacerdotis, ſed motu & inſtinctu ſpiritus Sancti. Iniquè igitur, Sancte Pater, & Regem noſtrum Antiocho; & teipſum *Mattathiæ* eiuſque filijs comparas.

Dan. 11.

6 POP. *Expoſitionem & interpretationem non admittimus; ſi faciat vt ius naturale diuinum ludibrio ſit: interpretationi tuæ quæ docet, nec inſpiritualibus, nec in malis obediendum eſſe Regibus, paremus: at vt Regi in temporalibus non obediamus, huic mandato tuo parere non poſſumus, hoc enim non eſt legem Dei interpretari, ſed antiquare & pœnitus abrogare.*

PONT. *Graviter peccas, dum Doctorem tuum doces, & Legiſlatori legem das; grauius vero, dum Chriſti vicario imponis, quod ius diuinum & naturale ludibrio habeat, aut mandatum Dei de obedientia Principibus debita antiquare aut abrogare velit: abſolute & ſimpliciter non præcipio, vt Principi legitimo non obedias, ſed vt Principi excommunicato*

cato depositio, qui proinde legitimus Princeps esse desiit, non obedias.

POP. Tam docemus, sancte Pater, quam in memoriam reuocamus, sensum Dei. Quid? *An eo res rediit, vt si totus mundus sentiret in aliquo negotio contra Papā, quod sententiæ Papæ standum esset?* vt olim ex Hostiēsi Aluarus Pelagius De planctu Eccles. lib. 1. Imo aliter nos docuit Paulus, Galat. 1.8. *Si Angelus de cœlo, &c.* Et aliter *Abbas*: de electione; cap. significásti. Nos igitur maiorem fidem habemus Deo, Patri nostro, quam tibi Vicario eius, aut Ecclesiæ matri nostræ: non audimus seductorem fratrem quenquam; audimus antiquitatem, vniuersalitatem, consensionem: audimus *Christum*, Apostolos, Martyres, Confessores, Pontifices, Patres, qui & verbo docuerunt & facto obtemperarunt Tyrannis, persecutoribus hæreticis & Apostatis in temporalibus, non tamen in spiritualibus, nec in malis. Quod vero refers te non simpliciter & absolute præcipere, ne iuxta ius diuinum & naturale Principi nostro obediamus, id satis manifestè euincit te indirectè & secundum quid, contra ius diuinum naturale præcipere; quod tibi nulla ratione, nec directe nec indirecte, nec simpliciter & absolute, nec secundum quid, competit. Dabis igitur veniam, sancte Pater, si te vel indirecte & secundum quid contra ius diuinum naturale præcipientem non audiamus, nec tam te doceamus quam doctoris cœlestis vocem aguoscamus, tibi regeramus, illum, ius diuinum & naturale ludibrio habere, qui non tantum directe, simpliciter & absolute, sed etiam à latere, siue indirecte, siue secundum quid, legem æternam & indispensabilem refigit.

POP. *Christus cum Petro claues Regni cœlestis tradidit, non dedit ei potestatem faciendi de peccato non peccatum.* 7.

PONT. *Nescis quid loquaris: in bono sensu Christus Petro potestatem dedit faciendi de peccato non peccatum, & de non peccato, peccatum.*

POP. Quis vero iste sensus est bonus? Peccatum est inire matrimonium in gradibus prohibitis, non ieiunare in quadragesima, laborare seruiliter in die festo; hæc, dispensante Petro, per potestatem clauium peccata esse desinunt. Imo quoad gradus prohibitos maius faciunt peccatum dum inique & docent & dispensant: antiquiores enim magistri nostri prorsus negarunt te posse dispensare in ijs; & etiam nunc iure diuino prohibitos aiunt; vt refert Ioseph us Angles In 4. p. 1. q. antepen. art. 3. vbi dicit: *Opinio omnium fere antiquorum, S. Bonauenturæ, Thomæ, Richardi, Durandi, quibus adhæsit Sylvester: idem senserunt Antonimus, Paludanus, vt Victoria, Relect. 4. arg. 5. ad 2. Thomas Waldensis, tom. 1. de sacram. cap. 134. Nicolaus de Lyra, In Deuter. 17. Altisiodorensis in summa, Lib. 4. fol. 293. col. 4. & deinceps.* Et alij, vnde ex hac parte non tam minuit peccatum quam adauget, ideoque & falsum est, & non satis ad propositum, cum magis sit de iure naturali obedientia subditorum, quam gradus istr. Cætera vero de delectu scilicet ciborum, & statis temporibus ieiuniorum;

&

& diebus feſtis, ſunt de iure Eccleſiaſtico poſitiuo. In his diſpenſat Pontifex, qui in legibus, & ſtatutis Eccleſiæ & ſuis diſpenſat: in his non facit de peccato non peccatum, aut de non peccato, peccatum; ſed de re adiaphora & indifferente, rem neceſſariam & non indifferentem: res enim adiaphora & libera, nec peccatum eſt nec non peccatum: poſtquam lex de adiaphoris ſancita eſt, qui legem ſine ratione, vel præter rationem legis, etiam cum diſpenſatione tua violat, peccat quia rebellis eſt voluntati Dei, qui hanc poteſtatem Eccleſiæ contulit; leges enim Eccleſiæ ſicut & Reipublicæ in adiaphoris obligant in foro conſcientiæ. Qui vero ſine diſpenſatione tua, cum ratione legis legem Eccleſiæ violat, vt, qui vrgente neceſſitate carnes comedit, & ieiunium frangit, (ſicut prægnantes, febricitantes, ægrotantes, peregrinantes, & illi qui aut carnes comedere, aut fame perire coguntur) non peccat. Præterea, poteſt quilibet Epiſcopus & ſimplex etiam Sacerdos, qui claues Regni cœleſtis accepit, in his aut eorum aliquibus diſpenſare, ſicut diſpenſat Pontifex: nihil ergo hoc nouum aut magnum. Annon & Rex quilibet in Regno ſuo cum legibus ſuis ciuilibus & pœnalibus diſpenſat? Et eodem modo de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum facit, quo Pontifex. Quæ enim adiaphora ſunt in natura ſua, cum per leges ciuiles & temporales aut præcipiuntur, aut prohibentur, eodem modo prohibentur aut præcipiuntur, quo & ieiunia & delectus ciborum præcipiuntur, & eodem iure obligant in foro conſcientiæ, quo canones & conſtitutiones Eccleſiaſticæ: authoritas ergo clauium regni terreni, eodem modo de peccato non peccatum, & de non peccato peccatum facit, diſpenſante Rege, quo, diſpenſante Petro, authoritas clauium Regni cœleſtis.

Sed da veniam, ſancte Pater, ſimilitudinés iſtæ tuæ non quadrant: peccatum eſt, non contra legem Eccleſiæ, ſed contra æternam legem Dei Opt. Max. Regibus fidelitatem & obedientiam non ſeruare: de hoc peccato non potes non peccatum facere, ne Deo legiſlatore ſupremo ſuperior videaris. Cum agitur de peccato quod eſt contra ius diuinum, naturale, æternum, indiſpenſabile, non appoſite reſpondet, qui de peccato contra ius Eccleſiaſticum, momentaneum, diſpenſabile, alterabile loquitur. Nec Pontifex nec Imperator poteſtatem habet, de peccato, quod in ius diuinum committitur, non peccatum facere; at non obedire Regi, non honorare parentes, peccatum eſt; etſi omnes qui vnquam fuerunt Pontifices, aut diſpenſent cum ſubditorum obedientia, aut doceant, aut declarent ſubditos non peccare, ſi Regi ſuo rebelles fuerint: eodem enim iure dicere poſſunt bonum, malum, & malum bonum. Claues enim Eccleſiæ confitendo & remittendo peccata tollunt, negando aut diſpenſando non tollunt. Idipſum tute agnoſcis, dum aſſeris: claues Petri ad id non ſe extendere, vt poſſit ſummus Pontifex declarare non eſſe peccatum, quod eſt peccatum; aut eſſe, quod non eſt. Claues enim Petri extendunt, vt de peccato

cato non peccatum faciant in ijs, quæ per leges Ecclesiasticas & positiuas, aut præcipiuntur aut prohibentur: vt supra docuisti: at in ijs, quæ iure diuino naturali prohibentur, aut præcipiuntur, claues Ecclesiæ, vt iam dicis, de peccato non peccatum facere non possunt: in obedientia ergo nostra, quæ Regi nostro debetur, non potes peccatum non peccatum facere, nihil potes.

POP. *Mandato Papæ non est parendum, si iniustum sit, vel si ex eo multa mala seu scandalum verisimiliter sit futurum, vel si turbatio Ecclesiæ & Reipub. Christianæ sit oritura: hæc est communis Canonistarum doctrina, non igitur debent subditi mandatum Pontificis audire, quo eos ab obedientia iure diuino naturali debita, & arctissimo iurisiurandi fœdere sancita retrahere conatur.* 8.

PONT. *Communis sententia Canonistarum, Theologorum, & Conciliorum, vt in prolegomenis huius libri patet, est, Regem iustis de causis posse per Pontificem summum excommunicari & deponi; & subditos ab obedientia & fidelitatis vinculo absolui; non secum pugnant Canonistæ.*

POP. Si istud affirmare scilicet Papæ non esse parendum, vbi iniustum vel vnde mala & scandala oriantur iusserit, sit sibijpsis pugnare, authores certe habet plurimos tuus Bellarminus qui secum non conueniunt, vt c. 4. & 30. Ostensum est. Nec esse hanc cõmunem sententiam Theologorum & Canonistarum & Conciliorum, vt possit Pontifex Reges excommunicare & deponere, subditos vero ab obedientiæ & fidelitatis vinculo liberare, discere potes, sancte Pater, à Patribus & Pontificibus & praxi Primitiuæ Ecclesiæ, vti multis authoritatibus, etiam nonnullorum testiũ tuorum, abunde constat in libro 1. ca. 8. Primus qui hanc sententiam scripto docuit, & facto exercuit, Gregorius septimus est: nec tamen facta Pontificum ius faciunt, nec verba in causa sua audienda sunt: & tamen testes tui pene omnes, ex eorum scriptis & Canonibus hanc potestatem probant: cum ius Ecclesiæ aut Pontificis, ius Dei & naturæ refigere non possit.

Neque negabis, sancte Pater, mandatum hoc & scandalorum & perturbationis, & pene exinanitionis Ecclesiæ tuæ causam extitisse, iniustum vero esse, quia contra ius diuinum naturale profertur, id luce ipsa clarius est: siue ergo ex Cathedra, in Concilio, publica authoritate, siue tanquam Doctor priuatus hoc mandatum de Rege nostro non honorando protulisti; & iniustum est, & scandalorum & perturbationis causa, & proinde tali mandato parendum non est. Tantum veto abest vt Gregorius 7. & Innocentius 4. Prædecessores tui, depositionem Imperatorum, ex Cathedra in Concilijs generalibus totius orbis (namq; illud proprie ex Cathedra) decreuerint, vt Gregorius 7. in Cõciliabulo Romano, inuitis et reluctantibus et renitentibus plurimis, Henricum 4. Innocentius 4. Fredericum 2. cum horrore et stupore omnium, deposuerint. Quicunq; ergo vocem Vicarij cõtra vocẽ Domini, doctrina et praxi Primitiuæ Ecclesiæ declaratã

&

& ſanguine Martyrum & ſanctorum ſignatum, qui vitam depoſuerunt, ne obedientiam deponerent, audit; hic vniuerſam condemnat Eccleſiam, & regna mundi regno Chriſti, temporalem Monarchiam terræ, æternæ Chriſti Monarchiæ præfert.

9 POP. Ne dicas, Pater ſancte, quod per obedientiam Regi in temporalibus præſtitam, impediatur bonum ſpirituale; malum ex bono per ſe non oritur, ſed tantum ex accidente. Nos iuxta Dei mandatum, Regi debitum officium perſoluimus, ille, ſi debito ſibi obſequio abutatur, Deum habet iudicem, nobis non licet officium noſtrum deſerere, ne dum ex malo bonum conſequi velimus, damnationem acquiramus.

PONT. De vobis recte dicit Propheta: Noluit *intelligere* vt bene ageret. Detrimentum ſpirituale, & periculum animarum, quod annexum eſt obedientiæ Regi hæretico præſtitæ, qui fidem Catholicam molitur evertere, ſufficiens eſt cauſa excommunicationis & depoſitionis.

POP. Aliud eſt neſcire, aliud nolle ſcire: ſæpe diximus, obedientiam Regi in temporalibus debitam, ſpirituale detrimentum & periculum animarum inferre non poſſe, quia obedientia iſta pars eſt religionis Chriſtianæ & doctrinę cœleſtis. Et vna pars religionis Chriſtianæ aliam eiuſdem partem euertere non poteſt: religio enim Chriſtiana non eſt regnum diuiſum in ſe, vel contra ſe: Eádem ratione ad ſalutem animarum ſpectat obſeruatio mandatorum Decalogi, & proinde huius mandati de obedientia Regum, ſiue de parentibus honorandis, qua fides articulorum ſymboli. Fides in intellectu: charitas in voluntate ſiue affectu, vtraque neceſſaria eſt ad ſalutem, & charitas iuſtitiam in ſe continet; & charitas & iuſtitia ſuum cuique tribuit, Deo quod ſuum eſt, Regi quod ſuum eſt, proximo quod ſuum eſt diſtribuit. Et bene conueniunt, & in vna mente morantur, charitas Dei, & charitas Regis, & proximi; obedientia Dei, & obedientia Regis: vtraque ergo reddi debet, in temporalibus obedientia Cęſari, & Deo & propter Deum, cuius vices in terris gerit, exhibetur. *Diſtinguebant* (inquit Auguſtinus, In Pſal. 124.) *Dominum temporalem à Domino æterno*; & proculdubio diſtinguebant illa quæ erant Domini temporalis, ab illis quæ erant Domini æterni. Thurificare enim nolebant, qui aciem producere, & contra hanc vel illam gentem ire volebant: & tamen ſubditi erant, etiam Domino temporali, propter Dominum æternum. Diſtingue ergo debita & officia, & conciliabis Deum & Regem: obedientiam Dei in ſpiritualibus, ab obedientia Regis in ciuilibus: temporalia enim quatenus temporalia, periculum animę non creant. Si itaque diſtinguant ſubditi, inter ſpiritualia & temporalia, et in ſpiritualibus Deo, non Regi hæretico obediant; in temporalibus vero Regi obedientiam præſtant propter Deum; nullum ex hac duplici obedientia damnum eſt animarum. Imo manifeſtum eſt damnum, ſi in temporalibus non obediant, aut in hæreſi obediant.

Sæpe

Sæpe vero, sancte Pater ingeminas artem illam Antichymicam, de Rege non Regem faciendi, quæ Dei solius est: qui cum de Rege non Regem facit, obedientiam illi vltro subtrahimus, ne Regi Regum et Domino dominantium inobedientes simus: *hic timendo potestatem Dei, potestatem talis Regis contemnimus.* Non credimus te vsurpaturum vocem Domini nostri, *per me Reges regnant*: quomodo igitur dicis, depono Regem tuum iam Rex tuus esse desijt: cum difficilius destruantur spiritualia quam construantur, et coniugium inter Regem et subditos spirituale est. Quare rego destituere conaris, quem constituere non potes.'

Dicis, sancte Pater, hæresin iustam depositionis causam esse, specioſa hæc sunt verba, ad faciendum populum, sed nec *Childericus*, nec *Henricus* 4. nec *Otho*, nec *Fredericus* 2. nec *Philippus*, nec *Ludouicus Bauarus*, nec *Ioannes Nauarræus*, hæresin sapiebant, Catholicissimi erant, et tamen depositi: sed quibus in ore sonat hæresis, in corde regnat ambitio, spirituale bonum prætendunt, intendunt lucrum suum. Quare etsi sæpius auribus nostris ingeras; audite vocem Pastoris vestri, ego Pastor institutus sum: audimus quidem vocem Pastoris nostri, qui animam suam pro salute nostra posuit: non eius Pastoris, qui aut vitam suam perdet, aut Henrico 4. aut Frederico 2. vitam et coronam eripiet. Eius legem audimus, tuam, si cum lege et voce eius pugnet, non audimus: non audimus Proconsulem contra Imperatorem, non audimus Sacerdotem contra Pontificem, nec Imperatorem nec Pontificem contra D.um, et Christum in causa sua, audimus.

POP. *Qui Regibus obedire, & Cæsari quæ sunt Cæsaris reddere iussit,* 10.
nullam inter bonos & malos Principes distinctionem facit, & proinde nos distinguere non debemus.

PONT. *Obediendum est bonis & modestis, nec non & dyscolis* 1. *Pet.* 2.
Non distinguimus inter bonos & malos dum superiores sunt.

POP. Credimus quidem, quod non distinguitis: quia sine distinctione, bonos & malos Reges deponitis: sed Constantiam in sanctitate tua desideramus; non distinguimus inter bonos & malos Principes quamdiu superiores sunt, & bonis & malis obtemperandum est. Cur ergo distinguitis bonos a malis, dum bonos in sensu vestro regnare permittitis, malos deponitis? An deponitis, antequam distinguatis? Si deponitis, antequam distinguatis sententia cæca est, quia iudicium non præcedit cognitio: Si distinguitis antequam deponitis, tum distinguitis malos Principes a bonis, quamdiu superiores sunt: Lex Dei est; *Honora parentes* simpliciter & absolute, in genere, non in specie, non in individuo, non secundum quid: sine distinctione, honora omnes, bonos & modestos, necnon & dyscolos. Non dicit Dominus; honora parentes bonos, pios, Orthodoxos & Catholicos; honora parentes bonos, quamdiu boni sint, quamdiu tales sunt: sed honora parentes, qualescunque bonos & malos, clementes & tyrannos,

Orthodoxos

Orthodoxos & hæreticos. Honora parentes: præceptum hoc Domini necessarium est, non voluntarium: & in materia necessaria propositio indefinita vniuersalis est. Honora ergo omnes parentes, sine discrimine, sine distinctione: vbi lex non distinguit nec tu, nec nos distinguere debemus. At quemadmodum docet Gulielm. Parisiensis. part. 1. de vniuerso p. 1. c. 4. *Rex vniuoce dicitur de ambobus, id est, bono & malo Rege: similiter Regnum & principatus, de regnis eorũ & principatibus.* Non distinguit sanctitas tua, inter patres naturales; nec dicit filijs naturalibus, pater vester malus est, hæreticus est, crudelis est; depono patrem vestrum, de patre non patrem facio; absoluo vos ab obedientia, honore, & officijs iure diuino, & naturali patri vestro debitis: quomodo igitur patrem Patriæ, cuius potestas maior et superior potestate patria; deponis, et de Patre et Rege, non patrem, non regem facis? Quare itidem non facis de marito non maritum; de vxore non vxorem? Eiusdem enim iuris æterni & indispensabilis vinculo, patriæ patribus subditi, quo parentibus naturæ filij, & maritis vxores obligantur.

Cæterum animaduertat sanctitas tua, illud iam non quæri, An Regi iuste & legitime deposito subditi parere teneantur; si enim iusta et legitima sit depositio, liberi sunt subditi, a vinculo obedientiæ et fidelitatis: verum hanc esse quæstionem, an Pontifex iustam et legitimam habeat potestatem a Deo de iure diuino (ius enim humanum et Ecclesiasticum nihil potest contra ius diuinum naturale) qua possit Reges in ordinem cogere, et temporaliter siue in temporalibus deponere. Nulla est iusta et legitima depositio Regis per Pontificem vel populum, qui Rege in temporalibus inferiores sunt, sed per Deum solum, quem solum Iudicem habet, a quo possit temporaliter puniri; vt Patres et Doctores tui abunde docent. Lib. 1. c. 8. in proleg. class. 2. Atque in his angustijs merito versari nobis videris, qui ex allegorijs ligandi et pascendi ius diuinum, et naturale resutare et destruere aggrederis; cum dispensationes omnes, quæ in iuris communis derogationem fiunt stricti iuris sint, & ad literam intelligendæ & restringendæ. Et proinde in casu coniugum, & libellus repudij in veteri Testamento, & casus infidelitatis, altero coniugum ad fidem conuerso, disertis verbis ad literam exprimuntur, Cum verbum et vocem Pastoris supremi legislatoris æterni, qui solus potestatem habet dispensandi in legibus suis, protuleris: vocem tuam audiemus. Interim tanquam oues Christi, vocem Christi audimus et sequimur.

11. ✠ Pop. *Non licet Monacho vxorem ducere, etsi ea quæ promisit ipsi nubere, Christiana futura sit, modo ipsum duxerit; vt Augustin. si non licet violare votum, propter lucrum animæ, pro qua sanguinem suum fudit Dominus, an licebit iurisiurandi religionem & fidem, Deo & Regi datam propter spem alicuius boni spiritualis violare?*

Pont. *Non sunt mala facienda vt fiant bona: ideo non licet votum castitatis*

stitutis violare, vt animas Christo lucremur: non licet contra iuri ſiurandi religionem aliquid facere, vt mundum vniuerſum ſaluum faciamus. At mihi licet in votis diſpenſare, & à iuramenti vinculo ſoluere; & qui poſtea contra iuramentum facit, non peccat: ſicut ſi creditor remittat debitori, non peccat debitor, ſi non reſtituat, & tamen ſine remiſſione creditoris peccat debitor, ſi debitum non reſtituat.

POP. Quid poſſit ſanctitas tua in votario, hoc eſt in creatura tua, non magnopere laboramus: eadem poteſtas quæ inſtituit, deſtituere poteſt. Sunt tamen è Doctoribus tuis qui docent, non poſſe ſanctitatem tuam diſpenſare, in voto continentiæ Monachorum, quia continentia eſt de eſſentia Monachatus. At in iuramento quod eſt à Deo inſtitutum, et de iure diuino obligat, non potes diſpenſare, præcipuè in ijs, quæ ad iniuriam tertiæ perſonæ pertingunt: quęque de natura ſua obligant; ex iure diuino et naturali, æterno et indiſpenſabili etiã ſine iuramento. Et ſubiectio eſt de eſſentia ſubditorum de iure diuino, ſicut continentia eſt de eſſentia Monachatus ex inſtitutione Eccleſiaſtica. Quanquã inter vos parum conueniat quid in hac re ſtatuendum ſit: *non licet contra iuri ſiurandi religionem aliquid facere, vt vniuerſum mundum ſaluum faciamus:* Sic ſanctitas tua: *Votum magis obligat quam iuramentum,* ſic item Sanctitas tua. Et tamen aliter Innocentius 4. Prædeceſſor tuus. In C. cum ad Monaſterium, De ſtatu Monach. *Monachus poteſt vxorem ducere & liberos procreare, & proprietatem habere, ſi regnum aliquod, ſine pars aliqua Chriſtianitatis, ſine huiuſmodi nuptijs in ſummo periculo verſetur, ne ad Ethniciſmum relabatur. Quid hic faciat Monachus, niſi vt ſeipſum totum holocauſtum offerat, pro ſalute animarum.* Id eſt, vti nos interpretamur, malum & illicitum & contra eſſentiam voti faciat, vt inde proueniat bonũ. Sed miſſa iſta faciamus. Data eſt ſanctitati tuæ poteſtas ligandi & ſoluendi, non iuramenta non leges, nõ debita, non iura, non decreta, ſed peccata; vt tota interpretatur antiquitas.

Quicquid ligaueris: ibi poteſtas promiſſa; *quorum remiſeritis peccata,* ibi collata, vti ſupra, cap. 3. Quod ſi Petrus poteſtatem accepit ſoluendi vota, iuramenta, debita, iura, leges, & decreta: cur hanc poteſtatem non exercuit, nec ipſe, nec quiſquam ſucceſſorum, per annos 700. Neque vero tuum eſt, (vel tuis, teſtibus) *iuramenta & iura relaxare, ſic, vt illud quod eſt contra iuramentum, licitum fiat:* totum quod in hac re potes, hoc eſt, vt iuramentum relaxatum quia malum, aut iniuſtum, aut impoſſibile, declares. Neque è Prædeceſſoribus tuis quiſquam auſus eſt iuramenti vinculum ſoluere, niſi qui vna & Regem depoſuerit: ſimul nata ſunt hæc, iuramenti relaxatio, & Regis depoſitio: coætanea ſunt hæc, & cum excidio Eccleſiæ & Regni coniuncta: Ex quo fidelitas ſubditorum perijt, vna perijt ipſa Chriſtianitas: qui docuit homines, vt fidem Regi datam & iuramento confirmatam falleren[t], idem, etſi forte aliud agens, docuit fidem Deo datam violare. Quomodo enim

diligit

diligit quisquam Deum quem non vidit, qui fratrem, imaginem & Vicarium & Proregem Dei, quem quotidie videt, non diligit? Absolutio, qua creditor debitori iurato debitum remittit potestatē tuam evertit, non potes debitori debitum remittere, inuito creditore: non ergo potes subditos, inuito Rege à iuramento fidelitatis absoluere.

12. POP. *Absoluis nos à vinculo iuramenti & fidelitatis, id est, absolutos declaras Pater sancte sed non absoluis à scrupulo conscientiæ, quod tu legis diuinæ & naturalis gratiam nobis facis; quod quidem de plenitudine potestatis non potes.*

PONT. *Indocilis es: non facio tibi gratiam legis diuinæ & naturalis, sed de Rege non regem facio, vt de seruo liberum facit Dominus, & pater filium è patria potestate emancipat.*

POP. Non potes de Rege nostro non Regem facere, nisi & legis diuinæ & moralis gratiam facias: iure enim diuino & naturali Reges regnant; potestatem Dei exercent, non hominum, etsi forte per homines acquisitam; non tamen sine Deo collatam *per quem*, & non per Sanct. tuam *Reges regnant*. Reges autem à Deo fiunt, non in diem vel horam, non ad voluntatem tuam, sed durante vita Regum, aut beneplacito Dei: nec tuum est aut Reges bonos, à malis & dyscolis distinguere, quos nec Dominus ipse, nec primus eius Vicarius distinxit; aut tempora & periodos Regnorum & Regum determinare. Quod si tibi in illis Domini verbis, *Quicquid ligaueris*, data est potestas de Rege non Regem faciendi, quid est quod veges exempla *Iehoiadæ*, & *Azariæ*, quibus, etiamsi summis Sacerdotibus, nunquam dictum est; *Quicquid ligaueris*.

Neque vero exemplatua quicquam causæ tuæ prosunt, sed obsunt maxime: Pater filiū à patria potestate emancipare potest: sed qua? naturali an ciuili? A ciuili potestate patria, legibus ciuilibus Romanorum stabilita, emancipare potest & Pater familias & Pater patriæ, hoc est Imperator Romanus. At Pontifex Romanus non potest à patria potestate ciuili emancipare filium: à potestate vero patria naturali, nec Imperator, nec Pontifex filium emancipare potest, id quod abunde docet Dominus exemplo Corban. Marc. 7. 12. Si filius omnem suam substantiam in pios vsus consecrauerit, & Patrem non sustentauerit, reus est violati mandati diuini de parentibus honorandis, Seruum à potestate despotica manumittere potest, & Dominus, & Imperator; Pontifex non potest. Lex illa de seruo Iudæi ad fidem Christi conuerso, & libertate eo nomine donato, Imperialis est, Pontificalis non est. Sed nec Imperator nec Pontifex seruum à seruitute naturali manumittere potest, vti satis aperte docet Imperator.

Quod si nec de filio non filium, nec de seruo non seruum quoad ius diuinum naturale facere potes, nec enim de subdito non subditum, de Rege non Regem facere potes.

13. POP. *Tibi in spiritualibus, Regum temporalibus obsequimur; vtrumque Deus iubet, vtrumque præstabimus.* PONT.

PONT. *Res haec dubia est; pendebas animi, cur ad Sacerdotem, Deut. 17. ad sedem Petri non recurris? Iubet vero Deus, vt in spiritualibus obedias Pontifici, sed non tantum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus.*

POP. In rebus dubijs ad locum quem elegit Dominus, ad Sacerdotes ascendimus, *Labia Sacerdotum custodiunt scientiam:* Mala. 2. 7. non tamen in perspicuis & apertis, qualis causa nostra est: omnis enim in hac causa dubitatio è capite manat Pontificio; nec idoneus est iudex ambiguitatis, qui ambiguitatis author est.

Quid ex hoc loco sanctitas tua, tuique colligant, in causa tua, non nos latet: quid vero textus doceat, res ipsa loquitur. Primo enim iudiciũ illud de quo loquitur Moses supremum erat tribunal, ad quod per viam appellationis ascendebat Populus Israeliticus: ideo Moses: *& Iudicum intra portas tuas videris verba variari;* ad hoc tribunal non ascendebat populus, nisi in rebus dubijs & ambiguis. Vbi variabant verba Iudicum in portis ciuitatis, *tunc enim appellandi tribuit facultatem:* vti Glossa interlinearis, in locum. 2. quousq; se extendant ista, inter causam & causam, lepram & lepram, sanguinem & sanguinem, non satis constat: difficulter ad causam hæreseos ista pertingunt; nulla hic mentio credendorum, sed faciendorum. 3. Nullus hic vnicus, solus & solitarius iudex, qui omnia ex scrinio pectoris sui dijudicet: non dicit Moses, venies ad summum Sacerdotem, ad Pontificem maximum; sed ad Sacerdotes Leuitici generis, & ad Iudicem qui fuerit illo tempore. 4. Iudex iste non erat Sacerdos, vt Glossa, sed Laicus, quales fuerunt iudices post Mosen & Iosuam vsque ad Samuelem, qui potestate regia iudicabant; vtpote qui imperium vitæ & necis habebant; vt ex textu patet: quorum loco postea successerunt Reges, qui sub alio nomine eandem potestatem exercebant: non erat ergo hoc forum mere Ecclesiasticum, sed mixtum, & Sacerdotibus & Laicis siue senioribus compositum, Synedrium nimirum, siue magnum illud Concilium: vti obseruat Isidorus Clarius, In locum. *In quo maxima totius Regni & populi negotia tractabantur. In his casibus & similibus recurrendum est ad superiores Iudices, ad summum Sacerdotem & Iudicem populi simul; & aliquando contingebat, quod vtrumque officium in vnam concurrebat personam, sicut patet de Heli, qui fuit Iudex & summus Sacerdos Populi. 1. Sa. 4. sed communius erant personæ distinctæ, sicut o[illegible]: potest ergo iste recursus intelligi ad vtrumque coniunctim, & hoc, [illegible] in causis quæ non poterant determinari ab vno, sine alio, vtpote in ædificatione Templi, quod non poterat fieri sine potestate regia, nec disponi absque ordinatione Sacerdotali; vel diuisim, vt in causis spiritualibus esset recursus ad summum Sacerdotem, & in temporalibus ad Iudicẽ; vnde inolenit consuetudo, quod ab inferioribus Iudicibus Ecclesiasticis appellatur ad summum Pontificem, & ab inferioribus Principibus & Iudicibus secularibus ad Regem seu Imperatorem.* Hæc Lyranus, In locum.

Ioannes etiam Parisiensis ait: *Dicendum quod non remittitur ad Sacerdotes tantum, sed etiam ad Iudicem, qui fuerit pro illo tempore, per quem intelligitur Iudex secularis, vt vnus iudicet in causis spiritualibus, alius vero in temporalibus:* Vnde licet inter hos vnus et primarius erat summus Sacerdos, non tamen solus: nec ad eius solius nutum et suffragium fiebant omnia, sed communi consilio et consensu discernebantur: id quod in textu perspicuũ est: *Venies ad Sacerdotes, & Iudicẽ, & quares ab ijs,* (non ab eo) *iudicabunt* (non iudicabit) *& facies quodcunq; dixerint qui præsunt & docuerint, sequerisq; iudiciũ eorũ;* omnia hęc in plurali. Etsi vero addat Moses *Et quicunq; superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, ex decreto Iudicis moriatur:* non tamen ad summũ Sacerdotẽ, vel singularẽ aliquam personã, sed ad totum Conciliũ spectat iudicium, imperiũ vero siue promulgatio ad summũ fortè Sacerdotẽ, sed executio & vindicta in illũ, qui sententiã horum iudicum contẽpserit, non ad Sacerdotẽ sed ad Iudicẽ, ex cuius decreto moritur: nõ dicit, gladio, pœna, manu iudicis, sed decreto. i. sententia et iudicio moriatur. non est in hoc casu carnifex Sacerdotis, sed minister Dei, qui gladiũ Dei portat, et iudex totius causæ vna cũ Sacerdotibus. *Indicabunt.* Qui iudicabunt? prædicti sc. Sacerdotes et Iudex; non dicit Moses *Quicunq; superbierit nolens obediri Sacerdotis imperio,* hunc dignum morte iudicabit Sacerdos, iudicia enim vitæ et necis, nec in Lege, nec in Euangelio ad Sacerdotes, qua Sacerdotes spectabant: sed *quicunq; superbierit nolens obedire imperio sacerdotis,* hunc deferet Sacerdos aut actor ad iudicẽ siue Regem, cuius decreto sine iudicio morte moriatur. Sic superior est iudex Sacerdote in pœnis ciuilibus, à quo Sacerdos petit fieri Iustitiam.

5. Hoc iudicium Sacerdotum & iudicis esse debet, non contra, non præter legem; *Et docuerint te iuxta legem eius, sequeris sententiam eorum,* sic legit vulgata tua editio, cuius, si vllius, authoritate tu teneris, licet in alijs non habeantur ista verba. Et rectè obseruat Glossa, in locum. *Sacerdos Ecclesiæ instruit, vt iudicia Ecclesiastica secundum potestatem sibi à Deo datam reuerenter agant, & iuste decernant, non ad libitum suum, sed secundum legis decretũ ne suscipiendo personã mutent sententiã.* Et iterum, *iuxta legem nota, non dicitur tibi vt obedias, nisi iuxta legem docuerint.* Et iterũ, *hîc dicit Glossa Hebraica, si dixerit tibi quod dextera sit sinistra, vel sinistra dextera, talis sententia est tenenda: quod patet manifeste falsum esse, quia sententia nullius hominis, cuiuscunq; sit authoritatis, tenenda, si contineat manifeste falsitatem: & hoc patet per hoc quod præmittitur in textu iudicabunt tibi iudicij veritatem, postea subditur: Et docuerint te iuxta legem eius; ex quo patet, quod si dicãt falsum, vel declinent à lege Dei manifeste, non sunt audiendi.*

6. Appellatio ista ad summum Pontificem, eius consiliarios, & consacerdotes non potest vlla ratione ad res spirituales referri: causa enim & causa, lepra & lepra, sanguis & sanguis, corporalia erant, de quibus iudicabant Iudices ciuiles non Ecclesiastici; Id lucidissimũ ex ipso textu est: *Et*

Iudicum

Iudicum intra portas tuas videris verba variari (inquit Moſes.) At iudices in portis ciuiles erant & temporales, & de ciuilibus & temporalibus iudicabant, Eccleſiaſtici vero iudices in Synagogis & conſiſtorijs iudicabant: & proinde Rex tanquam ſupremus iudex in temporalibus aderat, & Sacerdotes qui ſoli pene iuriſperiti erant in eo populo, vtpote qui legem Dei & Moralem, & iudicialem, & cæremonialem optime nouerant, veram ſententiam legis etiam in temporalibus declarabant, quorum ſacerdotum & Regis iudicio, tanquam ſupremo Tribunali ſtandum erat; in iudice poteſtas, in Sacerdote ſcientia.

7. Quod caput & iugulum huius cauſæ, qua de agimus, petit: Appellationes illæ non fiebant à Iudicibus inferioribus ad ſummum Sacerdotem, contra Regem ſiue iudicem: iudex enim, ſiue Rex, non ſe ſiſtebat in iudicio coram iudicibus inferioribus & ſuis ſibiq; ſubordinatis, qui in portis ciuitatis iudicabant. Iudicabant iſti pro Rege, poteſtate ab illo delegata, Regem nunquam iudicabant: nunquam audita eſt in populo Iſraelitico talis appellatio, in qua actor vel reus, iuſtitiam petens, ab inferioribus Magiſtratibus & iudicibus, contra Regem ſiue iudicem ſupremum, ad ſummũ Pontificem & Concilium Sacerdotum prouocaret. Nec vlla ratione cohęret, quod ſequitur, *Ex decreto iudicis moriatur* Rex vel iudex; ἀσύστατον hoc eſt: moriatur Iudex ſiue Rex ex decreto iudicis ſiue Regis. An quiſquam Rex ſententiam mortis contra ſeipſum ferret, vitamve ſibi auferet? Locus ergo iſte de nobis, de ſubditis intelligendus eſt, de Regibus & iudicibus intelligendus non eſt.

8. Secundum Petrum de Alliaco, *poteſt dici quod loquitur de Sacerdotio veteris legis, nec ſecundum ſenſum litteralem debet extendi ad Sacerdotes nouæ legis.* Quid vero ad Euangelium, ad ſedem Petri, verba iſta?

Sed addit ſanctitas tua, *ad locum quem elegit Dominus*, i. ad ſedem Petri confugiendum. Elegit quidem Deus locum in quo ſolo Templum ædificari, & nomen ſuum inuocari voluit; an ſanctitas tua talem locum in Euangelio ſomniat? cum in Euangelio Dominus templum Hieroſolymitanum, & templũ Gazaritanum repudiauerit, & aperte dixerit, *Veniet hora & nunc eſt, quando neq; in hoc monte, neq; in Hieroſolymis adorabunt patrẽ in ſpiritu & veritate*; non ſine loco *ſed in omni loco* vt Prophetа; non ſine templo, ſed in omni tẽplo. Vnde quæ eſſentialia erant loci illius, quem elegit Dominus in lege; in Euangelio nullo loco ſiue ſedi, ſic alligata ſunt, quin in omni ſede, & Petri, & Iacobi, & aliorum peragi poſſunt & quotidie peraguntur. Nec dictum eſt Petro ſoli, Ego ſum tecum vſque ad conſummationem ſeculi, ſed omnibus Apoſtolis, Mat. 29. *Ego vobiſcum ſum.* Quid itaque ſedem & Cathedram Petri proponis?

Nec etiã nobis licet eſſe tã ſubtilibus, vt ſciamus quando doces ex Cathedra, quando non: docuit & decreuit Cæleſtinus, coniugium inter Chriſtianos ſolui quoad vinculum ſi alter coniugium in hæreſim labatur. 14.

& Pontificatu priuetur: Sed Regnum fundatur in Natura, non in gratia; & proinde Rex propter hæresin amittit omnia bona Ecclesiæ, quæ per gratiam consecutus est, & in statum naturæ iterum redigitur. *Sit tibi velut Ethnicus & publicanus*; ea communione tecum fruatur qua Ethnici & publicani, naturali, sc. & ciuili; sicut olim cum Ethnicis & publicanis cõmunicabant Christiani, ijsq; in temporalibus & ciuilibus obtemperabant, sed propter hæresin non amittit bona naturalia: eodem enim iure potest sanctitas tua Regem morte, quo regno mulctare. *Hæreticũ hominẽ post vnam aut alterã admonitionem deuita. ad Tit.* 3. 10. i. fuge consortiũ eius in spiritualibus, hoc tuæ sanctitati parum est, diuidatur hoc verbum, de vita, i. de vita tolle: hoc placet Gregorio 7. & Innocentio 4. qui dixerunt: *aut moriar aut Diadema & vitã Henrico & Frederico tollam.* Si Rex hæreticus indignus regno, etiam vita indignus; & si hæreticus priuatus brcahio seculari traditur, vt morte mulctetur, quidni etiam, & Rex hæreticus furori populari trucidandus tradatur: sententia sanctitatis, & clementiæ tuæ inclementissimæ, priuatos *tradit Satanæ in interitum carnis, vt spiritus saluus sit in die iudicij*, Reges vero Satanæ tradit in interitum carnis, vt & caro ipsa morte naturali dissoluatur, & spiritus in æternum pereat in die iudicij. Quod ad nos attinet, nec Pontifici, nec Regi, in hæresi, vel malo obtemperamus, nec cũ Pontifice, nec cum Rege hæretico in spiritualibus cõmunicamus, nec Pontificem propter hęresin depositum bonis temporalibus, spoliamus, nec Regem propter hæresin ex Ecclesia eiectum bonis temporalibus, Regno, obedientia, fidelitate aut vita priuamus.

Neq; vero potestatem tuam in deponendis Regibus agnoscimus, nec vocem tuam in causa tua audimus, aut curamus. Interpretationem duarum Allegoriarum, quam inuita & reluctante scriptura sancta, contra communem & receptum Antiquitatis, vniuersalitatis, & consensionis sensum & expositionem Catholicã fecerunt *Gregorius 7.* & *Innocentius 4.* homines ambitiosi, pacis & vnitatis Ecclesiæ impatientissimi, qui dissidium inter Regnum & Ecclesiam, ad Ecclesiæ conquassationem, & animarum scandalum & periculum maximum excitarunt, prorsus rejcimus: Concilia eorum, vel verius Conciliabula invita & reluctantia, cũ horrore & stupore hanc expositionem audierunt, nec tam membra principalia Ecclesiæ, quã principes seditionis & factionis in Ecclesia extiterunt: Theologi illi, & Canonistæ linguæ Ecclesiæ, plane balbutientes, plerũq; pro sanctis scripturis Canones, c. Alius c. ad Apostolicæ. c. Solitę. vrgent. & si qui posteriores, Allegorias ligandi & pascendi ad hanc Regum deponendorum potestatem detorquent, contra omnes Theologorum Regulas, ex Allegorijs Dogmata fidei stabiliunt. *Gregorius* vero 7. & *Innocentius* 4. talia sunt capita Ecclesię, vt de illis recte conqueri possit Ecclesia, cum puero Sunamitidis, 4. Reg. 19. *Caput meum dolco, caput meum doleo*; semel Gregorium 7.

10.34. *Non veni mittere pacem sed gladium*, non gladium quo peccata & vitia abscindantur, quo pullulantes hæreses & schismata amputentur; duo est, ex quo acies illius gladij obtusa est; mucro Ecclesiæ non in peccatores, sed in humiles & fideles subditos stringitur, in Reges qui regna & diademata ad mandatum & conculcationem Papæ non abjiciunt, vibratur gladius spiritualis: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam occidere non possunt; sed timete eum, qui & corpus occidere, & animam in gehennam mittere potest.* Ibid. vers. 25. Qui corpora occidunt, tyranni sunt; qui animas in gehennam detrudit, Dominus est. An tu in horum numero? Tradere potes inobedientes *in interitum carnis, vt spiritus salvus sit in Die iudicij*; at bonis temporalibus, & vita naturali priuare non potes, cum non dederis. Non ergo nos superbi qui tibi limites officij tui pastoralis transcendenti non obtemperamus; sed ille potius superbus, qui potestatem Domini sui sibi non communicatam vsurpat, et illicitè arrogat.

Neque vero audacter contemnimus iudicium Vicarij Christi, qui humiliter mandatum Domini tui & nostri, Iesu Christi tenemus; nec vere timet, sed potius contemnit Deum & Christum eius, quisquis iniustam cuiusquam hominis aut Pontificis sententiam timet. Nam si iniusta fuerit & contra legem diuinam & naturalem lata; vt sagitta est in Cœlum emissa quæ in caput iaculantis cadit. *Dilexit maledictionem & veniet ei; noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Psalm. 109, 17. Talis vero iniusta sententia, neminem nisi iudicem ipsum lædit: quamuis dicat tua sanctitas *iniustam sententiam non ledere eum in quem fertur, quando is in quem fertur eam humiliter tolerat & obseruat*: sed qui sententiam iniustam obseruat, impius & iniquus est; nec valet iudicium tuum *donec iniustitia vel potius nullitas eius manifestè se prodat.*

Quomodo enim potest iniustitia & nullitas sententiæ tuæ seipsam prodere? Inferior & par non potest iniustitiam tuam prodere: superiorem non admittis, nemini licet tibi dicere, Domine, cur ita facias iniustitiam sententiæ tuæ ipse nunquam proditurus es, qui omnem moves lapidem, Cœlum terra misces, totum nutu tuo tremefacis Olympum, vt Reges tibi infestos & regno & vita simul priues; *Diuus sit, modo non sit viuus*, vt de fratre olim Imperator Ethnicus, quomodo ergo prodet se iniustitia & nullitas sententiæ tuæ, si nec tute eandem retractare volueris, nec cuiquam alteri liberũ facis de sententia tua iudiciũ ferre. Hæresis est quicquid tibi lubet, imo vero quicquid tibi non lubet hæresis est. & licet appellatio sit de iure naturali, nec cuiquã deneganda, nõ tamen licet ad Concilium generale, forte etiã nec ad Dominum & Christum eius, à tuo Tribunali appellare. Ita ad impossibile nos reducis, dum iubes sententiã tuã iniustã humiliter obseruare, & tolerare, donec iniustitia et nullitas manifeste se prodat, i. quasi dicas, semper obserua: quia impossibile est iuxta principia fidei

vt manifeſte ſe prodat. Conſideret igitur (quæſumus) ſanctitas tua quid imperet.

Si ſententia tua iniuſta ſit, dupliciter iniuſta eſt, quia & nos iubes contra mandatum Dei non obedire Regi noſtro, & vt nouo Regi, qui nullo titulo aut iure regnum alterius vſurpat, obtemperemus: &, quod grauiſſimum eſt et non ferendum, iubes vt toleremus quod intolerabile eſt. i. excluſionem noſtram à regno cœlorum, et ſeparationem ſiue avulſionem à corpore Chriſti, et a capite noſtro Chriſto, æquo animo & patienti feramus. An quiſquam patienter hoc audiat. *Truncatæ ſunt partes meæ, & dicitur mihi ne fleveris, avulſa ſunt membra mea, & dicitur mihi ne ſenſeris.* ſic conqueritur Bernardus. Serm. in Cant. 26. Dabit veniam ſanctitas tua ſi huius mandati, quod nec nos, nec Patres noſtri perferre potuerunt onus ſentiamus, & ab eodem liberari deſideremus; nec toleramus igitur nec obſeruamus talem ſententiã iniuſtam, & tamen nec ſuperbe ſententiam tuam contemnimus, nec audacter mandata tua tranſgredimur: nec poteſt excõmunicatio tua ſiue iniuſta, ſiue nulla, nos lædere, nec in nobis aut ſuperbia eſt, aut tumor, ſed obedientia & humilitas, quæ Deo magis obtemperat quam Pontificibus, vide igitur importunitatem tuam; Deus non vult nos obedire Angelo, aliquid contra Euangelium ſuum prædicanti; & tu ſententiam iniuſtam, & nullam, contra ius diuinum naturale latum, tolerandam & obſeruandam prædicas; Sed de iniuſtitia et nullitate ſententiæ et mandati ſupra dictum eſt ſatis. c. 4. Illud ſolum hoc loco addendum eſt quod in eadem cauſa 11. et quæſtione 1. vnde deſumpta eſt hęc ſententia Gregorij; *ſententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, timenda eſt.* 12. extant capita Pontificum et Patrum, quæ ſententiam manifeſte iniuſtam non cu-
„ randam abunde docet. *At ſententia illa, per quam Rex deponitur, & man-*
„ *datum illud, quo populus prohibetur Regi depoſito obedire, iniuſta non eſt.* Imo vero omni modo iniuſta eſt: ex parte iudicis, quia a non iudice profertur; Reges enim in temporalibus iudicem non habent, qui eos tẽporaliter puniat; vt ſupra. l. 1. c. 8. et ex poteſtate pęrcipientis, quia dirigere poteſt in temporalibus, ſed per cenſuras temporales corrigere non poteſt: Et Eccleſia illa ſola bona auferre poteſt, quæ conferre poteſt. Qua de re plura videat Lector cap. prędcedente.

„ *At mandauit Deus, vt hæreticos deuitemus, & ne aue ijs dicamus.*

Apoſtolus Paulus ad Tit. 3. 10. ſic docuit: *hæreticum hominem poſt vnam admonitionem aut alteram deuita:* et Ioannes Apoſtolus 1. Ioannis 10. ait *Siquis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, ne aue illi dixeritis.* Paulus, qui hæreticum hominem deuitan-
1. Cor. 8. dum docet, permittit, imo et præcipit Chriſtianis, vt et vna prandeant et cœnent cum Ethnicis et Idololatris, et etiam de Idolothytis comedant Quid? An licet cum Ethnico et publicano communi care, et cum hæretico non licet? Hæreticus ergo qui errat ex parte, peior erit Ethnico, qui totam fidem Chriſtianam prorſus abnegat; et Chriſtus ſaltem imperfecte

dixit;

dixit, *ſi tibi velut Ethnicus & Publicanus*, dicere debuit, ſit tibi peior omni Ethnico & Publicano; iſtos deuitare non debes, iſtum debes; cum Ethnicis etiam de Idolothytis comedere potes, cum hæreticis ne comedere potes; Aut hæc omnia vera ſunt, & prepoſter è arguit ex Thoma Bell: *Infideles & Apoſtatæ Dominio priuari poſſunt, ergo & hæretici*: quia ſi hæc vera ſunt, quæ ex *Paulo* & *Iohanne* colligit ſanctitas tua, hæretici priuari poſſunt Dominio, etſi Ethnici non priuentur: aut diſtinguendum eſt de communione, alia vt ſit communio in ſpiritualibus, alia in ciuilibus & temporalibus: licet communicare cum hæreticis & Infidelibus, in ciuilibus & naturalibus, vt Paulus permittit, & cum Idololatris, & de Idolothytis comedere; & eodem etiam modo licet cum hæreticis, in ſpiritualibus verò & ſupernaturalibus cum neutris, vt bene obſeruauit Ioannes Driedo: *De Libert. Chriſtian. lib.* 1. *cap.* 14. Et de hac communione intelligendus eſt Paulus; non enim dicit, noli emere aut vendere, aut commercium cum Hæretico vel Ethnico habere, tunc enim è mundo ipſis Chriſtianis exeundum erat, non dicit, noli debita tua hæreticis perſoluere, ſed omnem communionem ſpiritualem prohibet,

Solus verò Ioannes, qui è balneo non lotus exilijt in quo Cerinthum vidit (ſicut & Polycarpus qui Marcionem primogenitum Satanæ agnouit, *vt Irenæus, lib.* 3. *c.* 3.) etſi aliquid addere videatur, non tamen repugnat Paulo, ſed explicatius eandem rem pertractat: Hæretici enim, etſi participes eſſe non poſſunt Sacramentorum Eccleſiæ, ad conciones tamen diſcendi cauſa admitti & poſſunt, & debent: omnis ergo communio etiam ſpiritualis, hæreticis non interdicitur; & tamen aliqua videntur hic à Sancto *Ioanne* prohiberi, quæ à Sancto *Paulo* permittuntur: prohibet enim *Ioannes* hæreticos in domum, vel ad menſam recipere, quod permittit *Paulus*: ſed diſtingue perſonas, & conciliabis Scripturas. *Paulus* de omnibus loquitur, *Ioannes* de Paſtoribus & Seductoribus (vt *Caietanus*, *Catharinus* in locum, & *Driedo*, vbi ſupra) quorum communionem familiarem prohibet: *horum ſermo ſerpit vt Cancer*; Hi ſunt qui ſerpentibus ſimiles, ſi vel caput tantum ingerant, totum corpus facile inſinuant: ſi eos in familiarem communionem ciuilem admiſeris, venenum hæreſeos facile ſpargunt; hinc propter ſcandalum aliorum, & periculum noſtrum, cauet *Sanctus Ioannes*, ne tales Doctores, qui à *Chriſto* defecerunt, ad menſam vel domum recipiamus; ne dum pane corpus ſuum paſcant, veneno animas noſtras inficiant. Quòd autem de ſolis huiuſmodi Doctoribus loquatur, ex hoc ipſo apparet, quod dicit, Et *hanc doctrinam non affert*; quod Doctorum eſt, non dicit, & hanc fidem nõ habent, quod diſcentium. Sed alia eſt communio familiaritatis ſiue voluntatis, alia neceſſitatis: prohibet *Ioannes* communionem familiarem & voluntariam: ideo prohibet ne ad menſam vel domum recipiatur hæreticus; ſed communionẽ neceſſitatis, qualis inter patrem & filium, dominum & ſeruum, maritum &

vxorem

vxorem, regem & ſubditum intercedit, non prohibet: licet igitur hæreticum ad epulas & menſam communem voluntarie recipere, aut vltro inuitare non debemus, ne veneno hæreſeos inficiamur ea familiaritate; at tributa & vectigalia pendere, obedientiam & fidelitatem præſtare, & debita omnia & officia neceſſaria exhibere tenemur; ſicut & Patres et Martyres, et vniuerſa Primitiua Eccleſia Imperatoribus & Regibus hæreticis et apoſtatis, hæc omnia ſine cunctatione præſtabant: interdicitur ergo communio Doctorum, imo ſeductorum familiaris, menſæ et ſalutationis: voluntaria, non ciuilis neceſſaria. Id docent verba ipſa; *Ne dicas illi, aue: qui enim dicit Aue, communicat operibus eius malignis*: non poteſt communicare vel conſentire operibus cuiuſquam malignis, qui eadem prius non nouit; at familiaris ſit oportet, qui ſecretum cuiuſq; venenum, quod ſub labijs delitescit, ſic intus, & in cute nouit, vt eius operibus maligne communicet. *Aue*, ſiue proſperet Deus, quod agis, ſiue agere intendis; qui ſic dicit, aue, particeps proculdubio eſt hæreſeos, & & vna cum ſeductore peruerſo peruerſus & ſeductus eſt: ſed in malignis operibus tyranni ſiue hæretici Regis noſtri non participamus, nec aue, ei dicimus in hæreſi ſua, nec optamus, nec rogamus, vt in hæreſi, vel Ethniciſmo ſuo proſperetur, debita tamen omnia neceſſitatis illi non denegamus, non ſuſpendimus, ſed vltro differimus: bonum ſpirituale, ſalutem animæ, conuerſionem ab hæreſi & tyrannide à Deo Opt. Max. in cuius ſolius manu ſunt Reges, obnixè petimus, bona omnia precamur, *vitam prolixam, exercitus fortes, domum tutam, plebem quietem, &c. vt apud* Tertullianum, *quæ vota ſunt Cæſaris & dona Dei*. Hoc vnum addo, Ioannes mendax, *ne in domum recipias, nec aue, ei dicas*: non iubet vt expectes ſententiam aut ordinationem Eccleſiæ, aut iudicium Pontificis, & tunc deſinas iſta facere, ſed tu quiſquis es, hoc facito propria authoritate, etiam ante ſententiam Pontificis.

Hæc ſine ſtomacho tibi reponimus, etſi tu ſine ſtomacho non reſpondes; da veniam, Sancte Pater, ſi tua gratia in Deum non peccamus, propter mandatum tuum, Domini noſtri mandatum non tranſgredimur.

CAP. XXXII.

Defenduntur pronuntiata Barclaij; Diſpenſationes & ſententiæ Pontificum in coniugio Henrici octaui Regis Angliæ, & Catharinæ, cauſæ fuerunt religionis in Anglia perdendæ, vel potius reformandę, vbi de odio Pontificum in Elizabetham Reginam.

1 *Clemens 7. iniuſtus, qui priore ſententia Henrici 8. cum Catha-*

rina

rina nuptias dissoluit, posteriore confirmat. 2 *Inter Christianos non licet fratri vxorem fratris defuncti ducere, probatur authoritatibus.* 3 *Si licet, etiam sine Pontificia dispensatione licet.* 4. *Idem probatur rationibus.* 5. *Henricus* 8. *legitime non duxit Catharinam fratris vxorē etiam dispensante Pontifice.* 6. *Pontifex causa Religionis perdendæ, vel verius restituendæ in Anglia, de Anna Bolena, & Elizabetha Regina Angliæ.* 7. *Reges non subijciuntur coactioni legum.*

ABsoluto Dialogo inter populum & Pontificem, sequitur altera digressio de malis, quæ ex huiusmodi temerarijs Pontificum fulminibus, & Regum depositionibus, perpessa est & Ecclesia & Respub. Ex dissidio enim regni & Sacerdotij, & Ecclesia grauissimè afflicta est, et multæ animarum myriades vinculo excommunicationum innodatę, miserè perierunt, & in perditionis barathrum deiectę sunt; & per hæreses & schismata (sicut à Pontificijs appellantur) quæ partim conniuentia, partim fauore Principum creuerunt, Pontificatus in angulum penè Europę detrusus est: & si vnus aut alter Princeps Christianus, aut Catholicus, iugum Pontificis intolerabile excusserit, ad nihilum redigetur, & præda fiet Regum. Imperium verò ex incremento aliorum regnorum decreuit, & infirmum factum est, ita vt vix Turcam à finibus suis arceat, qui Christianorum dissidijs tutus auctusq; , maiorem Europę partem Mahometi addixit.

Instat verò Barclaius in turbis illis, quæ per *Gregorium* septimum & *Bonifacium* octauum excitatę sunt; de quibus suprà satis dictum est. Vltimo verò loco in Scenam producuntur *Clemens* septimus & *Paulus* tertius, & *Pius* quintus, quorum peruersa & inconsiderata seueritas, occasionem dedit perdendę Religionis in Anglia. *De postremi duobus* (Paulo tertio, & Pio, 5. non Clemente septimo, & Paulo tertio, vt *Bellarminus*) *ausim affirmare, est enim orbi notissimum, in causa eos fuisse perdendæ religionis in Anglia, quod istam tam inuidiosam, & latè patentem potestatem, in Regni illius Principem, & Populum, sibi assumere & exercere conati sunt.* Hæc Barclaius. *Sed manifesta hæc & notoria falsitas & calumnia* (inquit Bellarminus) *optauit enim Clemens septimus modis omnibus Henrico octauo Regi Angliæ, sibi amicissimo, gratificari, modò Iustitia & Religio id paterentur: Verum cœlus eundem Anathemate ferijt, & causa Anathematis, iusta fuit, & Pontifex peccasset, si non fecisset.*

An

An Clemens ſeptimus Henrico octauo gratificari omnibus modis optauerit, non ſatis conſtat, ſed Pontifices beneficiorum immemores & ingratos eſſe, & potentiori & proximiori, eiq; qui vel lędere vel defendere faciliùs poſſit adhęrere, nec nouum nec inſolitum. Et quid fecerit in hac cauſa *Clemens* iſte veritus ſeueritatem *Cęſaris*, quam diu pertulerat, vtq; eundē beneficiorum vinculo arctius colligaret, norunt illi, qui & religionē & aſtutiam Romanā ſatis intelligunt: Nihil addam amplius. Aut iuſtitia & religione coactus, contra Henrici nuptias pronunciauit; aut vt Imperatori gratificaretur; aut vt poteſtatē ſuam amplificaret; aut ne Iulianæ diſpenſationi detraheret. Vtcunq; res ſe habet, *Clemens* proculdubio inclementer & cum *Henrico* 8. & cum ſeipſo egit, vt qui duas contrarias & pugnantes ſententias, in hac cauſa protulit: priorem, Anno 1527. qua liberum Henrico fecit ad ſecundas nuptias conuolare: alterum, an. 1532. qua definit nuptias cum Katharina contractas legitimas eſſe. Extat prior Bulla, quæ Cardinali Campegio commiſſa, & Henrico 8. oſtenſa eſt, qua permotus, toties à delegatis Iudicib[illegible] *Campegio* & *Wolſęio*, *Henricus* ſententiam proferri petijt. Nec nobis ſolum Anglis credas, Guicciardinus Italus. *Lib.* 19. *Hiſtoriæ*, his verbis rem totam narrat. *Nam cum is Rex, vt prius matrimonium irritum eſſe declararetur vrgeret, Pontifex qui verbis cum eius Miniſtris, ſeſe nimium declararat, quia cum parum fidei apud alios haberet, eius patrocinium ſibi conſeruari nitebatur, decreto, quod ipſi decretalem Bullam vocant, id matrimonium irritum eſſe occultiſſimè declararat, eiuſq; rei tabulas Campegio cum huiuſmodi mandato dedit, vt ijs Regi & Eboracenſi oſtenſis, ſe illarum, ſi in Iudicio cauſæ cognitio minus ex ipſius ſententia ſuccederet, promulgandarum mandatum habere diceret: quo illi facilius rem iure tractari paterentur, & pacatiori animo iudicij moram tolerarent.* Qua in re non curauit Pontifex, quid in tali cauſa iuxta ſcripturas aut legem diuinam, aut etiam canonicam faciendum erat, ſed quid ſuis rebus maximè accommodatum. Ideo addit in ſequentibus: *Cæſaris verum ſucceſſibus in Italia auctis, cum eum modò non offendere deinceps vellet, ſed potius offenſionem illatam abolere. Franciſcum Caiponam in Angliam ad Campegium Cardinalem, Regi, cum aliis de cauſis ad idem tamen pertinentibus, mitti oſtendens, cum mandato vt priuilegium ius corrumperet miſit: quod etſi ille Pontifice interea ægrotante, diſtulerit, tamen illo conualeſcente, eius mandato paruit. Itaque Pontifex hoc metu liberatus; rem ad Romanæ Curiæ iudicium reuocauit.*

Hæc eſt regula iuſtitiæ Romanæ; Cæſaris res minus proſperæ erant in Neapoli; ſententiam pro diuortio & ſecundis Nuptijs profert Pontifex. Creſcit Cęſar, iniuriam Pontificis vlciſcitur, captiuum detinet, poſtea

postea liberat : amicitia Henrici remotissimi parum Pontifici proficit, sententiam contra Henricum pro Catharina Cæsaris matertera profert Pontifex, vel potius versutus Proteus. Verè ergo à Bellar. dictum est, *Clemens Henricum 8. Anathemate ferijt, sed coactus*, vtpotè timore potentiæ Cæsaris impulsus; cui, iam impar factus, vlterius resistere nõ potuit, eundem igitur beneficijs demulcere, & arctius sibi deuincere vtile duxit, coactus itaque, non iuris & causæ æquitate, sed lucro suo, vt qui vxorem duxit in Euangelio; *Luc.* 14. respondet, *non possum venire*, id est, nolo venire: maximum sibi ipsi vinculum, maxima coactio est, mala voluntas.

Sed causa Anathematis (inquit Bellarminus) iusta fuit. Forte etiam & vtrobique iusta: & in priore, & in posteriore sententia, quia vtriusque author Pontifex. Sed quamuis Pontificijs iustum videatur, quod Pontificj placet, cuius voluntas pro ratione, factum pro lege, at alijs qui iustum & iniustum, non ex beneplacito voluntatis humanę sed ex voluntate diuina metiuntur, non omnino iustum videtur. Vt autem totius causæ iustitia magis patefiat, operæpretium erit sententiam siue dispensationem Iulij, qua liberum facit Henrico, vt Arthuri fratris sui, sine liberis defuncti relictam, in vxorem ducat, paulò altius perpendamus.

Noua quidem & insolens est hęc dispensatio, vt quis fratriam suam in vxorem ducat. Sed tamen huiusmodi cum fratrijs nuptias toleraſſe *Innocentium* tertium in Liuonia nuper ad fidem Christi conuersa manifestum est. *De Diuortijs c. Deus qui.* Sed & maiora fecit *Martinus* 5. super coniugium fratris cum sorore: & Alexander sextus, quo dispensante *Emanuel* Lusitanus habuit successiuè duas germanas sorores, filias *Ferdinandi* Regis Hispanię. *Maior, in 4. Dist. 4. quæst. 3.* Hæc solent Pontifices. Verum in hoc casu quid opus erat dispensatione. Lex Mosaica, *Deuteron. 25. 5.* non solum permittit, sed etiam præcipit, vt fratre sine liberis defuncto, frater relictam eius vxorem ducat, & filium suscitet, qui in hæreditate fratris succedat; & punitus est *Onan* à Deo ante legem latam, quod hanc legem contempserit. Si Lex Mosaica præcipiat, vt frater relictam fratris sine liberis demortui, sine dispensatione Summi Pontificis ducat, et ista lex naturalis sit, non peculiaris illius populi, propter hæreditatis perpetuationem; sed communis omnium hominum; quid opus erat vt *Henricus* octauus dispensationem *Iulij* expectaret, qui propria authoritate hoc ipsum coniugium contrahere poterat, imo debuerat. Sed si inter Christianos non sit licitum, aut licitum non est iure diuino, contra quod nulla valet Pontificis dispensatio, aut illicitum est iure Ecclesiastico positiuo, & sic peccatum esset non in legem Dei immediatè, sed in Sanctionem Ecclesiasticam; quod etiam vide-

videtur asserere Franciscus de Victoria, cuius hæc est propositio. *Relect. de Matrimon. p. 2. sect. 2. Concluſ. vlt. Seclusō iure humano, siue quacunque Papæ dispensatione, frater potest accipere vxorem fratris, siue cum liberis, siue sine liberis defuncti, & valet matrimonium si fiat, etsi iure naturæ illicitum sit: sicut qui post votum continentiæ, accipit vxorem, peccat contra legem naturæ, nullus tamen hactenus defendit, quin tale matrimonium teneat.* Cui sententiæ vix suffragabitur (vt puto) Bell.

Sed vtcunque se res habeat, vt coniugium *Henrici* cum *Catharina* fratria contra ius diuinum naturale fuerit, per *Iulij* dispensationem, vel potius dissipationem vt Almayn. *De potest. Eccl. laica: q. 1. c. 12.* legitimum fieri non potuit: & proinde potuit & debuit *Henricus* talis matrimonij diuortium quærere, nec seipsum incestu contaminari, vel Regni hæreditatem illegitimæ proli relinquere. Si verò licitum sit cum fratria coniugium, nec repugnet iuri diuino naturali, tunc iusta videretur causa Pontificis, Henrici verò iniusta: etsi fortè in illo perplexo conscientiæ scrupulo, quo angebatur Henricus, abstinendū videtur á censuris grauioribus, quæ regis iram prouocarent: si illicitum, iustitia à partibus fiat Regis, iniustitia in Pontifice deprehenditur.

Vt autem huius causæ veritas dilucidior fiat, operæpretium erit catholicam antiquorum expositionem adhibere, vt eorum iudicijs tota hæc causa terminetur. Circumferebatur epistola sub nomine *Diodori*, in qua responsum est cuidam interroganti, an liceret vxoris demortuæ sororem matrimonio ducere, respondet persona illa laruata sub nomine *Diodori*, licere. Hoc reprehendit *Epist. 16.* Basilius Magnus, *ex more, qui legis vim obtinet, & lege Mosaica. Est autem hic mos talis. Si quis affectu immunditiæ correptus, ad illicitam duarum sororum communicationem exorbitauerit, id neque coniugium consendum, neque talem ad Ecclesiasticum cœtum admittendum, priusquam à se inuicem dirimentur.* Deinde probat ex Leuitico, *ita nec sororem vxoris ob id quod nec suam ipsius sororem sibi coniungere ac vice vèrsa, neque vxori licet, vt viri sese affinibus coniungat.* Ecce Basilius manifestè affirmat, & lege diuina, & more Ecclesiæ sub Euangelio, prohiberi nuptias duarum sororum, & duorum fratrum, mortua priore vxore, vel marito & tale delictum hoc est, quod coniugium non sit, & dirimi possit.

Et sanctus Augustinus pertractans totam hanc legem de gradibus prohibitis in Leuitici 18, de hoc alijsque prohibitis matrimonijs & concessibus, sic statuit, *Quæst. super Leuiticum, Quæst. 64. An forte ne in superioribus quod dictum est figurate accipiendum putaretur, etiam hic positum est, vbi talia prohibita sunt quæ etiam tempore noui Testamenti, remota vmbra, cum veterum obseruantia sine dubio custodienda sunt.* Scripsit itidem Augustinus librum, cui titulus est speculum, eorum quæ etiam

nunc

nunc facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt, nec facienda ſi prohibita: Vbi inter præcepta, quæ ad nouum Teſtamentum ſpectant, inter cætera, illa præcepta Leuitici 18. & hoc ipſum de vxore fratris, & ſorore vxoris non ducendis, præciſè enumerat, & legem illam Deuteronomij de vxore fratris ſine liberis defuncti omittit.

Gregorius M. in reſponſis ad Auguſtinum, Anglorum vt vocant Apoſtolum, de huiuſmodi coniugijs ſic ſtatuit: *Apud Bedam Hiſt. Eccleſ. l. 1. cap. 27. Cum cognata aquoque miſceri prohibitum eſt, quia per iunctionem priorem care fratris fuerit facta, pro qua re etiam Ioannes Baptiſta capite truncatus eſt, & ſancto martyrio conſummatus. Quia verò multi ſunt in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi ſunt, vt ſe abſtineant, & graue hoc peccatum agnoſcant, tremendum Dei iudicium metuant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant, &c.*

Gregorius etiam ſecundus, vt ex decreto patet: 27. *Queſt. 2. cap. ſi quis vxorem. Si quis vxorem deſponſauerit, vel eam ſubarrauerit, quanquam poſtmodum præueniente die mortis eius, nequierat eam ducere in vxorem, tamen nulli de conſanguinitate eius, licet eam accipere in coniugium: quod ſi inuentum fuerit factum, ſeparentur omninò.* Cui ſimile eſt caput proximum *Iuliani* Papæ, vt *Gratianus*, vel potius *Iulij*, vt Binnius. *Ibid, Cap. Siquis deſponſauerit vxorem. Si quis diſponſauerit vxorem, vel ſubarrauerit, & ſiuè præueniente die mortis ſuæ, ſiue irruentibus aliis cauſis minimè eam cognouerit, neque eius ſuperſtes frater, neque vllus de conſanguinitate eius eandem ſibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.*

Inter Canones etiam inuenitur. *Ibid. Cap. Si quis deſponſauerit ſibi. Si quis deſponſauerit ſibi aliquam, & præueniente mortis articulo, eam cognoſcere non potuit, frater eius nam non poteſt ducere in vxorem.*

Et cap. de inceſtis coniunctionibus. 35. Q. 2. & 3. Poſt Diſt. de Pœnitentia: *Inceſtuoſos declarat Concilium Agathenſe: Hos: ſi quis relictam fratris quæ prius ſoror extiterat, carnali coniunctione polluerit.* Et poſtea, *In concilio Hilerdenſi, dicitur deteſtandum & illicitum carnis contubernium; Et Gregorius talem coitum inceſtuoſum & abominabilem Deo & cunctis bonis hominibus appellat.* Et conſulat Lector reliqua capita eorundem quæſtionum, in quibus prohibetur *Coniugium cognatarum & affinium vſque ad 7. & 6. generationem.*

Sed his concilijs vt adiungamus cætera.

1 Neocæſarienſe ſub Syluestro. c. 2: *Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abijciatur vſque ad mortem.*

2 Aurelianum ſub Clodoveo, c. 14. *Nec ſuperſtes frater thorum defuncti fratris aſcendat.*

3 Eli-

3 Elibertinum 19. Episcoporum sub Constantino. *Si quis post obitum vxoris sua sororem eius duxerit, & ipsa sit fidelis, quinquennio placuit à communione abstinere.*

4 Epaunense. An. 509. c. 30. *Si quis relictam fratris, quæ penè prius soror extiterat, &c.*

5 Aurelianum 3. An. 540. *Ne quis sibi sociare præsumat; &c. relictam fratris. &c.*

6 Toletanum, 2. An. 527. c. 5. *Ne quis fidelium propinquam sanguinis sui vsquequo affinitatis lineamenta generis successione cognoscit, in matrimonio sibi desideret copulari, quoniam scriptũ est, omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedat, vt reuelet turpitudinem eius: nec sine denunciatione fit sententia: nam paulo post infert & dicit, Anima quæ fecerit de abominationibus istis quippiam, &c.*

7 Parisiense, An. 559; *Non licet vt relictam fratris sui quis in matrimonium ducat.*

8 Turonense 2. An, 560. *Itemq; ait sacra sententia legum, quæ in hac explicatione, omni homini sane docto quam indocto aperta est, vt quisquis aut fratris vxorem sceleratis sibi nuptijs iunxerit, huic pœnæ subiaceat.* Ibi citat Aurelianum sub Clodoueo, & Canones Aluernenses, vbi à beatissimis Patribus sic habetur insertum. *Si quis relictam fratris, &c.*

9 Antisiodorense, An, 590. c. 29. *Non licet vt relictam fratris sui, quis in matrimonium ducat.*

10 Romanum sub Gregorio 2. *Si quis fratris vxorem duxerit in coniugium, Anathema sit. &c. & responderunt omnes Anathema, &c.*

11 Arelatense sub Leone 3. Cap. 11. *Incestos vero nullo coniugij nomine deputandos, quos etiam designare funestum est, hos esse censemus, si quis relictam fratre, quæ penè prior soror extiterat carnali coniunctione violauerit.*

12 Moguntinum sub eodem, c. 56. *Si qua duobus fratribus nupserit, seu cum patre & filio, tales copulationes anathematizari.*

13 Idem decretum extat in Capitulis Carolinis, lib. 5. vt citat Bochellus lib. 3. Tit. 1. c. 8.

14 Demetrius Syncellus (Iuris Græco Romani lib. 6. responsorum 2) ait *Patris mei vel fratris mei sponsam ducere non possum.*

Concilijs istis, Leges Principum addamus in codice Iustiniano, Valentinianus, Theodosius & Arcadius, *fratris vxorem ducendi licentiam summouent*, Cod. de Incestis. l. 5.

Imperator etiam Zeno, *istas nuptias vt Aegyptiacas reijcit.* Ibid. l. 8.

Anastasius, omnes pragmaticas & constitutiones impias hoc permittentes reprobat. *Ibid. l. 9.*

Et in Codice Theodosiano Constantinus & Constans, Filios ex huiusmodi consortio, legitimos negat, spurios appellat. L. 2.

Arca-

Arcadius & Honorius, vti interpretatur *Anianus*, hos tali pœnę ſubmittit, vt *de tali conſortio ſeparentur*, *L.* 3.

Honorius & Theodoſius, filios ex tali cõtubernio legitimos negãt. *L.* 4

His, teſtes ſingulares ſuperaddere poſſumus quos *Ioſephus Angles & Franciſcus Victoria* commemorant, vti dictum eſt C. ſuperiore qui videntur tenere *quod in omnibus gradibus prohibitis in Leuitico C.* 18. *Papa non poteſt diſpenſare. Et hoc reputat Sylueſter probabilius.*

Quicquid vero *Iulius* 2. aut *Clemens* 7. de hac re decreuerint in rem ſuam, & vt hinc *Henrico* 7. illinc *Carolo* 5. gratum facerent: notiſſimum eſt toti Chriſtianitati, plurimas eaſq; celeberrimas Europæ Academias, fratris cum fratriâ conjugium tanquam illicitum, & jure naturali repugnans proſus reprobaſſe. Extant Cenſuræ vniverſitatis Aurelianenſis; facultatis decretorum Pariſienſis; facultatis juris Pontificij & legum Andegavenſis, facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis, vniverſitatis Bituricenſis, facultatis Theologiæ Bononienſis, facultatis Theologiæ Patauienſis, & cenſura almæ vniuerſitatis Tholoſanæ, mitto celeberrimas Angliæ Academias, Oxonienſem, & Cantabrigienſem, duo magna Regni illius lumina: à quibus omnibus, acſi vno eodemq; ſpiritu agerentur, horumq; omnium literatiſſimorum hominum cor vnum eſſet anima vna; vnanimiter concluſum eſt, jure diuino naturali prohibitum eſſe conjugium fratris cum relicta defuncti fratris; & proinde Pontificem qui ſuper jus diuinum naturale non eſt, in hac cauſa diſpenſare non poſſe. 3

Non tamen me latet plurimos è Theologis & Iurecõſultis Pontificijs in illam ſententiam pedibus ire, vt dicant licitum eſſe in Euangelio, vt frater vxorẽ fratris defuncti per Pontificis diſpenſationem ducere poſſit, quorum inter reliquas præcipua ratio; à facto Pontificis petitur: Pontifex qui in jure naturali diſpenſare non poteſt, in hoc caſu diſpenſauit: non eſt ergo contra ius naturale. Quod etiam vrget *Hieronymus* ab *Oleaſtro in Lenit.* 18. Et tamen in proximis verbis dicit, quod multiplex eſt jus naturale, ſcilicet primarium & ſecundarium; & iſta reijcit ad ſecũdarium. Eandem rationem vrget *Couarruuias*; *De Matrim. Tom.* 1. *P.* 2 *C.* 6. § 10. cuius etiam alias rationes perpendamus.

1 *Non eſt illicitum iure naturali, duas ſorores ſimul vxores accipere, quia Iacob duas ſorores ſimul duxit, ſed prouidentia & diſpenſatione deceptus.* Si ratio iſta quicquam probat, videat Lector quid inde ſequatur; quod Polygamia non ſit contra jus naturæ, quia fecit *Iacob.* 4

2 *Si relictam fratris in vxorem accipere lege naturali non licet, nec liceret, fratre ſine prole defuncto, cum ea matrimonium inire; quod lege Moſaica iubetur.* Acſi diceret, Deus non poteſt diſpenſare cum lege naturali & ſua, juxta legem tamen Moſaicam, diſpenſante Domino non Pontifice, in lege Matrimonij licuit per libellum repudij diuortium cum vxore exoſa facere & aliam ducere. Et juxta Euangelium, diſpen-

doleo, iterum Innocentiũ 4. homines in confusionem Ecclesiæ natos, doleo. Caput principale Christus noluit hæreditatem inter fratres diuidere; & capita illa ministerialia, hæreditatem & regna à Regibus tollunt. Talibus capitibus ministerialibus, talibus membris principalibus, talibus linguis, & patronis dogma hoc depositionis Regum confirmatur.

Gregorium Nazianzenum libenter audimus. Dicit ille, *Ad præsid. iratum & populum pertimescentem. Præsidem imperio suo*, id est, Sacerdotis aut Episcopi subesse, non dicit potestatem subesse, vt sanctitas tua refert, sed Præsidem: Et Præses, si Christianus, Pastori subest; sed nihil hoc ad Pontificem, ad Imperatorem, ad depositionem: Etsi enim præsit Pontifex, vt anima, in spiritualibus, & in peccatis; Imperator vero subsit vt corpus, non tamen in temporalibus; sed in ijs præest, & legibus suis etiam Pontifices regit; nec potest anima deponere corpus etsi dirigat, nec Pontifex Regem, etsi dirigere possit, & in spiritualibus, & in vsu etiam temporalium.

16. POP. *Minas sanctitatis tuæ & miramur & ex parte metuimus; nec tamen metu iniustæ excommunicationis, iustum & iure diuino naturali debitum obsequium, Regi nostro denegamus. Si nos Anathematis mucrone feriat quia nolumus mandatum Dei te iubente transgredi, & malum facere, maledictio tua in benedictionem nostram vertetur.*

PONT. *Impius cum venerit in profundum malorum, contemnit: in hoc profundum te præcipitem egit superbia, quia te ipsum iudicem rerum diuinarum & cœlestium constituisti: sic vt iudicium non solum Vicarij Christi, sed ipsius etiam Christi contemnis.*

POP. Quilibet peccator, peccatorem diligit; fur cum fure currit, adulter cum adultero portionem suam habet; solus superbus superbum, non patitur; & superbus esse & solus superbire vult, & cum alios omnes peccatores diligat solum superbum, odio prosequitur implacabili. Quia nos Deo quæ sunt Dei, & Cæsari quæ sunt Cæsaris tribuis, nec tibi potestatem facimus diruendi, plantandi, destruendi & deponendi pro beneplacito voluntatis tuæ; quia amplitudinem & plenitudinem potestatis tuæ, intra limites iuris diuini & naturalis concludimus, ideo superbi & contemptores habemur. Quod ad nos attinet, si in profundum venimus, profundum hoc miseriarum est, in quod per dissidium inter Sacerdotium & Regnum detrusi sumus, dum hinc pace temporis, illinc pace pectoris priuamur.

Quicquid Pontifices peccant plectuntur Achiui.

Nos præda victoris sumus, dum hinc bonis temporalibus per gladium militis, illinc bonis spiritualibus per mucronem excommunicationis, anathematum, & interdictorum spoliamur. Vere dixit Dominus; Matt.

10.

10.34. *Non veni mittere pacem sed gladium*, non gladium quo peccata & vitia abscindantur, quo pullulantes hæreses & schismata amputentur; diu est, ex quo acies illius gladij obtusa est; mucro Ecclesiæ non in peccatores, sed in humiles & fideles subditos stringitur, in Reges qui regna & diademata ad mandatum & conculcationem Papæ non abjiciunt, vibratur gladius spiritualis: *nolite timere eos qui corpus occidunt, animam occidere non possunt; sed timete eum, qui & corpus occidere, & animam in gehennam mittere potest.* Ibid. vers. 25. Qui corpora occidunt, tyranni sunt; qui animas in gehennam detrudit, Dominus est. An tu in horum numero? Tradere potes inobedientes *in interitum carnis, vt spiritus salvus sit in Die iudicij*; at bonis temporalibus, & vita naturali priuare non potes, cum non dederis. Non ergo nos superbi qui tibi limites officij tui pastoralis transcendenti non obtemperamus; sed ille potius superbus, qui potestatem Domini sui sibi non communicatam vsurpat, et illicitè arrogat.

Neque vero audacter contemnimus iudicium Vicarij Christi, qui humiliter mandatum Domini tui & nostri, Iesu Christi tenemus; nec vere timet, sed potius contemnit Deum & Christum eius, quisquis iniustam cuiusquam hominis aut Pontificis sententiam timet. Nam si iniusta fuerit & contra legem diuinam & naturalem lata; vt sagitta est in Cœlum emissa quæ in caput iaculantis cadit. *Dilexit maledictionem & veniet ei; noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Psalm. 109, 17. Talis vero iniusta sententia, neminem nisi iudicem ipsum lædit: quamuis dicat tua sanctitas *iniustam sententiam non ledere eum in quem fertur, quando is in quem fertur eam humiliter tolerat & obseruat*: sed qui sententiam iniustam obseruat, impius & iniquus est; nec valet iudicium tuum *donec iniustitia vel potius nullitas eius manifestè se prodat.*

Quomodo enim potest iniustitia & nullitas sententiæ tuæ seipsam prodere? Inferior & par non potest iniustitiam tuam prodere: superiorem non admittis, nemini licet tibi dicere, Domine, cur ita facias iniustitiam sententiæ tuæ ipse nunquam proditurus es, qui omnem moves lapidem, Cœlum, terra misces, totum nutu tuo tremefacis Olympum, vt Reges tibi infestos & regno & vita simul priues; *Diuus sit, modo non sit viuus*, vt de fratre olim Imperator Ethnicus, quomodo ergo prodet se iniustitia & nullitas sententiæ tuæ, si nec tute eandem retractare volueris, nec cuiquam alteri liberũ facis de sententia tua iudiciũ ferre. Hæresis est quicquid tibi lubet, imo vero quicquid tibi non lubet hæresis est. & licet appellatio sit de iure naturali, nec cuiquã deneganda, nõ tamen licet ad Concilium generale, forte etiã nec ad Dominum & Christum eius, à tuo Tribunali appellare. Ita ad impossibile nos reducis, dum iubes sententiã tuã iniustã humiliter obseruare, & tolerare, donec iniustitia et nullitas manifeste se prodat, i. quasi dicas, semper obserua: quia impossibile est iuxta principia fidei

vt manifeſte ſe prodat. Conſideret igitur (quæſumus) ſanctitas tua quid imperet.

Si ſententia tua iniuſta ſit, dupliciter iniuſta eſt, quia & nos iubes contra mandatum Dei non obedire Regi noſtro, & vt nouo Regi, qui nullo titulo aut iure regnum alterius vſurpat, obtemperemus: &, quod grauiſſimum eſt et non ferendum, iubes vt toleremus quod intolerabile eſt, i. excluſionem noſtram à regno cœlorum, et ſeparationem ſiue auulſionem à corpore Chriſti, et a capite noſtro Chriſto, æquo animo & patienti feramus. An quiſquam patienter hoc audiat. *Truncatæ ſunt partes meæ, & dicitur mihi ne fleueris, auulſa ſunt membra mea, & dicitur mihi ne ſenſeris.* ſic conqueritur Bernardus. Serm. in Cant. 26. Dabit veniam ſanctitas tua ſi huius mandati, quod nec nos, nec Patres noſtri perferre potuerunt onus ſentiamus, & ab eodem liberari deſideremus; nec toleramus igitur nec obſeruamus talem ſententiã iniuſtam, & tamen nec ſuperbe ſententiam tuam contemnimus, nec audacter mandata tua tranſgredimur: nec poteſt excõmunicatio tua ſiue iniuſta, ſiue nulla, nos lædere, nec in nobis aut ſuperbia eſt, aut tumor, ſed obedientia & humilitas, quæ Deo magis obtemperat quam Pontificibus, vide igitur importunitatem tuam; Deus non vult nos obedire Angelo, aliquid contra Euangelium ſuum prædicanti; & tu ſententiam iniuſtam, & nullam, contra ius diuinum naturale latum, tolerandam & obſeruandam prædicas; Sed de iniuſtitia et nullitate ſententiæ et mandati ſupra dictum eſt ſatis. c. 4. Illud ſolum hoc loco addendum eſt quod in eadem cauſa 11. et quæſtione 1. vnde deſumpta eſt hęc ſententia Gregorij; *ſententia Paſtoris, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, timenda eſt.* 12. extant capita Pontificum et Patrum, quæ ſententiam manifeſte iniuſtam non cu-
„ randam abunde docẽt. *At ſententia illa, per quam Rex deponitur, & man-*
„ *datum illud, quo populus prohibetur Regi depoſito obedire, iniuſta non eſt.* Imo vero omni modo iniuſta eſt: ex parte iudicis, quia a non iudice profertur; Reges enim in temporalibus iudicem non habent, qui eos tẽporaliter puniat; vt ſupra. l. 1. c. 8. et ex poteſtate pęrcipientis, quia dirigere poteſt in temporalibus, ſed per cenſuras temporales corrigere non poteſt: Et Eccleſia illa ſola bona auferre poteſt, quæ conferre poteſt. Qua de re plura videat Lector cap. prędcedente.

„ *At mandauit Deus, vt hæreticos deuitemus, & ne aue ijs dicamus.*

Apoſtolus Paulus ad Tit. 3. 10. ſic docuit: *hæreticum hominem poſt vnam admonitionem aut alteram deuita:* et Ioannes Apoſtolus 1. Ioannis 10. ait *Siquis venit ad vos & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, ne aue illi dixeritis.* Paulus, qui hæreticum hominem deuitan-
1. Cor. 8. dum docet, permittit, imo et præcipit Chriſtianis, vt et vna prandeant et cœnent cum Ethnicis et Idololatris, et etiam de ſdolothytis comedant Quid? An licet cum Ethnico et publicano communi care, et cum hæretico non licet? Hæreticus ergo qui errat ex parte, peior erit Ethnico, qui totam fidem Chriſtianam prorſus abnegat; et Chriſtus ſaltem imperfecte

dixit;

dixit, *ſi tibi velut Ethnicus & Publicanus*, dicere debuit, ſic tibi peior omni Ethnico & Publicano; iſtos deuitare non debes, iſtum debes; cum Ethnicis etiam de Idolothytis comedere potes, cum hæreticis ne comedere potes; Aut hæc omnia vera ſunt, & prepoſterè arguit ex Thoma Bell: *Infideles & Apoſtatæ Dominio priuari poſſunt, ergo & hæretici*: quia ſi hæc vera ſunt, quæ ex *Paulo* & *Ioanne* colligit ſanctitas tua, hæretici priuari poſſunt Dominio, etſi Ethnici non priuentur: aut diſtinguendum eſt de communione, alia vt ſit communio in ſpiritualibus, alia in ciuilibus & temporalibus: licet communicare cum hæreticis & Infidelibus, in ciuilibus & naturalibus, vt Paulus permittit, & cum Idololatris, & de Idolothytis comedere; & eodem etiam modo licet cum hæreticis, in ſpiritualibus verò & ſupernaturalibus cum neutris, vt bene obſeruauit Ioannes Driedo: *De Libert. Chriſtian. lib.* 1. *cap.* 14. Et de hac communione intelligendus eſt Paulus; non enim dicit, noli emere aut vendere, aut commercium cum Hæretico vel Ethnico habere, tunc enim è mundo ipſis Chriſtianis exeundum erat, non dicit, noli debita tua hæreticis perſoluere, ſed omnem communionem ſpiritualem prohibet,

Solus verò Ioannes, qui è balneo non lotus exilijt in quo Cerinthum vidit (ſicut & Polycarpus qui Marcionem primogenitum Satanæ agnouit, *vt Ireneus, lib.* 3. *c.* 3.) etſi aliquid addere videatur, non tamen repugnat Paulo, ſed explicatius eandem rem pertractat: Hæretici enim, etſi participes eſſe non poſſunt Sacramentorum Eccleſiæ, ad conciones tamen diſcendi cauſa admitti & poſſunt, & debent: omnis ergo communio etiam ſpiritualis, hæreticis non interdicitur; & tamen aliqua videntur hic à Sancto *Ioanne* prohiberi, quæ à Sancto *Paulo* permittuntur: prohibet enim *Ioannes* hæreticos in domum, vel ad menſam recipere, quod permittit *Paulus*: ſed diſtingue perſonas, & conciliabis Scripturas. *Paulus* de omnibus loquitur, *Ioannes* de Paſtoribus & Seductoribus (vt *Caietanus*, *Catharinus* in locum, & *Driedo*, vbi ſupra) quorum communionem familiarem prohibet: *horum ſermo ſerpit vt Cancer*; Hi ſunt qui ſerpentibus ſimiles, ſi vel caput tantum ingerunt, totum corpus facile inſinuant: ſi eos in familiarem communionem ciuilem admiſeris, venenum hæreſeos facile ſpargunt; hinc propter ſcandalum aliorum, & periculum noſtrum, cauet *Sanctus Ioannes*, ne tales Doctores, qui à *Chriſto* defecerunt, ad menſam vel domum recipiamus; ne dum pane corpus ſuum paſcant, veneno animas noſtras inficiant. Quòd autem de ſolis huiuſmodi Doctoribus loquatur, ex hoc ipſo apparet, quod dicit, Et *hanc doctrinam non affert*; quod Doctorum eſt, non dicit, & hanc fidem nō habent, quod diſcentium. Sed alia eſt communio familiaritatis ſiue voluntatis, alia neceſſitatis: prohibet *Ioannes* communionem familiarem & voluntariam: ideo prohibet ne ad menſam vel domum recipiatur hæreticus; ſed communionē neceſſitatis, qualis inter patrem & filium, dominum & ſeruum, maritum &

vxorem

vxorem, regem & ſubditum intercedit, non prohibet: licet igitur hæreticum ad epulas & menſam communem voluntarie recipere, aut vltro inuitare non debemus, ne veneno hæreſeos inficiamur ea familiaritate; at tributa & vectigalia pendere, obedientiam & fidelitatem præſtare, & debita omnia & officia neceſſaria exhibere tenemur; ſicut & Patres et Martyres, et vniuerſa Primitiua Eccleſia Imperatoribus & Regibus hæreticis et apoſtatis, hæc omnia ſine cunctatione præſtabant: interdicitur ergo communio Doctorum, imo ſeductorum familiaris, menſæ et ſalutationis: voluntaria, non ciuilis neceſſaria. Id docent verba ipſa; *Ne dicas illi, aue: qui enim dicit Aue, communicat operibus eius malignis*: non poteſt communicare vel conſentire operibus cuiuſquam malignis, qui eadem prius non nouit; at familiaris ſit oportet, qui ſecretum cuiuſq; venenum, quod ſub labijs delitescit, ſic intus, & in cute nouit, vt eius operibus maligne communicet. *Aue*, ſiue proſperet Deus, quod agis, ſiue agere intendis; qui ſic dicit, aue, particeps proculdubio eſt hæreſeos, & & vna cum ſeductore peruerſo peruerſus & ſeductus eſt: ſed in malignis operibus tyranni ſiue hæretici Regis noſtri non participamus, nec aue, ei dicimus in hæreſi ſua, nec optamus, nec rogamus, vt in hæreſi, vel Ethniciſmo ſuo proſperetur, debita tamen omnia neceſſitatis illi non denegamus, non ſuſpendimus, ſed vltro differimus: bonum ſpirituale, ſalutem animæ, conuerſionem ab hæreſi & tyrannide à Deo Opt. Max. in cuius ſolius manu ſunt Reges, obnixè petimus, bona omnia precamur, *vitam prolixam, exercitus fortes, domum tutam, plebem quietem, &c. vt apud* Tertullianum, *quæ vota ſunt Cæſaris & dona Dei*. Hoc vnum addo, Ioannes mendax, *ne in domum recipias, nec aue, ei dicas*: non iubet vt expectes ſententiam aut ordinationem Eccleſiæ, aut iudicium Pontificis, & tunc deſinas iſta facere, ſed tu quiſquis es, hoc facito propria authoritate, etiam ante ſententiam Pontificis.

Hæc ſine ſtomacho tibi reponimus, etſi tu ſine ſtomacho non reſpondes; da veniam, Sancte Pater, ſi tua gratia in Deum non peccamus, propter mandatum tuum, Domini noſtri mandatum non tranſgredimur.

CAP. XXXII.

Defenduntur pronuntiata Barclaij; Diſpenſationes & ſententiæ Pontificum in coniugio Henrici octaui Regis Angliæ, & Catharinæ, cauſæ fuerunt religionis in Anglia perdendæ, vel potius reformandę, vbi de odio Pontificum in Elizabetham Reginam.

† *Clemens 7. iniuſtus, qui priore ſententia Henrici 8. cum Catha-*

rina

rina nuptias dissoluit, posteriore confirmat. 2 *Inter Christianos non licet fratri vxorem fratris defuncti ducere, probatur authoritatibus.* 3 *Si licet, etiam sine Pontificis dispensatione licet.* 4. *Idem probatur rationibus.* 5. *Henricus* 8. *legitime non duxit Catharinam fratris vxorē etiam dispensante Pontifice.* 6. *Pontifex causa Religionis perdendæ, vel verius restituendæ in Anglia, de Anna Bolena, & Elizabetha Regina Angliæ.* 7. *Reges non subijciuntur coactioni legum.*

ABsoluto Dialogo inter populum & Pontificem, sequitur altera digressio de malis, quæ ex huiusmodi temerarijs Pontificum fulminibus, & Regum depositionibus, perpessa est & Ecclesia & Respub. Ex dissidio enim regni & Sacerdotij, & Ecclesia grauissimè afflicta est, et multæ animarum myriades vinculo excommunicationum innodatę, miserè pereunt, & in perditionis barathrum deiectę sunt; & per hæreses & schismata (sicut à Pontificijs appellantur) quæ partim conniuentia, partim fauore Principum creuerunt, Pontificatus in angulum penè Europę detrusus est: & si vnus aut alter Princeps Christianus, aut Catholicus, iugum Pontificis intolerabile excusserit, ad nihilum redigetur, & præda fiet Regum. Imperium verò ex incremento aliorum regnorum decreuit, & infirmum factum est, ita vt vix Turcam à finibus suis arceat, qui Christianorum dissidijs tutus auctusq; , maiorem Europę partem Mahometi addixit.

Inflat verò Barclaius in turbis illis, quæ per *Gregorium* septimum & *Bonifacium* octauum excitatę sunt; de quibus suprà satis dictum est. Vltimo verò loco in Scenam producuntur *Clemens* septimus & *Paulus* tertius, & *Pius* quintus, quorum peruersa & inconsiderata seueritas, occasionem dedit perdendę Religionis in Anglia. *De postremi duobus* (Paulo tertio, & Pio, 5. non Clemente septimo, & Paulo tertio, vt *Bellarminus*) *ausim affirmare, est enim orbi notissimum, in causa eos fuisse perdendæ religionis in Anglia, quod istam tam inuidiosam, & latè patentem potestatem, in Regni illius Principem, & Populum, sibi assumere & exercere conati sunt.* Hæc Barclaius, *Sed manifesta hæc & notoria falsitas & calumnia* (inquit Bellarminus) *optauit enim Clemens septimus modis omnibus Henrico octauo Regi Angliæ, sibi amicissimo, gratificari, modò Iustitia & Religio id paterentur: Verum coactus eandem Anathemate ferijt, & causa Anathematis, insita fuit, & Pontifex peccasset, si non fecisset.*

An

An Clemens ſeptimus Henrico octauo gratificari omnibus modis optauerit, non ſatis conſtat, ſed Pontifices beneficiorum immemores & ingratos eſſe, & potentiori & proximiori, eiq; qui vel lędere vel defendere faciliùs poſſit adhęrere, nec nouum nec inſolitum. Et quid fecerit in hac cauſa *Clemens* iſte veritus ſeueritatem *Cæſaris*, quam diu pertulerat, vtq; eundē beneficiorum vinculo arctius colligaret, norunt illi, qui & religionē & aſtutiam Romanā ſatis intelligunt: Nihil addam amplius. Aut iuſtitia & religione coactus, contra Henrici nuptias pronunciauit; aut vt Imperatori gratificaretur; aut vt poteſtatē ſuam amplificaret; aut ne Iulianæ diſpenſationi detraheret. Vtcunq; res ſe habet, *Clemens* proculdubio inclementer & cum *Henrico* 8. & cum ſeipſo egit, vt qui duas contrarias & pugnantes ſententias, in hac cauſa protulit: priorem, Anno 1527. qua liberum Henrico fecit ad ſecundas nuptias conuolare: alterum, an. 1532. qua definit nuptias cum Katharina contractas legitimas eſſe. Extat prior Bulla, quæ Cardinali Campegio commiſſa, & Henrico 8. oſtenſa eſt, qua permotus, toties à delegatis Iudicib[illegible] *Campegio* & *Wolſæo*, *Henricus* ſententiam proferri petijt. Nec nobis ſolum Anglis credas, Guicciardinus Italus. *Lib.* 19. *Hiſtoriæ*, his verbis rem totam narrat. *Nam cum is Rex, vt prius matrimonium irritum eſſe declararetur vrgeret, Pontifex qui verbis cum eius Miniſtris, ſeſe nimium declararat, quia cum parum fidei apud alios haberet, eius patrocinium ſibi conſeruari nitebatur, decreto, quod ipſi decretalem Bullam vocant, id matrimonium irritum eſſe occultiſſimè declararat, eiuſq; rei tabulas Campegio cum huiuſmodi mandato dedit, vt ijs Regi & Eboracenſi oſtenſis, ſe illarum, ſi in Iudicio cauſæ cognitio minus ex ipſius ſententia ſuccederet, promulgandarum mandatum habere diceret: quo illi facilius rem iure tractari paterentur, & pacatiori animo iudicij moram tolerarent.* Qua in re non curauit Pontifex, quid in tali cauſa iuxta ſcripturas aut legem diuinam, aut etiam canonicam faciendum erat, ſed quid ſuis rebus maximè accommodatum. Ideo addit in ſequentibus: *Cæſaris verum ſucceſſibus in Italia auctis, cum eum modò non offendere deinceps vellet, ſed potius offenſionem illatam abolere. Franciſcum Camponam in Angliam ad Campegium Cardinalem, Regi, cum aliis de cauſis ad idem tamen pertinentibus, mitti oſtendens, cum mandato vt priuilegium ignis corrumperet miſit: quod etſi ille Pontifice interea agrotante, diſtulerit, tamen illo conualeſcente, eius mandato paruit. Itaque Pontifex hoc metu liberatus; rem ad Romanæ Curiæ iudicium reuocauit.*

Hæc eſt regula iuſtitiæ Romanæ; Cæſaris res minus proſperæ erant in Neapoli; ſententiam pro diuortio & ſecundis Nuptijs profert Pontifex. Creſcit Cęſar, iniuriam Pontificis vlciſcitur, captiuum detinet, poſtea

postea liberat : amicitia Henrici remotissimi parum Pontifici proficit, sententiam contra Henricum pro Catharina Cæsaris matertera profert Pontifex, vel potius versutus Proteus. Verè ergo à Bellar. dictum est, *Clemens Henricum 8. Anathemate ferijt, sed coactus*, vtpotè timore potentiæ Cæsaris impulsus; cui, iam impar factus, vlterius resistere nõ potuit, eundem igitur beneficijs demulcere, & arctius sibi deuincere vtile duxit, coactus itaque, non iuris & causæ æquitate, sed lucro suo, vt qui vxorem duxit in Euangelio; *Luc.* 14. respondet, *non possum venire*, id est, nolo venire: maximum sibi ipsi vinculum, maxima coactio est, mala voluntas.

Sed causa Anathematis (inquit Bellarminus) iusta fuit. Forte etiam & vtrobique iusta: & in priore, & in posteriore sententia, quia vtriusque author Pontifex. Sed quamuis Pontificijs iustum videatur, quod Pontificj placet, cuius voluntas pro ratione, factum pro lege, at alijs qui iustum & iniustum, non ex beneplacito voluntatis humanę sed ex voluntate diuina metiuntur, non omnino iustum videtur. Vt autem totius causæ iustitia magis patefiat, operæpretium erit sententiam siue dispensationem Iulij, qua liberum facit Henrico, vt Arthuri fratris sui, sine liberis defuncti relictam, in vxorem ducat, paulò altius perpendamus.

Noua quidem & insolens est hęc dispensatio, vt quis fratriam suam in vxorem ducat. Sed tamen huiusmodi cum fratrijs nuptias toleraſſe *Innocentium* tertium in Liuonia nuper ad fidem Christi conuersa manifestum est. *De Diuortijs c. Deus qui.* Sed & maiora fecit *Martinus 5.* super coniugium fratris cum sorore: & Alexander sextus, quo dispensante *Emanuel* Lusitanus habuit successiuè duas germanas sorores, filias *Ferdinandi* Regis Hispanię. *Maior. in 4. Dist. 4. quæst. 3.* Hæc solent Pontifices. Verum in hoc casu quid opus erat dispensatione. Lex Mosaica, *Deuteron. 25. 5.* non solum permittit, sed etiam præcipit, vt fratre sine liberis defuncto, frater relictam eius vxorem ducat, & filium suscitet, qui in hæreditate fratris succedat; & punitus est *Onan* à Deo ante legem latam, quod hanc legem contempserit. Si Lex Mosaica præcipiat, vt frater relictam fratris sine liberis demortui, sine dispensatione Summi Pontificis ducat, et ista lex naturalis sit, non peculiaris illius populi, propter hæreditatis perpetuationem; sed communis omnium hominum; quid opus erat vt *Henricus* octauus dispensationem *Iulij* expectaret, qui propria authoritate hoc ipsum coniuginm contrahere poterat, imo debuerat. Sed si inter Christianos non sit licitum, aut licitum non est iure diuino, contra quod nulla valet Pontificis dispensatio, aut illicitum est iure Ecclesiastico positiuo, & sic peccatum esset non in legem Dei immediatè, sed in Sanctionem Ecclesiasticam; quod etiam vide-

videtur asserere Franciscus de Victoria, cuius hæc est propositio. *Relect. de Matrimon. p. 2. sect. 2. Concluſ. vlt. Secluſo iure humano, ſiue quacunque Papæ diſpenſatione, frater poteſt accipere vxorem fratris, ſine cum liberis, ſiue ſine liberis defuncti, & valet matrimonium ſi fiat, etſi iure naturæ illicitum ſit: ſicut qui poſt votum continentiæ, accipit vxorem, peccat contra legem naturæ, nullus tamen hactenus defendit, quin tale matrimonium teneat.* Cui ſententiæ vix ſuffragabitur (vt puto) Bell.

Sed vtcunque ſe res habeat, vt coniugium *Henrici* cum *Catharina* fratris contra ius diuinum naturale fuerit, per *Iulij* diſpenſationem, vel potius diſſipationem vt Almayn. *De poteſt. Eccl. laica: q. 1. c. 12.* legitimum fieri non potuit: & proinde potuit & debuit *Henricus* talis matrimonij diuortium quærere, nec ſeipſum inceſtu contaminari, vel Regni hæreditatem illegitimæ proli relinquere. Si verò licitum ſit cum fratria coniugium, nec repugnet iuri diuino naturali, tunc iuſta videretur cauſa Pontificis, Henrici verò iniuſta: etſi fortè in illo perplexo conſcientiæ ſcrupulo, quo angebatur Henricus, abſtinendũ videtur á cenſuris grauioribus, quæ regis iram prouocarent: ſi illicitum, iuſtitia à partibus ſiat Regis, iniuſtitia in Pontifice deprehenditur.

Vt autem huius cauſæ veritas dilucidior fiat, operæpretium erit catholicam antiquorum expoſitionem adhibere, vt eorum iudicijs tota hæc cauſa terminetur. Circumferebatur epiſtola ſub nomine *Diodori*, in qua reſponſum eſt cuidam interroganti, an liceret vxoris demortuæ ſororem matrimonio ducere, reſpondet perſona illa laruata ſub nomine *Diodori*, licere. Hoc reprehendit *Epiſt.* 16. Baſilius Magnus, *ex more, qui legis vim obtinet, & lege Moſaica. Eſt autem hic mos talis. Si quis affectu immunditiæ correptus, ad illicitam duarum ſororum communicationem exorbitauerit, id neque coniugium conſendum, neque talem ad Eccleſiaſticum cœtum admittendum, priuſquam à ſe inuicem dirimentur.* Deinde probat ex Leuitico, *ita nec ſororem vxoris ob id quod nec ſuam ipſius ſororem ſibi coniungere ac vice verſa, neque vxori licet, vt viri ſeſe affinibus coniungat.* Ecce Baſilius manifeſtè affirmat, & lege diuina, & more Eccleſiæ ſub Euangelio, prohiberi nuptias duarum ſororum, & duorum fratrum, mortua priore vxore, vel marito & tale delictum hoc eſt, quod coniugium non ſit, & dirimi poſſit.

Et ſanctus Auguſtinus pertractans totam hanc legem de gradibus prohibitis in Leuitici 18, de hoc alijſque prohibitis matrimonijs & conceſſibus, ſic ſtatuit, *Quæſt. ſuper Leuiticum, Quæſt. 64. An forte ne in ſuperioribus quod dictum eſt figurate accipiendum putaretur, etiam hic poſitum eſt, vbi talia prohibita ſunt quæ etiam tempore noui Teſtamenti, remota vmbra, cum veterum obſeruantia ſine dubio cuſtodienda ſunt.* Scripſit itidem Auguſtinus librum, cui titulus eſt ſpeculum, eorum quæ etiam

nunc

nunc facienda ſunt, ſi facienda præcepta ſunt, nec facienda ſi prohibita: Vbi inter præcepta, quæ ad nouum Teſtamentum ſpectant, inter cætera, illa præcepta Leuitici 18. & hoc ipſum de vxore fratris, & ſorore vxoris non ducendis, præciſè enumerat, & legem illam Deuteronomij de vxore fratris ſine liberis defuncti omittit.

Gregorius M. in reſponſis ad Auguſtinum, Anglorum vt vocant Apoſtolum, de huiuſmodi coniugijs ſic ſtatuit: *Apud Bedam Hiſt. Eccleſ. l. 1. cap. 27. Cum cognata aque coniugia miſceri prohibitum eſt, quia per iunctionem priorem caro fratris fuerit facta, pro qua re etiam Ioannes Baptiſta capite truncatus eſt, & ſancto martyrio conſummatus. Quia verò multi ſunt in Anglorum gente, qui dum adhuc in infidelitate eſſent, huic nefando coniugio dicuntur admixti, ad fidem venientes admonendi ſunt, vt ſe abſtineant, & graue hoc peccatum agnoſcant, tremendum Dei iudicium metuant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant, &c.*

Gregorius etiam ſecundus, vt ex decreto patet: 27. *Queſt. 2. cap. ſi quis vxorem. Si quis vxorem deſponſauerit, vel eam ſubarrauerit, quanquam poſtmodum præueniente die mortis eius, nequierat eam ducere in vxorem, tamen nulli de conſanguinitate eius, licet eam accipere in coniugium: quod ſi inuentum fuerit factum, ſeparentur omninò.* Cui ſimile eſt caput proximum *Iuliani* Papæ, vt *Gratianus*, vel potius *Iulij*, vt Binnius. *Ibid, Cap. Si quis deſponſauerit vxorem. Si quis diſponſauerit vxorem, vel ſubarrauerit, & ſiue præueniente die mortis ſuæ, ſiue irruentibus alijs cauſis minimè eam cognouerit, neque eius ſuperſtes frater, neque vllus de conſanguinitate eius eandem ſibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore.*

Inter Canones etiam inuenitur. *Ibid. Cap. Si quis deſponſauerit ſibi. Si quis deſponſauerit ſibi aliquam, & præueniente mortis articulo, eam cognoſcere non potuit, frater eius nam non poteſt ducere in vxorem.*

Et cap. de inceſtis coniunctionibus. 35. Q. 2. & 3. Poſt Diſt. de Pœnitentia: *Inceſtuoſos declarat Concilium Agathenſe: Hos: ſi quis relictam fratris quæ prius ſoror extiterat, carnali coniunctione polluerit.* Et poſtea, *In concilio Hilerdenſi, dicitur deteſtandum & illicitum carnis contubernium; Et Gregorius talem coitum inceſtuoſum & abominabilem Deo & cunctis bonis hominibus appellat.* Et conſulat Lector reliqua capita earundem quæſtionum, in quibus prohibetur *Coniugium cognatarum & affinium vſque ad 7. & 6. generationem.*

Sed his concilijs vt adiungamus cætera.

1 Neocæſarienſe ſub Syluestro. c. 2: *Mulier ſi duobus fratribus nupſerit, abijciatur vſque ad mortem.*

2 Aurelianum ſub Clodoveo, c. 14. *Nec ſuperſtes frater thorum defuncti fratris aſcendat.*

3 Eli-

Arcadius & Honorius, vti interpretatur *Anianus*, hos tali pœnę ſubmittit, vt *de tali conſortio ſeparentur*, *L.* 3.

Honorius & Theodoſius, filios ex tali cõtubernio legitimos negãt. *L.* 4

His, teſtes ſingulares ſuperaddere poſſumus quos *Ioſephus Angles & Franciſcus Victoria* commemorant, vti dictum eſt C. ſuperiore qui videntur tenere *quod in omnibus gradibus prohibitis in Leuitico C.* 18. *Papa non poteſt diſpenſare. Et hoc reputat Syluester probabilius.*

Quicquid vero *Iulius* 2. aut *Clemens* 7. de hac re decreuerint in rem ſuam, & vt hinc *Henrico* 7. illinc *Carolo* 5. gratum facerent: notiſſimum eſt toti Chriſtianitati, plurimas eaſq; celeberrimas Europæ Academias, fratris cum fratriâ conjugium tanquam illicitum, & jure naturali repugnans prorſus reprobaſſe. Extant Cenſuræ vniverſitatis Aurelianenſis; facultatis decretorum Pariſienſis; facultatis juris Pontificij & legum Andegavenſis, facultatis Sacræ Theologiæ Pariſienſis, vniverſitatis Bituricenſis, facultatis Theologiæ Bononienſis, facultatis Theologiæ Patauienſis, & cenſura almæ vniuerſitatis Tholoſanæ, mitto celeberrimas Anglię Academias, Oxonienſem, & Cantabrigienſem, duo magna Regni illius lumina: à quibus omnibus, aſi vno eodemq; ſpiritu agerentur, horumq; omnium literatiſſimorum hominum cor vnum eſſet anima vna; vnanimiter concluſum eſt, jure diuino naturali prohibitum eſſe conjugium fratris cum relicta defuncti fratris; & proinde Pontificem qui ſuper jus diuinum naturale non eſt, in hac cauſa diſpenſare non poſſe. 3

Non tamen me latet plurimos è Theologis & Iurecõſultis Pontificijs in illam ſententiam pedibus ire, vt dicant licitum eſſe in Euangelio, vt frater vxorẽ fratris defuncti per Pontificis diſpenſationem ducere poſſit, quorum inter reliquas præcipua ratio; à facto Pontificis petitur: Pontifex qui in jure naturali diſpenſare non poteſt, in hoc caſu diſpenſauit: non eſt ergo contra ius naturale. Quod etiam vrget *Hieronymus* ab *Oleaſtro in Lenit.* 18. Et tamen in proximis verbis dicit, quod multiplex eſt jus naturale, ſcilicet primarium & ſecundarium; & iſta reijcit ad ſecũdarium. Eandem rationem vrget *Couarruuias*; *De Matrim. Tom.* 1. *P.* 2 *C.* 6. § 10. cuius etiam alias rationes perpendamus.

1 *Non eſt illicitum iure naturali, duas ſorores ſimul vxores accipere, quia Iacob duas ſorores ſimul duxit, ſed prouidentia & diſpenſatione deceptus.* Si ratio iſta quicquam probat, videat Lector quid inde ſequatur; quod Polygamia non ſit contra jus naturæ, quia fecit *Iacob*. 4

2 *Si relictam fratris in vxorem accipere lege naturali non licet, nec liceret, fratre ſine prole defuncto, cum ea matrimonium inire; quod lege Moſaica iubetur.* Acſi diceret, Deus non poteſt diſpenſare cum lege naturali & ſua, juxta legem tamen Moſaicam, diſpenſante Domino non Pontifice, in lege Matrimonij licuit per libellum repudij diuortium cum vxore exoſa facere & aliam ducere. Et juxta Euangelium, diſpen-

1. *Accedere ad propriam carnem est iure naturali prohibitum.*

Sed accedere ad omnes consanguineas hic nominatas, est accedere ad propriam carnem; vt in textu patet.

Ergo, *Accedere ad istas consanguineas est iure naturali prohibitum.*

2. *Committere irreuerentiam erga superiorem, vel illum cui naturaliter reuerentiam debeo, est impingere in ius naturale.*

Sed coire cum personis hic prohibitis, consanguineis, est committere irreuerentiam in superiorem, vel in illum, cui reuerentiam debeo, ex naturali iure, quoniam est reuelare nuditatem eius; sicut reuelare pudenda matris, nouercæ, sororis, &c.

Ergo, *Cum his coire est impingere in ius naturale.*

3. *Gentes non debebant puniri pro eo quod non est contra ius naturale; quia non tenebantur ad positiuam legem diuinam, quam non nouerant.*

Sed Dominus dicit, Gentes illas (Ægyptios scilicet & Chananæos) fecisse istas abominationes omnes antè aduentum Iudæorum, terramq; polluisse se & euomituram eos.

Sequitur, Ergo, *omnia hæc naturali legi aduersari.*

Vnde addit idem in annotationibus moralibus: *Similiter* (inquit) *expende qualiter hi, qui naturæ iniurij sunt, eius pellantur sedibus, quorum loco iustis traduntur.*

Sed verba textus magis perspicua sunt, quam vt aliquod effugium admittant. *Ego Dominus Deus vester, iuxta consuetudinem terræ Ægypti, in qua habitastis non facietis*: Et inter Aegyptios vulgare erat coniugium fratrum & sororum, ad exemplar Deorum suorum, *Isidis* et *Osyridis*: *Et iuxta mores regionis Chanaan, ad quam ego introducturus sum vos, non agetis, nec in legitimis eorum ambulabitis; facietis iudicia mea, & præcepta mea seruabitis.* Ecce, non solum prohibentur legitima, id est, sacrificia Idololatrica, sed etiam mores, adulteria scilicet, et fornicationes, quę nomine turpitudinis in textu describuntur. Post prohibitiones vero ista addit. *Nec polluamini in omnibus his, quibus contaminata sunt vniuersæ gentes, quas ego eijciam ante conspectum.* In omnibus his: non solũ ergo de Idololatria, aut de coitu bestiali, aut masculino, sed de omnib' etiã turpitudinibus prohibitis loquitur, *quibus* (inquit) *polluta est terra: cuius scelera ego visitabo*: si pollutiones sunt, si scelera sunt in gentibus, peccata sunt contra legem naturalem, quam solum gentes nouerant & acceperãt, propter quæ euomuit eos terra. Et addit Dominus, *Non facietis ex omnibus abominationibus istis.* Abominationes ergo sunt omnes; *Et omnis anima quæ fecerit de abominationibus his quippiam, peribit de medio populi sui.* Quæ fecerit quippiam: minimus ergo gradus prohibitus, abominatio est, cuius pœna eradicatio est de medio populi.

Magna vis est veritatis & prævalet: ideo & *Franciscus Victoria* & Cardinalis *Bell. De Matr. Sacr. l. 1. c. 27.* agnoscunt hos gradus prohibi-

tos eſſe de iure naturali, ſed nouo commento tres gradus eorum quæ iure naturali prohibentur effingunt: in quorum tertio Pontificis diſpenſationem admittunt. *Primus eſt, cum præceptum ſit de re intrinſecè, mala, ita vt ſemper & apud omnes ſit mala, nec poſſet per circumſtantiarum mutationem fieri bona, vt mentiri, odiſſe Deum, mechari. Secundus cum ſit de re mala ſemper, & apud omnes, excepta extrema neceſſitate; quale eſt tollere alienum uxorem Domino, et ſororem uxorem ducere, cum non ſit alia mulier in mundo quam ducat.* Sed de his dicit, ſe non diſputare. *Tertius, cum ſit de re mala, ſi res illa nude & abſolute ſumatur, quæ tamen poſſit mutatis circumſtantijs, variis modis honeſtari ac fieri bona.* Quid audio? Res mala mutatis circumſtantijs fieri poteſt bona? Quod res Adiaphora fieri poſſit ex circumſtantijs fieri bona vel mala ſæpius audiui, quod vero res mala, mutatis circumſtantijs fieri poſſit bona, nunc primum audio. Omnis res aut ſimpliciter bona eſt & nulla ratione fieri poteſt mala, aut ſimpliciter mala eſt, & nulla ratione fieri poteſt bona, aut Adiaphora, quę & bona & mala ex circumſtantijs fieri poteſt. Si itaq; ducere relictam fratris (vt in cauſa noſtra inſtemus) res mala ſit, nulla ratione bona fieri poteſt.

» *At* (inquit *Bell.*) *Homicidium & iuramentum res malæ ſunt, quæ ex eir-*
» *cumſtantijs bona fieri poſſunt.* Quod ad iuramentum attinet, res in natura bona eſt, & à Deo inſtituta & vſurpata: abuſus malus eſt, non vſus, non iuramentum ipſum. Et homicidium, quod ſub præcepto illo cadit *Non occides*, ſemper res mala eſt, nec vllis circumſtantijs adhibitis bona fieri poteſt: nec præcepto illo prohibetur occiſio hominis per publicam authoritatem, vel potius per authoritatem Dei propter bonum publicum: ſemper enim illicitum eſt homini, quâ homo eſt, homicidium; at homini, quâ Dei locum & vices in terris gerit, & licitum eſt, & iuſtis de cauſis præceptum. Exempla erga iſta cum re inſtituta non cohærent; & concidit in terram tertius iſte gradus legis naturalis, gradus iſti prohibiti ſi mali ſunt antè legem poſitiuam latam, nulla ratione boni fieri poſſunt. Et vrgente neceſſitate, in his diſpenſare poteſt Dominus, non ſeruus: vt in Patriarchis factum videmus. Sed malos agnoſcit *Bellarm.* & mali ſunt non tantum quia vetiti, ſed etiam antequam vetiti, quia abominationes & execrationes, et pollutiones et turpitudines dicuntur antequam prohibentur, et ideo prohibentur quia turpitudo patris aut fratris tui ſunt.

Non ergo turpitudines ſunt quia prohibentur, ſed ideo prohibentur, quia turpitudines ſunt: & proinde ſimpliciter & in natura, mali & contra legem naturæ ſunt: Similia habet *Catharinus* in Annotationibus contra *Caietanum*, de copulis inter coniunctos, vbi v. de plura.

Quod ſi mali ſunt hi gradus non in natura ſua, ſed ſolum propter authoritatem Dei prohibentis, vt malum fuit comedere de arbore ſcientię in paradiſo, & de carne ſuilla, eo ſolũ nomine quod Deus vetuit; quæ poteſt à quoquã Theologo aſſignari ratio ſufficiens, cur iſtos gradus Deus

gentibus permiserit, non Iudæis: & tamen abhominationes, & execrationes sunt inter gentes, sunt inter Iudæos; et eorundem violationem in vtrisque C. 20. Leuit. castigauerit Dominus: Nec dicas maior est pœna nonnullorum graduum violatorum, quam aliorum: aliqui ergo gradus prohibentur jure naturali, alij jure positiuo: regula enim ista sæpe fallit, minus enim delictum quandoque majore pœna vindicatur; & in lege perditionis violatio Regni & parentum pœnam habet annexam; violatio Sabbati sine pœna promulgatur. Quare vero hi gradus Iudæis prohibiti sunt non Christianis, quos tamen Iudæis puriores esse voluit Deus, nulla rationis ne vmbra quidem assignari potest.

Si igitur non prohibiti sint de jure naturali in Euangelio, sed tantum jure positiuo Ecclesiastico, non video quomodo conjugia in his gradibus contracta, dirimi possunt postquam fiunt, etsi contrahi non debeant: coniugium enim illud quod iuxta legem Dei, non contra, à Deo fit: tales conjungit Deus, etsi contra legem Ecclesiæ peccent, & proinde tanquam prævaricatores legis Ecclesiasticæ castigandi sint; quos enim conjunxit Deus, homo non separet; sicut si Monachus aut Sacerdos *contrahat matrimonium, peccat, sed tamen valet matrimonium*, vt docet Victoria: eodem modo & pater, & neptis, & cæteri si coniugium eorum non sit contra jus naturale, ab homine separari non possunt, vt Leuit & fratria in quæstione nostra, si matrimonium contrahant sine dispensatione Pontificis. Atque hæc in thesi, an frater relictam fratris ducere possit, dicta sint.

Sequitur hypothesis: An *Henricus octauus Catharinam* fratriam, per dispensationem *Iulij secundi* rectè duxerit. Quod si nuptiæ fratris cum fratria jure naturali prohibitæ sint, vt multis doculmus, male factum est ab *Henrico* quod duxerit, peius à *Iulio secundo* quod dispensauerit, pessime à *Clemente septimo* quod confirmauerit, & à *Paulo tertio* quod *Hẽricum* excommunicauerit & Regno priuauerit, quia in incestu permanere noluerit. Iustè igitur à Pontificis obedientia discessit *Henricus*, cui subesse, nisi adulter non poterat; justè omnem Pontificis potestatem abdicauit, quâ ad incestum perpetrandum seductus erat. Hinc ortæ sunt funestæ illæ tragœdiæ, & calamitates, quibus Ecclesia & Romana & Anglicana afflictabatur. Sic Pontificum temeritate & insciția factum est, vt Anglia à Pontificijs secessionem fecerit, & Rex potestatem illam antiquam, quam *Dauid*, & *Salomon*, & *Iehosaphat*, & *Iosias*, tempore legis; & *Constantinus*, & *Theodosius*, alijq; pij Imperatores sub Evangelio obtinuerunt, in causis & personis Ecclesiasticis, jure quasi postliminij revocauit. Odiosum forte nomen *Capitis Ecclesiæ*, at res ipsa, suprema scilicet authoritas in exteriore regimine Ecclesiæ per censuras ciuiles, & jure diuino naturali & Euangelico per omnia consona; vti omnis antiquitas facto comprobauit, Cui Episcopi & Clerus Anglicanus in Syno-

do congregati ſubſcripſerunt: quorum extant ſubſcriptiones proprijs manibus exaratæ, pro cuius defenſione multi multa ſcripſerunt; lex vero illa à ſolis Catholicis lata eſt: in illo Parliamento nemo Lutheranus, nullus è Proteſtantibus admiſſus; vix vllo Epiſcopo vel Abbate, quorum maximè intererat reclamante; Sic Eccleſia Anglicana quæ proculdubio *periſſet niſi periiſſet*, veritatem quam ſuperſtitionibus ſuis Romanenſes obnubilarant, invenit, nec tam ab vnitate Eccleſiæ & fidei quam à corruptelis Pontificiorum diſceſſit. Sola Eccleſia Romana temeritatis ſuæ pœnas dedit, quę tam amplum proventum, quam quotannis ab Eccleſia Anglica olim Aſira Pontificis percepit, merito amiſit, quia fimbriam phylacterij poteſtatis Pontificię eouſque dilatare voluit, vt contra jus diuinum naturale diſpenſare Pontifex auſus ſit; coactus ergo importunitate, & cenſuris Pontificis, *Henricus octauus* à Romanenſibus receſſit. Quod & *Onuphrius* In vita *Clementis ſeptimi*, licet in Regem iniquior probare videtur. *Henricum octauum Angliæ Regem, Catharinam vxorem quæ Imperatoris amita erat, repudiare totis viribus, vigeſimo matrimonij celebrati anno conantem, quo Anna Bolena amaſia nuptijs potiretur, cum id divortium improbáſſet terribilesq; minas & anathema intentaſſet, eo impulit* (Clemens ſeptimus) *vt patria religione deſertâ, noua & nefaria Lutheri dogmata, quæ author ſcripto improbauerat, ſequeretur*; impulſus ergo Pontificem deſeruit *Henricus*. Quinetiam *Paulus Iouius* hiſtoriarum Lib. 3. cum rejeciſſet culpam, & repudij cum *Catharinâ*, et nuptiarum cum *Anna*, in adulantem Thomam Cardinalem Eboracenſem: poſtea addit, de Papæ minaci excommunicatione, *Ea inanis intempeſtiuaq; veritatis comminatio inexpiabili malo ſummoq; detrimento Reipub. ceſſit, quando, Rex ille non multò poſt, ab authoritate Romani Pontificis ſuaq; priſtina pietate diſceſſerit*. Quin & Thuanus, Hiſtor. L. 1. ad Annum 1541. *Certè in reliquâ vitâ ita ſe geſſit Rex ille, vt eum, ſi æquiores & prudentiores Pontifices nactus fuiſſet, ſponte ſe ſubiecturum eorum poteſtati fuiſſe appareret*. Quid multis opus? Diſpenſatio illa injuſta, quam à *Iulio ſecundo* extorſit parſimonia *Henrici ſeptimi*, ne magnam pecuniæ ſummam cum *Catharina* reſtitueret, aut dotem annuam ingentem perſolueret; conceſſit verò dominandi libido in Pontifice. Sententia illa impia, quâ contra legem naturę, contraq; priorem ſententiam ſuam, confirmabantur nuptię leuiri cum fratria; anathema illud ſtultum, quo feriebatur *Henricus*, nolens in inceſtu cum *Catharinâ* permanere, iuſtam *Henrico* dederunt occaſionem deſerendi Pontificem & poteſtatem vere Regiam reſtituendi. Rectè ergo dixit Barclaius; *In cauſa fuerunt Pontifices religionis in Anglia perdendæ*.

Quod ad *Pium* 5. & *Elizabetham* Reginam pijſſimam attinet; odium illud inveteratum quo omnes Pontifices eandem ab vtero vſq; ad ſepulchrum

chrum prosecuti sunt, cui nec mortuę pepercerunt, vel Regem Christianissimum vel Catholicissimum coegisset, vt sibi et securitati suæ contrà proditiones, fraudes, æquiuocationes excommunicationes, depositiones Pontificias caueret, & saluti suę consuleret; fortè etiam & referiret, saltem, (quod illa solum fecit) gladio iustitiæ, rebelles & perduelles resecaret; in adulterationes & superstitiones Pōtificias inquireret, tantūq; ab ijs discederet quantum illi à veritate & simplicitate Euangelicâ discessissent.

Quod ad sceleratissimi illius ac nefarij Perduellis *Sanderi* putidissima *de Elizabethe* matre mendacia, & calumnias impudentissimas à *Bell*, citatas attinet, non est quod quis responsionē dignetur: hæc enim narrasse cōfutasse est, & Pontificios mendaciorum concinnatores pessimos designāsse. 6

Vt tamen veritatis studiosis satisfiat, pauca dicenda sunt. At *Anna Bolena* filia fuit, & soror ex affinitate, *Henrici* Regis. Quidni etiam & filia naturalis à Rege genita: ex eadem enim officina vtrumque mendacium. *Nicolaus Sanderus*, Propheta ille, de quo Propheta: Isai. 9. 14. 15. *Cauda est Propheta ille, docens mendacium*: Et Sanderus cauda est testium tuorum, vti caput *Gregorius septimus; & disperget Dominus ab Israel caput & caudam, incuruantem & refrenantem die vna.* Tali capite, tali caudâ dignissima est causa hæc depositionis Regum. In hac officina mendaciorum, *De Schismate*, multa didicit *Bellarminus* quibus vel contra *Mosen*, vel contra veritatem ipsam, Dominū nostrum *Iesum Christum*, vel contra Apostolos *Petrum* & *Paulum*, vel contra omnia archiua & recorda (vt vocant) Regni, crederet *Bellarminus*, quia in rem suam faciunt. Miseros Catholicos qui omnia mendacia pro veris accipiunt, modo in rem suam sint: Miseros Catholicos quos cęcos ducunt cæci mendacissimi. Ergo vero *Nicolaum Sanderum* primogenitū patris mendaciorum agnosco, & vel eo nomine falsa omnia æstimo, quia *Nicolaus Sanderus* Author est, qui *cum de suo loquitur mendacium loquitur*

Sed ad rem; *Anna Bolena* filia & soror *Henrici* ex affinitate, cognovit enim matrem, cognouit sororem, ex hac cognitione contracta affinitas, At quomodo cognovit hoc *Sanderus*? An leno fuit, an Ostiarius? Nunquam hæc assereret *Sanderus*, si frontem haberet, nisi aut ipse leno, aut à lenone aliquo cō scio edoctus; & si cordatus esset, lenoni nūquā fidē adhiberet. At ex cōfessione Regis cognouit. Sta. Imo vero aut *Sanderus* ipse, aut alius aliquis Pontificius, hanc confessionem confinxit, aut potuit Taxa pœnitentiaria hoc impedimentum facile remouere. Nec affinitas ista ex adulterio contracta impedire potest matrimonium contrahendum, nec contractum dirimere; alias non potuit *Dauid*

ſine Pontificis diſpenſatione cum *Berſheba* contrahere. Figmenta hæc ſunt Curiæ Romanæ, quæ nec vetus nec nouum Teſtamentum ſapiunt: Canoniſtis iſta relinquamus, Theologos parum decent. Quia vero de Annæ Bolenæ natalitijs mentio facta eſt, oſtendamus mendacium iſtud *Sanderianum* fide *Sandericâ* & atenoſa prolatum, mendaciſſimum eſſe.

Emiſſus eſt *Thomas Bolenus* Legatus in Galliam, à Rege *Henrico octauo* vt ipſe vxorem ipſius liberius potiretur: eo abſente, genita & in lucem edita eſt *Anna*. Mendacium hoc tenebris ipſis magis tenebricoſum eſt. Quando emiſſus eſt *Thomas Bolenus*? Anno decimo *Henrici*, vna cum alijs nobilibus; vt cum Rege Franciæ de nuptijs *Mariæ*, poſtea Reginæ, cum filio & hærede Regis Franciæ tractaret. Anno Regni *Henrici* vigeſimo egit Rex de divortio *Catharinæ*, tunc *Annam* deperire nouennalem incœpit: Anno vigeſimo quarto *Annam* tredecennalem nobiliauit, & vxorem accepit; prius cognitam ab eo qui à poculis, quique à Sacellis erat, nec non à Rege Franciæ, tanquam mula Regia cognoſceretur, nec tamen annum ætatis decimum tertium attigerat; id vero non ſolum pro falſo habendum, verum etiam tanquam monſtrum aut portentoſum aliquid reijciendum, & explodendum eſt. Tale commentum *Sanderum* Authorem, *Bellarminum* aſtipulatorem decet. Sic ſemper mentiantur Catholici. Aut enim Archiuis omnibus, regiſtris, recordis, Chroniciſque illius ætatis fides penitus detrahenda eſt, aut *Sanderus* et eius ſequaces mendacium omnium mẽdaciſſimi craſſiſſimique reputandi ſunt: cum omnibus Anglis exploratum ſit *Annam* annos natam viginti quatuor vel quinq; *Henrico* nupſiſſe; & proinde ante *Henrici* inaugurationem prognatam fuiſſe.

Quam vero friuola ſint quę de natalitijs *Elizabetha* obijciuntur, doceat Nuntius *Pij quinti* apud Sanderum: *Et nè propter odium Pontificis ſe Regnumquè nobiliſſimum perderet, ſuaderet: Acſi quidem eſſet de quo ſibi propter incerta natalia ab Eccleſia vel Pontifice quoadius regnandi metuere, Sedis Apoſtolicæ benignitate facilè tranſigi poſſe diceret.* Hæc Sanderus *De Schiſ. Anglicano Pag* 175. Nihil ergo magnum in natalitijs *Elizabetha* quod tam facile tranſigi poterat.

Supereſt vnicum argumentũ in hoc capite de pœnis Regum, qui cum ſupra omnes leges humanas & ſupra omne ius poſitiuum ſint, Deo ſoli adminiſtrationis ſuæ rationem reddituri ſunt, nulliſquè ad pœnam legibus uocantur, tuti Imperij poteſtate. Princeps enim legibus ſolutus eſt ſaltem quoad pœnam.

„ *Hic*, (inquit Bell.) *Barclaius ſecum pugnat*. Imo vero *Bell*, pugnat „ cum *Ambroſio*, *Auguſtino*, *Hieronymo*, alijſquè multis Patribus, quorum verba hic recitat *Barc*. Quod vero ad rem ipſam attinet, in omni lege

vis

vis eſt coactiua & vis directiua: quoad coactiuam Principes legibus ſuis non ſubijciuntur, vt ex *Thomâ* ſatis conſtat; ſed quoad vim directiuam, ſuis legibus, qua rationes ſunt ſubijciuntur, & peccant ſi prævaricentur. Subijciuntur etiam Principes legibus & cenſuris Eccleſię, vt ſupra *Barel.* Hoc verò eſt quod hoc in loco docet *Barclaius*, nec Regem, ſiuè Imperatorem gladium ſpiritualem tractare debere; ſicut nec Pontificem poſſe gladium temporalem exercere, vel cenſuris ciuilibus ſiue depoſitione, ſed tantum cenſuris ſpiritualibus poſſe coercere. Conſtans ergo eſt *Barclaius*, qui neutri in alterum Imperium eſſe ſæpius docuit, id eſt nec Pontificem ciuile Imperium in Reges, nec Regem ſpirituale in Pontificem habere, aſſerit: quamuis poſſit Pontifex Regem anathematis mucrone ferire, & Rex Pontificem gladio temporali, exilio, carcere, inedia, bello & armis in ordinem cogere, & bonis temporalibus priuare, ſicut Pontifex Regem bonis ſpiritualibus, ſiue regenerationis & Eccleſię priuet.

CAP. XXXIII.

Confutatio 2. partis Rationis 5. principalis. Paſtor poteſt arietes furioſos, ouile deſtruentes .i. Principes Catholicos, ſed malos, recludere, ſiue includere, & in ordinem cogere: ſed non poteſt eoſdem deponere.

1. *Recludit, id eſt includit, & ſeparat, contraria ſunt hæc: & vbi recludit intra vel extra Eccleſiam?* 2. *Separat ab ouili gratiæ, non naturæ cuius Rex paſtor eſt quia nec priuatum ſeparat ab ouili Reipublicæ.* 3. *Canones Eccleſiæ non poſſunt Dominia Regum tollere.* 4. *Sententia Iudicum excommunicatorum nulla: de iure diuino, ſed ex gratia Principum.* 5. *Nec temporalia ſpiritualibus, nec poteſtas temporalis ſpiritualis ſubordinatur.*

SEcunda pars rationis quintæ Bell. hæc eſt.

Poteſt Paſtor, arietes furioſos deſtruentes ouile, ſeparare & recludere. At Princeps eſt aries furioſus, deſtruês ouile, quando eſt Catholicus fidei ſed adeo malus, vt multum obſit religioni & Eccleſiæ: vt ſi Epiſcopatus vendat, Eccleſias diripiat: Ergo *Poteſt Paſtor Eccleſiæ eum recludere, vel in ordinem ouium redigere.*

Omiſſa

Omissa Grãmatica illa disquisitione de significatione illius vocis, recludere (non enim λογομαχίαν instituimus, et *Bellarmino*, in hoc gratificabimus, vt sit verborum suorum interpres, & verba ipsius ad placitum ipsius significationes suas obtinebunt; recludere per me sit includere, non aperire) Quæro ego vbi recludat vel includat Papa arietes furiosos, id est Principes malos? An incarcerabit? An aliquis carcer Regum Romæ haberur? Sed an in Ecclesia vel extra Ecclesiam? Si recludit in Ecclesia, non separat; separare enim est ab ouili excludere: malè ergo duo ista in hoc sensu cõiũgũtur, separat et recludit, id est; excludit et includit: sic sẽsus verbi *Bell.* pugnat cum omni sensu & sententia veritatis & rationis.

Deinde in conclusione sic habet. Potest pastor Ecclesiæ eum recludere in ordinem ouium redigere. Annon aries ouis est? Ouis ergo in ordinem odium redigitur. Nam cum dicitur *Petro*, *pascẽ oues*, *pasce agnos*, in quo numero arietes? Si oues, quomodo in ordinem ouium rediguntur? Si agni, quomodo arietes sunt?

Præterea; Si recludit extra Ecclesiam, fortè carceres infidelium et hæreticorum sunt in potestate pastoris Romani: et potest ille et intra et extra Ecclesiam æquè recludere: quod ne dicet quidem *Bell.*

Sed licet separet ab ouili & caula gratiæ; an itidem ob ouili & caula naturę? Rex enim pastor est Resp. ouile est, ciues oues sunt: nec quęritur quid possit pastor spiritualis in ouem spiritualem, sed quid in pastorem ciuilem siue naturalem possit. An quia ouem, ideo & Pastorem recludere potest? (quod in quęstione põsitum est) Hoc est principium ipsum mendicare. Si enim hic sit sensus maioris propositionis prorsus falsa est propositio, nec vnquam ab hac similitudine potest Pontificius quisquis eandem probare. Non enim valet ratio.

Potest Pastor spiritualis, arietem furiosum, id est Principem Catholicum, sed malum, separare ab ovili suo, id est, spiritualis, & in ordinem non ouium, quia separatus est, sed in hędorum, id est publicanorum et Ethnicorum redigere. Ergo Potest Pastor spiritualis pastorem ciuilem exauthorare, & ab officio pastoratus ciuilis remouere.

Hoc ipsum confirmat *Barclaius* argumento à minore ad maius negatiuè ducto. Pontifex non potest ouem vel agnum, id est priuatum Christianum exhæredare aut incarcerare, aut bonis et fortunis temporalibus spoliare; non potest hæreticum morte multare, non potest, ut ipsius *Bellarmini* terminis vtar, ouem furiosum includere. Ergo non potest arietem furiosum id est Principem Catholicum malum includere, id est ab officio et dignitate Regia remouere. Licet ergo ab ouili Ecclesiæ per excommunicationem separare possit Regem Catholicum sed malum, & bonis spiritualibus priuare, non tamen potest ab ouili Reip. separare vel priuare temporalibus. Quando enim Pontifex priuatos aut bonis aut vita priuare cogitat Principem adit, qui rogatus corporalibus & ciuilibus

bus

bus pœnis eundem cogat. At Princeps supremus nõ habet superiorem, quem adeat Pastor, vt eius ope eundem in ordinem cogat: Deo itaq; in cuius solius manu sunt corda Regum; relinquendus est.

At inquit Bell. *Pastor arietem furiosum non solum excludit a grege, sed alligat & recludit in aliquo angulo, vt non possit amplius dux esse gregis: sic Principem Catholicum sed malum in angulo recludit, dum non finit vt amplius regat populos Christianos.*

Non sunt eodem modo tractandæ animæ, quo oues; vt multis docet Nazianzenus In Apologet. de fuga. Nec tamen Pastor naturalis de ariete non arietem facit, nec spiritualis de Rege non Regem. Regnum enim fundatur in natura, non in gratia: quando ergo tollit totum quod est gratiæ ne sit aries, aut ouis, aut Christianus in ouili, non tollit quod est naturæ, nè sit Rex siue Princeps, siue homo extra ouile. Fallit similitudo ista in principali parte comparationis: quod enim aries sit, hoc accipit Rex à Christianismo, quod Rex, à naturâ; dum ergo Pastor alligat et recludit arietem, iura regalia siue Regni non attingit, quia Regnum non fundatur in gratia; et quod aries sit siue ouis, gratia est, natura non est: in alienam messem falcem suam immittit Pastor spiritualis, si quando pascua et curationem corporum et bonorum externorum ad se trahit. Nec igitur omnia potest Pastor spiritualis quæ naturalis: Et sicut ille de ariete non arietem facere non potest: sic iste de Rege non Regem facere non potest; quamuis possit ab Ecclesia excludere. Noue igitur à *Bell.* excogitandæ sunt similitudines, non succedunt istæ.

Sed instat Bel. *Sacri Canones inter effectus excõmunicationis ponunt non solum priuationem Sacramentorum & suffragiorum, sed etiam commercij ciuilis ac præcipuè forensis: Sic vt excommunicatus pro tribunali sedere & iudicare non possit; subditi vero in iudicio comparere coram excommunicato non debeant, vt habet sententia communis: Infert enim priuationem vel suspensionem iurisdictionis, & absolutionem subditorum à fidelitate.* 3

Si decreta, vel facta vel interpretationes vel expositiones, vel allegationes Pontificum, quicquam in causa sua valerent, concluſum esset in hâc causa; actum esset de coronis Regum: verum quia in causa sua, nemo vel testis, vel Iudex idoneus censetur, in hac causa nec verba, nec facta, nec decreta, nec iura canonica curamus; vtpote quæ suspecta sint omnia, nec quicquam ponderis habeant.

Optime vero nouit *Bellar.* sententiam à non Iudice latam nullam esse, neminẽq; obligare, et Pontifex in causa sua non Iudex est. In lege etiam qualibet iusta omnes causæ cõcurrere debent; et materia debita res bona vel mala, vel Adiaphora: et forma debita omnibusquè æqualiser efficiens debitum, Legislator scilicet sufficienti potestate præditus, (qualem Pontifex nullam habet in temporalia) et finis debitus, bonum scilicet publicum, non priuatum: quas causas hi Canones non habue-

Canoni, a irrationabilis est et vana, et eo ipso nulla, quia contra jus diuinum lata quę subditos Regi obligat, durante vita eius et beneplacito Domini ipsius non serui principalis cujuscunquè: Cum ergo pœnæ istæ positiuę sint, et iuris tantum humani & Ecclesiastici, nihil possunt contra ius diuinum, quo iubentur subditi Regibus & Iudicibus suis, etiam Ethnicis & infidelibus obedire.

Hic etiam in memoriam reuocet Lector, quæ supra diximus C. 30. ex Iohanne Friburgo, *quod in casu necessitatis licet iustitiam ab excommunicato Iudice vel Magistratu petere, & debet talis Iudex, etsi excommunicatus iustitiam omnibus petentibus ministrare. Casus enim est necessitatis:* Aut ergo delenda est ex versu illo vox illa, *Necesse*, aut Iudex, siue Princeps excommunicatus ius Dominij & judicaturæ non amittit.

Vrget deinde Bell. S. *Thomam* 2.2.q.12. *Art.* 2. (Caput enim. Nos Sanctorum, et Can. Iuratos, non moramur; quæ sunt *Hildebrandi*) *qui in casu hæresis Dominio priuari docet.*

Huic loco abundè responsum est Libro 1. Cap. 2. vbi de sententia *Thomæ* dictum est: & etiam cap. 2. *Thomas* ius Ecclesiasticum contra ius diuinum vrget: et de Infidelitate et Apostasia loquitur non de hæresi.

Pergit porro Barclaius, *Bona temporalia iure ciuili, & humana potestate possidentur: ergo per excommunicationem siue sententiam Iudicis spiritualis auferri non possunt, sicut bona spiritualia per sententiam Iudicis temporalis tolli nequeunt.* 5

Antecedentem agnoscit *Bell.* Conclusionem improbat, maiorem ergo proposit onem subiungam vt Syllogismus integer sit.

Eodem jure bona temporalia auferuntur, quo conferuntur. At conferuntur, et possidentur iure ciuili et potestate humanâ. Ergo Iure ciuili, et humana potestate auferuntur.

Vt huic rationi respondeat Bell. duo subiungit, 1. *Bona temporalia bonis spiritualibus subordinantur*; quod quidem dubium est, imo plane falsum. Subordinatio enim ipsa est ratione finium: at bona temporalia non referuntur ad bona spiritualia tanquam ad finem suum, sed ad æterna; Et proinde non spiritualibus, sed æternis subordinantur, vt superius C. 14. fusè diximus, & vtraque et spiritualia et temporalia homini inseruiunt, vt ad æterna perducatur. 2. est. *Potestas temporalis subijcitur spirituali.* Quod falsissimum est, et sine omni ratione dicitur: etsi enim Princeps siue Rex quatenus ouis est, & fidem Christi profitetur, Pastori spirituali in spiritualibus subijci dicatur, at potestas ipsa, siue ipse principatus ciuilis nulla ratione subijci potest: nisi fortè somniat Cardinalis potestatem ipsam ciuilem ouem itidem esse, & proinde à pastore spirituali regendam & pascendam.

Im-

quod de lege Christi dicitur. 7. *Respondetur tribus instantijs siue exemplis Bell.* 8. *Pontifex eo ipso exemptus non est quia Vicarius Christi.* 9. *Respondetur Concilio Carthaginensi* 3 *& Mileuitano.* 10. *Respondetur Concilio Chalcedonensi.* 11. *De Nouella* 83. *Clerici apud proprios Episcopos primum conueniantur &c.* 12. *Respondetur Concilio Agathensi.* 13 *Respondetur Concilio Matisconensi* 1. *& Toletano* 3. 14. *Respondetur Concilio Lateranensi sub Innocent.* 3. *Constantiensi, Lateranensi sub Leone* 10. *& Tridentino.*

CApite 15. & 16. controuertitur inter *Barc.* et *Bell.* de Iure exemptionis Clericorum: an scilicet Iure diuino similitudinario, an vero humano, id est gratia & indulgentia Principum, à potestate seculari et Iudicio Magistratuum ciuilium eximantur. In hoc vero capite de potestate eximente quæritur, an scilicet; a Concilijs vel Pontifice summo eximantur, vel eximi possint? 1

Qua in re illud primo loco obseruandum est, quod sicut Concilia nō possunt nouos articulos fidei condere, sed solum declarare, et noua, aut ampliore explicatione illustrare, Sic etiam exemptionem Clericorum declarare possunt, eximere, et à subjectione Principum secularium liberare non possunt: Sicut enim fidei præcones et interpretes sunt, authores non sunt; sic etiam exemptionis dispensatores et nuntij et doctores esse possunt, Domini, aut donatores esse non possunt.

Secundo decreta et Canones Conciliorum contra ius diuinum naturale irrita sunt, et ipso facto nulla. Ecclesia enim vniuersalis contra legem Dei et naturæ nihil potest.

Tertio, Decreta Conciliorum in temporalibus etiam contra leges Imperiales et Regias nihil valent, quia ad Reges et Imperatores spectat administratio temporalium, et legum ferendarum potestas, non ad Pontifices. Vnde *Lupoldus de Babenberg. De Iure Regni & Imp. Cap.* 10. *Nulla constitutio Iuris Canonici potest Regno, & Imperio, circa administrationem temporalium eiusdem Regni & Imperij præiudicare, cum Rex vel Imperator non subsit Papæ quoad ea; secundum opinionem Hugonis & Iohannis & etiam Hostiensis.* Cum ergo Clericos exemptos esse per Concilia dicant Pontificij, hoc solum dicunt Concilia aut huius exemptionis mentionem fecisse solum vt Constantiense et Tridentinum, aut pœnas quasdā cōtra huiꝰ exēptionis violatores institu sse Nec enim extat vllū de exēptione decretū, quo eximuntur: nec Clerici exēpti declarātur de Iure diuino nato al. Nec in rebus tēporalibus leges Principibus dare, nec quod sciā quisquam è schola hāc exemptionē Concilijs ascribit; sed

et illi, et

exempla illa ex veteri & nouo Testamento, ex quibus per similitudinem colligitur huiusmodi exemptio, proculdubio produxissent, sicut in declaratione articulorum fidei facere solebant Patres illorum temporum.

Non declarant ergo ius diuinum, sed Imperatorium in quo ista exemptio fundatur. Quod et Leo Pontifex agnoscere videtur his verbis. *Tanta seculi potestates circa sacerdotalem ordinem reverentia prænaluere, etiam bi quos sub Imperiali nomine terrus diuina potentia præesse præcepit, vt ius distringendorum negotiorum Episcopis sanctis, iuxta Diualia constituta permiserint. Quod cum & iuris antiqui formulis, & illatis frequentius sit, & legibus confirmatum, præsertim tempore à pierisque inuictissimis fuisse calcatum. Nam prætermisso Sacerdotali iudicio, passim ad examen seculare transire; quocirca nobis visum est, vt hunc & sacræ legis, & nostri ordinis contumeliam &c.* Ecce negotia Clericorum Episcopis dijudicanda permittuntur, à Imperatoribus & Regibus per Diualia constituta, per leges sacras, i. Imperiales, nulla mentione iuris diuini aut naturalis facta: & tamen praxis repugnat legibus, passim enim ad examen seculare transibant. Quid vero de hac subiectione Clericorum senserit Leo, multis suprà *Cap.* 15. docui, id vnum ex vltimis verbis huius Epistolæ addam. *Sanè si Clericus Laicum pulset, prius se audiri ab Episcopis poscat, cum si petitioni suæ viderit Laicum obuiare, ex permissu Episcopi sui, in seculi moderatoris disceptatione confligat.* Hæc Leo, qui nunquam Clerico permisisset, vt coram moderatore seculi, cum Laico confligeret, si Clericus seculari Magistratui de iure subiectus non esset: multo minus, si iure diuino naturali á potestate seculari esset exemptus. Illud etiam ex illis verbis (*si petitioni suæ Laicum obuiare viderit*) obseruet Lector tempore *Leonis* in potestate siue libertate Laicorum fuisse, vt ab Episcopo ad moderatorem seculi contra Clericum prouocarent; Verè ergo ex parte concludit Bellarm: *Pijs Principibus nondum satis nota, & explicata erat exemptio Clericorum, quam iure diuino clerici habebant.* Nondum enim satis nota est, quia per similitudinem tanta nota.

Quod verò vltimo loco addit, *Sanctos Patres eam paulatim explicare et introducere annixos esse*, id ab omni veritate alienum est: Patres enim, loca illa de *Ioseph*, qui terram Sacerdotum liberam dimisit, & de *Christo*, qui filios liberos pronuntiauit, nunquam de exemptione Clericorum exposuerunt. Et multi ex Scholasticis has interpretationes reiecerunt: vti cap. 15. patet: Et patres subiectionem Clericorum in temporalibus agnoscunt, eandemque ex Scripturis, & iure diuino probant, & Ambrosius *legem naturalem* appellat: libertatem ergò & immunitatem Ecclesiæ et explicabant & introducebant, sed à Principibus indultam, non à iure diuino concessam. Eaque de causa illos tanquam pijssimos & diuinissimos Imperatores prædicabant, quorum gratia & benignitate tales immunitates acceperunt: nec apud Patres extat vllum vestigium exemp-

tionis huius, de iure diuino naturali deductæ. Patres enim plane contrarium docent, vt C 15. patet.

At Pontifex potest Clericos à potestate seculari eximere: sic Bellarm. Miratur hoc Barcl. quia sine ratione dicitur, Ego vero non miror Pontifices ista asserere, qui potestatem solvendi iura, et iuramenta, et debita, et vota, et coniugia *Pontifici* attribuunt. Noui enim et *Victoriam*, et *Sotum*, et *Banez*, et *Couarruuiam*, *in locis Cap. 15. citatis*, et alios (qui tamen nouo huic commento de iure diuino naturali parum fauent) diserte affumare, quod Pontifex summus possit clericos à subiectione Principum secularium eximere. Sed mitto testes, rationes testium desidero. Si eximere potest Pontifex Clericos à subiectione Secularium Principum, tum non sunt exempti de iure diuino naturali: eximere enim exemptos ridiculum est opus, & Pontifice vel Cardinale dignum qui actum sæpe agit, & de toto opere gloriatur. Si liberi sunt, qui à Clerici sunt; à Pontifice non liberantur; vocatio siue ordinatio eos liberat, non potestas Pontificis. Si ergò Clerici ratione ordinis, vel iure diuino & naturali, liberi sunt, Pontifex forte potest exemptos declarare, sicut & quilibet peritus & doctus Episcopus, vel Sacerdos, docendo eosdem liberos pronunciat; sed eximere non potest: exemptio enim opus est *potestatis*, non *scientiæ*. Et si Pontifex ex potestate eximit Clericos, ratio est, quia tanquam supremus est Princeps in spiritualibus & temporalibus, sub cuius imperio sint omnes Reges & Principes seculi: & sicut Rex eximit nonnullos è subditis suis à iurisdictione Comitis, fortè etiam & Comite superiores constituit: sic etiam Pontifex Clericos eximit à potestate Principum secularium, & eos Regibus & Principibus superiores facit, vt postea docet *Bellarminus*. Non ergò tanquam interpres voluntatis diuinæ, aut Doctor, Clericos eximit, id est, exemptos declarat, quod & multi faciunt Scholastici in disputationibus & decisionibus suis; sed tanquam potestatem habens, ex plenitudine potestatis, iura subiectionis, quibus tenebantur Clerici, Regibus & Principibus, soluit & relaxat.

Cum ergo exemptio denotat subiectionem, & subditi omnes, Regibus & Principibus de iure diuino naturali subiecti sint, non tantum humano aut positiuo: necessario cõsequitur, vt possit Pontifex, ex plenitudine potestatis, ius diuinum naturale soluere & relaxare; aut non possit Clericos à subiectione Principum (quibus cum Laici sunt, iure diuino naturali subijciuntur) eximere.

Præterea duæ istę propositiones contrariæ sunt, & vna alteram euertit: *Pontifex potest Clericos eximere siue relaxare à subiectione Principum secularium, & Clerici iure diuino naturali, à subiectione Principum secularium exempti sunt.* Quid enim opus est, vt Pontifex eos relaxet & eximat, qui iure diuino naturali sine Pontifice, liberi & exempti sunt. An non

sufficit

sufficit ius diuinum naturale, sine potestate Pontificis, ad Clericorum exemptionem? Aut quomodo potest Pontifex eos eximere, qui subditi non sunt sed iure diuino naturali liberi existunt. Si enim exempti sunt iure diuino naturali, Pontifex eos non eximit, sed ius diuinum naturale, & Deus ipse, & Christus Dominus eos eximit, sicut in libello Repudij, & separatione Christiani coniugis ab infideli patet, Si Pontifex Clericos eximat à potestate seculari, non sunt iure diuino naturali exempti. Pugnantes hasce propositiones prius reconciliet pacificator magnus Theologorum & Canonistarum in hac quæstione. Interim pergo.

Si Pontifex Clericos eximit à potestate seculari, quis ille tandem est Pontifex? An Petrus, an Linus, an Syluester, an alius quisquam? Quæ sunt & vbi extant decreta illa Pontificum? An in decretis vllius Pontificis aut Concilij tale habetur decretum: Ego Petrus, aut Syluester, ex plenitudine potestatis, iura Regum & Principum secularium, & leges, quibus Clerici eisdem Regibus obligantur, soluo & relaxo, eosdemq; Clericos ab omni iurisdictione seculari eximo? Etsi multi inter Pontifices nimia dominandi cupiditate abrepti sunt, non noui tamen ex illis quenquam tam superbum, qui ista profari ausus sit. Interim donec Bellarminus decretum istud alicuius Pontificis, aut Concilij proferat, ego eam potestatem frustraneam esse respondeo, quæ nunquam in actum reducitur.

Rationes huius propositionis de potestate Pontificis in Clericis eximendis multæ sunt, quæ omnes non necessitatẽ, sed conuenientiã quandam huius exemptionis loquuntur: in quibus recensendis Victoriam *De potest. Eccl. Relect. 7. Sect. vlt. propos. 5.* sequar, qui eas quã breuissimis amplexus est. 5

Ratio 1. *Conueniens, imo necessarium videtur ad administrationem rerum spiritualium, quod personæ Ecclesiasticæ sint exemptæ, à iudicio ciuili.* Imo vero conueniens est & necessarium, vt Clerici pro criminibus notorijs & grauissimis, & scandalosis, non solum censuris Ecclesiasticis, & salutiferis corrigantur, sed etiam pœnis ciuilibus & eradicantibus percellantur; pœnæ autem istæ à Principibus, & Præsulibus Ecclesiasticis infligi non possunt, & non nisi à superiore, qui imperium habet & dominatur in Clericos. Quod si potestati seculari non subijciantur, nullatenus possunt pœnis ciuilibus, exilio, morte, vel similibus castigari: potestas enim spiritualis etiam Papalis, pœnas ciuiles infligere non potest, & ex hoc fonte impunitatis infinita mala in Repub. profluunt: Quod si dicat aliquis ab ordinibus primum deponendi, siue degradandi sunt, & tum demum brachio seculari tradendi, nihil certe ad rem dicit. Degradatio enim, siue depositio ista, in Primitiua Ecclesia ignota fuit, & tamen quotidie in ciuilibus & criminalibus, pœnis temporalibus plectebantur á iudicibus secularibus, vt historiæ testantur. Præterea degradatio siue depositio non tollit ordines siue Clericatum, sed tantum prohibet vsum siue exercitium ordinum: & proinde communis est opinio *Magistri*, &

Thoma, & totius *Schola*, iuxta doctrinam & praxin totius antiquitatis, quod Sacerdotes suspensi, excommunicati, hæretici schismatici, & degradati, conficiunt corpus Christi, & Episcopi degradati, *conferunt sacros ordines*, Et vsus siue exercicium sacrorum ordinum, non eximit à potestate seculari; tum enim multi inter Pontificios, qui nihil quod ad ordines spectat, vnquam attingunt, exempti non sunt, sed ordo ipse, siue Clericatus eximit à potestate seculari. Et Clericus depositus Clericus est, & ordines & Characterem indelebilem habet.

Præterea concedunt Scholastici, vt *Victoria, Relect. 1. propos. 9. Sect. 7. Quod si libertas Clericorum cedat in manifestam Reipub. perniciem, ita vt Ecclesiastici impunè debacchentur in eadem Laicorum, & Pontifices nollent adhibere remedium (aut non possent); possent Principes consulere suis ciuibus, non obstante priuilegio Clericorum; Ideoq; non solum per modum defensionis, sed etiam authoritatiue*: Si possunt consulere, possunt resistere & resistendo fontes plectere; habent ergo potestatem corrigendi Clericos criminosos. Quod si non possunt Principes seculi Clericos criminosos castigare, & morte vel exilio, vel alijs pœnis ciuilibus corrigere, non potest itidem Summus Pontifex, sicut Princeps Politicus Clericos morte vel pœna alia ciuili punire. Quos enim punit ciuiliter, non punit vt summus Sacerdos, sed vt summus Princeps temporalis; & quos morte punit per iudices & præfectos suos ciuiles, ipse punit. Quæ enim à Magistratu inferiore geruntur, hæc à suprema potestate à qua minores Magistratus potestatē delegatam accipiunt fieri intelliguntur.

Quod si non possit Sacerdos vel Leuita in lege, pœna ciuili siue temporali puniri, irrita proculdubio erat, quoad Sacerdotes, lex illa Domini, *Sanguis eius qui sanguinem alterius effundit effundetur*: nec *anima quæ peccauerit, ipsa morietur*: de morte enim naturali loquitur lex non allegorica: & non poterit Sacerdos morte multari, si exemptio ista sit de iure naturali. Sic Sacerdos si homicida sit, & sanguinem alienum effuderit, non potest iuxta legē, morti tradi, & lex illa non de omnibus Iudeis, sed de Laicis tantum lata est; *anima quæ peccauerit, ipsa morietur*, Verum vbi lex de personis non distinguit, de omnibus intelligi debet: omnis ergo anima quæ peccauerit, siue sit sacerdotis, siue Laici, morte moriatur: & solus Iudex ciuilis apud Iudæos morte mulctabat.

Ratio 2. *Si clerici possunt trahi ad iudicia secularia, possunt auocari à ministerio Ecclesiæ, nec possunt commodè vacare officio suo; nemo enim militans implicat se negotijs secularibus*: 2. Tim. 2. *& ita si implicarent se Clericis iudicijs secularibus, non possent Deo militare*. Ratio ista non solum eximet Clericos à tribunalibus secularibus, sed etiam Ecclesiasticis: mutemus tantum verba valet æqualiter ratio. Si Clerici possunt trahi ad iudicia Ecclesiastica, possunt auocari à Ministerio Ecclesiæ, nec possunt commodè vacare officio suo: nemo enim militans implicat

se

se negotijs secularibus (tales sunt omnes lites in foro contentioso Ecclesiæ) si Clerici implicarentur litibus & iudicijs Ecclesiasticis, non possent militare Deo; lites enim Ecclesiasticæ eodem modo implicant Sacerdotes, & ab officio & ministerio auocant, quo lites ciuiles: nec magis adest Parochus in Ecclesia sua, qui per Ordinarium, quàm qui per iudicem secularem auocatur. Quid verò? An quia Clerici studiosi & diligentes ab officio & ministerio Ecclesiæ auocandi non sunt, ideo mali & scandalosi sacerdotes (qui plus præsentia, quam absentia sua Ecclesiæ officiunt) propter crimina ciuilia, pœnis ciuilibus à magistratu ciuili (qui solus eas infligere potest) coercendi non sunt? An quia Pastores fideles & prudentes fouendi sunt, ideò mali, infideles & insipientes impunitate gaudebunt? An in hac impunitate aut conuenientia aut necessitas vlla? Par proculdubio ratio est conuenientiæ & necessitatis in malis plectendis, & bonis honorandis: par ratio pœnæ & præmij: si fideles & prudentes serui præmijs promouendi sint, infideles & imprudentes coercendi sunt pœnis. In exemptione ergo ista nec conuenientia nec necessitas.

Ratio 3. *Si pro causis Ecclesiasticis & Secularibus simul possint Clerici conueniri, non possunt ad iudicium Ecclesiasticum appellare: & perplexi erunt, quia vtrique iudicio satisfacere non possunt.* Quam infirma sit hæc ratio, facilè patebit, si de Laicis fiat: hoc modo: Si Laici simul pro causis Ecclesiasticis & Secularibus possunt conueniri, non possunt ad iudicium secularium, aut Imperatorum appellare, & perplexi erunt, quia vtrique iudicio satisfacere non possunt. Aut ergo Laici coram Iudice Ecclesiastico non possunt conueniri, aut Clerici coram Iudice ciuili conueniri possunt: par verò est ratio appellandi ad Pontificem in spiritualibus, & ad Imperatorem siue Regem in temporalibus: vtraque iure diuino & naturali permissa est, & libera; neutra iure politico tolli potest, quia iure naturali indulta est. Et sanctus Paulus Apostolus libertatis Ecclesiasticæ proditor (si vos vera narratis) ad Cæsarem appellauit, non ad Petrum Pontificem summum: nec ad Pontificem summum Iudæorum, conuentus de causa Ecclesiastica, fidei sc. professione; sed à summo Pontifice Iudæorum, relicto summo Pontifice Christianorum Petro, appellauit in causa partim Ecclesiastica, partim ciuili (simul enim seditionis reus agebatur) ad Cæsarem. *Act.* 25. 10. *Ad Cæsaris tribunal sto, ibi me oportet iudicari*; oportet, necessitas hæc est iuris, non facti aut voluntatis.

Ratio 4. *Nullo modo consentaneum est vt Ecclesiastici, qui sunt Pastores ipsorum Iudicum secularium, vexarentur in iudicio à subditis suis.* Ratio ista aut petit Principium, aut nihil concludit. Si enim subditos in omnibus tam spiritualibus quam temporalibus intendat hæc ratio, ipsa est quæstio, an Iudices seculares Clericis in temporalibus subditi sunt, si

iudices seculares in spiritualibus tantum Clericis subditi sunt, non in temporalibus, sed mutua sit subiectio, & imperium. Clerici in temporalibus subditi sunt Iudicibus secularibus, seculares in spiritualibus subditi sunt Iudicibus Ecclesiasticis, rati- ista non concludit, sicut enim nullo modo consentaneum est, vt Ecclesiastici, qui pastores sunt iudic- m secularium ab ipsis subditis suis vocarentur, in ijs in quibus subditi sunt: sic etiam omni modo consentaneum est vt Pastores isti spirituales in ijs, in quibus subditi sunt, id est, in temporalibus, si non vexarentur, (quod verbum odio non caret) at iustè iudicarentur & punirentur, alàs licentiâ & impunitate Clerici deteriores futuri sunt; & exemplo & authoritate Pastorum (vox enim operis validior est voce oris) Laici in omnia flagitia præcipites ruunt: Vox illa, vexarentur, pace tanti Theologi, iniqua est: maior enim est vexatio, vbi minor causa litigandi: in foro autem Ecclesiastico minor sæpe ratio litigandi, quia pro rebus friuolis, nullius q; pretij, vtpote pro minimis decimis & similibus, vexantur Laici, verum licebit mihi hanc rationem sic retorquere. *Nullo modo consentaneum est, vt Reges & Principes, qui Pastores sunt ipsorum Iudicum Ecclesiasticorum, vexarentur in iudicio à subditis suis:* Imperatores enim & Reges pastores sunt Clericorum, sicut & Laicorum in temporalibus; sicut David pauit Israelitas quoad corpora, eosque omnes & Sacerdotes, & Laicos; Aut ergo ratio ista liberat Reges & Principes à iudicio summi Pontificis, aut non liberat Clericos à Iudicijs Magistratuum secularium. Atq; hæ rationes pro exemptione ipsa adducuntur; sequuntur aliæ pro potestate eximendi.

Ratio 5. *Ecclesiastica Respublica est perfecta & sufficiens. Ergo in eo est potestas, ad ferendas leges conuenientes administrationi Ecclesiæ; & exemptio conueniens est.* Respublica Ecclesiastica est perfecta & sufficiens, non ad omnia, sed solum ad finem suum, id est, ad vitam æternam obtinendam, & impedimenta omnia remouenda, quæ hunc finem retardant: Exemptio vero Clericorum ad finem hunc consequendum nihil facit: Imo subiectio Clericorum plus confert ad hunc finem consequendum, quam exemptio, quod sic patet.

Facilius ad vitam æternam perducuntur, qui dupliei vinculo in via salutis continentur, quam qui simplici, vtpote qui & amore & timore; & pœnis salutaribus ducuntur, & pœnis eradicantibus coguntur.

Sed Clerici, qui & Præpositis Ecclesiasticis, & Principibus secularibus subsunt, duplici vinculo amoris & timoris; & pœnis salutaribus, & pœnis eradicantibus, in via salutis continentur. *Ergo,*

Subiectio Clericorum conuenientior est ad finem i. vitam æternam consequendam, quam exemptio.

Si ergo ratio conuenientiæ quicquam valeat, Ecclesiastica Respub. potius subijcere debet Clericos iudicio seculari, quam eximere; quia facilius

cilius ad finem perduoit hæc ſubiectio.

Quod ſi Reſpub. Eccleſiaſtica perfecta ſit, & ſufficiens ad finem ſuum, ciuilis item perfecta & ſufficiens erit ad finem ſuum, qui vobis authoribus eſt pax & fœlicitas temporalis: poteſtatem ergo habet Reſpub. iſta, ferendi leges conuenientes ad finem hunc conſequendum: finis vero iſte pax ſc. temporalis conſeruari non poteſt, ſi impunè graſſentur Clerici, & eandem pacem & fœlicitatem perturbent. Imperfecta itaque & inſufficiens erit Reſpub. ciuilis, ſi impedimenta iſta, id eſt, vitia et crimina Clericorum, quæ fœlicitatem temporalem minuunt, tollere per ſe, per leges, et pœnas ſuas non poſſit. Habet ergo Reſpublica ciuilis poteſtatem per pœnas ſuas remouendi et corrigendi Clericos, et per conſequens, ex hoc medio, quia Clerici ciues ſunt et membra, et partes Reipub. ciuilis, eidem in temporalibus ſubiecti ſunt, et ab eadem dirigi, et etiam corrigi cogiq; poſſunt.

Ratio 6. *Papa poteſt propria authoritate deligere Miniſtros Eccleſiaſticos, non obſtante, quod poteſtas ciuilis contradiceret: ergo eadem ratione poteſt illos ſubtrahere à iudicio ſeculari.*

Non ſequitur argumentum. Quiſquis enim ordines conferre poteſt, Eccleſiaſticos, non poteſt Eccleſiaſticos à ſubiectione ſecularium Iudicum eximere: aliud enim eſt ordo, aliud exemptio; & aliud ordinare, quã eximere; aliter ſequeretur: quilibet Epiſcopus confert ordines, ergo quilibet Epiſcopus eximit à poteſtate ſeculari. Argumentum igitur iſtud, vel æqualẽ tribuit cuilibet Epiſcopo poteſtatẽ exemptionis (quod nemo Pontificius affirmat, vel Pontifici nullã tribuit: Atq; hæc reſpondiſſe ſufficiat ad argumenta Victoriæ. Quod ſi ſummus Sacerdos poteſtatem habeat Clericorum eximendorum, quid eſt quod Chriſtus Dominus noſter, ſummus reuera Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, Clericos et præcipuè Apoſtolos, ſummos nimirum Principes ſpirituales, qui vniuerſum orbem ſub iugum Chriſti miſerunt, non eximit? Quid eſt, quod Petrus, primus Chriſti Vicarius, eos non liberauit et immunitate iſta donauit? Maior enim conuenientia erat, vt Apoſtoli, quàm vt eorum ſucceſſores eximerentur. Imo vero, quid eſt quod Chriſtus ipſe, et ſubiectus fuit Patri, et tributũ ſoluit pro ſeipſo et Petro; et omnibus indefinitè, et Clericis, et Laicis præcipit: Reddite (hoc ex debito) quæ ſunt Cæſaris Cæſari? Quid eſt quod Dominus (vt loquentem introducit *Gregorius Epiſt. l. 2. Ep. 62*) dicit *Manritio Sacerdotes meos manu tua commiſi.* An vllus Vicarius Chriſti eos eximere vel poteſt vel audet, quos ſubiecit Chriſtus? Quid eſt, quod Petrus primus Chriſti Vicarius, omnes etiam preſbyteros (ad eos enim ſicut et plebem dirigitur Epiſtola illa) ſine diſtinctione ſubiectos eſſe iubet, *omni humanæ ordinationi propter Deum?* 1. Pet. 2. 13. Si Petrus itaq; ſubijciat Clericos poteſtati ſeculari, quid audio modernos Pontifices et Doctores de exemptione per Pontifices vel concilia indulta gloriantes.

Nihil enim possunt omnes Pontifices; omnia concilia contra Christum Dominum, aut Petrum Apostolum.

Vrget porro Barcl. contra potestatem Pontificis in Clericis eximendis vulgatum illud & verum, & ab omnibus receptum axioma: *lex Christi neminem priuat iure vel dominio suo. Ergo non priuat Principes iure & Dominio suo quod habent super Clericos, antequam Clerici fiant.*

Egregia vero, & nunquam satis laudata est responsio *Bellarmini*, aureis literis propter subtilitatem & acumen describenda. *Lex Christi neminem priuat iure & dominio suo; Verum est* (inquit) *per se ac propriè quasi hoc ipsum intendat nisi aliquis culpa sua priuari mereatur.* Quid enim? An lex vlla per se & proprie hoc ipsum intendit, vt aliquem iure & dominio suo priuet, sine culpa & merito suo? Tyrannica proculdubio lex illa est, quæ aliquos iure & dominio suo priuet, sine culpa & merito suo: Tyrannica proculdubio lex illa est, quæ aliquos iure & dominio suo, sine merito & culpa sua priuare intendit. Legislatores omnes iusti & boni, voluntate antecedente, omnes homines rectè & iustè viuere, secundũ legũ præscripta volunt; at voluntate consequente, quia ex delinquentium impunitate confusio & pernicies totius Reipub consequitur, hoc agunt, vt propter merita & culpas suas, priuentur mali iure & dominio suo, & è medio tollantur: At tyranni & Legislatores crudeles & impij, qui leges in sanguine conscribunt, hoc agunt, vt legibus, tanquã sagenis & retibus, homines tanquã feras deprædentur & capiant. Et eo nomine differunt Rex & Tyrannus, quod ille propter bonũ publicũ, hic propter priuatum, leges scribat. Cum ergo omnes dicant, legẽ Christi, neminem iure & dominio suo priuare, sine merito et culpa sua, hoc est, vt interpretatur Bell. Lex Christi tyrannica non est, sed iusta & legitima, non priuat homines dominio siue iure suo, nisi culpa & merito suo: sed propter meritum & culpam suã, dominio siue iure suo priuat. Quæ ergo est differentia legis Euangelicæ, & aliarum legũ politicarũ. Nulla lex politica iusta, homines priuat dominio siue iure suo, sine culpa & merito suo: & omnis lex politica, quæ iusta est, homines dominio & iure suo, pro merito & culpa sua, pro mensura criminis priuat: nec intendit vlla lex iusta, per se & propriè, homines dominio suo, sine merito & culpa sua priuare. Nihil magnũ hoc loco de lege Euangelica prædicant patres & scholastici, cũ dicunt legẽ Euangelicã neminẽ dominio suo priuare, sine merito suo: hoc enim commune est legibus, Turcarũ & Tartarorũ iustis, quæ non intendunt per se & proprie, sed tãtum voluntate consequente, quenquã iure suo priuare. Alius ergo est sensus huius propositionis: *Lex Christi neminem priuat iure suo*, id est, nec debitorem Christianum factum scilicet à iure creditoris, nec promissorẽ à promissis, nec iurantem à iuramento, nec votarium à voto, nec filium à patria, nec seruum ab herili, nec subditum à Regia potestate liberat

liberat, sed *vnusquisque in eo statu permanere debet, in quo vocatus est*, qualiscunque sit culpa, aut qualecunq; meritum superiorum. Apage ergo cum distinctionibus istis, per se & per accidens, proprie & impropriè; nihil enim in lege Christi impropriè fit.

Præterea, quæ culpa est Regis, per omnia deuotissimi & pijssimi, si vno die, ex subditis suis, mille Laici ad ordinem clericatus promouentur? Quid fecit? Quid promeruit? Quid peccauit vt ius & dominium suum, quod in illos habuerat deperderet? Non peccauit, quia illi ad sacros ordines promouentur, & si insons sit, dominium curam sit? Si innocens sit, & sine culpa & merito suo iure & dominio priuetur, mala est responsio Bell. lex Christi aliquem, sine culpa & merito suo, iure & dominio suo priuat. Si igitur lex Pontificia, sine culpa Regis, Regem priuet iure & dominio, quod in illos Laicos habuerat, qui ad Clericatum promouentur, procul dubio lex Christi non est, etiam authore Bellar. imo legi Christi contraria, quia priuat illos, quos lex Christi non priuat.

Adde quod à mundi creatione non est auditum, quod Episcopi, qui sacros ordines conferunt, Reges & Principes per ordinationē puniunt & castigant; ordines enim non in pœnam Regum & regnorum, sed in lucrum animarum & salutem Regum conferuntur; beant Reges, non puniunt.

At, inquit Bell. *Dum euehit Laicos ad ordinem altiorem, id est, Clericorum, non est mirum si consequenter priuat Principes iure quod in eos habebant, dum essent in gradu inferiori.*

Expectaram vt ostenderet culpam in Rege pijssimo, propter quam meritosuo priuaretur subiectione laicorū, qui ad ordinem altiorem clericatus promouentur: sed vulgare est *Bellarm.* responsionem dissolutam & falsam sine applicatione proponere, vt Lectori fucum faciat, verum ad rem. An clericatus altior est ordo & superior gradu imperiali & Regali in temporalibus? Quidni ergo & quilibet Clericus possit Regem punire & deponere, cum sit eodem superior in temporalibus, & superior in eodē genere proculdubio potest inferiorem suum deponere: sin vero Clericatus non sit, quomodo liberare potest à subiectione Regum & Imperatorum in ijs in quibus est inferior? Ordo enim siue gradus inferior non liberat à subiectione superioris in eodē genere superioritatis, vt nec superior in diuerso genere liberat à subiectione superioris in ordine diuerso. Falsa ergo est propositio Bell. etsi enim Clerici ad ordinem altiorem promoueantur, non tamen altior est in temporalibus in quibus sunt inferiores, & proinde subiecti Regi, qui obtinet in temporalibus supremum gradum.

Nec valent quicquam exempla Bellarm. Confert enim superiorem & inferiorem in eodem statu, concludit vero de diuersis statibus siue ordinibus. *Potest*, (inquit) *Rex qui omnibus minoribus Magistratibus potestatem, suam impertit, quemcunq; è subditis suis, à iurisdictione huius vel illius Comitis eximere: potest & eundem super Comitem euehere, Comitemq; iuxta*

leges

mestici; eum tem sustentare, omnibus necessarijs subsidijs eidem prouidere: & si Patrem suum inhonorauerit, aut non sustentauerit, Iudaicamq; illam, de *Corban*, traditionem præcepto Dei prætulerit, impius est, & transgressor legis. Potest etiam pater filio suo, etiam Pontifici summo, benedicere, potest hæreditate donare, potest & eidem maledicere & hæreditate priuare: Patet ergò non priuatur iure suo, etsi filius, aut ad Pontificatum aut ad imperium prouehatur. Atq; in hoc exemplo legem eiusdem pro lege Christi suggessit Bell.

Vrget Barcl. *Papa alio iure quam largitate & beneficio Principum exemptus non est; nam de iure & de facto subiectus erat, vt fatentur aduersarij: ergo non potuit alios Clericos ab ista subiectione liberare: alioqui id in eum conueniret; alios saluos fecit, seipsum non potuit saluum facere.* 8.

Dupicx in hoc argumento vitium est (inquit Bell.) *Primum: antecedens falsum est; Qui enim vicarium suum instituit eum in terris, is hoc ipso eximit eum ab omni potestate Principum terræ.*

Vicarius *Christi* (vobis authoribus) in illis verbis, *Tibi dabo claues, & Quicquid ligaueris*, institutus est: sed in illis verbis nulla Petri, aut Pontificis exemptio: nec probat Bell. exemptionem Pontificis ex his verbis, Claues enim regni cœlorum non soluunt iura Regnorum terræ: vt multis, cap. 3. demonstratũ est: Quid vero, an eo ipso quia vicarius est, ideo exẽptus? Annon quilibet sacerdos in foro interiore Vicarius est *Christi*, et iudex vice eius ligans et retinens, aut soluens & remittens peccata hominum? Eo igitur ipso, quod quilquam Sacerdos ordinatur, a potestate Principum eximitur; si hoc verum sit, non potestas Pontificis, sed ordo sacerdotalis eximit. Præterea, annon Rex Vicarius Dei et Christi qua Deus in terris, Pontifex verò non Dei, sed Christi hominis mortalis Vicarius in eâ Ecclesiæ gubernatione, quam ante passionem administrauit? Quomodo ergò potest Vicariatus *Christi* ex mere a potestate Principum terræ, & Vicariatus Dei & *Christi* Dei a potestate vicarij Christi hominis non eximit? An *Christus* homo mortalis, Deo maior est? An *Christus* quâ homo, *Christo* qua Deus, maior est, sicut Vicarius *Christi* hominis, maior est vicario Christi Dei? Si ergò, eo ipso quod Papa Vicarius est Christi, a potestate Principũ terræ eximatur, quidni et ab omni potestate Vicarij Christi eximatur ille, qui a Deo Patre, qui Christo homine maior est, Vicarius est constitutus?

Quinetiam Vicarius Christi, eo ipso quod Vicarius *Christi*, a potestate Principum terræ eximi potest, in ijs quæ ad Vicariatum *Christi*, i. in spiritualibus spectant. At in ijs, in quibus non consistit vicariatus Christi .i. in temporalibus, in quibus Rex, teste August. Vicarius Dei constitutus est, non eximitur. Vicariatus enim non eximit nisi in ijs, quæ ad vicariatũ spectant; et sicut Vicarius *Christi* in spiritualibus exemptus est, sic Vicarius Dei in temporalibus exemptus esse debet. Antecedens itaq; Barcl. verum.

Secun-

cit, si locum suum obtinere voluerit (maluerit, legit Merlinus) *cui enim ad eligendos iudices undiq; patet authoritas, ipse se indignum fraterno consortio indicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de iudicio seculari poscit auxilium; cum priuatorum Christianorum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atq; ibi determinari præcipiat.*

Multa hic videt *Bell.* pro exemptione Clericorum; nihil verò videre potuit Barcl.

Primò (inquit Bell.) *Patres apertè damnant recursum ad iudicium secularium Magistratuum.* Imò verò, non damnant Patres simpliciter recursum ad iudicia secularia, sed Clericos illos damnant, qui, relicto iudicio Ecclesiastico, publicis iudicijs purgari voluerint: non quod iudicia secularium iudicum illicita et illegitima sint; sed quod post indulta priuilegia exemptionis per Imperatores pijssimos, Clerici tanquam proditores huius exemptionis, & post crimen in Ecclesia ipsis intentatum, i. post litis inchoationem, forte etiam & contestationem, ad iudicia publica procurrebant, & in ijsdem purgari voluerunt: & ab hoc Clerici iustè pœnis in hoc Canone constituris castigãtur. 1. quod libertates Ecclesiæ contemptui habeãt; vt etiam docet *Leo*, Epist. 97. 2. quod Ecclesiam ipsam contemnãt, de vniuersa Ecclesia malè sentiant, vel, vt legit Merlinus, ad eligendos sibi de Ecclesiæ consortio dubitant, vileq; Ecclesiæ consortium iudicant, &c. Acsi diceret, malè sentiunt de Ecclesia, acsi omnes Ecclesiastici contemptibiles essent, & nullus esset qui de causis suis iudicare posset. 8.

Præterea tunc temporis Magistratus solebant dare Iudices priuatis causis disceptandis, postulatu litigatorum, & de eorum consensu: & ideò Clericorum consortio indignum iudicabant Patres, qui Iudicem potiùs Laicũ, quam Clericum postulabat. Hæc Barcl. in margine adnotauit; quibus nihil respondet Bell. ideo vti solet, silentio præterit. Quæ tamen ex verbis Concilij patent: *Cuienim ad eligendos Iudices undiq; patet authoritas*, liberum erat litigantibus Iudices eligere Ecclesiasticos vel seculares; Clerici ergò fraterno consortio indigni iudicantur à Concilio, qui, postpositis Ecclesiasticis Iudicibus, ad publica iudicia secularium Magistratuum recurrebant ex causis prædictis: Concilium verò Mileuitanum à Bell. citatum can. 19. hoc ipsum abundè probat: *Placuit, vt quicunq; ab Imperatore, cognitionem iudiciorum publicorum petierit, honore proprio priuetur: si autem Episcopale iudicium ab Imperatore postulauerit, nihil ei obsit.* Dabit ergò Imperator Iudices ad Clericorum postulationem, eosq; vel Episcopos, vel seculares. Et proinde non erant clerici ab Imperatoris Dominio exempti, qui Iudices ab eo petebant & accipiebant. Et circa hæc tẽpora *Marcellinus* cum alijs, datus est iudex ab Imperatore inter Donatistas & Episcopos Ecclesiæ Catholicæ, inter quos fuit *Augustinus*, qui disceptationes eorum audiuit, sicut patet in Actis Collationũ apud *Augustino* & *Optatũ*: qua occasione libros suos *de Ciu. Dei*, huic *Marcellinũ* inscripsit *Augustinus* nec ille vel alius quisquã Episcopus qui his Collationibus interfuit, *Marcellinũ* Iudicẽ secularẽ,

tanquam

cunquam Iudicem incõpetentem refugit, aut exceptionem hanc vendicauit, aut pœnã huius Cõcilij incurrit, aut legibus Imperatoris circa Clericos detraxit. Imò verò laudat *Augustinus* leges Imperatoris cõtra Clericos & Episcopos hæreticos & schismaticos latas, vt supra c. 15. ex Epist. 50. patet. Iudices ergò seculares ex omni parte legitimi erant Clericorum, & sine culpa appellabant Clerici a Iudicio Episcopi, ad iudicium Imperatoris, qui Iudices dabat, vel Episcopos vel seculares. Quin etiam, authore *Leone*, liberum erat Laico obuiare, ne Clericus ipsum ad iudicium sacerdotale, ipso inuito pertraheret: Iudicia ergo secularium vsq; ad Clericos pertingebant, si inter Laicum & Clericum lis orta esset. Nec pœna percelluntur Clerici à Cõcilio, quod ad iudicia secularia se sistunt vocati, sed quod iudicium Ecclesiæ inchoatum deserunt, vt verba illa docẽt, *cum in Ecclesia ei crimen intentatum fuerit*: quod libertatem Ecclesiæ prodant, quodq; de Ecclesia vniuersa male sentiant, & vile Ecclesiæ siue Ecclesiasticorũ cõsortiũ iudicent.

Secundum quod pro exemptione Clericorum vidit Bell. in hoc canone, hoc est, quod *Concilium sententiam Iudicis secularis rescindat, contra Clericum* (dixisset pro Clerico) *latam*: nihil enim in hoc canone extat de Clerico, qui in iudicio seculari condemnatur, sed de eo qui liberatur, cum reus iudicio Ecclesiæ habeatur; etsi iudicium Ecclesiæ nondum contra ipsum prolatum erat. Verum vidit Bell. quod somniauit, non quod reuera erat, decreuit enim Concilium, quod etsi Clericus relicto iudicio Ecclesiæ, in qua crimen ei intentatum, siue de crimine accusatus fuerat, publicis iudicijs purgatus fuerit, locum suum amittat: *in ciuili vero, perdat quod euicit, si locũ suum obtinere voluerit siue maluerit*: id est, perdat locum suum, nisi de iure suo, quod per iudicium seculare acquisiuisse visus est, volens siue malens discesserit. Non enim dicit Cõcilium simpliciter, *perdat quod euicit*; sed sub conditione: *si locum* &c. Pœna ergò quam infligit Concilium, hoc est, *perdat locum suum: si verò maluerit vel voluerit Clericus*, potiùs iudicatum quã locum perdere, tum retineat locum, si sponte lucro, quod per iudicium seculare acquisiuit, discesserit, Cõcilium non tollit quod euicit: sed ipse spõte iuri suo renunciat, & perdit quod euicit, ne locum suũ in Ecclesia perdat: & pœna hæc iusta est, propter contemptum iudicij & libertatis Ecclesiasticæ, etsi ad iudicium seculare spectet cognitio causarũ ciuilium & criminalium clericorum: quia & gratiam Imperatorum, & Ecclesiæ iudicium vilipendit. Iustitia ergò pœnæ, quam infligit Concilium a contemptu Ecclesiæ, non a postulatione iudicij secularis dependet: vt verba Concilij docent, *ipse se indignum consortio Ecclesiæ indicat, qui de vniuersa Ecclesia male sentiendo, de Iudicio seculari poscit auxilium.*

Quod autem apertè non damnant Patres recursum Clericorum ad iudicia secularia, patet vel ex textu Apostoli quẽ vrgent: locus enim ille iuxta Bell. non de Clericis tantũ, vt hic Patres, sed de omnibus Christianis intelligẽdus est: & proinde non magis pro exẽptione Clericorũ, quã omniũ Christianorũ Laicorũ facit: & vt supra dictũ est, c. 21. (vbi hunc locũ vrget

Bell.

Vtcunqiſe res habeat, vtrumq; reprehendunt ista Concilia: siue quis Iudicium Ecclesiasticum relinquat inchoatum, vt in Concilio Carthaginensi 3. siue omisso & contempto iudicio Ecclesiastico ab Imperatore tanquam actor cognitionem iudiciorum publicorum, non Episcoporum petierit.

Verum quid huic Canoni immotor? In quo nulla mentio, vt nec in præcedenti Clericorum, sed signo vniuersali dicitur: *Quicunq;* quod & de Clericis & Laicis prædicatur: & in Canone sequenti dicitur; *Placuit vt quicunq; Clericus*, &c. Quid verò pluribus opus est? Nos de subiectione Clericorum in temporalibus agimus: *Bell.* ipse Canonem, hunc Concilij Milcuitani, nec non alterum illum Concilij Matisconensis, in spiritualibus intelligit: vt in propositione 1. de exemptione Clericorum, cap. 1. De Clericis l. 1. c. 2 & vbi ex hoc Canone probat Clericos exemptos esse a potestate seculari in Ecclesiasticis.

2. Concilium est Chalcedonense An. 451. Can. 9. *Si Clericus aduersus Clericum habeat negotium, non derelinquat proprium Episcopum, & ad seculária percurrat iudicia sed prius actio ventiletur apud proprium Episcopũ, vel certe consilio eiusdem Episcopi, apud quos vtrinq; partes voluerint, iudicium obtinebunt. Si quis præter hæc fecerit, canonicis correptionibus subiaceat.*

Ex his verbis, *Prius actio ventiletur apud proprium Episcopũ*, infert Barel. *quia comparatio facta est inter iudicium Episcopale, & seculare; verbum illud (Prius) hoc innuere, quod in 1. instantia, causa coram Episcopo ventilanda sit, secundo vero loco ad examen Iudicis secularis deferenda.* Respondet Bell. " *Quod appellatio fit ad Metropolitanum & Patriarcham, & Papam, licet* " *id non expressit Concilium.* At Concilium hoc, contra Episcopum ad Synodum Prouinciæ, aduersus Metropolitanum ad primatem diœceseos, aut sedem vrbis regiæ Constantinopolitanæ appellandum docet, vt apud ipsum dijudicetur: Ac si vltimum iudicium ad Patriarcham Constantinopolitanum spectaret, non ad Papam, cùm eius nulla facta sit mentio: fortè quia in hoc ipso Concilio dissentio erat cum Pontifice de Patriarcha Cõstantinopolitano: qui secundum locum inter Patriarchas obtinet iuxta Constantinopolitanum, quia noua Roma est; propter Vrbis Imperialis dignitatem, non propter diuinam dispositionem. Fortè etiam propter Canonem 26. Concilij Carthaginensis 3. in quo decretum, vt *primæ sedis Episcopus non appelletur Princeps sacerdotum, aut summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantùm primæ sedis Episcopus.* Forte etiam propter Concilium Milcuitanum can. 22. *in quo prohibetur appellatio ad transmarina*, appellatio ergò ad Papam in hoc can. omissa est vel quia ignota, vel prohibita.

Interim obseruet Lector, quomodo verba Concilij huius circa appellationẽ ad Primatẽ & Patriarcham legat Gentianus Heruetus Apud Binniũ; Vbi enim legit Bell. *Petat aut Primatẽ diœceseos, aut sedẽ vrbis regiæ Constantinopolitanæ, & apud ipsum iudicetur?* Heruetus legit, *Exarchum adeat, vel Imperialis vrbis Constantinopolis thronũ, vt apud eum litiget.* Vbi appellatio est ad

est ad Exarchum, qui ex vsu Latino Magistratus est ciuilis; & non ad Patriarcham, sed ad Imperatorem, cuius tribunal thronus vsitatò dicitur: id quod *Bellarm.* directè negat. Vt autem Primas in hoc Canone sit Episcopus Romanus, ficu: somniat *Bellar.* ridiculum est, & tanto Theologo indignum, quia post iudicium Primatis, appellatio datur ad Patriarcham Constantinopolitanum, cum à Pontifice Romano non permittant Pontificij appellationem ad quemquam, nec ad Concilium generale, vti dixerat. *Lib. 2. de Rom. Pont. cap. 22.*

Vtcunque vero de appellatione statuatur, illud certum est, Concilium in hoc canone decernere, non esse licitum, vt ad secularia Iudicia percurrat Clericus, derelicto proprio Episcopo, sed prius, &c. Non percurrat, id est, non petat Clericus judicia secularia, nisi prius actio ventiletur apud proprium Episcopum: non sit actor aut delator, & alios Clericos vel Laicos ad seculare iudicium pertrahat; sed non prohibet Concilium, ne Clericus vocatus ad iudicium seculare, seipsum in iudicio sistat, aut Iudici seculari obtemperet in temporalibus: nec constat de quibus negotijs siue causis loquantur Patres, de spiritualibus solum, an etiam de temporalibus. Et *Leo* qui eidem Concilio præfuit, subiectionem Clericorum in temporalibus agnoscit, & praxis Clericorum, quæ optimus interpres Canonum id docet, Clericos contra indulta Principum priuilegia, sæpè ad iudicia secularia excurrisse: & in potestate Laici esse, vt Clericum à judicio Episcopi diuerteret, & ad iudicium seculare traheret, author est idem *Leo* in Epistola 97. vt superius diximus. In hoc ergo Canone non eximuntur Clerici à judicijs secularibus, sed prohibentur ne libertates Clericorum gratia Principum indultas violent, & iudicia Ecclesiastica contemnant, dum secularia vltro petunt.

Vrget postea *Barclaius Nouellam* 83. *Iustiniani: vt Clerici apud proprios Episcopos primum conueniantur, & post hoc apud ciuiles iudices.*

Quid hic *Bellarminus*? *Non conuenit Canones Ecclesiæ per nouellas Iustiniani exponere, cum possint per alios Canones, aut vsum Ecclesiæ explicari.*

Imo vero ratio omnis docet, Canones Conciliorum per Nouellas Imperatorum exponendas esse, in ijs quæ à donatione Imperatorum pendent, sicut in his exemptionibus euenit. Et Lex imperialis, & eiusdem legis praxis, optimè sensum canonum, etiam Ecclesiasticorum, docet in temporalibus, quę ad directionem legum ciuilium spectant. Quibus addi potest Episcoporum doctissimorum consensus, et harum legum approbatio, qui & Imperatorum horum pijssimorum laudes vbiq; prædicant, & harum legum seueritate multos ad vnitatem Ecclesię & fidei reductos gratulantur: quas leges Imperiales quisquis refutauerit; & sanctissimis Imperatoribus, & Patribus doctissimis plurimum detrahit.

12. 3. Est Concilium *Agathense*, An.506. Can. 23. *Clericum nullus præ-*
» *sumat apud secularem Iudicem, Episcopo non permittente pulsare, sed si pul-*
» *satus fuerit, non respondeat vel proponat, nec audeat criminale negotium in*
» *iudicio seculari proponere.* Sic legit *Bellarm.* ex *Gratiano.* Verba vero
» Concilij hæc sunt: *Clericus ne quenquam præsumat apud secularem Iudi-*
» *cem, Episcopo non permittente, pulsare.* Miratur *Barcl. Bellarm.* omissa lectione genuina, corruptam hanc *Gratiani* secutum fuisse. Ego vero non miror: mirarer si secutus *Gratianum* non esset; semper enim in omnibus lectionibus eam sequitur, quæ in rem Pontificis & suam maximè facit. Sicut & supra notatum est, *Cap.2.* vbi apud *Gelasium* pro *Regibus*, legit *regiminibus*, vt Pontifici potestatem non solum in Reges, qui oues sunt & Christiani, sed etiem in regimina ipsa tribuat.

» *At Gratianus vir probus, & Christiana perfectionis studiosissimus;*
» *nec est credibile, voluisse textum Concilij depravare, credibile potius est*
» *aliam habuisse illius Canonis lectionem, quam nos habemus.* Quæ vero sit probitas *Gratiani* in Canonibus Pontificum, & Patrum sententijs, & decretis conciliorum colligendis, loquatur *Antonius Augustinus* Episcopus Ilerdensis, qui volumen integrum edidit, in quo errores, additiones, mutilationes, mutationes, aliasque plurimas *Gratiani* in decretorum Pontificum, & sententiarum Patrum editione corruptelas abundè demonstrat. Quo in libro, præter cætera, hæc habet, *De Emend. Gratiani, lib. 1. Dial. 4. Constat Gratianum, neque concilia vidisse, neque Registra Pontificum, neque alia Sanctorum Patrum scripta, sed eum-*
que in variis collectionibus reperta ab eo sunt, ea in medium protulisse. Parum itaque probus, si vera narrat *Antonius Augustinus*: sin falsa, quid est quod nemo discipulorum *Gratiani* eundem vindicet à calumnijs?

Verum stet lectio *Gratiani*: nihil inde lucratur *Bellarminus* pro Clericorum exemptione: siue enim sequamur Concilij veritatem, siue *Gratiani* corruptionem, Canon iste non eximit Clericos, sed potius subiectos docet. Primo enim satis constat ante hoc Concilium, Clericos à Principibus in plurimis, à potestate Iudicum secularium exemptos fuisse: & Clericos non eximit hic Canon, sed exemptionis violatores pœnis Ecclesiasticis castigat: deinde sic eximit, vt etiam subijciat, *Episcopo non permittente nullus præsumat*: ergo Episcopo permittente licet Clericum apud Iudicem secularem pulsare, & Episcopus non potest permittere, vt quis Clericum apud Iudicem secularem pulser, si de iure diuino exemptus sit; nec Iudex secularis Clericum iudicare potest, si exemptio Clericorum de fonte iuris diuini deriuetur. Opus ergo est, vt *Gratianus* etiam verba illa, *Episcopo non permittente*, immutet, aut deleat, vt canon iste pro Clericorum exemptione plenè loquatur. Quod si vera lectio Concilij sumatur, verba hęc prima non multum pro exemptione Clericorum facere videntur, vti fatetur *Bellarminus*.

A

(*At verba sequentia: Si pulsatus fuerit, non respondeat, multum omnino faciunt pro exemptione Clericorum: mandatur enim Clerico, vt in iudicio coram seculari Iudice non compareat, nec respondeat.*

Esto: non compareat, non respondeat Clericus coram Iudice seculari; at hoc priùs concesserunt Principes illi pij & deuotissimi, qui de iure suo remiserunt, & Clericis has immunitates donârunt. Canon ergo iste punit solum Clericos & Laicos, qui exemptionem Clericis gratia Principum indultam contemnunt, & aut ipsi ad iudicia secularia procurrunt, aut à Laicis pertrahuntur, vt *Leo Epist. 97.*

Præterea in fine Canonis additur, *Siquis enim secularium per calumniam, Ecclesiam aut Clericos fatigare tentauerit & victus fuerit, ab Ecclesiæ liminibus, & à Catholicorum communione, nisi digne pœnituerit, coerceatur.* Fatigatio ista apud Iudices seculares erat; nec enim adhuc solebat Ecclesia Primitiua fatigare quenquam in foro contentioso, sicut hodie in curia Romana euenit. Etsi vero dicat *Bell. Non esse certum, Concilium loqui de foro seculari,* certissimum tamen est Ecclesiam non fatigare seipsam; & Canon dicit: Ecclesiam aut Clericos fatigare tentauerit. An Ecclesia Ecclesiam fatigat? Certum ergo est, Canonem de Iudicio seculari loqui, in quo & Ecclesia & Clerici fatigari solebant.

Deniq; rectè admonet *Barcl.* pœnam hanc grauissimam non infligi, quia coram Iudice seculari Clericos fatigant, Laici enim cum Clericis contendentes iuxta *Leonem* obuiam ire possent, ne ad iudicium Episcopale remitterentur ab Imperatore; sed vt à judicibus secularibus audirentur idq; ex Diualibus Imperatorum constitutionibus. Sed pœna hæc grauissima Laico imposita est, quod *per calumniam*, vt loquitur Concilium, Clericum coram Iudicibus secularibus fatigare tentauerit. Id docent verba sequentia, *Et victus fuerit*: nulla pœna Laico imponitur à Concilio, si sine calumnia coram iudice seculari clericum conueniat: & nisi victus fuerit.

Præterea verba ista, *Et victus fuerit*, subiectionem Clericorum, ad Laicorum pulsationem satis docent: quomodo enim vinci potest Laicus à Clerico in iudicio seculari, nisi Iudici ciuili se submittat Clericus, & subiectum se agnoscat, nisi respondeat, nisi causam agat, nisi sententiam pro parte sua proferat Iudex. Si ergo victus sit Laicus in Iudicio seculari, victor vero Clericus, necesse est vt compareat, respondeat, & purget semetipsum, quæ in hoc Canone subiectionem loquuntur & probant, potius quam exemptionem.

4. Est *Matisconense* primum, sub *Guntramno* Rege: An. 576. Can. 8. 13.
Vt nullus Clericus ad Iudicem secularem, quemcunque alium fratrem de clericis accusare, aut ad causam dicendam trahere, quocunque loco præsumat; sed omne negotium Clericorum, aut in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finiatur.

» 5. Concilium est *Toletanum* 3. sub *Reccaredo*, An. 589. Can. 13. *Diu-*
» *turna indisciplinatio, & licentiæ inolitæ præsumptio, vsq; adeo illicitis an-*
» *nibus aditum patefecit, vt Clerici Con-Clericos suos, relicto Pontifice suo, ad*
» *iudicia publica pertrahant: Proinde statuimus hoc de cætero non præsumi,*
» *si quis hoc præsumpserit facere, & causam perdat, & à communione efficia-*
» *tur extraneus.*

» *Matisconense Concilium* (inquit *Bellarminus*) *omnia negotia Clerico-*
» *rum in Episcopi sui, aut Presbyteri, aut Archidiaconi præsentia finienda esse*
» *decernit.*

Omnia negotia, sed quæ Ecclesiastica, siuè ad Ecclesiam spectant, aut *Bellarminus* ibijpsi contrarius est: sic enim ait, *De Clericis lib.* 1. *cap.* 28. *Propos.* 1. *In causis Ecclesiasticis iure diuino liberi sunt Clerici à secularium Principum potestate: id probat ex hoc Canone Matisconensis Concilij, & ex Can.* 13. (*vel potius* 19.) *Mileuitani Concilij, vbi, inquit, puniuntur grauiter Clerici, qui causam Ecclesiasticam ad iudicium Imperatoris deferunt. Et ex Canone* 13. *Toletani Concilij* 3. *& duobus præcedentibus Concilijs:* idem alibi, *Lib.* 1. *de Pontif. Rom. cap.* 7. §. *Idem ne*, ijsdem pene verbis asserit. Canones ergo isti de causis Ecclesiasticis intelligendi sunt; non de omnibus negotijs siue causis, vti hic *Bellarminus.*

In præcedente vero Canone apud *Binnium* hæc habentur, quę rem totam expediunt. *Quod si quicunque index cuiuscunque Clericum absque causa criminali, id est, homicidio, furto, aut maleficio, hoc facere fortasse præsumpserit, quamdiu Episcopo loci illius visum fuerit, ab Ecclesiæ liminibus arceatur.* In quibus manifestum est in criminalibus, vtpote homicidio, furto, & maleficio, Clericos exemptos non fuisse; & *Guntrammum* Regem Clericos pœnis ciuilibus castigasse, supra ostensum est, cap. 15.

Præterea in duobus istis Concilijs, sicut & in alijs, Canones isti contra Actores siue accusatores fiunt. *Clericus non accuret alium fratrem de Clericis, nec pertrahant Clerici con-Clericos*: Et in actorem, siue accusatorem pœna lata est, non in accusatum siue reum. Conuentus, siue Reus impune coram Iudice seculari, comparet & respondet; & sententiæ Iudicis secularis se submittit. Canones ergo isti non exemptionem, sed subiectionem Clericorum loquuntur. Si enim subiecti non essent, rei etiam puniendi essent, sicut actores, qui in iudicio comparent, etiam vocati.

» In Concilio *Toletano* 3. duo pro exemptione Clericorum vidit *Bel-*
» *larminus, Primum, quòd Clerici con-Clericos suos ad iudicia publica pertra-*
» *hant, præsumptio dicitur, & ausus illicitus.* Et rectè, quia cum contemptu iudicij Ecclesiastici & exemptionis à Principibus indultæ, prouocant Clerici ad iudicia publica, & Episcopos suos relinquunt. Merito

ergo

ergo de præſumptione & illicitis auſibus ſuis redarguuntur. *Secundum Concilium* Toletanum *ſententiam Iudicis ſecularis irritat: Et cauſam perdat, & Clericum excommunicat.*

In Canone Concilij *Matiſconenſis*, duæ ſunt pœnæ mere ciuiles in Clericos latæ. *Quod ſi quicunq; Clericus hoc implere diſtulerit, ſi iunior fuerit, vnominus de quadraginta ictus accipiat: Si certe honoratior, triginta dierum incluſione mulctetur.* Cur has pœnas omiſit *Bellar*? An id vidit, non eſſe in poteſtate Concilij aut Epiſcopi, vt verberibus, aut carceribus Clericos ſuos corrigat? Sed quod ad rem attinet: Decreta iſta Conciliorum cum conſenſu Regum facta ſunt, ideo in illo Matiſconenſi profitetur *Guntramnus*, ſe & Sacerdotes & Laicos delinquentes caſtigaturum; & in hoc ipſo Concilio Toletano *Reccaredus* Rex cum Patribus conſentit, & petunt Patres iſtius Concilij à Rege, *Can.* 21. vt ſeruos ſuos eâdem libertate donet. Et Patres Concilij Toletani 4. ſub *Siſenando* Rege. Sic declarant, *Can.* 46. *Præcipiente Domino noſtro atque excellentiſſimo* Siſenando *Rege id conſtituit ſanctum Concilium; vt omnes ingenui Clerici, pro officio religionis, ab omni publica indictione atq; labore habeantur immunes, vt liberi Deo ſerviant, nullaque præditi neceſſitate, ab Eccleſiaſticis officijs retrahantur.* Ecce decreta eſt exemptio Clericorum ex parte, à Concilio, ad præceptum Regis *Siſenandi*, & eodem iure quo decreta eſt exemptio, pœnæ pro violatoribus ſunt decretę, ciuiles ſcilicet à Rege, qui ſolus poteſt eas infligere.

Verum egregiam Pontificiorum fraudem obſeruet hoc loco Lector: ex additione enim vnius voculæ, *Et*; quæ in editione Conciliorum per *Merlinum* factâ non extat, ſenſus huius canonis prorſus immutatur; & qua empta concidit argumentum *Bellar. Si quis hoc præſumpſerit facere, & cauſam perdat, à communione videatur extraneus.* Iuxta hanc lectionem antiquiorem, & proinde veriorem, vnica tantum pœna eaq; Eccleſiaſtica, à Concilio infligitur; excommunicatio ſcilicet. Concidit vero pœna illa ciuilis irritatio nimirum ſententiæ Iudicis ſecularis & vnâ euaneſcit ratio *Bellar.* Et ſenſus Canonis eſt, (ſicut ex verbis illis Concilij *Agathenſis, & Victus fuerit*, annotatum eſt) quaſi dicitur: ſi quis Clericus Con-Clericum coram iudice ſeculari pulſare præſumpſerit, & cauſam perdat, ſiue victus ſit, & cauſa cadat, tunc à communione efficiatur alienus: ſin vero ſuperior ſiue victor ſit, hoc illi impune erit: nulla pœna contra Clericum ſtatuitur, ſi iuſte coram Iudice ſeculari Con-Clericum pulſauerit; nulla contra Clericum reum & pulſatum lata eſt. Patres ergo ſubiectionem agnoſcunt de iure, pœnam vero in violatores libertatum Eccleſiæ à Principibus conceſſarum, & Iudicum Eccleſiaſticorum ſiue Epiſcoporum contemptores ſtatuunt. Quam facile eſt additione vnius voculæ, *Et*, & ſenſum Canonis permutare, & indebitam Concilio poteſtatem arrogare?

Hæc ſunt concilia quę pro exemptione Clericorum à *Barclaio* adducuntur: de quibus rectè concludit *Bellarm. Nos non dicimus à concilijs propriè Clericos exemptos fuiſſe, ſed eorum exemptionem declaratam & pœnis additis confirmatam.*

Iſtis tria addo: 1. Declaratio iſta non eſt iuris diuini naturalis, quia Patres ſcripturas pro hac exemptione nec adducunt, nec interpretantur: ſicut in alijs articulis fidei declarandis ſemper faciunt. 2. Declaratio iſta non exemptionem abſolutam, ſed ex parte continet, quia in Can. 1. Concilij Matiſconenſis excipiuntur criminalia, vtpote, *furta, homicidia, maleficia.* 3. Declaratio iſta, exemptionis eſt ab Imperatoribus et Regibus indultæ, vt patet ex Concilijs Toletanis, 3. et 4. ex Leone alijſque, capite 15. citatis.

Atq; hæc ſunt illa ſolennia & fere ſola, ſacrorum Canonum decreta, in quibus errorem ſuum fundant, inquit *Barclaius*. Non dicit, ſola, ſed ferè ſola: agnoſcit ergo alia produci poſſe decreta, his tamen ſolis reſpondet, quia hęc ſola à *Bellarmino* in hac controuerſia olim producta ſunt: Cætera quaſi nunquam legiſſet non magis omiſit quam *Bellarminus* ipſe, qui eadem etiam, quaſi nunquam legiſſet, omiſit: Nec ad quatuor ſubſequentia Concilia reſpondet *Barclaius*, quia hæc non obiecerat *Bellarminus*.

14 Sed ipſa Concilia perpendamus. Concilium Lateranenſe ſub *Innocentio 3. cap. 43. Nimis de iure diuino Laici quidam vſurpare conantur, cum viros Eccleſiaſticos, nihil temporale obtinentes ab ijs, ad præſtanda ſibi fidelitatis iuramenta compellunt.*

Sępè ſupra dictum eſt, Concilium hoc Lateranenſe confictum eſſe: nec edidit decreta hæc, concilium ipſum, *in quo nihil concluſum*, vti Platina; nec *Innocentius* ipſe, bello auocatus, morteq; prœuentus: ſed Paraſita aliquis ſub nomine Concilij in rem Romani Pontificis iſta capitula confinxit. *Vide ſupra cap. 7. lib. 1.*

Verum quid in hac cauſa decreuit fictus iſte Canon? *Nimis de iure diuino quidem Laici vſurpare conantur.* Vbi vero habetur ius illud diuinum, vt ſubditi, qui nihil temporale obtinent. Regi iuramentum fidelitatis non præſtent?

An tale quicquam in Scripturis? Nihil temporale obtinuit *Chriſtus*, et tamen cenſum ſoluit in natiuitate, in vita tributum. Iuramentum certè fidelitatis eſt de iure diuino naturali, ab omnibus ſubditis præſtandum, ſi ratio id poſtulauerit. Et qui à præſtando iuramento fidelitatis abſoluitur, ab ipſa fidelitate & ſubiectione non ſoluitur: ſubiectio enim eſſe poteſt ſine iuratoria eiuſdem promiſſione. Et iuramentum fidelitatis olim non exigebatur, niſi ab ijs, qui feuda ſiue alia temporalia tenebant: reliqui qui nihil tenebant, ſubditi tamen erant, licet feudatarij non erant hoc iuramentum non præſtabant. Et iuxta hunc canonem

nem præstare tenentur Ecclesiastici hoc iuramentum, qui temporale aliquid à Regibus obtinent, & proinde subiecti sunt. At Clerici omnes temporale aliquid à Regibus obtinent, aut Decimas (quas inter temporalia ex 1. *Cor.* 9. annumerat sæpe *Bellarminus,*) aut dominia & prædia siuè glebas, aut saltem domos in quibus habitant, aut victum & vestitum: ista enim omnia temporalia sunt; & quis Clericus, aut Monachus, ista à Regibus non obtinet? Nulli ergo Ecclesiastici ex hoc Capite à iuramento fidelitatis eximuntur, præsertim cum omnibus Clericis debeat & præstet Rex protectionem, & proinde Clerici debeant Regi subsidium vt præclare docet *Hugo.* Reliqui vero Ecclesiastici, qui temporalia ab Imperatoribus obtinent, non eximuntur à iuramento fidelitatis, quod subditorum proprium est. Nihil ergo ex hoc Concilio lucratur *Bellarminus.*

Quam vero insolens & arrogans est vox illa Canonis 46. *Subsidia ab Episcopis & Clericis pro necessitate Reipub. collata, prædicti Laici humiliter & deuote recipiant, cum gratiarum actionibus.* Longè aliter olim *Ambrosius*; *Agri Ecclesiæ soluunt tributum, non nego.* Sine iniuria tales & tam ingratos Clericos prædæ & rapinę omnium exponerent Reges: qui enim protectionem & defensionem Regalem ex debito postulant; subsidium etiam Regibus non ex gratiâ, sed ex debito persoluunt. Ingratissimi ergo illi Ecclesiastici qui honorem & emolumentum volunt, onus vero reijciunt. Sed bene est, humilitatem ad Reges remittunt Patres isti; retinent superbiam: sic oportet Lateranenses regnare & intrare in gloriam.

Concilium *Constantiense* Sessione 7. *Attendentes quod subditi in eorum* « *Prælates, & Laici in Clericos nullam habent iurisdictionem ex potestatem.* «

Obiter ista dicunt Patres Constantienses in causa Episcopi Astensis à *Philippo* Comite Virtutum incarcerati: nec quicquam de exemptione decernunt, sed ipsam præsupponunt: nec quo iure hanc exemptionem obtineant Clerici, diuino an Pontificio, an Imperiali explicant: nec in quibus exempti sunt Clerici, in spiritualibus an etiam in temporalibus declarant; nec de Imperatoribus & Regibus & Principibus supremis quicquam dicunt: sed solum de Laicis indefinite. Et Comes Virtutum Dominum habebat Principalem: at leges illæ quę Laicos obligant, Imperatores & Reges non obligant, nisi nominatim exprimantur: vt in capite subsequenti fusius apparebit; sicut leges quę obligant clericos, Papam non obligant.

Præterea, multæ fuerunt partes Imperatoris in hoc Concilio conuocando, cuius suasu & consilio, forte & timore, congregatum est, & contra Pontificem continuatum. In quo & Pontifex verus depositus est propter alia crimina, non propter hæresin; & *Ioannes Hus*, Clericus (degradatio enim de Clerico non facit non Clericum) per Magistratum ciuilem

ciuilem exuſtus eſt: Et Concilium ipſum confitetur poteſtatem temporalem, ſibi non competere, *Seſſ.* 15. *Attento quod Eccleſia Dei non habet vltra quid agere valeat, iudicio ſeculari relinquere, et ipſum Curia Seculari relinquendum fore decernit.* Non potuit Concilium tollere iura Regum in pœnis temporalibus infligendis; non ergo Potuit iura Regum circa Clericorum exemptionem tollere.

Concilium *Lateranenſe*, ſub Leone 10. Seſſione 9. *Cum à iure tam*
» *diuino quam humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attri-*
» *buta ſit, innouamus omnes & ſingulas conſtitutiones.*

» Hoc Concilium Conciliabulum fuit Italicum contra *Lutherum & Lutheranos*, in quo Pontificij non pro veritate, ſed pro intereſſe ſuo multa ſtatuunt contra Scripturas. Ex iure tam diuino quam humano Laicis poteſtas nulla in Eccleſiaſticas perſonas attributa eſt: at ius diuinum dicit, *omnis anima, etiam Apoſtoli, Euangeliſtæ, Sacerdotis, Monachi*, vt Patres, *Sublimioribus poteſtatibus ſubdita ſit*: Sic contra hoc ius diuinum, ex iure, vt aiunt, diuino decernunt Patres iſti circa Clericorum exemptiones. Quod cùm directè oſtendunt non per ſimilitudines, vti *Bellar.* fidem adhibebimus; interim veniam dabunt, ſi non credamus. Sed fortè ius diuinum idem illis erat, quod ius Eccleſiaſticum poſitiuum, vt ſequaces *Thomæ*, ſententiam vel ordinationem Eccleſiæ apud eum interpretantur; ius diuinum Eccleſiaſticum, vel poſitiuum: Solent enim Pontifices Canones & conſtitutiones ſuas ſub titulo iuris diuini Chriſtianis obtrudere.

Concilium *Tridentinum*, Seſſ. 25. cap. 20. de Reformatione. *Eccleſiæ*
» *& perſonarum Eccleſiaſticarum immunitas ordinatione Dei & Canonicis*
» *Sanctionibus inſtituta eſt.*

» Concilium hoc, non eſt quod curemus, in rem Pontificis, & veritatis Euangelicę diſpendium congregatum: in quo ſoli Itali duplo Epiſcopos totius orbis ſuperabant: quod neq; ab Eccleſia Gallicana receptum eſt, nec vllius ponderis eſſe ſolet, niſi apud Pontificios factioſos; hoc autem, Concilium iſtud tanquã aliud agens, obiter recenſet: nec tamen de Clericorũ exemptione decernit quicquã. Imo vero ſi rectè attẽdatur, exemptionẽ non à ſupremis Principibus, ſed ab inferioribus Magiſtratibus declarat. *Seculares quoq; Principes officij ſui admonẽdos eſſe cenſuit, confidens eos vt Catholicos, quos Deus ſanctæ fidei Eccleſiæq; protectores eſſe voluit, ius ſuum Eccleſiæ reſtitui non tantum eſſe conceſſuros, ſed etiam ſubditos ſuos omnes ad debitam erga Clerum, Parochos, & ſuperiores ordines reuerentiam reuocaturos; nec permiſſuros, vt officiales aut inferiores Magiſtratus, Eccleſiæ et Eccleſiaſticarum perſonarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis ſanctionibus conſtitutam: aliquo cupiditatis ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua violent.* Cautum hic eſt, ne Magiſtratus inferiores, ſiue Officiales immunitatem Eccleſiæ violent; ſed nulla de Principibus

bus ſupremis fit mentio. Acſi poteſtatem eorum ſuper Clericos agnoſcerent immunitatem vero contra inferiores Magiſtratus vendicarent

Cum vero dicant ordinationem Dei eſſe, in qua lege ordinatum ſit quærimus, nec enim ordinant ſimilitudines: Etſi ordinatum ſit, quid opus Canonicis ſanctionibus? acſi ordinatio Dei ſine conſtitutione canonica tanquam fulcro & ſuſtentaculo non conſiſteret.

Atque hæc ſunt 4. illa Concilia in quibus in ſuis poſtremis commentationibus confidit Bellarm. tanquam alter Golias in armatura ſua, quæ tamen aut conficta ſunt, aut Conciliabula, & conſpirationes pro faſtu Italico contra veritatem Euangelicam: quæ quidem de iure diuino & ordinatione loquuntur; ius tamen diuinum ex Scripturis & natura non proferunt, ſed pro iure diuino ius Canonicum ſubſtituunt; quibus, quia ab integritate, candore & humilitate antiquorum Conciliorum & Patrum plurimum diſtant, nulla fides adhibenda eſt. In quibus diluendis longior fui, quia in ſequenti capite, ſuper his quatuor Concilijs fundatur tota ſtructura huius molis, rudis ſcilicet & indigeſtæ, de Clericorum immunitate, quæ pro varietate diuerſarum Eccleſiarum & Regnorum varia & diuerſa fuit, & proinde de lege diuina naturali, quæ vna eademque omnibus eſt, non profluxit.

CAP. XXXIIII.

Grande verbum Barclaij, verum eſt: Clerici in temporalibus, etſi ab inferioribus Magiſtratibus, ex gratia Principum exempti ſunt, at a Supremis Principibus exempti non ſunt.

1. *Clerici non exempti à ſupremis principibus ſecularibus.* 2. *Non ſunt exempti à Chriſto, in illis verbis, filij liberi ſunt.* 3. *Scriptores non affirmant clericos exemptos à poteſtate magiſtratuum ſupremorum, etſi ab inferioribus eximantur.* 4. *Conſtantinus iudicauit Sacerdotes.* 5. *De lege Conſtantini: Clerici ad curiam non deuocentur, ſed pleniſsima immunitate potiantur.* 6. *De lege Theodoſij: Clerici Epiſcopali audientiæ reſeruentur.* 7. *De Nouella 83. Degradatio non tollit ordines.* 8. *De conſtitutione Frederici 2.* 9. *Principes non poſſunt clericos a poteſtate ſua ſuprema eximere: hoc enim eſt Imperium abdicare.* 10. *Eximere poteſt a tributo, id eſt, ſigno ſubiectionis, non a ſubiectione.* 11. *Clerici membra ſunt Reipublicæ, ergo ſub regimine Capitis i. Regis.*

12 *Cri-*

12. *Crimina priuilegiata in Francia.* 13. *An exemptio Clericorum reuocabilis ſit?*

1 GRande verbum prolocutus eſt *Barclaius*, quod Bellarm. „ *grandis temeritas* videtur, *& error intolerabilis, vnius* „ *hominis, qui, vt Regibus aduletur, & veritati, & Theo-* „ *logis, & Canoniſtis omnibus ſe opponit.* Veritas odium; „ hoc præuidit *Barclaius* ideo præfatur: *Amplius dicam, & veritatem dicam, licet odium mihi fortaſſe pariat.* Quiſquis Hierarchiæ temporali, immunitati Clericali, detrahit quicquam, hunc odio perfecto odiſſe Religio eſt Romanenſium. Plures Martyres et Cõfeſſores quales quales ſunt, Canonizauit defenſio huius hierarchię, et harum literarum in hac mundi ſenecta quam fidei Chriſtianæ profeſſio: *Omnes quæ ſua ſunt quærunt, non quæ Ieſu Chriſti*: Pontifices ijs dant gloriam in cœlis, à quibus gloriam in terris accipiunt. Si *Petrus* Protovicarius, aut Collega eius *Paulus* huic temporali hierarchię detraherent, aut in libertates Eccleſiæ inveherent, temeritatis grandis, erroris intolerabilis rei peragerentur *Blandiuntur Regibus*, vti *Salmeron*, ſubditi erant *de facto*, non *de Iure*: æquiuocant in articulo fidei præcones iſti veritatis: imo ſi adeſſet veritas ipſa, Dominus noſter *Ieſus Chriſtus*, hancq; poteſtatem deponendorum Regum Eccleſiæ ſuæ denegaret, vt cum reverentia eius dicam, *parum deſcretus eſſet*, vt *Bertrandus*, non igitur miror *Bell.* hoc loco *Barcl. grandis temeritatis, & erroris intolerabilis* arguere. Sed grande hoc verbum, quale ſit perpendamus.

Clerici per totum orbem, quocunque ordine vel gradu ſint, non ſunt adhuc vllo modo exempti & liberati à poteſtate temporali Principum Secularium in quorum Regnis & Regionibus vitam degunt: ſed perinde ac cæteri ciues ijs ſubiecti ſunt in omnibus, quæ ad politicam & temporalem adminiſtrationem & iuriſdictionem pertinent; inque eos ius vitæ ac necis, ſicut in cæteros ſubditos, ad eiuſmodi Principes pertinet. Grande hoc eſt verbum: ſed quod ex principij *Barcl.* facile eluceſcit. Clerici ſubjecti ſunt poteſtatibus ſecularibus de jure diuino naturali in temporalibus. Ergo nec Pontifex, nec Concilium, nec Imperator vel Rex, poteſt Clericos ab hac ſubjectione eximere: quia nec omnes Pontifices, nec omnia Concilia, nec omnes Principes ſecu'ares poſſunt jus diuinum naturale relaxare.

Exemptio Clericorum non eſt de jure diuino naturali, nec de Iure Pontificio aut Canonico; ſed ſolum ex gratia & indulgentia Principum ſecularium. Princ es vero ſeculares ſicut eximere poſſunt Clericos à poteſtate ludicum ſuorum ſecularium, ſingularium, vel omnium, quibus poteſtatem ſuam delegatam in menſura communicant, quamdiu

et

et quouſquè, & ſuper quos voluerint: Sic non poſſunt Clericos à poteſtate ſua eximere; quia poteſtatibus ſublimioribus ſubditi ſunt omnes, etiam Clerici, de Iure diuino & naturali, in quo Princeps diſpenſare non poteſt: at poteſtatibus inferioribus et delegatis ſubditi ſunt, de Iure humano, idq; juxta voluntatem ſiue legem Principis Supremi. Princeps enim in lege ſua loquitur, & id vult quod lege vult. Sequitur ergo grande ſed verum verbum *Barclaij*: Clerici hodie ſubjecti ſunt Supremis Principibus Chriſtianis, etſi à poteſtate inferiorum Magiſtratuum ſecularium, ex gratia & indulgentia Principum, eximantur.

Grande vero hoc verbum veritati conſentaneum eſt; vt ſupra diximus. Nec omnibus ſcriptoribus & Theologis & Canoniſtis adverſatur. Patres enim in Primitiua Eccleſia, qui ſe ſubjectos Imperatoribus in Ciuilibus, et ſcripto, & facto docuerunt, etſi à minoribus Magiſtratibus exempti erant, nunquam tamen ſe à poteſtate ſuprema Imperiali exemptos eſſe, aut ſcripto, aut facto venditarunt. Principes vero illo pijſſimi, & deuotiſſimi qui Clericis hanc exemptionem indulſerunt, edictis ſuis præciſe cauerunt, vt Imperatori datiſquè ab eo Iudicibus ſubjecti eſſent, ſicut in Iuſtiniani exemptione teſtatiſſimum eſt.

Nequè vero Scholaſtici illi, qui exemptionem Clericorum de gratia Principum profluxiſſe aſſerunt, huic grandi verbo *Barclaij* directè contradicunt.

Etſi enim *Soto* & *Couarruuias*, quorum verba, C. 34. à *Bellarmino* citantur, & *Victoria* & *Bannes*, duo iſta ponant. 1. *Papa poteſt Clericos eximere, etiam invitis Principibus*: 2. *Imperatores & Principes non poſſunt exemptiones Clericis conceſſas revocare*. Nullus tamen eorum grande hoc verbum negat, aut attingit quidem: nullus enim eorum præciſe affirmat, Clericos non ſolum à Iudicibus inferioribus ſed etiam à Supremis Principibus, ſiue Magiſtratibus, juxta Priuilegia Imperatorum & Principum exemptos eſſe: nequè hoc dicere potuerunt, quia ipſis legibus ſiue priuilegijs Principum directè contradicerent, & re ipſa & factis Principum, et praxi omnium Rerumpublicarum Chriſtianarum, Anglorum, Francorum, Hiſpanorum (apud quos Clerici propter crimen Maieſtatis pœna ciuili plectuntur) manifeſtè convincerentur.

Imo vero *Franciſcus Victoria*, *Relect. 1. de poteſt. Eccleſ. Sect. 7.* in 9. Propoſ. hoc ipſum docet: *Prætores & omnes Magiſtratus citra Principem, grauiter errant & peccant, Iudicia exercentes contra Priuilegia Clericorum; quamvis pernicioſorum, & etiã criminoſos ab Eccleſijs extrahentes extra caſus in iure permiſſos; probatur hoc; quia non ſunt ſubditi eorum, nec habent poteſtatem in illos, & ſtantibus legibus, non licet iis agere contra leges: & ipſi non habent poteſtatem vel tollendi leges, vel diſpenſandi in lege, ſed ſolum Principes*: Licet ergo inferiores Magiſtratus non

poſſunt

possunt Clericos pernicioſos cogere & punire & extra Eccleſias extrahere, qui ſunt ſub lege Imperiali, non ſupra legem; Principes tamen ſupremi poſſunt Clericos pernicioſos cogere & punire, & criminoſos extra Eccleſiam extrahere; quia ſupra leges ſuas ſunt, & cum legibus ſuis diſpenſare poſſunt. Imo in ipſis priuilegijs cautum eſt, vt Imperiali Maieſtati, & Iudicibus ab ea delegatis ſubſint, nihil ergo novum in hoc verbo grandi, quia & Imperatores & Patres hoc ipſum agnoſcunt.

2 Grande hoc verbum multis propoſitionibus ſiue rationibus probat Barcl. in hunc modum; Clerici de iure & facto ſubditi erant Principibus Ethnicis in temporalibus: Ergo Principibus Chriſtianis itidem ſubiecti ſunt: lex enim Chriſti neminem priuat iure ſuo.

Duas ſupra propoſuerat *Bellarm.* opiniones circa ſubiectionem Clericorum Principibus Ethnicis debitam de quibus ſatis ſupra dictum eſt. Tandem ſic ſtatuit, *Vera ſententia eſt Clericos iure fuiſſe exemptos, etiam* „ *à poteſtate Principum infidelium, quamuis de facto ſubiecti eſſent. Exemit* „ *autem eos, tanquam proprios ſuos miniſtros ille, qui Apoc. 1. vere dicitur* „ *Princeps Regum terræ.*

Reſponſio iſta Bell. omnia quæ prius dicta ſunt prorſus evertit: Chriſtus eximit, non ergo erant exempti ante Chriſti aduentũ: & proinde manifeſte falſum eſt, quod aſſerit Bell. De Clericis. l. 1. c. 26. quod ſcil. *Clerici exempti ſunt de iure diuino naturali*: ius enim diuinum naturale non incœpit in Chriſti aduentu, ſed à prima humani generis creatione extitit. Chriſtus exemit: Ergo nec Pontifex, nec Concilium exemit: & tamen in eadem pagina affirmat vtrunque Bell. & quod Chriſtus, & quod Pontifex abſolute exemit. Chriſtus exemit, ſi exemit, filios ſolos: *filij ergo liberi ſunt.* Matt. 17. 25. At, inquit Bell. *tanquam proprios Miniſtros ſuos ex-* „ *emit.* Chriſtus dicit, *Filij liberi ſunt*: Bell. dicit, *Miniſtri proprij & ſui libe-* „ *ri ſunt.* Antea d xerat. *Filius liber eſt, & tota eius familia cum eo*: hoc parum tutum; quia omnes Chriſtiani, filij ſunt, ſicut Clerici filij ſunt eodem genere filiationis, adoptiuo ſcilicet: & omnes Chriſtiani familia ſunt, ſicut clerici. Imo Chriſtiani potius familia dicendi ſunt; quia clerici diſpẽſatores œconomi ſuper familiam conſtituti. De miniſtris nihil dixit Chriſtus: *liberi ſunt filij*: non dicit, liberi ſunt miniſtri filij. Et filij ſæpe liberi ſunt, à tributis, & miniſtri ſoluunt tributum. Aut ergo omnes filij, omnis familia, iuxta verbum Chriſti libertate iſta gaudent, aut ſolus filius naturalis liber eſt. De miniſtris nihil dixit Chriſtus; non ergo eximit miniſtros ſuos proprios. Præterea nullus antiquorum verba Chriſti ſic interpretatur: noua eſt, & proinde explodenda hæc expoſitio, quia à traditione Catholica, & antiqua, & vniuerſali differt.

Graues vero illi ſcriptores, qui hanc propoſitionem Barcl. negãt Pontificum ſunt paraſiti: canoniſtę, ſc. iuris diuini, & verbi Dei, prorſus ignari quibus textus iuris canonici plus ſapit, quam textus Euangelij Ipſe dixit

Pontifex

Pontifex, plus apud ipſos valet, quam ſic dixit *Chriſtus*, aut Apoſtolus. Hos ſequitur in hac opinione Bell. Theologus alioqui doctiſſimus, ſed qui regula plenitudinis poteſtatis Pontificiæ omnia menſurat.

De baptiſmo Regum & lege Chriſti, an ſcilicet Rex per baptiſmum ſuum, dominium ſuum amittat in clericos, quod ante baptiſmum ſuum obtinuit, & an lex Chriſti quenquam priuet dominio ſuo, cum nulla lex iudicialis, aut pœna ciuilis in Euangelio extet; ſatis ſupra dictum eſt. Illud ſolum memoria recolat lector, dixiſſe ſupra Bell. cap. 31. *legem Chriſti ſine merito & culpa ſua, neminem dominio ſuo priuare*. Quæ vero culpa eſt in Rege illo qui ad baptiſmum accedit? An baptiſmus, qui per ſanguinem Chriſti tollit peccata omnia præterita & futura, talis iam culpa eſt; vt propter hanc ipſam culpam, baptiſmum ſcilicet: ueteantur Reges dominium ſuum ſuper clericos amittere? An culpam committit Rex eo ipſo quod baptizatur? Aut ergo baptiſmus Regis culpa non caret, aut Rex baptizatus per legem Chriſti ſine merito & culpa ſua ius ſuum amittit: & lex Chriſti omnium iniuſtiſſima eſt, quia priuat Reges dominio ſine culpa ſua, cum leges humanę quæ iuſtę ſunt, neminem ſine culpa ſua dominio ſiue iure ſuo priuẽt. Dicat hic Bell. quæ ſit culpa Regis baptizati, eo ipſo quod baptizatur, aut agnoſcat conſecutionẽ Barcl. firmam eſſe

Quicquid ergo Theologi & Canoniſtæ, de poteſtate Pontificis in eximendis abſolute Clericis è poteſtate Principum Chriſtianorum doceant, ſi antecedens *Barcl.* de ſubiectione Clericorum, Ethnicis de iure diuino debita, concedat: (quod poſt *Pighium* concedit Ieſuita Molina, de iuſtitia et iure: Tom. 1. tract. 2. diput. 3. concluſ. 6.) valebit conſequens, quia nec Pontifices, nec Principes ſeculares, poſſunt ius illud diuinum naturale relaxare: et proinde valet conſecutio: ſubiecti ſunt clerici Ethnicis Principibus de iure diuino naturali; ergo etiam Chriſtianis Principibus ſubditi ſunt: nec poſſunt abſolute eximi per Papam, vel per Principes ſeculi. Præterea non dicunt Scholaſtici & Canoniſtæ Pontificem exemiſſe clericos, nec profertur aliquod decretum alicuius antiqui Pontificis, quo exemptio iſta facta eſt: ſed propoſitio Scholaſticorum & Canoniſtarum hęc eſt: *potuit Pontifex Clericos eximere*: & aliud eſt eximere, aliud poteſtatem eximendi habere. Principes vero Chriſtiani exemerunt quidem clericos à iudicio inferiorum Magiſtratuum, ſed à ſuo iudicio, vel delegatorum ſuorum non exemerunt: quod aſſerit *Barcl.* nullo, quod ſciam Theologo, contradicente. Imo verba *Bell.* hoc loco obſeruet Lector. *Prntifex à poteſtate Principum infidelium Clericos abſolute non exemit, cum eos cenſuris Eccleſiaſticis coercere non poſſit.* Hic quæro à Bell. depoſitio Regis Ethnici cenſura ne eſt Eccleſiaſtica, annon? Si ſit cenſura Eccleſiaſtica, quid eſt, quod Pontifex non poteſt per cenſuras Eccleſiaſticas Principem infidelem cogere ad clericorum exemptionem abſolutam? ſi non ſit cenſura Eccleſiaſtica quid Pontifici et depoſitione temporali? Cenſuræ enim temporales ad Regẽ ſpectant, non

ad

ad Pontificem, qui manu sua gladium temporalem, hoc est, depositionem tractare non debet, verum de hac re supra satis.

Quarta propositio Barc. hæc est, *A nullo Scriptore memoriæ proditum est, quod Principes exemerint Clericos à potestate sua, sed solum quod exemerint à potestate Magistratuum inferiorum.*

3 *Videtur*, inquit Bell. *qui hoc dicit, aut nihil legisse, aut lectores fallere voluisse.* Imo vero qui hoc respondet, aut nihil legit, aut (quod verius est) Lectores fallere conatur. Nota est lex *Heraclij*, (Extat cõstitutio ista græc. & Lat. ap. Leunclau. iuris Græc. Rom. lib. 2. qua Clericos exemit à Magistratibus secularibus, tam in causis ciuilibus quam in criminalibus: in ea vero lege multa sunt, quę manifeste docent non esse exemptos à potestate Imperatoris ipsius; sed tantum à iudicibus, inferioribus. 1. enim cum hac conditione promulgatur. *Salua semper authoritate delegatorum Principis.* Verba sunt. *nisi forte iussu nostro quisquã causa cognitionem acceperit.* 2. *Actores sequi oportet forum rei*: reo ergo iudices seculares petente, actor Clericus tenetur iudicibus secularibus obedire. 3. Minatur Clericis Imperator: *Eo* (inquit) *qui à nobis promulgata transgreditur, aut violari permiserit, si de numero Sacerdotum sit, iustam indignationem nostram formidaturo, sin Magistratum ciuilem vel militarem forte gerit, præter amissionem eius officij, & magistratus, etiam viginti librarum auri mulctam subituro, &c.* Non minaretur Heraclius Sacerdotibus iustam suam indignationem, si nullam sibi ipsi in eos potestatem reseruasset.

Et priuilegium hoc, siue lex ista *Heraclij* ampliſſima est, nec vllus prædecessorum suorum, tam largam & amplam concessit Clericis immunitatem. Iustinianus enim Authen: Vt Clerici apud proprios Episcopos. *Ecclesiasticos in ciuilibus ab Episcopo, in criminalibus à iudice seculari iudicandos decreuit.* Idem Authen. de Sanct. Episc. § Sed neque pro quolibet; statuit, vt *nullus Episcopus inuitus ad ciuilem vel militarem iudicem in qualibet causa producatur, vel exhibeatur, nisi Princeps iubeat.* Leonis lex hæc est, referente Theodoro Lectore in collectaneis lib. 1. *vt apud Exarchum Prætorianum solum responderent Clerici.* Lex Martiani hæc est, ad Constantinum Præfectum, &c. *Cum Clericis in iudicium vocatis pateat Episcopalis audientia, volentibus tamen actoribus. si actor disceptationem sanctissimi Archiepiscopi noluerit experiri, eminentissimæ tuæ sedis examen contra Catholicos Clericos constitutos, nouerit expetendum.* Hic eximit ab alijs omnibus secularibus Iudicibus, sed non eximit à Præfecto Constantino. Exemerunt alij Imperatores, vt *Constantius* & *Constans*, alijq; plures, episcopos à magistratibus secularibus, sacerdotes vero & clericos non exemerunt. *Constantinus* omnes à muneribus & operibus sordidis eximit: sed non à Iudicijs: sic tempore creuit Clericorum exemptio quæ sub *Frederico* secundo perfectissima & absolutissima facta est, nec tamen Clericos à potestate Imperatoria liberauit, vt suo loco dicetur. Hæc si legit *Bellarm.* Lectores fallere voluit; sinon legit, audacter nimium

um pronuntiat de ijs quæ ignorauit.

Objicit Bellarm. Constantinum Imperatorem disertis verbis pronunciasse, *sibi non esse licitum iudicare Sacerdotes, sed ab illis potius se esse iudicandum.* 4

Episcopi in illo Concilio Niceno congregati, iurgia sua priuata Imperatori detulerunt, libellos obtulerunt, causam fidei neglexerunt: *Constantinus*, die designato singulorum accusationes accepit, & sigillo obsignauit, igniq; tradidit: postea sic Episcopos alloquitur. Ruffin. lib. 1. c. 2. *Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit, de nobis quoque iudicandi, & ideo nos à vobis recte iudicamur. Vos autem non potestis ab hominibus iudicari; propter quod Dei solius inter vos expectate iudicium, & vestra iurgia, quæcunq; sunt, ad illud diuinum referuentur examen: vos enim nobis à Deo datis estis Dij, & conueniens non est, vt homo iudicet Deos, sed ille solus, de qua scriptum est, Deus stetit in Synagoga Deorum, in medio autem Deo discernit.* Hæc fecit dixitque Imperator sapientissimus, vt his iurgijs omissis, illa quæ ad fidem Dei pertinent, absque vlla animorum contentione distinguerent.

Quid vero an spectant hæc ad tẽporalium rerum iudicium, an spiritualium? Sacerdotes Dij erant, sed in foro conscientiæ, in foro interiori: non in foro exteriori siue contentioso: nemo Imperator coram Episcopis in foro contentioso ante Cõstantinum steterat iudicandus: & in eo foro Sacerdotes non erat iudicandi, nec excommunicatione plectendi, in quo Dij erant. In peccatorum absolutionibus & causis fidei Dij erant, & ab Imperatore aut hominibus non iudicandi. Plus ergo quam probabile est iurgia ista inter episcopos de rebus ad Ecclesiæ regimen spectantibus fuisse, in quibus *Constantinus* nuper fidem Christi edoctus, imo iam iam in Concilio edocendus, tunc temporis iudex parum idoneus extitit: postea vero doctior, & in causis Ecclesiæ exercitatior factus, & Iudices dedit tũ Episcopos, tum Præfectos, in causa *Cæciliani* & Donatistarum, & postremo ipse in persona propria, eandem causam, & audiuit, & dijudicauit: & multos episcopos nõ degradatos (inter quos fuit & *Athanasius*) relegauit, & in exilium misit: & leges multas & edicta pro rerum Ecclesiasticarum dispositione, & hæreticorum castigatione edidit, & pœnis ciuilibus sanciuit. Mirum vero est, quod *Bell.* quem ista non latent (vtpote quæ passim in historia Ecclesiastica & Patribus habentur) verba *Constantini* cõtra sententiã & praxin *Constantini* vrget. Magis vero mirandũ est quod à *Constantino* Laico & in rebus Christianis *Neophyto* testimoniũ petat, Episcoporum vero & Patrum Nicenorum testimonia negligat. Doctissimi enim illi Synodi Nicenæ Episcopi, qui fidem illam de filij consubstantialitate toto orbe testatissimam, & nunquam satis laudatam ediderunt, *Constantinum*, tanquam iurgiorum suorum Iudicem adierunt, eiusque sententiam & iudicium postularunt.

Vide Duarenum l. 1. c. 2 De ministris & beneficijs, & Victoriã Relect. de potest. Eccles. Propos. 3. sect. 7.

Hic quæro, quibus magis credendum; Patribus Nicenis tribunal Constantini

stantini Imperatoris prouocantibus tanquã ad iudicẽ comperentem: an Constantino libellos queremoniarũ comburenti, et iurgia episcoporum cum humilitate iudicare nolenti, vt Cregorius lib.2.Indict.13.Epist.75. vt hoc facto à contentionibus priuatis ad causam fidei determinandam reuocaret? Si iudicium *Constantini* Patribus Nicenis præferendum sit, quæ erit firmitas in fide & symbolo Niceno? Si Patres Niceni in prouocatione ista ad *Constantinum* errant,& labuntur,& fidem suam, & Ecclesiæ exemptionem & immunitatem produnt,quidni etiam in fide consubstantialitatis errent?Verum quia Episcopi Imperatori,multi vni,in causa Theologiæ præferendi sunt,licitum est Episcopis, & ad iudicium Imperatoris prouocare,& ab Imperatore iudicari, quia sic prouocant Patres Niceni ad *Constantinum*.

Verum cur sensum verborum,& non verba *Constantini* refert *Bell.*? An in sensu *Bell.* plus est quam in verbis *Constantini*? *Constantinus*, vti refert Ruffinus dicit, *non potestis ab hominibus iudicari*. *Constantinus* disertis verbis dicit,vti Bell. refert: *non est mihi licitum iudicare Sacerdotes*. Vbi vero inter verba Constantini reperitur illud,*Non est mihi licitum*?Socrates postquam hanc rem retulerat.l.1.c.15.hęc addit.*Libellos illos comburi iussit,istamq́, solam adiecit sententiam.Christum præcipisse, vt qui veniam impetrare contendat,fratri ipse veniam det.*

Theoderetus lib.1.cap.11. aliter. *Non* (inquit) *oportet exorbitationes Sacerdotum vulgo innotescere; ne illis offensi ad delinquendum reddantur audaciores.* Optime vero omnium rem totam expedit Gregorius.Indict 11.lib.2.Epist.31 *Vos Dij estis, à Deo vero constituti, & inter vos causas vestras discutite.quia dignum non est,vt nos iudicemus Deos: in qua tamen sententia,sibi magis ex humilitate, quam illis aliquid præstitit ex reuerentia impensa.*Non dicit Constantinus,non est licitum,sed non est dignum, & ex humilitate dicit, vt ostenderet Constantinum locutum,non de potestate sua,quam postea in multis exercuit,sed de voluntate,quod tunc neluerit de causis Episcoporum iudicare, ne Episcopos à causa fidei definiẽda averteret, ne contentiones eorum nutriret, ne plebem eorum exemplo scandalizaret, et vt charitatem et remissionem fraternam suo exemplo doceret.

5 A verbis Constantini ad legem eius discendit. Cod Theod.de Episc.et Clericis:leg.7,*Lectores*,inquit,*diuinorum apicum,& hypodiaconi,& ceteri Clerici,qui per iniuriam hæreticorum ad curiam denocati sunt,absoluantur & de cætero ad similitudinem Orientis, minime ad curias denocentur,* " *sed immunitate plenissima potiantur. In plenissima hoc immunitate nihil* " *omnino excipit, ne curiã suam*; alias plenissima non esset. Hæc Bellarm. Vidi codicẽ Theodosianũ editum Basi ex. An.1528. in eo lex prima hęc est: *Qui diuino cultui ministeria religionis impendunt,i.bi qui clerici appellantur, ab omnibus omnino muneribus excusantur, ne sacrilego liuore quo-*

rundam à diuino

no anocentur obsequio. Eadem extat Lex de Episcopis & Clericis, Leg. 1. & 2. In illa editione lex ista 7. quam citat Ballar, non habetur: nouam sequitur editionem: quæ eo nomine suspecta est, quia noua, eoque magis, quia lex ista in corpore iuris ciuilis non habetur. Verum sit lex ista vera, & à *Constantino* lata. Pleniſſima immunitate iuxta hanc legem Lectores & Hypodiaconi & cæteri Clerici, ſicut alij in Oriente, potiantur. Pleniſſima quæ alijs conceſſa eſt. Multa, vti videtur, conceſſerat *Conſtantinus* in gratiam Epiſcoporum & Sacerdotum, quę in hac lege concedit etiam Lectoribus & Hypodiaconis, qui in ſacris ordinibus Diaconatus & Preſbyteratus non erant. Hi Lectores & Hypodiaconi & Clerici immunitate pleniſſima potiantur, qua in Oriente gaudent Epiſcopi & Sacerdotes; poteſt hic eſſe ſenius horum verborum. Conceſſerat *Conſtantinus* immunitatem ab operibus & muneribus ſordidis, vti ſupra dictum eſt: leges in prejudicium eorum, qui cœlibem vitam inter Romanos ducebant, reuocarat, pariaque cum coniugatis priuilegia indulſerat, vt hæredes eſſe teſtamentorum, & parem cum reliquis bonorum portionem accipere poſſent, & vt teſtamenta conderent: atque hæ leges in gratiam Clericorum & Monachorum latæ ſunt. *Illud porro eſt plan maximum* (quid ni & pleniſſimum) *reuerentiæ Imperatoris erga religionem argumentum*, (inquit Sozomenus *L. 1. c. 9.*) *quod Clericos vbique per legem ob eam rem conditam immunitate donari voluit, quodque illic qui erant in iudicium vocati, dedit poteſtatem, ſi modo animum inducerent Magiſtratus ciuiles reijcere, ad Epiſcoporum iudicium prouocandi, atque eorum ſententiam ratam eſſe, & aliorum Iudicum ſententijs plus habere autoritatis, tanquam ab ipſo imperatore prolatam ſtatuit. Quin etiam iuſſit, vt Magiſtratus, res iudicatas re ipſa exequerentur, militeſque eorum voluntati inſeruirent: præterea vt Conciliorum deciſiones firmæ & immutabiles eſſent.* In quibus pro animi libito licitum erat Clericis, ſi Iudices ſeculares reijcerent, ad Epiſcoporum iudicia conuolare, & Epiſcopi iudicabant tanquam delegati ab Imperatore, & ſententia Epiſcoporum tanquam ſententia Imperatoris habebatur; & liberi erant Clerici, vt Magiſtratus ciuiles reijcerent: & imperat Iudicibus & militibus, vt ſententiam Epiſcoporum executioni demandarent; ne hoc iuberet, ſi ſuum ipſius iudicium reijcerent. Pleniſſima ergo ſit immunitas Lectorũ & Hypodiaconorum & reliquorum Clericorum, ſicut vt Epiſcoporum & Sacerdotum: plenitudo hæc non abſoluta & ſimplex, ſed comparata ad menſuram vaſis: vas enim minimum pleniſſimum, ſicut & vas maximum: et libertas pleniſſima inferiorum et ſuperiorum Clericorum, pleniſſima in Occidente ſicut in Oriente; ſed ad menſuram vaſis, ad menſuram donationis, pleniſſima potiantur quã conceſſi pleniſſima ſub me, non ſupra vel contra me. Si ſic dixiſſet Pontifex pleniſſima immunitate potiantur Cleri Angli, ſicut Itali: an Clerici Angli aut Itali à poteſtate Pontificis exempti ſunt? Si Pontifex quando pleniſſima immunitate donat Clericos & religioſos, à ſua iuriſdictione non

eximit; quid eſt quod Imperator quando pleniſsima immunitate donat Clericos vel religioſos, à ſua hoc eſt poteſtate imperiali, in propria perſona eximere dicatur.

Verum rem omnem pro me expedit Baronius. *ad an.* 330. *Num.* 56. *Conſtantinus ad Valentinum Conſularem Numidiæ legem hanc dedit, cõtra Donatiſtas, qui Clericos Catholicos moleſtijs & iniurijs affecerant; quiq; vt Cæcilianum, ſic alios Clericos ad ſecularium Magiſtratuum tribunalia trahebant*: Cæciliani vero cauſa ſpiritualis & eccleſiaſtica erat) *Præterea per curiam ſecularia fora nequaquã intelligit, ſed ipſos ordines municipiorum, qui curiãles dicuntur, quiq; munera publica ſuſtinere cogebantur, ad quæ capeſſenda, hæreticorum delatione, Clerici Eccleſiæ Catholicæ, vt ait Imperator, denocabantur. Quod ne amplius fieret in Eccleſia occidentali, orientalis exemplo prohibuit, volens omnino ab huiuſmodi, Clericos eſſe liberos.* Aut non intelligit, aut intelligere non vult *Bell.* quid Curia & Curialis (quæ verba ſæpius in hoc titulo recitantur) in legibus Imperialibus ſignificent. libertas ergo hæc pleniſsima non eſt alia, quam exemptio à muneribus ſordidis; et pleniſsima, non ſimpliciter, ſed comparate, quatenus cum orientalibus Clericis confertur. Ita pleniſsimum argumentum in vacuũ redit.

6 A Conſtantino ad Theodoſiũ & Valentinianum deſcendit Bell. eorum hæc lex erat. *Clerici quos indiſcretim ad ſeculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor dixerat, Epiſcopali audientia reſeruamus: fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporaliũ poteſtatum ſubdantur arbitrio*: & poteſtas Imperatoria tẽporalis eſt: ergo à poteſtate Imperatorũ exempti ſunt Clerici. *Ioannes* quidã, mortuo *Honorio*, in occidente tyrannidem inuaſit, quẽ *Theodoſius* Imperator Rauennæ, precibus ſuis, et operâ *Aſparis* ducis, filij *Ardaburij* (quem captiuũ detinebat *Ioannes*) oppreſsit. Tyrannus iſte, ſi *Baronio* credimus, priuilegia et immunitates Clericorũ à pijſſimis Imperatoribus conceſſas reuocauit. Quo extincto, in hac lege *Theodoſius* et *Valentinianus* pietatis et gratitudinis cauſa, eadem renouauit. Ad Gregoriũ Proconſulem Africæ: *Priuilegia præteritarum legum, Eccleſiæ ſine Clericis delata ſeruentur.* Et ad Baſſum Comitem rerum priuatarum: *Priuilegia Eccleſiarum omnium, quæ noſtro ſeculo tyrannus* (Ioannes) *inuiderat, pia deuotione reuocamus*; ſc. vt *quicquid à diuinis Principibus conſtitutum eſt, vel quæ ſinguli quiq; Antiſtites, pro cauſis Eccleſiæ impetrarunt, ſub pœna ſacrilegij, ingi ſolidata æternitate ſeruentur.* Deinde ſequuntur verba citata: *Clericos etiam quos indiſcretim.* In quibus nihil eſt quod Clericos à poteſtate Impetatoris exemptos fuiſſe probet: etſi enim Clerici exempti ſunt á ſecularibus iudicibus in nonnullis, non tamen in omnibus ciuilibus et criminalibus exempti erant, ante tempora *Heraclij*, qui præciſè cauet, ne ab Imperatoria Maieſtate eiuſq; delegatis Iudicibus eximerentur, vt ſuprá probatum eſt. In hoc vero Priuilegio (quod *Baronius* ex antiquo ſcripto volumine ſuppleuit) manifeſtum eſt, Antiſtites Imperiali poteſtate exilio mulctandos, niſi dogmata *Pelagij* et *Cæleſtij* deſeruerí

« hæc lex erat. *Clerici quos indiſcretim ad ſeculares iudices debere deduci infauſtus præſumptor dixerat, Epiſcopali audientia reſeruamus: fas enim non eſt, vt diuini muneris miniſtri temporaliũ poteſtatum ſubdantur arbitrio*: &

Cod. Theod. de Epiſc. & Clericis leg. vlt.

Vide Socratem l. 7. c. 23.

Ad Ann. 425. num. 7.

erint: sequitur enim, *Diuersos vero Episcopos nefarium Pelagiani & Cœlestiani dogmatis errorem sequentes, per Patroclum sacræ legis Antistitem præcipimus conueniri: Quos quin confidimus emendari, nisi intra viginti dies à conuentionis tempore, iuxta quos deliberandi tribuimus facultatem, errata correxerint, sese q; Catholicorũ fidei reddiderint, Gallicanis regionibus expelli; atq; in eorum locum fidelium sacerdotium subrogari, &c.* Et in fine. *Omnes igitur personas erroris infausti, inbemus excludi, nisi his emendatio matura subuenerit.* An hæc sunt iudicia talis et tam amplæ exemptionis, qua Clerici etiam à potestate supremi Principis liberantur?

Vrget deinde Bellarminus; *Nouellam* 83. *Iustiniani*: qua Clerici in criminalibus à foro seculari eximuntur. Verba sunt *prius hunc spoliari à Deo amabili Episcopo dignitate sacerdotali, & ita sub legum fieri manu. Hic* inquit, *Clerici dum Clerici sunt, non sunt sub potestate legum: postquam vero honore Clericali per Episcopum priuati sunt, tunc sub potestate seculari sunt.*

Non satis constat, quid hoc loco significet, spoliari dignitate sacerdotali: spoliatur enim dignitate sacerdotali, qui beneficijs et dignitatibus Ecclesiasticis priuatur: spoliatur etiam dignitate sacerdotali, in sensu *Bell.* qui ab ordine Sacerdotij deponitur. Depriuatio tollit dignitates et beneficia: depositio siue degradatio, vobis authoribus, tollit ordinem ipsum: si de clerico non clericum faciat: Quod verò ordo ipse dicatur dignitas sacerdotalis, nouũ mihi videtur et insolens. Quid enim? An omnes illi, qui sacris ordinibus initiati sunt, dignitates sacerdotales obtinent? Præterea, omnis causa criminalis, quæ sufficit ad priuationẽ dignitatis sacerdotalis, non sufficit ad degradationem: Statuit Imperator; *Si reum esse putauerit eum, qui conuenitur prouincia Præses, & pœna iudiciaria dignum: prius hunc spoliari Sacerdotali dignitate, & ita sub legum manu fieri.* An pro quolibet crimine, Clericus qui pœna ciuili dignus est, ab ordinibus deponendus est? Quin etiã præcedit iudicium Præsidis: Si reum putauerit Præses Prouinciæ & pœna dignum, priusquam puniatur, spolietur dignitate Sacerdotali. Iudicium criminis ad Præsidem spectat, vt pœna dignum iudicet: tum, postquam pœna ciuili dignus iudicatur, antequam puniatur, depriuatione vel degradatione per Episcopum in manum legum tradatur. Si aduertisset Bellar. ordinem legis Imperatoriæ, nunquam sic concluſiſſet. Alterum enim horum necessariò sequitur: Aut Episcopus iudicabat Sacerdotes in causis criminalibus, contra sensum huius Nouellæ: aut Episcopus dignitate Sacerdotali priuabat, causa incognita, quod absurdum est; Aut prius iudicabat Præses secularis, & post iudicium Præsidis, ante verò pœnam ciuilem illatam, Episcopus dignitate Sacerdotali spoliabat: sic clausula ista non probat Clericos, dum Clerici sunt, á potestate seculari etiam inferiorum Magistratuum exemptos esse, sed e contra, subiectos docet, quia ante spoliationem digni pœna ciuili à Præside prouinciæ iudicantur.

Dicat verò ingenuè *Bellar.* an depositio siue degradatio de Clerico nõ Clericum, de Sacerdote non Sacerdotem faciat, et ordinem ipsum Clericatus siue Sacerdotij tollat. Si Sacerdos post degradationem, non sit vltra Sacerdos, non potest ea quæ Sacerdotis sunt facere, non potest conficere corpus Christi, non potest Sacramenta conferre, non potest absolutionem dare: Si de sacerdote fiat non sacerdos, Character etiã indelebilis deleripotest, Tollitur ergo per degradationem, vsus siue exercitium Clericatus siue Sacerdotij, ordo ipse non tollitur. Et concessæ sunt exemptiones Clericis & Sacerdotibus, qui ordines habent, non tantum ijs qui vsum siue exercitium ordinum habent.

"*At Laici ex Concilio Constantiensi nullam in Clericos potestatem ha-*
"*bent, & supremi Principes Laici sunt,* Sic Bellarm,

Quia nullum in priuilegijs Principum subsidium ad causę suę defẽsionem inuenit Bell, ad Concilia redit, & reuera subterfugia quærit. Nihil enim in hoc capite & hac controuersia, de grandi verbo Barcl. interest, quid dicant aut decernant Concilia: sufficit, contra Bellar. si Imperatores, qui Clericos á potestate Iudicum inferiorũ secularium exemerunt, à seipsis & potestate sua suprema non exemerunt. Id quia legibus ciuilibus, quæ vim legũ obtinent, in Codice sc. & Authenticis *Iustiniani* inuenire non potuit, confugit ad codicem *Theodosianum*, qui exiguæ est apud Iuris consultos authoritatis. Iustinianus enim ex Codice Theodosiano, et Gregoriano, & Hermogeniano, omnes illas constitutiones, quæ vim legum habebant, in Ius ciuile & Codicem suum transtulit: aurum & triticum desumpsit, scoriam & paleã reliquit. In hac scoria et palea nihil inuenit *Bell.*, quo grande verbum *Barel* improbaret: Ideo á iure Imperatorio ad Pontificium, ab edictis Regum ad decreta Conciliorum, inops argumentorum confugit, de quibus satis in capite præcedente dictum est.

8 Vltimo loco *vrget Bell. Constitutionem Frederici* 2. Imperatoris in Ecclesiã & Ecclesiasticos indulgentissimi & benignissimi qui priuilegia amplissima Ecclesiis concessit: sicut de ijsdẽ loquitur Lupoldus de Babenberg de Zelo Germ. Vet. Princip. c. 10. *Licet prisci Imperatores, &c. Clerum & Ecclesiãper suas leges multis priuilegijs liberarint, eadem tamen priuilegia nequaquam adaquari possunt cum antedictis priuilegijs Frederici, sc. vt patere potest vnicuiq; leges eorundem priscorum Imperatorum intuenti.* Cõfirmauit, auxitq; Fredericus priuilegia Clericorũ: legem de hæreticis extirpandis forte et comburendis promulgauit: Horum beneficiorum immemores Pontifices eundẽ Anathematizant, dignitate imperiali priuãt: Ingratissimi ergo Pontifices qui nomine totius Ecclesiæ, ingratissimus *Innocentius* 4. qui nomine suo, et totius familiæ suæ, plurimũ eidem *Friderico* debebant, plurimũ tamen eidem detrahebant, quorum beneficijs illi crescebant, illius honori & potestati inuidebant. O ingratissimos Pontifices, beneficiorumq; sepulchra: *Solomon Abiatharem* morte dignum morte mulctare noluit; quia patri suo fidelis fuit: & *Fredericus iste* etsi Ecclesiam

am priuilegijs auxerit, hæreticos pœnis ciuilibus mulctauit, à dignitate Regia deponitur. Sed ad rem: decretum Frederici hoc est. Item *statuimus, vt nullus Ecclesiasticam personã, in criminali quæstione vel ciuili, trahere ad iudicium seculare præsumat, contra constitutiones Imperiales & Canonicas sanctiones.* Super hoc ita *Bell. per secularia iudicia intelligimus, non solum iudicia Iudicũ inferiorum, sed etiam supremorum, cum omnia sint æquè secularia.*

Acsi sic concluderet *Bell.* Qui eximit Clericos à potestate seculari, eosdẽ ab omni seculari eximit; Fredericus eximit Clericos à potestate seculari. Ergo ab omni seculari. Nota est Sophistis fallacia ista, cũ de particulari vel indefinita propositione vniuersalẽ facere in materia contingẽte semper sit vitiosum. Cautè loquitur Bell. *per seculare iudicium omne iudicium intelligimus.* Sic intelligit ipse cũ suis: at sic nec loquitur *Fredericus*, nec eum intelligere possunt, qui vel constitutionẽ intuentur. Multa enim sunt quæ contra hunc sensum faciãt, nam 1. sequitur immediatè. *Quod si fecerit, actor à suo iure cedat, & iudicatum non teneat, &c.* Hic quæro, si Clericus actor sit, annon hac pœna Clericum perstringit? Punit ergo Clericũ Imperator, & non nisi subditum, & non exemptum punit.

2 *Statuimus, vt si quis Clericis vel personis Ecclesiasticis iustitiã denegare præsumpserit, tertio requisitus suam iurisdictionẽ amittit*: Hic quæro, Iudex iste tẽporalis est, aut spiritualis, si spiritualis Iudex sit, hunc priuat iurisdictione, & proinde subiectus est Imperatori, à quo punitur. Si Iudex secularis sit, & Clericus ab eo iustitiã petat, Clerici ergo Iudices seculares adire possunt, & iustitiam ab ijs petere, & proinde iustitiam ab ijs recipere, & in iudicio semet sistere corã iudice seculari possunt, quod subditorum est. Quid verò si iniustè petat Clericus? Annon sumptus refundet? & hæc pœna est, qua à iudice seculari plectitur, & proinde eidem subijcitur.

3 *Gazaros Patarenos, perpetuæ damnamus infamiæ, diffidimus atque bannimus, præcipientes vt bona talium confiscentur.* Inter hos multi erant Clerici: in Clericos ergo constitutio ista lata est.

4 Pœnæ in hac constitutione sancitæ, vtpote confiscatio, bannitio, aliæq; similes, ciuiles siue seculares pœnæ sunt, quæ á solo Magistratu ciuili, aut saltem eius authoritate delegata infligi poterant: Non ergo eximit eos *Fredericus*, á potestate sua suprema, quos pœnis ciuilibus & suis subijcit.

5 In eadem constitutione extat lex illa, quã teanstulit ille quisquis fuerit, qui decreta concilij Lateranensis confinxit: *Si vero Dominus tẽporalis &c.* in cuius fine hæc habentur, *Eadem nihilominus lege seruata contra eos, qui non habent Dominos principales.* An in hac constitutione, in qua terrã dominorum inferiorum Catholicis occupandam exponit, adeoq; ipsos Dominos deponit, seipsum deponit Imperator, & imperium suum Catholicis occupandum exponit? Si in hac parte constitutionis pœnã in Dominos inferiores infligit, contra seipsum vero Dominum supremum nihil statuit, quidni in altera etiam parte constitutionis, idem fecisse intelligatur,

gatur, vt sc. Clericos á Iudicibus inferioribus eximat, á potestate ipsa suprema & imperiali non eximat?

Quid vero si Pontifex summus in priuilegio suo sic dixisset? Statuimus vt nullus personã Ecclesiasticam in crimina'i vel ciuili quæstione, ad iudicium Ecclesiasticum trahere præsumat? An quia iudicium Pontificis Ecclesiasticum est, ideo eximuntur isti á suprema Pontificis potestate, cui omnes subiecti sunt? Si verba ista non eximunt á potestate suprema Pontificis in Ecclesiasticis, nec in temporalibus à suprema Imperatoris potestate eximunt,

9 Sequitur 5. Propositio. *Principes supremi non possunt Clericos à sua Regia sine suprema potestate eximere, quia eadem opera seipsos principatu & imperio abdicant.*

" Respondet Bellar. *Non potest omnes, nisi principatu se abdicet, at ali-*
" *quos potest, & à parte, & à tota potestate sua suprema eximere, ita tamen vt*
" *verus Princeps sit.* Omnis iurisdictio prior est Iudice: & Iudex ad Iurisdictionem ordinatur, non iurisdictio ad Iudicem, Reges propter Regna siue Regimina instituti sunt, non Regna siue Regimina propter Reges. Sicut ergo Imperator non potest imperium, aut Imperij dignitatem, aut partes alienare, sic nec potest subiectos á iurisdictione sua eximendo alienare: nemini enim licet per officium suum sibi deputatum facere quæ sunt contra officium suum. At officium Regis est regere omnes subditos suo regimini commissos, & iustitiam illis administrare; idq; de iure diuino naturali: contra hoc officium ergo non licet Regi vel Imperatori quicquam facere: faciat autẽ contra hoc officium Rex iste, qui Clericos à iurisdictione sua eximit, quia eos non regit, nec iustitiam illis administrat. Quod si partem Imperij sui potest Imperator alienare, potest & totum Imperium, cum finitum sit, per partes alienare: diminutio ergo istá Imperij per exemptionem Clericorum, est contra naturam Imperij, & contra legem diuinam naturalem, per quam debet Rex omnes suos subditos regere, & iustitiam illis administrare. Rex ergo qui contra diuinam legem dispensare non potest, non potest eximere Clericos a sua potestate; licet dispensando in legibus suis; possit ab inferiorum potestate eximere.

Præterea ex gratia & priuilegio Principum, Clerici á potestate inferiorum Iudicum secularium eximuntur, & Episcopali audientiæ reseruantur. Hic igitur quæro, quo iure in causis temporalibus Episcopi iudices sunt Clericorum? Aut proprio & Episcopali, quatenus Episcopi; sic ad Episcopos, quatenus Episcopi, spectat cognitio causarum temporalium, & Episcopi ex officio pastorali Iudices sunt ordinarij Clericorum in temporalibus, à Deo & Christo instituti, quod vix credo affirmabit *Bellarminus*: Aut iure alieno, & non proprio, delegato sc. non qua Episcopi, sed qua ab Imperatore designati sunt, qui Clericos eorum audientiæ reseruauit: exempti ergo non sunt á iudicio Imperatoris, quia quando Iudices ab Imperatore delegati iudicant, ipse Imperator iudicare dicitur. Vnde iudi-

cia

cia Episcopalia tanquam sua reputat Imperator *Constantinus*, & per ministros suos executioni demandat: vt supra ex *Sozomeno* L. 1. c. 9. patet.

Sicut vero Papa, qui Iudex ordinarius est supremus in causis spiritualibus, potest Clericos à iurisdictione omnium inferiorum Iudicum Ecclesiasticorũ & Episcoporũ & Patriarcharum eximere, *vt Thomas* 22. q. 186. *Art.* 8. *ad* 3. Sed á sua suprema iurisdictione nõ potest eximere, quia de iure diuino naturali (secundum vos) debet omnes oues & arietes Christi, Clerum & populum regere, & iustitiam illis administrare: Sic Rex siue Imperator, qui supremus est Iudex ordinarius in causis temporalibus in territorio suo, potest Clericos á iurisdictione omnium inferiorum Iudicum, Prætorum, comitum & similium eximere, non tamen á sua suprema iurisdictione, eximere potest, idque eadem de causa, quia de iure diuino naturali debet omnes ciues Reipublicæ, siue Clerici siue Laici sint regere, & iustitiam illis administrare. Quin etiam sicut in spiritualibus appellatio ab omnibus inferioribus iudicibus Ecclesiasticis datur ad Papam, nec potest cuiquam vel minimo de Clero vel populo, talis appellatio denegari, ne per clausulam, vt loquuntur irritantem, quæ huiusmodi appellationem prohibeat; ratio est, quia appellatio ad supremum Magistratum, est de iure diuino naturali, & proinde nemini negari potest: sic in temporalibus ab omnibus inferioribus Iudicibus secularibus datur appellatio ad Cæsarem vel Regem, quæ ne cuiquam vel minimo ciui denegari potest, quia appellatio de iure naturali omnibus concessa est: ex quo sequitur, quod etsi Imperator siue Rex eximat Clericos á potestate inferiorum Iudicum secularium, non tamen á sua suprema eximere potest, quia semper datur appellatio ad supremum Magistratum, de iure diuino naturali, & non datur appellatio nisi ad Iudicem legitimum & competentem.

Rectè ergo asserit Barclaius: *Proprium est inseparabile* (addo etiam essentiale) *Regum & Principum, posse in delinquentes animaduertere, & omnes ciues, omnia membra Reip. pœnis & præmijs, legitimè siue iuxta Leges gubernare* Et in Rep. Iudæorũ omnia crimina ciuilia, furta, homicidia, maleficia, secundum legem Iudicialem, in omnibus & Clericis & Laicis, similiter pœnis ciuilibus per Regem siue Iudices ciuiles punienda erant: tota enim lex iudicialis, quoad pœnas ciuiles, magistratui ciuili tãquam custodi legis, a deo commissa est: & *anima quæ peccauerit*, etiam si Clerici sit, *morietur*: Non est ergo in potestate Principis, vt Clericos á pœnis ciuilibus, quæ á solis Iudicibus secularibus infligi possint, eximat.

De Propheta qui deos alienos annũciat (& hic proculdubio Clericus erat) dicit Dominus *Deut.* 13. 1. 5. & 8. 9. *Interficietur*: non dicit eximatur á supplicio ciuili, quia Clericus, sed interficiatur: & iudicibus & populo non Clericis dicitur, Non acquiescas ei, nec audias eum, nec parcat ei oculus tuus, vt misereatur & occultes eum, sed statim interficies; sit primum

mum manus tua super eum, & postea omnis popu'us mittat manum &c. Non parcat ei oculus tuus, idem sonat acsi diceres, non eximas eũ à supplicio & coactione ciuili; & non est in potestate Principis vt parcat ijs, eosue à supplicio eximat, quos Deus morte plectendos statuit. Quisquis igitur criminosos Clericos & sceleratos eximit, proculdubio mandatum Dei negligit, & essentialia munia officij Regalis omittit; Essentia enim Regis est, vt iustitiam omnibus ciuibus diuidat.

10 At obijcit Bell, *Proprium Principis summi est, tributum à populo sibi subiecto exigere*, Rom. 13. *Ideo tributa præstatis: potest tamen Rex, quos vult, in Regno suo immunes a tributis facere, sicut dixit Saul.* 1. Sam. 17. *qui percusserit Philistæum, ditabit eum Rex diuitijs magnis, & domum patris eius faciet asq; tributo in Israel: eodem modo potest & vnam ciuitatem, & vnam societatem à tributo liberare.*

Honor sustentationis debetur Regi, de iure diuino naturali, sicut etiam honor reuerentiæ & obedientię: modus sustentationis pro varietate Regionum varius est: si Rex sufficienter dotatus sit ad honorem, & onera Regni, & familiæ suæ perferenda, quid opus est tributis? Si alio modo prouisum sit regi, tributa non sunt necessaria, quamuis sustentatio sufficiens necessaria sit; modus sustentationis siue per tributa, siue per alia media liber est. Quicunq; vtilitati, defensioni, & regimini publico inseruiunt & inuigilant, siue super animas, siue super corpora, & bona temporalia, vt Reges, Sacerdotes, & Milites, de publico, secundum ius diuinum naturale, alendi sunt: nec in potestate Regum est, vt ciues suos ab hoc honore sustentationis eximant: at si aliter Rex sufficienter dotatus fuerit, potest ab hoc, vel illo genere sustẽtationis, hos vel illos eximere. Et tributũ modus est sustentationis, & signum tantũ, non essentia subiectionis, ideo inquit Apostolus, *tributa præstatis*, in *signum scilicet subiectionis*, vt Thomas: & possunt signa tolli manente substantia & essentia: potest tributum remitti, vt tamen subiectio & obedientia nõ remittatur. Quod in dicto *Saul* intelligendũ est. Non enim dicit, *Domus patris eius libera erit* a subiectione, sed á *tributo*, qui licet liberaret a tributo, noluit tamen, neq; potuit à subiectione liberare. Et nunquam auditum est in populo Israel, quod Reges illi, qui tributa remiserunt, simul & obedientiam remiserint, nec dixit vnquam quisquam, quod Sacerdotes Aegyptiorum liberi erant & exempti ab obedientia & subiectione Pharaonis, quorum terra tamen libera fuit à tributo quintę partis, *Gen.* 47. 26. Tributum ergo quatenus est modus sustentationis, remitti potest, at ipsa sustentatio non potest. Qui ergo tributum remittit, non statim desinit esse Rex, at qui omnem remittit sustentationem, Regalia remittit, & Rex esse desinit.

Nec desinit Rex esse Laicorum, qui Clericos a tributis et subiectione eximit; sed si subiectionem Clericorũ remittat, desinit rex esse Clericorũ. *Et tamen Reges christiani* (inquit Bell.) *Reges sunt et Laicorum et Clericorũ:*

at

at quomodo Reges Clericorum sunt, si honorem obedientię siue subiectionis, necnon sustentationis & tributi, Regi detrahunt clerici ; solum vero honorem reuerentiæ.i. titulum Regium Regi deferunt. Annon hoc est Regiam dignitatem verbis asserere factis abnegare? Annon hoc est regiam dignitatem ad nudum nomen redigere? sicvt reges Christiani respectu Clericorum (vt Patriarchæ iam Orientales) mere sint titulares : titulo Reges, reipsa serui. Reges tales ducibus in via similes sunt, viam ostẽdunt, & viatoribus liberum faciunt, vtrum progredi, aut regredi velint, nec enim cogere possunt : leges enim Regum in temporalibus seruant Clerici, sed liberè seruant; & cum Clerici liberè seruant, nec possint a Regibus cogi, precariò regnant reges. Aliter Apostolus, Rom. 13. *Ideo necessitate, subditi estote* non voluntate, ex debito, non ex libertate, *non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam.* Imo vero inquiunt pontificij: *nec propter iram*, quia non habent vim coactiuam, *nec propter Conscientiam*, quia de facto subditi sunt, non de iure. Si ergo Reges Christiani Clericorum Reges sunt, Iura Regum .i. sustentationem & obedientiam habere debent, aut Reges Clericorum non sunt, vel tantum Titulares Clericorum Reges sunt. Verũ enim vero Clerici emolumenta vera, non titularia a Regibus obtinent, protectionem, directionem, pascua temporalia, omniaq; ad vitam necessaria accipiunt; vera itidem onera, non Titularia, verũ honorem, veram obedientiam & sustentationem ferant & præstent: nec solum orent pro Regibus in genere, & pro N. Rege in particulari, quod etiam ex doctrina Christi, pro inimicis capitalibus præstare debent, sed iuxta Sanctum Petrum: *Deum timeant, Regem honorificent*, non titulis reuerẽtiæ, sed obsequijs obedientię & sustentationis. Reges enim nõ titulo tenus, nec verbis & vmbris, sed sudore & sanguine suo, Ecclesiã & Ecclesiasticos protegunt: & proinde Ecclesiastici Regibus, nõ titulo tenus aut liberè, sed etiãvsq; ad sanguinem subijciãtur: & sicut Reges verè pascũt Clericos, cibo & bonis tẽporalibus, sic tributum & sustentationem vere & ex amino præstent regibus Clerici.

Vnum ex Confessione *Bell.* lucrati hoc loco sumus: *Clerici* (inquit) *non solum leges Regum politicas liberè seruant, sed causas etiam quas cum laicis habent, cum actores sunt, ad Tribunalia eorum deferunt, & iudicijs & sententijs ipsorum in eiusmodi causis acquiescunt.* Annon hæc subiectionem loquũtur? Addantur & ista, quod si causa cadunt, & sumptus refundunt, & iudicatum soluere coguntur, quod in omnibus Regnis Christianis vsus & praxis comprobat ; & nemo sanus Clericos de iure principibus secularibus subiectos negabit. Adde quod omnes lites circa possessiones, & bona temporalia Monasteriorum & Ecclesiarum, & Clericorũ, in plærisq; regnis Christianis coram iudicibus secularibus audiebantur & terminabantur, & luce meridiana manifestius erit, bona & res Clericorum & Ecclesiasticorum, a iurisdictione iudicum secularium etiam inferiorum libera non fuisse. De personis in criminalibus mox dicemus.

Ratio alia Barcl. hæc est. *In corpore naturali membra omnia sub Capite*

sunt

è ciuibus, qua Clerici ſunt, eadẽ exemptione potiuntur. Somniũ ergo hoc, de exẽptione, iure diuino confirmata, varietate hac euertitur: quandoq; enim maior, quandoq; minor eſt; creſcit vt luna, & decreſcit; in vna gente amplior, in alia in anguſtias compingitur; quandoq; ad perſonas, quandoq; ad bona extenditur; quandoq; in ciuilibus, quandoq; in criminalibus obtinet. Clerici, Principes imperij, exempti non ſunt, Clerici verò ciues exẽpti ſunt. Non itaq; de iure naturali eſt exẽptio iſta, cùm apud omnes, & omni tẽpore vnũ idemq; ſit ius naturæ. Quod ſi duæ perſonæ fuerint in Archiepiſcopo Colopienſi; altera Epiſcopi, Principis Electoris altera, quidni & duæ ſint in quolibet Clerico perſonæ, vna qua ciuis Eccleſiæ, altera qua Reip. Epiſcopus ergò Princeps Elector, & Clerici ciues in hoc ſũt pares.

2. Inquit, *Eundem vocauit Paulus 3. Pontifex ad tribunal ſuum: ſicq; iuſſu ſummi Pontificis & Imperatoris loco motus eſt; ſed ſententia depoſitionis à Põtifice lata eſt.* Quid verò hoc ad rem? Pontifex eundẽ vt Archiepiſcopũ depoſuit, Imperator eundem vt Principem loco mouit; duæ perſonæ in Archiepiſcopo, duo iudices in eodem remouendo; ſalua ergò eſt vtriuſq; iuriſdictio, ſpiritualis Pontifici, temporalis Imperatori. Reſponſio ergò iſta partes noſtras cõfirmat: hic enim nec Imperator Epiſcopum, nec Pontifex Principem deponere aggreditur. Quòd verò Imperator primas partes in ferenda ſententia Pontifici detulerit, non arguit in Imperatore poteſtatis defectum, ſed voluntatis humilitatem. Sit ergò Carolus Eccleſiaſticæ libertatis obſeruator diligentiſſimus, Clericos Maieſtatis reos ſuperioribus Eccleſiaſticis puniendos relinquat; non ideò poteſtate deſtituitur, ſed deuotione & humilitate abundat, quia de iure ſuo diſcedit. Piiſſimi & deuotiſſimi fuerunt Imperatores illi, qui primi Clericorum exẽptiones indulſerunt: in ſecundis conſiſtunt, qui eaſdẽ illibatas & ſartas tectas conſeruãt, quãdiũ Reipub. ciuili, ciuſq; paci non officiunt: ſed infra ſecũdos & tertios, & omnes collocandi ſunt impij illi politici, qui fontẽ exemptionũ ſuatum, i. Principũ beneficentiã, ingratitudine ſua, dum non agnoſcunt exiccant.

Pergit Barcl. *Crimina quædã ſunt, quæ priuilegiata vocantur, vtpotè Maieſtatis, geſtationis armorum, adulterina moneta, infracta ſecuritatis in Gallia, quæ ſuis Magiſtratibus, etiam in Clericis, cognoſcẽda & iudicanda cõmittunt.* 12.

Crimina illa priuilegiata eſſe non negat Bell. *ſed non ex reſeruatione Principis, ſed ex priuilegio ſedis Apoſtolicæ, Regibus Frãcorum conceſſo per quod hæc delicta cognoſcunt.* Sed vbi, aut quandò, aut quibus indulta ſunt hæc priuilegia à ſede Apoſtolica, non oſtẽdit, nec oſtendere vnquã poteſt: vt Reges Hiſpaniarũ Clericos in cauſis criminalibus, pœnis ciuilibus corrigunt ex priuilegio Põtificis, vt *Bannes*: ſic Reges Angliæ Clericos, etiã Archiepiſcopos, in cauſa Maieſtatis morte mulctarunt: idem fecerunt ſemper Veneti in Rep. ſua. Sed an hi omnes ex priuilegio Põtificis? Si omnes penè Reges eo iure vti ſunt, quid opus priuilegio? Quod priuatum ius eſt vnius non commune omnium. Quin & Pontifex ipſe Clericos, imò & Cardinales pœna mortis, exilio, confiſcatione caſtigat: An Pontifex vt Pontifex, Pontifici vt Principi temporali priuilegio hãc poteſtatem contulit, vt priuilegiata

destituitur; nulla enim lex Legislatorem ligat, sed eos quibus lata est vt Iureconsulti ex lege illa colligunt. *Princeps legibus solutus est*; & iura maiora maiestatis non possunt subditis concedi. Quod si concedantur principia Barcl. necessario sequitur hæc ratiocinatio.

Clerici iure diuino naturali in temporalibus Principibus secularibus subditi sunt. Et aut subditos aut exemptos esse necesse est, quia in contrarijs Theologicis non datur medium: aut subiecti sunt de iure diuino naturali, aut exempti sunt.

Clerici exempti sunt, de gratia & indulgentia Principum, non per potestatem Pontificis aut Conciliorum: solus enim potest eximere a subiectione qui dominium habet: dominium autem in temporalibus solus habet Princeps secularis. Principes politici qui Clericos a potestate inferiorum Iudicum exemerunt, quibus subijciuntur per delegatam potestatem, iuxta leges ciuiles, non possunt eximere Clericos a potestate sua, cui subditi sunt de iure diuino naturali, contra quam dispensare non possunt. Ex quibus sequitur Conclusio siue grande verbum Barcl. *Clerici à suprema potestate Principum secularium exempti non sunt.*

Proponit verò Barcl. quæstionem nec soluit: An sclt. in potestate Principum sit exemptionem Clericorum reuocare? quam tamen sic soluit *Barcl.* vt prorsus neget in potestate Principum secularium situm esse, vt exemptionem istam reuocent. Id quod ex eo probat, quod qui exemptionem Clericorum ex iure diuino naturali deducunt irreuocabilem statuũt: quod quidem, hoc fundamento supposito, verissimum est: In lege enim diuina naturali, nec Pontifex, nec Imperator, nec tota communitas totius orbis dispensat. Et proinde violator est iuris diuini naturalis, si Clericos, quos lex Dei & naturæ a potestate Principum seculi eximit, ipse Pontifex Principibus in criminibus priuilegiatis subijciat: exemptionem enim quam dat Deus & natura, Pontifex licet seruus principalis, tollere non potest. 13.

Scholastici verò illi, vt *Victoria*, *Bannes*, *Ledesmius*, *Soto*, *Couarruuias*, qui exemptionem Clericorum gratiæ & priuilegijs Principum seculariũ acceptam referunt, eandem exemptionem irreuocabilem esse statuunt. 1. quia Pontifex potest Clericos potestate sua eximere, etiam inuitis Principibus: atq; hæc ratio pugnat cum ipsa propositione: Non enim potest & Pontifex & Imperator Clericos eximere: Si potestas hæc Pontifici concessa, quid opus erat eandem Imperatori concedere? Si Imperatori, quid Pontifici cum iuribus Imperatorijs? Aut Pontifex solus, aut Imperator siue Rex solus potestatem habet originalem exemptionis. Sicut lux originaliter in sole, per deriuationem in luna inuenitur: sic potestas exemptionis in vno originaliter sita est, aut in Imperatore aut in Pontifice: nec enim Pontifici hanc potestatem concessit Imperator, nec Imperatori eam delegauit Pontifex: aut solus Imperator eximit, aut solus Pontifex: eximit in spiri-

tualibus

cantur, Id tamen perraro tentandum est. Quæ enim consulto & magna cum ratione & iustis de causis concessa sunt, consultius multo & summa cum ratione & iustissimis vrgentissimisq; de causis reuocanda sunt: fauores enim ampliandi, extẽdendi, raro tollendi sunt. Nam, vt emphatice Æneas Syluius, vbi supra, *decet priuilegium Principis esse mansurum.* Atq; hæc de Clericorum exemptione dixisse sufficiat.

CAP. XXXVI.

Refellitur 2. & 3. pars 5. rationis principalis: Pastor potest arietes furiosos, i. Reges Catholicos, sed malos, excludere ab Ecclesia per excommunicationem, sed è republica per depositionem excludere non potest.

1. *Excommunicatio non tollit bona temporalia regum, quia nec priuatorum.* 2. *Censuræ Ecclesiasticæ? inter has depositio temporalis non habetur.* 3. *Tantum pastori spirituali non permittitur, quantum pastori naturali.* 4. *Non deponit priuatum, ergo nec Regem deponit: non tollit opes priuatas, ergo nec iurisdictionem publicam; non tollit excommunicatio commertium ciuile, non communionem naturæ.* 5. *Excommunicatio non tollit Iurisdictionem forensem de iure diuino, sed tantum canonico.* 6. *An Pontifex possit priuatos pœnis temporalibus castigare de iure diuino?* 7. *Pontifex pastor & rector in spiritualibus, non in temporalibus.* 8. *Rex anima est reipublicæ, non Pontifex: vbi de similitudine carnis & spiritus.* 9. *3. confirmatio ex allegoria pascendi in spiritualibus vera est, falsa in temporalibus. Et depositio non est commoda ratio cogendi, nec necessaria, nec vtilis aut Pontifici, aut Ecclesiæ, aut Reipublicæ.*

POst longam de Clericorum exemptione digressionem, in qua quatuor integra capita insumpta sunt, fortasse nõ sine Lectoris tædio (nec mirum, tumultuatio enim Clericorum circa istas libertates, vniuersum pene orbem conturbauit, tædioq; maximo affecit:) tandem ad rationem *Bell.* ex altero locorum Sacræ Scripturæ, *Panchresto*, (omnium enim vulnera Pontificij capitis sanat) de pascendis ouibus, vel potius de potestate Pastoris (oues enim pascat, quisquis velit) reditus datur. In qua omissa illa Grammatica disputatione, de sensu illius verbi recludere, an significet excludere ab ouili, an includere in carcere. In principio huius capitis inter alia, hanc adhibet responsionis suæ confirmationem *Bar.* quod scilicet

Pastor

aut Principum attingit: nec quisquam depositionem temporalem inter censuras Ecclesiasticas recenset.

Præterea exheredatio, confiscatio, deportatio, exilium, mulcta, depositio, carcer & mors, censuræ sunt ex natura sua ciuiles, & ad Principes temporales pertinent: nec magis potest Pontifex spiritualis, has censuras temporales authoritate sua exercere, aut gladium temporalem vibrare, quam Imperator vel Rex censuris Ecclesiasticus suspensione, excommunicatione, interdicto, depositione spirituali castigare potest: non deponit Imperator spiritualiter, non ergo deponit Pontifex temporaliter. Si enim iuxta *Nicolaum*, et *Gelasium*, actus harum potestatum distincti non sint, nec distinctæ erunt potestates, sed communia et confusa omnia: Si Pontifex Regna terrena dare vel auferre potest, quid ni Imperator Regnum cœlorum et det et auferat?

Et censuræ istæ spirituales, æqualiter contra omnes feruntur. Acumen gladij spiritualis non est obtusum contra priuatos, contra Principes vero acutum, sed æqualiter omnes secat, vt nec Christus, sic nec Ecclesia personas accipit: priuati bona et patrimonia non tollit, nec ergo Principis bona tollit. Cauet Apostolus Iacobus; ne Iudices Christiani opulentos aureis annulis & vestibus candidis indutos respiciant; pauperes vero sordido habitu introeuntes despiciant; non cauet tamen quòd cauendum erat, ne iudices Christiani, imo Pontifices, qui iudicum Christianorum Iudices esse volunt, magnos & diuites, Principes scilicet opprimant; plebi vero & priuatis parcant contra omnem iustitiam paria enim delicta pares pœnas poscunt: Aut ergo priuet Pontifex priuatos patrimonio, hæreditate, libertate, bonis tẽporalibus per se, nec brachiũ aduocet aut inuocet seculare, aut Principes Regnis & bonis tẽporalibus non priuet.

Ad hæc vero quid respondet Bell. Totus hæret in comparatione Pastoris spiritualis & naturalis: *Pastor arietem furiosum excludit, & recludit, Ergo Pontifex Regem malum excludit per excommunicationem, recludit siue includit per depositionem.* »

Exemptio Clericorum *Bell.* de iure diuino naturali est, sed quæ per similitudinem deducitur. Depositio Regum item de iure diuino naturali est, sed quæ per similitudinem colligitur. Verum quam disparin multis sit hæc similitudo Pastoris naturalis & spiritualis, dicit cum Nazianzeno et etiam Chrysostomus. *Neq; enim homini licet, tanta cum authoritate homines curare, cum quanta oues Pastor curat: hîc enim liberum est & vincire, & à pabulo arcere, & vrere & secare; cum illic medicinæ ac curationis suscipiendæ facultas posita minime sit in illo, qui medicinam adhibet, sed in eo tantum qui laborat, &c.* Tanta ergo non est authoritas Pastoris spiritualis, quanta Pastoris naturalis: Pastori naturali liberum est ouem vincire, itemq; vt supra dixerat Chrysostomus *diutius asseruare facile, quandocunq; id conducit* (hoc est recludere vel includere) Pastori spirituali nihil tale permittitur. Similitudo ergo ista non quadrat: claudicat in eo ipso, ad quod probandum adducitur. *De Sacerd. lib. 2. cap. 3.*

Inter iurisdictionem publicam, & opes priuatas est discrimen.

Quid vero si sit discrimen inter iurisdictionem publicam & diuitias priuatas? An gladius Ecclesiæ anceps, lapides & ligna secat; vellera, & lanam non secat? An cedros Libani cædit, arbusta humilesque miricas non cedit? Reges sunt cedri Libani, plebs vt humiles sunt miricæ. Regnum bonum est publicum, diuitiæ bona sunt priuata. An excommunicatio bona publica tollit? Si ita, quid est quod Reges qui Regni iurisdictione publica priuantur, patrimonio & bonis Regni priuantur? Certe sicut opes priuatæ & diuitiæ siue substantia inter temporalia sunt, sic etiam & iurisdictio ciuilis inter temporalia habetur. Pontificis autem potestas par est, & ad omnia temporalia, si ad aliqua extenditur.

At vrget Bell. *Priuat iure & potestate commercij humani, electionum & contractuum & similium; & iurisdictionem forensem publicam impedit: nec enim licet excommunicatis forensia iudicia exercere, audire causas sententiam ferre, in sontes animaduertere. vt supra ex cap. Ad probandum de sent. & de re Iud. probauimus,* "

Si potest Pontifex commercio humano siue naturali priuare, potest commercium humanum siue naturale concedere; quod solus Deus inter Regem & subditos instituit, & proinde solus tollit. Præterea si Pontifex habeat potestatem commercij humani siue naturalis tollendi; quidni ergo tollat commercium naturale inter Patrem & filios, Dominum & seruos, Maritum & vxorem? ista vero priuatorum commercia non potest tollere: ergo nec Principum.

Quod vero ad publicam forensem iurisdictionem attinet, expectabam ego vt potestatem Pontificis in iurisdictione forensi tollenda, probaret ex iure diuino naturali: ex Scripturis & Catholica eorundem traditione siue sensu: hoc quia non potuit, pro iure diuino ius Pontificium substituit. Quod si quæstionis hic esset status; an de iure positiuo canonico, aut etiam de iure positiuo ciuili excommunicatio iurisdictionem Iudicum spiritualium aut ciuilium suspendat ad tempus (non enim simpliciter tollit, sicut hoc loco loquitur *Bell.*) facile vinceret *Bell.* in hac causa: Principes enim Christiani, in gratiam Ecclesiæ hanc indulgentiam concesserunt, vt omnia acta Iudicum & actorum nulla essent, donec ab excommunicatione absoluerentur: & non deficit sibijpsi Ecclesia in hoc casu, quoad Iudices spirituales. Verum in hac causa Pontifices Iudices non admittimus, Canones eorum contra ius diuinum non agnoscimus; ad Scripturas & Patres prouocamus.

Ab initio non fuit sic, Cum ista probat Bell. ex *cap. Ad probandum*, vel potius ex Canonistarum collectionibus, penuriam suam & angustias in quas detrusus est, inuitus agnoscit. Non audimus Canonistas: expectamus Apostolos & Patres: *Ipse ipse quem loquuntur, loquatur.*

Eiusdem farinæ est quod proximo loco addit. *amissionem Regni ex vi*

Pœna pecuniaria, exilio, carcere, aut alia pœna corporali mulctare. Corporalis pœna in solius politici Magistratus potestate posita non est, id quod praxis ostendit præsertim in tribunali sancti officij.

Si hæc populus intelligeret, tam cito ad nutum & sibilum Pontificis, ad Regum depositionem non excurreret. *Tunc tua res agitur paries cum proximus ardet.* In ipsum populum ius idē habet, potest authoritate sua, sine invocatione brachij secularis, priuatos carceribus, exilio, pœna pecuniaria vel corporali castigare. Vtinā ista intelligerent Principes Christiani, Catholiciq; qui tanquā carnifices, ad nutum Pontificis, hæreticos igni tradunt, et bona eorum fisco addicunt. Quid enim opus est, vt seculari brachio ista fiant, si sine brachio seculari, ab Ecclesia et Pontifice fieri possent? Imo quid opus est vt Pontifices brachium seculare invocent et implorent; si potestate sua, sine auxilio brachij seculoris possent priuatis Christianis, pœnas ciuiles et corporales irrogare? Si sic docuissent olim Pontifices, si sic edidissent olim Principes Christiani, nec illi auxiliare brachium seculare invocassent, nec isti opem non necessariam contulissent. *Et frustra fit per plura quod fieri potest per pauciora*: Si Pontifex per se, authoritate sua, sine auxilio brachij secularis, possit pœnas ciuiles et corporales infligere, frustra Principum secularium auxilium implorat. Aliter hac in causa docuit Ostiensis, vti citat Ioannes Parisijs. Quærit enim Hostiensis, (Extra. de Hęreticis c. vergentis (veriùs, Ad abolendā) *vbi mandat Dominus Papa hæreticorum confiscari bona: Quid ad Papam de temporalibus? & respondit cum Domino suo Innocentio, quod tenera nihil ad eum, sed hoc fecit de assensu Imperatoris qui tunc Paduæ præsens concessit.*

Verum vbi potest? in quo regno? In qua Ecclesia? vix enim extra Italiam hoc concedat quisquam: non Anglus non Gallus, non Hispanus: relinquit Ecclesia hęreticum condemnatum brachio seculari in his regnis. Aliquid vero subest in hac Bell. propositione. Quid enim est, quod de pœna pecuniaria, de exilio, de carcere, de pœna temporali in genere loquitur; de morte, de confiscatione bonorum, de exhæreditione tacet? An priora illa potest Pontifex per se, posteriora hæc non potest? Potest quidem priora illa iuxta decreta Pontificum et Conciliabulorum; hæc posteriora adhuc non potest; nondum enim totam iurisdictionē temporalem vsurpauit: verum vbi dabitur occasio et opportunitas, vtraque ad se rapiet: in vtrisq; idem ius est: Aut in omnibus rebus priuatorum potestatem habet Pontifex, aut in nullis; aut omnium pœnarum ciuilium & corporaliū infligendarum potestatem habet aut nullarum. Aut ergo potest priuatos morte mulctare, igni & cruci tradere, aut non potest exilio aut carcere punire. Posteriora hæc nullo iure, nec diuino, nec positiuo possunt Pontifices, priora ergo nullo iure debent facere. Sed bene est, Sanctum officium Inquisitionis, argumentis, aut saltem flagellis, & cruciatibus sanguinarijs, hanc potestatem abunde asseret, quam nec Scriptura, nec ratio naturalis Pontifici contulit.

7. Subjungit aliam rationem *Barclaius* à subiectione Pontificum deductam, antequam Principes politici essent: quam in formam sic colligit.

Summus Pontifex non habet nunc maius Imperium in Principes temporales, quam habuit antequam ipse esset Princeps temporalis.

Sed nullum in Principes imperium temporale habuit vllo modo, antequam ipse esset Princeps temporalis.

Ergo. Nullum nunc in eos vllo modo habet.

Maior perspicua, minorem alio syllogismo sic probat.

Nemo inferior & subiectus, habet imperium in suum superiorem & Dominum, vt possit eum iudicare, in eoipso in quo est ei subiectus.

Papa antequam fieret Princeps temporalis, erat Regibus & Imperatoribus inferior & subiectus, quantum ad temporalia. Ergo.

Non habuit in eos temporale Imperium, vt posset eos in temporalibus iudicare.

Negat minorem vtriusq; syllogismi Bell. *quia non acquisiuit Pontifex*
» *nouam aliquam potestatem temporalem super Principes Christianos, cum*
» *ipse Principatum temporalem assecutus est sed habuit à Christo, quando ab*
» *eo potestatem Apostolicam & supremam supra omnem Ecclesiam accepit,*
» *vt esset Pastor, & rector, & caput, & vicarius generalis Ecclesiæ, vt esset*
» *Princeps omnium fidelium.*

Etsi concedatur, quod assumit hoc loco *Bell.* non probat, Pontificem scilicet, à Christo rectorem, & Pastorem, & caput, & vicarium generalem constitutum esse, vt scilicet esset Princeps fidelium: at hoc solum verum est qua fideles sunt. i. in spiritualibus: at qua ciues sunt regni terreni, aliud caput, alium rectorem, alium pastorem, alios vicarios, alios Principes habent, qui eos in temporalibus pascant, sicut eos in spiritualibus pascit Pontifex. Non ergo sic constituit Christus Pontificem supremum in omnibus Pastorem, vt Reges & Imperatores vicarios Dei, in temporalibus supremos, de statu suo dejiceret. Quod vero Reges sint supremi Dei vicarij in temporalibus. c. 8. li. 1. pluribus & fide dignioribus testibus, Patribus scilicet authoribus, docuimus, quam vnquam contrarium probabit Bell. Et Reges siue Imperatores, vicarij sunt Dei, & Christi, qua Deus est, in temporalibus. Pontifex vicarius est Christi, non qua Deus, sed qua homo, non glorioſus, sed mortalis, in ea Ecclesiæ gubernatione, quã ante passionem exercuit, potestati Cæsaris & Pilati subjectus fuit.

8. Mire vero sibi placet Bell. in similitudine illa *spiritus & carnis*: Sitamen sic imperat Pontifex Regi, sicut spiritus imperat carni, Pontifex non deponit Regem, sicut spiritus non deponit carnem. Verum dispar prorsus est ratio spiritus et carnis, Pontificis et Regis. spiritus enim anima est forma et vita corporis: Pontifex non est anima, nec forma nec vita Regis vel Regni, etsi Ecclesiæ animam se venditet: Rex enim cor et anima et spiritus et vita est Reipub. In eodẽ homine duæ sunt vitæ, animę duæ: vita corporis est anima, vita et anima animæ est Deus, sic idem homo,

quatenus

tenus ciuis eſt, & huius & illius ciuitatis, & cœleſtis & terrenæ, duos habet ſpiritus, animas duas: quatenus ciuis eſt Regni cœleſtis, à Pontifice regitur, vt à ſpiritu regitur caro. i. in ſpiritualibus: quatenus ciuis eſt ciuitatis terrenæ, ab Imperatore & Principe ſeculari regitur, vt à ſpiritu regitur caro: id eſt, in temporalibus. Pontifex ergo quoad ſpiritualia anima eſt & ſpiritus, regit ciuitatem Dei: quoad temporalia, Pontifex non eſt anima, nec ſpiritus, ſed caro; & à Rege qui anima & ſpiritus eſt Reipub. temporalis, paſcitur & regitur. Et proinde verum eſt quod in poſteriore ſyllogiſmo aſſumit *Barclaius*, & plurimi è Pontificijs confitentur. Pontifex in temporalibus de iure ſubiectus fuit Imperatoribus, donec Principatum temporalem ſupremum & abſolutum, non ex inſtitutione Chriſti, ſed ex ambitione humana aſſecutus eſt.

De exemptione Clericorum ſupra dictum eſt. c. 15. 16. 34. 35. nec opus eſt eadem hoc loco repetere: id ſolum addo; ſi exempti ſunt Clerici gratia Principum, iure ergo ſubditi erant: & ſubditos fuiſſe in temporalibus 1. docuit Bell. quando perſonas & res Eccleſiaſticorum de iure humano exemptos fuiſſe Ieſuita docuit; non poſſunt enim eximi, niſi qui ſubjiciuntur; poſtea exemptionem mixtam, partim iure humano, partim iure diuino, ſiue iuri humano pariter & diuino innixam confinxit Cardinalis. Tandem recognitus Bell. ius diuinum naturale ſimilitudinarium excogitauit, quo Clericos à ſubiectione Principum ſecularium eximeret. Hac ſimilitudine exemptionis elatus Pontifex, non ſolum obedientiam Principibus debitam denegat, ſed & poteſtatem indebitam ſuper Principes in temporalibus Princeps temporalis factus vſurpat, quiq; de iure diuino naturali ſubiectus fuerat, Princeps factus temporalis, non tantum ſeipſum alioſq; clericos ab obedientia Principum ſecularium eximit, ſed etiam Dominium & poteſtatem, ſi non temporalem, at in temporalibus, vſq; ad eorum priuationē contra ius diuinū naturale vſurpat.

Supereſt tertium & vltimum argumentum Bell. ex allegoria Paſtoris deductum in hunc modum. 9.

Poteſt & debet paſtor omnes oues ita paſcere vt ijs conuenit,

Ergo poteſt Pontifex Chriſtianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum ſecundum ſtatum ſuum tenetur, id eſt ſingulos cogere, vt eo modo, Deo ſeruiant, quo ſecundum ſtatum ſuum debent.

Debent autem Reges Deo ſeruire, defendendo Eccleſiam, puniendo hæreticos & ſchiſmaticos.

Ergo poteſt ac debet Pontifex iubere vt hoc faciant, & niſi fecerint, etiam cogere per excommunicationem, aliaſq; commodas rationes.

Concedit hoc argumentum *Barcl.* ſi de paſtu & pœnis ſpiritualibus ſiue coactione ſpirituali intelligatur: non autem, ſi ad paſtum, & pœnas temporales, ſiue coactionem ſecularem extendatur. Pontifex enim, etſi vndiq; ingentem pecuniæ ac opum maſſam corradat, vix tamen ſufficienter filios ſiue nepotes ſuos paſcit aut explet.

Iſta.--- Quo plus ſunt potæ, plus ſitiuntur aquæ. Multo minus poteſt Pontifex omnes oves Chriſti temporaliter paſcere; paſcua enim tẽporalia Pontifici commiſſa non ſunt. Ad eundem autem ſpectat paſcere cibo temporali,& non paſcere ſiue cibum detrahere temporalẽ: contraria enim circa idem ſubiectum verſantur,& in omni præcepto continetur,& mandatum,& vetitum. Si ih poteſtate Pontificis ſit cibum temporalem detrahere,ad poteſtatem Pontificis ſpectat,cibum temporalẽ omnibus Chriſti ouibus miniſtrare. Ditior vero *Craſſo* forte Pontifex,ſi non ſolum exercitum,ſed etiam omnes Chriſtianos cibo carnali alere poſſit. Hoc quia non poteſt Pontifex, ad eundem non ſpectat oues ita paſcere, ſicut ijs convenit,in omnibus;ſed in ijs tantum in quibus paſcit,in ijs & iubere & cogere poteſt omnes & ſingulos,vt ſecundũ ſtatum ſuum Deo ſeruiant. Et qualis eſt paſtus Pontificis, talis eſt baculus paſtoralis, talis gladius Rectoris: ſi paſcit ſpiritualiter baculũ ſpiritualem,gladium ſpiritualem habet: ſi non temporaliter, nec baculum temporalem,nec gladiũ temporalem habet. Quales enim poteſtates,talia ſunt arma poteſtatum: poteſtas ſpiritualis arma habet ſpiritualia,non carnalia,vt Apoſtolus,nõ temporalia: poteſtas temporalis arma non habet ſpiritualia. Iubet ergo & cogit Pontifex;ſed iubet in ſpiritualibus & cogit ſpiritualiter: nam paſtor temporalis iubet in temporalibus,& cogit temporaliter: cogit Pontifex per excommunicationem, & à communione Eccleſiæ excludit: nam à communione Reip. non excludit Pontifex, ſed Princeps; Eccleſia anathematizat, at exleges non facit.

Cogit per excommunicationem & alias commodas rationes: ſed quæ
" ſunt iſtę commodæ rationes? ſi enim paſtui & poteſtati ſpirituali conformes non ſint,ſi ſpirituales non ſint,nec commodæ ſunt. Quæ enim conuenientia eſt inter Paſtorem ſpiritualem, & baculum, aut gladium temporalem? Non eſt commodum aut conueniens,vt paſtor paſcua non ſua, baculum aut gladium non ſuum tractet. Depoſitio temporalis non eſt commoda ratio, nec gladius aut baculus conueniens: Nec paſtori commoda eſt,quia terrenis implicat & immergit, & à cœleſtibus avertit. Superbiſſimi vero omnium Pontifices, duplici nomine ſuperbi,quos & ſcientia,& delitię,& poteſtas tẽporalis inflet: Põtifices poſteriores,qui huic paſtui temporali operã nauarunt, paſtum ſpiritualẽ alijs dereliquerunt: Nec cõmoda ovi eſt,quæ ſalutaribus pœnis ſananda, non eradicantibus ad deſperationẽ cogenda eſt: nec cõmoda Eccleſiæ eſt,quæ diſſidijs regni & ſacerdotij magis concuſſa & humiliata eſt, quàm vel tyrannorum tormentis,quibus multiplicata eſt, vel hæreticorum conflictibus,quibus glorioſa floruit & reſplenduit. Quæ vero commoditas, quæ vtilitas in hoc de Monarchia temporali conflictu, in quo decreſcit Reguum cœlorum, vt creſcat Regnum terrenum, acquiruntur corpora, & pereunt animæ? Quæ commoditas in hac depoſitionis poteſtate,hoc præſertim ſeculo;in quo contendit Eccleſia,nõ de veritate

ſed

sed de modo; non de rebus, sed de nominibus & apicibus, si cum antiquis hæreticorum congressibus conferantur? Olim enim de veritate Deitatis, & consubstantialitate Filij cum Patre controuersum est: iam de modo præsentiæ non de præsentia in Sacramento contentio est. Si necessaria aut commoda sit ratio cogendi Reges & populos, per pœnas temporales, per depositionem & Regnorum priuationem, quia transubstantiationem siue modum præsentiæ non agnoscant, multo magis commoda necessaria ratio deponendorum Regum illorum fuit qui veritatem illam fundamentalem Deitatis & humanitatis Christi negabant. Si depositio temporalis commoda visa non est ratio, contra eos qui fundamenta religionis Christianę euerterunt, quomodo cõmoda videri potest, contra eos qui de modo aut consequentijs quibusdã discrepant, & in substantia omnium symbolorum fidei, Ecclesiæ filij sunt obsequentissimi?

Verum de necessitate & commoditate huius censurę satis supra dictum est, *Cap.* 17. neq; vnquam depositionem temporalem probabit quisquam Ecclesię vel Reipublicę necessariam vel vtilem fuisse. Potest enim sine hac censura depositionis Ecclesia pasci & regi, & sine ea per annos 700. & aucta est, & supra modum floruit; & proinde necessaria non est. Postquam vero temporalem gladium arripuit Ecclesia, ex dissidio Regni & Ecclesiæ, & Regnum debilitatum est, viresque temporales amisit; Ecclesia vero, hæresibus (iuxta vos) impune grassantibus, imo etiam per Principes qui iugum hoc Pontificis perosi sunt, propagatis, sine vlla spe vnionis aut concordiæ obruta est. Incommoda autem est ea ratio sanandi vel cogendi, quę quouis morbo peior est.

Ad hanc rem confirmandam vrget *Barcl.* sententiam *Ioannis Driedonis*: qui postquam has potestates & iurisdictiones iure diuino distinctas esse in Ecclesia, subiectamq; esse potestatem temporalem docuisset, nullam aliam iudicij & correctionis Papalis in Imperatores sic delinquentes pœnam, nisi solam excommunicationem ponit. Instat vero in *Ambrosio*, qui *Theodosium* excommunicauit nec tamen vniuersalis Episcopus Ecclesię fuit; & in *Innocentio*, qui *Arcadium* Imperatorem ab ingressu Ecclesiæ prohibuit, quod in *Ioannis Chrysostomi* electionem consenserat.

At, inquit *Bell.* aliam rationem Iudicij et correctionis Papalis assignat *Driedo* lib. 1. c. 14. *Potest Reges ac Principes propter hæresis crimen priuare suis Regnis*, &c. Huic loco *Driedonis* supra responsum est, lib. 1. cap. 5. De scriptoribus Germanicis: nec opus est aliud quicquam addere, nisi hoc solum: vtrumq; verum esse quod *Ioannes Driedo* affirmat, diuerso respectu. Quoad ius diuinũ naturale hęretici non priuantur Regnis, nec cõmunione naturali et ciuili: etsi priuentur, cõmunione Gratię et sacramentorũ, vt multis probat: ex 1. *Cor.* 5. et 7. De iure positiuo Ecclesiastico priuantur hęretici iurisdictione et communione naturali siue ciuili. In quo sensu dicit *Driedo*, quod Papa de plenitudine potestatis priuet Reges et

Principes

Principes Regnis & Imperijs propter crimen hæresis. In quo consentit *Ioannes Driedo* cum *Thoma* & eius sequacibus, qui potestatem deponendorum Regum iuri Ecclesiastico, siue ordinationi & sententiæ Ecclesiæ authoritatem Dei habentis acceptam ferunt. Verè ergo ex *Driedone* colligit *Barcl.* nullam aliam pœnam, nisi excommunicationem solam in Imperatores delinquentes infligi à Pontifice posse, de iure diuino naturali; etsi alio in loco, potestatem Regum priuandorum Pontifici tribuat iure Ecclesiastico positiuo. Quid autem possit, vel verius, cum nihil possit ius Ecclesiasticum positiuum contra ius diuinum naturale; quo tenentur subditi obedientiam & fidelitatem suis Principibus præstare, satis supra pluribus in locis dictum est, & omnibus satis notum. Iactent Pontificij ius suum Ecclesiasticum, Pontificium, positiuum, quo Principes deponunt: omnes fideles & pij subditi obedientiam & fidelitatem de iure diuino debitam Regibus suis, etiamsi mille contradicant canones, syncere & *ex animo*, vt loquitur *Paulus*, præstabunt.

Atque hęc de Rationibus *Bellarmini* dicta sint; quę aut petunt principium, & quæstionem misere mendicant, aut nihil omnino concludunt; vt in singulis supra obseruatum est.

CAP. XXXVII.

Ozias Rex leprosus (quod est primum exemplum *Bell.*) non est depositus, etsi seorsim habitet, sed Rex moritur.

1. *De argumento ab exemplis: siue à facto ad ius.* 2. *Leprosi seorsim habitabant inter Iudæos, sed bona, & hereditates non amittebant, nec lepra, vt hæresis peccata denotat.* 3. *Ozias propter lepram regno non excidit.* 4. *Vixit priuatus extra vrbem, sed non regno priuatus, iuxta Iosephum.* 5. *Summus Sacerdos Oziam templo eiecit, non regno.* 6. *Sententia Scriptorum de Regno Oziæ & Ioatham.*

IN Prolegomenis libri sui *Bellarminus* autoritates & testimonia Doctorum suorum pro potestate Pontificis, in Regibus deponendis produxit, quorum pleriq; sententiam suam ex Cap. *Alius* C. *nos sanctorum*, & similibus, id est ex Iure positiuo Ecclesiastico, Pontificio probant: In secundo loco ex scripturis, Duo vrget testimonia allegorica, *Ligandi* scilicet

scilicet & *Pascendi*, & *Theologia allegorica argumentatiua non est* : in quâ articuli fidei fundari nec debent nec possunt: nisi ex alijs perspicuis Scripturarum locis deduci possint. Tertio loco reiectis et relictis pœne omnibus doctorum suorum rationibus (solam enim illam pœne de subordinatione finium vrget, et *Ioannes de Parisijs* respondet rationibus 42. quæ suo tempore pro potestate temporali vrgebantur) quinque subnectit rationes, vel verius paralogismos, meras fallacias, quæ aut petunt principium, aut nihil concludunt, aut manifeste falsis innituntur præmissis : quęque scopæ potius dissolutæ, quam argumenta dialectica sunt, vtpote quę rudes indigestæq; sunt moles, quæ si in formam redigantur, infirmitatem suam facile produnt, quas quidem consultò informes proposuit vt vitia facilius occultaret ; *Quæ pura sunt nuda videri amant, mos est fœda coloribus abdere* : de his rationibus confidenter dico, nunquam eas in formam rediget Cardinalis, ne vel nouitijs suam inopiam, et causę, cuius patrocinium prę se fert, infirmitatem omnibus testatissimam faciat. Superfunt iam exempla aliquot siue facta, quibus Ius istud Pontificum, (nam omni alio iure destituitur hęc causa) corroborare conatur: de quibus suo ordine dicendum est.

De quibus quidem exemplis siue factis illud prælibandum est, Theologis omnibus hoc præcipuè pensitandum esse, non tam quod factum sit, sed quid fieri debet : facta enim singularia raro ius faciunt. A iure ad factum bene sequitur argumentum, at à facto ad ius raro recte concluditur ; singularia enim facta sine regula, sine iure precedenti, ius facere non possunt ; *Sola actio Christi instructio nostra est : Huius exemplum, sine exemplo maximum, nec ante eum quem ille imitaretur, nec post eum, qui eum imitari posset, inuentus est.* De alijs qui in Cathedra *Mosis* sedent, dixit Christus, *Matth.* 23. 3. *Quæ dicunt facite, at secundum facta eorum ne faciatis* : De Deo & Christo absolute & sine limitatione dicit *Paulus*, *Ephes.* 4. 1. *Estote imitatores Dei vt filij charissimi.* De seipso, & similiter de alijs, non absolute, sed cum limitatione: 1. *Cor.* 11. 1. *Estote Imitatores mei, sicut ego Christi* : In imitatione enim Christi error non subest : In imitatione hominum, erroris est periculum : exemplari enim vitiato, corrupti imprimuntur libri omnes : *Nec Petrus ob hoc, Apostolicum obtinet principatum, quia negauit* (inquit Petrus Damianus, *Lib.* 4. *Epist.* 9. *ad Oldericum*) *nec Dauid, idcirco Prophetiæ meretur oraculum, quia thorum alieni viri inuasit : cum mala vel bona, non pro meritis considerentur habentium, sed ex proprijs debeant qualitatibus indicari.*

Ita quippe sancti viri vel amandi vel laudandi sunt à nobis, qui nos illis longe impares esse cognoscamus ; vt tantum ea, in quibus homines vel forte fuerunt, vel fuisse noscuntur, nequaquam vel amemus, vel laudemus : sed ea tantum, in quibus eos sine scrupulo imitari debemus :

bemus : Sic Neubrigenſis, *Lib.* 2. *Cap.* 16. *Hiſtor.* de Thoma Becketto.

Non oportet ex talibus factis ſingularibus (loquitur de facto *Zacharia* qui *Childericum* depoſuit) *quæ interdum ex deuotione ad Eccleſiam, vel perſonam, vel ex fauore, vel ex cauſa alia & non ex debito iuris fiunt, argumenta ſumere.* Sic Ioannes de Pariſijs, *De poteſt. Regia &c. cap.* 15. *ad* 5. id quod etiam multis confirmat ſimilibus argumentis. *Bonifacius apud Phocam Imperatorem obtinuit, vt Eccleſia Romana eſſet caput omnium Eccleſiarum : Ergo ad Imperatorem ſpectat primatum Eccleſiæ transferre, & de Eccleſijs ordinare.*

Conſtantinus ſanxit in teſtamento ſuo, vt omnia quæ ad Eccleſiaſticum pertinent ordinem, Romani Epiſcopi iudicio diſpoſitionem recipiant : decernentes (inquit *Conſtantinus*) *ſancimus, vt Romana ſedes principatum obtineat, ſuper quatuor ſedes præcipuas.* Item in teſtamento ſuo : *Pontifex Romanus pro tempore quicunque fuerit, excelſior cunctis mundi Sacerdotibus exiſtat, & quæcunque ad cultum Dei, vel Chriſtianorum, fideique ſtabilitatem procuranda ſunt, diſponat : Ergo Eccleſia Romana habet ab Imperatore primatum Eccleſiarum, vel ſuper Eccleſias, & diſpoſitionem earum.*

Iacobus in Concilio Hieroſolymitano, authoritate Pontificali protulit ſententiam definitiuam, quia in Eccleſia illa, in qua erat Epiſcopus, quæſtio illa mota erat, nec poterat ad alterum transferri, niſi per appellationem : Ergo non licet Pontifici Romano, niſi in caſu appellationis in Eccleſijs Epiſcoporum, talem Iuriſdictionem exercere.

Romani ſub Henrico *iurarunt, ſe Papam, ſine Imperatoris aſſenſu, non electuros : Ergo hoc eſt obſeruandum.*

Hæc exempla particularia proponit ibidem *Ioannes de Pariſijs*, quibus addi poſſunt plurima eiuſdem farinæ, quæ in hiſtorijs vbique extant : ex quibus, ſi à facto ad Ius concludatur, actum eſt de poteſtate et primatu Pontificis Romani ; et tamen ſolidiora ſunt hæc argumenta, quam illa quę de *Gregorio* et *Zacharia* vrget *Bellarminus*. Et ſi valet argumentum à facto *Conſtantini*, qui libellos accuſationum, quas Epiſcopi ipſi offerebant combuſſit, pro clericorum exemptione, ſicut in præcedentibus, *Cap.* 35. vrget *Bellarminus* ; quidni etiam valeant hæc argumenta, ab authoritate, dictis, et factis *Conſtantini*, cuius et Phocę, authoritate, Eccleſia Romana primatum acquiſiuit?

Idem dici poteſt de Pontificum ſummorum depoſitionibus per Imperatores factis, quod de depoſitionibus Imperatorum et Regum, à Pontifice factis vrget *Bellarminus*. *Solomon depoſuit Abiathar ne eſſet, de facto non de iure.* Sic *Bellarm. Cap.* 15. *Narratur factum non definitur, iure ne an iniuria fecerit* : pari ratione narratur factum Sacerdotum, qui *Oziam* leproſum eiecerunt è templo : Sed an regno deiecerint,

cerint, & an recte fecerint, non narratur: narratur factum *Ioiadæ* qui *Athaliam* occidit, sed qua authoritate hoc fecerit, tacetur: non valet autoritas *Solomonis* Deo dilectissimi; quique sapientiam, & alia dona summa obtinuit, vt à tyrannide liberetur, qui *Adoniam* fratrem & *Ioabum* læsę maiestatis reos interfecit, *Abiatharem* vero Sacerdotem in *Anathot* relegauit, idque iuxta legem Dei Iudicialem: & valet autoritas *Gregorij*, qui *Leoni* vectigalia denegauit, & *Zachariæ* qui *Childericum* deposuit: etsi lege diuinâ (nulla enim extat de temporalibus lex diuina Iudicialis in nouo Testamento) & lege etiam Ecclesiastica destituti erant; Annon hoc est *mensura & mensura, pondus & pondus*; Prou. 20. 10. quo facta Regum leuia & nullius ponderis, facta vero Pontificum grauia, & ad pondus æqualia habentur? Verum recte & cum summa ratione dixit Dantes Aligherius, *De Monarchia lib.* 3. *Vsurpatio Iuris non facit Ius, nam si sic, eodem modo auctoritas Ecclesiæ probaretur dependere ab Imperatore, postquam* Otho *Imperator* (qui Ioannem 12. vel 13. deposuit) *Leonem* Papam restituit, & *Benedictum* deposuit, nec non in exilium in Saxoniam duxit, multi præterea Pontifices ab Imperatoribus & Regibus, plures ab Episcopis aliisque non tantum propter hæresim, sed maxime propter vitam suam flagitiosam depositi sunt: *Henricus* 3. tres Pontifices *Benedictum* 9. *Syluestrum* 3. *Gregorium* 6. *tanquam tria teterrima monstra*, abdicare se magistratu coegit. *Henricus* 4. *Gregorium* 7. *Hildebrandum* deposuit, *Guibertum* substituit. *Gelasius* 2. *Innocentius* 2. *Alexander* 3. *Ioannes* 22. *Vrbanus* 6. *Martinus* 5. *Eugenius* 4. *Iulius* 2. depositi sunt. Multi Pontifices capti, & incarcerati misere postea perierunt; inter quos notabilis est *Bonifacius* ille 8. qui *intrauit vt vulpes, rexit vt Leo, moritur vt canis.* De quo Papirius Massonius, in *Bonifacio* 8. *Ex animi dolore in morbum incidit tam violentum, vt ipse sibi membra roderet.*

Facta hæc sunt, & bono fortasse zelo, sed an Iure facta, adhuc sub Iudice lis est. *Bellarminus* iure facta, scio, negabit, qui totus distinctioni illi, de facto, non de iure incubat, & de his respondebit forte, sicut olim *Ioannes de Turrecremata, Ad Can. Coniunctiones* 35. *q.* 2. De Pontificum factis respondit, *Ecclesia Iuribus & Legibus regitur, siue regi debet, non talibus actibus siue exemplis. Cum vero, his maiora ausos fuisse Pontifices videat, cum scandalo totius Christianitatis, vt* Syluester *in summa verba, Votum* 4. *Quæst.* 7 cum magna & Sacerdotij & regni humiliatione, cum Ecclesiæ & Reipublicæ summo damno, placent tamen facta, & exempla Pontificum ambitiosorum: facta & exempla Imperatorum et Regum etiam pijssimorum non placent, quia in rem Pontificis et suam faciant illa, hæc vero non faciant: ac si regula omnis rectitudinis hæc esset, *In rem Pontificis facit*: praxis Prophetarum,

tarum, interpres optimus est prophetarum: at praxis prophetarum sine spiritu prophetico parum tuta: Quando probaverit Bellarminus, *Gregorium* & *Zachariam*, alioſque Pontifices, recte, iuxta potestatem à Deo ipsis delegatam, in vectigalibus denegandis & Regibus deponendis fecisse, argumenta ista à facto ad ius, alicuius momenti erunt: Interim *Gregorius* & *Zacharias* quia sine mandato Dei, sine exemplo *Christi* & Apostolorum hoc ausi sunt, nec possunt exemplis facta sua tueri, non sunt tanquam exempla proponenda quæ ius faciant, quia zelum habere sine scientia dignoscuntur: Recte dicit ille apud historicum: *hoc quod modo exemplis tuemur, inter exempla erit.* Recte & nos dicimus *hoc quia exemplis Christi & Apostolorum, & sanctissimorum primorum Pontificum tueri non possunt, inter exempla non erit: Impudens oratio est* (inquit orator apud Græcos) *dicere sic factum esse; non enim; si quid contra leges factum est, id imitari licet.*

2. Iam ad exemplum *Oziæ* accedamus ex quo sic ratiocinatur Bellarminus.

" *Si ob lepram corporalem poterat Sacerdos olim Regem iudicare, & Regno privare, idem potest Pontifex propter lepram spiritualem, id est hæresin*
" *quæ per lepram figurabatur, vt sanctus Augustinus docet lib. 2. quæst. Evangel. Quæstione 40. præsertim cum Paulus dicat, omnia contigisse Iudæis in figura. 1. Cor. 10. At Ozias vsurpans officium Sacerdotum, lepra*
" *percussus à Deo est & Iudicio Sacerdotum separatus à cœtu populi seorsim*
" *in domo solitaria habitauit vsque ad obitum; ex quo factum est vt Regni*
" *administratione priuatus fuerit, et filium ipsius in Ciuitate populum Iudicaverit.*

Omnia argumenta *Bellarmini* allegorica & similitudinaria siue figuratiua sunt; Allegoriæ *ligandi* & *pascendi*, quot argumenta subministrarunt? similitudines *spiritus & carnis, capitis & membrorum, coniugij spiritualis & carnalis, voti & Iuramenti*, quas turbas dederunt? Iam aliam parat similitudinem *lepra carnalis & spiritualis sine hæreseos*: Et hæc, male succedit, sicut & cæteræ: Etsi enim leprosi seorsim extra castra siue extra vrbem habitabant, Idololatræ tamen & hæretici inter Iudæos nec regno priuati sunt, nec extra ciuitatem electi seorsim & priuatim habitabant, nullus enim ex Regibus idololatris depositus est, nullus hæreticorum à consortio saltem ciuili & naturali exclusus: & leprosi bona temporalia & hæreditatem suam retinebant etsi seorsim habitabant.

Multæ erant inter Iudæos sectæ, *Saducæi*, *Scribæ*, *Pharisæi*, *Hemerobaptistæ*, *Nazarei*, *Esseni*, *Herodiani*: Inter hos aliqui proculdubio hæretici erant, nec tamen excluſi à communione ciuili vel naturali, imo ne à communione quidem Synagogæ; Iudæi ergo, qui leprosos carnales à consortio hominum separabant, hæreticos, leprosos scilicet spirituales, à communione ciuili non separabant, Imo vero nec leprosi in lege Mosaica, qui seorsim extra castra, aut extra vrbem habitabant, à communione

Vide Epiphan. lib. 1.

nione spirituali, vel etiam naturali, nisi propter periculum contagionis arcebantur, nec ratione leprę liberabantur filij à parentibus honorandis, nec coniuges à nexu coniugali, nec serui à Dominorum obsequio: nec hæreditatem aut bona temporalia, amittebant, vt in *Simone leproso* in Euangelio Matt. 26. 6. perspici potest.

Lepra quidem Augustino falsa doctrina est, sed numquid sola falsa doctrina, siue hæresis lepra est? Annon & lepra est peccati, sicut lepra erroris? *Consideremus* (inquit Origenes In Diuersis Hom. 5.) *& nos, vt nullus peccati lepram in suam habeat anima: Lepram dixerimus esse legis præuaricationem. Lepra vetustissima est, quando quis consenescit in peccato: leprosus id est peccator*: Sic Isychius lib. 4. in Leuit. cap. 13. Sic vnumquodque peccatum, quia contagione nocet, lepræ nomine appellari possit, non solum hæretici quique, sed etiam singuli peccatores, iuxta hanc similitudinem, communione spirituali, & ciuili priuandi sint. Imo tota Ecclesia & communio perit spiritualis, & ad nihilum redigitur, quia nemo sine peccato, nemo sine errore, nemo est, qui hanc communionem spiritualem constituat; omnes enim aut lepra peccati, aut lepra erroris maculati, & leprosi omnes, si excludantur, nulla societas, nulla communio remanet. Præterea etsi *Augustinus* per lepram, falsam significari doctrinam, siue hæresin doceat, nusquam tamen hæreticos communione ciuili priuandos, aut regnis, & Dominijs, & hereditatibus spoliandos docuit. Et Iulianus Imperator erat in Capite, & tamen obediendum *Iuliano, Domino temporali*, in temporalibus, *idque propter Dominum æternum* docuit Augustinus. In Psalm. 124. Sicut ergo lepra significat & figurat falsam doctrinam, siue hæresin, sic pœna hæresis denotat separationem à communione spirituali tantum, non etiam à ciuili.

Id quod in *Ozia* manifestum erit, qui Regno propter lepram non excidit: De Ozia enim refert Scriptura, non solum, quod anno ætatis suę decimo sexto Regnum inijt, sed etiam quod per annos quinquaginta duos regnauit, & anno ętatis suæ sexagesimo octauo Rex moritur: nec dicit textus, Rex fuit, sed *regnauit*, voce actiua: acsi diceret non titulo, vel verbo tenus, sed reuera & actu regnauit. Scriptura dicit. 4. Regum 15. & 2. Paral. 26. non solum Rex fuit, sed *regnauit vsque ad annum ætatis* 68. id est vsque ad mortem: Bellarminus dicit non *regnauit*, postquam lepra percussus est, & separatus à consortio hominum per Sacerdotes; vtri creditis?

Præterea *Ioathan*, viuente & regnante patre, non dicitur *Rex, sed filius Regis*: nec dicitur de *Ioathan*, quod regnauit viuente patre, sed *palatium gubernabat, & domum Regis rexit, & iudicabat populũ terræ*. & mortuo patre dicitur. 4. Regum. 15. 17. Et *Regnauit Ioathan, filius eius*, pro

pro eo : acsi diceret spiritus sanctus: ante rexerat et iudicarat sub Patre: iam mortuo patre regnauit pro patre, vel in loco patris. Et *regnauit Ioathan annis sexdecim, & cœpit regnare annos natus viginti quinque, moritur anno quadragesimo primo.* Non recensentur anni *Ioathan* à deposition siue lepra, sed a morte *Ozie* patris sui: sic enim rem gestam narrat scriptura, 2. *Paral.* 26. 23. 2. *Paral.* 27. 1. & 9. *Dormiuit Ozias cum patribus suis, & regnauit Ioathan filius eius pro eo: viginti quinque annorum erat Ioathan cum regnare cœpisset & sexdecim annis regnauit in Hierusalem, dormieruntque eum patribus suis*, ita iuxta Iosephum *Antiq. Iud.* 1. *Lib.* 9. *Cap.* 11. moritur anno quadragesimo primo ætatis suæ. Ecce anni regni Ioathan numerantur, non à tempore quo incœpit regnum sub patre administrare, sed quo ipse cœpit post patrem mortuum regnare; Anni vero illi à percussione & lepra, vsque ad mortem *Ozia*, inter annos regni *Ozia*, non autem *Ioatham* recensentur: Ideo 4. Regum 15. 23. dicitur, *Anno quadragesimo Azaria* (hic *Ozias* est) *regnauit Phacee filius Manahen super Israel in Samaria, biennio* & V. 27. *Anno quinquagesimo secundo*, (qui vltimus est Ozię, in quo moritur) *Azariæ regis Iudæ, regnauit Phacee, filius Romeliæ super Israel, in Samaria viginti annis.* Sic *Ozias* vsque ad mortem, & Rex dicitur, nomenque regium retinuit, & regnasse dicitur, actu non nomine vel titulo tenus: & Anni regni eius, non vsque ad mortem numerantur. Et de nullo alio Rege, qui vere & actu, vsque ad mortem regnauit alijs verbis vtitur spiritus sanctus, quibus regni durationem exprimat: Ideo præcise de *Dauide* dicitur, *regnauit septem annis in Hebron: & in Hierusalem triginta tribus.*

« Quod ergo Respondet Bellarminus, *Oziam lepra percussum retinuisse* « *quidem nomen Regium, sed inane*; hoc inane est, & friuolum: quod enim de alijs Regibus vere regnantibus, hoc de *Ozia* lepra percusso, dicit Scriptura, *regnauit*; quod verbum actum regnandi, non nudum nomen denotat: & anni regni eius vsque ad mortem eius numerantur: filius vero eius, sine nomine Regio, quia vsque ad mortem *Ozię* filius Regis dicitur, cum potestate forte plena, sed delegata regnum administrabat, sed non regnabat, quia post mortem patris regnasse *Ioathan* dicit textus.

4. Ne vero omnia ista dixisse videatur *Bell.* ex capite suo, sine vllo Antiquitatis testimonio, vrget authoritatem *Iosephi*: eius verba sunt, *Et cum aliquandiu priuatus extra vrbem vixisset; filio Ioathamo Rempublicam administrante mœrore tandem confectus obiit.*

Tota vis huius argumenti latet in verbis illis, *priuatus extra vrbem vixit*: Quid vero hoc aliud est, quam quod dicit Scriptura, *& habitauit in domo separata, plenus lepra ob quam ejectus fuerat de domo domini*, vox Græca iuxta Septuaginta est: ἐβασίλευσεν id est *regnauit*, in domo separata vel priuatus, & in priuatis ædibus regnauit. Et nunquam

sic

sic vertissent 70. si a Regno depositus fuisset *Ozias*: Et rectius norunt 70. qua pena mulctatus sit *Ozias*, quam *Iosephus*, vtpote qui spiritu sancto pleni, vt creditur, vnanimiter in versione sua conspirarunt.

Præterea Iosephus, In loco citato alijs verbis idem asserit quod scriptura ipsa: *Sacerdotes inquit, postquam in facie Regis lepram animadnerterunt, diuinitus inflictam ei plagam indicauerunt: & vt tanquam pollutus & impuratus vrbe cederet admonuerunt: at ille pudore calamitatis ita modestior, paruit, vel vt scriptura loquitur: ipse perterritus acceleranit egredi: superbia cum impietate coniunctæ tam miserabili pœna mulctatus, & cum aliquandiu priuatus, &c.* Eiectum fuisse de domo domini narrat scriptura: eiectum de Regno non narrat, & pœna hæc separationis a lege Dei infligebatur, cui modestior factus paruit, quod ergo dicit Iosephus, *priuatus extra vrbem vixit*, non hoc innuit priuatum regno fuisse: verba enim sequentia: filio Ioathamo Regnum administrante, hoc potius negant: dixisset *Iosephus*, filio *Ioathamo* pro patre regnante, si *Ozias* regno priuatus fuisset: postmortẽ autem *Ozia* narrat idem *Iosephus*, regnasse *Ioathamum* in tribu Iuda & Hierosolymorum regia; & laudes eiusdem Regis narrat: *Huic Regi nulla virtus defuit, erga Deum pio, Iusto erga homines, & Reipublica studioso.* parum pius Ioatham, si patri inuito regnum eripuisset: pietas enim in parentes dirigitur, humilis potius & obseruantissimus, qui sub patre, & pro patre regnum administrauit.

Quamuis verò priuatus habitat Ozias in domo separata, nec posset ipse in persona propria, propter lepræ contagionem munia regia obire, potuit tamen & potestatem suam filio delegare, & quæ agenda erant, cum Imperio dirigere: priuatus vixit respectu domus siue habitationis separatæ, quoad statum tamen priuatus non fuit: nec dicit aut textus, aut Iosephus, quod per sententiam sacerdotis in statum priuati hominis, Rex *Ozias* redactus sit; sed quod priuatus extra vrbem; priuatus loco, non priuatus officio vixit: nec meminit *Iosephus* alicuius sententiæ contra *Oziam* prolatæ, sed solum *admonuerunt*, vt tanquam pollutus & impuratus, vrbe cederet: non dicit vrbe & regno cederet: admonent non cogunt, quod in depositione accidit: & admonent iuxta legem; & lex ista perspicua et clara, qua iubentur leprosi vt extra vrbem, siue castra, separatim habitent: eodem ergo animo ex eadem lege admonere sacerdotes, vt sicut vrbe sic regno cederet: et lex nulla talis extat inter leges morales et Iudiciales, Et rarissime Iudæi tale quid tentare ausi sunt, sine expressa lege Dei.

Mira vero est *Ozia* præ regibus Christianis huius ætas; qui cæterum pius, et bonus Rex, postquam Domino sacrificare illicitè ausus est, et lepra percussus, non solum templo et ciuitate egredi, iuxta legem Dei et admonitionem sacerdotum accelerauit, sed etiam sine lege aliqua expressa, sine aliquo exemplo, sine sententia aut mandato, aut vel admonitione sacerdotali regno cessit, quod nullus vnquam Rex Christianus fecit, aut (sicut

Nam opinor

opinor) facturus est, vt ad sententiam Pontificis regno cedat, & in statum priuati hominis seipsum redigat , & tamen Iustitia Christianorum superabundat, plus quam Pharisæorum.

5. Quod si quis facta sacerdotum in hac *Oziæ* eiectione penitus introspiciat, facile perspiciet , ipsos intra limites officij sui se continuisse, & rebus tantum spiritualibus se immiscuisse: *festinato expulerunt eum:* vnde? de regno, an de templo? de templo proculdubio: *eiectus fuerat de domo Domini:* De regno altum silentium; fecerunt ergo sacerdotes quod suum erat, Regi sacrificanti contra legem Dei restiterunt; idcò sequitur: *restiterunt Regi atq; dixerunt , non est tui officij* : postea leprosum factum expulerunt de templo, siue eiecerunt de domo Domini : id quod admonendo fecerunt, vti Iosephus : verbis potius quam factis, & ipse *Ozias perterritus accelerauit egredi , eo quod sensisset plagam Domini* , non dicit textus quia sensit vires sacerdotum: Hucvlq; progrediuntur sacerdotes : sequuntur spontaneæ actiones Oziæ : *ipse habitauit in domo separata* , nemo enim cogere poterat saltem ciuiliter, *& rexit Ioatham domum Regis & iudicabat populum terræ* : Aut Ioatham rex declaratus & inauguratus hoc fecit : quod est, contra textum, post mortem eius patris regnauit *Ioatham* pro eo; aut tanquam protector & coadiutor a Patre infirmo constitutus: sic potestas Regia in *Ozia* fuit, administratio *Ioathamo* a patre commissa est, *Quemadmodum & Ozias ipse regnum patris sui aliquandiu suscepit quoad administrationem sed non quoad dominium,* vt distinguit Hugo Cardinalis, In 4. Regum cap. 15. ita & filius eius.

6. Regnauit ergo Ioatham, sed post mortem patris Oziæ: *Regnum inde.* i. a morte Oziæ, *Ioathæ filio datum:* sic Seuerus Sulpitius, lib. 1. Sacræ Hist. *Eo mortuo obtinuit Regnum Ioatham* sic Hector Pintus in Isaiæ cap. 6. *Vnde postmodum extra vrbem vitam egit priuatam, Ioathamo filio eius regni negotia procurante* : sic Hugo de Sancto Victore Institutionis monasticæ excerptionum priorum, lib. 4. cap. 9. perspicuè vero Gregorius Tholosanus, De Repub. lib. 26. c. 5. *Cum Azarias Rex Iuda ob peccatum, quod non esset excelsa Idolorum demolitus, fuisset a Deo lepra percussus, factus leprosus, habitauit quidem vsq; ad diem mortis sua in domo libera : seorsim tamen; regno priuatus non est, sed Iothan filius Regis gubernabat palatium, & iudicabat populum terræ, vt coadiutor: nominatur hic Ozias Rex Iuda alibi, & affertur alia causa lepræ eius: quod præsumpserit adolere incensum super altare Thymiamatis . quod erat tantum officium sacerdotis: In vtroq; autem loco dictum est, post mortem solùm eius regnasse Iotan pro eo: ante mortem autem administrasse tantum regnum nomine patris:* Et Sebastianus Verronius, Chronici lib. 4. cap. 7. *Ac sequestrata se domo cum contineret regnum per filium Ioathan administrabat.*

Quid pluribus immoror: vnus pro multis sit *Tostatus:* qui verba illa; habitabat in domo libera seorsim, sic interpretatur, In 4. Regum C. 15. q. 4: .i. *non habitabat in palatio Regis,* &c. & de Ioatham dicit: *non vocabatur*

Rex

Rex, nec sedebat in solio Regis, sed Ozias vocabatur Rex, toto tempore, quo vixit, & sub eo computatur tempus regni, & ab eo pendebat potestas eorum quæ fiebant in regno, licet per Ioatham filium suum administrarentur: & infra. *Iste* (Ioatham) *erat vnicus filius eius vel saltem primogenitus, ideo patri morienti successit in regno: nam viuente patre, ipse palatium gubernat, & sustinebat totum pondus regalis laboris.*

Duo ergo ex his rationibus, & authoritatibus facile eluceſcunt. 1. *Ozias* non eſt depoſitus, nec regno priuatus per ſententiam ſacerdotis, ſed & nomen & poteſtas Regni in *Ozia* permanſit vſq;ad diem mortis. 2. etſi in domo priuata ſeorſim habitabat, regnabat tamen, vt vox græca apud 70. interpretes docet; Ioatham filius tantum coadiutor erat, & nomine patris regnum administrabat, Rex non erat. In Ozia poteſtas Regia, in Ioatham, adminiſtratio poteſtatis: priuatus fuit Ozias quoad habitationem, ſed quoad poteſtatem & Iuriſdictionẽ priuatus non fuit: priuatus extra vrbem, non extra Regnum: verè ergo iuxta *Barcl.* magna eſt differentia; executione, vel adminiſtratione regia per morbum cedere, & regno ipſo, & poteſtate regia priuari: eiectus eſt *Ozias* a ſacerdotibus è domo domini, è regno eiectus non eſt: nunquam hoc probabit *Bellarm.* morbus Oziam regni adminiſtratione priuauit, regno & poteſtate non priuauit ſicut alij leproſi hæreditatibus & bonis temporalibus priuati non ſunt, etſi priuati habitare coacti ſunt.

Licet ergo poteſtas in Pontifice non ſit, vt regno vel regni adminiſtratione Reges priuet; poteſt tamen morbus, vt in lepra, & ætas vt in pueris & ſenibus Reges executione vel adminiſtratione priuare: & ſicut pueri protectores & Curatores ſiue patronos regni habere poſſint donec ad prouectã ætatẽ, & annos diſcretionis, & regimini ſiue regno adminiſtrãdo aptos peruenerint: ſic etiã Reges, morbo lepræ vel phreneſis, aut alio quouis, laborãtes, quo ad regni negotia inhabiles fiunt aut inutiles, Curatores vel protectores ſuos habere poſſunt, per quos poteſtatẽ ſuã exerceãt.

Illud verò vltimò loco addam: poteſtas iſta non eſt ſolius *Azariæ* ſummi Pontificis, ſed reliquorum etiam ſacerdotum, qui Regi *Oziæ reſtiterũt, & dixerunt: non eſt tui officij, vt adoleas incenſum Domino:* quibus omnibus, non Azariæ ſoli minitabatur Ozias: & *ſteterunt etiam ſacerdotes, & reſpexerunt lepram Oziæ, & expulerunt eum:* Nihil hic proprium eſt Azariæ, ſed cõmune omnium qui aderãt ſacerdotũ; quibus etiam lege diuina licet de leproſo iudicare, Leuit. 13. Aut ergo reliqui ſacerdotes poteſtatẽ habent æqualẽ, Regũ deponendorũ, cũ Pontifice; Aut Pontifex hoc loco, *Oziam* tẽporaliter nõ depoſuit. Quod ergo ad primũ exẽplũ attinet: Bell. nullũ teſtimoniũ, è Scripturis aut patribus aut alijs doctoribus profert, excepto ſolo teſtimonio *Ioſephi*, vel verius captione grãmaticali, circa ſenſũ huius vocis (*priuatus*) idq; contra ſententiam & hiſtoriam Ioſephi: nullam præterea rationem adhibet, qua probet, *Oziam* regno priuatum fuiſſe, primum ergo exemplum rationibus *Barcl.* conuellitur, & mole ſua cadit.

CAP. XXXVIII.

Ioiada non deposuit Athaliam, authoritate pontificia: quod est 2. exemplum Bell.

1. *An liceat vnicuiq; priuato tyrannum regni inuasorem occidere vel deponere?* 2. *Non est credibile populum consensu suo regnum Athaliæ approbasse; nec consensus liber.* 3. *Deposita est, quia vsurpatrix potius quam quia Idololatra.* 4. *Qua potestate deposita sit Athalia.*

1 IN exemplo *Oziæ* a non facto ad ius disputauit *Bellarminus*: Sacerdotes enim eiecerunt *Oziam* è domo Domini, de regno non dei cerunt: In hoc exemplo *Ioiadæ* & *Athaliæ*, a facto ad ius arguit *Bellarminus*, sed de potestate, quâ factum sit, non constat: *Athalia* deposita est, hoc apud omnes certum; (si deposita dici possit quæ numquam iure regnauit): Deposita de facto sicut etiam de facto regnauit, & in hac depositione iubet & præcipit *Ioiada* sacerdos summus, non tantum suadet: *Iussit ijs vt Athaliam interficerent*: Ex quo facto infert Bellarminus: *Ioiada ergo pontifex summus habuit potestatem deponendi eam Regem.*

Quæstio de rege legitimo, iure successionis, vel electionis, regnante proposita est: an per Papam deponi & regno priuari possit? vt hanc potestatem Pontificis probet *Bellarminus*, non stat in inuasore tyranno, in *Athalia*, quæ per cædem & sanguinem, totius stirpis regiæ, in solium regale ascendit: sola fœmina, quæ in politia Iudæorum ad regnum aspirauit; forte etiam contra legem illius populi, Deut. 17. 25. *eum constitues regem, quem Dominus elegerit, de fratribus tuis*, non dicit de sororibus tuis.

Athalia posiquam videt filium suum *Ochoziam* siue *Ioatham* siue *Ahaziam* (trinomius erat) à *Iehu* interfectum, peremptis omnibus filijs *Ochoziæ*, filij sui, *Ioas* solo excepto, quem cum nutrice, *Ioseba* vel *Iosabeth* vxor *Ioiadæ* summi sacerdotis, filia vero *Ioram*: abscondit in templo regnũ inuasit, tyranniceq; per sex annos rexit: anno septimo *Ioiada* summus sacerdos, sacerdotes, leuitas, & centuriones, & milites conuocat, fœdus cũ ipsis facit, Regem *Ioas* ejs ostendit, milites armat, regẽ inungit, *Athaliam* in templum irruentem cõprehendit, mortiq; tradit. De facto ergo constat; de pote-

de poteſtate quá factum ſit controuertitur. *Ioiada*, qui Athaliam depoſuit,& interfecit, ſacerdos ſummus erat, ſed an poteſtate priuata, an publica, principum, centurionum & totius populi, an regia, an ſacerdotali, hoc vero in dubium vocatur: Vt iſta dilucidiora fiant, tria diſcutienda ſunt. 1. Quam depoſuit? Reginam legitimam an vſurpatricem? 2. Qua de cauſa depoſuit? propter idololatriam, an propter vſurpationem? 3. Qua poteſtate depoſuit? regia, an ſacerdotali?

Quod ad *Athaliam* attinet, Regina dicitur de facto, at de iure Regina non erat: filios regis, *Ochozie* filij ſui, nepotes ſuos, immaniter contra naturam, dominandi cupiditate percita occidit, regnumq; tyrannice, ſine iure, ſine titulo acquiſiuit, acquiſitam terrore & armis tenuit, rexitq;. Non ergo regina legitima, ſed vſurpatrix peſſima. *Sex quidem annos tenuit regni, adminiſtrationem execranda Gotholia, ſine Athalia impia & tyrannica:* ſic *Theodoretus, in gloſſa ordinaria.* Militibus ſorte gratioſa, quibus multa & dabat, & promittebat: ſed principibus & populo exoſa: tum quia filia Achabi erat, & viri Iuda exoſum habebant ſemen Achab, quia domus Achab reges Iuda erudiuit ad malum: propter quorum peccata, multa mala perpeſſus eſt populus *Iuda*: tum quia manus *Athalie* ſanguine filiorum regis, imo etiam & regis ipſius; (nam patre mortuo, ad aliquem illorum regnum eſt deuolutum) cruentatæ erant: Quam tamen crudelem & ſanguinariam Regicidam, filicidam, & nepoticidam, malo coacti pertulerunt (quia nullus apparebat è ſtirpe regia, & ex Dauidica, qui regnum peteret) at voto nunquam expetiuerunt, ſuffragijs ſuis, conſenſu ſuo libero, in ſolio regni nunquam collocarunt. Athalia Regina (inquit Sebaſtianus Veronius) *ſeptem annos regnat in Iuda per tyrannidem.*

Vide Toſtati in 4. Reg. c. 1 q. 4.

Diſpar vero eſt ratio tyranni legitimo iure regnantis, & tyranni ſine iure & titulo, regnum per vim & tyrannidem occupantis. Si rex legitimus tyrannidem exerceat, nec a ſacerdotibus, nec a principibus nec a populo in ordinem cogi poteſt, ſed a ſolo deo, qui regem talem in furore ſuo dedit, qui propter peccata populi Hypocritam facit regnare: talis enim tyrannus iuſto titulo, in ſolio conſtitutus a deo ordinatus eſt: *quiq; ei reſiſtit; ordinationi Dei reſiſtit.* Si quis per vim & tyrannidem faſces regni arripiat, non rex ſed hoſtis eſt; & vnicuiq; de plebe in eum idem licet, quod in hoſtem licet. Vnde Thomas, In 2. diſt. vlt. q. 2. Art. 2. ad 5. *Dicendum quod Tullius loquitur in caſu illo, quando aliquis dominium ſibi per violentiam ſurripit nolentibus ſubditis, vel etiam ad conſenſum coactis, & quãdo non eſt recurſus ad ſuperiorem, per quem iudicium de inuaſore poſſit fieri: tum etiam qui ad liberationem Patriæ tyrannum occidit, laudatur & præmium accipit.* Communis enim opinio eſt, quod in hoc caſu licet vnicuiq; ſubdito talem tyrannum & inuaſorem occidere. Quam rem optime explicat Gregorius Tholoſſanus, De republ. lib. 26. cap. 7. num. 4.

Nec vlla propèmodum in hac sententia videtur difficultas, quin liceat priuata, vel publicæ personæ, huiusmodi inuasorem reipublicæ principatus necare: quia nullus huic subditus dici potest, qui hostis est. Et reus diuinæ & humanæ maiestatis & inuasor principatus: Et infra. *Neq; reputandus est seditiosus, qui regnum talis tyranni, turbat, &c. imo laudandus qui multitudinem liberat a tyrannica potestate:* Vide plura supra cap. 31.

Quicquid ergo in hoc casu fecit *Ioiada* summus sacerdos, idem facere potuit quilibet priuatus, quia *Athalia* non regina, sed hostis fuit, quæ regnum tyrannice & inuasit & rexit.

2 Quid hic Bellarminus? *initium regni Athaliæ tyrannicum & violentum fuit, sed cum sex annis quietè regnauerit, credibile est, populum consensu suo regnum eius approbasse: præsertim cum omnes filij regis defuncti crederentur.*

Siccine vero? an credibile est populum Iudaicum præter legem Dei, libere in fœminam, in filiam *Achabi* regis Israelitici, in tyrannum, in filicidam, siue nepoticidam imo & regicidam consensisse & regnum stirpi Dauidis eripuisse? Quid ergo est, quod tam cito postquam de vero rege *Ioa* audiunt, tam facile consentiant, tam vnanimiter contra *Athaliam* conspirant? cur prioris consensus sui tam facile obliuiscuntur, an nullus in cordibus eorum scrupulus, singultus conscientiæ nullus, quod reginam suam, quam consensu suo libero, legitimam fecerunt, tam cito produnt? Verum esto: populus vt mare sit, quouis vento huc illuc impellatur, *Athaliam* consensu suo ad solium euehat; pauloq; interposito momento eandem destituat: An & Centuriones siue Principes, quibuscum fœdus pepigit *Ioiada*, prioris fœderis cum *Athalia* initi obliuiscuntur? An Leuitæ, qui populum & concitant & congregant, Reginam illam tam citò improbant, quam tardè approbarant? non enim solent Centuriones, & Leuitæ subito in verba vsurpatricis & tyranni libere sine timore, sine coactione, iurare. Quid vero *Ioiada* ipse? an & ille summus sacerdos, qui plerunq; actor erat in fœderibus inter deum, & regem, & inter regem & populum contrahendis; *in Athaliam* reginam consenserat? An *Ioiada* qui verum Regem occultabat, in reginam vsurpatricem consentire poterat? An probabile est, aut populum sine Centurionibus & principibus, aut Centuriones & principes sine Leuitis, aut Leuitas & Sacerdotes sine summo Sacerdote regnum *Athaliæ* approbasse? si talem consensum Athalia petijsset. An verisimile est Ioiadam talem opportunitatem nactũ, in liberis comitijs, in amplissimo totius regni conuentu, causã veri Regis ostendendi neglectum ũ? proditor proculdubio veri regis fuisset, si *Ioam* filiũ regis, quã abscõderat, hæredem regni & regem ipsum nõn prodidisset: Filius enim in regnis hæreditarijs, in ipso instãti & articulo mortis paternę, rex est, ipso Iure, & ipso facto; & corona-

rio siue inauguratio, non est de essentia, sed solemnitate regni. Rex enim sicut dici solet, non moritur. Res ergo eo redit, vt aut Pontifex & Proceres, & Populus consensu suo regnum *Athaliæ* non approbarint, aut *Ioiada* summus Sacerdos verum Regem *Ioam* prodiderit: vt vsurpatrici Ius & titulum regni conferret: Quod quia in tali Pontifice prorsus incredibile est, nulla ratione credibile est populum consensu suo regnum *Athaliæ* approbasse; id quod eo incredibilius quia *Ioiada* qui septimo anno confortatus, sex prioribus annis timuisse videtur; siue omni igitur authoritate, aut ratione, solum ex cerebro suo hunc, populi consensum finxit *Bellarminus*.

Præterea consensus populi & Procerum, in Regis talis approbatione liberrimus esse debet: si enim aliquo timore, aut vi extortus sit, non consensus, sed coactio est. Ideo recte Gregorius Tholosanus, vbi supra: *nisi vt quidam putant, post adeptam tyrannidem, omnino si eapotestate abdicauerint, & arma cum persona submittant, iudicio eorum, qui conferre legitimè principatum possunt, non potest dici liber consensus:* quicquid enim armatus rogat, non tam petitio, quam coactio dicenda est. Et contractus inter Regem & populum, coniugium spirituale est: in quo vt in coniugio naturali, si consensus liberrimus non sit, non potest dici consensus. Quamdiu ergo arma tenet victor, siue inuasori victus paret, non ex consensu sed ex coactione regnat.

At sex annis quiete regnauit: at possessio ista etsi quieta, violenta tamen, satellitio enim stipata dicitur. Quid vero possunt sex anni ad iustũ præscriptionis & possessionis titulum? nihil plane. *Aut nisi post ademptam tyrannidem cum sua progenie centenaria vel maiore possessione.* Sic Gregorius Tholosanus. Quid vero sex anni ad possessionem centenariam, nec ergo consensu populi, nec sex annorum præscriptione ius regni acquisiuit *Athaliæ*, vsurpatrix, non Regina, quæ quia & inuasor tyrannicus, & proinde hostis, à quolibet priuato, iuxta opinionem *Thomæ* & aliorum, iustè & cum laude deponi & occidi potuit.

Quod addit *Bellarminus* de regnis illis, quæ in initio tyrannica & violenta, postmodum consensione populorum, legitima facta sunt, nihil ad quæstionem nostram spectat. Etsi enim *Augustus*, qui initio Rempublicam oppressit, postea Imperator optimus habitus est. Etsi *Otho Galbam* occiderit. *Vitellius Othonem* eiecerit. *Vitellium Vespasianus* oppresserit, & tamen omnes hi Imperatores, & à Senatu, & á populo salutati sunt. Etsi *Philippus Gordianum* sustulerit & imperium inuaserit. Etsi Reges *Gothorum* & *Longobardorum* qui Italiam inuaserunt, accedente consensu populorum, reges legitimi habiti sunt, nihil tamen faciunt ista exempla ad propositum nostrum. Imperia enim ista in infantia sua, vix constituta & confirmata erant, & quandoq; Senatus populusq;, quandoque exercitus Imperatorem creabat. Imperia vero iure belli acquisita temporis præscriptione, legitima fieri solent. At in Tribu Iuda, regnum stirpi

Danidis maſculæ, primogenito ſcilicet Regis ex ordinatione et promiſſione Domini debebatur, nec poterat aut Sacerdos ſũmus, aut Principes & Centuriones, aut populus ſine violatione et tranſgreſſione ordinationis diuinæ, regnum à ſtirpe *Danidica*, ad aliam tribum, et familiam tranſferre. Impius fuiſſet Sacerdos Summus, Impius populus vniuerſus, ſi conſenſu ſuo *Athaliam Achabi* filiam, fœminam peſſimã (& vt Ioſephus *veneficã*) in regno confirmaſſent. Nec erat in poteſtate vel conſenſu ſacerdotis, vel populi, ſine impietate, hæredẽ ſtirpis Dauidicæ negligere aut præterire: Electio Senatus, populiq; vel exercitus, præſcriptio & conſenſus regni ſiue Reipublicæ, quæ in alijs regnis electiuis, aut nondum conſtitutis, aut iure belli acquiſitis locum habere poſſunt, in regno *Iudæ* locum non habent.

De perſona conſtat *Athalia* vſurpatrix erat, regina legitima non erat:
3 ideo à quouis ſubdito vt hoſtis deponi, & vita priuari poterat. Secundo loco quæritur de cauſa, an propter vſurpationem, an vero propter idololatriam Athalia depoſita ſit.

Idololatriæ & ſuperſtitioni fauiſſe *Athaliam*, in confeſſo eſt apud omnes, nã in textu, 2. *Paral.* 22. 3. de *Ochozia* filio *Athalia* dictum eſt: *Ingreſſus eſt per vias domus Achab, mater enim eius impulit eum, vt impiè ageret*: *Athaliam* regni vſurpatricem, ſtirpiſq; regiæ extinctricem fuiſſe, diſertè docet Scriptura, & Bellarminus non negat. Et quidem Idololatria morte mulctanda à magiſtratu ciuili erat. Sed an ipſe magiſtratus ſummus, (qui ſuperiorẽ in temporalibus, á quo poterat temporaliter iudicari & puniri, non habebat) propter Idololatriam morte plectendus eſſet, id vero non conſtat, quia Dei ſolius iudicio reſeruabatur. Nec quiſquam rex idololatra, à *Moſe* ad *Chriſtũ*, hoc nomine ſolum, quòd idololatra eſſet, per poteſtatẽ ſacerdotalẽ regno cecidit, *Tenebatur interim Ioiada verum regem, & protegere & inſtituere*: inquit Toſtatus: *In.* 4. *Reg. cap.* 11. *q.* 15. *tũ quia viuente Ioa, ad quẽ legitime pertinebat, Athalia regnum vſurpabat; ne Ioas iure regni priuaretur: tum quia ad officiũ ſummi ſacerdotis (quo nemo maior in republica) ſpectat Ioan Regem conſtituere: tũ quia voluntatem dei cognitã tenebatur exequi, quia ſemini Danidis datum eſt regnum in aternum.* In Athaliæ autẽ depoſitione vel morte, nulla eſt mentio huius idololatriæ, ſed ſolius vſurpationis; Quod dicit Bel. propter alia crimina, & quod falſã religionem Baal faueret, Apocryphũ eſt. Occiderat omnes nepotes, filios ſc. filij ſui *Ochozia*, vt ipſa ſola regnaret. Pœna mortis & pœna idololatriæ ad magiſtratũ ciuilẽ ſpectabat, non ad Sacerdotem; ideo in cauſa appellationis ad ſynedrion, diſertis verbis dicitur. *Si quis Sacerdotis imperio non obedierit, ex decreto iudicis moriatur.* Quamuis ergo rea erat idololatriæ *Athalia*, non tamen eo nomine à ſacerdote, ſed á rege, pœna mortis erat mulctanda. Et in textu ipſo, ante hanc *Ioiadæ* contra *Athaliam* conſpirationẽ, expreſſe præponitur cauſa; quod ſc: *Athalia omnem ſtirpem regiam occidit, excepto Ioa quem vxor Ioiada in templo abſconderat*, ſex annis, anno

rem

autem septimo confortatus *Ioiada*, vtpote qui terrore *Athaliæ* detinebatur, assumpsit Centuriones, &c. Omnia hæc aguntur, vt *Ioas*, ad quem iure hæreditario regnũ deuolutum erat, in solio regali collocaretur: Ideo *Ioiada ostendit Centurionibus Regis filium*, & de rege inaugurando conspirat, non dicit: Ecce idololatra est Athalia, cultum diuinum Baali exhibet, & *iniit omnis multitudo fœdus cum rege*, dicit textus. Iniit multitudo pactum non de idololatra auferenda, sed de vero rege creando. Et dixit *Ioiada*, *Ecce filius regis regnabit*, hæres scilicet legitimus de stirpe *Dauid*; primo ergo loco rex verus creatur, tum regina vsurpatrix deprimitur, & morti traditur. Postquam autem eductus, & inunctus, & inauguratus est rex, regina vero vsurpatrix & venefica, (non dicit *Iosephus*, idololatra) morti traditur. Iniit *Ioiada* pactum inter Dominum & Regem, & populum, vt scilicet deo seruirent. Quo fœdere facto: ad Idolorum destructionem, & euersionem Templi Baalis, & sacerdotum Idololatricorum cædem pergũt. Deponitur ergo *Athalia*, non quia Idololatra, sed quia vsurpatrix, & non vera regina.

Tertio loco quæritur de potestate: nec de hac re quæstio vlla erit: si *Athalia* non vera regina, sed vsurpatrix, & regni hostis & homicida, siue regicida sit, in hoc enim consentiunt omnes, quod à quolibet ciue, occidi potest, quia hosti nemo subiectus sit. Quod si vera regina esset, nec in sacerdotũ, nec in procerũ, nec in populi potestate est, vt verum regem deponant: quia inferior in superiorẽ non habet imperium; & sacerdotes, & proceres, & populus, Reginæ in temporalibus inferiores sunt. In vero rege hæreditario declarando & inaugurando potestatem habent Sacerdotes, proceres et populus: at ius regni confert deus et natura, non respublica, quæ potius Regem á deo constitutum recipit, quam Regi regnum confert. Ideo inquit *Ioiada. Ecce filius Regis*, & vt refert *Iosephus. Antiquit. Iudaicarum. l.9.c.7. Hic est* inquit *rex vester, ex illa natus familia, quam scitis deum prædixisse regnaturum in perpetuum.* Ius declarat, ex familia regia natus, non Ius dat, Regem siue regis filium ostendit, non facit: & iniit inquit *textus*, *omnis multitudo fœdus cum rege*, non dicit, vt rex fieret; sed *cum rege*, vtpote cui Deus & ordo generationis, regnum dederit. Rex ergo *Ioas* à Deo datus, & á *Ioiada* declaratus, et ostensus, et inauguratus. Sicut vero summus Sacerdos *Ioiada* Regem ostendit, siue declarat, sed regnum non dat: sic & regnum auferre non potest. Eiusdem enim est instituere, et destituere: Imo plus est destituere, quam instituere: quia Electores qui potestatem Regis eligendi habent, potestatem Regis destituendi non habent. 4

Præterea ordo gestorũ hic est; *Ioiada* regem verum, legitimũ, naturalẽ ostendit & declarat. Centuriones et populus eundẽ, fœdere inito acceptãt deinde diademate coronat *Ioiada*; post hanc declarationem, acceptationẽ coronationem, et acclamationẽ (*vivat Rex*) Athaliã vsurpatricẽ capiunt & occidunt.

occidunt: fœdus inter Deum & Regem, & populum faciunt: Et tunc templum Baalis diripiunt, & ſacerdotem idololatricum morte mulctant: Si prius Athaliã depoſuiſſent, poſtea verò Ioam regem declaraſſent, & inaugураſſent; videri fortaſſe poterat, aliquid poteſtate Sacerdotis, aut Procerum aut populi factum eſſe. Verum quia primo loco declaratus & inauguratus eſt rex verus, ſecundo vero loco, de regina falſa, & vſurpatrice, et ſacerdote Baalis ſumptum eſt ſupplicium; poteſtate regia, non ſacerdotali, non procerum, non populi, facta iſta eſſe dignoſcuntur, ſicut *Iehu* prius rex iũngitur, & inauguratur, vt regia authoritate, de rege idololatra, ex ſpeciali Dei mandato ſumeretur ſupplicium.

Neq; vero *Ioiada* ſolus regem vnxit, & *Athaliam* authoritate ſua depoſuit, ſed et Sacerdotes et Centuriones, et populus ſimul iuncti. *Per ſacerdotem* (inquit Seuerus Sulpitius *lib.* 1.) *& populum, depulſa auia, reditum Imperium Ioæ. Conſtituerunt Sacerdos, & Centuriones Regem.* Sic Hugo. *Excerptionum priorum, l. 4. c. 9. tom. 2. Inſtituit Ioas Rex per ſolicitudinem Ioiadæ Pontificis, quærentis, ad hoc aſſenſum & auxilium principum & nobilium regni: Cum dicitur, pepigit cum ijs fœdus, vt innarent eum fideliter in inſtitutione regis debiti, quod fecerunt libenter, tum quia quilibet naturaliter diligit Dominum ſuum verum, tum quia diſplicebat ijs mulieris imperium.* Sic Lyra, *In 4. Regum, cap. 11.* Et Iacobus Almayn. *De poteſtate Eccl. & Laica, qu. 1. cap. 14. Cum dicitur, quod Ioiada fecit Ioas regem, hoc negatur: imo erat Ioiada filius (gener) regis, & remanſit & erat tutor & cuſtos Ioas veri Regis: vnde poſtea mandauit Athaliam occidi, ſed ex hoc nihil poteſt inferri.* Optime Teſtatus, *In 4. Regum, cap. 11. q. 20. Licebat etiam ei* (Ioiadæ iubere Athaliam occidi) *in quantum nunc gerebat vices Regis, vã ipſe pepigit fœdus in loco Regis cum toto populo & cum deo: infra in litera, & in omnibus gerebat vicem illius, quia ipſe hucuſq; tenuerat illam abſconditam, & nunc vngebat illum, vt Regem.* Ioiada ergo poteſtate regia tanquam Curator & Protector Regis, Athaliam vſurpatricem exauthorauit & occidit.

Plura de hac re videat Lector, cap. 3. Recte ergo Barclaius, *Ioiada non propria authoritate, nec Sacerdotali, ſed regia & totius reipublicæ Athaliam depoſuit*: Falſum eſt ergo quod reſpondit Bellarminus; *& hoc verum eſt, ſed non impedit quo minus Ioiadæ autheritate, regina depoſita fuerit*: Si enim propria authoritate *Ioiadæ* depoſita non eſt, ſicut agnoſcit *Bellarminus*, quomodo Ioiadæ authoritate depoſita eſt. Contraria enim ſunt hæc. *Ioiadæ authoritate propria depoſita non eſt, & authoritate Ioiadæ depoſita eſt.* Etſi enim ſolus Ioiada hoc non fecit, ſolus tamen Ioiadæ authoritate, vel authoritate propria factum eſt, ſi authoritate ſacerdotali factum ſit: Authoritas omnis depoſitionis apud ſummum ſacerdotem, executio ad centuriones, milites, ſiue populum ſpectat. Cum ergo dicit *Bellarminus*, quod verum ſit; quod *Ioiada* Sacerdos, propria autho-

ritate

ritate *Athaliam* non deposuerit, inuitus agnoscit, potestatem depositionis in Ioiada summo Sacerdote non esse.

Quia vero sæpius depositionis Athaliæ meminit *Bellarminus*, dicat vbi huius depositionis, vlla in Scripturis mentio fit. Iussit *Ioiada Athaliam* interfici, at nullam depositionis sententiam protulit, & quid opus erat depositione eius, quæ nunquam in solio legitime posita erat? Depositio positionē præsupponit. Vsurpatio siue intrusio præcessit, at positio nō præcessit. Id potius agebat *Ioiada*, vt verus rex ad regnum, iure diuino et hæreditario sibi debitum promoueretur, quam vt de potestate sua, in regibus deponendis cogitaret. Ideo omnia quæ ad declarationem & inaugurationem *Ioas* veri regis spectant, sigillatim narrantur; De Athalia solum hoc dicitur, quod templum ingressa militibus occidenda traditur. Multa ergo de depositione *Athaliæ* somniat *Bellarminus*. Apocrypha, quæ in Scripturis non habentur. Depositio enim actus est forensis sine iudicialis, quam præcedit trina monitio, cōcomitatur accusatio, conuictio, sententia, subsequitur executio. De Monitione, processu iudiciario, et sententia depositionis, altum est silentium. De morte Vsurpatricis mentio fit. An iustus iudex erit *Ioiada*, qui etsi quod iustum est, iudicauerit; inauditam tamen imo nec monitam, sine vllo processu aut forma iudicij *Athaliam* deposuerit? Non sine causa hoc exemplum profert *Bellar*: quia rectissime cum depositionibus Pontificalibus quadrat, nullus enim Imperator præsens, aut auditus, à quoquam Pontifice depositus est.

At multa cum imperio fecit Ioiada; Centurionibus, & militibus à se accersitis propositum suum deturbandæ reginæ exposuit. Quod Centurionibus & militibus suum propositum de vero rege reuelando, & inaugurando exposuit, in textu manifestum est. Sed Apocryphum est, quod propositum suum de Idololatra deturbanda exposuerit: non habetur in textu, nisi ex consequente, vt qui lumen lāpadis in cameram introducit, tenebras excludit: sic qui verum regem declarat & inaugurat, inuasorem regni destituit, sicut *Ioiada* fecit, vt in textu manifestum est.

Fœdus præterea inijt *Ioiada* cum Centurionibus, & militibus ipsorum iuramentis confirmatum: milites armat *Dauidis* armatura. *Athaliam* occidi iussit, Nouum regem coronauit: ipso authore populus templum *Baal* euertit, aras Idolorum destruxit, & Sacerdotem *Baal*, ante aram ipsam occidit. Et hæc quidem omnia vera sunt: sed an ad Imperium *Ioiadæ*, an vero ad decretum totius Concilij facta sunt, id vero dubium est. Iosephus vero postquam sententiam *Ioiadæ* narrasset: *Itaq; censeo*: &c. (tandē addit) *Illi Centuriones approbato Pontificis consilio, rem statim aggrediuntur.* Quod ergo *Bellar*, imperium est, hoc *Iosepho consilium est.*

Sed demus omnia ista ad *Ioiadæ* imperium, non tantum ad consilium facta esse. Vnde hoc imperium Ioiadæ? an Sacerdotale? An Sacerdos ordi-

ordinarie potestatem habet armorum, & armorum regiorum, sine authoritate regia? An Sacerdos ordinarie potestatem habet sanguinis fundendi? tota proculdubio Ecclesiæ praxis reclamat. Episcopi, qui potestatem vitę & necis habent, nunquam per se, sed per iudices laicos, in causa sanguinis iudicant. Episcopi illi, qui in Comitijs regnorum (Parliamentares dicimus) suffragia habent; si quisquam in magnis illis nationum Concilijs, maiestatis reus peragatur, exeunt è Comitijs, vtpote qui in sententia mortis ferenda, ne interesse quidem debeant: Quod ergo *Ioiada* arma regia militibus distribuit, *Athaliam* & *Baal* sacerdotem morti adiudicat, non hoc fecit ex potestate sacerdotali; quia sacerdotibus ordinariè illicita hæc sunt; sed ex potestate regia, qua protector siue curator regis erat; ad quem potestas spectat armorum, cui & data est potestas vitæ & necis.

Præterea in omni multitudine, necesse est vt aliquis sit primas ordine, qui ea quæ a tota multitudine siue concilio decreta sunt, & promulget & executioni mandet. Si enim omnes imperent, nemo est qui obtemperat: Et vbi nemo obtemperat, nihil perficitur. Cum ergo *Ioiada* primas esset Ecclesiasticus, & auunculus regis, quiq; regem ipsum sex annis occultarat, & centuriones & milites conuocauerat, regemq; declararat & inunxerat; quis illo erat in tota illa multitudine, magis idoneus, qui cum imperio præesset, & totum hoc opus inaugurationis *Ioæ*, et depositionis *Athaliæ*, cum Imperio perageret? *Ioiada* ergo vt protector regis, potestate regia, vel vt primas, et electus a concilio, vt in hac re cum imperio præesset, *Athaliam* morti adiudicat; et templum, et Sacerdotem Baal, destruit. Exemplum ergo hoc secundum de *Athalia*, ad regum depositionem nihil facit.

CAP. XXXIX.

Ambrosius Theodosium suspendit; dubium an excommunicauit: certum quod non deposuit.

1. *Suspensio hæc est Theodosij, potius quam excommunicatio.* 2. *Quomodo de Theodosio iudicauit Ambrosius: an in foro contentioso?* 3. *An princeps temporalis supremus, excommunicandus sit, sententia Anglorum, & quare Angli ab obedientia pontificis discesserunt?* 4. *Ambrosius Theodosium ad legem temporalem ferendam coegit, non coactione externa ciuili, sed peccatorum retentione,*

tione, siue ligatione, quilibet confessarius itidē facere potest. 5. Temporalia non subordinantur spiritualibus, sed coordinantur, & vtraq; subordinantur æternis. 6. Non sunt Principes vinculo Anathematis cogendi, ad similes leges politicas ferendas, nisi propter peccata commissa, & futura vitanda. 7. Factum Ambrosii circa Theodosium, nihil ad depositionem facit.

1

TErtium exemplum est *Ambrosij*, qui *Theodosium* Imperatorem excommunicauit, quod *Thessalonicenses*, qui in seditione quadam, magistratus aliquot ex eis obtruncarant, furenti militi permisserat, qui innocentes simul cum nocentibus, vt messor aristas morte mulctarunt. De facto *Theodosij* in Thessalonicensibus trucidandis & *Ambrosij* in *Theodosio* ligando satis constat. An vero suspensio siue excommunicatio hæc sit, etsi ad rem parum faciat, dubitari potest. Ab ingressu Ecclesiæ, & Sacramentorum participatione, prohibuit Theodosium Ambrosius. *Imperatorem volentem more solito, in diuinum intrare templum, ante vestibulum occurrens, procedere vlterius tali oratione vetuit. Quibus inquit oculis intueberis communis Domini edem, aut quibus sacrum paui mentum calcabis pedibus? istaſne adhuc stillantes, iniusta cædis eruore manus extendes, & in ys sanctissimum Domini corpus prahendes? vel tam pretiosum illum sanguinem admonebis oris tuo, qui tantum effuderis sanguinis, dictate furentis animi? Quapropter discede, neq; velis priorem iniquitatem, hac alia iniquitate augere, neq; detractes vinculum, quod ipse omnium Dominus desuper approbat.* Et iterum, *Ego quidem tibi dico Ruffine, ad diuina me illum vestibula non esse admissurum.* Et iterum. *Cum autem ad septa sacra peruenisset, ipse quidem Templum non est ingressus, sed rogat: Ne mihi ianuam occludes,* & post pœnitentiam peractam, & legem latam *Ambrosius ipsum vinculis exoluit, & templum introire fidelissimus Imperator ausus.* In his apertè prohibet *Ambrosius Theodosium* ab ingressu Ecclesiæ & communione sacramentorum, sed nec Sathanæ tradit, nec in numerum Publicanorum & Ethnicorum redigit, nec cœtu & communione fidelium separat. Si ergo de excommunicatione maiore propriè loquatur Bellar: incumbit ei probatio; sic enim excommunicatum fuisse dubitari potest. Si de Excommunicatione minori siue suspensione quæ tantum limina Ecclesiæ, & sacramentorum communionem negat, loquatur, non negamus sic ab *Ambrosio* excommunicatum *Theodosium*. Vincula vero hæc quibus ligatus est *Theodosius* fuerunt vincula peccatorum, quæ ab *Ambrosio* retenta sunt. *Quicquid ligaueris in terra, ligatum erit in cœlis*: quæ verba & ad peccatorum retentionem, & ad Anathematis siue excommunicationis sententiam pertingunt. Excommunicatio

Theodoretus, l. 5. cap. 1.

ergo

ergo ista est minor non maior. Id quod verba Ambrosij satis docent, *L. 5. Epist. 28. ad Theodos. Causam contumaciæ in te nullam habeo, sed habeo timoris, offerre non audeo sacrificium, si volueris assistere.* An excommunicatio vlla sine contumacia? Imo & se prohibitum docet visione ne offerret. *Cum enim essem solicitus ipsa nocte, qua proficisci putabam, venisse quidem visus es ad Ecclesiam, sed mihi sacrificium offerre non licuit.* Et infra, *Tunc offeres, cum sacrificandi acceperis facultatem, quando hostia tua accepta sit Deo.* Non ergo separatus est à consortio fidelium, nec Sathanæ traditus, sed ligatus in peccato donec condignam egerat pœnitentiam, & excluſus á liminibus & sacramentis Ecclesiæ. Vnde rectè *Adam Blacnodæus, In Apologia pro Regibus. c. 31. Hac authoritate fretus, Ambrosius Theodosium, Arcadium Innocentius ingressu templi prohibuit, neuter condemnationis sententiam pronunciauit, neuter quod iure suo facere potuisset, orco principem adindicauit.*

2 *At non potuit Theodosium Ambrosius excommunicare, vel suspendere,* " (de nomine litem non mouebimus) *nisi causam cadis & cognouisset, &* " *dijudicasset (licet criminalis esset) & ad forum suum pertineret, cognoscere* " *& iudicare non poterat, nisi in foro externo legitimus iudex Theodosij Imperatoris esset.* Sic Bellarminus.

Nouum hoc est, & insolitum iudicij genus, & ante tempora *Gregor. 7.* forte inauditum, vt Imperatores coram Iudicibus Ecclesiasticis, in causis criminalibus in foro contentioso, Ecclesiastico, moniti & citati iudicium Episcoporum subirent; ad fores Ecclesiæ, potius quã in foro Ecclesiastico acta est hæc causa Theodosij, nec processus vllus Iudiciarius, monitio seu citatio nulla. Oratione, non sententia, peracta est hæc suspensio, & rogatu vel exhortatione, vel reprehensione & redargutione, potius quã Imperio: *Suadeo, rogo, hortor, admoneo,* (inquit Ambrosius) *Orat. ad Theod. Ep. 28. l. 5. ne detractes vinculum, quod ipse omnium Dominus desuper approbat, Modicũ quidem hoc est. & sanitatem conciliat.* Suadet ergo *Ambrosius*, vt pœnitentiam agat Imperator, & ab Ecclesia & Sacramentis interim abstineat, potius quam imperat. Talis Iudex Imperatoris est Episcopus, qui potius hoc agit, vt Imperator sponte pœnitentiam subeat, quam vt inuitus & reluctans per censuram cogatur: non admittam ad vestibula, non offeram præsente Imperatore, sic Ambrosius; acsi hoc potius cauèret, ne ipse indigno Sacramenta communicet; quam vt in Imperatorem rigidus, eundem communione priuaret. Sic solebant sanctissimi Episcopi, Imperatores ad tribunalia sua vocare, sic solebant causas illorum cognoscere & iudicare, sic Imperatorum Iudices legitimi erant dum arguunt, increpant, cum omni humilitate, dum iudicia Dei denuntiant, dum indignos, qui ad altaria Dei, & Sacramenta Christi admittantur pronuntiant; dum Sacramenta ijs communicare, Sacrificia pro ijs offerre non audent. Ibo & meritas sufferam insectationes, sic Theodosius: *Amag-*

ne

no Ambroſio propter Theſſalonicenſium cædem obiurgatus: Sic Zonaras. *Annal. Tom. 3. in Theodoſ*: Hoc eſt externum forum, in quo Epiſcopi tanquam Iudices legitimi de Imperatoribus & eorum cauſis cognoſcunt & iudicant.

Sed demus cognoſcere poſſe Epiſcopos de cauſis Imperatorum, eoſdemque iudicare etiam in foro externo, & propter peccata, ſiue in criminalibus, pœnis ſpiritualibus caſtigare: nec enim hoc inter *Barclaium* & *Bellarminum* controuertitur. Quid ex hoc exẽplo *Ambroſij* pro Regum depoſitione temporali concludi poteſt? *Non attuli* (inquit Bellarminus) *contra Barclaium, ſed contra alios, præſertim Anglo-Caluiniſtas, qui negant Principem ſupremum à ſummo Pontifice excommunicari poſſe, aut ſummum Pontificem, vllam habere, in ſupremos Principes Iuriſdictionem & poteſtatem.* 3

Videant ergo & admirentur Anglo-Caluiniſtæ (ſic enim veros Chriſtiano-Catholicos qui religionem ad ſcripturarum & Patrum ſanctorum amuſſim reuocarunt, odioſo nomine appellant, Aulici Romanenſes) egregium Bellar. argumentum, quod ſic in formam redigendum eſt.

Sanctus *Ambroſius* Epiſcopus Mediolanenſis *Theodoſium* Imperatorẽ Mediolani ſedem ſuam ordinariè tenentem, propter cædem Theſſalonicenſium excommunicauit.

Ergo Pontifex Romanus habet poteſtatem, ſiue iuriſdictionem in Principes ſupremos, qui infra Epiſcopatum Romanum ſedes ſuas ordinariè non tenent, & eoſdem excommunicare poteſt.

In concluſione iſta, multa ſunt, quæ in Antecedente non ſunt. Supponit enim eandem eſſe poteſtatem Pontificis Romani in Eccleſia vniuerſa, quæ eſt vniuſcuiuſq Epiſcopi in ſua Diœceſi, quod nunquã concedunt Anglo-Caluiniſtæ, & niſi concedent, nunquã probabit Bellar. ex Scripturis, in quibus nulla diuiſio Diœceſium, quæ iure humano introductæ ſunt: nulla aſſignatio portionis alicuius, in diuinis literis extat: nuſquam dicitur Petro, Paſce tu omnes oues meas, nuſquam Iacobo aut Ioanni dicitur, paſce tu tantum portionem gregis mei. Aut ſi vlla ſit aſſignatio portionum gregis, Petro portio ſua, Paulo portio ſua aſſignata eſt, in Scripturis: *Cum vidiſſet* (inquit Paulus) *Gal. 2. 7 quod creditum eſt mihi Euangelium præputij, ſicut & Petro Circumciſionis.* Petrus ergo Epiſcopus Circumciſionis, hoc eſt, Iudæorum, Paulus præputii, hoc eſt Gentiliũ. Petrus habet portionẽ gregis, non totum gregem; aut ſi Petru Paſtor & Epiſcopus ſit totius gregis (ſic *quilibet Epiſcopus Paſtor eſt Eccleſiæ vniuerſæ, non tantum particularis in quantum contrahit, nomine vniuerſæ Eccleſiæ vti* Hoſtienſis,) Paulus item Paſtor eſt vniuerſę Eccleſię, Si Damaſus Paſtor ſit vniuerſæ Eccleſiæ, etiã & Ambroſius Paſtor vniuerſæ: Si Ambroſius portionẽ gregis accepit, & Damaſus item portionẽ. Quod enim Epiſcopus Romanus ſit vniuerſalis Epiſcopus Eccleſię, vniuerſę, reclamat antiquitas, quę Patriarchatũ occidentis, nõ orbis totius eidem cõcedit: reclamãt eccleſię. Grę corũ quænun- *Videſupra. c. 19*

nunquam Primatum Pontificis Romani agnouit; Reclamat Gregorius: *Epist. lib. 6. Epist. 30.* qui nomen hoc *Antichristianum* Vniuersalis Episcopi *nomen typhi & superbiæ*, diris prosequitur.

Quod si Pontifex Rom. Patriarcham Occidentalis Ecclesia, & proinde Anglorum, seipsum venditet; respondēt Angli, Iure positiuo non diuino, Anglos Patriarchæ Occidentali subesse; hoc est, ex consensu suo; Et eodem iure, eodem consensu scilicet; ab obedientia Patriarchæ Occidentalis, propter innumeras corruptelas, superstitiones, idololatrias, vsurpationes, exactiones, crudelitates & tyrannides discessisse. Eadem ergo authoritate, qua se Episcopo Romano submiserunt Angli, eadem ab eodem recesserunt. Legislatores enim, qui legem positiuam figunt, eandem legem refigere possunt. Præterea supponit hæc ratio, eandem esse potestatem vniuscunque Episcopi in Ecclesia particulari, quæ est Pontificis Rom: in Ecclesia vniuersa. Quæ quidem Propositio est *Bell. Lib. 5. cap. 3. de Pont. Rom. Quod est Papa in vniuersa Ecclesia, est quilibet Episcopus in particulari.* Aut ergo Pontifex non potest reges deponere in Ecclesia vniuersa, aut quilibet Episcopus Reges deponere potest in Ecclesia particulari. Et nihil datum est Petro homini particulari, sed Petro Ecclesiam repræsentanti data est potestas Clauium, & ligandi & soluendi. Vt supra Cap. 8. probatum est.

Qui vero sunt Angli illi, qui negant Principem supremum excommunicari posse à summo Pontifice? Vnum, supra Cap. 8. l. 1. citaui, Nicolaum Lyranum, qui ex Augustino sic colligit. *In Matth. 13. in illa verba. Ne forte colligentes Zizania. Multitudo non excommunicanda, nec Princeps populi.* Cui assentiuntur Leodienses propinqui eorum. *In Ep. ad Paschalem. Si quis deniq; respectu spiritus sancti Vetus & Nouum Testamentum gestaq; reuoluerit, pariter inueniet, quod aut minime, aut difficile possunt Reges & Imperatores excommunicari.* Vt Supra, cap. 8. l. 1. *Lego* (inquit Otho *L. 6. cap. 35.*) *& relego Romanorum Regum & Imperatorum gesta, & nusquam inuenio quenquam eorum, ante hunc à Romano Pontifice, excommunicatum, vel regno priuatum, nisi quis forte pro Anathemate habendum ducat, quod Philippus ad breue tempus à Romano Episcopo, inter pœnitentes collocatus; Et Theodosius à Beato Ambrosio propter cruentam eadem, à liminibus Ecclesiæ sequestratus sit.* In quibus duo sunt: 1. Reges siue Imperatores antiquitus excommunicatos, á Pontificibus non fuisse: 2. Theodosium non excommunicatum, sed suspensum, siue ab ingressu Ecclesiæ exclusum fuisse; Ex quibus consequitur, quod Imperatores & Reges, aut non possint, aut certe non debeant excommunicationis vinculis incommodari. Vbi enim remedia morbis ipsis grauiora sunt, satius est morbos ferre, quam remedia adhibere. Satius est grandem perferre peccatorem, quam intolerabilem persecutorem perpeti. *Nolis irritare crabrones* vti in Prouerbio. Id obseruasse videtur Theodoretus in

hac

hac ipſa hiſtoria : *tanta taliq́, virtute & Pontifex, & Imperator erant illuſtres. Nam vtriuſq́ ego admiror, illius quidem libertatem, huius vero obedientiam: itemq; ſeruoris flammas illius, & huius fidei puritatem.* Singularis Ambroſij libertas & conſtantia, qui intrepidè Imperatorem redarguit; & á liminibus Eccleſiæ prohibet: Singularis etiam Theodoſij humilitas & obedientia, qui ſententiæ Ambroſij per omnia paruit. Quod ſi hæc auſus fuiſſet in Imperatorem aliquem, parum pium, crudelem, omnis reprehenſionis & indignitatis impatientem, ſatius forte fuiſſet, ab iſtius ſententiæ ſeueritate abſtinuiſſe, quam furorem armatum in ſeipſum & Eccleſiam conuertiſſe? ſatius fuiſſet gladium in vagina continuiſſe, quam in iactam & perniciem Eccleſiæ & Religionis euaginaſſe. Etſi ergo de iure conſtet, quod Reges & Imperatores excommunicari poſſint; de cõuenientia tamen, an Eccleſiæ vtile ſit, in defenſores, patronos, & aduocatos ſuos; hoc eſt, Imperatores & Reges ſic ſæuire, nondum ſatis exploratum eſt. Hoc interim exploratiſſimum! Pontifex ſine maximo Eccleſiæ malo, nunquam depoſitionem cuiuſquam Regis vel Imperatoris attentauit: In huiuſmodi enim depoſitionibus, & debilitatum regnum, & ſcinditur & ſcandalizatur Eccleſia.

Angli vero & Pontificij fuerunt omnes qui in Comitijs regni ſub Henrico 8. Pontifici libellum repudij dederunt, & omnem eius iuriſdictionem in hoc regno abrogarunt. Regiq; antiquam illam, prædeceſſorum ſuorũ, in cauſis etiam Eccleſiaſticis poteſtatem reſtituerunt, quam in lege, *Dauid & Salomon*, & *Ioſias* alijq; ; & in Euangelio *Conſtantinus & Conſtans*, & *Theodoſius*, & *Honorius*, & *Arcadius*, & *Martianus*, & *Leo*, alijq; pijſſimi Imperatores exercuerunt. Qua etiam de cauſa, *Eduardus Confeſſor, qui Monaſterium B. Petri Weſtmonaſterienſis* inſtaurauit, & abundè locupletauit, in eiuſdem *dotatione*, hoc vtitur titulo, *Edouardus Rex pollens Ierarchus*. His Anglis nihil incommodat exemplum hoc *Ambroſij*, ſed potius accommodatiſſimum eſt. Non enim expectat *Ambroſius* Iudicium, aut directionem, ſiue authoritatẽ Pontificis Romani qua fretus Imperatorem Romanum, in Patriarchatu Romano ſedem ſuam habentem, excommunicatione, ſiue ſuſpenſione feriret, ſed poteſtate ſua, Epiſcopali ſcilicet, eundem & redarguit, & à ſacris arcet. Si ea fuiſſet poteſtas Pontificis, quam hodie iactant Pontificij, non tentaſſet *Ambroſius Theodoſium*, ab ingreſſu Eccleſiæ inconſulto Pontifice prohibere. Si ergo ſuſpenſione, aut excommunicatione feriendi ſunt Reges & Imperatores, *Ambroſius* in Eccleſia Mediolanenſi, in Anglia Archiepiſcopi & Epiſcopi Angli, in Hiſpania aut Francia Hiſpani et Franci cenſuras exerceant: ſicut in Canone illo Lateranenſi, Dominus temporalis, per Metropolitanos, & Epiſcopos illius ditionis excommunicandus decernitur. Pontifex tum demum gladium ſuum euaginet, cum Principes Epiſcopatus ſui, feriendos iudicauerit. Sic falcem ſuam, nec in Meſſem Regum temporalem, nec in meſſẽ

confratrum ſuorum ſpiritualem mitter, et fines ſingulorum ab inuaſione eius liberi erunt.

4 " *At Ambroſius Theodoſium ad legem politicam, ſiue temporalem ferendam per cenſuram ſuã coegit*:. Imo quod verius eſt, peccatum *Theodoſij* retinuit et ligauit, donec de peccato præterito condignã pœnitentiam ageret, de futuro ſatis caueret. Peccarat *Theodoſius*, quod iracundus ſentẽtiam mortis contra *Theſſalonicenſes*, et nocentes et innocentes, ſine diſcrimine, ſine diſcretione, contra omnem iuſtitiam executioni mandarat: vt hoc peccatũ crudelitatis, iracundię, & iniuſtitiæ in poſterũ caueret; opus erat, vt poſt latã ſententiã, dies aliquot, ante executionem intercederent, quo ira & paſſionibus turbatus animus (erat enim aliquanto iracundior & violentior Theodoſius, cætera pientiſſimus et iuſtiſſimus) ad ſe rediret, & diſcuſſis perturbationibus, ratione conſiliatio & duce, quod rectũ & iuſtũ erat, facilius perſpiceret. *Tu quidẽ (inquit Amb.) iudiciũ iracundia permittis, neq; ratio, ſed furens animus ſententiã pronunciat. Scribito legẽ, qua iracundiæ ſuffragia irrita & ſuperuacua reddantur, maneantq; dies triginta præſcripta ſententiæ, ce diũ & publicationũ bonorum, opperientes indicationẽ rationis; præteritis autem his diebus, exhibeant tibi ſcriptores ſententiæ tuæ, imperatum tibi opus: tum ſedata ira, ſola ratio iudicio tuo, ſententiam illam expendere & iuſta ne ſit, an iniuſta, intelligere poſſit. Quod ſi iniuſtam deprehenderit, nimirum præſcriptio illa dilacerabitur: ſi iuſtam corroborabitur, neq; nocuerit numerus dierum rectæ ſententiæ.* Quod ergo doctiſſimi ſolent Medici corporũ, contraria contrarijs curat: Hoc medicus animarum ſapientiſſimus facit *Ambroſius*, contraria contrarijs curat; Iracundiam patientia, præcipitem ſententiam triginta dierũ interpoſita deliberatione matura vincere conatur: ne iterum peccet ex iracundia vel furore animi, dilatione executionis cauet. Id quod faciunt Confeſſarij experti in foro conſcientiæ, ſi peccet aliquis ex laſciuia carnis, detrahunt cibum, ieiunium imponunt, vt caro ſubſeruiat animæ, anima deo: ſi peccet alius ex diuitiarũ cupiditate, opes minuunt, eleemoſynas imperãt: ſi quis virorum aut fœminarum conſortio deterior fiat, conſuetudinem earundem vetat; Accidiæ deditus quis eſt, labores et vigilias iniungunt: Elatus aliquis eſt, & ſuperbia inflatus, humilitatẽ docent, vitia virtutibus, pietate impietas curanda; pœna hæc non tam pœna, quã medicina, niſi forte virtus inter pœnas cẽſenda ſit: *modicum hoc quidem eſt, & ſanitatem conciliat.* Sic *Ambroſius* eum *Theodoſium* à limitibus Eccleſiæ arcet. *Tum* (inquit Imperator) *fuit medicinã temperare & curare graniſſima illa vulnera; meum vero ijs qua adhibentur vti.* Sicut ergo latroni & oppreſſori reſtitutionem Confeſſarius iniungit, Superbo humilitatem, auaro Eleemoſynam, ſic iracundo et furenti *Theodoſio Ambroſius* Epiſcopus, patientiam et dierum triginta expectationem, antequam ſententia executioni demandetur, imponit. Lex iſta Politica, ſalus eſt animæ, & medicina peccati, aut ſaltem dieta

cons

contra peccatum. *Id enim factum ob Imperatoris animum ad iracundiam proniorem*, vt Zonaras. *In Theodoſio. Nec ſine illius voluntate, qui præſcriptum ſuſcepit, & optimum eſſe dixit.* Vt Nicephorus. *Lib.* 12. *cap.* 41.

At *cogit per cenſuram*; cogit quidem volentem, ſed nolentèm non cogit: quæ vero coactio illa eſt, quę in ſolos operatur volentes? coactio enim propriè dicta, nolentes ſub iugum mittit: *volentes trahuntur, inuiti coguntur. Doctrina ducit, pœna compellit, Meliores ducuntur, plures coguntur.* Auguſt. Epiſt. 50. *De melioribus dicit Scriptura*, 1. Ioan. 4. *Charitas foras mittit timorem. De pluribus dicitur.* Pro. 29. 19 *Verbis non emendabitur ſeruus durus, ſi enim intellexerit, non obediet*: Theodoſius verbis emendatur, ſeruus ergo durus non eſt; non cogitur inuitus, ſed volens ducitur; *ſuadet, hortatur, rogat, admonet* Ambroſius. Cenſura Theodoſiũ ad pœnitẽtiam humiliauit. Pœnitentia verò, non cenſura, Theod. ad legem politicã ferendam perduxit: ligauit peccata *Theodoſij Ambroſius* & retinuit, ligata & retenta non ſoluit, non remittit, niſi futura caueat, futura non cauet, niſi legem ſibi ſcribat, qua furori et iracundiæ *frænum* imponit, ne ſimilem cædem faciat, iuxta præſcriptum Domini; *Ecce ſanus factus es, noli amplius peccare*: Quicquid in peccato *Theodoſij* in publica illius pœnitentia, fecit *Ambroſius*, hoc idem facit, aut facere poteſt, imo etiam et debet (nam futura peccata cauere debet medicus animæ, ſicut recidiuationem cauet medicus corporis) quilibet confeſſarius, qui nullam in foro externo poteſtatem habet; nullam in temporalibus iuriſdictionem coactiuam, ſed directiuam ſolum habet. Exemplum ergo hoc *Ambroſij* maiorem in temporalibus poteſtatem in Pontifice quam in quolibet Epiſcopo, immo in quolibet confeſſario non probat. Ioan 5. 15.

Quæ verò hęc fuerit poteſtas (quia de hac re inter *Barclaium* & *Bell.* conuenit) ſatis conſtat: ſpiritualis ſc. quæ non ſolum in foro interno conſcientiæ, ſed etiam in foro externo Eccleſiæ diſponit de temporalibus vt ad ſpiritualia ordinẽ habent. Nulla ergo ex hoc facto *Ambroſij* colligi poteſt poteſtas temporalis Pontificis, nulla poteſtas ſpiritualis coactiua, quæ ad temporalia ſe extendat, ex hoc exemplo comprobatur, qui enim pœnitentiam & ſatisfactionem pœnitenti imponit, non cogit, ſed dirigit; Vt qui ieiunia, orationes, Eleemoſynas, vigilias pœnitenti imponit, non cogit ſed dirigit, vt hac dięta futura peccata caueat, & perfectam remiſſionem conſequatur.

Temporalia vero non tam ordinem habent, ſiue ſubordinantur ad ſpiritualia, quam ſimul ordinantur, & ſubordinantur, & ſpiritualia & temporalia ad æterna: bonum enim æternum, finis eſt corporis & animæ, ſpiritualium et temporalium, et temporalia potius *coordinantur* cum ſpiritualibus, quã ſubordinantur ſpiritualibus. Quatenus vero & peccata et bona opera in vſu rerũ temporaliũ, vel abuſu inueniuntur, eatenus ad theologũ, ſiue ſacerdotẽ et Epiſcopũ ſpectat directio hominũ, in vſu rerum

ralium, non quod temporalia ipsa Episcopis, & Sacerdotibus subordinata, siue subiecta sint, aut ad nutum Episcoporum vel Sacerdotum tollenda vel communicanda sint, quæ iuxta leges ciuiles & temporales possidentur & ordinantur: sed quod ratione peccati, vel boni operis, directio hominum in temporalibus ad eos spectat, qui summam illam scientiam scientiarum, & artem artium, curã scilicet animarum profitentur, quorum hoc præcipuè officium est, homines à peccatis auocare, & per bona opera ad vitam æternam perducere.

" *At* (inquit Bellar.) *qua potestate Sanctus Ambrosius, Theodosium coegit, vt legẽ illam politicam ferret, si vellet à vinculo Anathematis absolui: eadem potuit eundem cogere ad aliam legem Politicam, saluti animarum necessariam ferendam, nisi vellet Anathematis vinculo ligari.*

Suprá dictũ est, nihil fecit *Ambrosius* Episcopus in publica pœnitentia *Theodosij*, quod facere non potuit, in priuata pœnitentia, et satisfactione quilibet Confessarius; publica enim et priuata pœnitentia, essentia non differunt; & lex hæc ad fructũ pœnitentiæ pertinet, vti *Bell.* id est, vt ego interpretor ad satisfactionẽ & futuri peccati cautionẽ. Si ergo *Ambrosius* potuit *Theodosium* ad aliã legem politicam saluti animarũ necessariam cogere, sub pœna Anathematis; hoc idem potest quilibet Confessarius Imperatoris, vel regis in foro conscientiæ. Verum toto cœlo errat *Bellarminus*. Satisfactio enim, qui fructus est pœnitentiæ, peccatũ, contritionem & confessionem præsupponit. Nec ergo Confessarius in priuata pœnitentia & foro conscientiæ, nec Episcopus in publica pœnitentia et foro Ecclesiæ pœnam satisfactoriam imponere potest, nisi præcedat peccatum, & tale peccatum, quod ex natura sua, talem medelam, talem satisfactionem postulat; si ex ira & furore animi *Theodosius* Thessalonicenses innocentes cum nocentibus crudelitati militari non permisisset, nunquam hanc legem ab Imperatore scribendam dictasset *Ambrosius*: Ideo nec diu durauit hæc lex. An egenti, vel omnia vendenti, et danti pauperibus imponitur Eleemosynarum distributio? An vigilantibus et orantibus iniunguntur vigiliæ & orationes? An ieunantibus et Abstemijs præcipitur ieiunium? An hoc est *rationale obsequium? In sanitate non est nimium, vt in medicina est nimium.* Malus ille proculdubio medicus est, tum corporis tum animæ, qui nimium hoc in medicina non cauet. Apage vero cum medicina illa, quæ sine causa, sine morbo datur. Si ergo non præcessit peccatum, nec satisfactio subsequitur: si Theodosius ex furore animi non peccasset, legem hanc longanimitatis non sanxisset: sicut ergo lex ista *Theodosij*, fructus est pœnitentiæ & pars satisfactionis, peccato *Theodosij* proportionata: sic alia illa lex politica, saluti animarum necessaria, sub pœna Anathematis ferenda, fructus esse debet pœnitentiæ et satisfactionis pars, (*ex malis enim moribus bonæ leges ortæ sunt*:) & peccato legislatoris proportionata: quid enim aut Episcopo, aut Sacerdoti, cum legibus politicis ferendis, nisi in publica et priuata pœnitentia? et pœniten-

Vide Thomam in Rom 12. v. 1.

nitentia non est nisi peccati? Si ergo ex facto *Ambrosij*, qui *Theodosium* ad legem politicam ferendam, peccato suo proportionatam coegit; colligat *Bellarminus*, licitum esse Episcopo Imperatorem vel Regem, ad aliam legem politicam, saluti animarum necessariam ferendam, vinculo Anathematis cogere: Male quilibet ex quoliber concludit; hoc enim ab *Ambrosio* impositum est, vt simile fugeret peccatum: & proinde ad satisfactionem faciendam, vbi peccatum non præcessit vrgeri non debuit. Quod si dicat *Bellar.* quemlibet Regem ad leges saluti animarum necessarias ferendas obligari; verum hoc quidem est, sed ad tales leges ferendas Reges & Imperatores per censuras Ecclesiasticas cogendi non sunt. Censuræ enim Ecclesiæ, non nisi in delinquentes ferendæ sunt; nec in omnes delinquentes, sed in contumaces, nec sine præcedentibus monitionibus. Nunquam vero auditum est in Ecclesia, quod quisquam Christianus, multo minus Imperator aut Rex, propter peccatum omissionis, pœna Anathematis innodatus sit.

Quod si ex hoc facto Ambrosij sic arguat Bellarminus.

Eadem potestate cogere potest Episcopus Imperatorem, vt aliam legem politicam vel temporalem saluti animarum necessariam ferat, qua *Theodosium* coegit *Ambrosius*, nisi velit Anathematis vinculo alligari.

Ergo, eadem potestate, eodem vinculo, potest Imperatorem vel regem cogere vt regno siue imperio se abdicet: nisi velit anathemate innodari.

Responsio facilis est; Aliud enim est cogere, vt Imperator legem ferat temporalem, vel de temporalibus: Aliud est ipsa temporalia ab Imperatore tollere & legislatrē potestate legum ferendarum privare. *Ambrosius*, *Theodosium*, coegit, vt legem temporalem peccati sui sanatiuam ferret, et nec Sathanę tradidit nec à fidelium communione separauit, nec seruitia, et obsequia, aut seruorum, aut subditorum denegauit, sed in omnibus Imperatorem agnouit, nec de depositione temporali, vel somniauit quidem: Iurisdictio ista tota spiritualis est, nulla ex parte temporalis, aut politica: et proinde ad temporalem potestatem Pontificis comprobandam non facit.

At conclusio Bellarmini monstrosa est.

Ambrosius imperat Theodosio in satisfactionem peccati sui, vt legem ferat temporalem, siue de temporalibus, peccati sui sanatiuam.

Ergo maiore ratione Pontifex maximus Ecclesiæ vniuersæ præsit, imperare potest Principibus temporalibus, sub pœna anathematis, vt leges politicas bono spirituali necessarias ferant, & leges boni spiritualis impeditiuas abrogent.

Si non peccasset *Theodosius*, talem legem peccato *Theodosij* proportionatam, non imperasset *Ambrosius*, imperat *Ambrosius* propter peccatum iusta de causa: An ergo nullo præcedente peccato, nulla satisfa-

ctionis præexiſtente cauſa, imperabit Pontifex maximus, vt leges politicas bono ſpirituali neceſſarias, aut ferant aut abrogent Imperatores & Reges à peccato immunes, à vinculis & peccatorum & cenſuratum liberi? Tantum abeſt, vt hoc Pontifici maiori ratione liceat; vt nulla ratione liceat, cum imperio præcipere: Antiqui Pontifices Imperatoribus, in cauſis etiam Eccleſiaſticis ſupplicabant, vt *Leo Martiano*: vt *Gregorius Mauritio*: At moderni Pontifices in cauſis temporalibus Imperatoribus imperant: *Rogamus* (inquit Ambroſius) *non pugnamus.* (Rogamus itaq; & nos, non imperamus hoc Chriſtianos decet) *Imperatores magis ſacerdotium optauerunt, quam ſacerdotes imperium.* At moderni Pontifices ſacerdotium dereliquerunt, nihil ſacerdotale faciunt, non prædicant, non baptizant, vix ſemel in anno corpus Domini conficiunt: Imperium arripuerunt, & quia Reges gentium facti ſunt, Regibus gentium dominantur. *Vos autem ſic.* Verum imperent Pontifices quandiu velint, Reges Chriſtiani & Catholici, non ad nutum vel imperium Pontificis, ſed pro re ſua, & rerumpublicarum ſuarum, leges condunt, & abrogant; & proinde temporalis poteſtas in legibus ferendis poteſtati ſpirituali ſubiecta non eſt,

Lib 4. Epiſt. 33.

CAP. XL.

Priuilegium ſancti Medardi (quod 4. eſt exemplum Bell.) confictum eſt, & depoſitionem regum non attingit.

1. *Gregorius Hypocrita, de facto loquitur: Simoniacus, emit pontificatum, tyrannus vero crudelis in hoc priuilegio.* 2. *Confictum eſt hoc priuilegium: quod multis probatur.* 3. *Crudelis eſt, qui pro minimis peccatis maximam ſtatuit pœnam depoſitionis, & ſummi pontificis & Regum.* 4. *Gregorius 7. qui omnia pro regum depoſitione corraſit; hoc priuilegium omiſit.* 5. *Thomas Waldenſis Gregorium, 1. de Regis depoſitione non interpretatur, Imprecatio eſt, non lex pœnalis.*

1 QVartum exemplum eſt priuilegium quod monaſterio ſancti Medardi conceſſit Gregorius primus *Si quis regum, antiſtitum, iudicũ &c. honore ſuo priuetur, &c. Gregorius 1. Bellarmino* hypocrita eſt, de facto loquitur non de iure, circa clericorum ſubiectionem. *Gregorius 1. Bellarmino* hæreticus eſt, et ſymoniacus, qui *Mauritio* tyranno pro confirmatione Pontificatus ſui, certam pecuniæ ſummam dedit. Etſi enim *Mauritius* tyrannus et hæreticus ſymoniacus, qui pecuniam à *Gregorio* accepit, multo magis *Gregorius* hæreticus et ſymoniacus, qui dedit: maius enim eſt hoc pecca-

peccatum in Pontifice, quam in Imperatore, in doctissimo antistite, quã in Laico indocto. *Gregorius* 1. *Bellarmino* iniustus est et iniquus et tyrannus: nec enim vacat à tyrannide, pœna maiori peccatum minus plectere. Si depositio et excommunicatio et damnatio æterna, pro negligentia priuilegiorũ sancti *Medardi*, infligantur, vt post videbimus: *Gregorius* et Aristarchus, et Phalaris, et crudelissimus omnium, qui vnquam fuerant Pontificum et Imperatorum extitit. sed ad rem.

De hoc priuilegio nonnulla dicta sunt: illud prę cæteris annotatum est; confictum esse, sub nomine *Gregorij*, sed Gregorianum non esse. Fictum vero esse loquuntur multa. 1. Stylus et phrasis loquendi: Dominus *Ioannes* Papa, Dominus *Monseigneur Medardus*; Phrases istę nouitatem sapiunt, antiquis inauditæ. (Viginti mansos ingenuos, et totidem seruiles) barbaries ista stilum Gregorianũ, puritatem linguæ latinæ non refert

2. Tempus, nondum Roma missi fuerunt, Augustinus, & Mellitus: nondum ille Canthuariorum, hic Lundoniæ Episcopi erant: & tamen subscriptiones eorum sub his titulis extant: Nondum Theodoricus nepos Brunichildis ad regnum peruenerat. Id quod fatetur Baronius. Tom. 8. an. 563. n. 58. *Sed fatendum est subscriptionẽ Episcoporũ & Regis Francorum Theodorici haud congruere his temporibus, siquidem complures Episcopi, qui subscripti reperiuntur, post aliquot abhinc annis creati nascuntur. (vt de reliquis dicere omittamus) Augustinus Cantuariensis, & Mellitus Lundoniensis, quos constat neque hoc tempore profectos esse in Angliam: Quo etiam neq; Theodoricus regnabat in Gallijs, sed Childebertus & Gunthramnus. Quamobrem in eam inducor sentẽtiam, vt ea subscriptio postea adiecta fuerit.* Hæc Baronius. Responsio vero ista, non solum subscriptionem postea adiectam, sed ipsum etiam priuilegium adiectum, & confictum probat. Non solum enim in subscriptione, sed etiam in ipso priuilegio mentio fit ipsius *Theodorici Regis Proinde iuxta filiorum nostrorũ præcellentissimorum scripta, Regũ Bruniehildis, & nepotis eius Theodorici, monasterio sanctæ dei genetricis, &c.* Rex ergo Theodoricus, cum priuilegium concessum est; sicut cũ subscriptio adiecta est. Si ergo hoc nomine, subscriptio adiecta est, quia subscripsit *Theodoricus* sub titulo Regis, priuilegium etiam adiectum est, & proinde confictum: quia petijt hoc priuilegium Theodoricus Rex, & concessit *Gregorius* ad scriptum *Theodorici Regis*. Prętera subscriptioni additur. Datum 7. Kalend. Iunij Anno ab incarnatione Domini 593. Indictione vndecima. Mitto quod noua est hæc & inaudita tempore *Gregorij* forma: non extat talis calculandi ratio, circa illa tempora, sed Datũ hoc, expresse confictum esse hoc priuilegium loquitur. Datum enim apponitur, aut priuilegio ipsi, aut subscriptioni: si priuilegio ipsi, falsum proculdubio est; nondum enim erat Rex Theodoritus, qui hoc priuilegium à Gregorio peteret. Si subscriptioni ipsi, longius à vero abesse conuincitur; quia nec Theodoricus rex erat, nec Augustinus, & Mellitus Episcopi anno Domini 593.

ſed ille ad Regnum circa annum 598. iſti vero ad Epiſcopatus circa annum 601. promoventur, Mirum quod iſta non viderit *Baronius* alioquin oculatiſſimus. Sed partium ſtudia vel doctiſſimos occæcant. Laudat etiam *Gregorius* Brunichildem; at Aimoino, *Mulier nefandiſſima, Deo odibilis, cunctis inuiſa bonis, parricida decem Regum, quos partim conſilio, partim manu, vel etiam maleficiis extinxerat. Mulier in cædibus propinquorum maxime exercita.* Quid vero prodeſt monaſteria conſtruere, manibus tot Regum ſanguine cruentis? Sed de hac muliere nimium dictum eſt.

lib. 3. c. 94. & 99. & l. 4. c. 1.

3. Eandem Gregorius ſententiam, contra Pontificem ſummum, quam contra Regem ferit. Si quis antiſtes: & ſolus Gregorius in ſubſcriptionibus antiſtes dicitur. Et iuxta regulam Bellarmini cap. 35. Pontifex ſeipſum non excipit. Sicut Imperatores qui Clericos eximunt à ſeculari Poteſtate, etiam à ſuprema poteſtate ſua eoſdem eximunt. Per ſeculare iudicium intelliguntur, non ſolum iudicia Iudicum inferiorum ſed etiam ſupremorum, cum omnia ſint æque ſecularia. Per antiſtites ergo intelliguntur Pontifices ſummi, ſicut & alij Epiſcopi cum omnes ſint æque antiſtites. An deponendus eſt Pontifex ſummus ſi Priuilegium Domini Medardi violauerit?

4. Non priuat poteſtate vel dignitate, ſed honore, & Rex eſſe poteſt, qui honorem Regis boni & pij non meretur.

3 5. Priuolæ ſunt cauſæ depoſitionis: in his cauſis depoſitionis iniuſtus & crudelis & tyrannus, eſt Gregorius. An ſufficiens cauſa depoſitionis hæc eſt; ſi Rex Franciæ priuilegia hæc *Domini Medardi* violauerit, aut contradixerit, aut negligenter dixerit, aut fratres inquietauerit, aut conturbauerit: aut aliter ordinauerit? An negligenter dicere priuilegia *Domini Medardi*, aut aliter ordinare, ſola Diadematis jactura expiandum eſt? An inquietatio vel conturbatio fratrum: non niſi regni priuatione recompenſari poteſt? Iniuſta proculdubio ea eſt pœna quæ ſuperat delictum: aut ergo merentur friuola iſta, depoſitionem & damnationem æternam; aut crudelis & tyrannus *Gregorius*, qui leges pluſquam Draconicas in ſanguine corporum & animarum ſcribit, pœnamq; negligentiæ, & mortem æternam, & regni amiſſionem ſtatuit: *Diſcite à me quia mitis ſum & humilis*. Sic Dominus, Matth. 11. 9. qui adulteræ peperceraat, At Gregorius, vel negligenti, pœnam grauiſſimam, quauis morte ſeueriorem infligit. Verum cæci ſunt, in hac cauſa Pontificij, loquatur modo *Gregorius* pro Regum depoſitione, non refert, etſi quouis tyranno immanior ſit; etſi vel Scythas ferinate ſuperet; An quiſquam danus hæc eſſe *Gregorij* putet, vt pro negligenti dictione, vel recitatione Priuilegij, Reges regno terreno & cœleſti priuari vellet; qui cætera mitis, & humilis, & miſericors eſt?

Quæ

Quæ vero sunt hęc indulta priuilegia? quorum violatio tantis pœnis expianda est? *Nemo tollat vel minuat bona Monachorum vsibus deputata: Abbas sit, quem communis consensus Monachorum elegerit. Abbas & Monachi nihil dent pro electione sua; liberi sint ab omni iurisdictione Archiepiscopali & Episcopali: Gallicorum Monasteriorum caput sit:* Et similia. Quid vero? si quis Pontifex, aut Rex, pro Ecclesiæ et reipublicę necessitate extrema, bona eorum diripiat, an statim deponendus? Si Pontifex de Abbate prouiderit, sine consensu Monachorum, an deponendus? Si negligente Pontifice, ordinarij illius loci Iurisdictionem in Monachos, vrgente necessitate, exerceant, an honoribus & dignitatibus priuandi? Si Pontifex, vel Rex, aliud monasterium huic præponat, an statim regno vel Pontificatu cadat? Si hic sit sensus, hęc sententia *Gregorij*, nimiæ et intollerabilis seueritatis merito peragendus est, qui pro tam friuolis et inanibus causis, tam graues pœnas infligit.

Quod vero addit Bellarminus, *similia haberi in priuilegio eiusdem Gregorij* ad Senatorem quendam Abbatem Lib. 11. Epist. 10. ad rogatum eiusdem *Brunichildis* concesso; non est omnino verum: Etsi enim eadem fere verba quandoq; in vtrisq; reperiantur, tamen quoad pœnam, dissimilia multa sunt. Omittuntur enim omnia illa. *Contradixerit, negligenter dixerit, fratres inquietauerit, conturbauerit, &c.* et solum dicitur. *Si quis contra eum venire tentauerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat:* non dicit priuetur; quod actum forensem et iudicialem designat, sed tantum careat: et caret, qui inglorius est et infamis et indignus honore, etsi titulo honoris insigniatur. Et dignitate careat potestatis honorisq; non dicit, potestate et honore ipso careat: aliud vero est dignitas potestatis siue honoris, aliud potestas ipsa siue honor: quoad hanc rem ergo dissimilia sunt.

De ordine supra dictum est, incępit à priuatione regni, progreditur à suspensione ad excommunicationem et anathema, in damnatione cum Iuda proditore desinit: aliter vero Patres Lateranenses, primo excommunicetur, per Episcopos vero post annum regno priuetur: aliter praxis Ecclesiæ, quę post suspensionem et excommunicationem tantum, brachium seculare inuocat, et de pœnis ciuilibus cogitat.

6. Imprecantis hac sunt, non imperantis, quibus admonet, et adiurat omne genus hominum, ne priuilegium à se datum, violent: quid si violent, Deum vindicem fore, qui eos honore suo priuet. Et hæc est forma pene omnium Bullarum: *Si quis hæc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, incurrat* (siue quod idem est) *se nouerit incursurum.* Ad hæc quid Bellar. *Interpretatio verborum sancti Gregorij, non est mea, sed alterius sancti Gregorij, dignitate paris, & sanctitate non multum inferioris.*

Corrasit *Gregorius* 7. vndiq; quicquid potuit, ad defensionem facti sui quo-

quo Henricum 4. depoſuerat inter cætera cauſæ ſuæ teſtimonia, Epiſtolã, *Gregorij* ad Senatorem quendã Abbatem vrget. Vbi obſeruendum eſt: Omnia illa teſtimonia, quæ à Gregorio 7. in hac Epiſtola omittuntur, ſuſpectæ fidei eſſe. Qui enim hanc epiſtolã Gregorij, 1. in qua nihil pene eſt, quod ad rem faciat vrget, hoc priuilegium ſancti Medardi neutiquam omiſſiſſet; ſi aut tempore Gregorij 7. innotuiſſet, aut indubitatæ fidei fuiſſet. Cum ergo ſolam hanc Epiſtolam ad Senatorem quendam Abbatem, vrgeat Gregorius: priuilegium hoc ſancti Medardi ſuppoſiti um eſſe conuincitur.

Verum vt Gregorio huic ſeptimo coætaneũ opponamus: Author illius libri, qui inſcribitur, De vnitate Eccleſiæ conſeruanda, ſub nomine Venetici Vercellenſis, quiq; huic Gregorij 7. epiſtolę reſpondet, ſic habet. *De quibus tandem regibus vult, vt hæc intelligamus, cum nihil tale in ſcriptis illius eximij doctoris Gregorij adhuc legerimus, qui deferebat honorem, cui debebat honorẽ, ſicut dicit Apoſtolus, qui non reſiſtebat, nec reſiſtendum docebat poteſtatibus, cum reſiſtens aliquis, reſiſtat Dei ordinationi.* &c. videat Lector ſequentia. Videtur ergo quod inter certa Gregorij opera, *Epiſtola hæc ad Senatorem Abbatem*, non extabat tempore Gregorij & Vercellenſis: ſed et hæc epiſtola ſuſpecta eſt, et parum probata: in eadem enim mentio fit Theodorici, qui nondũ rex erit, vt ſupra dictum eſt. Vtcunq; vero Epiſtola hæc ad Senatorem Abbatem, *Gregorij* ſit, parum abeſt à crimine falſi, *Gregorius* 7. in interpretatione ſua. *Gregorius* primus dicit *poteſtatis honoriſq; ſui dignitate careat*, Gregorius 7. colligit; *Beatus Gregorius Papa, reges à ſua dignitate cadere ſtatuit.* Verum vti ſupra, diximus, aliud eſt carere, aliud priuare, aliud carere, aliud cadere, aliud eſt dignitate honoris & poteſtatis carere, aliud eſt ipſa poteſtate, ſiue honore carere. An ſtatutum hoc ſit poſt dicemus, Illud Pontifici ambitioſiſſimo facile fuit, pro dignitate poteſtatis, poteſtatem ipſam ponere, pro carentia priuationem ſubſtituere. Hoc enim agit *Gregorius*, vt vel probabilia aliqua teſtimonia, pro poteſtate Regum deponendorum producat, quibus factum ſuum ſtabiliret. Cum ergo *Gregorius 7.* hoc priuilegium ſancti Medardi non vrget; pluſquam probabile eſt, Priuilegium hoc confictum eſſe. Cum Epiſtolam hanc ad Senatorẽ Abbatem, præter verba *Gregorii* primi vrgeat, veriſimile eſt *Gregorium 7.* hæc non veritatis, ſed partium ſtudio ex *Gregorio* 1. collegiſſe: præſertim cum, ſicut in febre laborantibus, alimenta non tam corpus quam morbum alunt, ſic ſtudio partium laborantibus omnia ad opinionis ſuæ confirmationem operantur, ex quibus venenum hæreſis & ſchiſmatis ſic colligunt ſchiſmatici, ſicut ex ijſdem floribus Apes mel, Aranex venenum hauriunt. *Gregorii* ergo 7. vtpote temporalis poteſtatis & monarchię cupidiſſimi interpretatio ſuſpecta eſt, nec alicuius momenti in cauſa ſua; & proinde non ſine temeritate vrgetur, ſumma vero cum ratione reijcitur, vtpote in poteſtate ſua amplificanda, teſtis parum idonei.

Ac

At Thomas Waldenſis, Doctrinal. Fidei. l. 2. Art. 3. cap. 75. *verba Gregorii* 1. *eodem modo interpretatur, Magiſtrum ſe & Imperatorum & Regum arbitrabatur, cum violatoribus priuilegiorum ſub interminatione dignitatis & honoris dicit. Si quis regũ* &c. verba ſupra habentur *in prolegomenis* de ſcriptoribus gentis Anglicæ. c. 6. l. 1.

In ſententia *Thomæ Waldenſis* vt ſupra docuimus, dupliciter peccat *Bell.* 1. male recitat *Thomã Waldenſem*, amiſſione enim vnius verbi (*Eccleſiæ*) totum ſenſum & ſententiam *Waldenſis* peruertit. *Profecto* (inquit) *nec Beatus Gregorius eminentiæ ſui ſtatus, ſuper ſtatum Imperialem præiudicat, in aliquo, cum regem ſibi verbo tenus præpoſuit, negotio quoq́* (*Eccleſiæ*) verbum hoc fraudulenter omiſſum ſuſpicor) *quod tunc tractabatur attento*; ac ſi in omnibus ſimpliciter & abſolutè, & temporalibus & ſpiritualibus, ſuperior eſſet Pontifex Imperatore.

2. *Waldenſem* contra ſententiam *Waldenſis* vrget: Perſpicuè enim et diſertis verbis dicit Waldenſis, *Quod vbi de peccatis & diuinis offenſis agitur, maxime contra Eccleſiæ & fidei diſciplinam, regalis poteſtas ſuccumbit ſacerdotali. Vbi vero terrenum aliquod emolumentum locum habet, neceſſe* (*iuxta decretale capitulum*) *vt Præſidens poteſtatis terrenæ legibus ſibi congruis ſe ſubmittat.* Sic vt iuxta *Waldenſem* In ſpiritualibus poteſtas terrena cedit ſpirituali poteſtati, in temporalibus poteſtas ſpiritualis terrenæ.

Quin etiam *Waldenſis* non magis de Pontifice, quam de toto ordine Sacerdotali, hunc locum *Gregorij* intelligit; *Nec tantum ſibi* (Gregorio Pontifici) *ſed ſecundum perfectionis ordinem ſacerdotum ordini, cunctorũ cœtum fidelium cenſuit eſſe ſubiectum*, id quod probat ex verbis eiuſdẽ. l. 14. Moralium, c. 16. *Ecce ſacerdos Chriſti* (non tantũ Pontifex) *caput eſt fidelium, & prima pars membrorum in corpore Chriſti, & ſacerdotes duces ſunt etiam exercitus Chriſtiani*, &c. Nihil ergo ſingulare tribuit *Waldenſis* Pontifici, quod cõmune ſingulis ſacerdotibus non eſt: & ſinguli ſacerdotes poteſtatem non habent regum deponendorũ. Vide plura, c, 8. lib. 1. & l. 2. c. 3. nec non c. 15. de exemptione Clericorũ, vbi abunde docuimus, & Gregoriũ, et clericos omnes, de iure Imperatoribus ſubiectos eſſe in temporalibus.

At pugnant Waldenſis & Barcl. Waldenſis dicit, interminatio hæc eſt dignitatis & honoris. Barclaius dixit imprecatio eſt.

Non contradicit *Barclaius Waldenſi* Imprecatio enim interminationẽ continet, eamq; grauiſſimã & ſeueriſſimam, quia Deum iudicem aduocat & implorat, *in cuius manus incidere horrendum eſt.* Plus ergo dixit *Barcl.* quam *Waldenſis*, qui non ſimplicitet interminatur, ſed cum imprecatione minatur, nec ad tribunalia hominũ, ſed ad ſummũ Dei tribunal prouocat. *Heb.* 10. 31.

At tria hic cõiunguntur, honore ſuo priuetur: à cõmunione fidelium ſegregetur: in diuino examine ad pœnas æternas damnetur: Duo poſteriora non continẽt imprecationem, ſed decretum & declarationem: igitur & primũ: honore ſuo priuetur, imprecatio non eſt, ſed decretum & declaratio, vt liceat populo

non

non obedire eiusmodi Regi, tanquam honore suo & dignitate priuato.

Siccine vero *Bell.* an posteriora duo continent decretum, siue declarationem, non imprecationem? qui ergo priuilegium hoc violauerit & contradixerit, vel negligenter dixerit, &c. & decreto & declaratione, hoc est, & sententia Iuris, hoc est decretum, & sententia iudicis, hoc est declaratio, & excommunicatus & ad infernum inferius damnatus est: Si verum hoc sit, ligat Petrus & in cœlo & in terra authoritatiue, non tantum ministerialiter. Et tamen dicit Christus, *Quicquid ligaueris in terra, erit ligatum in Cœlis*; non dicit, tu ligabis in cœlis, sed ligatum erit in cœlis. Et Petrus vicarius non solum iudex in terra, sed etiam iudex in cœlis, Christum Dominum officio Iudicis viuorum & mortuorum priuabit: Imo non solum ligat in terra, & in cœlis, Petrus factus Iudex viuorum & mortuorum (excluso Christo iudice) sed etiam ligat in inferno inferiori: in quo tamen Pontifex summus vicarius Christi nullam habet potestatem.

Præterea decretum ad Legislatorem, declaratio ad Iudicem facti spectat: nec solent Legislatores in priuilegijs, leges siue decreta facere: nec possunt legislatores qui pœnas excommunicationis, & suspensionis, siue anathematis, ipso facto, & ipso iure incurrendas statuunt; potestatem sententiæ declaratoriæ, siue declarationis a Iudice tollere: Decreta enim in Concilijs fieri solebant in primitiua Ecclesia: declarationes autem a Iudicibus, qui de facto ipso cognoscunt etiam hodie fiant. Sic vt, qui ipso facto pœnam excommunicationis siue anathematis incurrunt, per sententiam declaratoriam Iudicis, notificandi siue declarandi sunt. Pœna ergo hæc *Gregorij*, nec decretum est, quia sine Concilio facta est, nec ausus est *Gregorius* decreta siue Concilij sententiã promulgare; nec declaratio est, quia per Iudicem, qui de facto cognoscit, non denuntiatur. Nisi forte declaratio dicenda sit, quia tanquam præco diuinæ iustitiæ, declarat *Gregorius*, Deum ipsum, et Ecclesiam, has penas huius priuilegij violatoribus interminare vel imprecari.

Illud vero satis admirari non possum, quod *Bell.* regem illum ipso iure, siue decreto, regno priuatum esse asserat, qui priuilegium istud violauerit, et hac ipsa declaratione licitum populo esse, tali regi non obedire, vtpote honore suo ac dignitate priuato: Ac si ipso facto reges Franciæ, qui *domino Medardi* Monasterium violant, ipso iure, et ipso facto, sine vlla sententia declaratoria, vel declaratione Iudicis, depositi sint et regno priuati: quod enim opus est Pontifice, qui talem regem deponat, si ipso iure, sine decreto, et ipsa declaratione, sine sententia Pontificis declaratoria depositus est. Quid opus est, vt Pontifex subditos ab obedientia et iuramento fidelitatis absoluat, si ipso decreto, et declaratione *Gregorij* legislatoris, absoluti sunt, et possunt tali regi non obedire, vtpote honore suo et dignitate priuato?

Quod si paria sint hæc tria: *honore suo priuetur: a communione fidelium*

separetur

ſeparet ad pœnas æternas damnetur; vti aſſerit *Bellar.* Dicat ergo quare, non licet iuxta hoc decretum, dæmonibus, talem Regem ad pœnas æternas rapere; ſicut Populo licet, Regem talem de ſolio dejicere: ſi enim in altero trium liceat populo obedientiam & fidelitatem detrahere, ſine vlteriore declaratione; licebit etiam dæmonibus animam illius Regis ad æterna ſupplicia detrudere, poſt decretum enim, ſiue ius, & declarationem, ſiue ſententiam declaratoriam ſola remanet executio.

Prælatus vero ſiue iudex qui cognoſcit de cauſa, cum dicit, *excommunicetur*, excommunicandum decernit: non tamen excommunicat; ſi ergo decretum ſit, declaratio non eſt: ſi declaratio ſit, decretum non eſt: nec par eſt ratio iudicis de facto cognoſcentis, & Theologi minantis & imprecantis, verbum enim iudicis operatiuum eſt, excomunicationem producit. At verbum prædicantis, ſiue imprecantis, non eſt ſemper operatiuum, minatur enim Deus per prædicatores, non vt feriat, ſed vt non feriat Etſi ergo Iudex cum dicat, excommunicetur, excommunicandum decernit, prædicator tamen vel imprecatur cũ ſeparandum à cõmunione fideliũ interminatur, non ſeparat à cętu & ſocietate ſanctorũ: quia ſic imprecatur ſic minatur non vt ſeparet, ſed vt non ſeparet à ciuitate cœleſti.

Quod ſi crudelis ille ſit, qui imprecatur ſiue interminatur, pœnas æternas quam crudelis *Gregorius*, qui non ſolum imprecatur, ſiue interminatur, ſed etiam decernit & declarat, talem Regem pœnis infernalibus ſtatim tradendum, eodem enim iure, ſcilicet decreti & declarationis, poſſunt Dæmones talem Regem, vltricibus flammis tradere, quo populus eundem regno priuat, & bonis temporalibus ſpoliat.

Sed bene res habet: *Qui dicit*, (inquit Bellar.) *qui hoc fecerit, in diuino* »
iudicio ad pœnas æternas damnatur; non imprecatur damnationem æternam »
quis enim tam crudelis inuenitur, qui hæc imprecetur: (addo ego; qui » hoc, lege lata decernat aut ſententia iudiciali declaret, & dæmonum ex- » ecutioni tradat) *ſed declarat, eum qui hic fecerit, grauiſſime peccaturum,* »
& pœnas æternas diuino examine promeriturum: Non ergo *decretum* hoc eſt, vim legis habens; *declaratio* non eſt ſententiam iudicis exprimens; ſed *interminatio* eſt, iudicis ſupremi & æterni iram & iuſtitiam denuntians. quod quotidie faciunt prædicatores, & præcones verbi diuini. Grauius ergo aliquanto dixit Barclaius: *vox imprecantis eſt*, mitius Waldenſis, *interminatio eſt*; qua denuntiat *Gregorius*, eum in diuino examine, has pœnas promeriturum, qui priuilegia iſta violauerit. An vero qui priuilegia iſta, *negligenter dixerit* has pœnas promereatur iudicet lector ex prędictis; interim incredibile prorſus eſt; *Gregorium* Præſulem mitiſſimum, talia tamque ſanguinaria decreta edidiſſe.

Quod addit Bell. *Bullas Pontificum declarare & denuntiare grauiſſimas pœnas, contra contemptores earundem.* Verum quidem eſt, ſed decreta » non ſunt vim legis habentia: nec declarationes ſunt, vim ſententię declaratoriæ habentes: nemo enim punitur per Bullas iſtas, ſed per leges & ſanctiones

ſanctiones canonicas : Et bullæ ipſæ plerunq; pœnas de iure conſtitutas infligunt, ſiue infligendas denuntiant. Quod ſi *Gregorius*, in terris iam viueret & videret quę & qualia ſub nomine eius confinguntur priuilegia, qualeſq; eorundem interpretationes & gloſſæ excudantur, vt Bellarmini verba retorqueam; exclamaret proculdubio ; & Bullam ipſam monetam adulteram, fœtum ſuppoſititium, & barbarum eſſe ; gloſſam vero maledictam, ſiue Aurelianenſem, textus corruptricem; interpretationem calumnioſam eſſe, qualem nec ipſe vnquam viuus edidit, nec per ſomniũ quidem cogitauit. Atq; hæc de priuilegio *Domini Medardi* dicta ſunt.

CAP. XLI.

Leo Iſauricus à Gregorio 2. non eſt depoſitus, quod eſt 5. exemplum Bellarmini.

1. *Confuſio & Babel inter hiſtoricos, in hac cauſa: alij aſſerunt Leonem à Gregorio priuatum vectigalibus, alij nihil tale tradunt.* 2. *Diuiſio hiſtoricorum temporum diſtinctione non conciliatur.* 3. *Impulſus Gregorius deficit à Leone.* 4. *Pontifex Princeps temporalis ſupremus, non ergo vt Pontifex ſed vt Princeps temporalis potuit iſta iubere.* 5. *De ſententia Platinæ.* 6. *Et Onuphrij huius lingua in ſe diuiſa, quandoq; veritas hæc, quandoq; fabula eſt.* 7. *Leo Iſauricus, Imperator vſq; ad mortem permanſit, & peccavit in Euangelium Gregorius, quia ipſi vectigalia pendi prohibuit.*

QVintum exemplum eſt *Gregorij* 2. *qui Leoni Iſaurico à ſe excommunicato prohibuit Vectigalia ſolui ab Italis, & proinde ea parte Imperij mulctauit.* De hoc facto Gregorij nonnihil dictum eſt inter prolegomena, de Concilijs lib. 1 cap. 7. An ſcilicet, ſicut anathemate Synodico Leonem Imperatorem perſtrinxit, ſic decreto Synodico vectigalia detraxit; & Imperij parte mulctauit, quod ibidem requirat lector. Illud obiter addendum eſt; Depoſitionem, ſiue denegationem vectigalium, potius in comitijs, quam in Concilijs Eccleſię tractandam eſſe. Concilia enim antiqua de rebus ſpiritualibus, ad ſalutem animarum ſpectantibus potius, quam de proſcriptionibus & depoſitionibus, eradicationem Regum aut Imperatorum concernentibus deliberabant. Supereſt; vt de facto *Gregorij* nonnihil dicamus an ſcilicet extra ſynodum, in tribunali, ſiue Conſiſtorio Eccleſiæ, *Gregorius Leonem* vectigalibus, & parte imperij priuauerit.

Atque

Atque hic ecce altera *Babel*, siue confusio linguarum: Diuisi sunt inter se historici, non conueniunt authores, & proinde nihil certi statui potest. Et hanc dissensionem non obscure agnoscit *Bellar. Baronius* vero eandē expresse confitetur: & tamen partium studijs addictissimi, quia in rem Pontificis cedit, authores sunt *Gregorium* vectigalibus Italiæ *Leonem* mulctasse. Sic solent definire, qui ideo credunt, quia credere volunt.

Primi, qui Gregorium authorem huius discessionis ab Imperatore *Leone* faciūt, sunt Græci, inter quos sunt iuxta *Bellarminum*, *Theophanes* (is enim author est illius historiæ iuxta Baronium, quam *Paulo Diacono* ascribit *Bellar.*) & *Glycas*, & *Zonaras*, & *Cedrenus*, & inter Latinos *Sigebertus* & *Platina*, qui authoritatem Græcorum secuti sunt, quorum eo minor est in hac causa authoritas, quia eo animo ista narrant, vt *Gregorio* defectionis siue rebellionis notam inurant, Sicuti post allata *Theophanis* & *Zonare* testimonia de ijsdem fatetur Baronius, his verbis: *In odium atque inuidiam Romanæ Ecclesiæ, iacturam factam occidentalis Imperij in Romanum Pontificem Græci schismatici retorquere soliti sunt, ad commouendos tum Imperatorum, tum aliorum animos in Romanam Ecclesiam, cæterum tantum abest, vt Gregorius Papa ad rebellionem contra Imperatorem Italiæ populum defectionemq; his sce temporibus sollicitarit: (pendereve eos tributa Imperatori vetuerit) vt potius magnopere laborarit, vt eum sub Imperatore in officio contineret.* Sed præterquam quod Græcos sugillat vt schismaticos, Latinos Antiquiores tres testes Fidelissimos, producit, Paulum Diaconum, de gestis Longobardorum. Lib. 6. cap. 49. *Omnis quoq; Rauenna exercitus vel Venetiarum talibus insistis vno animo restiterunt, & nisi eos prohibuisset Pontifex, Imperatorem super se constituere fuissent aggressi.* Ipsum etiam Gregorium 2. Epist. 11. *qui cum duce Veneto agit, vt Exarchatum Rauennæ à Longobardis gente nec dicenda, in seruitium dominorum filiorum suarum reuocetur.*

Anastasium quoq; Bibliothecarium, in Greg. 2. *Cognita Imperatoris nequitia, omnis Italia consilium iniit, vt sibi eligerent Imperatorem; & Constantinopolim ducerent, sed compescuit tale consilium Pontifex, sperans conuersionem Principis.* Et infra. *Ne desisterent ab amore vel fide Romani Imperij admonebat.*

Quibus addere possumus *Reginonem* Ad annum 655, qui eadem habet: quæ *Paulus Diaconus*. Præterea Abbas Vrspergensis (qui vt & *Sigebertus*, audiunt à vobis schismatici) quamuis anno 718. dicat. *Misit ad Papam Romanum Gregorium vt similiter faceret, ille vero noluit, sed omnia tributa Romana vrbi sibi dare prohibuit.* Et anno 731. *Anathematizauit & Leonem tanquam impie agentem per epistolas redarguens, Romam cum tota Italia ab eius Imperio recedere fecit.*

In Anacephalæosi tamen post ann. 1124. seipsum exponit. *Quando & etiam accessit authoritas Romani Pontificis, sicut in gestis Romanorū Pontificum legitur,*

quam Græcis, qui & rerum Latinarum ignari, vti *Baronius*, & schismatici, & calumniandi gratia, hanc defectionem *Greg.* ascribunt, vt in Ecclesiam Romanam odium & inuidiam Occidentalis Imperij deperditi reijciant. An quisquam sanus & sobrius testibus ignaris, schismaticis, calūniantibus, odio & inuidia percitis, credendū putat? & tamen, quia ad dilatanda Phylacteria potestatis Pontificis testātur, hominibus Græcis credendū putant *Baron. & Bell.* potius quam Latinis antiquioribus, rerum Latinarū scientissimis, tempore antiquioribus, & fide dignioribus; An non hoc est, illud quod de Donatistis refert August. *Quod volumus; sanctum est, verum est.*

At inuenerunt rationem Cardinales, *Baron.* & *Bell.* qua tempora distinguerent, & scripturas conciliarent. *His temporibus animos Italorum ad defectionem, & rebellionem, non concitauit Greg*; sic Baronius: *at postea cōcitauit:* & Bell. ex Baron. *Verum est per multos annos Greg. restitisse populis Italicis cupiētibus ab Imperatore deficere: sed vbi vidit, se operam perdere, securim ad radicem misit, & Imperatorem cœtu piorum deiecit, obedientiam & vectigalia detraxit.* Hæc Chronographi & Cōciliatores linguarum diuisarum summi, sed sine authoritate, sine ratione: Per multos annos Greg. restitit defectioni Italorum, sic Bell. qui vero sunt illi anni multi? *Anno* 15. qui Greg. est vltimus, hanc discessionem Baron. Ad ann. 730. nu. 5. factum esse asserit; contra fidem Græcorum, quos pro libito sequitur, reijcitq; ad beneplacitum suum. Quod si *Theophani* & *Cedreno* credimus, non post multos annos, sed post paucos; anno scil. nono facta hæc sunt. *Anno nono Imperij sui cœpit impius Imperator Leo contra sanctas & venerabiles imagines facere verbum; quod cum didicisset Greg. Papa Romanus, tributa Romæ vrbis prohibuit Italis, scribens ad Leonem epistolam dogmaticam, non oportere Imperatorem de fide facere verbum, & nouitate violare antiqua dogmata Ecclesiæ Catholicæ, quæ a sanctis patribus sunt predicata.* Deinde acta anni decimi persequitur: *anno inquit decimo Imperij Leonis mouit exercitum Masalmus:* Ita anno nono imposita est hæc mulcta vectigalium iuxta *Theophanem*: aut ergo vanus testis est *Theophanes*, nec fide dignus; aut distinctio illa temporum, non conciliat scripturas, quia in nono anno Imperij *Leonis*, subtractio hæc vectigalium, ad *Greg.* prohibitionem facta est. Zonaras vero hæc in ann. 10. refert; *decimum suæ tyrannidis annum auspicans, &c.* Si enim anno nono vel decimo hæc contra Imagines incepit *Leo*, vel decimum annū tyrannidis sic auspicatus est, anno autem decimo quinto *Leonis* moritur *Greg.* non per multos annos restitit *Greg.* Italis, discessionem a *Leone* machinantibus: quinq; enim vel sex tantū anni interfuerunt, in quibus resistere potuit. Et hęc forte causa est, quod tanta sit inter historicos dissensio de ipso Pontifice; An scil. *Greg.* 2. an *Greg.* 3. an *Stephanus*, vti *Blondus*, hanc discessionem fecerit. Quod autem anno decimo quinto, qui vltimus Greg. est, hoc factū non sit, vel ex eo patet, quod post excommunicationem & discessionem ab obedientia Imperatoris & vectigalium denegationem, vt loquitur *Antoninus*, *ira maxima motus Imperator, multum & sæpe laboranit, vt Gre-*

aut neceſſitate vrgente ſua ſit: aut forte nomine totius reipublicæ, cuius ipſe primas, et ciuis præcipuus ſummæ authoritatis extitit, iuſſit et ſic recedere fecit: forte etiam rebellione Rauennatium et Venetorũ impulſus, vel coactus vti author eſt Blondus in loco ante citato. *Rauennates primi, exinde Venetiæ populi ac milites apertam in Imperatorem exarchumq; rebellionẽ præſe tulerint, impulerintq; Pontificem & cæteros Italiæ populos, vt abrogata Conſtantinopolitana maieſtate, alter ex Italia Romanus Imperator diligeretur.* Quod ergo in hac defectione fecit Pontifex, impulſus fecit, apertam in Imperatorem et exarchũ rebellionem (obſeruet lector, vocẽ illam; *Rebellio eſt*, non ergo diſceſſio legitima) *præſe tulerunt Rauennates Venetiq;* antequam Põtifex reliquiq; Itali ab Imperatore deficiunt. At in depoſitione legitima prior præcedit ſententia iudicis, vel Pontificis, ſubſequitur executio populi; hic vero vice verſa, vti dicit ſolet, in aurora fur vel latro ſuſpenditur de patibulo, & veſperi pro tribunali condemnatur: Rauennates Venetiq; Imperatorem ipſo facto deſtituunt, et in apertam rebellionem prorumpunt, tum Pontifex impulſus eundem, de iure, ſed contra omne ius deponit.

Præterea aliud eſt Vectigalia, aliud obedientiam denegare. Itali pro neceſſaria ſui defenſione contra Lõgobardos vectigalia denegant: et defenſio ſui, eſt de iure naturali; defectio ab Imperatore, et obediẽtię denegatio, eſt contra ius naturæ: Antiqui vero hiſtorici qui denegata vectigalia narrant (quia in defenſione ſui ipſorũ impenſa) obedientiã denegatã nõ narrant.

Quid quod Epiſcopus Romanus, Princeps erat temporalis, et patrimoniũ Petri acceperat? *Huic Gregorio, aut nulli debent Principatum ſuum Romani,* ſic Papirius Maſſonus. *Relegatio Iuſtiniani, frequens mutatio Cæſarũ bellaq; ciuilia inter eos, & diſſenſiones religionis cauſa habitæ, omnẽ Cæſaribus authoritatem in Italia ademerunt;* ſic Idem, in fine vitæ Conſtantini immediati prædeceſſoris huius *Gregorij.* Et non tam dediſſe quam reſtituiſſe Pontifici Rauennam, dicitur Pipinus: Et vobis authoribus, a poteſtate ſeculari, immunis erat Pontifex; & in ſpiritualibus & in temporalibus: potuit ergo iubere iſta Pontifex Romanus, non qua Pontifex, ſed qua Princeps temporalis; id quod eo probabilius dicitur, quia hiſtorici hæc a Gregorio factum narrant: qua poteſtate, pontificia, ſcit. an ſeculari factũ ſit, non narrant. Nec valet hęc concluſio. *Depoſuit Greg. 2. Leonem Iſauricum.* Ergo *Poteſtate pontificia depoſuit.* Quiſquis vero ex hoc exẽplo *Greg. 2.* qui *Leonem* Iſauricum vectigalibus ſiue parte imperij priuauit cõcludere velit, eodem iure poſſe Pontificem alios reges deponere; neceſſario ei incũbit probatio, vt hoc a Gregorio, poteſtate ſummi Sacerdotis, ſiue Vicarij Chriſti, factum eſſe doceat. Factum ergo audimus, poteſtatem facientis non videmus: Sicut *Ioiadam* legimus *Athaliam* depoſuiſſe, ſed qua poteſtate, priuata, regia, ſacerdotali, an publica totius Reipublicæ non leginus.

4. *In Greg. 2.*

Sic Baronius ex Anaſtaſio ad ann. 753. nu. 12.

Cum ergo nonnulli hiſtorici hoc factum Greg. ad opprobriũ Pontificis narrant, vt Græci: alij ad lucrum ſuum, vt poteſtatẽ Pontificis magnificent; illi ex odio, hi ex ambitione, & dominandi cupiditate: audiendi potius ſunt illi, qui

illi, qui hoc a Greg. factũ non narrant, vtpote qui, nec odio alieno, nec lucro suo permoti, veritatem referre videantur. Italos verò hoc nomine perstringit S. *Germanus*, quod ab Imperatore deficerent, qui tamen quod sciã, (nec enim licuit videre opus illud *Germani*, quod se vidisse testatur *Baronius*) *Gregorium* non perstrinxit: nec perstrinxisset Italos S. Germanus, si legitima authoritate Pontificis Romani Vicarij *Christi*, defectionem fecissent: nec Greg. peperciſſet, si huius discessionis tuba siue author fuisset.

4. „ *Quod ad Platinam attinet, verum est quod vrget Barcl. authoritate sua, ob-*
„ *stare annixus est Greg. quo minus nouum Imperatorem populi Italiæ deligerẽt.*
„ *Et hoc asserit Platina, non de prioribus Leonis annis, sed de Greg. 2. tempori-*
„ *bus.* Miror vero *Bell.* in Platina non obseruasse, quod *Greg.* 3. proximo huius Greg. 2. successori, hoc factum ascribat. *Hic* (inquit) *statim vbi Pontificatum iniit, Cleri Romani assensu, Leonem 3. Imperatorem Constantinopolitanum, imperio simul & communione fidelium priuat, quod sanctas imagines, e sacris ædibus obruisset, & statuas demolitus esset, quodq; etiam de Homusio, male sentiret.* Hæc Platina. qui tamen, quia de Greg. 3. hoc refert, cæteris Historicis contestis non est, & proinde modicæ fidei in hac causa.

Et *Platina*, nimium forte diligens, in Archiuis perscrutandis, quia delicta & impietates Pontificum paulo liberius enarrat & perstringit, male a vobis audit; vtpote qui secreta Pontificum, quæ plerunq; male audiunt, nisi proteiue euulgauerit, sed huius παῤῥησίας pœnas dedit.

„ *At Onuphrius, qui multa in Platina vel omissa, vel errata, in additionibus*
„ *suis annotauit, in annotatione quæ vitæ Greg. 2. præponitur, hæc habet. Leoni*
„ *vero tertio Augusto similia iubenti, Greg. qui Constantino successit, maiora*
„ *ausus, Italicum imperium, quod de Longobardis superarat, iure eripuit.*

Et hic etiam confusio linguarum, quod enim Greg. 3. ascribit *Platinæ*; hoc *Onuphrius Greg.* 2. tribuit, vix in hac causa contestes duos vel tres inuenies, qui de eodem Pontifice eadem referant. Verum parum hoc aut nihil est, si diuisæ sunt linguæ duorum historicorum Platinæ, & Onuphrij. Diuisa enim est lingua *Onuphrij* in se; quod enim hic de *Greg.* 2. *Leone Isaurico* tãquam verum refert, in vita *Greg.* 7. tanquam fabulam flocci facit: *Nam fabulas* (inquit) In vita Greg. 7. apud Gretserum tom. 2. *quæ de Arcadio, Anastasio & Leone Iconomacho circumferuntur nihil moror.* Quod de *Greg.* 2. refert Onuphrius in additionibus ad Platinam, hoc inter fabulas refert in vita *Greg.* 7. hoc est iudicium *Onuphrij* de hoc facto *Greg.* siue 2. siue 3. merito fabula est, quia historici Coætanei, quiq; illis temporibus proximi erant, nihil tale, immo contrarium tradiderunt; sed aut a Græcorum malitia, aut monachorum ambitione defluxit.

5. At vrget Barcl. *Leo vsq; ad mortem Cæsar permansit, nec a Populo aut Pontifice depositus est: Et Cæsari quandiu Cæsar est, vectigalia denegare, & legi diuinæ, & doctrinæ euangelicæ repugnat.*

Quid

Quid hic Bell. *non peccauit in Euangelium Gregorius quando vectigalia Imperatori haretico pendere prohibuit : quod enim Dominus dicit. Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, de Cæsare legitime imperante, intelligitur, & Leo ob crimen hæreseos, excommunicatus a Pontifice, & ab Imperio depositus, & non vere, nec iure Cæsar, sed tyrannus & persecutor sub titulo Cæsaris.*

Tota hæc responsio est petitio Principij; quæstionem mendicat & potestatem deponendorum regum quam probandam assumpsit *Bell.* præsupponit. Verba autem Christi, *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, interpretationē Bell. non ferunt.* Quod enim de tributorum solutione statuit Franciscus Victoria, Relect. 1. de potest. Eccl. sect. 7. Idem etiam de Cæsaris depositione dici potest. *In eo loco dixus Paulus præcepit solui tributa, nulla mentione facta de Clericis, aut alio genere hominum: ergo illa exceptio a tributis non est de lege diuina:* idem etiam de Cæsaris depositione dici potest: In eo loco, absolute dominus præcipit, reddere Cæsari quæ sunt Cæsaris, nulla mentione facta, donec a Pontifice, vel populo deponatur : ergo exceptio illa non est de iure diuino. *Omnino enim* (inquit Victoria) *est licentiose & temere facta, si Canon in scriptura positus est generalis, ponere exceptionem quæ nunquam in scriptura posita sit, cum scriptura sit omnino aperta.* At hæc exceptio nunquam in scriptura posita est, vt de Cæsare legitime imperante, non deposito, hoc præceptum intelligatur: nusquam in Scriptura legitur, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, donec a Pontifice deponatur*, Exceptio ergo hæc, licentiosé & temere facta est : Cum ergo Euangelium dicat, *reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari, & cui vectigal, vectigal*, qui vectigalia Cæsari pendere prohibet, hic peccat in Euangelium.

Quod ad *Leonem* attinet: A *Gregorio* Iconolatra propter imaginum violationem excommunicatus est, quo iure ipse viderit. An Iudæi qui imagines in templo quoad vsum historicum ex mandato Dei non permittebāt; excommunicandi erant? & mandatum de imaginibus morale est, & æternum, & in aduentu Christi abrogatum non est; nec contra hoc mandatum dispensauit Dominus in Euangelio. Quo iure ergo Gregorius Leonem Iconomachum excommunicationis vinculo innodauit, cum non causa pro causa ponatur, non satis constat. Verum non satis miror quomodo hæreticus sit *Leo Isauricus*, quod imagines sanctorum prohibuerit & confregerit, Cum nondū sit celebratum Concilium generale 7. Nicænum sclt. 2. in quo cultus imaginum approbatus est: nonne eodem modo doctrina Romanensium de regum depositione hæretica dici potest: vt in Iuramento fidelitatis materialiter, etsi formaliter hæretica declarata non sit? Error esse potuit in *Leone* Iconomacho, hæresis esse non potuit: non enim hæretici declarati erant, qui cultum imaginum negabant; nec ergo *Leo* Imperator hæreticus fuit, licet forte errauerit: nec peccant qui deum colunt, & imagines non colunt; quia cultus imaginum non est sub præcepto diuino: & proinde Leo sine peccato, sine causa depositus est.

Præterea etsi Græci dicunt *Leonem* a *Gregorio* 2. vectigalibus priuatum (quia Gregorius Leoni vectigalia, *prohibuit, vetuit, inhibuit*:) & Italos ab obedientia Leonis recessisse vel defeciſſe; nullus, tamen quod sciam *Leonem* a *Gregorio* depositum, aut Imperio priuatum fuisse asserit. Vnde Antoninus, part. 2. tit. 14. cap. 1. *Leonem, tanquam hæreticum excommunicauit pro eo facto; Insuper & ipsam ciuitatem Romanam & totam Italiam ab eius obedientia recedere fecit, & vectigalia ei reddi, ciuitatibus Italicis interdixit*: & infra: *Tota Italia cum ipsa Roma, consilium iniit, vt sibi Imperatorem eligerent & manu armata Constantinopolim properarent, deiectoq; ab arce imperij hæretico Leone, Romani imperij monarchiam tenente; sed compescuit tale consilium pontifex Gregorius, sperans Principis mentem ad meliora redire: ipseq; beatus antistes, per literas suas Imperatorem admonere non destitit.* Etsi ergo *Leo* excommunicatus fuerit, etsi Itali ab eius discesserint obedientia, & vectigalia eidem denegarint, *Leo* tamen in arce Imperij monarchiam Romani Imperij, sic excommunicatus, & vectigalibus mulctatus, authore & suasore *Gregorio* tenuit: non tenuisset autem, si a *Gregorio* depositus & imperio priuatus fuisset: Vnde necessario iuxta responsionem *Bellarm.* concluditur, quod peccauit contra ius diuinum & Euangelium *Gregorius* 2. qui vectigalia & obedientiam Italorum, quæ Cæsaris erant, Leoni Cæsari nondum deposito, & proinde legitime regnanti, contra præceptum *Christi* & Apostoli denegauit.

Præterea Italiam ab obedientia *Leonis* recedere fecit *Gregorius*, non Græciam: & vectigalia Italorum Imperatori pendi prohibuit; non prohibuit Græcorum tributa & vectigalia: Et si mulctandus Imperator propter hæresim, non parte Imperij, sed toto imperio priuandus erat, Hæresis enim priuat iurisdictione, non parte iurisdictionis: si dignus *Leo*, qui propter hæresim, iurisdictionem in Italia amittat; dignus item, qui propter eandem hæresin, iurisdictionem in Græcia amittit: In Oriente enim, vbi degebat *Leo*, hæresis eius magis crescebat & Ecclesiæ incommodabat. Nemo vero Historicorum vnquam dixit, *Gregorium* vel tentasse quidem, vt Constantinopolim, vel Græciam ab obedientia *Leonis* recedere faceret, nulla extat depositionis sententia; nemo vnquam antiquorum dixit, *Gregorium* talem sententiam depositionis contra *Leonem* tulisse: Cum ergo depositionis sententia nulla præcesserit, nulla monitio, citatio nulla, Imperator procul dubio vsq; ad mortem permansit *Leo*, & Imperator moritur, vti vrget *Barcl.* de iure & de facto: Apud Italos de Iure, etsi non de facto: „ apud Græcos, & de iure, & de facto. Etsi verò *Bellarm. Imperator Graco-* „ *rum, non Latinorum fuerit, de facto tantum, non de iure: Gregorio* tamen tertio, Italo, & Imperator fuit, & dominus, & pijssimus: sic enim in fine Epist. 5. *Dat 4. Kalend. Nouemb. Imperante Domino pijssimo, Augusto Leone, Imperij eius anno 23.*

Vox vero illa Bellarm. *apud Græcos præsertim hæreticos*, odiosa est. Apud Græcos

Græcos enim & hæreticos, & orthodoxos remansit Imperator: quæ enim hæresis Græcorum tempore Leonis? Iconomachi hæretici declarati non erant, saltem formaliter: Hæresis de processione Spiritus sancti a patre, filioq; vix tunc nata erat, aut nondum declarata: Vox illa in symbolo Nicæno nondum addita; *filioq*; plus in hac voce *apud Græcos præsertim hæreticos*, odij quam veritatis.

Interim qui prima & vltima verba huius capitis *Bell.* perpenderit. *multauit parte Imperij: & Leo ab Imperio depositus est, nec erat vere, & de iure Cæsar*: facile deprehendet, *Bell.* si ipsi contradicere, aut plurimum saltem repugnare: qui enim dicit, *priuauit parte Imperij*; hic, toto imperio priuasse negat: qui dicit, priuauit imperio, hic parte Imperij priuatum negat: tantum inter se distant ista duo, quantum pars distat a toto, & totum a parte; Atq; hæc de *Leone & Gregorio* 2. dicta sunt.

CAP. XLII.

Zacharias consensit, & consuluit Childericum deponendum sed non deposuit: Franci reipsa deposuerunt; quod est 6. exemplum Bell.

1. *Childericus solo nomine Rex: vt Rex Scacchorum.* 2. *Non conuenit, an Zacharias an Stephanus Childericum deposuerit.* 3. *Childericus iniuste depositus est: Historici hanc depositionem non approbant, narrant tantum.* 4. *Non est iuste depositus, propter inutilitatem.* 5. *Sententia hæc iniusta ex forma.* 6. *Et ex animo Iudicis.* 7. *Nec sanctitas Zachariæ, nec Martyrium Bonifacij hanc sententiam iustam faciunt.* 8. *Reijcitur puerile argumentum ab euentu.* 9. *Mutatio a Caroleuingijs ad Capeuingios fælix, an & iusta? vbide Hugone Capeto, & Roberto Pio eius filio.* 10. *De Bonifacio Martyre, qui Pipinum coronauit vbi de executione mandati iniusti.* 11. *Zacharias consensit & consuluit non deposuit Childericum vbi de* 12. *authoribus a Bellarm. citatis.* 12. *Authoritas duplex Consiliarij, siue consulentis, & Iudicis, siue iudicantis, ex Lupoldo de Babenberg.*

berg. 13. *Probatur authoritatibus Zachariam consuluisse, & consensisse, sed non deposuisse.*



1. Extum exemplum est *Zachariæ* Pontificis, qui *Childericum* regem Francorum deposuit & Pipinum substituit.

Multa hic respondet *Barcl.* i. *Childericus solo nomine rex fuit, qualis Rex Scacchorum.* Et hoc verum est si regni administrationem spectes, *Childericus* enim iure hæreditario, successionis scil. Rex erat legitimus, & inunctus, & inauguratus, & nomen Regis obtinebat; sed potestas omnis penes Maiorem domus siue palatij erat; qui omnia regni negotia, siue pacis, siue Bellorum, solus suo arbitratu administrabat. *Excepto quod Charta & Priuilegia nomine Regis scribebantur.* In Annalibus incerti authoris. Ius ergo & nomen Regis, veraq; regia potestas, apud *Childericum* erat; sed potestatis istius executio, penes Pipinum erat, *Rex vnum domum, vnam villam, in qua familiam alebat, separatim habebat*, concubinis & mulierculis imperitabat, non viris, otio & luxuriæ & lasciuiæ deditus & demersus, *semel in anno, bobus vectus in publicum prodibat*, spectaturus populum, a populo spectandus; si hoc esset regnare, verè regnabat *Childericus*. De quo sic in principio historiæ Eginhartus, qui *Caroli* magni Cancellarius, & huic ætati proximus fuit. *Tamen iamdudum nullius vigoris erat, nec quicquam in se clarum, præter inane regis vocabulum præferebat: nam & opes, & potentia regni penes palatij præfectos, qui Maiores domus dicebantur, & ad quos summa imperij pertinebat, tenebantur, neq; regi aliud relinquebatur, quam vt regio tantum nomine cõtentus, crine profuso, barba submissa, solio resideret, ac speciem dominantis effingeret, legatos vndiq; venientes audiret, ijsq; abeuntibus responsa quæ erat edoctus, vel etiam iussus, ex sua velut potestate redderet, cum præter inutile nomen regis, & precarium vitæ stipendium, quod ei præfectus Aulæ, pro vt videbatur exhibebat, nihil aliud proprij possidebat, &c. At regni administrationem, & omnia quæ vel domi vel foris agenda, vel disponenda erant, præfectus aulæ procurabat.* Hæc Eginhartus; quocum in hoc parte conueniunt reliqui historici; Imò & *Pipinus* rex erat, & regna habebat, si *Platinæ*, in Zacharia, alijsq; historicis credamus. *Carolus Martellus graui morbo correptus, suadentibus amicis, regna a se armis occupata filijs suis diuidit: nam Carolomãno maiori natu Austrasia & Suenia, Pipino vero Iuniori, Burgundia & pars Franciæ obtigit.* Regna ergo habebat Maior domus, & rex & regnũ relatiua sunt; regnabat ergo in Frãcia *Pipinus* ante *Childerici* depositionẽ.

2. Illud obiter hoc loco obseruet lector: nihil hic de *Zacharia* Pontifice, aut *Childerico* per *Zachariam* deposito, dictum esse, sed de *Stephano* successore *Zachariæ*, quod scil. iussu *Stephani Childericus* depositus sit. Nec de Pontifice ipso qui *Childericum* deposuit inter omnes constat. Annales vetustissimæ Francix de *Zacharia* hæc narrãt; sed author *Eginharto* posterior

fuit.

fuit. Otho l. 5. c. 23. partim *Zachariæ* partim *Stephano* tribuit hoc factum, quod scit. *Pipinus* authoritate *Zachariæ* a Francis rex eligitur, proceres vero & populi a iuramento fidelitatis a *Stephano* absoluuntur. Et hic ergo diuisio linguarũ, non conueniunt inter se Historici de Pontifice *Childericum* deponente. Qui vero bis inunctum Pipinum dicunt, primum a *Bonifacio* Moguntino, postea a *Stephano* Pontifice, qui in Franciam profectus est, sicq; distinctione vnctionũ conciliant scriptores, nihil ad propositum dicunt: non enim de vnctione, sed de depositione quæritur: potuit *Pipinus* bis inungi, sicut *Dauid* bis vel ter inunctus legitur; at nisi semel depositus est *Childericus*, nisi semel electus est & constitutus rex *Pipinus*. Si iussu *Zachariæ* depositus est, nõ ergo iussu *Stephani*, vti *Eginhardus* Antiquissimus & primus huius facti historicus. Licet fraudulenter *Bell.* in citatione, testimonij *Eginharti*, nomen Pontificis supprimat, ne discordiam contestium prodere videatur, *Pipinus per authoritatẽ Romani Pontificis, ex præfecto Palatij rex constitutus est*, & tamen in præcedenti citatione Annalium Vetustissimorum, nomen *Zachariæ* addidit. *Data authoritate sua* (Zacharias) *iussit*, &c. sed ad rem.

Cum ergo administratio regia penes Maiorem domus esset, nomen vero solum penes *Childericum* remaneret, vti *Eginhartus*. *Reges dicebantur sed potestas regni tota apud Maiores domus* vti Annales, & Marianus Scotus. *Non habentes regiam potestatem, reges tamen vocabãtur, & Hildericus qui falso rex vocabatur*, vti Regino. *Regibus solo nomine regnãtibus, &c. inane nomen regium tenebat*. sic Otho. *Pene nullius potestatis, solo regio nomine contẽtis*: sic Nauclerus. *Nomen tantum regis, sed nullã potestatem regiã habebant*: sic Aimonius; quin & *Carolus Martellus Pipini pater, rex* ab Aimoino dicitur. Rectè dixit Barcl. Childericum, solo nomine regem, laruam, & spectrum regis fuisse, si administrationem regni spectemus; Et ius omne, potestas omnis regia in *Childerico* fuit, & Maior domus, nõ sua sed regia authoritate regni negotia tractabat. Facile ergo fuit huic spectro & laruę reguum eripere, qui tam inutilis, tam stupidus, tam homo nihili fuit; vt hos contra ipsum regnumq; suum conatus Pipini, procerũ & populi conspirationes, & Pontificis amicis suis gratificantis, technas, non persentisceret.

2. Respondet Barcl. *Childericus iniuste depositus est*. Id quod vel ex argumentis *Bell.* elucescit magis, quia leuia & nullius ponderis sunt. Primo enim quod ad scriptores attinet, qui hanc historiã cum laude narrant, facile responderi potest, non esse nouũ & insolitum, si Monachi, alijq; clerici, qui beneficia, & priuilegia, & immunitates plurimas a Pontificibus acceperũt, laudis Pontificũ præcones sunt: *eorum volo viuere studijs quorũ viuo meritis*. Bern. In cant. Serm. 24. & Monachi, qua Monachi, Põtificis creaturæ sunt, in illo viuunt, mouentur, & sunt: si quid mali de Pontifice effutirent, suo iudicio statim perirent: ad nutum Pontificis & beneficia acquisita amittunt, & mala multa expectant, si Pontifici displiceant: sin placeant, noua acquirunt, 3.

sunt, voces vero vænales habent. & vt rectè Seneca: *Qui beneficium accipit, libertatem amittit.* At qui sunt isti historici, qui hanc historiam cum laude narrant? nomina scriptorum audimus, verba non audimus, testes videmus, testimonia non videmus: *Cedrenus, Paulus Diaconus, Eginhartus. Regino, Marianus Scotus; Otho Frisingensis, Ado Viennensis, Abbas Vrspergensis Sigebertus, Blondus, Paulus Aemilius, Robertus Gaguinus, Papirius Massonus, & alij omnes, hæreticis exceptis:* speciosa hæc sunt nomina, sed inania & vana nomina, elingues sunt isti omnes: narrant historiam, non laudant: historici sunt, facta referunt, Oratores non sunt, qui encomia congerant. Imò vero nota est sententia *Sigeberti*, qui hanc potestatem temporalem, siue depositionis, si *non hæresim, certe, nouitatem* appellat. Nota est sententia Othonis Frisingensis, In præfat. lib. 7. *Qui sacerdotes per omnia culpandos iudicat, qui regem suo gladio, quem ipsi ex regum habent gratia, ferire conantur:* nota vox eiusdem, Lib. 6. cap. 35. 36. *Lego & relego*, &c. Et in hoc ipso loco, Lib. 5. cap. 23. *Ex hoc, Romani Pontifices, regum mutandi authoritatem trahunt.* Ex hoc facto siue exemplo: si ex scripturis, vel patribus, vel antiqua Ecclesiæ praxi, hæc potestas Pontificis colligi poterat, non dixisset Otho, *ex hoc*, ac si hoc exemplum fons esset; & origo huius potestatis. *Otho* ergo & *Sigebertus* narrant, sed cum vituperio narrant: & tamen hæretici non sunt: reliqui scriptores, sint sine vituperio, sic etiam sine laude, vt decet historicos; narrant. Vide quæ de Othone dicta sunt cap. 9. & c. 10.

4 Secundo, ex causa; *iusta est depositio quia causa iusta; quia regni negotia non procurabat, sicut nec aliqui prædecessores sui fecerant, & per socordiam eius religio Christiana in eo regno laborabat. Vti Bonifacius in Epist. ad Zachariam.* Quid ambagibus opus est? Vera quam assignat Gregorius 7. causa depositionis Childerici hæc est. *Quia tantæ potestati inutilis.* 15. q. 6. cap. alius item. In quę verba, Glossa, *non intelligas inutilis, id est, insufficiens, tunc enim ei dari debuit coadiutor: sed dissolutus erat & effœminatus.* Ecce causa hæc, quia inutilis, à glossa reijcitur tanquam iniusta: non enim deponendus propter inutilitatem, sed coadiutore subleuandus. Sicut reges & pueri, & senes propter impotentiam curatores, & protectores accipiunt, qui illorum vices in regni administratione peragant. Et coadiutorem vel potius Dominum, qui regno dignus omnium iudicio erat, habebat *Childericus*; imo & regem & dominum supra se, vt ostendunt verba Sigeberti. ad annum 750. *Post annos circiter octoginta octo, postquam Maiores domus cœperunt principari super reges Francorum.* Quod si incuria vel *Caroli Martelli* patris, vel *Pipini* & *Carolomanni* filiorum; aut respublica, aut ecclesia, & religio laborabat, vti asserere videtur *Bellarm.* ex *Bonifacio*; indignus profecto Pipinus, qui ob rempublicam, & ecclesiam, & religionem male administratam, promoueretur. Nec enim dicere potuit aut *Carolus* aut *Pipinus*, non deerat mihi voluntas reipublicæ amplificandæ, aut Ecclesiæ, religionis protegendæ, sed deerat potestas: solum enim nomen regium, apud *Childericum* regem vmbraticum, Regum puerorum & pupparum erat, (vt

populus

populus tumultuans pro nouo rege creando, apud *Aventinum*, lib. 3. eum nominat.) Si ergo Christiana religio, in eo regno periclitabatur, per regiã socordiam, & *Carolus* & Pipinus huius socordiæ rei erant, & quod (negat *Bellarm.*) cura religionis ad regem spectat. Si enim ad officium regis non spectat cura religionis Christianæ, quomodo per regiam socordiam maxime laborare poterat religio in regno Franciæ. Duo ergo ex hoc responso *Bellarm.* sequuntur incommoda, 1. quod crimen hoc inutilitatis siue socordiæ, religionisq; neglectæ, quod in *Childericum* solo nomine regem, intentatur, in *Pipinum* potestate regem cadit. 2. Cura religionis ad officiũ regis spectat, quibus addi potest 3. quod sclt. si socordia & inutilitas, iusta sit depositionis causa, plurimi reges pœnam depositionis timere possint. Quis enim ad hæc vtilis? & *Dauid* & *Salomon* & alij plurimi reges, qui aut fœminarum, aut concubinarum amore abrepti, aut idololatriæ dediti, aut religionis procurandæ & protegendæ parum studiosi fuerint, eadem pœna feriendi sunt. Et proinde si iusta sit depositio *Childerici*, iniusti procul dubio sunt & fuerunt illi Pontifices, qui neglecto officio hoc pastorali, adulteros, idololatras, aut inutiles reges pertulerunt. Si vero damnatur ille, qui sua non dedit, quid ille qui aliena eripuit? Et vt Bernardus, Epist. 104. *Attende quid mereatur iniquitas, si sola sufficit inutilitas ad damnationem?* Si deponitur, qui tantę potestati inutilis; quid ille, qui impius et malus? si peccatum omissionis mereatur depositionem, quid meretur peccatum commissionis? Depositio erga ista aut est iniusta ex causa siue materia, aut omnes alios penè reges eadem pœna inuoluit.

Præterea sententia ista iniusta prorsus est ex forma: nulla enim forma iudicij: non citatur, non monetur, non sistit se in iudicio *Childericus*, non auditur, non expectatur: non mittit legatos, qui causam suam agant: prius condemnatur quam in Iudicium vocatur, 5.

Qui statuit aliquid, parte inaudita altera
Aequum licet statuerit, haud æquus fuit.

Imò prius regno deijcitur et detruditur, et in Monasterium detruditur, quam causam suam coram Iudice ventilari dignoscat: si hęc sententia iusta sit quoad formam, iusta etiam potest esse illius condemnatio, qui postquam patibulo affigitur et in sepulchro quatriduanus iacuit, pro tribunali, per iudicis sententiam, morti adiudicatur.

Mitto defectum potestatis in Republica et Pontifice; quia hoc ipsum est, quod in quæstionem vocatur: Verum sententia iniusta esse potest, ex animo Iudicis, si non intuitu iustitię, sed mercedis siue præmij iudicauerit; id quod in hac causa accidisse, tum in *Pipino*, tum in *Zacharia* videtur. In *Cipino*: vt ex Paulo Aemilio, In Childerico lib. 2. patet, vbi sic apud se ratiocinatur, *Childericus rex mente stupens, vita ignauus eius cupiditati* (ambitio hæc erat dominandi) *videbatur, ac regio nomine indignus, soliique dehonestamentum, vna ea res Pipinum detinebat quod Regium nomen in quocunque ac qualicunque foret sanctum, augustumque semper* 6.

fuerat,

fuerat; Quem tanta cerui mis tamq; sublimi vertice inueniri posse, qui de regno transferendo a magni Clodouei stirpe verba facere audeat (audet Pontifex Romanus)*: nimirum hanc tantum, tamq; noui exempli rem, alibi tentandam esse, quam in Francia; qua sacramento regi dicto deuincta religione teneretur: Vbi autem melius quam in Vrbe Roma, tunc virtutis sanctitatisq; seminario, rationem virtutis haberi posse? Quam vnam vmbræ regis imaginarioq; sceptro, & stupido Childerico statuebat, opponendum: & beneficia,* inquit, *Patris erga Pontificem Romanum sedemq; Petri, à Longobardorum rege socio amicoq; defensam, non parum ponderis habitura confidebat: simul sua quoq; recentia in Christianum nomen merita, Magisterium Equitum, quod Regium fastigium excessisse videri poterat, hæc omnia moturæ.* Non ergo iustitiæ causæ, sed beneficijs patris & suis confidit *Pipinus.* In Zacharia vti Platina; *At Pipinus regnandi cupidus,* (ecce hominis ambitionem) *legatos suos, ad Pontificem mittit, eumq; rogat, vt regnum Francia sibi authoritate sua confirmet: annuit Pontifex eius postulatis, accepti beneficij & veteris beneuolentiæ memor; qua inter Pontificem & Principes huius familia intercesserat.* Nec dicit Platina memor iustitiæ, sed beneficij accepti & veteris beneuolentiæ, cæca ergo mens *Pipini* ambitione dominandi; cæca mens *Zachariæ*, beneficiorum acceptorum & accipiendorum memoria (amplum enim patrimonium iam possidebat, amplum expectabat.) Id quod etiam docent verba *Krantzij*, Lib. 1. cap. 14. in Metropoli, a *Bellarmino* citata, (si integre citasset.) *Merito summus Pontifex, & Gallorum rex, mutuis se attollunt fauoribus,* (non dicit iustitia) *quando ab initio hæc sedes domui Caroli hoc præstitit, vt regiam haberet dignitatem; & vicissim Carolus ecclesiam amplissimo principatu in Italia locupletasset.* Carolus Martellus, Pipinus & Carolus magnus, Pontificem Principatu amplissimo locupletant; Pontifex eosdem ad regnum & imperium euehit: an iustitia inter hæc munera expectanda est? Iniusta ergo sententia si animum iudicis spectemus: *Potuit* (inquit Gregorius Tholossanus. De Republ. lib. 26. Cap. 5. num. 14.) *decipi summus pontifex, vel propria opinione, quod voluerit arma in sui subsidium inuocata, cum detrimento alterius remunerare.*

7. „ 3. *Sententiam iustam esse contendit Bellarm. ex sanctitate Pontificis Za-*
„ *chariæ, qui author fuit, & deposuit; & sancti Bonifacij martyris, qui executor*
„ *fuit, & ad mandatum Pontificis Pipinum inaugurauit.*

Et ratio hæc sine ratione, & argumentum sine argumento; quid enim: quia *Zacharias* vir sanctissimus & sapientissimus; sanctus vero *Bonifacius*, Doctor eximius, & martyr glorioſissimus, ideo *Zacharias* iuste (*hildericum* deposuit, *Bonifacius* vero *Pipinum* coronauit? An sanctissimi qui sunt, sine nævis, sine peccato sunt? An quia *Salomon*, deo dilectus & sapientissimus inter homines, ideo non peccauit, cum Idola coluit? An *David* sanctus sine peccato; cum *Bersheban* adulterauit, Vriam occidit, populum dinumera-

uit?

uit? Et *Theodosius* Imperator sanctus, & tamen Thessalonicenses innocentes cum nocentibus peremit: Et *Marcellinus* sanctus, & martyr, idolis sacrificauit: & *Liberius* Confessor egregius, cum Arrianis subscripsit: vti vrget *Barcl.* ridicula est hæc ratio, & Cardinali *Bell.* indigna: non placet hoc loco quicquã Pontificibus illis detrahere, hoc tamen negarinõ potest, plus æquo studuisse, vt patrimonium *Petri* & principatum suum temporalem ampliarent; & vt supra dictum est, intuitu beneficiorum acceptorum, & accipiendorũ spe, hanc sententiam protulit *Zacharias*. An vero iusta fuerit hæc sententia dubitat Albericus de Rosate In dictionario. verbo Imperator. *Papa Zacharias deposito Rege Francorum, tradidit regnum Pipino, 15. qu. 6. cap. alius; quod an iure poterat facere, deus nouit.* Et Adam Blacuodæus In apologia pro Regibus. cap. 20. iniustam hanc sententiam pronunciat. *Pipino per legatos regnum ambienti, & iustissimas obtendenti precibus causas annuit Christianorum ille Parens, non tam quid iuris esset Childerico, vel quid Pipino deberetur, animo proponens suo, quam quid Christianorum omnium rebus, in extremo periculo constitutis expediret;* Et infra. *Pontifex igitur, quamuis exemplo pernicioſum esse non ignorabat, populo frena laxare, qui sceptra mutaret qui aliena gentis hominem, cum legitimi Principis iniuria sibi præficeret; tamen quo grauioribus malis occurreret, quorum incendio res Christiana conflagrasset, vnius hominis iniuriam effœminati, mollis, incesti, omnium saluti posthabuit: vnius igitur consensit iniuriæ, quo Christianorum pietatem & bonorum omnium iura tueretur.* Ecce ter Iniuriam appellat. Gulielmus etiam Ockam, Dialog. 3. partis lib. 1. 2. Tractat. cap. 18. Resp. 3. *Aliter dicitur, quod Zacharias Papa deponendo regem Francorũ, misit falcem suam in messem alienam, potestatem vsurpando sibi ex officio nullatenus competentem, quod & alij summi Pontifices in præiudicium laicorum facere dinoscuntur teste glossa quæ extra de foro competenti:* cap. si quis Clericus. Quod si rationes perpendamus, (quas refert *Paulus Aemilius*, In loco ante citato) quibus motus *Zacharias* contra *Childericum* decreuit, non pij vel sancti alicuius è cœlo delapsi, sed politici, è terra nati, & terræ filij apparebunt. *Oratione episcopi* (Burchardi) *motus Zacharias, initio minimè audebat, tam magni momenti cogitationem suscipere: Deinde, cum Francos proceres mira consensione animorum Pipino adesse, cupereq; compertum exploratumq; habuisset, vnum ei Childericum regem reliquam esse magni Clodouei sobolem sine liberis sine ingenio, cuiq; ingenuo dolori amissum regnum ipsi futurum non esset, nec vsquam esse, qui eius vicem quererentur: Francos sacramento regi Childerico dicto soluit.* Zacharias in his Pontifex sapientissimus, sapientia terrena, sapientia vero cœlesti parum sapiens, nihil in his reperitur, quod sanctitatem sapiat: De *Bonifacio* mox dicturi sumus. Sicut vero vir a virtute non virtus a viro laudatur; sic nec sentẽtia iusta est, quia iudex alioqui iustus eandem profert; sed ideo iustus iudex, quia iuste pronunciat.

4. iustitiam huius sententię probat Bell. ab euentu; *nam translatio* 8.

ista

« *iſta regni Francorum, a Childerico ad Pipinum, Deo benedicente fauſtiſſima,*
« *& regno, & Eccleſiæ vtiliſſima fuit.*

Plebeium hoc & puerile argumentum merito reijcit Barcl. ſcommate poetico.

—— careat ſucceſſibus opto
Quiſquis ab euentu facta notanda putat.

Quid enim annon *fœlix culpa, quæ talem meruit habere Redemptorem?* culpa tamen: aliâs & *Adam* ſine cauſa, Paradiſo eiectus, & *Chriſtus* ſine cauſa cruci affixus: Annon peccauit *Dauid Berſhebam* adulterando, *Viriam* occidendo? euentus tamen fœlix, *Salomon* Deo dilectus, natus ex hac Berſheba, ad regnum prouectus templum Domini ædificauit. *Thomas* de reſurrectione Domini dubitauit incredulus; & incredulitas culpa eſt, ex euẽtu fœlix tamen, dubitauit enim de reſurrectione *Thomas*, ne poſt eum dubitaret quiſquam. Peccauit *Theodoſius* qui Theſſalonicenſes, innocentes cum nocentibus, furori militari permiſit: euentus tamen fœlix: Ex malis moribus nata lex bona, ne ſententia temeraria ante triginta dies executioni demandetur. Infinita ſunt huius generis exempla, quæ lector quiſq; per ſe ipſum obſeruare poteſt.

Audiat interim & admiretur lector Theologiam *Bell.* aut Atheiſmum
« potius, parum enim abeſt ab Atheiſmo iſta reſponſio: *Reſpondeo inquit; Ar-*
« *gumentum a ſolo euentu fortuito ſine dubio parum valet. Argumentum tamen*
« *a fœlici euentu, ex Prouidentia Dei, non parum valet præſertim cum adiungi-*
« *tur aliis argumentis.*

Egregia proculdubio Dichotomia & Cardinali digniſſima: Alij ſunt euentus fœlices, ex prouidentia diuina; Alij ſunt euentus fœlices fortuiti, ſed ſine prouidentia diuina: argumentum a ſolo euentu fortuito parum valet; argumentum a fœlici euentu ex prouidentia Dei, non parum valet: ſunt ergo aliqui euentus fœlices, qui ex prouidentia Dei non ſunt, iuxta *Bellarm.* & tamen iuxta verbum Domini, Matth. 10. 29. *nec capillus de capite, nec paſſer ſine voluntate patris cadit in terram. Omnia quæcunq; voluit, fecit in cœlo & in terra: & ſine ipſo factum eſt nihil*, Pſal. 124. *non eſt malum in ciuitate quod non fecit Dominus* Amos 3.6. non ergo eſt bonum in ciuitate quod non facit Dominus. Omnia mala etiam culpæ, deo permittente fiunt; nam ſi vellet peccata, author eſſet peccati, ſi nollet, non poſſent eſſe peccata; *Voluntati enim eius nihil reſiſtit:* peccata deo permittente & per prouidentiam diſponente fiunt: nullus ergo euentus eſt ſiue fœlix, ſiue infœlix, ſine prouidentia dei. Argumentum Bell. puerile eſt & plebeium, reſponſio vero impia & Atheiſmum ſapit.

——ſed nos
Te facimus fortuna deam cœloq; locamus.

Fortunam deam ſuffragio ſuo fecit hac reſponſione, cœloq; locauit: dum euentus aliquos fœlices ſine prouidentia dei conſtituit. In has cogi-

tur an-

tur anguil as, quiſquis quodlibet ex quolibet capite probare conatur; & ijs omnibus quę ſemel dixit, ſemper patrocinatur. Annon ſatius fuiſſet infirmitatem huius argumẽti ab euentu fœlici ingenue agnouiſſe, quam euentus fortuitos ſine prouidentia diuina parturijſſe?

Quod pro confirmatione addit Bell. *ſolere deum iuſtitiæ fauere, niſi ob aliquam cauſam ſapientiæ ipſius videatur aliter eſſe faciendum*, admiratione dignum eſt. Quid enim magis mirandum, quam quod plures ſunt impij, & ijdem in hoc ſeculo fœliciſſimi, ſi deus iuſtitiæ fauere ſolear, id eſt, plerunq; faueat? ſolitum enim id eſt, quod ad minimum plerunq; fit. *Dives* abundat delitijs, *Lazarus* vlceribus plenus fame perit, Luc. 16. *Vita pauperum in plateis diuitum*; hoc plerunq; fit, & fieri aſſolet, mali præmia recipiunt, boni ſub cruce patiuntur, & hoc etiam plerunq; fieri ſolet, non quod iuſtitiæ deus fauere non ſoleat, ſemper enim iuſtitiæ fauere ſolet, fauere *approbationis*, ſed quod deus iuſtitiæ plerunq; non faueat fauoribus hiſce temporalibus & mundanis: *quos enim amat deus, hos caſtigat*, vt probet vaſa ſua, vaſa honoris in ignem & fornacem tribulationis mittit, *non vt conſumat, ſed vt concoquat*: *In me pacem habebitis*, inquit dominus, *in mundo preſſuram*: & preſſura hæc fauor eſt dei, ſed fauor *Bell.* id eſt, fauor mundialis non eſt: fœlix euentus ſemper ſequitur iuſtos, ſed æternus & ſpiritualis; fœlix euentus temporalis & carnalis, raro aut nunquam concomitatur iuſtos in hac vitâ: aliter enim viſum eſt ſapientiæ diuinæ, quæ vt prudens nutrix, vbera huius mundi acerbis & pungentibus condimentis illinit, vt vberum carnis pertæſi, vbera ſpiritualia alacrius & ardentius ſugamus. Si ergo dicat *Bell.* deum fauere plerunq; iuſtitiæ ſolitum, id eſt, iuſtos & ſanctos fœlicibus euentibus & ſucceſſibus temporalibus & carnalibus beare in hac vita; falſum proculdubio dicit & tota reclamat Eccleſia, & ciuitas ſanctorum: ſin dicat Bell. deum plærunq; iuſtitiæ fauere, & euentibus fœlicibus, ſcil. æternis & ſpiritualibus, iuſtos beare: nihil ad propoſitum reſpondet: quia de euentibus externis & temporalibus quæritur.

Pergit Barcl. *in eodem regno Franciæ, mutatio a Carolouingijs, ad Capetingios per ſummam iniuſtitiam facta eſt: Nam Hugo ille Capetus, animi magnitudine & rebus potens, cum eius conatus nemo reprimeret, vi & armis (vero harede capto & incarcerato) regni ſe diademate inſigniuit: Vnde Gaguinus eum regni vſurpatorem appellat, & tamen mutatio hæc fœliciſſima fuit, & vt quidam putant, occulto dei iudicio facta; vt Pipinus qui Merouingijs regnum per inuidiam eripuit, tandem aliquando parem in ſuâ ſobole iniuriam pateretur.* 9

Quid hic Bell.? *Gaguino Baronium opponimus. Qui relicto Gaguino aliiſq; hiſtoricis Gulielmum Nangium ſecutus, Hugonem Capetum non regni vſurpatorem, ſed regem legitimum fuiſſe affirmat.*

Duo vero argumenta friuola profert *Baronius* Tom. 10. ad Ann. 987. 1. *quia ex ſtirpe Caroli magni erat.* 2. *quia prædictum erat a quodam ſancto, quod*

mane habebat deponendum fore à regno, per Francos & ipsum Pipinum, qui potestatem regiam habebat, instituendum fore per eosdem in regem quod & factum est.

Et sic quod dicitur in Chronicis, quod Zacharias data authoritate sua iussit Pipinum regem constitui intelligo authoritate, scilicet declaratione præmissi dubij: non authoritate institutionis, siue constitutionis Pipini in regem Francorum: & talem declarationem Ecclesia Romana potest facere, etiam in quolibet alio regno, ratione dubij; etiam & in temporalibus & in secularibus negotijs. Quod ergo dicitur in prædicto C. Alius in contrarium allegato, quod Zacharias deposuit regem Francorum, expone, id est, deponendum consuluit, & depositioni consensit, vt etiam ibi notat Hugo, cui expositioni satis concordat Glossator, ibidem dicens in vltima glossa; deposuit, id est, deponentibus consensit. Et similiter quod dicitur in eodem Canone, quod Pipinum substituit id est, substituendum consuluit, vel id est, substituentibus consensit: Et hæ expositiones ex his quæ præmissa sunt, per dictas Chronicas approbantur.

Quod autem dicitur in prædicto capitulo, quod idem Zacharias Francigenas à iuramento absoluit: dic; id est, absolutos declaranit secundum Hugonem. Hæc *Lupoldus* de Babenberg: quę à me fusius recitata sunt, quia & summam huius obiectionis Bellarminianæ, et epitomen historię, & plenam huius obiectionis responsionem, siue cõfutationem continent.

In quibus multa obseruanda sunt: 1. Consultatio hæc est Theologi, propter nominis, et sedis reuerentiam et authoritatem celeberrimi: non appellatio siue prouocatio ad iudicem ordinarium, qui potestatem habeat depositionis temporalis. 2. Consultatio hæc in genere, siue thesi proponitur de rege inutili, nomen solum regium habente, non de hoc vel illo rege in hypothesi siue particulari, etsi facile in thesi hypothesim, in generali particularem intelligeret *Zacharias*: responsio item datur de thesi siue in genere: Applicatio fit in hypothesi siue particulari per Francos, qui et *Childericum* detonsum in monasterium detruserunt, et *Pipinum* regem et elegerunt, et constituerunt. 3. Historiæ ipsę quas citat *Bellarminus* expositionem hanc confirmant: Annales vetustissimi sic habent: *Pipinus missa Romam legatione, Zachariam Papam interrogat de regibus Francorum*, et postea; *Orat sibi decerni, quis eorum iuste rex debeat dici & esse, is qui securus domi sedeat, an ille qui curam totius regni & omnium negotiorum molestias sufferret.* Interrogatio hæc est et consultatio, qua decernit tanquam Theologus, non tanquam Iudex, non enim citat partes, non audit, nulla forma iudicij: si à *Bellarmino* vel alio Cardinali, vel Episcopo vel doctore idem petijsset rex aut nobilis quisquam, eodem modo potuit, tanquam Theologus magnæ authoritatis discernere, quomodo in hac causa decernit *Zacharias*.

Aimoinus, lib. 4. cap. 61. *Richardus & Fulradus Romam missi ad Zachariam Papam, vt consulerent Pontificem* &c. *mandauit Pontifex melius esse illum vocari regem*, &c. consulentis hæc vox est, non iudicantis. Eadem verba habet Regino, *Melius mihi videtur.* Marianus Scotus vtitur verbo, *interrogat. Missi sunt vt consulerent.* Sic Abbas Vrspergensis. Et *Papa* (inquit *Zacharias*) *super huiusmodi negotio consultus, remandauit melius esse illum vocari regem apud quem summa potestas consisteret*, et in verbis citatis: *Pipinus per authoritatem Zachariæ Papæ more Francorum electus ad regnum*: more Francorum electus: non erat mos Francorum vt regem suum eligerent, quem prius Pontifex Romanus constituerat.

De *Othone* et *Sigeberto*, supra dictum est; satis in hoc ipso capite, de absolutione à iuramento cuius meminit *Otho*, et *Paulus Æmilius*, supra respondet *Lupoldus de Babenberg*. *Crantzius* nihil ad institutum dicit; superest Lambertus Schaphnaburgensis, *qui decreto Zachariæ Pipinum regem appellatum esse testatur.*

Et eadem vox apud Annales vetustissimos, et Marianum Scotum. *Orat sibi decerni.* Sed decretum quandoque designat, sententiam iudicis, quandoque rescriptum siue consilium. *Blondus* vnus è testibus *Bellarmini*, in causa *Gregorij* secundi, et *Leonis Isaurici*, postquam impietatem *Leonis Isaurici* narrasset, de *Gregorio* secundo hæc habet. Decad. 1. lib. 10. *Cui Impietati tantum abfuit vt consentiret Pontifex, quod è contra per vniuersum orbem Christianum scripsit, ne impijs prophanisque huiusmodi Imperatoris iussionibus obedirent; tantamque authoritatem tunc habuerunt Romani Pontifices Decreta, vt Ravennates primi, exinde Venetiæ populi atque milites, apertum in Imperatorem exarchumque præ se tulerint, impulerintque Pontificem & cæteros Italiæ populos, vt abrogata Constantinopolitana Imperij Maiestate, alter ex Italia, Romanus Imperator deligeretur: Eoque processit ipsa rebellio,* &c. *Compescuit vero Stephanus Pontifex eam deligendi imperatoris noui Italicensium voluntatem.* Decretum Pontificis hoc loco sunt literæ quibus Pontifex *Leonem* et Iconomachos redarguit, quod vero non sit sententia illa, quâ *Leonem Isaurienm* postea vectigalibus imperij mulctauit, et parte imperij, siue imperio priuauit, manifestum est ex sequentibus: *Compescuit Pontifex Italicensium voluntatem.*

Et Papirius Massonus, In Zacharia. Postquam narrasset, *Zacharium* rescripsisse, *inutiles esse reges, qui otiosi sint*, tandem addit; *Itaque recens victoria parentis in oculis tum posita, filium regem fecit potius quam Zachariæ rescriptum.* Decretum ergo *Zachariæ* nihil aliud est quam rescriptum siue responsum *Zachariæ*, quo reges eos inutiles esse declarat, qui otiosi sunt; non est autem sententia aliqua iudicialis, qua *Childeri-*

cum

eum depoſuit: quia eundem nec citauit, nec audiuit per ſe, vel per legatos, vel aduocatos ſuos, nec in hoc facto forma eſt aliqua iudicij, nec in hac partes agit Iudicis, ſed Theologi & Conſiliarij: Decernit vt Theologus non vt Iudex: aut ſi vt Iudex, declarat ius, nec de facto aut reo iudicat, quem nec vocat, nec audit.

Quod autem in hac cauſa *Zacharias*, tanquam Conſiliarius & Theologus decernit, non tanquam Iudex ex ipſo *Zacharia* manifeſtum eſt, 13
Extat ipſa reſponſio *Zachariæ* apud Auentinum, lib. 3. *Miſſi ſunt legati* (inquit) *percontatum, diutius ne tot viris fortibus eum Regem tolerare liceret, qui nec corporis, nec animi viribus populo Chriſtiano conſulere poſſet, qui vmbrâ & inani honore duntaxat dignitatis contentus eſſet, caterum tanto oneri impar, nihil penſi haberet, pateretur q; maieſtati Imperij Francorum, tot cladibus ab hoſtibus regni & religionis deuaſtari, ipſe interim otio obſoleſcens.* Ecce interrogatio ſiue quęſtio eſt, non accuſatio. Sequitur iam reſponſio Zachariæ quæ nulla ratióne ſententia Iudicialis dici poteſt. *In diuinarum* (inquit) *literarum ſacra hiſtoria populum à Rege ignauo & ſocordi, laſciuiaq;* (ſpreto prudentum conſilio) *intento, indulgente ſumma & æterna illa maieſtate defeciſſe, virumq; prudentem à ſuo corpore regē creaſſe, inuenio. Regnum omne, poteſtaſq; Dei optimi maximi eſt, Principes duntaxat miniſtri regnorū ſunt; Duces populo ideo deliguntur, vt ſupremi Imperatoris in omnibus ſectentur voluntatem, non pro libidine ſua agant. Is demum verus rex, qui populū ſibi à Deo creditum, iuxta diuinæ legis præcepta placitaq; moderatur, quo ſimul fœlices conſiant, & vitam adipiſcantur beatam. Princeps populo, cuius beneficio poſſidet, obnoxius eſto: Quæcunque enim habet potentiam, gloriam, diuitias, honorem, dignitatem à populo accipit, plebi accepta referat neceſſe eſt. Regem plebes conſtituit eundem & deſtituere poteſt: proinde fas eſt & licet Francis, Germaniſq; repudiato degenere monſtro, eligere eū qui belli, domi, ſapientia, coniuges, liberos, parentes, omnem den q, vitam & fortunas, tutari & defendere queat & valeat. Hæc vbi dixit, Diuo Bonifacio literis aperit, eidē partes ſuas in hac re committit.* Pòſtea ſequitur, *Legati literas reddunt, ſententiam Pontificis Maximi patefaciunt, &c.*

In hac ſententia Zachariæ multa ſunt obſeruatione digna: 1. Quis fuit ille Rex ignauus in Scripturis, á populo depoſitus? nec enim ſatis conſtat quem intelligit, an *Salomon* ſit, an *Roboam* ignauus, & ſecors, an *Ieroboam* ſapiens? 2. *Zachariæ*, is verus eſt Rex, qui populum ſibi à Deo creditum, iuxta diuinæ legis præſcripta, placitaque moderatur; an ergo deſinit eſſe Rex verus, qui populum iuxta legem Dei non moderatur, quid hic dicturi ſunt Patres Conſtantienſes; malus Rex eſt, & Rex verus, etſi non bonus. 3 Quicquid habet Rex, á populo habet; Aliquid enim á Deo habet; id eſt poteſtatem ipſam Dei, ſc. quam ſolus Deus communicare poteſt. 4. Princeps populo, cuius beneficio poſſidet

At (inquit *Bellarminus*) *Gagninus, hæc verba*, per ſummum ſcelus *non habet*. Nec dicit *Barclaius* hæc eſſe verba *Gaguini*: ſenſum tamen habet. *Carolus* legitimus hæres fuit, *Hugo* per proditionem Anſelini Carolum cepit & incarcerauit, vi et armis diademate Regni inſigniri obtinuit; Regni vſurpator fuit. Hæc ſi non ſint ſumma ſcelera, legitimum hæredem capere & incarcerare, diadema Regni per vim & arma obtinere, Regnum vſurpare; ingenue profiteor, ſumma ſcelera ego non noui. Verum reuoco memet: nec enim hæc ſunt apud illos ſumma ſcelera, qui regibus veris, legitimis, & a Deo coronatis parcere non ſolent, nec incarceratis vxores ſuas permittũt, aut liberos generare ſinunt. Sed cultros venenatos parãt, et venena [illegible] propinant, et diſcipulos ad rebelliones et regicidia inſtruunt.

En vero magnum argumentum! *Robertus Pius filius huius Hugonis, ſimul cum patre & poſt patrem regnauit: vir piſſimus & ſanctiſſimus.* Eſto vero ſit piiſſimus et ſanctiſſimus in Regno; an ideo piè pater Regnum acquiſiuit, qui in Carolum verum hæredem tam impius fuit? Verum ſit per me piiſſimus et ſanctiſſimus; diſcipulus tamen fuit *Gilberti* illius, quem *Hugo* (*Arnulpho* Rhemorum Præſule depoſito propter odium in *Ludouicum* et *Lotharium*, et reliquos Franciæ Reges, è ſtirpe *Caroli* deſcendentes, *Lotharij* enim frater nothus erat) ad Archiepiſcopatum Remenſium promouit: Qui *Gilbertus* artis magicæ experientiſſimus fuit, et a Pontifice depoſitus, poſtea tamen, malis, vt videtur, artibus, pactione ſcilicet Diabolo inita, ad Papatum aſcendit; et in Capella quæ dicitur Hieruſalem miſſam celebrans moritur. Vide de hac re *Lazzardum* Cap. 163. et 170. Lib. 2. Potuit vero iſte Robertus Pius et ſanctus haberi, vtpote qui Monaſteria ædificauit, iuſte et pie Regnum adminiſtrauit; deuotus et orationibus, et eleemoſynis clarus fuit; et tamen in Regni acquiſitione patrem adiuuare, et Regnum iniuſte acquiſitum tenere potuit. Quod ſi verum ſit, quod dicit *Bellarminus*, *Athaliam* vſu patricem, ſpatio ſex annorum, ex conſenſu populi, ius et titulum Regni acquiſiuiſſe: multo credibilius eſt proceres et populum mortuis legitimis hæredibus conſenſu ſuo Regnum *Hugoni* et filio eius Roberto Pio confirmaſſe, præſertim cum interceſſerint anni ipſius *Roberti* viginti quatuor, poſt *Hugonis* mortem.

Quod ad ſanctum *Bonifacium*, doctorem eximium, martyremq; glorioſiſſimum attinet, non equidem eius gloriæ inuideo, miror magis zelum eius, et feruorem poteſtatis Pontificiæ vere ignitum. Hic enim eſt *Bonifacius* ſanctus et Martyr, niſi fallor, cuius dictum in Canonem relatum extat, Diſt. 40. Cap. Si Papa. *Si Papa ſuæ aut fraternæ ſalutis negligens deprehenditur, inutilis & remiſſus in ſuis operibus, & inſuper à bono taciturnus, quod magis officit ſibi & omnibus, nihilominus innumerabiles populos cæteruatim ſecum ducat primo mancipio gehennæ, cum ipſo plagis*

multis in æternũ vapulaturos; huius culpas iſtic redarguere præſumat nullus, quoniam cunctos ipſe iudicaturus, à nemine iudicandus, niſi in fide deprehendatur denius. Non eſt ergo mirum, ſi de *Bonifacio* iſto dicat *Barclaius*, *Nudas executoris mandati Apoſtolici partes in illo negotio obiiſſe, ideoque nihil eius ſanctitati detraxiſſe, quod iubente Pontifice, peregit, tenebatur enim ſententiam Papæ exequi, licet ſciuiſſet eam eſſe iniuſtam.* Si enim Papę culpas iſtic redarguere, nullus præſumere debeat, iuxta *Bonifacium*, quomodo audebit *Bonifacius*, de mandato Papæ cognoſcere & iudicare? *nullus præſumat*, inquit *Bonifacius*: an præſumet *Bonifacius* hoc ipſum, quod a nullo præſumendum decernit *Bonifacius*?

Præterea decreuit *Innocentius* tertius Capite Paſtoralis. De officio & poteſtate iudicis delegati. *Etſi ſciat ſententiam illam iniuſtam, exequi nihilominus tenetur eandem*; ratio eſt, *quia non cognitio ſed executio tantum demandatur eidem.* Coacta vero eſt illa gloſſæ interpretatio, quam ſequitur *Bellarminus*: *ſententia illa iniuſta ab inferiore executioni mandanda abſolute iuſta eſt; non enim ſententia iniuſta, iuſta eſt: ſed ſi iniuſta fuerit, iuſte executioni demandetur, quia non eſt appellatum tempore debito, id eſt per decennium*; *ſpontanea appellationis omiſſio, turpitudinem purgat qua ſententia inerat.* Recte ergo diſtinguit gloſſa. *Alia eſt executio mera, alia mixta: executor merus non debet audire exceptiones, mixtus audire debet*; & iterum, *ſententia quandoque iniuſta eſt, quandoque nulla, ſi iniuſta tantum ſit ſententia, debet eam executioni demandare; quia executor eſt, non cognitor: ſi nulla, debet exceptiones audire & admittere.* Cum vero contra iſtam ſententiam a Zacharia contra Childericum prolatam, nulla data ſit exceptio, aut iniuſtitiæ, aut nullitatis; & Bonifacius executor tantum, non cognitor fuit; inobediens fuiſſet Bonifacius, ſi Papæ mandato non paruiſſet.

Auguſtinus etiam docet 23. *Queſt.* 1. *Cap. quid culpatur. Licet reum faciat Regem iniquitas imperandi, innocentem tamen militem oſtendit ordo ſeruiendi*: Quæ verba ſic applicat *Barclaius*. *Licet reũ feciſſet Zachariam. iniquitas imperandi, innocentem tamen Bonifacium oſtendiſſet ordo ſeruiendi & parendi neceſſitas.* Et hoc verum eſt, ſi certum ſit de iuſtitia mandati, aut ſi non eſt certum de iniuſtitia mandati ſuperioris, vtrobiq; enim parendum eſt: at *vbi certum eſt de iniuſtitia mandati, ibi non dicit Auguſtinus, parendum eſſe mandato ſuperioris.* Vere hic reſpondet Bellarminus in theſi, at nihil reſpondet in Hypotheſi, quia *Bonifacius* certus erat ſaltem opinione ſua, de iuſtitia ſententiæ, quam ipſe per Epiſtolam ſuam procurare laborabat, aut ſaltem de iniuſtitia ſententiæ certus non erat, & proinde ſine peccato non poterat non parere. Et 23. *Queſt.* 5. dicitur. *Miles, cum obediens poteſtati ſub qua legitime conſtitutus eſt, hominem occidit, nulla ſua ciuitatis lege reus eſt homicidij.*

Imo

Imo nisi fecerit, reus est imperij deserti atque contempti: quod si sua sponte, atque authoritate fecisset, in crimen effusi sanguinis humani incidisset: Itaque vnde punitur, si fuerit iniussus, inde punietur, si non fecerit iussus. Iussus ergo *Bonifacius*, non potuit saluâ obedientiâ, mandatum *Zacharia* de *Pipino* inungendo, præterire. Nec hic solum agitur de publica & priuata hominis authoritate, ac si peccatum esset, priuata authoritate hominem occidere, secus autem, si authoritate publica: De iustitia etiam agitur; quorsum enim de regula, iustitię, id est, de legibus ciuitatis ageretur, si de iustitia non agatur? An quisquam reus est imperij deserti & contempti, reus item homicidij sine respectu iustitię? Etsi ergo non agatur de iustitia, vel iniustitia mandati, agitur tamen de peccato et pœna inobedientis: et proinde, si *Bonifacius*, ad mandatum pontificis *Zacharię Pipinum* non inunxisset, reus fuisset Imperij deserti et contempti, et puniendus, quia non fecerit iussus.

Sed bene se res habet, duo ex hac disputatione lucrati sumus: primum, non semper obediendum est, mandatis Pontificis, satius enim est obedire deo quam Pontificibus: secundum, non est obediendum mandato superioris euidenter iniusto; quod etiam de Pontifice Rom. intelligendum est. Videat ergo lector, quomodo conueniant ista, cum illis quę supra de sententia iusta, siue iniusta timenda, deq; obedientia mandatis Pontificis pręstanda, dicta sunt. Interim dictum *Barclaij*, *cap.* 12. & 30. de sententia iniusta executioni demandanda, nec plebeium, nec puerile, nec hæreticum est, nisi fortè Canones ipsi hęresim sapiunt: ex quibus hanc sententiam desumpsit, non quod ipse cœcam illam et prępicipitem Pontificiorum obedientiam approbet, quâ pedibus potius, quam oculis, in sententiam eunt; sed vt ex Canonibus et principijs Pontificiorum, ipsos quasi suis armis confodiat. Imo vero cõfidenter asserat, satius esse, deo quã Pontificibus obtẽperare, et rigidã illam nonnullorũ sententiam, de timẽda sententia Pastoris, siue iusta, siue iniusta aperte cõuellat.

Iam ad cardinem controuersiæ huius deuentum est: quid in hac depositione Childerici fecerit *Zacharias* siue *Stephanus*: An scilicet deposuerit, an depositioni eius consenserit, an consuluerit tantum; *Barclaius* consilium et consensum agnoscit, depositionem negat; *Bellarminus* non solum consilium et consensum, sed etiam depositionem ipsam *Zachariæ* siue *Stephano* ascribit: id quod probare conatur, testimonijs duodecim historicorum; quorum nouem, *Annales* scilicet *Francorum antiquissimi*; *Eginhartus*, *Aimoinus*, *Rhegino*, *Sigebertus*, *Hermannus Contractus*, *Marianus Scotus*, et *Otho Frisingensis*, authoritate Pontificis Romani, siue authoritate Apostolica, siue authoritate sancti *Petri*, *Childericum* depositum, et *Pipinum* regem creatum prędicant. *Lambertus* Schaphnaburgensis, decreto *Zachariæ Pipinum* regem inunctum et appellatum narrat: *Paulus Æmilius*, per *Zachariam*, Francos Sacramento

Sebastianus Veronius. *Lib. 1. Christiane etatis, Sec. 8. In Gallia regnum inijt anno 742. Hildericus Stupidus, Faramundane stirpis postremus; eo vero, nono regni sui anno ad Monasterium redacto, principum electione, cum Pontificis summi Zacharie consensu, Pipinus brevis--Rex non natus sed electus.*

Franciscus á Victoria. *Relect. 5. de Indis Sect. 3. Titulo. 6. Galli pro bono suæ Reipub. mutauerunt Principes, & ablato Regno à Childerico tradiderunt Pipino Caroli Magni patri: quam mutationem Zacharias Pontifex comprobauit.* Ex his alijsque omnibus, facile elicitur veritas huius historiæ, quod sc, Franci *Childericum* Regem inutilem deponunt, *Pipinum* vero substituunt; *Zacharias* autem Pontifex consilium & consensum dat. Rebelles Franci inferiores cum fuerint, Regi superiori suo legitimo regnum suum eripiunt; Pontifex vero consultor pessimus, Theologus malus, qui populo potestatem regum instituendorum & destituendorum facit, quique tandiu reges regnare doginatizat, quamdiu iuxta mandata Dei populum regant. Pontificij vero qui consilium, & consensum, & authoritatem docentis, siue Consiliarij, siue Theologi, in potestatem temporalem depositionis conuertunt, quidlibet ex quolibet inferunt: His anseres Capitolini Olores sunt: si vel Pontifex consilium dat, vel consensum præbeat, tota actio, potestas omnis statim á Pontifice dimanat: Consuluit Pontifex & consensit depositioni Childerici, sic veritas historiæ; Ergo deposuit; sic adulatio Pontificia: Talibus argumentis nititur potestas hæc depositionis.

Inter cætera vero, quibus iustitiam huius depositionis probat *Bellarminus* argumenta, adiungit argumentum ab euentu sœlic; quod quidem multo rectius in ipsum retorquetur. *Carolouingi Childericum* inutilem deponunt, Pontifice consulente & consentiente: Capetingij iusto Dei iudicio, eadem mensura, & eadem de causa, Carolouingios deponunt ad aliam familiam regnum transferunt: Imo nepos Pipini, filius Caroli Magni, Ludouicus pius, á filijs suis, consentiente & conspirante Pontifice Gregorio 4. capitur, incarceratur, & regno siue imperio priuatur. Vix gaudet tertius hæres; vt verum fiat, quod dixit Dominus, *Matth. 7. 2. Eadem mensura qua mensi fueritis, remetietur vobis*: deponentes Pontifice consulente et consentiente, Pontifice itidem consentiente et conspirante deponuntur. Id quod recte obseruauit Gregorius Tholossanus. *Lib. 26. cap. 5. num. 18. Addam insuper, postquam cursum hunc ingressus sum, exemplum aliud Ludouici pij, filij Caroli Magni, in quo talionem videntur filij retulisse à summo Pontifice; siquidem vt habetur in Annalibus Germanorum Caroli Martelli, Pipini, Caroli Magni, & Ludouici filij eius.---Pipinus alius, & Lotharius alius, coniurarunt in patrem cum alijs pluribus: & in suam sententiam traxerunt Gregorium 4. summum Pontificem, Prælatos præcipuos & Nobiles Gallia, conuentuq; habita*

bito compendij Lotharius tanquam ſolus Imperator, ſe geſſit. In quo hoc memorabile eſt: *Pipinus* Maior domus *Childericum* inutilem regno priuat; *Pipinus* vero filius (in nomine aliquid ſubeſt) & Rex à patre conſtitutus, cum *Lothario* fratre, *Ludouicum* vere pium imperio priuat. Vt ſcilicet iuſtitia Dei ſic diſponente, iniuria illa, quæ *Childerico* per familiam alienam, *Pipini* ſc. Maioris domus illata eſt, per familiam propriam & filios proprios rependatur. Atq; hæc de *Childerico* dicta ſint ſatis.

SEQVVNTVR QVINQVE CAPITA INQVIBVS 5. EXEMPLA BELLARM. EXAMINANTVR QVÆ Barclaius morte præventus non examinauit, de quibus in concluſione ſua gloriatur Bellarminus.

CAP. XLIII.

Imperium non eſt tranſlatum à Græcis in perſona Caroli Magni per Leonem tertium ſolum, ſed ſcito etiam & conſenſu & precibus populi Romani.

1. *Si Pontifex Imperatorem coronat, vel nomen det, eoipſo Imperium confert.* 2. *Leo non tranſtulit Imperium à Græcis, quia Græci tunc non imperabant Romæ: & Carolus poteſtate Imperator erat, ante hanc coronationem.* 3. *Qui Leonem tranſtuliſſe dicunt, non negant conſenſum populi præceſsiſſe, & iniuria fit populo ſi ſine conſenſu ſuo transferatur Imperium, cuius Ius eſt Imperatorem ſibi præficere.* 4. *Ius dandi Imperij per Vicarium, Bell. inventum.* 5. *Tranſlatio hæc Imperij poteſtatem directam arguit, non indirectam.* 6. *Reſpondetur 33. authoribus Bell. Zonaræ, &c.* 7. *Imperium tranſlatum fuiſſe ſcito vel conſenſu populi, probatur*

probatur tum ex quindecim authoribus Bellarm tum ex alijs multis historicis. 8. *Translatio hac iniusta quia sine causa*

SEx exempla Bellarmini vidit, vicitque & refutauit abunde Barclaius.

1 Ioiada enim Athaliam non deposuit authoritate sua, sed Ioæ Regis veri & reipublicæ, tanquam protector, siue procurator Regis, cuius erat Auunculus: Et Athalia non Regina, sed vsurpatrix.

2. Ozias durante vita Rex erat, etsi leprosus, & à consortio hominum propter morbum secluſus, & Ioatham filius eius, viuente patre, regni negotia ministrabat, mortuo vero patre, regnabat.

3. Theodosius fatente Bellarmino ab Ambrosio depositus non est, solum legem temporalem, peccati sui sanatiuam, per viam pœnitentiæ, volens non coactus tulit, vt à vinculo peccatorum suorum solueretur: quod & cuiuis confessario in foro pœnitentiæ imponere licitum est.

4. Gregorij priuilegium confictum est, & friuolis de causis Antistites & Reges honore suo priuat: & honore dignitatis, potius quam dignitate ipsa priuat. Nec quisquis Rex, aut antistes, propter huius priuilegij violationem vnquam dignitate regia, vel Episcopali, priuatus est.

5. Gregorius 2. populum Italiæ defectionem, à Leone Isaurico molientem diu compescuit, tandem necessitate victus, furori populari cessit: & defectionis huius à sancto Germano perstringuntur Itali.

6. Zacharias non deposuit Childericum, sed deponendum consuluit, & deponentibus consensit, iuxta historiæ veritatem. Franci vero deposuerunt, Childericum, & Pipinum, & elegerunt & substituerunt.

In his sex, exemplis, à facto ad ius deductis, necius, nec factum pro causa Pontificis, & Bellarmini faciunt.

Supersunt sex alia exempla, vel verius quinq; (Exemplum enim *Gregorij 7.* qui *Henricum 4.* deposuit, abunde refutauit, & iniustitiæ redarguit, *Barclaius* l. 1. C. 9. & 10.) quæ morte præuentus, non refutauit; non quod clariora sint, quam vt iustis rationibus convelli possint, vt in conclusione gloriatur Bell. Clarissimis enim rationibus manifestũ fiet, quod non Pontifex sed populus Imperium transtulerit, & Imperij Electores constituerit. *Othonem* vero, *Fredericum* & *Ludouicum* friuolis de causis, per vsurpationem, sine omni iustitia priuarunt Pontifices, vt in singulis breuiter apparebit.

Antequam vero ad rem ipsam deveniam, illud paucis præmonere liceat: Pontifices si vel nomen, aut titulum inanem, sine potestate, siue re dederint, totum ius huius donationis, potestatis, & possessionis sibi arrogare solitos. 2. 1.

Alexan.

ſiſſent Barones Regni Francie, vnde & Ioan: in apparatu decreti, ſuper illo verbo, deponit, gloſſat, id eſt deponentibus conſenſit: Et certè ſecundum veritatem hiſtorie, magis debet gloſſari, depoſuit, id eſt, deponere volentibus conſuluit: Pipinus enim miſit ad Papam, non ſicut ad temporalis regni dominum, ſed ſicut ad virum ſapientem, ad habentem conſilium; quia conſilium eius ratione ſtatus ſummi Pontificij, videbatur eſſe multum authenticum, ſicut apparet ex verbis illius hiſtorie, que ſunt illa: Pipinus Rex Francorum miſit Legatos ad Zachariam Papam conſulendum, Quis potius Rex, &c. Cui ideo Pontifex reſpondet, Qua reſponſione pontificis tantum animati Franci, Childerico Rege in monaſterium detruſo, & monaſtico tegmine palliato, Pipinum regem conſtituerunt.

Eiſdem verbis reſpondet huic obiectioni, *Author Axonymus*, qui incipit *Rex Pacificus*. Nec opus eſt eadem repetere.

Gulielmus Ockam. Dial. Part. 1. lib. 6. c. 9. ad 4. *Zacharias Papa regem Francorum authoritate populi regni illius depoſuit, & ita illi principaliter depoſuerunt, vt teſtatur gloſſ. 15. q. 6. c. Alius dicitur depoſuiſſe, quia deponentibus conſenſit: Ita Papa authoritate Romanorum poſſet Imperatorem deponere.*

Iacobus Almayn, De poteſtate Eccleſiaſtica, & Laica, q. 2. cap. 8. *Iam reſpondendum ad Canonem, Alius. Et dico quod ſic intelligitur: Zacharias depoſuit regem, id eſt, conſenſit deponentibus: vnde tunc temporis, non erat adhuc vniuerſitas Pariſienſis, quia tempore Caroli magni fundata fuit, & ſic pancierant docti in Francia, & habuerunt recurſũ ad Papã: Et ſic depoſuit, id eſt, conſenſit vt poſſint deponere, & ſic non depoſuit authoritatiuè.*

Iohannes Maior, In 4. diſt. 24. q. 4. contra concluſ. 3. *Ad 2. reſpondet Gloſſa, quod non oportet vti illo vocabulo depoſuit, in ſignificatione qua capitur prima fronte, ſed ſic exponit, deponentibus conſenſit, & hoc cognoſcitur ex Francorum annalibus. Deinde, ex annalibus hiſtoriam legationis ad Poniificem narrat, (nondum enim floruit Vniuerſitas Pariſienſis) tandem vero concludit. Sic Zacharias depoſuit, id eſt, erat aliqua cauſa motiua, quare regni proceres Regem depoſuerunt, ſicut applicans actiua paſſiuis, dicitur producere ignem.* Deinde, multa addit, quæ de argumento à facto ad iure, ex Ioanne de Pariſijs citata ſunt.

Ioannes Igneus *In diſputat: an Rex Francie recognoſcat Imperatorem, Num.* 101. Ad C. Alius &c. in quo articulo tota vis conſiſtit, dupliciter reſpondeo. 1. *Quod Zacharias Pontifex Childericum Regem Francorum tunc non priuauit regno, ſed populus Gallicus; &c. vnde magis populus videtur amouiſſe, quam Zacharias, alias niſi hoc poſtulaſſet, neutrum amouiſſet.*

Michael Coccinius, *De tranſlatione Imperij, à Græcis ad Germanos.*

Quam

Quam quidem Childerici depoſitionem, & Pipini in regno ſublimationem, maximè conſenſu & antboritate populi Francia, vim & efficaciam habuiſſe ſuam credendum eſt. Sed quod in Pontificum decretis legitur, Zachariam Papam depoſuiſſe Childericum & Pipinum ſubſtituiſſe, ſubditoſque à fidelitatis iuramento abſoluiſſe: quæ dicta ſecundum mentem Ioannis Theutonici inibi expreſſam intelligenda ſunt. Quod Zacharias dicatur Childericum depoſuiſſe & Pipinum ſubſtituiſſe, id eſt, deponentibus ac ſubſtituentibus conſenſiſſe, & ſubditos à iuramento fidelitatis abſoluiſſe, id eſt abſolutos oſtendiſſe. Et infrà, *Poſtquam legationem Francorum ad Zachariam narraſſet: ipſam dubitationem decidendam, ad Romanum Pontificem retulerunt, ad cuius declarationem, ipſi Childericum depoſuerunt, & Pipinum ſubſtituerunt. Sic ergo Zacharias Childericum depoſuit, & Pipinum ſubſtituit, i. deponendum & ſubſtituendum declaranit, aut vt ex Ioannis mente attuli, i. deponentibus & ſubſtituentibus conſenſit.*

Gregorius Tholoſſanus. Lib. 26. cap. 5. num. 14. *Rectè admonet ibi gloſſa, aliter illud intelligi: depoſuit* (inquit) *dicitur depoſuiſſe, qui deponentibus conſenſit, & certè hiſtoriæ veritas repugnat Gratiano, & dicentibus Zachariam depoſuiſſe Regem Francorum, quando in eius locum ſubrogauit Pipinum, Caroli magni Patrum.* Plura ibidem repetat Lector, quæ hoc loco recitare ſupersedeo.

Antoninus, Hiſt. part. 2. tit. 14. c. 1. §. 2. *Poſtquam Pipinum ſolemnes nuntios ad Papam Zachariam miſiſſe, ipſumq; conſuluiſſe, Pontificem vero per nuntios reſpondiſſe narraſſet,* ſubiungit, *Hæc autem poſtquam nuntij Francorum, primoribus retulerunt, conuocato principum, & Prælatorũ conſilio, de communi conſenſu & voluntate omnium; Hildericum ſolo nomine Regem à regni faſtigio deponunt, & monaſtico illum habitu induentes, in Monaſterio includant, ac omnibus volentibus & gaudentibus, Pipinum ſuper Francos Regem faciunt,* Et infra. *Poſtquam aut Pipinus decreto optimatum* (non dicit Pontificis) *& Principum declaratus eſt Rex, authoritate Apoſtolica à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo Moguntino, inungitur, & conſecratur. Et de huius Hilderici depoſitione, & Pipini ſubſtitutione habetur. c. Alius, &c. Et quod dicitur depoſuit, exponit gloſſa, deponentibus conſenſit.*

Hic addere poſſumus, omnes illos authores, qui conſilium ſiue conſenſum Pontificis narrant, depoſitionem vero ipſam Proceribus, Principibus, & Populo Francorum tribuunt inter quos primo loco ponendus eſt Author Fragmenti, de Maioribus domus, editi à Pithœo. *Pipinus dux legatos ad Zachariam Papam dirigit, interrogans: - quibus reſpondet.-- detonſo igitur Hilderico & in monaſterio detruſo, mox Franci ſibi Pipinum Regem conſtituunt.*

Monachus Egoliſmenſis Edit. à Pithœo in vita Caroli magni. *Childerico inſenſato depoſito de ſolio & facto clerico in monaſterio, Franci cum conſilio Domini Papæ Zachariæ, & nobilium Romanorum, Deo volente, vno conſenſu*

ſenſu & vna voluntate, eleuauerunt ſibi in Regem Pipinum pium, filium Caroli Martelli.

Collectio Chronici ex Thoromacho, lib. 6. Apud Caniſium. Antiqu. Lect. tom. 2. *Vna cum conſilio & conſenſu omnium Francorum, miſſa relatione, à ſede Apoſtolica, authoritate percepta, præcelſus Pipinus electione totius Franciæ, in ſedem Regum cum conſecratione Epiſcoporum, & ſubiectione Principum, ſublimatur in regno.*

Hæc eadem verba citantur à Venerico Vercellenſi, ſiue authore libri de vnitate Eccleſiæ conſeruanda, qui reſpondet epiſtolæ Gregorij 7. qui paulo ſupra hæc habet; *Ecce omne quod irreprehenſibile eſt, Catholica Eccleſia defendit, ideoq́, vel Zachariam vel Stephanum Romanos pontifices, pro merito ſuæ religionis, & virtutum defendit, quorum nenter, vt certo ſcimus, Francigenas à iuramento fidelitatis ſuæ, quam alicui promiſiſſent Regi abſoluit: ſicut Hildebrant Papa ſcripſit & prædicauit.*

Ado Viennenſis, ætate 6. *Poſtquam legationem Pipini & reſponſum Zachariæ retuliſſet*, hæc habet. *Franci per conſilium legatorum & Zachariæ Pontificis, electum Pipinum ſibi regem conſtituunt.*

Gotfridus Viterbienſis. Chron. part. 17. ad annum 751. *Reuerſi ſunt ab vrbe, Pipini legati, & omnis Gallia conſilio Zachariæ Papæ libenter conſenſit.-- Anno igitur ab incarnatione Domini 752. authoritate Papæ Zachariæ, &c.* Ibi authoritas conſilij eſt, non poteſtatis:

Litera papalis Francis celeberrima venit,
Erigitur ſolium, Pipino gloria cedit;
Quippe ſibi regnum, Francia tota dedit.

Hugo de ſancto Victore. Inſtitutionis monaſt. excerptionum lib. 10. c. 5. Poſtquam legationem Francorum, & Zachariæ reſponſionem narraſſet: *Qua* (inquit) *reſponſione Franci animati, Hilderico in Monaſterium detruſo & Monachali tunica palliato, Pipinum ſibi Regem conſtituerunt.*

Vincentius Belluacenſis. L. 23. Specul. Hiſt. ca. 154. eadem pene verba habet. *Qua reſponſione Franci animati, Hilderico Rege in Monaſterio detruſo et monaſtico tegmine palliato Pipinum Regem conſtituunt.*

Magnum Chronicon Belgicum. Anno. 742. *Qua reſponſione Franci animati, mox Hilderico in Monaſterium detruſo, Pipinum ſibi Regem conſtituunt.*

Blondus. Decad. 1. lib. 10. dicit ex *Alcuino, Paulo*, & pleriſque alijs, *Proceres populoſq́, eius gentis Zachariã Pontificem Romanum conſuluiſſe.*

-- Cumque reſpondiſſet Pontifex-- Francos publico totius gentis conſilio Pipinum declaraſſe Regem, Childerico in clericum tonſurato.

Robertus Gaguinus. Lib. 3. ante finem. *Ad Pipini conſulta reſpondit Zacharias.-- Quo reſponſo adducti proceres ſibi Regem deligunt Pipinum, et Zachariæ ſententia et authoritate illum confirmant.* Sententia hæc Theologi & conſiliarij, non Iudicis.

Raphael Volaterranus, De Francorum Origine lib. 3. Geographiæ, in fin. c.

Imperatoris tribuunt, nec enim aut possessionem aliquam, aut potestatem novam, quam prius non haberet, conferunt. Quæstio ergo tota ista est de nomine, siue re, siue de nomine quod rem ipsam consequitur, vt vmbra corpus comitatur. Qui enim habet Imperium, Imperator est. Imperator & Imperium relata sunt, dicuntur ad aliquid. *Carolus* Imperium obtinuit, quidni ergo Imperator diceretur: & sic dictus est à *Leone* Pontifice, & populo Romano, et merito suo dictus, quia Italos ab Imperatore Græcorum desertos, à Longobardis spoliatos & oppressos liberauit. Imo sic dictus est sæpius *Pipinus* Pater *Caroli*, à *Mariano Scoto: Pipinus Imperator*, ad annum 754. 758. 760. & 767. diu ante hanc factam à *Leone* translationem Imperij.

Cum ergo dicat *Bellarminus*, quod *Leo* 3. *Imperium transtulit à Græcis, ad Germanos, propterea quod Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali adferre possent.* Duo manifestè falsa dicit. 1. *Leo* non transtulit Imperium à Græcis, diu enim ante *Leonem*, sub *Gregorio* secundo, defectionem fecerant Itali à Græcis, et *Leone Isaurico*, cui vectigalia sua denegarunt: Imperium occidentis vt possessio vacua erat, aut quod verius, *Pipinus* et *Carolus* magnam Imperij partem, Germaniam, Galliam, Italiamq; possidebant. Et *Pipinus* nomen Imperatoris habuit. Si quis ergo è Pontificibus Imperium à Græcis transtulit, non *Leo* 3. sed *Gregorius* 2. hanc translationē fecit: qui vti Zonaras, *vectigalia quæ ad id vsq; tempus imperio inde pendebantur inhibuit, icto cum Francis fœdere.* Secundo, *Leo* 3. non transtulit Imperium, in abstracto, id est, potestatem, & ius, & possessionem Imperij, ne passum quidem pedis dedit, vt *Act.* 7. 5. sed in concreto, id est, nomen siue dominationem tantum dedit, id est, nomen Imperatoris transtulit ad Germanos: titulum dedit, non rem tituli. Imo vero *Carolus* possessiones, patrimonium *Petri* scilicet, Pontifici dedit, nomen solum siue honorem accepit. Mitto quod translatio hæc potius ex necessitate, quam ex potestate facta ēst, sicut ex ratione *Bellarmini* manifestum est, ideò enim transtulit Imperium à Græcis ad Germanos, propterea *quod Græci nullum auxilium laboranti Ecclesiæ Occidentali adferre possent*, attulit autem *Carolus* sicut et *Pipinus* Pater eius: non erat hoc opus iustitiæ sed indigentiæ, siue necessitatis: et *necessitas sæpe cogit ad turpia.* An iustum est quod subditi Regem suum deserant, quia semper ijs contra hostium incursiones non auxiliatur? Assertio hæc parum tuta. 2.

Etsi vero translatio, vel potius coronatio ista, à multis authoribus *Leoni* Pontifici attribuatur, acsi potestate propria et pontificia Imperiū à Græcis ad Francos transtulerit, nemo tamen eorum, quod sciam, hanc translationem à solo Pontifice, sine consensu et suffragijs Principum et Populi factum affirmat. Adeoq; audiendi sunt etiam illi Historici, qui 3.

postea totius populi Israelitici inungitur & rex creatur. *Ieroboam*, etsi rex malus, defecit à *Salomone* & *Roboamo* filio eius vna cum decem tribubus, prædicente Propheta, & consensu populi, regnat in Israel *Iehu* rex per prophetam inungitur; et tamen postea à Centurionibus, & exercitu rex salutatur; et conspirant contra *Ioram* Regem & Dominum, vt malum super domum *Achab*, ab *Elia* prædictum, dominus perduceret.

Si ius populi in regibus eligendis à Deo ipso concessum, Dominus ipse conseruat, qui solus supra leges positus, potest ius populi tollere; quomodo Ius populi in imperatoribus & regibus eligendis, & electoribus vice sua designandis tollere potest pontifex, vicarius domini? qui non est supra leges Dei, ius scilicet diuinum naturale positus: præsertim cum ius diuinum naturale potestatem regis sui eligendi, & electorum constituendorum populo contulit. Qua de causa in Canone illo Concilij Lateranensis confecti: non dicunt patres: pontifex nouum regem constituat: Sed *terram eorum Catholicis occupandam exponat*, acsi regnum Regis depositi, possessio esset vacua, et cederet occupanti.

Atque hoc est, vt videtur, quod censurâ *Pauli* quinti, et Cardinalium ad librorum correctionem designatorum, liber *Martini Becani* nuper prohibitus sit, quod populo potestatem faciat, noui regis eligendi, prætermisso vero et proximo hærede: id enim in nupera et recognita editione omissum est.

Imo vero doctrina hæc de translatione Imperij à *Græcis* ad *Germanos* in persona *Caroli* Magni, directe pugnat cum doctrina *Bellarmini* in hoc ipso libro Cap. 12. *potest quoque pontifex regnum alteri conferre, non tamen pro arbitrio, cui voluerit, sic enim vere precario regnarent reges. Sed cui iure debetur, siue successio, siue electio locum habeat: Et si forte nemini debeatur cui ratio dictauerit esse tribuendum*: Sic etiam *Innocentius* quartus in Concilio Lugdunensi cum *Fredericum* Imperatorem deposuisset, electionem successoris, electoribus quibus iure competit, liberam reliquit. In imperio transferendo aut successio locum habuit, aut electio; aut ergo vero successori, aut ei qui ab Electoribus, id est principibus, et populo, electus esset, dare debuit pontifex imperium. Non ergo transtulit Imperium solus pontifex, aut potestatem populi iure diuino et naturali datam violauit: quod recta ratio non dictat.

Quod si pontifex sine consensu, & electione populi, Imperatorem constituere possit, quidni etiã in omnibus regnis Christianis, Reges incõsulto populo creet, et iura omnium regnorum relaxet, & omnem ordinẽ, & successionis & electionis conturbet? eodem enim iure regnũ Angliæ, aut Franciæ aut Hispaniæ, transfert ab vna familia, vel gente, ad aliam,

quo imperium à Græcis ad *Carolum* transtulit. Christus enim *Petro* oues omnes, & Italos, & Anglos, & Francos, & Hispanos pascendas commisit. Quatenus ergo pontifex pastor est supremus, æqualem in omnes Reges & regna potestatem habet; eodem iure de alijs regnis, quo de Imperio disponit. Aut ergo iniuste transtulit imperium à Græcis ad Romanos, aut iuste potest imperium à Germanis & Domo Austriaca ad Francos, & regnum Hispaniæ ad Anglos, siue Germanos transferret.

4. Nec huius iuris ignarus esse potuit *Leo* tertius, qui imperium transtulisse perhibetur; vt pote qui optime sciret, omnia regna mundi ante sua tempora, iure belli, aut successionis, aut electionis, aut dono Dei speciali, aut dono supremorum principum (vt ab Imperatoribus sæpe factum est, qui Coimperatores sibi aduocabant) disposita fuisse; nec vnquam quenquam Imperatorem aut regem, alio aliquo iure, ad Imperium siue regnum peruenisse. Nec enim Pipinus à Zacharia sine electione populi regnum Franciæ acquisiuit. Nondum notum erat sextum illud ius regni siue imperij dandi *Pontificium* scilicet, siue ex dono speciali pontificis siue Vicarij Christi, quod in cerebro Bellarmini, vt in capite Iouis Minerua, genitum est; sed bene se res habet. In illa distributione iurium regni siue imperij dandi siue acquirendi, donum Dei speciale, & donum vicarij siue pontificis contradiuisa sunt membra, & proinde non incidunt, non dat Deus regnum vel Imperium illud, quod à pontifice siue vicario datur. Et in hac imperij translatione *Leo* 3. non solus, sed *Concilio sacerdotum prahabito*, vt aliqui Historici, & *ex scito & precibus populi*, vt alij, *Carolum* imperatorem non tam fecit, quam coronauit, aut quod solum verum est, coronando fecit. Nec vel probabilitatis speciem habet; quod *Leo* Pontifex in die sancto Natalis Domini, finita Missa *Carolum* coronando Imperatorem creauit, inconsulto populo, inconsultis principibus. Nec verisimile est, populum scito & precibus suis à *Leone* contendisse, vt ipse pontifex sola potestate sua pontificia, imperium in personam *Caroli* transferret. Quis enim ante tempora *Pipini* & *Caroli* de hac potestate pontificia in regnis & imperijs trãsferendis vnquam cogitauit, cum nec in scripturis, nec in patribus, nec in historicis extat aut documentum, aut exemplum huius potestatis? Et quomodo sciret populus hanc Pontificis potestatem, quam nec docuerant patres, nec pontifices exercuerant? Quomodo oblitus est populus Romanus iuris sui, quod semper ab vrbe condita in magistratibus suis, & Ethnicis & etiam Christianis eligendis vsus erat, vt tam subito ius omne Imperij transferendi in pontificem suum translatum agnosceret?

5. Neque vero potestas hæc indirecta, propter finem spiritualem imperium transfert, sed directa, quia non solum *Carolo* in Ecclesiæ necessitate, sed etiam singulis successoribus suis, nulla necessitate vrgente,

ſe imperium conferre aſſerit pontifex, ſi vera ſunt, quæ ex pontificum & imperatorum ſcriptis colleg t *Bellarminus*. Electores enim non tribuunt ius Imperij iuxta *Bellarminum*, ſed pontifex: *Non eſt nuda tantum ceremonia coronationis, ſed ius ipſum, & poteſtas ipſa imperialis, quam tribuit Pontifex.* Si ordinariè tribuat Pontifex ius Imperij, vnicuique Imperatori, vt exemplis probare contendit *Bellarminus*, poteſtas iſta in Pontifice directa eſt, indirecta non eſt, quia ſine reſpectu boni ſpiritualis, vnicuique Imperium confert; nec enim in vnoquoque Imperatore confirmando, intercedit ſpirituale bonum, ſiue reſpectus finis. Acſi ille ſolus, qui à Pontifice confirmatur, ad bonum ſpirituale procurandum idoneus eſſet, reliqui vero omnes inutiles exiſterent: nec quod extraordinarie fieri debet, tanquam ordinarium faciendum eſt.

Quod vero d ſputat *Bellarminus*, *Carolum*, nec iure belli nec conſenſu populi, ius imperij acquiſiuiſſe, id vero et rationi contrarium eſt, quia rogatus à Pontifice et Italis, iuſte Longobardos tanquam tyrannos et regni Italici inuaſores debellauit; et iure belli regna transferri poſſe, author eſt *Bellarminus*, in hoc ipſo opere Cap. 21. *Sic etiam Rex ab alio Rege, in caſu victoriæ deponitur nec amplius ad illum pertinet quod Apoſt. ait; omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Et populus conſenſu ſuo, *Carolum*, diu ante hanc coronationem à *Leone* celebratam, ad Imperium promouerat: cuius, nec non Pontificis rogatu, Italiam ingreditur, et Longobardos deuicit, et poteſtatem omnem Imperialem, & patriciatum vrbis Romanæ obtinet. Quod ſi Cap. 38. credibile ſit, *Athaliam* vſurpatricem quæ omnes filios Regis, adeoque inter ipſos Regem ipſum occiderat, vt ipſa ſola regnaret, quæque metu, et terrore in officio populum continuerat, legitime regnaſſe, *Et populum conſenſu ſuo regnum eius approbaſſe, quia ſex annis quietè regnauit*, vti author eſt Bellarminus, non ſolum credibile, ſed etiam certiſſimum eſt, populum conſenſu ſuo Imperium *Caroli* approbaſſe qui vocatus et rogatus Italos à Longobardorum tyrannide et oppreſſionibus liberauit, et pluribus annis quiete regnauit, et patricius vrbis Romanę factus fuit, et ſcito et precibus populi ad imperij culmen et coronationem aſcendit. Non ergo opus erat, vt nouum ius Imperij conferendi, pontificale ſiue vicarium excogitaret *Bellarminus*, quo *Caroli* imperium ſtabiliret, cum duplici iure belli legitimi, et conſenſus Reipublicæ, ad imperij culmen, ſine coronatione pontificia quoad rem prius aſcenderat.

Quod vero ad authoritates à *Bellarmino* allatas attinet; in tres claſſes, diſtributæ ſunt. 1. Eſt Hiſtoricorum, qui ſoli digni ſunt qui hoc loco expendantur. 2. Imperatorum, qui hinc beneficiorum acceptorum memoria, illinc accipiendorum ſpe, allecti, forte etiam et timore fulminum et vinculorum pontificiorum perterriti, non tam vera-

quam placentia prædicant, vt eos Pontifices delinirent, quibus nihil nisi magnificum de se, & potestate sua placet, adeo testes corrupti sunt.

3. Pontificum, qui dominandi cupiditate pleni, de potestate sua, eiusq; plenitudine nihil modicum, aut moderatum, aut cogitant, aut loquuntur, aut scribunt.

Atq; hi quidem in causa sua testes parum idonei, quia partes & proinde merito in tertium locum à *Bellarmino* reijciuntur (cum præfatione tamen quod primo loco collocandi essent) quia infra infimos merito reponuntur ambitiosi. Qui enim seipsos exaltant, iuxta Euangelium humiliabuntur. Historici vero, 33. quos profert *Bellarminus*, partes nostras agunt, quia aut de coronatione & benedictione, aut de nomine, & honore Imperatorio, non de iure vel potestate aliqua, quam prius non habuerunt loquuntur.

De quibus vt summatim dicam, conueniunt omnes, nec negari potest *Carolum* à Pontifice coronatum fuisse: & Imperatorem appellatum, sed de ditione, siue possessione, siue potestate, siue iure collato prorsus silent.

Zonaras enim quem huius agminis Ducem in acie primum collocat *Bellarm. Carolum à Leone coronatum, & Romanorum Imperatorem appellatum narrat*: Vbi coronationis & appellationis siue nominis mentio fit, de potestate vel iure, ne verbum quidem. *Ab eo*, inquit, *tempore Romani Franci potiti sunt, Carolo à Leone coronato & Romanorum Imperatore appellato.* Ex *Zonara* colligi potest, Francos ante *Leonis* pontificatum Italia vniuersa potitos fuisse: sub *Leone* vero Romam accepisse: Sic enim Zonaras. *Sub Constantino & Irena, Papa Leo, Francos etiam Romam admisit: Sic Italia vniuersa, & ipsa Roma potiti sunt.* Si quid ergo dedit *Leo* præter nomen Imperatorium, solam vrbem scilicet Romam dedit, Italia enim vniuersa prius potiti erant Franci, Quod autem *Leo* non dederit vrbem Romam *Carolo*, sed potius vrbem & patrimonium Petri à *Carolo* acceperit, manifestum est. Nihil ergo nisi nomen Imperatorium transtulit *Leo*, ditionem enim siue principatum temporalem accepit. Eo vero animo *Carolus* forte nuptias *Irenæ* ambiuit, vt Imperium, quod iure belli, & consensu populi acceperat, Imperatricis nuptijs stabiliret.

In compendio Historiarum in vita Constantini & Irenes.

2. Est Cedrenus: eius verba sunt: *Venerunt etiam à Carolo, quem Leo Papa Romæ coronauerat, legati ad Irenem, eam Carolo in vxorem ambientes, vt sic oriens cum occidente vniretur*: De coronatione & inauguratione quæ ad ritum & cęremoniam & solennitatem spectant, non ad substantiam, siue essentiam Imperij loquitur *Cedrenus*: qui etiam de legatis, qui de nuptijs *Irenes* tractarent mentionem facit: nec mirum, sicut enim idem testatur *Cedrenus. Irena prius filiam Caroli Erythro, in matrimonium Constantino filio suo postulauerat.* Et Carolus siue nomine, vel titulo Imperatorio,

Princeps

Princeps magnus et nuptijs Irenæ dignus : nihil ergo hæc ad Imperij tranſlationem.

3. Eſt *Paulus Diaconus, Lib. 23. Rerum Romanorum* : ſi *Paulus Diaconus* : hunc enim *Theophanem* eſſe non *Paulum Diaconum*, authorem eſt *Baronius, ad Annum 726. Tom. 9. pag. 95. Theophanes qui falſo inſcribitur Paulus Diaconus* ; De quo ſic Poſſevinus. *Cæterum ſciant Cordati Lectores, authorem Miſcellæ falſo dici Paulum Diaconum.* Et titulus Libri *Landulphum Sagacem* præ ſe fert. Acſi multa ab eo addita ſint, et inter cætera, hoc ipſum de Carolo : qui *Paulus* Hiſtoriam vſq; ad tempora *Iuſtiniani* tantum perduxit. De fide ergo et authoritate huius authoris, ſatis non conſtat, ſed verba ipſa perpendamus : quia duo ex illis colligit Bellarm. *Caterùm* (Leo) *vicem Carolo recompenſans, in Imperatorem coronauit eum, in templo Sancti Petri Apoſtoli, pervngens oleo à capite vſq; ad pedes, & circundans imperiali veſte atque coronâ, &c.* Duo in his verbis (inquit Bellarminus) annotanda ſunt : vnum eſt ; *nullam fieri mentionem, in eius verbis, Senatus aut populi Romani, quam certe prætermittere non debuiſſet fidelis Hiſtoricus. Si tranſlatio Imperij à Græcis ad Francos munus Senatus populiq; Romani, potius quam Pontificis Leonis fuiſſet.* Reſpondeo ego : nullam fieri mentionem, in eius verbis, aut Imperij tranſlati, aut lati, aut poteſtatis collatæ, aut ditionis, ſiue poſſeſſionis datæ, quam certe prætermittere non debuiſſet fidelis Hiſtoricus, ſi tranſlatio Imperij à Græcis ad Francos munus eſſet Pontificis inaugurantis, coronantis, invngentis, aut veſtientis. Quid vero opus erat, vt in coronatione, aut vnctione Imperatoris, Senatus populique Romani mentionem faceret *Paulus* iſte *Diaconus* ; quam ſolus Pontifex peregit ; nec ad Senatum, aut Populum, vlla ratione, vnctio, vel coronatio Imperatorum vel Regum ſpectat, quæ de iure et conſuetudine, etiam in Sacris Literis ad Pontifices, et Sacerdotes, et Prophetas ſemper ſpectabat. In coronatione ergo et vnctione ſolius Pontificis fit mentio, quia cæremonia hæc ad Pontificem ſpectabat, non ad Senatum, vel Populum, vel exercitum : et fidelis eſt Hiſtoricus, qui quælibet facta, ijs attribuit, quibus iure tribuenda ſunt.

Alterum eſt, hanc tranſlationem, quæ facta eſt in ipſa Caroli Magni coronatione, beneficium Leonis collatum in Carolum à Paulo Diacono agnoſci & appellari : ſiquidem illa verba : Caterum Leo vicem Carolo recompenſans : ſatis aperte ſignificant, &c. Eſto vero : ſit hoc beneficium *Leonis* : An *Leonis* ſolius ? hoc non dicit *Paulus* iſte. Coronatio iſta et vnctio, quia cum benedictionibus, et orationibus ſpiritualibus, facta eſt, et beneficium eſt, et beneficium maximum, beneficia enim ſpiritualia, beneficijs temporalibus maiora, et vberiora ſunt, ſicut ſpiritus dignior carne. Accepit à *Carolo* libertatem,

et hæreditatem temporalem, patrimonium *Petri* temporale, principatum temporalem, hoc est beneficium imperiale: accepit *Carolus* à *Leone* benedictionem spiritualem, coronam, vnctionem, vestimenta, et insignia Imperij Sancta: hoc est beneficium Sacerdotale: quod ergo *Leo Carolum* coronat, invngit, veste imperiali circundat, et benedictione spirituali sacrat consecratque, vicem *Carolo* recompensat; à quo beneficia temporalia libertatem et restitutionem et hæreditatem acceperat. Verba ergo hæc, *Leo vicem Carolo recompensans*: nulla ratione concludunt Imperium *Carolo* à *Leone* collatum, sed potius pro beneficio temporali, beneficium spirituale, benedictionem scilicet et consecrationem redditam esse. Imo vero longissime à vero aberrat *Bellar.* qui trãslationem Imperij in *Caroli magni* coronatione factam affirmat: novum hoc et inauditum, vt quispiam ante *Carolum*, Imperator solâ coronatione factus sit. In omnibus *Caroli* prædecessoribus & successoribus locum habuit, aut successio, aut electio per populum, aut per exercitum facta, præcessit electio, aut successionis designatio, subsecuta est coronatio, et invnctio: et electio ius tribuit, non coronatio: & eadem erat potestas *Caroli*, ante hanc coronationem, eadem possessio. Actus *Caroli* æquali iure valebant ante coronationem, & post invnctionem: aut iniustus fuit *Carolus*, qui nullo iure, nullâ potestate legitimâ fretus, in *Adriani* propinquos, *Leonis* vero inimicos desæuisset, & *Leoni* Pontificatum restituit. Imperatores electos coronari, omnibus notissimum est; at per coronationem solam, sine electione, aut consensu, aut designatione, aut iure aliquo, sine titulo præcedenti fieri Imperatores, novum & insolens est: & sine omni ratione à *Bellarmino* dicitur, vt post patebit fusius. Verùm *Bellarmino* opponamus *Adrianum* Pontificem in Epistola ad *Fredericum*, id est, quæ extat apud *Radeuicum*: qui et beneficium hoc quale sit, et coronationis energiam, quidq; Pontifex coronando conferat Imperatori, abunde docet. *Radeuicus de Gestis Frederici* 1. *lib.* 1. *cap.* 22. *Occasione siquidem cuiusdam verbi, quod est Beneficium, tuus animus, sicut dicitur, est commotus, quod vtique nedum tanti viri, sed nec cuiuslibet minoris animum merito commouisset. Licet enim hoc nomen, quod est Beneficium, apud quosdam in alia significatione, quàm ex impositione habeat assumatur: tunc tamen in ea significatione accipiendum fuerat, quam nos ipsi posuimus, & quam ex institutione sua noscitur retinere. Hoc enim nomen ex bono & facto est editum, & dicitur beneficium apud nos, non feudum, sed bonum factum. In qua significatione in vniuerso sacræ Scripturæ corpore inuenitur, vbi ex beneficio Dei non tanquam ex feudo, sed velut ex benedictione, & bono facto ipsius gubernari dicimur, & nutriri. Et tua quidem magnificentia liquidò recognoscit, quod nos ita bene & honorificè imperialis dignitatis insigne tuo capiti imposuimus, vt bonum factum valeat ab omnibus iudicari. Vnde quod quidem verbum hoc, & illud scilicet*

(con-

(contulimus tibi insigne imperialis coronæ) à sensu suo visi sunt ad alium retorquere, non ex merito causæ, sed de voluntate propriâ, & illorum suggestione, qui pacem regni & Ecclesiæ nullatenus diligunt, hoc egerunt. Per hoc enim vocabulum, Contulimus, nil aliud intelleximus, nisi quod superius dictum est, imposuimus.

Beneficium ergo hoc, non denotat collationem Imperij, sicut coronatio non donationem Imperij, sed Coronæ impositionem designat, vti hoc loco male deducit *Bellarminus*.

4. Est Eginarthus, *Caroli* Cancellarius, eius verba sunt. *Augusti nomen primo in tantum auersatus est, vt affirmaret, se eo die; quamuis præcipua solennitas esset, Ecclesiam non intraturum fuisse, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Verba *Eginarthi* imperfecte citat Bellarminus: *Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit, quod primo tantum auersatus est, &c.* Quod *Carolus* nomen Imperatoris, & Augusti acceperit, constat apud *Eginarthum*, at quis dederit, aut qua potestate fretus dederit, non narrat *Eginarthus*: accepit *Carolus*, & oblatum accepit, quia invitus accepit. Et verisimile est, à Pontifice Leone oblatum fuisse quia consilium Pontificis memorat *Eginarthus*.

Sed an solius Pontificis hoc fuerit consilium, non etiam Senatus & populi non satis cóstat ex *Eginartho*: nec enim valet semper ratio hæc *Bell* ab authoritate negatiua. *Perpende lector hæc verba: si Pontificis consilium, præscire potuisset. cur enim nõ ait, si consiliũ senatus populiq; Romani præscire potuisset, nisi quia rem totam à Pontificis voluntate & authoritate pendere intelligebat.* Consilium hoc Pontificis ad coronationem & vnctionem spectasse manifestum est, & hoc forte consilium Pontificis proprium & peculiare: ad ritum & cœremoniam & solennitatem spectat, nam reipsa potestatem omnem, & regnum Italiæ penes *Carolum* fuisse diu ante hoc consilium, hanc coronationem Pontificis, ex *Eginartho* satis patet, etiam in verbis præcedentibus. *Vltimi aduentus sui, non solum fuere causa, verum etiam quod Romani Leonem multis affectum iniurijs, erutis videlicet oculis, linguaque amputata, fidem Regis implorare compulerunt: Idcirco Romam veniens propter reparandum, quo nimis conturbatus erat, Ecclesiæ statum, ibi totum hiemis tempus protraxit; Quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit, &c.* Cura status Ecclesiastici reparandi commissa erat *Carolo*, superior ergo etiam in Ecclesiasticis *Carolus* exitit, & tanquam Iudex & Rex, & reipsa Imperator, de iniurijs *Leonis* Pontificis cognoscit, & pœnis ciuilibus inimicos eius coercet. Potestate ergo Imperator erat Romanorum, ante hoc Pontificis consilium: deerat solum nomen: Et in testamento eiusdem *Caroli* apud *Eginarthum* sic habetur: *Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi* 811. *Anno vero regni eius in Francia* 43. *& in Italia* 36. *Imperij autem* 11. *&c.* Diu ergo reipsa imperabat Carolus in Italia, ante hanc nominis Imperialis acceptio-

acceptionem: vtpote qui per annos 25. regnarat, potestateque regia, (quę etiam eadem est cum Imperiali quoad rem, licet nomine distat) pollebat. Oculatus ergo *Bellarminus* qui consilium Pontificis vidit; sed cœcus qui *Eginarthum* de solo nomine Imperiali locutum non videt: Et tamen ter hoc ipso in loco de nomine Imperatoris pręcise loquitur Eginarthus, *quo tempore Imperatoris & Augusti nomen accepit*: potestatem Imperatoris & Augusti, necnon ditionem prius acceperat: &, iterum *post susceptum Imperiale nomen, &c.* perspicua vero in illis verbis. *Invidiam tamen susceptι nominis, Constantinopolitanis Imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia, &c.* Italiam amissam quam retinere, & contra Longobardorum, aliorumque hostium incursiones defendere non poterant Imperatores Constantinopolitani, æquiore animo ferebant: at nomen Imperatorum siue Augusti & Cæsaris, *Carolo* communicari, id vero ægrè ferebant: hanc nominis susceptι invidiam patientia magna vicit *Carolus*: Italiam ipsam, hoc est ditionem siue possessionem, & potestatem Imperij, non patientia sed bello & armis vicerat. Nomen ergo Imperiale, & nomen solum hac coronatione siue hoc consilio contulit Pontifex, potestatem ipsam imperialem, & ius ipsum Imperij diu ante per viginti quinque annos possederat. *Eginarthus* ergo totus noster est, qui de coronationis cœremonia, et nomine Imperialis susceptione, non de Imperio ipso, aut Imperij ipsius translatione testatur.

5. Est Author Annalium Francorum, eius verba hæc sunt: *Leo Papa coronam capiti eius imposuit, cunctο Romanorum populo acclamante Carolo Augustο, à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum vita & victoria.* Duo describuntur; Coronatio per Pontificem facta, & acclamatio per populum. *Hic* (inquit Bellarminus (*primum mentio fit populi Romani, sed acclamantis postι coronationem, non Imperatorem appellantis ante coronationem.* Esto vero; Author horum annalium primus populi Romani acclamantis mentionem facit. Et quidni primus sit hic author, qui contemporaneus *Carolo* fuit, et *Pauli Diaconi* et *Eginarthi* coætaneus: Quique vti Bellarm. omnium consensu fidelissimus fuit: qui sicut de nomine Imperiali, per hanc coronationem collato, cum reliquis historicis concordat (ad annum enim 800. Carolum Regem appellat,) sic etiam de iure vel potestate imperiali, idē cum reliquis authoribus sentit *Carolum* sc. diu ante hanc Imperialē coronationem Regnum totius Italiæ iure belli vel consensu populi possedisse, Ideo ad ann. 774. De *Carolo* sic ait. *Cunctum Italiæ Regnum adeptus, &c.* Et in hac vltima profectione, qua Romam venit *Carolus*, cum Rex non Imperator esset, de criminibus Pontifici *Leoni* obiectis cognoscit, et post coronationem inimicos eius exilio mulctat: ad annum 800. *Postι septem dies, Rex concione vocata, cur Romam venissetι, omnibus patefecit, &*

ex

exinde quotidie ijs propter quæ venerat faciendæ, operam impendit, in quibus, vt maximum, ita difficillimum erat, quod primo inchoatum est, de inuestigandis videlicet quæ Pontifici obijciebantur criminibus. Audiuit vero *Bellarmine* quid author ille fidelissimus de *Carolo* nondum Imperatore, sed Rege docet, cognoscit de criminibus *Leonis* Pontificis summi purgationem eius per iusiurandum coram populo accipit: non ergo deerat potestas Imperialis, sed nomen tantum Augusti, siue Cæsaris, quod hac coronatione & populi acclamatione collatum est: id quod verba sequentia docent. *Post quas laudes, à Pontifice more Antiquorum principum adoratus est, ac deinde amisso Patricij nomine Imperator & Augustus appellatus est.* More antiquorum Principum, nihil ergo nouum in hac coronatione *Caroli*, & ante hanc *Caroli* inauguratione, nemo per coronationem sine electione & præcedenti populi consensu, ad Imperium promotus est. Subest vero aliqua ratio, cur hæc vltima verba, à Bellarmino amputata sunt; *Carolus à Leone adoratus est*: agnouit ergo *Leo Carolum* superiorem suum esse, eique tanquam superiori hunc honorem, more antiquorum Principum impendit, & proinde subiectionem suam agnoscit, quam negat *Bellarminus*. Et quis effectus huius coronationis? nominalis certe non realis: *Omisso Patricij nomine Imperator, & Augustus appellatus est*; Mutatur nomen, sed nec ius, nec potestas, nec possessio Carolo augetur. Quid vero? an solet populus ante coronationem laudes Imperatorias canere, acclamationibus Imperatorem nondum coronatum prosequi; nunquam auditum est, quod acclamationes istę coronationem præcesserunt, et am in illis Imperatoribus & Regibus, qui vel per electionem, vel per successionem, iure legitimo & ordinario ad solium Imperiale & Regale conscenderunt. Quinetiam quomodo potuit populus ad Coronæ impositionem acclamare; *Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico, Imperatori Romanorum vita & victoria*, nisi quid ageret, quamq; coronam capiti *Caroli* imponeret Pontifex, præsciuisset? An diuinare potuit populus, Pontificem Imperialem coronam imposuisse, nisi eundem coronandum, & *scito & precibus suis* decreuisset, vt postea in *Blondo* & alijs apparebit? præsertim cum diu fuit, ex quo populus veteris Romæ, Imperatoris Creationi interfuisset, Imperatoribus in noua Roma, Constantinopoli scilicet, plerunque degentibus. Potuit quidem Pontifex coronam Regiam Carolo imponere: nec enim de coronatione regali quicquam narrant Historici, & tamen regem fuisse, & Regnum totum Italiæ possedisse, apud omnes in confesso est. Acclamatio ergo populi cognitionem & consensum populi præcedentem, abundè arguit.

6. Est *Aimoinus*, Cuius verba eadem fere sunt per omnia cum autore Annali-

Annalium, nec vlteriore repetitione aut reprehenſione opus eſt, in quibus eadem annotanda ſunt, quæ ſupra in Authore Annalium dicta ſunt, ex quo penè verbatim; omnia deſumpſiſſe videtur Aimonius.

7. *Ado Viennenſis*, In Chronico, ætate 6. qui eadem pene verba cum authore Annalium & Aimonio habet.

8 *Rhegino*: qui eadem etiam habet pene verba: In illis nihil eſt quod cauſæ *Bellarmini* faueat, Proinde alia ex eodem *Rheginone* vrget, quæ de *Arnolpho* & *Othone* iprimo proferuntur: acſi in illis poſterioribus Imperatoribus, quid in *Caroli* coronatione factum ſit deprehendi poſſit. Longe vero alia fuit poteſtas Pontificis in infantia ſua, ſub Imperio *Caroli*, coram quo *Leo* Pontifex de criminibus ſibi obiectis ſeipſum purgauit, quique ſtatum Eccleſiæ Romanæ ordinauit & vindictam contra inimicos *Leonis*, forte etiam Clericos exercuit: Alia vero ſub *Arnolpho*, & *Othone*, aut ſaltem tempore *Rheginonis*: quando poteſtas iſta, quaſi iam ex Ephebis exceſſerit, & ad adultam ætatem prouecta, vires vná cum annis acquiſiuerat.

Verum verba iſta perpendamus, ad annum 896. *Arnolphus ciuitatem ingreſſus à Formoſo Apoſtolicæ ſedis Præſule, magno honore ſuſceptus, ante confeſſionem Sancti Petri coronatus, Imperator creatus eſt.* Hæret hic *Bell.* in verbo creatus, acſi creatio ad ſubſtantiam non ad ſolemnitatem ſpectaret. An in eodem loco videre potuit *Bellarminus*, quo iure, ad Imperium aſpirauerat *Arnolphus*. *Arnolphus ſecundo Italiam ingreſſus, Romam venit, & vrbem Romanam, cum conſenſu ſummi Pontificis armis cepit*: Imperabat tunc Romæ *Lampertus* filius *Guidonis*: de quo idem *Rhegino* ad annum 894. *Eodem anno, Guido qui Italiam regebat, & Imperatoris tenebat nomen moritur. Lampertus filius eius Regnum obtinuit, & Romam veniens Diadema Imperij à Præſule ſedis Apoſtolicæ ei imponi fecit.* Et mater *Lamperti* Roma capta latenter cum ſuis aufugit, primo ergo iure belli, & proditione Pontificis Romam cepit, & ſic iure belli, ſiue gladij caput Imperij vel Imperium ipſum occupat; poſtea à proditore Pontificè coronatus, & Imperator creatus eſt, præcedit ius, ſubſequitur coronatio ſiue creatio, quæ ius declarat, quam dat. Sic etiam ad annum 898. viuente *Arnolpho*, qui anno 899. moritur, *Ludouicus Berengarium fugat, Romam ingreditur, vbi à ſummo Pontifice coronatus, Imperator appellatur. Berengarium* fugat, ibi ius Imperij; coronatur à Pontifice & Imperator appellatur, ibi iuris huius declaratio. Creatio ergo iſta, ſiue coronatio ius *Arnolphi* declarat, Arnolpho ius Imperij non tribuit. Quem tamen Lambert. Schaffnab. Anno 887. electū, Marianus Scotus, Anno 887 *ab optimatibus ad Regnum attractum*, Siffridus lib. 1. Anno 878. *à Principibus Teutoniæ Imperatorem factum* narrat.

De

De Othone vero primo: sic Rhegino: *Anno Dominicæ incarnationis, 962, Rex natalem Domini celebrauit, indeq; progrediens, Romæ honorabiliter susceptus, acclamatione totius populi Romani & Cleri ab Apostolico Ioanne, filio Alberici, Imperator & Augustus vocatur & ordinatur.* Et hic quidem precedit acclamatio totius populi & Cleri, subsequitur actio Pontificis qua Imperator & Augustus vocatur & ordinatur; vocatio ista & ordinatio in coronatione proculdubio peracta est. Ideo non dicit *Rhegino* ordinatur, & vocatur, sed è conuerso, vocatur & ordinatur: vt ordinatio non ad essentiam sed ad ritum et cæremoniam referatur. Præterea *Iohannes* iste *Othoni* parum gratus, quem postea in concilio Episcoporum non propter hæresin, sed propter lubricitatem, Imperator pijssimus deposuit. Et verba *Rheginonis, An. 963.* subiectionem Pontificis loquuntur, *Papa quoq; multâ illum secum charitate detinuit, & diebus vitæ suæ nunquam se ab eo defecturum promisit: quæ tamen promissio longe dissimilem quam prætendebatur effectum obtinuit.* Et infra, *Interim Ioannes Papa promissiones Imperatori factas oblitioni tradens, ab eo defecit, Adelberti partibus adhæret.* Nec verisimile est Othonem Imperium accepisse ex dono siue gratia *Ioannis*, qui ipsi Imperatori in temporalibus, addo etiam, & in spiritualibus subiectus, quia depositus fuit. Ordinationem tamen istam Lambertus Schaffnab. Anno 962, ita exprimit, vt postea dicetur, *Benedictione ac consecratione Imperatorẽ fecit, In Imperatorem benedicitur. Sigebert. Anno 963. Imperator consecratur.* Siffridus. lib. 1. An. 911.

9. Est Vitichindus, qui de *Othone* 2. post mortem patris *Othonis* primi hæc habet. *Lib. 3. Gestorum Saxonicorum in fine: Mane igitur iam facto, licet iam olim vnctus esset in Regem, & à beato Apostolico designatus in Imperatorem.* Hæc sola verba citat Bellarminus, *spei vnicæ totius Ecclesiæ Imperatoris filio, cui initio certatim manus dabant, fidem pollicentes & operam suam contra omnes aduersarios Sacramentis, militaribus confirmantes. Igitur ab integro, ab omni populo electus in Principem, &c.* Hæret Bellarminus in verbis istis *à Beato Apostolico designatus in Imperatorem*, acsi eiusdem designare, cuius est creare; alioquin frustra designat, qui nequit perficere. Quid vero si Electores aliquem designent Imperatorem, an hoc est creare Imperatorem, designare vero minus est quam eligere. Designatio animi actio est, Electio verò actio est externa, qua quis ad Imperium non solum designatur, sed etiam eligitur. Et plus est eligere quam designare, nisi fortè minima quæque in Pontifice maxima sint, vt nutus in Pontifice Imperium est, & Imperio quouis quiddam maius: vti supra, Lib. 2. C. 19. In Imperatore nutus Imperio quolibet minus quiddam est, imo nihil nisi obedientia & subiectio, & hoc loco designare in Pontifice, plus est quam

elige-

eligere, designare vero in Electore minus sit quam eligere. Et reuera minus est designare animo, siue proponere, quam actu aliquo externo eligere, siue electionem facere, sicut propositum animi minus est quam actus electionis: Multa enim designantur & proponuntur siue intenduntur, quæ nunquam in actum reducuntur: nec inique ferre debet Pontifex si omnes designationes suas nequeat perficere. De solo enim Deo verum est *omnia quæcunque voluit* vel designauit, *fecit. In Deo nec verbum ab intentione, nec actus à verbo distat.* At in homine aliud est intentio siue designatio, aliud actio, Ideo de homine vere dicitur, Intendit homo, at disponit Deus. Designare in Pontifice tum demum erit creare, cum hominem exuerit, & diuinam potentiam induerit; interim iniquè non ferat, si designata sua semper perficere non possit. Eius est designare de iure, cuius est creare, multi tamen designare solent, ad quos de iure non spectat aut eligere aut creare. Quid vero, etsi *Otho* 2. à Beato Apostolico designatus erat in Imperatorem: an a solo Apostolico designatus est? Imo vero, eo ipso quod electus & inunctus est Rex Romanorum, vel Rex Germaniæ à patre Othone 1. & proceribus & populo, & Episcopis, ad Imperium etiam ab ipsis designatus est: & tempore horum Othonum Imperium aut successione, aut electione, aut vtraque conferebatur; Et Otho qui viuente patre, Rex Germaniæ vnctus est, eo ipso ad Imperium designabatur, sicut & hodie qui ab electoribus Rex Romanorum eligitur, ad Imperium eo ipso designatur.

Et qualis hæc erat designatio Othonis 2. Bis electum fuisse hunc Othonem ad Imperium, docet in his verbis Vitichindus: *Olim vnctus erat in Regem*, nec sine electione præcedente vngebantur antiqui Reges Germaniæ: id docent planius verba sequentia: *vt initio certatim manus dabant, fidem pollicentes: & operam suam contra omnes aduersarios Sacramentis militaribus confirmantes.* Vt initio ergo, ab initio ante vnctionem, Sacramento obedientiam suam testatam fecerant *Othoni* secundo Regi electo & vncto, sed plenissimè in sequentibus: *Igitur ab integro, ab omni populo electus in Principem.* Ab integro, hoc est de nouo vel secundo electus. Designationem ergo Pontificis præcessit, & successio & electio: Solus ergo Pontifex nec designat, nec creat Imperatorem.

Qualis vero fuerat hæc designatio apud Vitichindum, dicat Lambertus Schaffnaburgensis *ad an. 967. Otho Imperator misit Legatos suos ad Wilielmum Archiepiscopum (Moguntinensem) & alios Principes, vt Othonem filium suum, cum omni dignitate regali, ad Italiam mitterent: quem ipse suscipiens, Romam perduxit, vt Papa Ioannes posterior Imperatorem faceret. Quod & fecit libenter.* Quod Vitichindo de-

signa e

ſignare eſt, hoc Lamberto facere eſt. Ideo in ſequentibus, Ad annum 972. Otho Iunior Imperator à Lamberto ſæpius dicitur. Deſignavit ergo & fecit Pontifex Othonem Imperatorem: ſed coronando tantum fecit, vt poſtea ſuo loco dicetur; Et deſignauit *Otho* pater: & præceſſit ius electionis, aut ſucceſſionis aut vtriuſque, Pontifex ergo ſolus non deſignat, ſolus non facit Imperatorem. Imo vero electio ſiue ſucceſſio ius imperij magis confert quam conſecratio, vel benedictio, vel coronatio Pontificis, electio enim vel ſucceſſio ad eſſentiam, coronatio ad cœremoniam ſpectat.

Etſi vero Regnum Germaniæ ſiue Romanorum diſtinguatur ab Imperio, electio tamen Regis Romanorum, ius Imperij tribuit Imperatori futuro vt multis probari poteſt, nec facile negabit ſanus quiſquam.

Verum enimvero; vnde dilapſus eſt *Bellarminus*? probandum illi incumbebat; quod *Leo* Imperium *Carolo* contulit: hoc quia non potuit, friuola quædam & verbalia, & Grammaticalia argumenta circa alios Imperatores, qui iure ſucceſſionis aut electionis ad Imperium prouecti ſunt conquiſiuit, vt populum faceret, & numero vincere videretur, qui pondere vincere non poteſt. De *Carolo* ſic dixit Vitichindus. *Imperator ex Rege creatus eſt*, ſed à quo, aut qua authoritate, aut quo iure creatus eſt, tacet, teſtem ergo mutum audimus, quia teſtimonium non audimus.

10. Eſt Luithprandus. Lib. 6. c. 6. Nihil ille de *Carolo*, aut Imperij tranſlatione, ſed de *Othone* 1. hæc habet: *A Ioanne Papa vnctionem ſuſcepit Imperij*; Non dicit ſuſcepit Imperium, ſed imperij vnctionem: & ſolebant Sacerdotes, Imperatores & Reges inungere. At inquit Bellarminus. *Non ſimplicem cœremoniam vnctionis, ſed nomen etiam & dignitatem Imperialem ſuſcepiſſe docet Luithprandus in his verbis: Piſſimo tunc Regi, nunc Auguſto Cæſari Othoni. Aeſi ante coronationem Pontificis Rex tantum, poſt coronationem Imperator & Auguſtus & Cæſar ſit.*

Eſto vero: Non ſit hęc nuda & ſimplex cœremonia vnctionis, quia nomen & dignitatem Imperialem confert: at hoc *Bellarmino* probandum erat, quod Imperium ipſum, & ius Imperij & poteſtatem ipſam conferat Pontifex. Hoc non eſt auſus dicere *Bellarminus* quia *Otho* & ius & poteſtatem Imperialem, (quæ eadem prorſus cum Regia) ante coronationem habuit: dixit ergo, quod dicendum erat: Nomen & dignitatem Imperialem ſuſcepit: non imperium ipſum, quod non in nomine vel titulo, & dignitate, ſed in iure & poteſtate & ditione conſiſtit. Acceſſionem nominis & dignitatis per hanc vnctionem ſuſcepit *Otho*, non iuris non poteſtatis.

Et hæc dignitas, nomen hoc Imperiale non ſolius Pontificis, ſed etiam Principum, & populi conſenſu collatum eſt, vt mox pluribus authoritatibus

ritatibus patebit. Idemergo *Othoni* quod pluribus alijs successoribus accidit, ante coronationem Reges Romanorum, vel Germanorum dicuntur, post coronationem, Imperatores, & Augusti & Cæsares. Quod si instituatur quæstio, an successio, siue electio, jus & potestatem Imperij tribuat, an vero coronatio & vnctio; non audebit credo *Bell.* affirmare, jus & potestatem vnctione, & coronatione ex jure diuino dari, quia vnctio & coronatio non sunt de jure diuino; & multi Reges & Imperatores sunt, qui nunquã vngentur, aut coronantur. Et acta Regũ & Imperatorũ quæ ante hanc coronationem, & inaugurationem fiunt, eodem jure valent & stabilia sunt, quo illa, quæ post vnctionem facta sunt.

Duo vero sunt, quæ ex hoc teste Luithprando lectori obseruanda sunt. 1. *Ioannes* iste Pontifex, vt in proximis verbis patet, *Othoni* Imperatori subiectus fuit, & eidem iuramentum fidelitatis præstitit: & subditus in temporalibus (necnon etiam in spiritualibus) Imperium superiori suo dare non potest. *Iusiurandum vero ab eodem Papa supra pretiosissimum corpus Petri, atq; omnibus ciuitatis proceribus, se nunquam Berengario atq; Adelberto auxiliaturum accepit*, & cap. 10. *Oblitus iuramenti, & fidelitatis, quam mihi supra corpus Sancti Petri promisit*, Sic Otho ipse. 2. Ioannes iste *iuste à suis Episcopis & omni plebe repudiatus*, (id quod probat ex iudicio Dei) ab Othone & Concilio depositus est; & proinde Imperatori, etiam in spiritualibus subiectus, idq; non propter hæresin aliquam, (nullam enim obijciunt) sed propter malos mores, vt multis c. 7. 8. 9. 10. patet manifeste vero, et disertis verbis c. 11. dicitur *Reprobato ob improbos mores Ioanne Apostata.* Talem testem qui Pontificum subiectionem, et Imperatorum in Pontificibus deponendis potestatem, aperte docet, *libenter* audimus.

Idem vero *Luithprandus* in vita *Leonis* hæc habet. *Posthac die natalis Saluatoris nostri ab omnibus predictus Rex Romanorum Imperator Augustus est constitutus, & à Papa nominato Pontifice coronatus, & ita eius tempore primum Romanum Imperium peruenit ad Francos.* Ab omnibus constitutus: non ergo à Leone solo: sic Luithprandus.

11. Est Hermannus Contractus: eius verba sunt. *Anno* 801. *Carolus Imperiali benedictione sublimatus Augustus, Cæsar Romano more sublimatur.* Miror quorsum hæc verba citat *Bellarminus.* Quid enim an mos Romanus erat, ante *Carolum*, vt Pontifex per benedictionem imperialem, sine electione, & consensu senatus, Principum, & populi, aut exercitus Imperatorem authoritate sua crearet? Verba ista *Hermanni* causam *Bellarmini* prorsus euertunt. Aut enim noua est hæc ratio noua forma Imperatoris creandi, qua, per benedictionem Pontificis sine præcedente electione siue successione legitima confertur Imperium, sicque falsus est *Hermannus*, quia non more Romano,

sed

ſed contra morem Romanum, per Pontificem ſolum, datur Imperium. Aut Romano more, id eſt poſt electionem, & conſenſum Senatus, procerum, populi, aut exercitus, per benedictionē Imperialem Imperator ſublimatur *Carolus*, & ſic ſa'ſus eſt *Bellarminus*.

At ſubuenit *Bellarminus* teſti ſuo: & quia de *Carolo* nihil ad rem dicit, eundem circa alios Imperatores producit: *Leo Papa obijt & Ludouicus Imperator à Stephano Papa factus eſt.* Hæc facta ſunt, 816. Anno tertio *Ludouici.* Verba vero præcedentia. *Ludouicus tertius Caroli Magni filius annis* 27. Sic triennio illo ante coronationem Imperator fuit *Ludouicus* iuxta *Hermannum*, & proinde *Stephanus Ludouicum* Imperatorem non fecit, qui antea Imperator non erat; ſed *Ludouicum* iam Imperatorem exiſtentem, *Stephanus* Papa Imperatorem fecit; id eſt coronauit, vel coronando fecit, ſiue declarauit. Facere hoc loco eſt coronare, non ius vel poteſtatem vel Imperium dare: quia triennio ante hanc coronationem *Ludouicus* Imperator erat, anno 26. qui eſt, 962. At de *Othone* primo dicit Hermannus. *Otho Rex ab Octauiano Ioanne Papa Imperator ordinatur.* Anno vero 25. qui eſt, 961. dicitur. *Otho Rex Romam veniens Imperator efficitur.* Prius efficitur Imperator anno 961. Anno Regni ſui 25. Anno vero 962. Regni ſui 26. Imperator à *Ioanne* ordinatur. Prius efficitur, poſt ordinatur, ordinatio iſta cæremonia fuit, & coronatio ſiue vnctio. At reipſa prius Imperator factus erat. Si hæc præcedentia attendiſſet *Bellarminus* nunquam iſta de *Othone* citaſſet, quia coronatio iſta non facit Imperatorem, ſed prius factum declarat.

Sequuntur verba eiudem *Hermanni, de Conrado*: ad annum 1026. *Conradus Rex filium ſuum Henricum Regem fecit, & ipſe Romam pergens Imperator efficitur.* Nulla hic Pontificis mentio. Imperator efficitur, ſed à quo, non dicitur; verba hæc nihil faciunt, ad Pontificis poteſtatem confirmandam. Nec dicit *Hermannus*, Data eſt noua poteſtas, aut nouum Ius ad Imperium: ſed Imperator efficitur. Quid vero *Conradus*, an deſijt Rex eſſe, cum *Henricum* filium Regem fecit? An incœpit Imperium tunc primum adminiſtrare, cum Romæ imperator efficitur? An potius ſicut apud *Hermannum* patet. Anni regni & Imperij *Conradi*, ſicut ſupra *Ludouici*, ſimul iunguntur ſine diſcrimine. Incœpit regnare, ſiue imperare anno 1024. quo moritur *Henricus* (de quo præciſe dicit *Hermannus*, ad Annum 1014. *Henricus Rex Romæ imperiali benedictione coronatur à Benedicto Papa*) regnauit annos fere 15. Anno 2. Romam pergens Imperator efficitur: nec tamen dicit *Hermannus*, quod regnauit annis duobus. Imperauit vero tredecim: ſed ſimul numerantur Anni Regni & Imperij. Coronatio ergo hæc eſt, non Imperij collatio.

12. Eſt Marianus Scotus, *lib.* 3. *Chronici*: eius verba de *Carolo Mag-*

no defenſionem Bellarmini prorſus euertunt. *Carolus hoc tempore à Romanis Auguſtus appellatus eſt.* A Romanis: non ergo à Romano Pontifice ſolo, niſi forte, vt Eccleſia in Pontifice eſt, vobis autoribus, ſic etiam & Reſpublica in Pontifice ſit. Actio hæc non ſolius & Solitarij Pontificis, ſed Romanorum, Pontificis & populi eſt, ſic *Bellarminus* teſtimonio teſtis huius plenè confoditur. Quinetiam apud *Marianum Scotum*, *Pipinus* pater *Caroli* ſæpius, ad annos ſcilicet 754. 757. 760. 767. 768. Imperator dicitur. Et tamen *Pipinus* nunquam à Pontifice Romano ſublimatus eſt.

„ At ſupplet *Bellarminus* textum teſtis ſui, gloſſemate ſuo. *Non repugnat Marianus Scotus reliquis Hiſtoricis. Carolus Auguſtus appellatus eſt, à Romanis omnibus, id eſt Pontifice, clero, Senatu & populo: ſed ordine ſuo: nimirum Pontifice præeunte cæteris ſequentibus: Leo Carolum Imperatorem inungit & coronat. Cæteri acclamatione probant.* Dicuntur iſta ſine Authore, non probantur: nec veriſimilitudinem habent: nec enim veriſimile eſt, populum acclamationibus approbaſſe coronationem Caroli, quam non præſciuit. Et verba illa *Senio & precibus populi*, ſatis docent populum præintellexiſſe, & decreto ſuo ſanxiſſe, & rogaſſe Pontificem, vt *Carolum* coronaret: (id quod poſtea fatetur *Bellarminus in Blondo*) non ergo præiuit Pontifex, ſed populus, & decreuit, & rogauit, & proinde præiuit Pontificem. Et *Carolus* vt ex *Mariano* manifeſtum eſt, tanquam Iudex Criminum Pontifici *Leoni* obiectorum ſedit, & vindictam in inimicos *Leonis*, authoritate vere Imperiali exercuit; & proinde reipſa, ante hanc coronationem Imperium poſſidebat.

At explicat ſeipſum Marianus, in alijs Imperatoribus, Lib. 3. ad annum 875. *Carolus Romam per veniens, datis Ioanni Papæ magnis muneribus Imperator factus eſt.* Quid audio? An *Ioannes* Imperium vendidit? accepit munera, Imperium, pene dixiſſem animam, dedit? factus eſt *Carolus* Imperator, ſed à quo: non dicitur hic à *Ioanne*: hoc ſolum dicitur de *Ioanne*, quod magna munera accepit, & licet ſolus *Ioannes* munera magna acceperit, fieri tamen potuit, vt *Carolus* non ſolum à *Ioanne*, ſed ab omnibus Romanis Imperator factus ſit, ſicut de *Carolo Magno* fatetur *Bellarminus*: Teſtimonium ergo hoc leue eſt, ſine pondere, immo ſine veritate. Nam quod Romani etiam pecunia corrupti conſenſum dederint teſtantur Sigebertus *ad Ann.* 876. Otho Friſingenſis *lib. 6. cap. 6.* Godfridus Viterbienſis *part. 17. anno* 878. & Malmesburienſis, *De geſt. Reg. Angl. lib. 2.* & in actis huius coronationis fatetur Papa, Senatus populique annisu & voto approbatum. At *Arnulphus urbem ingreſſus cum magno honore, à Formoſo Papa ſuſceptus, & ante confeſſionem ſancti Petri Imperator factus eſt.* Ad Annum 896. De hoc *Arnulpho*, vel potius *Arnoldo* ſupra dictum eſt ex *Rheginone*. *Arnulphus*

phus iſte, ſiue *Arnoldus*, partim conſenſu, vel proditione Pontificis, (tunc enim Mater *Lamperti* Ducis ſiue Imperatoris in vrbe erat) partim armis, et vi bellica Romam cepit, et iure gladij imperat: poſtea ab eodem Pontifice *Formoſo* Imperator factus erat. Præceſſit ius gladij, ſubſequitur coronatio; factus eſt Imperator per cœremoniam coronationis, qui prius iure belli Imperium invaſerat. Miſera eſt hæc cauſa, quæ patrimonio fraudum Pontificiarum, et armorum *Arnoldi* indiget.

13. Dodechinus *Mariani* continuator, qui de *Carolo* nè verbum quidem. De Lothario Henrici ſucceſſore, *ad annum* 1125. hæc habet. *Legati pro Rege confirmando Romam mittuntur.* Et *Lotharius* iſte pro *Henrico* Imperatore Moguntiæ conſtituitur, & Aquiſgrani à *Frederico* Colonienſi Archiepiſcopo coronatur. Conſtitutio præcedit, ſequitur coronatio. Et conſtitutio hæc non ſolum ius regni, ſed etiam Imperij dedit. Ideo Legati pro Rege confirmando Romam mittuntur. Si Pontifex dat Imperium, quare dicit *Dodechinus, mittuntur Legati pro Rege confirmando*, non pro Imperio conferendo. Quanquam vox illa confirmationis, in ipſo iure Canonico vix reperitur: verum aliud eſt conferre vel dare Imperium, aliud Imperatorem electum & conſtitutum, vel legitima ſucceſſione regnantem confirmare: confirmatur electus, vel ſucceſſor, qui per electionem vel ſucceſſionem ius habet & titulum: confertur Imperium ei, qui ius ſiue titulum, niſi ex ſola collatione Pontificis, non habet: probandum erat Bellarmino, Pontificem Imperium transferre poſſe, ad hanc rem demonſtrandam, ex hoc loco ſic arguat oportet.

Vt ſummum viridarij, lib. 1. cap. 163.

Pontificis eſt Regem electum ſiue conſtitutum confirmare.

Ergo, Pontificis eſt transferre, vel conferre, vel dare Imperium.

Quod ſi examinatio perſonæ, & electionis, & conſecratio, ſiue coronatio Imperatoris, de iure humano et poſitiuo, (nec enim de iure diuino hoc ad Pontificem ſpectare, audet dicere Bellarminus) ad Pontificem ſpectat: at electio, ſiue conſtitutio Imperatoris, (vel fatente Bellarmino) ad eos ſpectat, quibus iure debetur, ſiue ſucceſſio locum habeat, ſiue electio.

At (inquit Dodechinus, *ad annum* 1131.) *plenitudinem Imperij in eadem ciuitate Romanâ ſicut decebat, offerens Dominus Papa*: offerens; et ſicut decebat: Quid hoc eſt? ſicut decebat: tenebatur ergo coronare Imperatorem Pontifex ex officio: non ergo dat Imperium, ſed debitum et officium ſuum facit, cum electũ ſiue cõfirmat, ſiue coronat. Et qui Imperatorem electũ coronare negligit, et contemnit, reus eſt huius officij ſiue debiti neglecti. Pontifex iſte hanc Imperij plenitudinẽ offert: ſicut decebat, Impius ergo qui hanc plenitudinem rogatus denegat; *Tibi itaq; fili chariſſime,*

chariſsime, Henrice Rex, et nunc per officium noſtrũ Dei gratia Romanorum Imperator, &c. Sic Pontifex ad an. 1110. Pontifex ex officio plenitudinẽ hanc Imperij confert: ſi poteſtatẽ habet dandi Imperij, non tenetur ex officio cuiquã ſucceſſori, aut electo dare, ſed pro libito volũtatis cõferre poteſt, cuicũq; voluerit. At vnde Pontifex iſte tam humilis, tam humanus? neceſſitas procul dubio hanc humilitatẽ, vel potius humiliationẽ produxit: id quod verba præcedentia à *Bellarmino* omiſſa, ſatis docẽt, *Dominus Papa, Regem ad comprimendam tyrannidem Petri Leonis Apoſtolicæ ſedis inuaſoris, Romam inuitabat, plenitudinem Imperij offerens*, &c. vt ſupra; hinc fundi Pontificij calamitas, hinc Pontificis humilitas, plenitudinem Imperij offert, vt ipſe plenitudinem Pontificatus accipiat. At quæ eſt iſta Imperij plenitudo? an ius & poteſtas Imperij, ſiue Imperium ipſum, an pars aliqua Imperij à Pontifice ſuperaddenda? Si ſit ipſum Imperium, poteſtas ipſa, cur offert Pontifex, non imperium, ſed Imperij plenitudinem? Plenitudo enim inchoationem præſupponit, inchoatio plenitudinem requirit, habuit Lotharius aliquid Imperij cuius plenitudinem offert Pontifex; non ergo confert Pontifex Imperium ſed Imperij partem tantum. Plenum enim hoc loco non opponitur vacuo ſed inchoato. Quę ſit hęc plenitudo, explicat Dodechinus ad Annum 1133. *Imperator de Italia reuertitur, conſecratus ab Innocentio Papa, in Eccleſia Lateranenſi.* Conſecratio ſiue vnctio, ſiue coronatio papalis, plenitudo eſt Imperij quam offert Pontifex. Plenitudo ergo quoad ſubſtantiam et poteſtatem ipſam, in Lothario fuit, aliàs non rogaſſet Pontifex, vt Petri Leonis ſedis Apoſtolicæ inuaſoris tyrannidem comprimeret, non ſolent Pontifices auxilium eorum implorare qui poteſtatem legitimam non habent. Plenitudo cęremonialis, quæ vnctione, benedictione, & coronatione completur, Lothario deerat; & hæc eſt plenitudo quam offert Pontifex: ſicut etiam de *Henrico* quinto refert idem Dodechinus, ad annum 1111. *Poſt Paſcha à Papa Imperator conſecratur.*

At Fredericus Romæ ab Adriano Papa Imperator factus eſt: Sic Dodechinus ad annum 1155. ante dixerat: Fredericus fratruelis Conradi Regis regnauit ad annum 1152. Ibi ius Imperij, & proculdubio omnia Imperij negotia per tres annos ante coronationem obibat Fredericus: factus verò eſt Imperator per Pontificem, quando coronatus eſt Romæ. Sed factus non quoad eſſentiam, reipſa prius imperabat, & acta omnia Frederici ante hanc coronationem valida erant, ſed tantum quoad externam cęremoniam. De qua re in Lamberto plura.

Hiſtor. Germ. Ad annum 800.

14. Eſt Lambertus Schaffnaburgenſis, eius verba, quia eadem ſunt quæ Mariani Scoti, conſulto omiſit *Bellarminus*, nec ſine ratione, quia ipſum confodiunt. *Carolus à Romanis Auguſtus eſt appellatus.* à Romanis, non ergo à Pontifice ſolo. At de Othone 1. ſeipſum explicat. *Otho Rex perrexit Romam, eumq; Ioannes Papa gratanter ſuſcipiens, honorifice ſuper*

Cathedram

Cathedram Augustalem posuit, & benedictione & consecratione sua Imperatorem fecit. Verba ista postrema *benedictione & consecratione sua Imperatorem fecit*, rem totam expediunt; non dedit potestatem aut ius, quæ Imperatori necessaria sunt, quæq; prius habuit Otho, quiq; iudex fuit criminū *Ioanni* obiectorū, vna cum cōcilio, eundemq; postea deposuit, & ab eodem *Ioanne* iuramētum fidelitatis accepit; sed benedictionem & cōsecrationē accepit, et sic, qui prius reipsa imperabat, hac coronatione Imperator factus est. Benedictione & consecratione Imperatorem fecit, sed eo vsq; fecit quousque benedictio & consecratio Imperatorem facere possunt: id est coronando fecit vel declarauit *Othonem* Imperatorē, qui iure & potestate antea imperabat, & omnia munia Imperij sobibat, et sic intelligendi sunt omnes illi Historici, qui verbis *faciendi*, aut *ordinandi*, aut *sublimandi*, & similibus vtuntur, quæ potius ad solennitatem quam ad substantiam referuntur. Sic etiam idem *Lambertus*, *ad annum 996.* de *Othone* tertio dicit. *Otho Rex contra Crescentiū Romam tendit, vbi Brunonem in sede Apostolica constituit: à quo & ipse Imperator factus est.* Otho ille 3. Imperialem habuit potestatem, qua *Brunonem* in sede Apostolica constituit, & postea à *Brunone* Imperator factus est, id est coronatione factus, qui antea Imperator reipsa erat; alias *Brunonem* in sede Apostolica legitimè collocare non potuit. Præterea, Quomodo *Brunonem* in sede Apostolica constituit? An sine electione Cleri & eorum quorum intererat? Qui & Consulem *Crescentium* eiecit quem postea decollauit, & cum duodecim suis ante vrbem suspendit, & *Ioannem* Pseudo-Papam occæcauit, sicque in Clericum potestatem coactiuam exercuit, potestatem ergo Imperialem ante coronationem habuit *Otho* 3. Quid vero Henricus 3. *Rex* (inquit Lambertus) *Ad annum* 1047. *Natalem Domini Roma celebrauit, vbi depositis tribus, qui sedem Apostolicam contra regulas Ecclesiasticas inuaserant, Sutigerum Babenbergensem Episcopum, Vicarium Apostolorum constituit, à quo in die sancto ipse vicissim cum Agnete Regina Imperiali nomine & honore est donatus.* Ecce *Henricus* primum constituit verum Pontificem & tres Pseudo-Pontifices deponit, & tandem á Pontifice illo, quem ipse constituerat, Imperator constitutus est, & honore & nomine Imperiali donatus. An Pontifex, qui nomine & honore Imperiali, Henricum & Agnetem donauit, & Henrico & Agneti potestatem, et ius Imperij donauit? An Agnes etiam potestatem Imperij habuit? nomen & honorem donat, sed Imperatori Imperialem potestatem habenti donat. Testis ergo iste noster est, nostras partes agit.

15 Est Otho Frisingensis: eius verba sunt: *Anno ab incarnatione Domini 801, ab orbe condita, 1552. Carolus rex 33. Regni sui anno, à summo Pontifice, ablato Patricij nomine, coronatus, omni populo tunc acclamante, Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Romanorum*

* *Imperatori, vita & victoria: 69 ab Augusto, Imperator, & Augustus vocatur. Ex hinc Regnum Romanorum quod à Constantino, usq; ad id tempus in urbe regia, sc. Constantinopoli fuit, ad Francos derivatum est.* In his verbis tria vidit *Bellar.* quæ summo Pontifici tribuuntur. 1. ablatio minoris dignitatis, patriciatus sc. 2. Coronatio. 3. Appellatio Imperatoris & Augusti: at populo Romano sola acclamatio datur. At in verbis *Othonis* non constat, quis nomen Patricij abstulerit. Solum dicitur *ablato Patritij nomine*, coronatio propria est Sacerdotum: Appellatio Imperatoris & Augusti communis est Pontifici & populo. Vtrum vero Pontifex ista authoritate propria, an vero & consensu populi fecerit, sicut non affirmat, sic nec negat *Otho.*

Quod autem *Carolus* ius & potestatẽ Imperij ante hanc coronationẽ habuerit, ex eo patet, quod sicut alij, sic & *Otho* restitutionẽ *Leonis*, & purgationẽ eiusdẽ de criminibus sibi obiectis coram *Carolo*, narrat. Neq; vero distinguit *Otho* inter imperium et regnum, sicut in alijs Historicis observat *Bellar.* Non dicit: Imperium Romanorum, ex hinc ad Francos deriuatum, sed Regnum Romanorum: et regnauit *Carolus* annis pluribus in Italia, ante hanc inunctionem. An Henricus iuxta *Othonem*, non Imperator, sed Rex tantum fuit: donec à *Guiberto* Antipapa coronaretur: & potenter potius quam iustè ad Imperium sublimatus est quia a Guiberto Pseudopapa coronatus est: nec potuit Pseudopapa verum facere Imperatorem? Verba *Othonis* sunt, *Ad quod tamen potenter magis quam iustè à Guiberto capta vrbe sublimatus fuerat.* Narrat hoc loco *Otho*, quod á filio & Archiepiscopis *Henricus* 4. insignibus Imperij spoliatus sit, siue commonitus, siue circumuentus. Qua de re supra satis dictum est.

Quod vero nomen Imperatoris ante coronationem nulli communicatur, & Historici docent & praxis confirmat: sed de iure et potestate quæstio nostra est; quæ duo in Imperatore præextitisse, omnium consensu est manifestissimum, alias á Pontifice *Gregorio 7.* deponi non poterat, nec enim potest potestate & Imperio priuari, qui potestatem et Imperium nõn habet.

At potenter magis quam iustè à Guiberto coronatus est, Quod potenter *Henricus* 4. vrbem Romam ceperit, & *Gregorium* depositum in exilium egerit fatẽtur omnes: Quod iustè, hoc est merito suo *Gregorius* deponitur et exulat supra C. 9. 10, et multis authoritatibus et rationibus probatũ est, quid de depositione *Henrici* senserit *Otho*, suo etiam loco ostensum est, cap. 10. Illud hoc loco quærendum est, quæ sit sententia Othonis de hac Henrici per Guibertũ sublimatione, *potenter magis quam iustè*, Sic in verbis à Bellarmino citatis Otho, at sequentia omisit Bellarminus. *Quæ omnia, vtrũ licite, an secus acta sunt, nos non discernimus, sunt tamen qui credunt ea ad probationem, non ad damnationem, hanc tentationem circa finem sum*

conti-

contigisse : affirmantq; ipsum Eleemosynis, ac multis misericordiæ operibus à Domino meruisse, vt excessus eius, lasciuaque ex fastigio regni conuersatio, hoc modo in præsenti puniretur. In hac causa ergo nihil decernit *Otho*, et verba ipsa definitiua non sunt, sed comparatiua, *potenter magis quam iuste*: id est plus potentiæ quam iustitiæ in hac sublimatione, iustitia tamen; Ideo post hanc coronationem à *Guiberto* factam, *Otho Henricum* Imperatorem appellat, vt cap. 8. & 11. huius libri sæpius patet, et ius, & potestas Imperialis in *Henrico* ante hanc coronationem extitit, & omnia munia Imperii Rex obijt, ante vnctionem papalem. Et *Otho* tanquam partibus *Henrici* addictior malè audit à *Bellarmino*.

Quod ergo de hac Coronatione dicat *Otho, potenter magis quam iustè*, non ad substantiam sed ad solemnitatem & cæremoniam referendum est. Imperatores omnes à *Constantino* ad *Carolum*, á Patriarchis Constantinopolitanis vncti & coronati sunt. At hi omnes Imperatores veri erant, & non magis potenter quam iustè, ad Imperium sublimati sunt. Si de iure diuino Papa Romanus, Imperium conferat, & coronando conferat, á *Constantino* magno vsque ad *Carolum*, verus non extitit Imperator, quia á Pontifice Romano coronatus non est. Et si Pontifex Romanus Imperium de iure diuino non conferat, concidit causa *Bellarmini*, Ius humanum & consuetudinem loco iuris diuini naturalis substituit. Imperatores omnes occidentales á *Carolo* ad *Henricum* hunc 4. eiusque Successores à Pontificibus Romanis coronationem vltimam, siue ex constitutione aliqua, siue ex consuetudine acceperunt: nec enim aut coronatio ipsa, aut coronatio per Pontificem Romanum, de iure diuino est. Ad Pontifices ergo Romanos, eosque veros, de iure positiuo vel consuetudine spectat coronatio Imperatoris, sicut ad Cantuariensem coronatio Regis Angliæ, ad Rhemensem coronatio Regis Franciæ eodem titulo spectat. Quinetiam quia *Zacharias*, partes suas in coronatione *Pipini Bonifacio* mandauit, ideo Successores sui hoc titulo, coronationem Regum suorum vendicant. Quod si *Gregorius* 7. depositus, per potentiam *Henrici* 4, verus tamen permansit Pontifex, *Guibertus* vero Pseudo-Pontifex; recte dicere potuit *Otho* potenter magis quam iustè sublimatus est *Henricus* 4. non quod iniuste Imperium obtinuerit, sed quod á Pseudo-Pontifice vnctus sit. Iniuste fecit *Guibertus*, si falsus Papa fuerit, qui officia Pontificis Romani de iure positiuo vel consuetudine, eidem pontificatui annexa, vsurpauit: Iusta tamen fuit de iure diuino, & potestas & sublimatio *Henrici*, quia coronatio ad essentiam Imperij non spectat, & effectus consecrationis idem, de iure diuino, siue à Pontifice Romano, siue á Patriarcha Constantinopolitano siue Rhemensi, siue á Cantuariensi Antistite, siue á quouis alio Episcopo peragatur: *Iuste* ergo apud *Othonem*, non ad iustitiam diuinam, sed ad constitutionem siue consuetudinem humanam referendum est. Quod

si Rex Franciæ neglecto, aut non existente Rhemensi Archiepiscopo, aut Rex Angliæ prætermisso Cantuariensi ab alio suæ vel etiam alienæ ditionis Episcopo, coronationem & vnctionem Regalem susciperent; an ideo aut non Reges, aut iniustè Reges erunt? Iniustitia ergo hæc, quia in ijs quæ ritè, non in ijs quæ rectè fiunt, in ijs quæ ad solennitatem & ordinem, non in ijs quæ ad substantiam spectant, consistit, nec coniugium inter Imperatorem & populum impedit contrahendum, nec contractum dirimit; & proinde *Henricus* 4. vere imperat, etsi in modo coronationis vox hæc *Othonis*, *Potenter magis quam iuste* ratione Antipapæ coronantis, & consuetudinis alicuius vel constitutionis humanæ locum habeat.

Exemplo res erit manifesta. Ad Archiepiscopum de iure vel consuetudine spectat consecratio omnium Episcoporum suæ Prouinciæ; at nolente, aut non existente Archiepiscopo, Episcopi illi, qui ab alijs inferioribus Episcopis consecrãtur, veri sunt Episcopi, & tamen iniustitia aliqua, in ordine siue modo subesse potest, quia ab Archiepiscopo siue Metropolitano non ordinantur. Pari ratione Imperator á vero Episcopi etsi Antipapa aut Pseudo-Papa coronatus & inunctus, verus est Imperator, etsi quoad formam & personam consecrantis, subesse possit iniustum.

16. Est Gotefridus Viterbiensis in Chronico par. 17. In eius verbis nihil ad rem. *Carolus Magnus à Leone tertio summo Pontifice coronatur, omnipopulo tunc laudes acclamante, & laudes Imperiales canente*: Non enim negat consensũ populi præcessisse, sicut alij historici affirmant: & purgationem *Leonis* coram *Carolo* narrat: et Italiam á *Carolo* subactam prædicat, Sic iure belli regnabat. Et inter illam regalem, et hanc Imperialem potestatem, discrimen quoad rem nullum, nomine tantum discrepant, et in versibus sic *Gotfridus* iste.

Ast quia complacuit populo me laude leuari,
Papaq; Cæsarea voluit me sorte sacrari.

Ibi leuatio populo, sacratio Pontifici tribuitur.

Tollere sic nomen curia tota manet.

27. Est Vrspergensis, Atque is quidem verba *Eginarthi* recitat, et ter nominis Imperialis susceptionem, sicut supra obseruatum est inculcat & restaurationem status Ecclesiastici, cuius causa Romam venerat, á *Carolo* propositam memorat, atque hæc non subiectionem sed superioritatem Imperatoris loquuntur. Præcipua verò aduentus huius *Caroli* causa fuit, non vt Imperium susciperet, sed vt de criminibus *Leoni* obiectis iudicaret. Ideo vti Vrspergensis *Concione vocata omnibus cur veniisset, patefecit, inter quæ potissimum erat, de discutiendis quæ obiecta sunt Pontifici criminibus.* Ista omnia prætermisit *Bellarminus*, quia causam suam confodiunt; vrget vero alia

lia verba Vrſpergenſis. *Cum enim pro calumnia Leoni Papæ ingeſta, Romam veniret, nihil minus ſperanti, Leo Papa coronam impoſuit, & Imperatorem Romanum pronunciauit.* Reliqua de populi acclamationibus omittit *Bellarminus*, quia aperte apud *Vrſpergenſem* conſtat, quod laudes & acclamationes populi vnctionem & proclamationem præceſſerint. *Poſt quas laudes* (inquit Vrſpergenſis) *vnctus eſt ab Apoſtolico & antiquorum more Principum ab eo adoratus.* (Ecce ibi manifeſtiſſimum ſignum ſubiectionis in Pontifice) *ablato Patricij nomine, Imperator, & Auguſtus appellatus eſt.* Poteſtas ergo Imperialis in *Carolo*, & ante coronationem quia iudicat de criminibus *Leoni* obiectis; & in coronatione, quia ante finitam vnctionem & appellationem, à *Leone* adoratus eſt. Et in laudibus & acclamationibus populi, conſenſus, & approbatio, vnctionem & appellationem præceſſit: nihil ſua ſolis authoritate fecit *Leo*, ſed vna populus & conſentit & approbat & laudat. Etſi ergo dicat *Vrſpergenſis* de *Leone* Anno 801, *Hic Carolum fecit Imperatorem.* Et de Carolo Caluo 875. *à Ioanne Papa Imperator efficitur.* Et de Othone Anno 962. *Imperator à Ioanne Papa factus eſt.* De coronatione tamen et inunctione ſiue conſecratione tantum intelligendus eſt. Nam et vterque et *Carolus* et *Otho* poteſtatem reipſa imperialem, ante hanc vnctionem habuerunt, et *Otho Ioannem* iſtum in Concilio depoſuit: de verbis his *fecit*, et *factus eſt*, et *efficitur*, dictum eſt ſatis ſupra.

18. Eſt *Lupoldus Babenbergenſis*, priora verba ſunt, De iure Regn. et Imperij Rom. in Procœmio. *De ſacri Regni & Imperij Romanorum Iuribus, à tempore & poſt tempus tranſlationis ipſius Imperij de Græcis Imperatoribus in perſona Caroli Magni ad Reges Francorum, & inde ad Germanos, per ſacroſanctam Romanam Eccleſiam facta.* Hoc forte eſt Bellarmino per Pontificem ſolum. At Eccleſia Romana, et clerum et populum Romanum denotat, vt poſtea patebit; noua hæc eſt locutio: per Eccleſiam Romanam, id eſt, per Pontificem, non poteſt *Bellarminus*, aut alius quiſquam hanc interpretationem ex patribus, et antiquitate deducere, et Lupoldus Cap. 10. ſeipſum explicat. *Eiuſdem etiam Adriani Papæ tempore, Carolus factus per ipſum in ſancta Synodo Romæ habita Patricius Romanorum*, vt *patet etiam ex dicto Cap. Adrianus.* Eccleſia ergo non Pontifex ſolitarius, ſed Pontifex et Synodus, apud *Lupoldum.* Hæc ergo verba parum proſunt, audiamus poſteriora.

Poſt dictus Carolus pro atrociſſima iniuria huiuſmodi vindicandi, Romam veniens, dum in ſanctiſſimo die natalis Domini, Anno Domini eiuſdem 801. in Eccleſia ſancti Petri ab oratione ſurgeret, Leo Papa prædictus coronam imperialem capiti eius impoſuit, & à cuncto populo Romano, tunc acclamatum eſt:

Carolo

19. Est Palmerius in Chronico Anni 801. eius verba sunt, *Carolus à Pontifice Augustus est appellatus, & obliteratum iam pene in Italia Romanum Imperium resumpsit, &c.* Vbi de sola appellatione siue nomine loquitur: vnde addit Palmerius, *Carolus recepto Imperatorio nomine, &c* Nam de potestate supra dixerat in proxime præcedentibus verbis. *Leone Pontifice à Romanis per iniuriam electo, Carolus magnus in Italiam rediit, ipsumq; in vrbem dignitatemque restituit.* Carolus ergo potestatem Imperialem ante hanc appellationem habebat.

20. Blondus Decad. 2. lib. 1. eius verba sunt, *Leo Pontifex populi Romani scito precibusque, Carolum Imperatorem Romanorum declaratum, diademate, vetusto Imperatorum capitis gestamine coronauit.* Tunc recenset trinam populi acclamationem, *Carolo Augusto, &c.*

21. Æneas Syluius in abbreuatione Blondi: qui eadem verba habet.

22. Est Platina, qui in vita Leonis 3. eadem pene verba habet: Atque hi tres *Blondus, Æneas Syluius*, & *Platina*, cum multis alijs quos suo loco citabimus, directe contra *Bellarminum* testantur: vtpote qui, non solum potestatem Regiam & Imperialem in *Carolo* præexistentem, sed etiam consensum, addo etiam, & scitum siue decretum populi præcedens ante coronationem & vnctionem constanter narrant; nec hoc scitum siue decretum populi narrassent, nisi tale scitum extitisse certo scirent. Hoc vidit Bellarminus & proinde testium suorum fidem & authoritatem eludit triplici responsione. *Hic*, inquit, *primum inuenimus, scitum populi Romani nominatum in creatione Caroli Imperatoris.* Si verba & apices sectetur Bellarminus, forte verum esse potest, quod hic respondet, prima mentio sciti in his authoribus fit; si rem ipsam, hoc est consensum & approbationem & decretum populi consideremus, tres sunt antiquiores in hoc numero testium Bellarmini, qui hoc ipsum dicunt. Marianus Scotus, & Lambertus Schafnaburgensis, eisdem pene verbis sic asserunt, *Carolus à Romanis Augustus appellatus est*: an à Romanis sine consensu eoque publico & explicito appellatus est, quod quid est aliud, quam scitum siue decretum? & Gotefridus Viterbiensis.

Ast quia complacuit populo, me laude leuari; Et item.

Tollere sic nomen, curia tota monet.

Quinetiam omnes alij historici antiqui: qui populi acclamationem & laudes narrant, reipsa idem fatentur. Incredibile enim est, vt populus laudibus & acclamationibus *Carolum* Imperatorem persequeretur, aut ad coronationem *Caroli* acclamaret, *Carolo Augusto à Deo coronato, magno & pacifico Imperatori Romanorum, vita & victoria*, nisi & hanc coronationem Imperialem fuisse presciisset, & in hanc coronationem consensisset. Primi ergo non sunt *Blondus, Æneas Syluius, et Platina* qui huius consensus, siue sciti populi, quoad rem ipsam, mentionem faciunt.

2. His

fuit: *Leo* propter restitutionem suam à *Carolo* factam tenebatur vices *Carolo* recompensare: ideo calcaribus, aut precibus non indigebat, vt scito & precibus populus ab eo Imperij translationem, & Imperatoris Coronationem peteret, hoc enim erat currentem incitare, Id potius significare videtur vox illa, precibusque Carolum inuitum & reluctantem Imperium suscepisse, ideo Eginarthus: *Augusti nomen auersatus est, in tantum, vt affirmaret se eo Die, Ecclesiam non intraturum, si Pontificis consilium præscire potuisset.* Nolens ergo Imperium capescit *Carolus*: volens *Leo* Imperium offert; vt ergo precibus populus *Leonem* rogaret, vt Imperium transferret, Imperatoremque *Carolum* coronaret, nulla subest ratio. Vt Carolum nolentem, & Imperium auersantem populus precibus rogaret, ratio suadet. Præterea vt sine ratione, sic sine authore dicit *Bellarminus*, populum precibus à *Leone* contendisse, vt *Carolum* Imperatorem crearet, & scitum & preces ad declarationem Imperatoris, non ad Leonem referri debent: *Leo* enim consilium suum clero, et populo communicauit, & populi consensum & approbationem potius petijt, quam populi preces expectauit. Et quis concionem populi conuocauit, in qua hoc scitum, preces istæ, Leoni fiunt, nisi *Leo* ipse, qui sub Imperatore siue Rege (vel vt vobis placet, super Regem) Rector ciuitatis in temporalibus fuisse, à vobis perhibetur? Et Carolus qui iure belli totius Italiæ regnum obtinebat, Romam ipsam non subegit, sed consensu Pontificis & populi obtinet, icto nimirum cum Francis fœdere, quibus vectigalia, Imperatoribus Græcis pendi solita, soluebant Itali: Et *Leo* ipse huius concionis, huiusque sciti, harum precum, pars præcipua: nec *Leonem Leo* precibus rogat, vt *Carolo* Imperium deferat: nec cuiquam licuit, inconsultò inuito aut potius non iubente *Leone*, concionem conuocare, & de summis Ciuitatis, & Reipublicæ, imo potius Imperij negotijs tractare; si vera sunt, quæ de principatu Pontificis temporali, etiam ante *Caroli* tempora tradunt Pontificij. Et nouum est hoc scitum, & forte etiam inauditum, vt populus decerneret, vt precibus à *Leone* peterent, vt ipse Imperatorem crearet, qui nunquam ante hoc tempus, tale quicquam tentauit.

3. Incredibile est, ut populus precibus á Pontifice contenderet, vt ipse qui solus Imperatorem facere poterat, Imperium à Græcis ad Francos transferret. Quomodo enim hoc nouerãt populus, quod solus Pontifex Imperatorem facere, & imperium transferre poterat? potestas ista Imperij dandi & transferendi per Pontificem in Scripturis expresse siue explicitè non habetur; traditio talis Ecclesiastica nulla profertur, nemo patrum ante hoc factum Scripturas sic interpretatus est. *Gregorius* 7. post mille annos, duas allegorias *ligandi* & *pascendi*, primus sic detorsit, contra omnem antiquitatem, nunquam hoc á quoquam Pontifice factum est.

eſt. Senatus & populus, aut exercitus populi pars fortior, quandoque Imperatores electione ſua fecit: quandoque electio, quandoque ſucceſſio, quandoque adoptio fecit Imperatores: multi ad Imperium, ab Imperatoribus aſciti ſunt. Non datur, ne vnũ quidẽ exemplũ Pontificis, qui Imperiũ cuiquã aut contulit aut tranſtulit. Omnes Imperatores & Ethnici & Chriſtiani, aut ſucceſſione aut electione, aut adoptione, aut gladio ad Imperium aſpirarunt, è Pontificibus nemo ſic docuit ne *Zachariam* quidem, qui Regnum Francię authoritate ſua *Pipino* contuliſſe (vobis authoribus) dicitur. Imo *Zachariæ* nimium ius populo tribuit. Apud Aventinum lib. 3. *Plebes Regem inſtituit, eundem & deſtituit. Quicquid habet, populo acceptum referat*, Parce *Bellarmine*: Non decet Cardinalem Cathedraticum, iſta ſine authore, ſine ratione affirmare. Quid enim, ſi populus Romanus hoc nouerat, Pontificem ſolum Imperium transferre poſſe. Annon itidem noverat, Pontificem ſolum, omnia Imperia ſiue regna mundi, aut ſaltem Eccleſiæ, eodem iure, diuino ſcilicet dare, conferre, & transferre poſſe?

Anguſta nimium hęc eſt limitatio, qua Pontificis poteſtas intra fines Imperij Romani, aut Italię coarctatur. *Paſce oves, paſce agnos*, id eſt omnes. *Quicquid ligaueris*, liga Italos, aut Romani Imperij ſubditos, hoc parum eſt, liga omnes, Italos, Græcos, Anglos, Francos, Germanos, Hiſpanos, Polonos, Danos, Muſcouitas, omnes vbique per vniuerſum orbem Chriſtianos. Aut omnia Regna Eccleſię confert & transfert Pontifex Romanus, Epiſcopus & vicarius vniuerſalis, de iure diuino, aut Imperium Romanum de iure diuino, nec confert, nec transfert; aut poteſtatem ſuper omnes oues &, agnos, Reges & ſubditos *non* accepit.

Qui vero ſcire potuit populus Italiæ, vel vrbis Romanæ, quod Pontifex Imperium ſiue Regnum Romanorum conferre, vel transfert potuit, qui alia Regna Chriſtiana nec confert nec transfert. Explodendum ergo eſt hoc commentum *Bellarm.* affirmantis populum à Pontifice ſcito & precibus contendiſſe, vt Imperium ad Francos transferret: cum Pontifex hanc poteſtatem in Imperio ante hanc tranſlationem nunquam exercuit; nec quiſquam Imperator hoc modo ab vrbe condita conſtitutus ſit, nec quiſquam alius Rex Chriſtianus à Pontifice (excepto ſolo *Pipino* qui tamen per electionem populi creatur) ante hoc tempus ſine electione populi conſtitutus eſt, Somniantis hæc ſunt, aut delirantis reſponſa, niſi aliquo certo argumento euincat hanc poteſtatem, aut per Scripturas, per traditionem, aut per praxin populo Romano, temporibus *Leonis*, et *Caroli* cognitam et exploratam fuiſſe. Non ſunt hoc dictata Doctiſſimi et laudatiſſimi Cardinalis *Bellar.* ſed aut Amanuenſis aut *Typographi* errata, fictio iſta eſt, non reſponſio.

Sic

Sic tres isti *Blondus, Æneas Sylvius, Platina*, á *Bellarmino* producti, nostri sunt, nostras partes agunt. Et *Æneas Sylvius* alibi, Lib. de ortu Imperij, c. 9. aperitius. Populus ille Romanus, qui suo sanguine tantum pararat imperium, qui suis virtutibus Monarchiam fundauerat orbis, venientem in auxilium eius *Carolum Magnum* Francorum regem, natione Germanum, qui vrbem, sacraq; loca ab omni hostium incursione defendit, primo Patricium, post Augustum concurrente summi Pontificis consensu salutauit Cæsarem.

23 Est Ioannes Trithemius, *In catalogo Scriptorum in Leone*, eius verba sunt. *Leo 3. Carolum cognomento & opere Magnum, ad Imperium vnxit, & hanc dignitatem à Græcis ad Francos transtulit.* Et hic de vnctione loquitur, & non negat consensum, aut scitum populi, ante vnctionem, sicut nec laudes, nec acclamationes negat post coronationem, nec valet argumentum hoc ab authoritate negatiuè. Trithemius non narrat consensum populi: ergo *Carolus* consensu populi ad Imperium promotus non est. At *lib. de origine Francorũ*, postquã narrasset, hanc coronationem et acclamationem et quomodo á Pontifice adoratus est, tandem concludit: *Imperator & Augustus appellatus est, multarum fauore gentium*, Ibi exprimitur consensus populi. Quid uero de hac potestate senserit Trithemius, habes supra, l. 1. c. 1. & 8.

24. Est Antoninus, eius verba sunt. *Carolus Magnus primus Francorũ Romanum Imperium accepit, conferente sibi illud seu confirmante Leone Papa.* Atq; hic hæret Bellarminus in verbis testis sui, non placet testimonium, *confirmante Leone Papa.* Confirmatio subsequitur collationẽ, siue constitutionem, siue electionem, siue plenitudo præsupponit inchoationem. Ideo interpretatur Bellarminus testem suum. Confirmat Leo imperium, id est, *non solum ius dat nouo Imperatore, ad ea quæ nondum acquisierat, sed etiam confirmat quod acquisierat*, Et quid opus confirmatione eorum quæ acquisierat, si iustè et legitimè acquisita sint? Et iuste acquisierat *Carolus* Regnum Italiæ et potestatem Imperialem, aut iniusti fuerunt Pontifex et populus, qui eius opem implorarunt, et in eundem consenserunt, et iniustum fuit bellum, quo *Carolus Desiderium* et Longobardos debellauit. Verum captus est *Bellarminus* in horum verborum explicatione. *Confert ius nouo Imperatori ad ea quæ nondũ acquisierat*, & reuera nunquam postea acquisiuit: tale ius, non ius est, quia ius ad nihilum, *confirmat ad ea quæ acquisierat*: non ergo dedit ius ad Regnum Italiæ, et potestatem in ea Regalem, siue Imperialem, quam ante hanc confirmationem habuit, nec enim hac collatione siue confirmatione, aucta est potestas Caroli: ius ergo Imperij siue regni, siue potestatis regalis et imperialis non contulit *Leo*: sic testis iste totam defensionem Bellarmini euertit.

Præterea verba illa: *seu confirmante*, correctio sunt prioris illius

vocis

vocis *conferente*: contulit Leo, hoc nimium: contulit seu confirmauit, & confirmatio est eorum quæ sunt, & jure aliquo sunt. Corrigit ergo & reuocat se *Antoninus*: non contulit Imperium, sed confirmauit. Et vox ista, confirmationis, Historicorum vox est, non Iurisiarum si vera narrat *Author Somnij Viridarij*, vox hęc confirmationis in iure Canonico non reperitur. Examinat personam electam, forte etiam, & formam electionis, sed non confirmat, solum electionem legitime factam declarat, non confirmat, quia ipsa electio legitima, sine hac personæ, aut processus examinatione ex reipsa satis firmitatis & roboris habet, & ius legitimum confert. Confirmatio ergo ista iuris per Pontificem, ius ipsum *Caroli* præcessisse satis confirmat. Quod ad vocem illam *conferendi* attinet, contulit Leo, sed non solus, an sua potestate, an nomine totius populi (nec enim valet argumentum hoc ab authoritate negatiue) an vero vt minister & præco & vox totius populi, quia primas in Ecclesia & Princeps temporalis in Republica, hic vero silet Antoninus. Et proinde testis iste nihil dicit ad rem, & non contradicit ijs, qui hanc translationem factam à Romanis, scito & precibus populi asserunt, vt post patebit.

25. Est Ioannes Nauclerus: Generat. 27. *Eodem die* (natali Domini) *Imperium Romanum à Græcis in persona Caroli magni translatum est in Germanos.* Et nemo hoc negat, si plenitudinem Imperij, id est nomen & dignitatem spectes: nam ipsum Imperium & potestas Imperialis iure belli, & consensu populi translatum est, cum *Desiderius* victus, & Italia subiugata, & Itali in potestatem *Caroli* se tradiderunt. De hac re, non iam controvertitur, sed quæritur. In hac ipsa plenitudine, in qua nomen & dignitas Imperialis collata seu confirmata est, quis transtulit, & qua potestate transtulit? Atque hic parum fidelis Bellarminus, verba enim præcedentia omisit, quæ rem totam expediunt. *Leo Pontifex considerans &c. ea propter inter ipsa missarum solennia eo die in basilica S. Petri Pontifex populi Romani consensu, Carolum Imperatorem Romanum declarat, & diademate coronat: ter acclamante populo Romano, Carolo Augusto, &c.* tunc sequuntur verba citata.

Ecce *Nauclerus* ista à Pontifice facta, cum consensu populi narrat, *Nauclerus* ergo totus noster est, sicut *Marianus* & *Lambertus* & *Gotefridus*, & *Blondus*, & *Æneas Sylvius*, & *Platina*, vt supra dictum est.

At Nauclerus in alijs verbis, Ecclesiæ Romanæ magis propitius: *Sic Monarchia mundi quæ stetit apud Græcos, quingentos fermè annos, residet apud Germanos, non sine felici auspicio Ecclesiæ Romanæ.*

Esto vero, fiat hęc translatio Imperij à Græcis ad Germanos, fœlici auspicio Ecclesiæ Romanæ, at Ecclesia Romana non est Pontifex solus & solitarius, sed Pontifex cum clero & populo Romano: alias angusta nimium est Ecclesia Romana, si sola Ecclesia Romana sit vera Ecclesia, &

Pontifex

Pontifex ſolus ſit Eccleſia Romana, cum Pontifex ſolus regnum cœlorum intrat, quid fiet de Cardinalibus & Clero et populo Romano, an foras excludentur cum canibus? abſit hoc: Eccleſia Romana nomen collectivum eſt, & Pontificem, et Clerum, & Populum Romanum continet: et *Carolus* ab *Adriano* in Concilio Patricius dictus eſt: & Imperator declaratur à Pontifice cum conſenſu populi: hoc eſt fœlix auſpicium Eccleſiæ Romanæ, id eſt, Pontificis & Cleri et Populi, quorum poteſtate tranſlatio iſta facta eſt. Sic *Nauclerus* vtrobique noſter eſt.

26. Eſt *Robertus Gaguinus* compendij de rebus geſtis Francorum lib. 4. eius verba ſunt. *Carolus Pontificem reſtituit, Reſtitutori ſuo gratificaturus Leo* 3. *Sacerdotum habito conſilio*; *Carolum*, 8. *Calendas Ianuarias cum Francorum Regnum* 33. *annos adminiſtraſſet, Auguſtum appellat, gratum nomen Romanis, &c.*

Atq; iſte *Gaguinus* ſicut et *Nauclerus*, & cæteri ſupra notati, totus noſter eſt. Pontifex *cum conſenſu populi*, ſic *Nauclerus*: Pontifex *habito Sacerdotum conſilio*: ſic *Gaguinus*: An Pontifex ſolus tranſtulit Imperium, qui cum conſilio Sacerdotum & conſenſu populi Carolo contulit? Nimium cæcutit *Bellarminus* qui tot teſtes contra ſeipſum producit.

27. Eſt *Philippus Bergomenſis*, in ſupplemento lib. 10. eius verba ſunt. *Pontifex infamia liber, Carolo aliquam relaturus gratiam, cum videret Imperatores Conſtantinopolitanos agrè id nomen tueri, Idibus Decembris Anno ſalutis noſtræ* 800. *in Baſilica B. Petri, poſt ſacra ſolennia à populo Romano precibus rogatus, Carolum Imperatorem declaratum Diademate coronauit, acclamante ter populo Carolo Auguſto, &c.* obſeruavit *Bellarmin.* quomodo *Philippus* iſte *Bergomenſis* cum alijs Hiſtoricis pugnat in Chronologia, quia hanc coronationem factam anno 800. narrat, contra conſenſum omnium aliorum, qui hanc inaugurationem ad annum 801. referant: ſed non obſeruat quomodo contra ſententiam ſuam directe loquatur, qui *Carolum* Imperatorem declaratum rogatu ſiue precibus populi, ante coronationem narrat, et non potuit populus precibus à Pontifice contendere, vt *Carolum* Imperatorem et declararet, et conſecraret, niſi prius in eundem aut tacitè aut expreſsè conſenſiſſet. Quod ſi fideliter in hac cauſa et candidè egiſſet *Bellarminus*, non ſubticuiſſet ea, quæ in principio lib. 11. idem repetit et refert *Philippus, ſummi Imperij dignitatem, egregia ſuâ virtute reſtituit Carolus & Auguſtus appellatus Imperatorium nomen & dignitatem ſuſcepit, & non ſolùm, vt præmiſſum eſt, aſſentiente ſed etiam applaudente populo Romano, &c.* Ecce manifeſtum eſt, apud hunc *Philippum*, quod coronationem præceſſit aſſenſus, et applauſus ſubſecutus eſt. Sic Pontifex per conſenſum ſiue aſſenſum populi Imperiale nomen ſolum et dignitatem tranſtulit:

nam poteſtas Imperialis in *Leonis* reſtitutione, ſatis manifeſta eſt. Sic *Philippus* iſte, ſicut & *Blondus* & alij ſupradicti, totus noſter eſt.

28. Eſt Ioannes Cuſpinianus, *In vita Caroli Magni*, eius verba ſunt. *Cum magno illo natalis Saluatoris noſtri die, Templum eraturus; Carolus ingrederetur, nihil minus ſperanti, Leo Pontifex coronam capiti ſuo impoſuit, Imperatoreḿq; Romanum pronunciavit: cui ab vniverſo populo acclamatum eſt Carolo piiſſimo Auguſto à Deo coronato, &c.* Duo hic Pontifici tribuuntur: coronatio, & pronuntiatio Imperatoris: quæ ambo conſequuntur Imperium collatum, potius quam Imperium ipſum conferunt, nec negat conſenſum populi & principum *Cuſpinianus*, ſed potius affirmat: qui et ſubiugationem Italiæ, et poteſtatem Imperialem præcedentem & patriciatum eiuſdem agnoſcit. Et *Carolum* Romam veniſſe vt Iniurias *Leonis*, qui à propinquis *Adriani* in carcerem coniectus erat, quod eiuſdem acta multa reſcinderet (vt mos eſt Pontificum) vlciſceretur, narrat: & proinde poteſtatem ipſam Imperialem ante hanc coronationem obtinuit *Carolus*.

29. Eſt Iacobus Vuimphelingius in Epitome rerum Germanicarum, cap. 9. eius verba ſunt, *Pontifex Carolo optime de Eccleſia Dei merito, aliquam gratiam relaturus, cum videret Imperatores Conſtantinopolitanos egre id nomen tueri, ac ob eam rem, vrbem & Italiam ipſam magnas calamitates paſſam, in Baſilica Petri, poſt ſolennia ſacra, populi Romani ſcito & precibus, ipſum Carolum magna voce Imperatorem decernit, ac diademate donat, ter acclamante populo, Carolo Auguſto, &c.* Et Vuimphelingius iſte totus noſter eſt, qui ſcitum, et in hoc conſenſum populi Romani, ante coronationem, cum *Blondo*, et alijs prædicat: et proinde tranſlationem iſtam ſola Pontificis authoritate factam, re ipſa negat.

30 Eſt Polydorus Virgilius, *De Inuentoribus rerum, Lib. 4. cap. 10.* Verba eius ſunt: *Quas obres Leo 3. ipſum Carolum magnum fecit Imperatorem.* Atque hic obiter, et aliud agens, iſta de *Leone* et *Carolo* narrat; omiſſis omnibus circumſtantijs, quę ab Hiſtoricis recenſentur. Nec valet hoc argumentum, ab authoritate negatiuè; Polydorus affirmat, *Carolum a Leone* Imperatorem factum fuiſſe, ergo non acceſſit ſcitum, ſiue conſenſus, ſiue authoritas, ſiue acclamatio populi, in Carolo Imperatore creando. Interim hoc obſeruet Lector, Polydorum in proximis verbis ſubiectionem Pontificum adijcere. *Cuius* (inquit) *ſucceſſores conſueuerunt itidem Pontificis electionem confirmare.* Et confirmatio actus eſt ſuperioritatis. Et *Franci poſtea tutelam Pontificis Romani ſuſcepernnt*: Et Tutores pupillis ſuperiores ſunt: teſtis iſte cauſæ noſtræ, parum incommodat.

31 Eſt

31. Est *Raphael Volaterranus*, in Geographia, Lib. 3. eius verba sunt. *Leonem 3. Pontificem à Romanis expulsum ac eius auxilium implorantem per legatos confestim, deinde per se, tertiò veniens in Italiam, compressa seditione, ac inimicis expulsis; pro quibus meritis* (CAROLVS) *ab ipso primum Imperator consalutatus, nomen quod fere 330. annis cessauerit, occidenti restituit.* In hoc testimonio duo sunt, quæ populum cum Pontifice coniungunt, *primum a Leone*; non ergo a Leone solo, sed etiam ab alijs: & *consalutatus* cum alijs salutatus: Solus non salutat Pontifex, sed consalutat cum alijs: & si salutatio Pontificis operatiua fuit, & CAROLVM Imperatorem fecit, consalutatio item aliorum, qui vna cum Pontifice salutarunt, operatiua erat, *Carolum* Imperatorem fecit salutatio populi, sicut & Pontificis. Ex verbis vero *Volaterrani* manifestum est, *Carolum* ante hanc salutationem potestate vera, & reipsâ imperiali, & summa præditum fuisse, vtpote qui per legatos, & per seipsum, seditionem compresit, inimicos *Leonis* expulit, & *Leonem* Pontificem restituit. Collatio ergo ista est nominis, siue dignitatis, & honoris; non potestatis, aut ditionis, aut iuris, aut absq; iure ista omnia fecit *Carolus*.

32. Est Donatus Acciaiolus in vita Caroli magni: eius verba vti recitat Bellaminus, hæc sunt. *Primo aduentu, omni motu sedato, noxijs supplicio affectis, Pontificem Romanum cum ingenti gloria, in vrbem restituit.* (Ecce potestas summa & reipsa Imperialis ante hanc appellationem.) *A quo mox pro suis egregijs meritis, & singulari erga libertatem omnium Christianorum fide, Augustus appellatur Imperatorumq; nomen, dignitatemq; suscepit.* (Translatio hæc nominis, potius quam Imperij.) *Non solum assentiente sed etiam applaudente populo Romano.* Consensus ergo populi præcesit, subsequitur applausus. Sic noster etiam est hic Donatus, sicut & Blondus, & Philippus Bergomensis qui translationem hanc nominis, & dignitatis, non Pontifici soli, sed Pontifici & populo tribuunt.

33. Qui & vltimus, est Albertus Krantzius in Saxonia, eius verba sunt. *Tum vero in die nati saluatoris, primo post. 800. inchoante anno, cum nihil tale Carolus aut cogitaret aut speraret, magisq; recusaret, alienum inuadere Imperatoris honorem (vt supra diximus) infra missarum solennia, dum ante confessionem Beati Petri Apostoli ab oratione surgeret, Papa coronam imposuit, & Imperatorem pronunciauit; & statim est a cuncto populo acclamatum, Carolo Augusto.* In his verbis mentio fit coronationis, & appellationis, siue nominis Imperialis; non Imperij ipsius translati: Imo ex antecedentibus satis constat ipsum Imperium siue potestatem Imperialem penes *Carolum* fuisse. *Papa enim superbiæ Romanorum restiterat, dum ea quæ Imperialis erant culminis sibi vendicarent,*

rent, & iterum. *Re comperta iussit Pontificem ad se deferri*. & iterum *Post dies septem concione aduocata, causam aduentus sui, omnibus exposuit, ad discutienda crimina, quæ Pontifici obijciebantur*. In his potestas Imperialis, ante hanc coronationem. Quinetiam et verba *Krantzij* hoc docent, *Carolum* nolentem, & plane inuitum honorem Imperatoris suscepisse. *Magisq; recusaret alienum inuadere Imperatoris honorem*; qui tamen alieni Imperatoris possessionem siue dominium inuaserat. Sed missa ista faciamus. Quod solus Pontifex *Carolum* coronauerit in confesso est, quia coronatio Episcoporum est, non populi officium. Quod solus Pontifex *Carolum* Imperatorem authoritate sua, sine populi consensu creauerit, non constat apud *Krantzium*: Imo vero populum consensu suo *Carolum* ad Imperium sublimasse aperte dicit *Krantzius*. Saxoniæ Lib. 3. in Carolo *Carolus Francia & Germaniæ Rex, cum vltis Longobardis liberasset Italiam, & Ecclesiam Romanam, perpensa à summo Pontifice Græcorum ignauia, cum accederent consilio Romani proceres, appellatus est Imperator*. Huic ergo consilio Pontificis accedunt Romani proceres: & proinde non est actus Pontificis solius iuxta *Krantzium*, sed Pontificis & procerum: Et in Metropoli, Lib. 2. in *Leone*. *Leo venit ad Carolum, reducitur; venientem Carolum Romam, creat voluntate populi Imperatorem*. At vrget *Bellarminus* alia verba eiusdem *Krantzij* in Metropoli: Lib. 1. Cap. 14. *Olim* (inquit) *Imperatores non passi vinere Pontifices ad supplicia deuocabant: & Græculi postquam apud eos, extincta stirpe Constantini & Theodosij Magni, non habuere Pontificem nisi quem ipsi confirmassent: Mutate sunt vices: vt non habeatur Imperator nisi quem Romanus Pontifex confirmarit. Domini est terra, & plenitudo eius, ipse transfert regna, & Imperia, dignissimeque ad suum in terris vicarium hoc sacrum ministerium delegauit*. Hæc *Krantzius* de Imperatoris confirmatione, non de Imperij collatione loquitur: & confirmatio Imperatoris de iure positiuo siue consuetudine, ad Pontificem pertinere dignoscitur, qui tamen ab Electoribus legitime electus & constitutus, & coronatus existit. Et confirmatio ista non dat Ius, sed datum declarat. Electio ius Imperij confert, non confirmatio. Et vox hæc *Confirmationis* Historicorum est, Iuris canonici non est, in quo non inuenitur vox ista. *Vide Somnium Viridarij*. Et *Krantzius* in hoc ipso Capite, postquam pœnam eorum qui *Leonem* opprimerent, narrasset, collationem hanc Imperij non Pontifici soli, sed etiam vniuerso populo tribuit. *Tum* (inquit) *iubente Rege animaduersum est, in principes eius tumultuationis, constituta cuique pœna pro modulo culpæ. (scribunt vna die trecentos gladio cæsos*: in Saxonia Lib. 2. Cap. 18.) *Ibi tum Rex optimus, cum hoc minime posceret, etiam vbi cognouit, recusabat, acclamatum est ab vniuerso populo*

Roma-

Romanorum Imperator, Carolo inquiunt, &c. Nimirum victorioso Principi suam laudem reddebant, & bene merita in Italiam & vrbem Romam, voluere quoad poterant remunerare, &c. Sicut ergo vicem *Carolo* recompensat *Leo*, vti *Paulus Diaconus*: & sic, vti vrget *Bellarminus*, translatio hæc, est beneficium *Leonis* in *Carolum* collatum. Sic & populus merita *Carolo* remunerat iuxta *Krantzium*, cum eundem consensu & acclamatione sua Imperatorem declarat: adeoque Imperium populi sicut Pontificis beneficium est: Sic *Krantzius* item noster est nostras partes agit.

Atque hi testes Bellarmini numero 33. á nobis examinati sunt: inter quos nullus est, qui hoc ipsum negat, quod nos asserimus: *Leonem* scilicet, non sua solius authoritate, sed præhabito Sacerdotum & populi totius consensu, *Carolum* Imperatorem coronasse, & Imperatorem appellasse, qui iure belli, & consensu populi per annos viginti quatuor aut quinque, Regnum Italiæ possederat, & potestatem Regiam & Imperialem obtinuerat. Et inter hos plurimi de solo nomine, siue appellatione, omnes de coronatione, & inunctione, siue consecratione testantur. Nonnulli de *Carolo* tanquam muti tacent, de alijs successoribus loquuntur, sic aut nihil ad rem, quia non de substantia, sed de solennitate testantur, aut nihil ad hominem, quia non de *Carolo*, de quo instituitur quæstio, sed de alijs posterioribus verba faciunt.

Et inter hos 33. quindecim sunt qui nostras partes agunt: quos si ex hoc numero demas, relinquuntur tantum octodecim, qui numero magis quam pondere premunt. Interim obseruet Lector cum admiratione, quantam cæcitatem inducat studium partium, cum videat Doctissimum *Bellarminum* in numero 33. testium, quindecim produxisse, qui contra ipsum sententiam proferant. 1. *Luitprandus* enim *Carolum* ab omnibus constitutum prædicat, 2. *Marianus Scotus*, & 3. *Lambertus Schaffnaburgensis* à Romanis *Carolum* Augustum appellatum narrant. 4. *Gotefridus* Viterbiensis leuationem populo, sacrationem Pontifici tribuit. 5. *Lupoldus de Babenberg* asserit *Carolum* iure belli & traditione populi potestatem Imperialem ante coronationem in Prouincijs Imperij habuisse, & translationem hanc, ab Ecclesia Romana, non à Pontifice solo, factam.

6. *Blondus*, 7. *Æneas Syluius*, 8. *Platina*, & 9. *Iacobus Wimphelingius*, *Carolum* scito & precibus populi Romani declaratum Imperatorem testantur. 10. *Philippus Bergomensis*, & 11. *Donatus Acciaiolus*, hoc factum, populo non solum assentiente, sed & applaudente narrant. 12. *Gagumus*, Concilio Sacerdotum habito, Augustum appellatum refert. 13. *Nauclerus* factum á Pontifice

tifice consensu populi prædicat. 14. *Trithemius* fauore multarum gentium: 15. *Krantzius*, voluntate populi, et procerum consensu Carolum Imperatorem factum referunt. Sic ex testibus Bellarmini hi quindecim nostri sunt, nostrasq; partes agunt. Quibus alios quos Bellarminus omisit, vtpote causæ suæ parum propitios Historicos itidem insignes addamus, vt sicut pondere, sic etiam numero vincamus.

Decimus Sextus ergo qui hanc translationem Pontifici & populo hoc est Reipublicæ tribuit, sit Gregorius septimus apud *Auentinum* in concione ad populum. *Caput Mundi, inquit, Romani rerum Domini, victor gentium populus, & Imperium & Pontificatum in quos libuerit transferre potest, sicut ante ducentos & septuaginta quinque annos, à Græcis in Germaniam transtulit, &c.*

17 Florentius Wigornienſis in Chronico ad Annum, 799. *Carolus à Romanis Augustus appellatus est.*

18 Sigebertus in Chronograph. Anno, 801. *Romani &c. vno omnium consensu Caroloregi laudes Imperatorias acclamant, eumque per manum Leonis Papæ coronant, Cæsarem & Augustum appellant*, Et idem ad Annum 805. *Carolus Imperator indignantibus contra se Impp. Constantinopolitanis, propter inuidiam Imperatorij nominis à Romanis sibi impositi.*

19 *Walthramus* in libello de Inuestituris in principio, eadem habet cum priori loco apud Sigebertum.

20 *Vincentius Bellnacensis* Speculi historialis, Lib. 24. Cap. 176. eadem repetit quæ apud *Sigebertum in loco priori*, Et Lib. 25. cap. 3. eadem quæ in 2. *loco.*

21 *Magnum Chronicon Belgiæ* eadem habet.

22 Willielmus Malmesburiensis Historiæ Regum Angliæ, Lib. 1. *Inter has moras Caroli Romæ, Quirites collato cum Præsule consilio die Natiuitatis Domini, Augustum inopinate acclamant.*

23 Eadem *Continuator Bedæ*, Lib. 1. cap. 10.

24 Rogerius Houeden Annalium parte priore. *Post triennium vero Rex* Carolus *factus est Imperator, & ab eodem Leone Papa sacratus.*

25 Anastasius Bibliothecarius in vita Leonis tertij, *Tunc vniuersi Fideles Romani videntes tantam defensionem & dilectionem, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, & eius Vicarium habuit, vnanimiter altisona voce, Dei nutu atq; B. Petri clauigeri regni cœlorum, exclamauerunt Carolo Augusto, &c. & ab omnibus constitutus est Imperator Romanorum.*

26 Canzo Turicensis in gestis Caroli Magni, *cap.* 7. *Inde Romana Ecclesia cum proceribus, Romanum Imperium à Græcis transtulit, in*

persona

persona magnifici Caroli in Germanos. In rationali constitut. Imperialium Tom. 1. pag. 1.

27. Albertus Argentinensis in Chronico. Vt citatur ibidem pag. 32. *Itaque cum tanti tamque famosi viri per totum orbem terrarum fidei probitatisve fama volauit, Romani potentissimum Romanum Imperium immo & Papæ electionem sibi (id est illi) præscripserunt. Igitur precibus beati Leonis Papæ, & Principum regni, omniumque Primatum admonitus, tam Dei quam hominum voluntati consentiens, cum magno vniuersalis Cleri plebisque tripudio, in die Natalis Domini nostri Iesu Christi, anno Incarnationis eius* 801. *ante altare D. Petri Apostoli, Romæ à Leone Papa consecratus & vnctus est Carolus Imperator ipso Papa coronam auream capiti eius imponente, in iubilo cordis & oris Romano Clero & populo acclamante, &c.*

28. Helmoldus in Chron. Sclavorum cap. 3. *Consurgentibus ergo vndique aduersus Imperium rebellibus, cum omnia pene Europæ regna ab Imperio defecissent, ipsa quoque mater orbis Roma finitimis bellis atterreretur nec esset defensor, placuit Apostolicæ sedi solenne Sanctorum adunari Concilium, & de generali necessitate commune participare consilium, omnium ergo votis omnium laudatione, insignis Francorum Rex Carolus corona Romani Imperij sublimatus est, eo quod ipse fidei merito, & potestatis gloria, necnon bellorum victorijs neminem in orbe videretur habere consortem, atq; in hunc modum Cæsareum nomen de Græcia translatum est in Franciam.*

29. Sifridus Presbyter Epitomes lib. 1. Anno 781. *Intercesserat enim pactio inter Papam & Principes Teutoniæ, & Romanos, vt devictis Longobardis & alijs Imperium vastantibus Imperium ad Teutonicos transferretur; Translatum ergo est adeos in personam Caroli Magni filij Regis Pipini.*

30. Benevenutus de Rambaldis in libro Augustali. Anno 801. inter opera Petrarchæ. *Carolus Magnus, &c. electus est Imperator à Senatu Populoque Romano, & confirmatus à summo Pontifice, quia adiutor erat Ecclesiæ.*

31. Theodoricus à Niem, de privilegijs & iuribus Imp: *Populus itaque Romanus legem condebat more solito, sed difficile erat pro vno quoque negotio toties in vnum congregari, vnde sententiam, ius & potestatem Imperij Imperatori concesserunt, quemadmodum legitur, populus itaque Rom. concessit Carolo & in eum transtulit omne ius suum & potestatem.*

32. Laonicus Chalcocondylas de Rebus Turcicis lib. 1. in Præfat. *Romanos quidem accepimus, & ipsorum Pontificem Maximum, cum longo tempore concertassent cum Græcis in Christianis Religionis quibusdam articulis, tandem à Græcis, defecisse, Romanum autem Cæsarem nunc è Gallis, nunc è Germanis eligentes, &c.*

33. *Chronicum Chronicorum* eadem habet quæ Iacobus Philippus Bergomas, *Mundi ætate 6. in Carolo*, & eadem quæ Blondus *in Leone.*

34. Ioannes Baptista Egnatius *in Epitome de vitis Cæsarum*, eadem habet quæ Platina.

35. Paulus Æmilius de gestis Francorum lib. 3. Paulo à principio. *Leo &c. ingenti procerum assensu quivndiq; in vrbem admiratione Caroli Francorumque conuenerant, Carolum Augustum appellatum insulis ac ceteris Imperij insignibus exornat, acclamant populus, &c.*

36. Luziardus Hist. vniuersalis lib. 3. cap. 99. *Romani &c. vno omnium consensu ad Carolum Magnum conuertunt animos, virum magnificum, maximum Rom. vrbis & Ecclesiæ defensorem præcipuum*; & deinde in cap. 100. narrat Imperij translationem.

37. Wernerus in Fasciculo temporum. *Romani ad Carolum Magnum se vnanimiter contulerunt*, & postea. *Translatio Imperij facta est per Leonem Papam tertium de Græcis ad Francos, cum vnanimi consensu Romanorum.*

36. Sabellicus Ennead. 8 li8. in fine. *Leo Pontifex inter sacrorum solennia, scito Rogatuq; Rom. populi qui officij causa circumstabat, &c. Romanorum Imperatorem consecrauit & inunxit.*

39. Ioannes Auentinus Annal. Boiorum lib. 4. in principio. *Vrbs potens, vrbs orbis domina, deserta, orba, effœta, Germanos Carolumque M. accinit, adoptauit, ciuitate & Iure Quiritium donaret*: & circa medium. *Pontifex Senatusq; Romanus, Magnum Rom. inuitant, nunquam à malis hominibus quietum fore caput mundi conqueruntur, nisi Carolus vrbis æterna Consul, & Tribunus perpetuus, præsens operam det, ne quid ipsa detrimenti capiat, & authoritate sua statum Reip. componat.* Et paulo post. *Pontifex, Senatus, populusq; Rom. & iam offerendum vltro rati, quod forsitan omissuri erant, Imperium transferre iure suo in Germanos Carolumque tacito Senatus consulto plebiscitoque decernunt.*

40. Nicolaus Gillius in Annalibus Galliæ. *Papa Romanique Carolum M. precati sunt vt acciperet Romani Imperij authoritatem, atq; in tantum praualuerunt vt assensum præberet, & die natiuitatis coronatus est à Leone Anno* 801.

41. Franciscus Guicciardinus, In Paraleipomenis (Inter Monita politica) loco 2. *Post etiam anno salutis* 800. *Leo Pontifex vna cum populo Romano (verum Pontifex haud alia authoritate quam vt eius populi caput) eundemmet Carolum Romanorum Imperatorem nominarunt.*

42. Onuphrius Panuinius in Fastis. *Populi Romani scito clerique rogatum, &c.* Idem de Romanis Principibus libro tertio in principio. *Imperator appellatus Romæ in Basilica S. Petri in Vaticano, Cleri, Senatus, populiq;*

populiq; Romani consensu. Idem de Comitijs Imperatorijs. *Carolo Magno S.P.Q.R. suffragijs Imperatore appellato.*

43. Hieronymus Gebwilerius de Libertate Germaniæ cap.6. *Populi Romani scito & precibus, vniuersi Cleri consensu, &c. Leonem imperiali Diademate donat.*

44. Carolus Sigonius de Regno Italiæ, lib.4. *Imposuit Leo coronam & Chlamydem, acclamante populo, sed Imperatorius titulus à populo confirmatus est, tunc perunxit eum oleo sancto.*

45. Ciacconius eadem habet *in vita Leonis* 3.

46. Michael Coccinius de Imperij Translatione, non multum à principio. *Et talem Imperij translationem, Romanorum cæterorumq; Italiæ populorum consensu & authoritate facilitatum, suamq; vim & efficaciam habuisse, haud dubitandum est.*

47. Sebastianus Verronius Christianæ Ætatis seculo 9. lib.8. in Principio. *Fuere non pauci Impp. facti, militis studio & acclamatione, denunciarunt Carolum Romanorum Imperatorem, non modo Leo Pontifex aut milites Romani, sed cives omnes quorum tum ad* 3000. *Curiam frequentabant, adeo ipse S.P.Q.R.*

Istis Historicis addi possunt.

Ioannes de Parisijs, lib. de Potestate Regia & Papali, cap. 16. *Amplius non fuit factum per solum Papam, sed populo acclamante & faciente, cuius est subijcere se cui vult sine alterius præiudicio.* Et pro hac et alijs responsionibus, citat *Hugonem Floriacensem, & librum de Cosmographia,* præter *Chronica Sigeberti.*

Somnium Viridarij, lib.1. cap. 183. *Alij dicunt quod Translatio facta fuit principaliter à populo Romano, cuius pars est Papa & eius Clerus. Quod quædam Chronica insinuare videtur, in qua sic legitur, ipsa die Natalis Domini, cum Rex Franciæ ante Missam ab oratione surgeret, Leo Papa coronam capiti eius imposuit, & à cuncto Romanorum populo acclamatum est: Carolo summo Augusto à Deo coronato magno & pacifico Imp. vita & victoria. Qua verba videntur innuere, quod Leo Papa coronavit Carolum de voluntate & ordinatione populi Romani, ad quem spectabat de Imperio ordinare. Quare translatio Imperij de Græcis in Germanos facta fuit à populo Romano non excluso Papa.* Et ibi plura, et in cap. 185.

Cardinalis Cusanus Concord. Cathol. lib. 3. cap. 41. *Si Regum & Imperatorum depositiones ac Imperij translationes, & cætera forte ad hoc præsumendum Apostolicum moverent, sciat nisi forte religioni & humilitati obstaret, omnibus illis vere & clarissimè responderi posse, & taliter, quod forte hæc minimè tanta potestate, absque partium contendentium aut consensu aut acceptatione, in Papa ut Papa arguerent.*

Alciatus.

Alciatus in loco citato per *Bellarminum* de Tranſlatione Imp. lib. 1. cap. 7. *Carolus vt iuſtum aliquem titulum adepto Imperio prætendere poſſit Cæſarem ſe, & Rom. Imperatorem, à Pontifice populoq; Rom. deſignari procuravit.*

Carolus Molinæus ad Conſuetudines Pariſienſes Parte prima de Materia Feodali, Tit. 1. Num. 18. Impreſſ. Pariſ. 1539. qui Liber teſte vel Indice Expurgatorio hæreſim non ſapit, hæc habet. *Elapſis deinde 24. annis à ſubverſione regni Longobardorum, &c. Idem Leo cum vniverſo populo Romano, Imperium Romanum in perſonam Caroli Victorioſiſſimi Francorum Regis, Anno 3. Regni ſui tranſtulit, eumque Imperiali Diademate coronavit.*

8 Vnum ſuperaddo de cauſis huius tranſlationis. *Non intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipſum Regem ſpectat iudicium, ſed de peccato, cuius cognitio ad nos dignoſcitur pertinere.* Sic Innocentius, *cap. per venerab. Qu. filij ſunt legitimi:* Si ergo tranſlatio hæc iuſta & legitima ſit, quia Pontificis eſt iudicare de peccato, non de feudo; & imperijs, & regnis, niſi cauſis exigentibus non priuet; ſuberat aliqua cauſa, peccatum aliquod, propter quod Imperatores Orientales Dominio quod in occidente habebant privati ſunt, aut iniuſtus Pontifex qui ſine cauſa, ſine merito ſuo à Græcis ad Francos Imperium tranſtulit. Quod enim ad authores indirectæ poteſtatis (cui adhæret verbo tenus, Bellarminus) attinet, vnanimiter conveniunt omnes, quod cauſis exigentibus, propter finem & bonum ſpirituale ſolum, Reges mali Imperijs & Regnis privandi ſunt. Etſi vero obijcere ſoleant directæ huius poteſtatis aſſertores, quod Pontifex per poteſtatem directam Reges tanquam Legatos, et nuntios, et proreges ſuos, etiam ſine cauſa, ſine ratione, pro arbitrio voluntatis ſuæ mutare et deponere poſſit, nemo tamen, inter huius directæ poteſtatis aſtipulatores, tam impudens, vt affirmare auſit, licitum eſſe Pontifici pro libito beneplaciti ſui, ſine cauſa, ſine peccato ſine ratione finis et boni ſpiritualis, Reges exauthorare, et Regnis ſpoliare: præſertim cum nec Dominus ipſe, qui abſolutum in omnes Reges, et Homines, et Creaturas, Dominium habet, quicquam ſine ratione aut cauſa faciat, etiam cum pro libito voluntatis ſuæ omnia faciat, quia voluntas Dei prima eſt ratio et cauſa omnium. Voluntatis enim divinæ ratio quærenda non eſt, quia voluntas Dei omnem in ſe continet rationem. At voluntatis humanæ ratio ſemper queri poteſt, quia ſemper voluntati humanæ non coniungitur ratio. Tranſlatio ergo iſta, ſine ratione, ſine cauſa, ſine peccato Imperatorum Orientalium fieri non debuit.

Hiſtorici

Hiſtorici qui à *Bellarmino*, quique à nobis producti ſunt, hanc pene vnicam & præcipuam huius tranſlationis cauſam aſſignant: *Quod Imperatores nouæ Romæ, hoc nomen Imperatoris occidentalis ægrè ſuſtineret: quodque Italis Longobardorum incurſione & tyrannide oppreſsis opem longe poſiti, & bellis finitimorum impediti non ferrent.* An hæc ratio, cauſa hæc ſufficiens *Leoni* viſa eſt, propter quam Imperatores Orientales deponerent, *Carolum* ſubſtitueret? Sic hæc cauſa ſatis grauis & magna videtur, quidni omnes fortiori adhæreant, infirmiorem inualidumque Regem deſerant, qui fortior fuerit, hic Iuſtior: Regnum detur digniori imo vero fortiori. Grauis hæc & magna cauſa videri poteſt Pontificibus, qui vt hædera parieti, ſic ipſi potentiori adhærent, donec ipſum debilitent, vt hædera parietem primo conſumit, dum pauliſper ſuſtentat: at viris cordatis & ſapientibus nunquam hæc cauſa iuſta et ſufficiens regum deponendorum viſa eſt. Quid enim, an omnes teſtes in hoc conueniunt, vt Rex deponatur quia inutilis? An non aliqui ſunt, qui curatores dandos arbitrantur? Quandoque Dux ſiue Imperator fortis vt *Leo* eſt milites vero timidi vt agni, quandoque milites fortes vt ſunt *Leones*, Dux vero timidus vt agnus. An quia vnuſquiſque Rex in bello foriis non eſt nec ſuos protegere poteſt, ideo de ſolio deturbandus eſt? Si hæc ſit Lex regni, omne proculdubio regnum, ſub regno grauiori eſt.

Ratio quam huius tranſlationis aſſignat *Bellarminus* hæc eſt. *Propterea quod Græci nullum auxilium Laboranti Eccleſiæ occidentali adferre poſſent.* Si dixiſſet, adferre nollent, ſpecies aliqua rationis ſubeſſet: maius enim peccatum eſt, nolle benefacere, quam non poſſe. An quiſquam puniendus, qui facit quod poteſt, aut qui non facit, quod non poteſt? An quiſquam tenetur ſupra vires, et ad impoſſibilia. Nonne omnia pacta, et fœdera quæ obligant ad impoſſibile, eo ipſo irrita ſunt et nulla, quia quod in poteſtate noſtra non eſt, ſpondent? An vnuſquiſque Epiſcopus deponendus, qui animabus hominum laborantibus auxilium non fert? Quid ergo de curialibus Pontificis fiet, qui facies pecorum ſuorum nunquam viderunt, nunquam agnouerunt? In iudicio diuino non ſolum ſerui mali, ſed etiam inutiles eijciuntur: nec illi ſoli qui aliena non rapiunt, ſed etiam illa, qui ſua non diſtribuunt ex Eccleſia triumphanti excluduntur. At in Eccleſia militanti et Zizania cum tritico permittuntur et hodie cum ouibus permiſcentur; et in regno cœlorum et in regnis mundi, omnibus vox illa Domini in Euangelio communis eſt, *Serui inutiles ſumus.* Si fecerunt Græci Imperatores quod potuerunt, aut ſi ideo non fecerunt id eſt

auxilium

expreſſe in fine Epiſtolæ eiuſdem Hadriani Pontificis ad Carolum magnum datæ, pro defenſione Niceni ſecundi concilij. Hæc Baronius: qui Conſtantinum & Irenem depoſitos vel potius depoſitione dignos pronunciat, non quia nomen Imperiale ægrè tueri valerent, aut Italiæ afflictæ et oppreſſæ auxilium & opem ferre non poſſent, ſed quia Archiepiſcopatus & Epiſcopatus Romanæ Eccleſiæ ſubiectos, & eorundem patrimonia non reſtituerunt, Imperatores alioqui Catholici & optimè de fide Catholica meriti: Quam verè hoc á Baronio dicatur, non quæro: Illud potius dicendum erat á Baronio, opus eſſe reſtitutione, vt ſcilicet Imperium ſiue pars Imperij, quo mulctatus erat Leo Iſauricus Iconoclaſta, per aliquem actum iudiciarium per ſententiam ſc. Pontificis vero & legitimo & catholico Hæredi reſtitueretur. Quid enim ſi pater propter hæreſim deponatur, annon Regnum ſiue imperium in regnis hęreditarijs filio & hæredi proximo Catholico ſine ſententia Pontificis, ipſo iure, & facto debetur, & ſtatim poſt huiuſmodi depoſitionem, Rex ſiue Imperator erit hæres Catholicus? Aut falſus eſt Bellarminus qui author eſt, *Non poſſe Pontificem alteri regnum conferre pro arbitrio ſuo, ſed cui iure debetur (ſine ſucceſſio locum habet, ſine electio.* Et Imperium Leonis Iſaurici iure ſucceſſionis debebatur Copronymo, & Conſtantino et Irenę, aut falſus eſt Baronius, qui indignos hos pronuntiat, qui de fide & Eccleſia optimè meriti ſunt, quibuſque Imperium iure ſucceſſionis debebatur, Aut Pontifex Regna confert pro arbitrio ſuo cui voluerit, & ſic teſte Bellarmino: precario regnant Reges. Et quid opus erat reſtitutione per Pontificem facienda, cum ipſo iure ſucceſſionis patre per ſententiam Eccleſiæ ciuiliter mortuo, filius iure ſucceſſionis Regnum adipiſcatur, ſi ſententia Pontificis de Rege non Regem faciat.

Verum Baronij rationem perpendamus. Conſtantinus & Irene Imperatores per omnia Catholiciſſimi indigni erant, quibus reſtitueretur Imperium, qui ſacras Imagines adorarunt; & Carolus dignus cui daretur Imperium, qui, ſi vera ſunt quæ ſub Caroli nomine extant, cultum Imaginum & rationes Patrum Nicęnorum ſcripto confutauit: Conſtantinus & Irene indigni erant, quibus reſtitueret Pontifex Imperium qui Concilium Nicęnum ſecundum, in quo decretum eſt, pro cultu et Idololatria Imaginum congregarunt: et dignus eſt Carolus in quem conferret Pontifex Imperium qui Synodum illam congregauit, quæ Imaginum cultum damnauit. Vera cauſa huius indignitatis in Conſtantino & Irene, hæc erat, quod Epiſcopatus Iuris Romanæ Eccleſiæ ſubiectos Pontifici non reſtituunt, quod patrimonia horum Epiſcopatuum retinent. Vera cauſa dignitatis in Carolo hæc erat, quod Leonem Pontificem ad Pontificatum reſtitu-

it,

ſtitutione Electorum conſequatur poteſtas deponendorum Regum.



Clavum exemplum eſt Gregorij 5. qui ſanctionem edidit de Imperatore eligendo, per ſeptem Germaniæ Principes, quæ vſque ad hunc diem ſeruatur. Id quod probat Bell. ex *Blondo, Nauclero, Platina* alijſque: In hoc exemplo omnia ambigua ſunt, certum nihil: de tempore, de authore huius conſtitutionis, de conſentientibus, inter Pontificios ambigitur. Fundamentum hoc ſine fundamento, in arena non in petra extructum, quod nec ventos nec procellas, nec fluctus proferre poteſt, mole ſua ruit, Quia ſuper varijs ſcriptorum opinionibus collocatur nec extat conſtitutio ipſa Electorum, per quam re ipſius veritas eluceſcat. 1

Prima opinio eſt M. Iordanis in Chronico, qui hanc Electorum ordinationem Carolo magno tribuit: eius verba ſunt: *Factum eſt, quod ſanctus Carolus magnus Imperator, de conſenſu & mandato Romani Pontificis, ordinationem ſibi diuinitus inſpiratam inſtituit, & præcipit, vt Imperium Romanorum apud electionem canonicum Principum Germanorum in perpetuum remaneret.* Et hæc opinio Decreto Innocentij 3. Cap. Venerabilem de Electione & electi poteſtate inniti videtur, vt poſt apparebit fuſius. *Illis Principibus ius & poteſtatem eligendi Regem & Imperatorem poſt modum promouendum recognoſcimus (vt debemus) ad quos de iure & conſuetudine noſcitur pertinere: præſertim cum ad eos, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, qua Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli à Græcis tranſtulit in Germanos.* Nec dicit Innocentius, poteſtatem hanc à ſede Apoſtolica perueniſſe, quæ electores conſtituit, ſub Gregorio 5. aut Othone 3. ſed quæ Imperium in perſona Caroli tranſtulit: acſi Carolus hanc conſtitutionem electorum ediderit.

2. Opinio eſt Theodorici à Niem: qui nec Carolo, nec Othoni 3. nec Gregorio 5. ſed Principibus Germaniæ hanc conſtitutionẽ tribuit, idque temporibus Henrici Sancti: eius verba ſunt.

Quibus deficientibus, ſcilicet poſt obitum dicti Henrici Sancti Principes Germaniæ ordinarunt, quod de cetero Romanus Princeps eligeretur, videlicet per tres Eccleſiaſticos Prælatos, & tres Laicos, nationis Alemaniæ tantum: Et in caſu quo illi in vnum concordare non poſſent, Dux pro tunc, ſed poſtea Rex Boemiæ, deinde additus eſſet pro tempore quaſi parti minus potenti, vel ab alijs Electoribus diſcrepanti, ad hoc quod Dieta non ſuſpenderetur, nimirum in periculum totius Chriſtianitatis: vocem tamen velut arbiter haberet ea vice in electione: & cum quibus ipſe concordarit Electoribus, illorum electio vim haberet.

3. Opinio

3. Opinio eſt Aventini & Onuphrij qui hanc electorum conſtitutionem Gregorio 10. tribuunt de qua ſic Aventinus lib. 5. poſt mortem Othonis 3. *De ſeptem viris & primarijs Heptarchis, qui ſibi diligendi Imperatoris Romani Germanici partes nunc ſumunt, nihil penitus, ne verbo quidem vno neque Hermannus, neque Romerius, neque Sigebertus, neque Otho noſter Gunberuſue Poeta, & cæteri quique proximi horum temporum grauiſsimi diligentiſsimique ſcriptores vllam mentionem faciunt: profecto non omiſſuri tantam rem, ſi vti noſtro ſeculo ſunt illa tempeſtate Principes illi conſtituendi Cæſaris legem ac prærogatiuam accepiſſent: Res aliter eſt. Nempe longo poſt tempore inſtituta, filios ſemper parentibus, proximos ſanguine & affinitate in demortuorum locum ſucceſsiſſe, ab omnibus communiter Ducibus, Dynaſtis, Satrapis, Epiſcopis, præſulibus, ciuibus, populis Italiæ, Galliæ, Germaniæ, deſignatum eſſe Rectorem vſus tum rerum magiſter indicat. Egoillos, demum, poſt fata Frederici ſecundi inſtitutos, & à Gregorio Decimo Pontifice maximo confirmatos eſſe compertum habeo.* Idem habet lib. 7.

Scripſit vero ex profeſſo Onuphrius librum de comitijs Imperialibus, in quo conſtanter affirmat, multiſque rationibus probare contendit, hos ſeptem Electores ante fata Frederici 2. conſtitutos non fuiſſe, nec quemque ante eiuſdem Frederici obitum, Imperatorem per hos ſeptem Electores ſolos ad Imperium promotum fuiſſe, nec quenquam probatum authorem ante hoc tempus horum ſeptem Electorum nominatim mentionem feciſſe: quam vere poſtea videbimus.

4. Opinio eſt eorum, qui hanc ſeptem Electorum conſtitutionem Gregorio quinto attribuunt, quam ex *Blondo, Nauclero & Platina* alijſque poſterioribus authoribus, qui ante centum Annos floruerunt, colligit Bellarminus, De tranſlat. Imperij. lib. 1. c. 4.

5. Opinio eſt eorum qui hanc conſtitutionem partim Pontifici Gregorio quinto, partim Othoni 3. partim Principibus Germaniæ, ſiue
2. Imperij, acceptam referunt, acſi, quod omnes tangit, ab omnibus approbarj debeat. Qua in re, ſi Pontifex, non vt Pontifex, ſiue ſummus Sacerdos, & Vicarius Chriſti, ſed vt primus ciuis, ſiue membrum Imperij Romani, aut conſtituat, aut conſtitutioni Imperatoris, & totius Imperij conſentiat, corruit proculdubio argumentum Bellarmini ab hoc exemplo Gregorij 5. de Electorum conſtitutione deductum.

Antequam vero ad harum opinionum diſcuſſionem deſcendamus duo prælibanda ſunt: primum eſt, In regnis electiuis vacante Imperio, ſue regno, de iure diuino naturali, electio Rectoris ad omnes ciues & liberos ſpectat; niſi ciues ipſi vices ſua ſiue partes, certis aliquibus perſonis delegauerint, qui illorum omnium loco & nomine eligendi Regis poteſtatem habeant.

Reſ-

Respublica enim vniuersa, aut saltem Respublica repræsentatiua (sicut & in Ecclesia accidit) de Rectore siue Rege sibi prouidere debet. Gregorius ergo quintus aut 10. si sine consensu Principum, & Ciuium Imperij, quorum maxime intererat, hanc de septem Electoribus constitutionem edidit, impius, & Iuris diuini non declarator, sed Relaxator, & violator extitit, et in legem diuinam naturalem peccauit.

Secundum est. Eodem iure, quo Gregorius quintus aut 10. constitutionem hanc de septem Imperij electoribus designandis edidit, eodem plane iure, aliam vel alias edere potest Gregorius, siue alius quisquam Pontifex, de septem aut decem, aut plurimis, aut paucioribus, qui Reges Francorum, Anglorum, Hispanorum, Danorum, Polonorum, Muscouitarum, aliorumque omnium Christianorum eligerent. Idq; sine consilio aut consensu Regum, aut procerum, aut populorum, in hisce singulis regnis, ad conturbationem & euersionem omnium politeiarum, & confusionem totius ordinis Christianissimi. Sicque peccaret contra bonum publicum totius Christianitatis. Pontifex enim, qua Pontifex, & summus sacerdos, & vicarius Christi, eandem habet potestatem super omnes oues & agnos, Italos, & Germanos, Francos & Anglos, Hispanos & Danos; & æquali iure in omnes Reges & regna, qui Christo nomina sua dederunt, quo in Imperium Romanum siue Germanum hanc potestatem vicariam & pontificalem exercere potest. Aut ergo, non tanquam Pontifex, & vicarius Christi, sed tanquam ciuis primarius, aut princeps politicus, hanc constitutionem edidit Gregorius siue quintus, siue 10. aut similem potest alius quilibet Pontifex, in singulis Regnis Christianis edere, in confusionem totius orbis Christiani: De quo vere dici potest, quod in simili causa dixit Syluester. *Vidi* (inquit) *Pontificem facientem maiora cum scandalo totius Christianitatis.*

Quod ergo ad duas primas opiniones M. *Iordanis*, & *Theodorici de Niem* attinet, nec est otium, nec animus easdem refutare, nec contra institutum nostrum faciunt: Iordanes enim non Pontifici cuiquam, sed Imperatori *Carolo* hanc constitutionem tribuit, qui maiore iure potuit electores Imperiales designare, vt potest Imperij officiales, quam Pontifex quisquam, quia lex ista temporalis, & ciuilis est, non spiritualis; & proinde a potestate ciuili & seculari potius, quam a spirituali potestate sancienda; quia ad Imperatorem non ad Pontificem, spectat leges ciuiles condere, siue figere, & refigere. Pontifex, qua Pontifex subditus est, & proinde leges ciuiles accipere, non dare debet.

Theodericum vero de *Niem*, nec Pontifici nec Imperatori, sed Principibus, proceribus scilicet, ad quos de iure, vna cum populo (populum autem sæpe in huiusmodi electionibus repræsentat princeps) hanc constitutionem ascribit: & proinde nostras agit partes, quia in populi solius sub Deo, potestate esse dicimus, vt consensu suo electores, qui suas in Rectoribus eligendis vices obeant, constituat.

3. Quod ad tertiam opinionem *Auentini & Onuphrij*, & quartam *Blondi* & aliorum, quam sequitur *Bellarminus*, mutuo seipsas confodiunt, vtraq; alteram euertit rationibus firmissimis, & proinde neutra vera esse potest, & vtraque contra ius diuinum naturale militat, & totius Christianitatis confusionem inducit, vt supra dictum est.

Si enim verum est quod vrget *Bellarminus*, quod septem Electores qui ius hodie Imperatoris eligendi habent, ante tempora *Gregorij* 10. & Concilij Lugdunensis, in quo hæc constitutio iuxta *Onuphrium* confirmata est, extiterunt; & sic à *Martino Polono*, & *Henrico Ostiensi* recensentur; Constitutio ista proculdubio *Gregorium* 10. authorem non habet: quia manifeste *Gregorio* 10. & Concilio Lugdunensi antiquior est. Et si Imperator quisquam ante tempora *Gregorij* 10. hoc modo electus est, aut constitutione, aut consuetudine valuit talis electio. Et proinde postea non cœpit: nisi forte à *Gregorio* 10. & Concilio Lugdunensi confirmatam hanc constitutionem dicat; Qualem tamen constitutionem aut confirmationem producit nemo. Etsi vero Constitutio *Gregorij* quinti, tempore, aut incuria perire potuit; at veri non habet similitudinem, quod *Gregorij* 10. & Concilij Lugdunensis siue constitutio, siue confirmatio, aut tempore, aut negligentia periret; præsertim cum hac ætate, id aut solum, aut præcipuum fategerint Pontifices, vt potestatem suam temporalem, siue in temporalibus amplificarent, & modis omnibus testatissimam facerent. Si verum est, quod neruosé vrgent, *Auentinus* & *Onuphrius*, nullum Scriptorem siue Historicum antiquum, nec *Hermannum*, nec *Remerium*, nec *Sigebertum*, nec *Othonem*, nec *Guntherum*, nec alium quenquam probatum authorem, ante *Martinum Polonum* huius constitutionis meminisse; nec quenquam talem producat *Bellarminus*: si verum itidem sit, nullum Imperatorem ab *Othone* 3. ad *Fredericum* 2. per hos septem solos officiales Imperij, siue Electores, electum fuisse, sed per omnes Principes Germaniæ, Episcopos, et Laicos forte etiam et Italos, nec non legatos sedis Apostolicæ, sicut in singulis probat *Onuphrius* ex Historicis fide dignissimis, et *Bellar.* negare sine impudentia non potest: si Dux qui nunc Rex Bohemiæ, tempore *Othonis*

thonis & Gregorij 5. Hoſtis fuerit Imperij, non civis, non Princeps Imperij. Si *Principes Palatini & Marchiones Brandeburgici*, inter illorum temporum Hiſtoricos, vix de nomine noti, etſi forte ſub alijs nominibus, & in alijs familijs, & notiſſimi & potentiſſimi. An vel veri ſpeciem habet, quod rogante Imperatore *Othone*, & conſentientibus Principibus Alemanniæ (vti nonnulli ex teſtibus Bellarmini aſſerunt,) *Gregorius 5.* talem conſtitutionem ediderit, quæ nec in proxima Imperatoris electione, nec in vlla alia ante *Fredericum 2.* per annos circiter 200. in quibus Imperatores fuerunt circiter 10. vim & effectum ſuum obtinuerit? Annō lex hæc eſt ſine moribus? An tot tam pij devotiq; Imperatores, Principeſq; ſententiam, conſtitutionem, & decretum ſummi Paſtoris neglexerunt, quam et Imperator *Otho*, et Principes ipſi, et à ſummo Pontifice petijſſent, et conſenſu ſuo et approbatione confirmaſſent?

Non eſt inſtituti mei ſingulas horum Imperatorum electiones ab *Othone 3.* ad *Fredericum 2.* percurrere, et in eiſdem demonſtrare, omnes communi conſenſu procerum, ſiue Principum, et Eccleſiaſticorum, et etiam Laicorum electos fuiſſe, et ad Imperium promotos: hoc enim onere me levavit *Onuphrius*, qui hoc ipſum abunde ex hiſtoricis probavit, et *Bellarminus* ipſe horum omnium electiones, et breviter percenſet, et à Principibus omnibus, non tantum à ſeptem electoribus factas ingenue agnoſcit, *Lib. 3. de Tranſl. Imperij cap. 2. Hæc ſane argumenta negare non poſſum, quin grauia ſint, & nullo modo à viris prudentibus contemnenda.* Sed non premunt iſta *Bellarm.* qui parum curat, vtrum *Gregorius 5.* An. 10. hanc ſanctionem ediderit, aut alius quiſquam, modo Pontifex fuerit. Id potius agit *Bellarminus*, vt reliquos Principes tanquam auditores, et inſpectores, et teſtes, et approbatores eorum quæ fiant, potius quam electores faciat; ſed contra veritatem et fidem omnium hiſtoricorum, qui ab omnibus electos hos Imperatores, eorum conſenſu, non tantum in eorum præſentia, quin etiam et fauore nonnullorum, qui inter ſeptem Electores non numeran ur, ſerio narrant. Quid vero opus erat, tot tam longe remotos Principes, et Eccleſiaſticos et Laicos convocare, vt ſpectatores tantum eſſent, non actores, non electores? An in electionibus ſolent ſpectatores citari, ſiue vocari, ſiue moneri, ſiue convocari, et congregari? excluduntur ſpectatores in huiuſmodi negotijs, potius quam admittuntur. *Et hodie etiam conveniunt plures, ſed non vt eorum habeatur ratio aliqua in electione, aut approbatione electionis:* Si qui hodie conveniunt, qui eligendi poteſtatem non habent, ſocietatis aut amicitiæ cauſa, aut vt amicorum cauſam agant, adſunt: ſed conſenſus aut approbationis eorum nulla habeur ratio. Imo vero omnibus alijs principibus præſentibus et reclamantibus, & contradicentibus, nec Electionem à ſeptem

officialibus factam approbantibus, valet electio. *Spectatum admissi risum teneatis amici?* an potius. *Spectatum veniunt* alij Principes; *veniunt spectentur vt ipsi.*

4. At Bellarminus quatuor huius sanctionis Gregorianæ partes facit. *Prima est, vt non hæreditate, sed electione ad Imperium veniatur, vti Otho Frisingensis, lib. 2. De gestis Friderici cap. 2. Id iuris Romani Imperij apex, videlicet, non per sanguinis propaginem, sed per Principum electionem Reges treare, sibi tanquam ex singulari vendicat prærogatiua. Secunda, vt soli Principes, non populus eligat. Tertia, vt principes illi Germani sint. Quarta, vt sex vel septem duntaxat Imperatorem eligant. Atq; hæ quatuor partes diversis temporibus prævaluerunt.*

„ Prima pars, ante tempora *Gregorij* 5. in vsu fuit, & à *Carolo Magno*
„ vsque ad *Ludovicum* Arnulphi Imperatoris filium successio hæreditaria
„ locum habuit, non tamen sine electione, siue consensu Principum & Populi. Esto de his litem *Bellarm.* non intento, quanquam hoc manifestum est, plurimos ex his Imperatoribus, à Patribus suis viventibus ad Imperium ascitos fuisse. Sed an postea tempore *Othonis* electio sine successione locum habuerit, id vero dubium est. Nam *Otboni* primo, siue Magno, successit *Otho* 2. dictus, Pallida mors: *Othoni* 2. successit *Otho* 3. dictus Mirabilia mundi. *Othoni* 3. successit *Henricus Claudus*, filius *Henrici Hezeli* Ducis Bavariæ, nepos *Henrici* Roxoli Ducis Saxoniæ, qui fuit frater *Othonis* primi: & filius *Henrici* Regis, sicut & *Otho* Magnus.

Atque hic Henricus, inuriato Heriberto Colonienſium Archiepiſcopo, à cuius ore omnes pendebant, inſignia regni ab eo violenter extorſit quaſi iure hereditario ſibi competentia: erat quippe filius Henrici Ducis, qui fuit genitus de Henrico fratre primi Othonis Imperatoris. Henricus ergo Dux conciliatis ſibi animis quorundam Principum regni, ungitur in Regem, à Willigiſo Moguntino Archiepiſcopo, & imperauit annos 22. Sic Sigebertus. Iure ergo successionis, sicut electionis imperat iste *Henricus.*

Henrico sine prole mortuo, successit *Chunradus* Iunior Saliqus, *Hermanni* Ducis Franconiæ filius, *Cunonis* nepos, *Othonis* pronepos, à quo prosapiam duxit. *Ab Henrico quidem viuo designatus Rex, consulentibus Principibus:* vti Sigebertus, ad Annum 1024. In *Chunrado* ergo successionis species aliqua. At in nonnullis sequentibus successio potius quam electio, locum vendicat. *Chunrado* enim successit filius *Henricus* Niger. Huic filius *Henricus* Senior. Huic filius *Henricus* Iunior. Vnde in inscriptione quatuor Sepulchrorum Spiræ habetur in vnico versiculo.

Vide Vesperg. *Filius hic, Pater hic, Avus hic, proavus iacet istic.* Quinetiam *Frederico Ahenobarbo* siue Barbarossæ, successit filius *Henri-*

cus

eus, & postea *Philippus* alter filiorum, & *Fredericus* secundus *Henrici* filius. In his & successio, & electio locum habuit. Prima ergo pars huius decreti in vsu non fuit, ante tempora *Gregorij* 5. Imò fraudibus, & astutia Pontificum Romanorum factum est, vt Imperium, quod plerunq; ante *Carolum*, & postea etiam in posteris *Caroli*, successiuum & hæreditarium fuit, electione sola collatum sit: in successione enim hæredum nihil potuerunt Pontifices, in electione aliquid potuerunt; & quandiu Imperatores ad Imperij apicem, per successionem peruenerunt, tamdiu creuit, aut saltem in statu suo permansit Imperium, singulis Imperatoribus, Imperij purgationem, aut saltem conseruationem, tanquam hæreditatem suam tutantibus, hocque potissimum curantibus, vt sartum tectum filijs suis traderent, sicut idem Imperium à parentibus auctum acceperunt. Alijs vero per successionem ad culmen Imperij ascendentibus, in rem potius suam, quam Imperij intentis. Imo vt de Carolo quarto scribit Onuphrius: *vt familiam suam locupletarent Imperium ipsum emisserantibus*: Imperium pene exhaustum & ad nudum nomen redactum est. Quo factum est vt Electores potestate, & ditionibus aucti sunt, Imperator vero qui electorum gratia ad dignitatis fastigium aspirat, decrescat. Sicque Pontifex Imperij infirmitate tutus, nec de factorum suorum ratione reddenda, nec de plumis Aquilæ huius vnquam restituendis, securus cogitat.

Secunda pars huius decreti semper impossibilis fuit, vt scilicet quisquam Imperator ab omni populo eligeretur, quia impossibile semper fuit, vt omnis populus totius Imperij, in electione Imperatoris adesset. Si qui ergo Historici de omni populo aut Romanorum, aut Francorum, aut Saxonum, quicquam dicatur: de populo tantum illius loci, vbi circa Imperatoris electionem conueniebant proceres, & principes, intelligendi sunt. Hæc vero electionis per vniuersum populum forma, quia impossibilis, nec non & seditioni & discordiæ obnoxia, recte ad Proceres & rempublicam repræsentatiuam delegata est: vt scilicet Princeps quilibet, illius populi, cuius principatum gerit, personam in Imperialibus comitijs repræsentaret.

Tertia pars, vt scilicet soli Germani Principes interessent, non Itali, diu postea vim obtinuit suam, postquam Imperator omnem in Italia potestatem & ditionem suam amiserat, & Itali iugum Imperiale excussserunt; tum soli Germani, qui soli Imperatori suberant, potestatem Imperatoris eligendi acceperunt. Nihil hic nouum aut mirum, vt soli subditi in electione Principis sui, et adessent et vota haberent.

Quarta pars de septem Electoribus post *Fredericum* secundum v-

su recepta est: sic verè *Bellarminus.* Et hoc apud omnes Historicos certissimum, sed quare ausi sunt, post hanc á *Gregorio* quinto, sanctionem editam, cæteri Principes in omnium Imperatorum electione sese intromittere? An sanctionem hanc Summi Pastoris cognitam temerare ausi sunt? An vero ignorarunt? Si ignorarunt omnes illi Principes, credibile est, talem sanctionem non extitisse: quam Principes eiusdem Sæculi, in eiusdem promulgatione præsentes, forte etiam & consentientes, forte vt talis sanctio fieret, petentes, ignorasse conuincuntur: si sanctionem hanc cognitam violarunt Principes reliqui; & Principes ipsi uiolati mandati siue Legis summi Pastoris rei erunt, & septem Officiales á reliquis contemptui habiti, & Imperatores ipsi sic electi, non Imperatores, sed vsurpatores: aut quod res ipsa loquitur, Sanctiones Pontificum illis temporibus nullius erant ponderis, nullius authoritatis, & sanctiones papales tum demum authoritatem acquirunt, cum moribus hominum recipiuntur, ætas & consensus, & praxis hominum huiusmodi decretis vires tribuunt, non Pontifex ipse qui eadem promulgat.

Quomodo vero valuit hæc Sanctio post *Fredericum* secundum? « Audito Bellarminum. *Credibile est, constitutionem istam quatenus* « *excludebat omnes Principes ab electione, septem duntaxat exceptis, i-* « *deo non fuisse initio admissam, quia odiosa erat, & nec Principes fa-* « *cile se patiebantur excludi, nec Imperator audebat tot Principes sibi* « *infestos reddere, sed tamen occasione Schismatum, quæ temporibus* « *Frederici 2. in Imperio quotidie exoriebantur, tandem aliquando omni-* « *nium consensu fuisse receptam.*

Quid audio? An Pontifex author est sanctionis *odiosæ*? An audet Pontifex *Principes sibi infestos* reddere? si Imperatorem Principem politicum, patrem patriæ non decuit, odiosam hanc sanctionem, & reliquis principibus qui per eandem á Comitijs imperialibus excluſi sunt plane iniurioſam & iniustam edere; multo minus Pontificem principem Apostolicum, patrem Ecclesiæ decuit, huius sanctionis odiosæ, & iniustæ authorem fieri. Sed tantum mutati ab illis antiquis Pontificibus sunt noui, vt illi amorem conciliare, hi inuidiam non auertere curarentur. Verum enim vero Schismata quę á Pontificibus ambitioſiſſimis, & dominandi cupiditate inflatis, inter regnum & Sacerdotium excitata sunt, huic non tam sanctioni Pontificali, quę nusquam apparet; quam constitutioni Imperiali causam præbuerunt: quia enim omnibus conuenientibus principibus, difficulter in vnum aliquem conueniebant omnes, aut plures siue maior pars, & inde consecutum si: Interregnum per spatium circiter 23. annorum,

in

in quo plures extiterunt Anti-Imperatores: vtpote contra *Fredericum* & *Chunradum* eius filium, & post eorum mortes *Henricus* Lantgrauius Hessiæ, & *Gulielmus* Comes Brabantiæ, *Richardus* Comes Cornubiæ Anglus, & *Alphonsus* Rex Castilliæ, vsque ad *Rodulphum* de Habspurge. Electio hęc vt videtur, ad septem Imperij officiales ex consensu reliquorum Principum delegata est. Sicque reliqui Principes, non authoritate sanctionis Pontificiæ, sed consensu suo, vitandorum schismatum causa, iuri suo in Imperatore eligendo valedixerunt.

Id quod eo probabilius est, quia non Pontifex, sed Imperator, vtpote *Carolus* 4. in Bulla aurea, formam & ordinem & leges totius electionis describit. Et ad Imperatorem, non ad Pontificem spectat excessus & delicta Electorum, præcipue Laicorum, corrigere, eosdemque delinquentes Iure Electoratus priuare. Vnde Onuphrius. *Verum aliqua ex ijs familiis deficiente, munus est Imperatoris, cuius illorum ditiones fœuda sunt, alium & honore Electoratus, & prouincia Domino orbata, donare. Solent quoque tres Electores Laici diuersorum criminum damnati, hac dignitate ab Imperatore mulctari, eaque dignitas pro Imperatoris arbitrio, ad alios transfertur. Sicut nostro seculo fecit Imperator Cæsar Carolus quintus Augustus, qui Ioannem Fredericum Saxoniæ Ducem, & Principem Electorem, crimine læsæ maiestatis damnatum dignitate Electionis priuauit: cui ex eadem tamen familia alium substituit Mauritium nomine, Saxoniæ etiam ipsum Ducem. Quæ omnia & cæteris Electoribus contingere possunt.* Si destitutio Electorum ad Imperatorem, & Comitia Imperialia spectat, non ad Pontificem; constitutio etiam Electorum ad Imperatorem, & Comitia Imperij, non ad Pontificem spectat: Ad eundem enim spectat constitutio, ad quem destitutio, & principia eadem sunt constitutionis & destitutionis, vt supra dictum est.

Atque hic magna inter *Onuphrium* & *Bellarminum* oritur controuersia. Duo dixerat *Onuphrius*. Primo, Electores 7. ante obitum *Frederici* 2. constituti non sunt. Secundo, Nemo probatus author, ante *Frederici* 2. obitum, de his 7. Electoribus mentionem fecit. Secundum hoc vrit Cardinalem: ideoque multos colligit authores qui ante obitum *Frederici* vixerunt, quique horum 7. Electorum meminerunt. De quibus suo ordine dicendum est. 5

Primus est *Martinus Polonus*, qui pœnitentiarius fuit *Innocentij* Papę 4. iuxta *Onuphrium*, in additione ad *Platinam* de *Ioanna* Papa fœmina: cuius ibidem authoritatem elluat Onuphrius: sed vt videtur falsus est *Onuphrius* circa tempora *Martini*. Etsi enim in *Onuphrio*, *Martinus Polonus* fuit pœnitentiarius *Innocentij* 4. at *Martino Polono* ipsi, si credamus fuit pœnitentiarius *Ioannis* 21. sic enim in præfatione ipsius *Martini Po-*

ni & in exemplaribus impreſſis, & in Manuſcriptis habetur. *Ego frater Martinus, Domini Papæ pœnitentiarius, & Capellanus, ex diuerſis Chronicis, ac geſtis ſummorum Pontificum & Imperatorum, præſens opuſculum per annos Incarnationis Domini, ab ipſo Pontifice Ieſu Chriſto, & Octauiano primo Auguſto ſiue Imperatore, per Pontifices & Imperatores deſcendendo, vſque ad Ioannem vigeſimum primum Papam deduxi incluſiue in vna pagina.* Et *Suffridus Petrus Leonardienſis* qui annotationes in eundem *Martinum* edidit, confeſſarium fuiſſe aſſerit Ioannis 21. qui ante Iacobus dictus eſt Lugduni, quique Pontifex fuit creatus Anno 1326. mortuus vero Avinione 1334. ſcribit etiam iſte *Martinus* multa, quæ poſt Ioannem hunc 21. acciderunt. *Claruit Martinus iſte (pœnitentiarius Papæ (ſed cuius non narrat) ſub Ludouico Imperatore 4. Anno Domini* 1320. ſic Trithemius.

Atque hic eſt primus author *Bellarmini*, qui ante obitum *Frederici* 2. vixit. Et tamen mors Frederici 2. incidit in annum Domini 1250. vt *Vrſpergenſis*; ſic inter huius *Frederici* obitum, & Martini claritatem interſunt anni circiter 70. Authoritate *Onuphrij*, videns libenſque deceptus *Bellarminus*, *Martinum* hunc nouitium pro authore antiquo ſubſtituit, ſed verba eius audiamus.

In Othone 3. non in *Gregorio* quinto ſic Martinus. *Et licet iſti tres Othones per ſucceſſionem generis regnauerint: tamen poſtea* (adverte lector illud poſtea) *fuit inſtitutum, vt per officiales Imperij Imperator eligeretur, qui ſunt ſeptem videlicet, primo tres Cancellarij iſti.*

Moguntinus, Treuerenſis, Colonienſis } Cancellarius. { *Germania, Gallia, Italia* } *Marchio Brandeburgenſis. Camerarius eſt.*

Palatinus Dapifer, Dux Saxonia enſem portat. Rex Bohemus Pincernam agit. Vnde verſus.

Moguntinenſis, Treuerenſis, Colonienſis,
Quilibet Imperij ſit Cancellarius horum,
Et Palatinus Dapifer, Dux portitor Enſis,
Marchio propoſitus Camere, pincerna Boemus:
Hi ſtatuunt Dominum cunctis per ſecula ſummum.

Hæc Martinus: qui certe ſi *Gregorio* quinto hanc ſanctionem tribuiſſet in eiuſdem vita, non in vita *Othonis* 3. eandem deſcripſiſſet: præſertim cum *Gregorius* quintus ſedit tantum annis duobus, menſibus ſex, & ſupervixit *Otho*: & tempora *Gregorij* quinti turbarum plena fuerunt: Ideo dicit Martinus: *Et licet iſti tres Othones per ſucceſſionem generis regnauerint; tamen poſtea fuit inſtitutum*: Non dicit.

dicit *Martinus*, quando fuit inſtitutum: ſed poſtea inſtitutum, id eſt poſt *Othones*: non ergo a *Gregorio* quinto inſtitutum. Et Baronius: Tom. 10. ad annum 996. numero 70. hæc verba, tamen poſtea: non de tempore *Othonis*, ſed ipſius *Martini* intelligit. *Hæc Martinus primus omnium autor, qui ſeptem meminit Electorum: In Othone tertio referens, quæ poſtea ſuo tempore facta eſſent: vnde irrepſit error, vt ſub Othone tertio, ſub quo id ab eo ſcriptum inuenerunt, multi putauerunt, ſeptem fuiſſe creatos Electores.* Et in Henrico primo ſucceſſore Othonis tertij proximo addit. *Hic Henricus primus Dux Bauarorum, ab omnibus principibus in Imperatorem electus.* An omnes Principes huius conſtitutionis tam cito obliti, *poſtea* hoc æqualiter de temporibus *Frederici* ſecundi, & *Othonis* tertij, apud *Martinum*, intelligi poteſt. Teſtis iſte nihil pro cauſa *Bellarmini*, nec quo ad tempus, nec quo-ad Pontificem dicit.

2. Eſt *Thomas Aquinas*, qui moritur anno 1274. annum agens quinquageſimum: cum ad concilium Lugdunenſem pergeret. Eſto; nec enim de ætate *Thomæ* litem mouemus: Quid hoc ad autorem libri de regimine Principum: noſti cuius hæc ſunt verba. *Nam non eſſe Sanctum Thomam eorum autorem, multa oſtendunt: ſed præcipue id quod habetur in Lib. 3. Cap. 20. de ſucceſſione Adolphi & Alberti Imperatorum, ſcribit enim autor eorum librorum, ſuo tempore id accidiſſe, vt Adolphus Rodolphus, Adolpho Albertus ſuccederet conſtat autem Sanctum Thomam obiiſſe anno ſalutis 1274. neque in his temporum ſupputationibus, vlla ſunt Chronographorum diſſenſiones. Thomas* ergo fatente *Bellarmino*, non eſt autor horum librorum de regimine Principum, In quo obſeruet lector *Bellarm.* vafritiem, cum libri iſti de regimine Principum, contra ipſum faciunt, vt in cauſa poteſtatis directæ, tunc non ſunt Sancti *Thomæ*: Cum pro ſanctione Pontificis, & antiquitate Electorum faciunt, tunc ſunt Sancti *Thomæ*. Peſſima vero hæc eſt Regula: *Illud verum eſt quod facit pro nobis. Thomas iſte quinquagenarius autor horum librorum de Regimine Principum, tempore Frederici 2. vix natus erat, aut infans vnius anni, Baron. Tom. ad annum 996. num. 70.*

Etſi vero Thomas iſte ſuppoſititius dicat, *extunc* (vt hiſtoriæ tradunt) *1. poſt Othonem tertium, per Gregorium quintũ genere itidem Teutonicum promiſſam eſſe electionem, vt videlicet per ſeptem Principes Alemaniæ fiat, &c.* Tamen nullam hiſtoriam, aut *Thomas* iſte, aut alius quiſquam pontificius producere potuit, *Frederico* ſecundo antiquiorem, qui iſtam ſanctionem *Gregorij* quinti narret, vt recte adnotauit *Onuphrius*: niſi forte *Martinum Polonum* intelligat, vt Baronius, qui vero *Thomæ* iunior eſt. Non ſolum ergo *Thomas* iſte ſuppoſititius eſt, & falſus, ſed etiam & falſarius: narrat enim hanc conſtitutionem a *Gregorio* quinto factam, vt tradunt Hiſtoriæ: & tamen ne vna hiſtoria (non dicam

dicam Historiæ) ostendtur in qua habetur hæc Sanctio Gregoriana. Mala fide *Thomas* historias retulit: Male fide *Bellarminus* fallam supposuit Thomam pro vero: *Nisi forte*: (quod Pontificijs familiare est) *ista narratio in opere Sancti Thomæ ab aliquo alio postea inserta fuerit.* Vt ibidem Bellarm. An vero Electores cum patientia reliqua verba Thomæ audient? *Tantum durabit* (Constitutio hæc Electorum) *quantum Romana Ecclesia, quæ supremum gradum in principatu tenet, Christi fidelibus expediens indicauerit.* An pro libito Pontificis Electores dispungendi sunt?

3. Est Beatus *Augustinus* Triumphus, puer septennis, cum moreretur *Fredericus* secundus; vixit enim annis 85. moritur anno 1328. vt ex Epitaphio eiusdem Neapoli constat, Claruit vero iuxta *Trithemium* sub *Ludouico Bauaro* Imperatore quarto, & Iohanne 22. Anno Domini 1330. Sic post mortem *Frederici* secundi, superuixit circiter annos 80. qui quid ante *Frederici* secundi mortem factum fuerit nihil præter auditum habet, ex relatione scilicet aliorum, non ex scientia propriâ. Atq; hic quidem potestatis directæ assertor vehemens: & proinde non est mirum si Electorum constitutionem Pontifici tribuit, qui Imperatorem vicarium Pontificis facit, & potestatem regiam & Imperialem, a Pontificis monarchia temporali, per viam dependentiæ et causalitatis deducat.

Atq; hic quidem parum candide cum *Onuphrio* agit *Bellarm.* verba *Onuphrij* hæc sunt. *Nam ante Frederici secundi, fortissimi Imperatoris* (non sic Innocentius quartus) *obitum, qui anno Christi 1250. excessit, nullus eorum scriptorum quorum testimonia mox citabo, de hac electionis vel electoris voce, vel officio, vnquam mentionem facit*: Et iterum, *Itaq; cum nullus nec Germanus nec Italicus, nec cuiusvis gentis autor, qui tamen ante Frederici secundi obitum vixerit vel verbum quidem de hac re faciat.* Non hic *Onuphrius* de ijs loquitur, qui nati sunt viuente *Frederico* secundo, vt iste *Augustinus* de Ancona, puer septennis, sed qui scriptores erant, et doctrinâ et experientiâ insignes, quiq; scire poterant, qualis fuerat Electionum Imperialium ante *Fredericum* secundum forma. *Quorum* (inquit) *testimonia mox citabo*, citat vero *Rheginonem*, *Othonem Frisingensem*, *Abbatem Vrspergensem* alioscq; illorum temporum historicos omnes insignes: apud quos altum est de Electoribus septem silentium. Quærit autorem scriptorem ve *Onuphrius*, qui tempore *Frederici* secundi vixit? Substituit *Bellarminus* puerum septennem qui annis 80. postea floruit; Egregia penuria autorum, cum pro autoribus *Frederici* secundi Coætaneis, supponitur puer septennis.

Quod ad verba *Augustini* huius attinet. *Gregorius quintus tempore Othonis Imperatoris, conuocatis & requisitis principibus Alemaniæ septem electores instituit, officiales ipsius Curiæ Imperialis, &c.* quamuis verba hęc impro-

improbabilia sunt, vt supra ex silentio antiquorum historicorum coætaneorum, & aliorum proximorum, & ex praxi, & forma electionum vsque ad *Fredericum* secundum patet; ante cuius mortem nemo ex Imperatoribus sic electus est; nihil tamen aut parum contra nos faciunt. Ex his enim manifestum est, quod et *Bellarminus* concedit sanctionem hanc, non sola *Gregorij* 5. authoritate Pontificia siue Sacerdotali stabilitam fuisse, sed ex Imperatoris, & Principum Alemaniæ consensu, quorum maxime intererat, de forma electionis Imperialis decernere, ortum habuisse. In qua *Gregorius* tanquam primas, siue Patriarcha Occidentalis, et Princeps Imperij temporalis primarius consensit. Quorsum enim convocantur et requiruntur Principes Alemaniæ, nisi vt de hac electionis forma consultarent, et eandem votis suis approbarent? Potuit enim Pontifex solus, sine Principibus, hanc sanctionem edere, nec Principes è Germaniâ convocare, si ad ipsum solum spectaret talium sanctionum promulgatio: Quanquam authorem probatum, post annos ducentos viventem decuit, Authores et Historicos, ex quibus huiusmodi convocationem, requisitionem, & sanctionem acceperit nominare; ne ipse nouitatis argueretur: Et iuste in hâc causa reprehendi potest *Augustinus* iste, homo in scholâ Theologorum, potius quam in historia temporum versatus, in qua plerunq; ignari sunt scholastici, qui pro *Childerico* vltimo *Merouingicorum*, *Ludouicum* vltimum *Carolouingorum*, à *Zacharia* depositum narrant.

4. Est *Henricus* Cardinalis *Ostiensis*: qui iuxta *Trithemium* referente *Bellarmin.* floruit Anno 1240. annis 10. ante *Frederici* 2. obitum: annis vero 34. ante Concilium Lugdunense: at verba *Trithemij* hæc sunt: *Claruit Imperio vacante Anno Domini* 1250. Et hoc anno moritur *Fredericus* 2. Et vt Forsteius: *Floruit anno Christi* 1255. At verba priora: *Claruit Imperio vacante*, hoc est in Inter-regno inter *Fredericum* secundum, & *Rodulphum de Habspurg*: rem totam expediunt. In illo enim inter-regno, & schismate, septem Electores constituti sunt, et proinde *Ostiensis* qui in hoc inter-regno floruit, potuit hanc septemvirorum constitutionem, et nosse, et etiam in cõmentarium suum transferre: sicut enim ex malis moribus bonæ leges; sic ex inter-regno et schismate hoc, nata est hæc constitutio de septem Electoribus, in quos à cæteris Principibus consensum est, solius schismatis et dissensionis vitandæ causâ.

Et *Ostiensis* sæpe in hoc C. Venerabilem, de *Frederico* nunc deposito mentionem facit. *Et scripsit hos Commentarios in Epistolas Decretales hortatu Alexandri* 4. *& vixit ad annum* 1281. Authore Bellarmin. de scriptoribus Ecclesiasticis, Et proinde electionem *Rodulphi Habspurg* vidit, qui per hos 7. officiales electus est.

Sed testimonium *Ostiensis* perpendamus: Memorat quidem septem horum

horum Electorum: & de Rege Bohemiæ dicit; *Sed iſte ſecundum quoſdam non eſt neceſſarius, niſi quando aliqui diſcordarent: nec iſtud habuit ab antiquo: ſed de facto, hoc hodie tenet.* Non ergo verum eſt quod aſſerit *Bellarminus*, hos ſeptem a *Gregorio* quinto conſtitutos, *Quia Rex Bohemiæ hoc non habuit ab antiquo, ſed de facto iam tenet* Conſultò autem prætermiſit *Bellarm.* verba *Oſtienſis* quia conſtitutionem *Gregorij* non ſolum tacet, ſed etiam prorſus euertit. Explicans enim verba illa Innocentij, *Ad illos Principes de iure ſcilicet communi*, poſt citationem nonnullarum legum: *Hæc iura* (inquit) *probant, quod Imperator a populo eligitur, & habet iuriſdictionem, Alibi tamen dicitur, quod Deus miſit ipſam legem animatam in terris. Vnde Sacerdotium & Imperium ab eodem fonte ſcilicet Deo proceſſerunt.* An placent iſta *Bellarmine*, an conueniunt cum ijs quæ ex *Thoma* inter Scriptores Italicos & alibi docuiſti? *Et ideo non multum differunt, ſcilicet quoad Principium, Habet ergo populus eligere ſibi Principem de iure communi, vt dictum eſt, ſecundum quod, quodlibet collegium prælatum ſibi eligit. Vel de iure communi, id eſt naturali ratione, a qua procedit ius. Et antiqua conſuetudine ſcilicet præſcripta & rationabili, qua ius tribuit eligendi.* Hæc Oſtienſis, qui ſi ſanctionem Gregorianam nouiſſet, nunquam ad ius naturale, quo populus ſibi eligit magiſtratus, confugiſſet: Quod ſi *Innocentio* & *Oſtienſi* ignota fuerit hæc Sanctio Gregoriana, qui manibus pedibuſq; id agunt, vt poteſtatem Pontificiam amplificent; quis audiendos iudicat Poſteros, qui hanc electorum conſtitutionem *Gregorio* quinto tribuunt? ſi enim *Gregorius* quintus autor fuiſſet huius ſanctionis, nunquam in genere dixiſſet *Innocentius. Quibus de iure & conſuetudine debetur*, ſed quibus ab Apoſtolica ſede conceſſum eſt: Recte enim de *Innocentio Oſtienſis* in hoc capite: *Alliciendo principes trahit farinam ad proprium Molendinum*: ſi ius hoc Electoribus tribuiſſet *Gregorius* quintus, nunquam ad tranſlationem Imperij confugiſſet. Sed præciſe dixiſſet, ius hoc datum eſt a *Gregorio* quinto & ſede Apoſtolica. Non dixiſſet Innocentius. *Illis principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodùm promouendum recognoſcimus, vt debemus, ad quos de iure & antiqua conſuetudine dignoſcitur pertinere. Præſertim cum ad eos ius, & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, qua Romanum Imperium in perſonam Magnifici Caroli a Græcis tranſtulit in Germanos.* Præterea verba hæc, *de iure & antiqua conſuetudine*, non poſſunt, niſi de omnibus Principibus intelligi, quia ante tempora Innocentij tertius, nullus Imperator per ſuffragia tantum ſeptem Electorum promotus eſt. Si Conſtitutio hæc, ſeptem Electorum in ſanctione Gregoriana, ortum haberet, non dixiſſet *Oſtienſis*, Ius antiquum fuiſſe, vt populus eligeret Imperatorem, & de iure ſiue ratione naturali ius hoc dimanaſſe. Nec ergo *Innocentius* tertius nec *Oſtienſis* hoc loco de San-

ctione

ctione Gregoriane intelligi possunt. *Ostiensis* autem ideo 7. hos Electores in explicatione huius capitis recenset, quia in schismate vixit, in quo *Henricus* contra *Guilielmum*, & *Richardus* contra *Alphonsum* & etiam *Rodulphus de Habsburge* per potestatem electores ad imperium promoti sunt. *Ostiensis* ergo cum Domino *Innocentio* pastes nostras contra *Bellarminum* agit.

Quintus est Author Chronici manuscripti *Friderici* 2. æqualis, qui captum à se scribit hoc Chronicon testatur Anno 1240. decimo ante obitum *Friderici* Anno. Is est *Albertus Stadensis* ni fallar, editus Wittenbergæ è Bibliotheca *Henrici Rantzovii*, qui Historiam suam ab orbe condito, ad annum 1256. continuavit, in quo occisus est *Guilielmus* Hollandiæ qui in Schisma ante Rex Romanorum dictus est. Non est ergo mirum, si hos Electores loco citato enumerat, qui in illo dissidio vixit, in quo sicut omnes consentiunt, potestas Imperatoris eligendi ad ipsos solos delata est, sed de sanctione Gregoriana aut Pontificia, aliud est apud hunc *Albertum* silentium: imo verò de ea nostram causam agit. Verba eius sunt: *Papa Gregorius* (nonus) *insolentias Imperatoris contra Ecclesiam metuens, Principes super Electione alterius solicitavit, sed nihil profecit, quia quidam Principum ei rescripserunt; Non esse sui iuris Imperatorem substituere, sed tantum electum à Principibus consecrare.* (Papa ergo non habet ius Imperatoris deponendi) *Electio enim ad illos dignoscitur pertinere. Ex prætaxatione principum, & consensu eligunt Imperatorem, Trevirensis, Moguntinus & Colonensis. Palatinus eligit quia Dapifer est. Dux Saxonia quia Marscallus, & Marchio Brandeburga, quia Camerarius; Rex Bohemiæ, quia pincerna est, non eligit, quia Teutonicus non est.* Hæc Albertus. Quod si verba Authoris illi pondera facies *Bellarminus*, non potuit non videre: potestatem hanc esse penes Electorum, non ex sanctione aliqua Pontificia, aut Gregoriana, sed ex populi & Principum consensu dimanasse. Perspicue enim Albertus. *Ex prætaxatione principum, & consensu, eligunt Imperatorem Trevirensis, &c.* Ex consensu & præcatione Principum, non ergo ex authoritate siue decreto *Gregorii*. Quæ verba sic *Baronius* etiam intelligit ad Annum 996. Num. 67. *Ipsis expostulantibus principibus simul consentientibus: nam hoc est aliud quod ait, ex prætaxatione principum, & consensu.* Et hoc iuxta regulam iuris communis, siue naturalis iuxta quam, populus eligit Imperatorem, potestas per Principes suos, Principes verò per hos septem Electores, qui (*Albertus*) ex prætaxatione & consensu Principum Imperatorem eligunt.

Sextus est Lupoldus de Babenberge, Cap. 2. *De iuribus Imperij*, qui tempore *Ioannis* 22. vixit, & causam *Ludouici Bauari* strenuè contra

Pon-

& *Henricus* iſte electus eſt ab omnibus aut pluribus Principibus, non à ſeptem electoribus: ſiue ergo de Inſtitutione, ſiue ſanctione loquatur *Aluarus Pelagius*, quæ facta eſt Anno 997. vel 998. vel 999. ſiue de prima electione poſt hanc inſtitutionem factam Anno 1003. aperte mendax eſt.

Verum fraudulenter in hac teſtis ſui productione nobiſcum agit *Bellarm.* verba præcedentia quæ ad propoſitum magis faciunt omiſit. *His* (inquit) *peractis vlterius per ordinationem Eccleſiæ viuente Gregorio* (non ergo anno 1003.) *vocatis & requiſitis dictis Principibus Alemaniæ, inſtituti ſunt per Papam, de conſenſu Principum, Electores; videlicet officiales curiæ Imperialis, qui quidem ſunt ſeptem, quatuor Laici, & tres Clerici, &c.* Vocati & requiſiti ſunt Principes, & eorum conſenſu Electores conſtituti. Ius ergo & poteſtas ſeptem electorum, non ſolum ab Inſtitutione Pontificis, ſed etiam à conſenſu Principum vim habet: Et poterat Princ pes de iure naturali, vt ſupra *Oſtienſis*, poteſtatem & vices ſuas in Imperatore deligendo, his ſeptem delegare. Valet ergo hæc conſtitutio, Principum conſenſu facta, ſine ſanctione, aut decreto, aut confirmatione Pontificis. Quod ſi Pontifex vt Pontifex, & Vicarius *Chriſti* quicquam faciat, non indiget conſenſu Principum aut populi. An vero Pōtifex poſſit & electores deſtituere, & regna tranſferre, & Principes de ſede ſua deponere vti *Alvarus* iſte, videant Electores & Principes: Interim ad ſequentes teſtes me confero.

Octavus eſt *Ioannes Villanus* qui circa tempora *Ioannis* 22. & *Ludovici Bauari* vixit. Hunc Italum, Italice ſcribentem, videre non licuit, verba prout à *Bellarmino* colliguntur, hæc ſunt. *Poſt obitum Othonis* 3. *conſtitutum fuiſſe, idque ſummi Pontificis authoritate, vt deinceps à ſeptem Imperij Principibus Imperator diceretur, quos ibidem enumerat.* Si verba ipſa vidiſſem, forte aliquid occurreret obſeruatione dignum: vti in alijs videre eſt. Miror autem *Bellarminum*, apertam in his verbis contradictionem non vidiſſe. Poſt obitum *Othonis* 3. conſtitutum eſt idque ſummi Pontificis authoritate. *Otho* enim moritur Anno 1003. *Gregorius* 5. cui hanc ſanctionem aſcribit *Bell.* moritur 999. vt ex Hermanno Contracto, Lamberto Scaffnaburgenſi, *Mariano Scoto* & *Sigeberto* manifeſtum eſt.

Si ergo conſtitutio hæc facta eſt, poſt mortem *Othonis* 3. non eſt facta authoritate *Gregorij* 5. Pontificis qui anno *Othonis* decimo ſexto, & anno Chriſti 999. moritur. Si facta eſt authoritate ſummi Pontificis *Gregorij* quinti, tunc facta eſt, non poſt, ſed ante mortem *Othonis* 3. aut ergo mala fide retulit Bellarm. verba teſtis ſui, aut teſtis iſte non ſolum cum *Bellar.* ſed etiam cum alijs omnibus pugnat, (nemo enim hanc ſanctionem, *Syluestro* 2. præceptori *Othonis*, qui animam Diabolo dedit,) aut alij cuiquam Pontifici ante *Innocentium* 4. tribuit.

Nono...

5. confirmantur multa per hos Electores, quæ Pontifex non habet, nominatim Regnum Siciliæ, Corficæ, Sardiniæ; quæ Hispanus possidet: qui forte, si hoc Instrumentum haberet, aut in hoc libro, descriptum obseruasset, eadem regula, hos de translatione libros prohibuisset in Hispania diuendi, qua Tom. Baronij .11. prohibuit, in quo Regnum Siciliæ iuris Pontificij esse asseritur. 6. Noua hæc est confirmationis formula vt Principes ea confirmarent, quæ in posterum facturus esset R. Rex Romanorum. Quid enim si R. Rex Romanorum, Principatus istorum Principum Electorum daturus esset, Pontifici & Ecclesiæ Romanæ? An ratam haberent Principes huiusmodi donationem. 7. Instrumentum hoc ad Imperij exinanitionem, & dissipationem pertingit, & proinde nullius roboris & authoritatis esse debet. Vnde probabile non est, Principes huiusmodi confirmationem recognouisse, qui ideò ad hanc dignitatem promouentur, vt Imperij amplitudinem conseruent.

Quod autem ad Instrumentum ipsum attinet iste R. Rex Romanorum vt videtur fuit *Rodulphus* de Habspurge, qui Rex appellatus est anno Domini 1273. & annis 17. regnauit. Aut ergo *Rodulphus* iste talem fecit donationem, quæ forte in Arce Sancti Angeli non extat; aut Principes isti talem confirmationem non fecerunt. Cum *Bellarminus* donationem ostenderit, maior fides huic confirmationi adhiberi potest.

At dicunt Principes isti. *Complectens ab olim sibi Romana Ecclesia* « *quasi germana charitate Germaniam*, ergo infert Bellarm. *non intelligunt* « *decretum Gregorij 10. aut Concilij Lugdunensis cum Epistola hæc qua-* « *tuor tantum annis post obitum Gregorij 10. quinq; vero post Conci-* « *lium Lugdunense scripta sit.* Esto vero Olim hoc, plures denotet annos quam quatuor aut quinq;. Ego enim nec a *Gregorio decimo*, nec a Concilio Lugdunensi editam hanc sanctionem agnosco. At Principes non de constitutione Electorum, sed de translatione Imperij hæc verba proferunt: *Ab olim Romana mater Ecclesia illum eo terreno dignitatis nomine decorauit quod est super omne nomen temporaliter præsidentium super terram*, hoc est Imperij non Electoratus nomine.

Deinde vero post Imperij translationem, *plantans* (inquiunt) *in ea Principes, postea rigans eos singulari gratia vt ipsius Ecclesiæ authoritate suffulti velut germen electum per eorum electionem, illum qui frena Romani teneret Imperij germinarent.* Si vox hæc *Ab olim*: tam ad Electores quam ad Imperatorem referatur, Ecclesia Romana cum transtulit Imperium in persona *Caroli Magni*, tunc etiam Electores 7. instituit: id quod innuere videtur *Innocentius* 3. in C. Venerabilem & affirmat *Iordanis* sed falso: quia Imperium per successionem hæreditariam, non

per electionem, per multas generationes in familia *Caroli* duxit. *Ab olim* ergo, non magis ſanctionem *Gregorij quinti*, quam *Leonis tertij*, deſignat, & forte Electoribus, id *Ab olim* dicitur, quod poſt mortem *Frederici ſecundi* factum eſt: quia antiquitatis pallio nouitatem ſuam obtegere cupiebant.

5. Sequuntur, Cap. 3. apud *Bellarminum*, alij authores qui hanc conſtitutionem ſummo Pontifici tribuunt. Inter hos .1. eſt *Innocentius tertius* ad Ducem Zaringiæ de Electione & Electi poteſtate C. venerabilem: verba ſunt. *Verum illis Principibus ius & poteſtatem eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum recognoſcimus, (vt debemus,) ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere. Preſertim cum ad eos ius & poteſtas huiuſmodi ab Apoſtolica ſede peruenerit, quæ Romanum Imperium in perſonam magnifici Caroli, a Græcis tranſtulit in Germanos.* Illis Principibus: ergo certi aliqui erant, non omnes; non ſequitur: Imo magis omnes, quam certos aliquos innuit *Innocentius in* illis verbis. *Ad quos de iure & antiqua conſuetudine noſcitur pertinere*; Ius enim hoc, Ius naturale, ſiue ratio naturalis, vti ſupra *Oſtienſis*, & *Ioannes Andreas*, & communiter omnes intelligunt: Et ius naturale, ſiue ratio naturalis omnes æqualiter Principes intendit, aut ſi non omnes, ſed aliquos certos, eos certe quos illi conſtituerunt, qui vices ſuas in Imperatore Eligendo obirent, quorum de iure naturali intereſt de Imperatore ſibi prouidere: Ius ergo hoc, non ius Pontificium, ſed naturale: & ius naturale populo poteſtatem tribuit Imperatoris ſui eligendi, & Electores inſtituendi, qui partes ſuas agant in eadem electione. Conſuetudo verò antiqua rem planam facit; omnes enim Principes in ſingulis Electionibus Imperatorum, ius & poteſtatem hanc exercuerunt. Illos ergo Principes intelligit *Innocentius*, qui & de iure naturali, & de conſuetudine antiqua ius & poteſtatem habuerunt: hoc eſt omnes, qui adeſſe volebant. Et in hac Epiſtola reſpondet *Innocentius tertius*, Epiſtolæ eorum Principum qui *Philippum* elegerunt contra *Othonem*; quorum nomina recenſet *Baronius* Tom. 10. ad annum 996. num. 61. & 62. Ij ſunt *Magdeburgenſis, Treuerenſis, Biſuntinus, Archiepiſcopi: Ratisbonenſis, Friſingenſis, Auguſtanus, Conſtantienſis, Eichſtatenſis, Wormatienſis, Spirenſis, Brixinenſis Electus Hyldesheymenſis, Epiſcopi: Fuldenſis, Heſauoldenſis, de Tergezte, Abbates: Item Rex Bohemiæ, Dux Saxoniæ, Dux Bauariæ, Dux Auſtriæ, Dux Moraniæ, Marchio de Rauueſperg, aliiq; Alemaniæ nobiles, præter abſentes, qui per literas conſenſum præſtiterunt.* Vnde de *Oſtienſi* ſic *Baronius* Tom. 10. ad annum 996. num. 62. *Ex quibus redarguas Oſtienſem, dum interpretans decretalem illam, hos, quos ipſe Papa, exiſtimauit fuiſſe illos ſeptem, vulgatos ore omnium Electores: Nam ex his perſpicuè intel-*

telligimus, quam procul abſit, vt temporibus Innocentij Papæ tertij, ſeptem tantummodo fuerint Electores, cum liqueat ex dictis Epiſtolis (Principum ſcilicet, & qui Othonem, & qui Philippum elegerunt, ad Innocentium) *omnes Imperij feudatorios Eccleſiaſticos, Archiepiſcopos, & Abbates, & ſeculares Principes, Duces, Marchiones, Comites, & Barones, legitimos eſſe habitos Electores Romanorum Regis, deſignati Imperatoris. Sed neq; id mutatum reperitur, cum anno milleſimo ducenteſimo duodenigeſimo, poſt Othonem Fredericus ſecundus creatus eſt Cæſar: vt apparet ex comitijs ea de cauſa habitis.* Neq; vero horum Principum, ſiue omnium, ſiue aliquorum, inſtitutionem tribuit *Innocentius*, aut *Gregorio quinto*, aut alij cuiquam Pontifici ſummo: ſolum hoc dicit, ius hoc ad illos peruenisſe ab apoſtolica ſede, non quæ Electores inſtituit, (quod proculdubio non tacuiſſet *Innocentius*, nec ad tranſlationem Imperij recurriſſet, ſi huiuſmodi ſanctionem recognouiſſet) ſed quæ Imperium Romanum in perſonam *Caroli Magnifici* a Græcis tranſtulit in Germanos. In verbis ergo *Innocentij* nihil eſt, quod pro ſanctione Gregoriana facit: quod eo magis manifeſtum, quia in electione tum *Philippi* Ducis, tum *Othonis* Regis, plures aderant Principes quam ſeptem Electores, ſicut apud omnes Hiſtoricos manifeſtum eſt, nec audet quiſquam hoc negare.

2. Eſt *Philippus Bergomas*: (de *Oſtienſi* enim, *Thoma*, *Auguſtino* de *Ancona*, *Aluaro Pelagio*, & *Ioanne Villano*, antiquioribus ſupra dictum eſt,) eius verba ſunt. *Vnde Gregorius ipſe, vt Imperij dignitas apud Germanos ſuos perpetuò remaneret, Synodo congregata, ſanctionem tulit de Imperatore eligendo, quæ vſq; in hodiernum diem obſeruatur.* Verba iſta perſpicua ſunt: quibus hoc vnum addo. In hac Synodo fuerunt non ſolum Clerici, ſed & Principes Laici, qui vocati & requiſiti ſunt, vti *Alnarus Pelagius*: non ergo hæc eſt inſtitutio ſolius Pontificis, qua Pontifex eſt, ſed qua ciuis, & membrum totius Reipublicæ repræſentatiuæ, quæ de iure naturali poteſtatem habet Electores deſignandi, qui vices ſuas in Imperialibus comitijs peragant: At in Philippo hoc recenſendo falſarius *Bellarminus*: ſtatim enim addit in Ioanne 17. qui hunc Gregorium opera *Creſcentij* Conſulis è Pontificatu eiecerat: (& vix potuit *Gregorius* talem Synodum Principum, & Cleri poſt ſuam reſtitutionem congregare) *Gregorius prædictus hoc anno, Synodo congregata, ſtatutum tulit* (Et ſtatutum, potius edictum comitiorum quam Conciliorum) *de Imperatore deligendo, quod etiam vſq; ad hoc tempus cum omni obſeruantia ſeruatum videmus; vt in futurum, non per ſanguinis ſucceſſionem Imperij dignitas duceretur, ſed per ſolos Germaniæ proceres, vna cum quibuſdam Pannoniæ & Vngariæ Principibus, Imperator deligeretur; qui Cæſar & Romanorum Auguſtus appellaretur.*

Postea enumerat septem Electores, ad quos hodie pertinet Imperialis Electio: Antiqua ergo constitutio, cuius author *Gregorius quintus* iuxta hunc Philippum, ad Principes Germaniæ, Pannoniæ, & Vngariæ pertinebat, altera hæc de septem Electoribus noua est: Id verba ipsius *Philippi* docent. *Quod etiam vsq; ad hoc tempus, cum omni obseruantia seruatum videmus.* Quia non est seruatum a tempore *Othonis*, ante mortem *Frederici secundi* nullus enim Imperator per hæc tempora a septem-viris, sed per omnes Principes electus est: nullus inter septem viros Vngarus est, aut Pannonius. Perplexus iste & dubius est *Philippus*, nec satis constat quid in hac causa statuat: & nouus est qui historiam ad annum 1500. continuauit.

3. Est *Blondus*: qui de *Gregorio quinto* hæc habet. *Gregorius quintus acerrimam de accepta a Romanis iniuria vltionem sumpsit, paulo postquam redierat, eam fecit de Imperatoris electione sanctionem, quam huc vsq; per annos supra Quadringentos seruatam videmus, solis lucere Germanis, qui inde Electores sunt dicti, Principem deligere*, quos nominatim enumerat. Et infra: *Annum in quo hæc sanctio a Pontifice Gregorio facta est, secundum supra millesimum Christiana salutis fuisse inuenimus.* In his multa sunt reprehendenda, dicit *Bellarminus* sanctionem hanc odiosam esse, quæ Principes excludebat, & Imperatori infensos reddebat, ideo a Pontifice potius quam ab Imperatore editam: solent enim propter lucrum suum Pontifices, Principes Imperatoribus, & Imperatores Principibus, odiose sanctionibus infensos reddere; at sanctio hæc non solum odiosa, sed etiam malitiosa & vindictæ plena est; iuxta *Blondum*. Rectius alij: *Gregorius* videns Imperij imbecillitatem, & patriam suam ornaturus: at male *Blondus*, acerrimam de accepta a Romanis iniuria vltionem sumpsit. Sanctio ergo ista, ex animo legislatoris iniusta est, quia animo vindictæ, & cum iniuria Romanorum & Italorum quorum maxime intererat de Imperatore suo vtpote Romanorum prouidere, lata est.

Duo verò in hoc testimonio manifeste falsa sunt. 1. non est seruata vel vt *Philippus Bergomas*, cum omni obseruantia seruata, hæc sanctio per annos supra quadringentos: nec hoc vidit *Blondus* qui falsum in hac causa testimonium, testis auritus profert. Imo vero vti fatetur *Bellarminus*, ante obitum *Frederici secundi* nullus Imperator per hos septem viros electus est, & Itali in electione Imperatorum sæpe aderant: per annos ergo ducentos vidit *Blondus* nimium oculatus, quod non vidit. Nec enim aut sanctio ipsa seruata est quæ aut nunquam extitit, aut certe perijt, aut sanctionis praxis vlla ante *Frederici secundi* obitum fuit, vt abunde probat *Onuphrius*.

2. An-

2. Annus in quo hæc sanctio a *Gregorio* 5. facta est, non potest esse millesimus secundus, vti *Blondus*: nisi mortua sanctio a Pontifice mortuo edita sit. Nam iuxta *Hermannum Contractum*, *Lambertum Schaffnaburgensem*, *Marianum Scotum*, & *Sigebertum*, (quibus consentientibus contra mille *Blondos* credendum est,) moritur *Gregorius* 5. anno Nongentesimo nonagesimo nono, & in eius locum ab *Othone* 3. *Syluester* 2. antea *Gerbertus* dictus, & *Othonis* Præceptor suffectus est; & proinde nisi de cœlo dilapsa sit hæc sanctio al *Gregorio* 5. edi non potuit. Verum de temporum hac Chronologia, plura in *Nauclero*.

4. Est *Platina*, cuius verba eadem pene sunt cum *Blondo*: *Gregorius quintus, sanctionem retulit, haud abnuente Othone*, &c. Sed in duobus labitur cum *Blondo* 1. quia hæc sanctio non est seruata ante tempora *Frederici* 2. quia non est hæc sanctio facta a *Gregorio* 5. Anno millesimo secundo quia moritur *Gregorius*, secundum Antiquiores *Hermannum*, *Lambertum*, *Marianum*, *Sigebertum*, anno 999.

5. Est *Raphael Volaterranus*: qui hanc institutionem *Gregorij* 5. ad annum millesimum secundum, vt *Blondus* & *Platina*, sicut & *Polydorus Virgilius* refert, & iuxta antiquos, *Gregorius* moritur anno 999. *Otho* vero anno 1002. Addit *Volaterranus* Epitaphum *Gregorij huius*, ad aram diui *Gregorij* in Basilica *Petri*, vitam eius testans versibus Barbaris. In quibus de hac sanctione, siue Electorum constitutione, altum est silentium: nec veri speciem habet, quod hanc tam insignem, & toto orbe notissimam constitutionem prætermisisset, qui nihil, quod ad amplitudinem Pontificum spectat, in huiusmodi elogijs intactum relinquit.

6. Est *Polydorus Virgilius* qui errorem *Blondi* secutus, de Anno millesimo secundo, idem asserit quod *Blondus* acsi post mortem *Gregorius* hanc ediderit sanctionem,

His adiungit *Bellarm.* Iurisconsultos quosdam: quorum in hac causa perexigua, aut pene nulla esse debet authoritas, quia ius Pontificum interpretantur & sequuntur, & in verba Pontificum iurant. Sed ipsum sequamur.

Ioannes Andreas, locis citatis horum electorum non meminit, & in C. venerabilem sequitur *Hostiensem*, quod scilicet potestas eligendi Imperatorem, penes Principes sit, de iure (scilicet naturali) & antiqua consuetudine: adeoq; non de septem viris, sed de omnibus Principibus intelligendus est. Cardinalis *Zabarellis*, horum Electorum meminit & agnoscit potestatem hanc de iure & antiqua consuetudine, ijsdem ab Ecclesia Romana peruenisse. *Sicuti tamen legitur in historijs, institutio horum non fuit facta tempore translationis Imperij facta a Græcis, sed postea mortuo Othone* 3. At Gregorius 5. ante *Othonem* 3. moritur

tribus annis; Constitutio ergo ista nulla ratione a *Gregorio* quinto fieri potuit.

Albericus eosdem Electores recenset: sed quod a *Gregorio* aut Pontifice instituti sunt, non dicit; quin potius contrarium dicit, quia de iure & antiqua consuetudine ad eos spectat Electio: & Ius hoc, non sanctio Pontificis, sed ius naturale siue ratio naturalis, vt *Ostiensis*.

Baldus in Margarita, verbo Annus, de anno dubitat; vtrum millesimo an millesimo quarto constituti sint; enumerat ibidem Electores septem sed a quo facta sit hæc constitutio non declarat. sic nihil ad rem nostram dicit.

Antoninus part. 2. titul. 16. cap. 4. enumerat hos septem Electores: & sequitur *Martinum Polonum* in Chronicis. Vbi vero dicit *Martinus postea fuit institutum*: *Antoninus* aperte dicit: *post mortem tamen vltimi* scilicet *Othonis 3. vt dicit Martinus in Chronicis, institutum fuit; vt Imperator Principum pronisione eligeretur* scilicet *per officiales Imperij, qui sunt septem, &c.* Non dicit *Antoninus*: Institutum fuit a *Gregorio quinto*, vel pontifice, nec de *Gregorio quinto* sic dicere potuit: Ipse enim mortem *Othonis* 3. in annum millesimum tertium reijcit: & *Othonem* 3. *Syluestrum* magistrum suum post *Gregorium quintum*, ad Pontificatum promouisse asserit. tit. eodem C. 1. §. 17. in fine: & Gregorius quintus iuxta *Antoninum* ad Cathedram Petri ascendit anno 992. & sedit annis duobus, mensibus quinq; Et *Syluester* 2. anno millesimo minus 3. ad Pontificatum ascendit, vtcunq; ergo in Chronologia dissentiat Antoninus a reliquis Historicis, nullatenus tamen *Gregorio quinto* hanc sanctionem nisi mortuo tribuere potest. Et quia nulli Pontificum hanc sanctionem ascribit *Antoninus*, qui potestati Pontificiæ etiam directæ addictior est: plus quam probabile est, iuxta Antoninum, non esse hanc sanctionem Pontificalem, sed potius statutum Imperiale ex consensu Principum factam. Quod si id sentiat *Antoninus*, *Henricum Othonis* 3. successorem proximum a septem viris solis electum, toto cœlo errat, & omnibus antiquis Historicis aduersatur.

Andreas Alciatus, de hac re nihil dicit, quod contra nos faciat: Vrget deinde *Bellarm.* testimonium *Iordanis* supra citatum. *Carolum* scilicet *de consensu & mandato Pontificis, ordinationem sibi diuinitus inspiratam instituisse. Si Carolus iussu Pontificis Electores instituit huius institutionis author primus ac præcipuus fuminus Pontifex fuit.* Phrasis hæc de mandato & consensu, antiquitatem non sonat. *Rogamus non imperamus* sic *Ambrosius*. Phrasis hæc est nouatorum, qui petitiones & supplicationes Pontificum pro Concilijs congregandis, tanquam iussus & mandata interpretantur. Si aliter locutus esset, Iordanes, si locutus esset, quod sensit quodq; vellet, sensisset forte quod nollet: nec enim tutum

fuit,

fuit, quicquam humile de poteſtate Papæ, his temporibus proloqui ; *In quibus tutius fuit de poteſtate Dei, quam Pontificis diſputare.* Verùm Pontifex & conſenſum & mandatum ſuum addat : at inſtituit non Pontifex, ſed *Carolus* iuxta *Iordanum.* Inſtitutio ergo non eſt Pontificis ſed Imperatoris, & inſpiratio non hominis ſed Dei : Conſulit cum Pontifice *Carolus* : conſenſit Pontifex, & iubet, vt inſtituat *Carolus* ; Authoritas conſentiendi & iubendi in Pontifice : Poteſtas inſtituendi in Cæſare. Dicit Apoſtolus, 1. Tim. 6. *præcipe diuitibus huius ſeculi.* hoc eſt præceptum ſiue iuſſio prædicantis & conſulentis; at ſi præciperet Imperator diuitibus, vt bona pauperibus darent. Præceptum Apoſtoli & Epiſcopi conſilium eſſet coactio non eſſet. Præceptum ſiue inſtitutio Cæſaris, non ſolum ſuaderet volentes, ſed etiam nolentes cogeret: maior ergo poteſtas *Caroli* inſtituentis, quam Pontificis conſulentis & mandantis. Verum conſenſus & mandatum hoc Pontificis, ad hanc rem nihil facit, quia ad hoc mandatum *Carolum* Electores non inſtituiſſe apud omnes, in confeſſo eſt. Imò verò tantum abeſt, vt *Carolus* electores inſtituerit, vt hoc præcipuè egerit, vt Imperium iure hæreditario, ad poſteros ſuos deſcenderet. Et valeret inſtitutio Imperatoris de conſenſu Principum de iure naturali, etſi Pontifex vt Vicarius Chriſti non conſentiret : vt in alijs regnis Electiuis manifeſtum eſt.

Iacobus Wymphelingius in Epitome Rerum Germanicarum. *Gregorius iſte 5. cognita Imperij imbecillitate, varietateq; fortunæ, vtq; is qui cæteris virtute præſtaret, præeſſet etiam dignitate, ſanctionem retulit, (haud abnuente Othone) de Imperatore deligendo, Anno Chriſti milleſimo ſecundo,* (Gregorius autem mortuus fuerat, annis tribus : anno ſcilicet 999. iuxta antiquiores Hiſtoricos) *quam ad noſtra vſq; tempora ſeruatam videmus : videlicet ſolis Germanis licere Principem eligere, qui Cæſar & Rex Romanorum appellatus, tum demum Imperator & Auguſtus haberetur ſi eum Romanus Pontifex inunxiſſet.* hucvſq; Bellarm.

In quibus de ſeptem Electoribus ne verbum quidem ; ſed ſolum de Germanis : & omnes Principes Germaniæ eligebant Imperatorem per annos ducentos poſt hanc ſanctionem, quæ etiam cum conſenſu Othonis edita eſt : ſequentia omiſit Bellarm. quia parum in rem ſuam. *Neq; hanc electionis authoritatem Electoribus deinceps Romanus Pontifex adimere poteſt : Quis enim dedit populo Romano Imperatoris eligendi poteſtatem niſi ius & diuinum & naturale ?* Quid hoc eſt ? Pontifex Romanus hanc electionis authoritatem Electoribus adimere non poteſt ? Ergo hanc authoritatem non dedit : Omnis enim lex poſitiua per eandem poteſtatem ceſſari poteſt, per quam inſtituta eſt : & fatentur

multi ex testibus *Bellarm.* hanc legem Electorum duraturam fore, quandiu Pontifex voluerit, aut Christianitati conuenientem iudicauerit. Vnde ergo vis hæc huius legis siue sanctionis? a. Iure diuino & naturali quod populo Romano potestatem Imperatoris eligendi dedit. Si potestas hæc Imperatoris sui eligendi sit in populo, non potest eam in aliquos certos Principes Pontifex transferre, sine consensu populi: Pontifex nihil potest contra ius diuinum naturale: & populus potest vices suas certis aliquibus Principibus in Imperatore eligendo conferre, sine consensu vicarij Christi: Constitutioni ergo huic Electorum vim dedit non *Gregorius*, sed populus, iuxta Wymphelingium, penes quem potestas est de iure diuino naturali, eligendorum Imperatorum & Regum. *Albertus Krantzius* in Saxon. lib. 4. *Gregorium* hanc sanctionem vltionis causa edidisse asserit, quam huc vsq; per annos iam quingentos seruatam videmus. Solis scil. licere Germanis qui inde electores dicti sunt principem deligere. Sed ista, inquit, magis discreuit, *Carolus* 4. quam sunt initio constituta, adiecitq; Regem *Bohemiæ*, atq; hæc facta sunt *Othone* Romam agente. *Nam sic Gregorium statim post Imperatoris obitum diem suum clausisse. Poterat hoc non dubijs argumentis ante cognoscere, Papam Saxonem non diu victurum inter Osores Italos: qui non tam vita reddenda, quam adimenda sunt magistri.* Verum non de septem viris electoribus, sed de Principibus Germaniæ locutum fuisse *Krantzium*, docent subsequentia. *Henricus Bauarus, Othonis. 1. ex fratre Henrico nepos, origine Saxo, etsi Principatum teneat Bauariæ, primus ab Electoribus in vim nouæ constitutionis electus & assumptus est Imperator, anno post mille secundo.* At Henricus non per septem viros, sed per omnes Principes electus est, aut saltem per plurimos; prior ergo pars de Principibus Germanis circa tempora *Othonis* & *Henrici* sancita est: posterior pars de septemuiris a posteris introducta est, vt experientia docet, post obitum Frederici secundi.

Ioannes Nauclerus. Generatione 34. in hac causa dubius est, quandoq; *Othoni* & Principibus, quandoq; *Gregorio* 5. hanc Electorum constitutionem tribuit. *Hoc in tempore Electores Imperij primum instituti leguntur: de quo olim scribunt, quod Otho 3. cum hæredes ex se descendentes mares non haberet, constituit ex consilio Principum Germaniæ, vt Imperatore mortuo, in oppido Francofurti perpetuò fieret electio, Electoresq; constituit tres Archiepiscopos, &c. & cum his alios quatuor seculares. Hi septem Principes eligendi Imperatoris ius & potestatem sic acceperunt.* Deinde de Gregorio 5. addit *Itaq; aiunt, Gregorium quintum cognita Imperij imbecillitate, retulisse sanctionem de Imperatore eligendo, videlicet solis licere Germanis Principem deligere, & quod ordinauit cum procerum Germaniæ consensu Electores prædictos, qui vice omnium eligerent.* Ecce, consensus procerum hanc constitutionem ratam fecit, non Pontificis sanctio.

Conci-

Conciliat deinde Historicorum varietatem, qui hanc sanctionem editam Anno millesimo secundo a Gregorio quinto qui Anno 997. iuxta *Nauclerum* moritur asserunt, & aliorum qui hanc *Syluestro secundo* successori *Gregorij*, Præceptori *Othonis* sanctionem tribuunt. Acsi sanctio ipsa lata sit a *Gregorio*, sed prima electio iuxta hanc sanctionem facta a *Syluestro* confirmata sit. Verum electio *Henrici* per septem viros facta non est: & proinde confirmari hoc modo a *Syluestro* non potuit: Et *Syluester* sedit in Pontificatu annis quatuor, mensibus aliquot, moritur ergo aut ante annum millesimum secundum, aut saltem in principio huius anni: & vix potuit huiusmodi electionem confirmare. *Anno enim quinto meunte*, (inquit *Nauclerus*) *vt in Hierusalem rem diuinam faceret Magus iste; & tum inter agendum sensit tempus fatale adesse &c.* Et reuera dubius est *Nauclerus*, qui vtrique & *Gregorio quinto & Othoni tertio* hanc constitutionem tribuit, *Principes Germaniæ*, (non dicit septem viri) *per sanctionem a Gregorio quinto & Othone constitutam potestate sibi tradita fungentes*, & iterum. *Germaniæ Electores concesso iuri per sanctionem Gregorij quinti & Othonis 3. primum innitentes, Henricum Cæsarem declarant.* Henricus autem per Principes omnes, aut plurimos electus est, sed tamen plus tribuit Othoni 3. quam Gregorio 5. De Othone enim sic Nauclerus. *De quo aliqui scribunt, quod Otho 3. constituit ex consilio Principum Germaniæ.* De Gregorio 5. sic. *Itaque aiunt Gregorium retulisse sanctionem Aiunt*: hoc Rumoris est: *Aliqui scribunt.* Hæc ex Historijs: & maior fides Historijs quam rumoribus habenda est, magisque scriptis quam famæ tutum est credere.

De Carione & Centuriatoribus nihil addo: quicquid illi de facto Pontificis ex aliorum sententia referant, de potestate tamen illa qua Pontifices Imperia transferant, & Electores constituant, & Reges & Imperatores deijciant, quid sentiant, omnibus notissimum est. In hac relatione dum Germanorum & Electorum honori & antiquitati inseruiunt, ambitionem Pontificum ex testimonijs suorum conuincunt: & fatente Bellarmino, *Hæc sanctio ab Othone opera sine ope Gregorij promulgata est*: vt & Carion. *Otho* decretum fecit, assentiente, sanciente et promulgante Pontifice; sic vt tunc temporis suberant Pontifices *Cæsaribus*, et ad nutum, et in lucrum Imperatorum a quibus ad eam dignitatem provecti sunt, sanctiones suas promulgabant. Et iuxta *Bellarminum* maior is est cuius consensu et mandato sanctio edita est, ille vero minor, qui ad alterius mandatum constitutionem facit; sed bene est, Inopiam suam abunde testatur *Bellarminus*, qui Protestantes, et vt ipsi placet Hæreticos, et proinde infideles testes aduocat quia Catholicis desunt.

Ioannes

Ioannes Cuſpinianus, in Othone 3. hanc conſtitutionem Gregorio 5. & Othoni 3. ſimul tribuit: *Nominarunt* (inquit) *Cæſar & Pontifex, &c.* & hæc formula poſtea *à Carolo 4. in Bullam auream redacta eſt*: & in *Henrico Sancto. Othone tertio defuncto, cum iam iuxta eius conſtitutionem & formulam Gregorij, &c.* & *Henricus* per plures Principes electus eſt. Si hoc eſſet decretum Vicarij Chriſti, quid opus erat vt Imperator eandem confirmaret & conſenſu ſuo ſtabiliret, quæ poteſtate ſummi Sacerdotis edita; ab hominibus infirmari non poteſt.

Supereſt vnicum teſtimonium Concilij generalis Viennenſis vel verius Clementis 5. *De iureiurando, Romani Principes.* Ibi Pontifex ſic loquitur: *Et à qua Romana Eccleſia ad certos eorum Principes ius & poteſtas eligendi Regem in Imperatorem poſtmodum promouendum pervenit.* Eodem ſiue jure ſiue modo tranſtulit Imperium quo Electores conſtituit; id eſt Pontifex tanquam primarius ciuis, (omnes enim Epiſcopi & Clerici ciues ſunt & membra Reipublicæ) vel Princeps temporalis, patrimonij non contemnendi, vna cum Proceribus ſiue Principibus & populo tranſtulit Imperium in Carolum, ſic Pontifex non vt Vicarius Chriſti ſed vt Patriarcha Imperij Occidentalis, & ciuis, & membrum Imperij, vna cum Imperatore & Proceribus, vt teſtantur plurimi Authores a *Bellarmino* producti, in hos Electores Imperatoris conſenſit. Sic Eccleſia Romana vt eſt nomen collectiuum, & continet & Clericos, & Laicos, & Proceres, & populum, & Pontificem & Imperatorem, ius & poteſtatem officialibus Imperatoris dedit; vt ipſi nomine aliorum tanquam Imperium repræſentatiuum, Imperatorem deligerent. Quod ſi Pontifex, qua Pontifex hanc ſanctionem edidit, impius proculdubio eſt, & a violatione iuris diuini naturalis excuſari ab omnibus Monachis & Ieſuitis non poteſt, vtpote qui, iura Dei & naturæ, & populi relaxet, & tollat, & in alios pro libito ſuo transferat; idque ſine peccato populi. Et lex Chriſti neminem priuat iure ſuo, non culpa ſua multo minus ſine culpa ſua. Et nulla erat culpa tempore Othonis cur reliqui Principes, qui populum repræſentabant iure ſuo, ſine conſenſu ſuo in Imperatore deligendo priuarentur.

In has ergo anguſtias detruſus eſt Bellarminvs, vt aut dicat Pontificem ius diuinum naturale relaxaſſe, cum ius populi in Imperatore eligendo, ad certos Principes tranſtulit, quod impium eſt: aut culpam aliquam confingat, propter quam reliqui Principes iure ſuo priuati ſunt, quod falſum eſt, aut ſaltem concedat Pontificem tanquam vnum è ciuibus & membris Reipublicæ, tanquam Gregarium vnum aliquem è Principibus, vel fortaſſe Primarium, hanc ſanctionem promulgaſſe, quod exiguum eſt,

et

et Pontifice indignum, et ad inſtitutum BELLARMINI nihil facit.

His addamus, huius opinionis & improbabilitatem & pene impoſſibilitatem Gregorius de Italis acerrimam ſumpſit pro iniuria illata vltionem, ſic nonnulli ex his Authoribus : vltio reuera acerrima, quia non ſolum de inimicis ſed etiam de amicis : nec ſolum de Romanis a quibus iniuria affectus, ſed etiam de omnibus Italis, nec ſolum de viuentibus, ſed etiam de poſteris nondum natis vſque ad ſeculi conſummationem, qui nulla ratione eundem iniuria affecerunt vltionem ſumpſit. Et ſummum hoc ius, iniuria ſumma eſt, & vltra omnem modum & menſuram culpæ ſiue iniuriæ illatæ. Et ſicut iniuriam vltus eſt, ſic iniuriam maximam Italis intulit, dum & Imperio quod Romanorum proprium erat, et Electoratu priuauit: An tam patientes huius vindictæ, huiuſque iniuriæ Itali, vt qui recuperandi Imperij auidiſſimi, nouis ſubinde rebus ſtudebant, hanc tantam iniuriam tantamque indignitatem, non tantum patienti & æquo animo ferrent, ſed etiam alto ſilentio ſepelirent, ſic vt per trecentos annos nullus Scriptor aut Hiſtoricus inuentus ſit, qui hanc odioſam & iniuſtam iniuriæque pleniſſimam ſanctionem poſteritati traderet, nullus de GREGORII *quinti* iniquitate querimoniam ederet ? Monſtri ſimile eſt vt Romani de quibus Poeta,

Tu regere Imperio populos Romane memento,

de amiſſo Imperio prorſus tacerent : nullus ne Tragicus qui in ſcenam, vel Hiſtoricus qui in lucem produceret?

Gregorius Francos per hanc ſanctionem maxima iniuria affecit, quos non ſolum Imperandi ſpe, ſed etiam Imperio ipſo nec non & Electoratu ſine cauſa, ſine culpa & merito ſuo iniuſtè priuarat, vtpote qui omnia beneficia PIPINI et CAROLI, aliorumque Regum Franciæ et Imperatorum, tanquam ingratiſſimus, et proinde omnium bipedum nequiſſimus in æternæ obliuionis ſepulchro ſepelierat. An inter Francos, id eſt liberos, nemo Francus, nemo liber, qui nec de Imperio recuperando nec Electoratu reſtituendo cogitarit, imo qui hanc odioſam et iniuriæ pleniſſimam conſtitutionem perſtringeret, aut talem extare ſanctionem iniuſtam, qua Franci ab Imperio præcluderentur, a Pontifice Germano editam, poſteritati traderet? *Scribit in marmore læſus.* Sic olim in Proverbio : at in hoc caſu tantum abeſt, vt in marmore ſcribat læſus, vt ne ſcribat quidem læſus, aut Italus, aut Francus qui ſpe et poſſeſſione ſumma exciderunt.

Si ſilentium oppreſſis, et iniuria hac ſumma affectis Fran-

cis

Francis Italisq; impositum quorum damnum irreparabile, an & Germanis itidem quos solos sanctio ista ad summum dignitatis & honoris maximi apicem promouit, silentium ducentorum annorum imposuit? Improbabile est vt et odium & amor talem constitutionem tam diu taceret. Impossibile est vt & qui amiserunt, quique lucrati sunt Imperium, illi de iactura sua, hi de lucro tam diu tacerent: *Cure leues loquuntur ingentes stupent.* Ideo summum hoc damnum tacent Itali Francique, Lucra leuia loquuntur, ingentia stupent.

Ideo Germani summum hunc honorem, quæstum hunc vberrimum tacent. Qui vero potuit *Blondus*, alijque posteriores Historici hanc sanctionem nosse, nisi ab antiquioribus historicis edocti? Qui magis creditur *Martino Polono* de his Electoribus, quos primus omnium memorat, quam eidem *Martino Polono* fides adhibetur, de *Ioanna* Papa fœmina quam primus memorat idem *Martinus*, non *Sigebertus*, non *Marianus* alijque si *Bellarmino* credimus. Credit *Bellarminus Martino* de Electoribus, eidem *Martino* de *Ioanna* Papa non credit: An non hoc est hæreticum esse, hoc est eligere, cui, & quando & quantum credas?

Audi vero quid de hac re sentiat, scribatque *Sebastianus Verronius* Lib. 8. Seculo. 11. *Electorum Imperij institutio hoc loco introduci commode non potest, quando nec tempestatis illius Historici id referant, neque Principum ratio id patiatur: Bohemo hostem Imperij agente: Brandeburgo à Vandalis vastato: Palatinatu nullo egregio Principe administrato; ad interregnum igitur reijci debet.* Cuius eo maior esse debet authoritas, quia rationes addit firmissimas: Bohemiam enim & Lotharingiam Imperio restituit Otho Magnus: Bohemiam igni & ferro vastat Otho secundus: Eandem perdomuit Otho iste tertius cuius temporibus edita dicitur hæc sanctio. Nec verisimile est hostem Imperij, ad Electoratum provehi ab eo, qui eundem perdomuerat.

Præterea non est verisimile hanc sanctionem ab *Othone* editam vivente *Gregorio quinto*, ob eam quam assignant nonnulli rationem, quia scilicet liberis orbus erat Otho; Nam puer duodecim annorum ad Imperium promouetur, admodum puer fuit, (vt Hermannus Contractus) & regnauit annis 18. vel 19. Sic circa annum ætatis suæ 31. moritur, vir in bello fortis, qui vxorem suam morti tradidit, quod se nobili cuidam prostituerat, & deinde eundem Othoni accusarat, vnde ab Othone iracundo morte mulctata est. Quare ergo de liberis desperaret Otho Iuvenis & Bellicosus, vt talem de electione Imperiali constitutionem vel ederet ipse, vel a Pontifice Gregorio edendam curaret, cum ipse nunquam sine spe liberorum erat?

Hanc

Hanc Historicorum incertitudinem vidit Cardinalis Baronius Historiarum studiosissimus, *Tom.* 10. *ad Annum* 966. *Num.* 38. *&c.* qui totam in historia concinnanda vitam consumpsit: ideo derelictis omnibus hisce opinionibus incertis, novam solus sequitur, quam ex Matthæo Paris desumpsit. Duo vero statuit Baronius. 1. Electio Imperatoris solis Principibus Germaniæ Gregorio quinto Othone regnante concessa est, ante Othonem successio locum habuit, atque hoc manifeste falsum est, tum quia Otho ipse, qui a Patre ad Imperium ascitus est, post mortem Patris per Principes ad Imperium promovetur. Qua de re sic Sigebertus ad Annum 984. *Otho Imperator, tædio & angore animi deficiens Romæ moritur: & de Imperatore substituendo inter Primates dissentitur, aliis filio ipsius Othoni Imperium deberi certantibus, aliis odio Imperatoris a filio eius Imperium transferre volentibus, ad Henricum Ducem, filium Henrici, qui fuit frater primi Othonis. Henricus ipsum Othonem puerum factiose raptum in custodiam tenet: sed Principes de manu Henrici extorquentes, in Regno sublimant, & regnavit annis* 19. Principes ergo ante Othonem tertium Imperatorem iure hereditatis siue successionis regnantem aliquo modo eligebant. *Et Otho secundus Imperator* vti Lambertus *Ad Ann.* 967. *misit Legatos ad Gulielmum Archiepiscopum & alios Principes vt Othonem* (3) *filium suum cum omni dignitate regali ad Italiam mitterent, quem ipse suspiciens Romam perduxit, vt Papa Ioannes posterior Imperatorem faceret, quod & libenter fecit.* Otho ergo 3. per Principes electus & per Pontificem coronatus viuente Patre, & tamen post mortem Patris, per Principes iterum ad Imperium provehitur. 7

Tum etiam quia & Legati Apostolici alijque Principes Italici in Electionibus Imperatorum post Othonem tertium aderant: vt in Electione Henrici quarti, *Pontifex Romanus consensit cum cunctis Pontificibus, & Principibus Regni*, iuxta Vrspergensem ad Annum 1053. *Et Lotharius Dux Saxonum a Legato sedis Apostolicæ & Archiepiscopis & Episcopis & Optimatibus Regni omnium consensu eligitur*, Sic Continuator Sigeberti anno 1126.

Fredericus primus a primatibus Imperij nec non & quibusdam Baronibus ex Italia electus est, Sic Otho libro secundo de Gestis Frederici primi C. 1. Sic Chonradum præsente Theoduino Episcopo Cardinali ac S.R.E. Legato summi Pontificis ac totius Romani populi assensum præmittente, Imperatorem creant vt Otho Lib. 7. Hist. Cap. 22. non ergo soli Principes Germaniæ per sanctionem Gregorij 5. ius Electionis acceperunt, vti affirmat Baronius

2 Est septem Electores, nec a *Gregorio* 5. nec ab *Othone* 3. constituti sunt, sed ab *Innocentio* 3. in Concilio Lugdunensi etsi non ijdem omnes.

omnes ab Innocentio Electores constituti sunt, qui hoc ie inter Electores inueniuntur. Nam iuxta Decretum illius Concilij de Electionibus hi sunt Electores septem.

Dux Austriæ Dux Bavariæ Dux Saxonum Dux Brabātię qui & Louanię	Clerici	Archiepiscopus Colonien sis. Archiepiscopus Moguntinus. Archiepiscopus Salsburgensis.

Hanc sententiam ex Concilio Lugdunensi apud Matthæum Paris, nec non apud Binnium, desumptam amplectitur Baronius, licet horum Electorum mutationem, siue alterationem factam agnoscat, quam multis rationibus convellit Gretserus; *In defensione Lib. 3. de translatione Imperij*, præcipue quod hæc de Electoribus, non Concilij sint, sed ipsius Matthæi. Cum tamen inter Decreta eiusdem Concilij, hæc de Electoribus constitutio à Matthæo Paris & Binnio referatur, imo in medio Decretorum illius Concilij collocetur. Et si falsus sit Matthæus in relatione Decretorum; quidni etiam falsus sit in referenda Frederici secundi depositione, cum totum hoc Concilium Oecumenicum, ex solo Matthęo desumatur?

Etsi ergo singularis hæc sit Baronij de Electoribus sententia, quam vel confirmare vel infirmare nec animus est, nec otium, quia mole sua facile ruit, hoc tamen certissimum est, Baronio historiæ veritatis studiosissimo commentum hoc de septem-virorum constitutione parum placere: & proinde posteriores Historicos, ex mala interpretatione Martini Poloni deceptos, qui verba illa, *Postea tamen institutum fuit*, ad tempora Othonis & Gregorij quinti referunt, quæ iuxta Baronium de temporibus Innocentij quarti intelligenda sunt, vti Baronius Num. 71. *Verum Amphibologia Martini, Scriptores illos omnes fecit errare, qui constitutionem septem Electorum* GREGORIO *quinto tribuerunt, qui tantum Author reperitur fuisse, vt Electio Regis in Imperatorem promouendi (vt superius dictum est) ad omnes Germaniæ Principes & Prælatos Imperij feudatarios pertineret.*

In hac ergo Babel siue confusione linguarum quid sentiendum est, nisi quod ius diuinum naturale, siue ratio naturalis dictat. Cum enim alij Historici hanc sanctionem *Othoni 3.* alij *Gregorio quinto*, alij *Innocentio quarto* & Concilio Lugdunensi, alij *Gregorio decimo* et alteri Concilio Lugdunensi tribuant: plurimi vero id præcipue agant, vt Pontifici Romano hanc constitutionem acceptam referant, nec de Pontifice, quisquis ille fuerit, vel Syluester ille Necromanticus non refert, qua in re se supra omnem modum, Pontificiæ potestati addictos ostendunt; dum Pontifici hanc constitutionem tribuant. Sed si quid Pōtifici tribuant, nec sciunt nec curant, nec probatum aut antiquum Authorem quem sequantur

tur habent: cum diuersæ sint Authorum Pontificiorum in hac causa opiniones, & vnusquisque fortissimis rationibus adversarium confodiat: cum Antiquiores Historici coætanei *Gregorij* & *Othenis* hãc sanctionem ignorent, qui friuolè quæque de hyematione Imperatoris, & vbi Natale Domini, vbi Pascha, vbi Pentecostem seruarit, exactissimè narrant.

Cum primi illi Historici, qui hanc Electorum constitutionem referunt, male intellecti, occasionem erroris in posterum dederunt, vt de Martino Polono Baronius. Cum Gregorius septimus qui primus Imperatorem deposuit inter omnia dicta & facta Patrum & Pontificum, quibus sententiam suam stabilire conatur, hanc de Electoribus constitutionem non vrgeat. Imo vero è contra, omnibus fratribus & Coepiscopis, Ducibus, Comitibus vniuersis quoque fidem Christi defendentibus in Regno Teutonico, (populus ergo tempore Gregorij septimi ab Electione non excludebatur) scribit circa noui Imperatoris Electionem, post Henrici 4. depositionem. *Lib. 4. Epist. 3.*

Vnicum restat vt ad ius diuinum naturale, siue rationem naturalem confugiamus, vt scilicet quia populus de iure diuino naturali, siue naturali ratione Imperatorem suum eligere posset & debeat, & impossibile sit populum siue Rempublicam totam in vnum convenire, populus per Principes, siue Rempublicam repręsentatiuam, (sicut in omnibus Regnis quotidie in alijs negotijs fieri assolet) Imperatorem eligat: Quia vero multi Principes difficulter in vno convenire solent, vnde diuisiones & Schismata in huiusmodi electionibus fiunt: ideo ex illorum Principum consensu, pauci constituti sunt; Tres Archiepiscopi, Cancellarij trium Regnorum, Italiæ, Galliæ, & Germaniæ, & quatuor laici ex singulis ordinibus vnus, Rex vnus, Dux vnus, Marchio vnus, Comes vnus, numero scilicet septem, (numerus impar, vt maior pars vincere posset, & vbi maior numerus, ibi maior præsumitur zelus) constituti sunt, qui non ex sanctione aliqua Pontificia, sed ex iure diuino naturali Imperatorem deligerent. Ex iure dico diuino naturali: quia de iure diuino naturali, quod relaxare vel tollere non potest Papa, potestas eligendi Imperatorem est penes populum. Et populus ex eodem iure diuino siue consuetudine, eandem potestatem principibus suis delegare potest. Et Principes ipsi, de eodem iure possunt vices suas certis quibusdam delegare.

Et hoc est quod significat Innocentius tertius in illis verbis, *de iure & antiqua consuetudine*: sicut interpretatur *Ostiensis*: vti supra in *Ostiensi* ostendimus. Et *Albertus Stadensis* qui in eo tempore vixit, in quo hi septem constituti sunt, hoc ipsum directe affirmat, *ex prætaxatione Principum & consensu eligunt Imperatorem*, sicut etiam agnoscit Baronius.

Theo-

Theodoricus etiam à Niem. *In Nemore vnionis in Labyrinth. Cap.* 33. hoc ipsum directe affirmat: *Principes Germaniæ ordinarunt quod de cætero Romanus Principes eligeretur, videlicet per tres Ecclesiasticos Prælatos, & tres Laicos, in casu discordiæ, Dux Bohemiæ additus est, &c.*

Coccinnius etiam in Lib. de Translatione Imperij de Græcis ad Germanos, asserit, *Imperator Imperium tenet à Deo, Ministerio electionis Imperij Electorum, quod ius eligendi ad certos Germaniæ Principes peruenit ab Othone 3. de consensu Principum & populi Imperio Subiectorum.* Antonius de Rossellis de Monarchia parte prima Cap 48. *Similiter electores Imperij habent ab Ecclesia: vt de Elect. C. venerabilem id est ab vniuersali Collegio fidelium, & sic a populo Romano.*

Quinetiam *Trithemius* in Chronico Hirsaugiensi in Conrado 10. Abbate, etsi Gregorij sanctionem agnoscit, Othoni tamen & Principibus Electorum constitutionem tribuit. *Gregorius Papa Quintus, congregata Synodo, statuit, consentientibus Romanis & omni clero Romanum Imperium apud Germanos debere perpetuis futuris temporibus permanere, ita vt Germaniæ Principes per Othonem tertium deputati, habeant ius & potestatem Imperatorem eligendi: Quæ constitutio iam per annos sex & quingentos vsque ad nos inviolabili stabilitate seruata est* Ecce constitutio hæc, non est solius Pontificis, siue Vicarij Christi, sed totius Reipublicæ: in qua Pontifex tanquam ciuis consensit, & Otho non Gregorius Electores deputat: et si hos electores Otho ex consensu Procerum & populi constituisset valeret statutum, etiam Pontifice non sanciente:

His addamus Cardinalem Cusanum, Concordantiæ Catholicę L. 3. Cap. 4. qui non solum ex sua sed etiam ex Doctorum sententia loquitur: *Et volunt Doctores dicere ipsos* (Electores) *nomine Romani populi eligere: Et hic Imperator consensu procerum, primatum & vtriusque status cleri & populi, perpetuos Electores, qui vice omnium eligerent, ordinauit tempore Gregorij quinti Alemanni consanguinei quondam Othonis. Non est igitur eo modo concedendum; Electores à Romano Pontifice potestatem eligendi habere, sic quod nisi ipse consentiret: aut si vellet ab ipsis tollere posset: Quis rogo dedit, populo Romano potestatem eligendi Imperatorem, nisi ipsum ius diuinum & naturale? per viam enim voluntariæ iurisdictionis & consensus in Præsidentiam, Prælationes Concordantiales recte & sancte constitutæ sunt, in omni dominandi specie: Omnis enim violentia iuri obuiat. Obtemperare enim Regibus est ex generali pacto humano.* Et infra. *Et quia huius radices diuini & humani iuris superius habentur non replico idem: sufficit scire quod electio libera à naturali & diuino iure dependens, non habet ex-*

tum

ortum à positiuo iure, aut homine quocunq; vt in eius arbitrio existat, quoad hæc validitas electionis, maximè in eligendo Regem vel Imperatorem, cuius esse & posse ab vno homine non dependet. Vnde Electores, qui communi consensu Alemannorum, *& aliorum qui Imperio subiecti erant, tempore* Henrici *secundi constituti sunt, radicalem vim habent ab ipso communi omnium consensu, qui sibi iure naturali Imperatorem constituere poterant, non ab ipso* Romano *Pontifice, in cuius potestate non est dare cuicunque Prouincie per mundum Regem vel Imperatorem, ipsa non consentiente.*

Sed quæri potest, etsi constitutio Electorum à Principibus & populi consensu de iure naturali & diuino vim habeat, An Pontifex etiam consenserit, Respondet *Cusanus. Sed concurrebat ad hoc consensus* Gregorij quinti *(qui moritur tempore* Othonis *ante Imperium huius* Henrici *) tanquam vnius Pontificis* Romani, *qui iuxta gradum suum in consentiendo in communem Imperatorem interesse habet, sicut in Concilio concurrit in primo gradu authoritas ipsius per consensum cum alijs omnibus ipsum Concilium celebrantibus, vigor nihilominus definitionis non ab ipso primo omnium Pontifice, sed ex communi omnium & ipsius, & aliorum consensu dependet. Sic in constituendo Rege, aut Imperatore, ipsius sacerdotij, sicut & Laicorum consensus intervenire debet, &c.* Et Infra. *Ita puto in veritate consensum* Romani *Pontificis à principio interveniſſe, dum isti Electores constituerentur. Vnde ipsi communi fungentes legatione omnium qui Imperio subsunt, etiam totius sacerdotij, &* Romani *Pontificis eligunt, qui electus, sine dubio ex ipsa electione cuncta consequitur;* Et infra. *Sufficiat nobis scire, quod nostri Electores Imperij dum eligunt vno communi omnium, qui subsunt Imperio, consensu, per concordem omnium transfusionem in eos, (in qua quidem concordia* Romanus *Pontifex* Gregorius *quintus includebatur) hoc agunt: Et ex hoc ex electione Imperator efficitur, absq; quacunq; confirmatione.*

Ex his *Cusani* verbis multa colliguntur. 1°. Ius hoc quo Electores Imperatorem eligunt, non est Pontificium sed diuinum & naturale. 2°. Ius hoc non à Pontifice sed à Principibus & populo in certos Principes translatum est. 3. Non potuit Pontifex solus per se, hanc potestatem, hoc ius, in Principes transferre, sine consensu reliquorum Principum & populi, in quo de iure diuino naturali residet potestas Imperatoris eligendi. 4. Validitas huius cõstitutionis Electorum non dependet à Decreto, vel sanctione Pontificis, sed à consensu populi & Principum, qui soli possunt ius & potestatem, siue vices suas, certis quibusdam personis de iure diuino & naturali delegare. Nam Pontifex ius diuinum naturale nec tollere, nec relaxare potest: & populus invito & reluctante Pontifice quâ Pontifex est, potest de iure suo decedere, & vices suas certis personis delegare. 5. Pontifex

solum vt ciuis vel primas, vel Princeps Ecclesiasticus, siue politicus, in hanc constitutionem cõsensit; & tanquã summus sacerdos, siue vicarius Christi hanc sanctionẽ non edidit. 6. Imperator electus, sine vnctione, & coronatione Põtificis, ex sola electione potestatẽ accepit.

Vtcunq; vero somniet *Bellarminus* de Palinodia Cusani, qui si diutius vixisset, ista forte, sicut alia quædam retractasset: idq; etiam non sine ratione: Novit enim *Bellarminus*, Cardinales Doctissimos quandoq; palinodiã canere, & recognitiones edere, & in hac causa de *Cusano* iudicat, iuxta regulam Christi & naturæ. *Quæcunq; vultis vt vobis faciant homines, eadem facite & vos illis.* *Bellarminus* de *Cusano* Cardinale iudicat, sicut de seipso. Dabit tamen veniam Doctissimus Cardinalis, si de ipso idem ego Iudicium feram quod ipse de *Cusano*: vixit tempore schismatis *Cusanus*. Schismatis alioqui osor summus, pacis studiosissimus, id est tempore libertatis quando liberum cuiq; fuit, & sentire quæ vellet, & dicere quæ sentiret. In hac libertate si vixisset, docuisset q; *Bellarminus* eadem cum *Cusano* fortasse, & sensisset, & docuisset, & sicut multa iam recognouit, retractauitq; quæ prius docuerat, non quia falsa, sed quia parum placentia erant, sic & hæc ipsa de regum depositione, & Imperij translatione, & Electorum constitutione recognosceret & retractaret.

Sicut etiam & *Cusanus*, si nunc viueret quando Cardinalibus magis liberum est de potestate Dei, quam de potestate Pontificis disputare: forte hæc ipsa quæ de Imperatorum & Regum depositionibus & Imperij translatione, & Electorum institutione scripsit retractaret. *Tu si hic esses, aliter sentires*: si tempore *Cusani* vixisset *Bellarminus* aliter sensisset: si in aula *Pauli* quinti viueret *Cusanus* aliter sentiret. Annon hæc est fides temporum, potius quam Euangeliorum?

9 Verum missum faciamus *Cusanum*, eiusq; sententiam & rationem amplectamur.

Si de iure diuino naturali populus de rege siue Imperatore sibi prouidere debeat, & vices suas in rege eligendo eodem iure diuino & naturali aliquibus certis Principibus delegare possit. Pontifex qui ius diuinum naturale nec tollere, nec relaxare potest Electores Imperij ex se, siue authoritate sua instituere non potest.

Etsi ergo palinodiam canat *Cusanus* & sententiam suam mutet, ratio tamen *Cusani* non mutatur, quia diuina & naturalis: & proinde Pontifex, qua Pontifex, non potest Electores instituere.

Vnam ego superaddam rationem: Quisquis potest authoritate suâ Electores Imperiales instituere, potest ipse per se, sine Electorib⁹ Imperatorem eligere: Nemo enim eam potestatem alteri conferre potest, quam ipse non habet.

At

At Pontifex per ſe, ſiue authoritate ſuâ Imperatorem eligere non poteſt, ſine Electoribus vel populo.

Ergo Pontifex poteſtatem eligendi Imperatorem Electoribus dare ſiue conferrre, non poteſt.

Maior de ſe nota eſt: Minorem omnes agnoſcunt, & *Bell lib. 3. cap. 4 de tranſl. Imp.* non negat: *Quis* (inquit) *Catholicorum Scriptorum dicit: Ad Pontificem pertinere Imperatores eligere?* Si ad Pontificem non pertinet electio Imperatoris, nec conſtitutio Electorum ad Pontificem ſpectare poteſt: ad quemcunque enim de iure diuino pertinet electio Imperatoris, ad eundem ſpectat conſtitutio Electorum, qui vices ſuas obeant.

Falſum vero eſt quod addit *Bellarminus* ibidem: *Elegit quendam Carolum Magnum*: non elegit, ſed coronavit, elegit vero, & conſenſu ſuo approbavit populus *Carolum* Imperatorem, qui iure belli Italiam, victis Longobardis, ſubiugauit, & ante hanc coronationem *Carolus* poteſtatem Imperialem habuit: vt ſupra ex multorum ſcriptorum, nec non & teſtium *Bellarminianorum* teſtimonijs abunde probatum eſt. Et ſi pontifex Imperium tranſtulerit, & Electores conſtituerit, poteſt itidem alia omnia regna mundi transferre, & Electores ſingulis regnis dare: quod quid aliud eſt, quam iura omna diuina & humana confundere.

Quod ſi ius hoc Electorum conſtituendorum Pontifici de iure diuino competat, non poteſt ipſe hoc munus, ſiue officium alijs Principibus delegare, ſicut non poteſt officium prædicandi aut ſacramenta adminiſtrandi, aut Eccleſiam paſcendi, regendiq; alijs ſic committere vt ipſe eadem officia & munia non obeat.

Quinetiam ſi Pontificis ſit Electores Regum & Imperatorum conſtituere: neceſſario conſequitur Imperatores illos & reges ſolum de facto non de iure regnaſſe, qui à Pontifice vel Electoribus electi non ſunt: ſic nec *Conſtantinus* nec quiſquam Imperator legitime imperauit ante *Carolum Magnum* Electio per ſenatum & militia ſiue exercitum, ſiue per Imperatores facta, illegitima eſt: ſolus Pōtifex per ſe, vel per ſuos Electores legitimè eligit: aut conſtitutio hæc iuris tantū poſitiui eſt, & proinde ſi cum iure diuino naturali conferatur, flocci facienda.

Duplici ergo nomine Impius Pontifex, & contra ius diuinum peccat, ſi Electores ipſe inſtituat: dum officium ſuum in Imperatore eligendo ipſe non facit, & ius populi de iure diuino & naturali eidem indultum eripit.

Aut ergo hanc ſanctionē non edidit pontifex, vt pontifex, ſed tantum conſenſit vt ciuis, & Princeps Imperij, aut impius Pontifex qui iura populi eripit, & contra ius diuinum naturale diſpenſat, quod ſuprà poteſtatem vicarij, & in ſolius Domini poteſtate poſitum eſt.

Sed demus ista vera esse: *Gregorium* scilicet quintum aut decimum aut *Innocentium* quartum, aut aliquem alium Pontificem in nubibus, hanc sanctionem, authoritate Pontificia, qua vicarius Christi est, edidisse, quid hoc ad quæstionem *Bellarmini*? redigamus ista in formam.

Quisquis potest Electores Imperij instituere, potest Imperatorem deponere. Pontifex potest Electores Imperij instituere.

Potest ergo Imperatorem deponere.

Addamus huic maiori aliam minorem, & huius rationis infirmitas facile apparebit.

Populus potest Electores Imperij instituere de iure diuino naturali. Ergo populus potest Imperatorem deponere. Talis demonstratio Monarchomachos magis, quam Pontificios decet, apud quos vt in testibus *Bell.* satis patet, vulgare hoc est: *Pontifex solus deponit Imperatorem.* Quod si ratio hæc posterior *Bellarmino* placeat, sit per me Monarchomachorum *Antesignanus*, sicut Pontificiorum diu fuit Doctor Cathedraticus: si non placeat hæc ratio, populis, videat & agnoscat rationis suæ infirmitatem, & de exemplo ingenuè fateatur hanc Electorum constitutionem potestatem Regum deponendorum Pontificiam non probare. Atq; hæc de electoribus sufficiant.

Cap. XLV.

Otho nunquam legitime electus Imperator, & iniuste depositus sine causa.

1. *Otho nunquam legitime electus: quia per minorem partem: quia supereiectus super Fredericum secundum præelectum.*
2. *Causa depositionis Othonis iniusta: quia eo nomine deponitur quod iuxta iuramentum Iura Imperij à pontificibus occupata repetit.*

1 Nonvm *Exemplum est* Gregorij *septimi qui* Henricum *quartum deposuit*: Huic exemplo abundè responsum est cap. 9. & 10. libri secundi: & iniustitia huius sententiæ pluribus rationibus & authoritatibus demonstrata est; vbi repetat lector ea quæ ad hoc exemplum confutandum spectant.

Decimum exemplum est Innocentij tertij qui Othonem quartum deposuit vt patet ex Blondo: Decad 2 lib. 6.

Spectat

Specta invenis, & omen quidem Dij prohibeant, cæterum in ea tempora natus es, quibus firmare animum expedit constantibus exemplis: sic moriens Thraseas apud Historicum. Da veniam candide lector, in abyssum omnium malorum & miseriarum profundissimam deducit nos *Bellar.* in quo infinita tam corporum quam animarum pericula, Papa super Papam, Rex super Regem, Imperator super Imperatorem erigitur; Christiani in Christianos, clerici in laicos, laici in clericos desæviunt: Templa, Ciuitates, Castra, Villæ, omnia bellis plusquam ciuilibus, rapinis, lanienis, cædibus fœdantur: Opus iam est constantibus exemplis, vt animum firmes, ne vento quouis superbiæ & ambitionis abripiaris. Hæc enim sunt vere tempora periculosissima, in quibus Pontifices quotidiè Reges, & Imperatores, tanquam pilas ad parietem collidebant, hunc dejiciebant, illum attollebant, eundem statim deturbabant vt sibi-ipsis ludos facerent. Ex his Pontificum exemplis, qui Imperatores & Reges ad libitum instituere & destituere, superbia inflati præsumpserunt placet *Bellarmino* argumenta colligere, quibus dominandi in Pontificibus cupiditatem approbet, horum facta ostentat, quæ æterna oblivione sepelienda potius, quam posteritati tanquam exemplaria imitationis proponenda erant. Dabimus penuriæ & infirmitati huius causæ hanc veniam, quia non potuit è fontibus Saluatoris, & Apostolorum, nec ex riuulis Martyrum, & antiquorum Pontificum, & patrum, fecit quod potuit, ex lacunis superbiæ & ambitionis, ex cisternis quæ aquas salientes non continent, à facto ad Ius, arguit; *Innocentius* 3. *Othonem* 4. *Innocentius* 4. *Fredericum* 2. *Clemens* 6. *Ludouicum* Bavarum deposuerunt, ergo Papa habet potestatem regum deponendorum: acsi diceret: Ambitio & superbia regum depositionem cum summa Ecclesiæ & regni afflictione tentavit; ergo Pontifices, qui à domino humilitatem didicerunt, habent potestatem regum deponendorum: sed missa ista faciamus.

1. *Otho* iste electus est Imperator in schismate, contra *Philippum* Ducem *Sueuiæ*, filium *Frederici* Aenobarbi, fratrem *Henrici* Imperatoris, patrem *Frederici* secundi Imperatoris, cui etiam, vt verisimile est, in cunis iurauerat: Duo ergo in hac electione peccata sunt, primo electus est per minorem partem Principum; Extat Epistola eorum qui hunc *Othonem* elegerunt ad *Innocentium* tertium apud Baronium Tom. 10. ad annum 996 cui ex septem Electoribus solus subscripsit *Adolphus* Colonienſis Archiepiscopus, qui eundem *Othonem*, & postea *Philippum* coronavit, & ex Principibus Episcopi duo Gerardus *Paderbornenſis*, & *Thietmarus* Mindenſis; Abbates tres, *Witichindus* Condienſis, *Gerardus* Tudenſis, & *Eribertus* Werdenſis, & Dux vnus, *Henricus* Lotharingiæ, qui & Brabantiæ, & Comes vnus, *Henricus* de Kuke: at in electionem *Philippi*, consen-

ſerunt Archiepiſcopi tres, Epiſcopi nouem, Abbates quatuor, Rex vnus, Duces quatuor, Marchio vnus, cum alijs nobilibus *Alemanniæ*, præter alios, qui abſentes, per literas, conſenſum ſuum præſtiterunt: horum nomina habes ſupra dē Electoribus ex eodem Baronio Ibidem.

2. *His temporibus procurante Imperatore* (Henrico ſexto) *factum eſt vt Principes Alemanniæ pene omnes, filium paruulum ipſius* (Fredericum ſecundum) *adhuc in cunis vagientem, aſſumerent in regem, & ei fidelitatem iurarent, & literas de hoc facto cum ſigillis ſuis Imperatori tranſmitterent.* Hæc *Conradus* Abbas *Vrſpergenſis* contemporaneus *Fredrici*: & iterum poſt excommunicationem *Othonis*: *Tunc Principes Alemanniæ, Rex ſcilicet Boemiæ, Dux Auſtriæ, Dux Bauariæ, & Lantgrauius Thuringiæ, & alij complures conuenientes* Fredericum *Regem Siciliæ elegerunt in Imperatorem, cui etiam olim, cum adhuc in cunis eſſet, iurauerant fidelitatem*: Iure ergo Imperator *Fredericus* ſecundus: Electio enim dat ius Imperij, non coronatio: Et proinde duplici nomine mala fuit hæc electio *Othonis*, tum quia per minorem partem Principum electus eſt; tum quia & *Philippus*, & *Otho* per Principes electi ſunt, cum iam eſſet Rex Romanorum electus *Fredericus* ſecundus, nec ſuperinſtitutio Imperatoris permittenda eſt.

At ſubueniunt priori defectui huius electionis *Innocentius* tertius, in C. Venerabilem, de electione & electi poteſtate: qui ibidem electionem *Philippi* improbat, electionem vero *Othonis* confirmat: vtrobique vero iniuſtus & nocens *Innocentius* tertius, cum omnibus ſuis Canoniſtis. Hæc enim eſt vna ex Decretalibus, quas *Albericus Iuri conſonas non eſſe ait, & proditas contra iura & libertatem imperij*, vt in Dictionario Iuris, in verbo Electio Imperatoris: Electio vero *Philippi* iniuſtè & ſine cauſa ab *Innocentio* rejicitur: Etſi enim vera eſſent quæ ibi narrat *Innocentius* de *Philippo*, quod parentes eius Eccleſiæ perſecutores eſſent, quodque ipſe *Philippus* excommunicatus fuerit, de Iure tamen diuino, perſecutio & tyrannis parentum filio incommodare non debet; *Filius enim non portabit peccatum patris*: Nec excommunicatio de iure diuino quenquam facit regni incapacem, quia regnum fundatur in natura, non in Gratia; & excommunicatio priuat bonis gratiæ, ſed non naturæ, vt ſupra multis probatum eſt. Ejicit ex ouili gratiæ, non naturæ, ex Eccleſia, non ex Republica; & proinde non impedit, quo minus ſubditi cum Rege excommunicato communicare poſſint in natura, qui cum Rege excommunicato in rebus gratiæ & Eccleſiæ communicare non poſsint, vti *Ioannes Driedo*, in libro primo, Cap. 14. Ius poſitivum facit excommunicatos incapaces Regnorum & Prin-

Principatuum & Iudicaturæ, non Ius diuinum ſiue naturale. Impius ergo Legiſlator *Innocentius* tertius, ſi contra ius diuinum naturale, ius ſuum poſitiuum & Eccleſiaſticum efferat. Secundo falſa ſunt & friuola illa omnia quæ obiicit *Philippo, Innocentius* tertius. *Qui* (vti Vrſpergenſis) *omni ſtudio cœpit eidem aduerſari: Hoc agens vt ipſum impediret, ne ad ſublimitatem culminis imperialis poſſit aſcendere, improperans ei quæ frater ſuus & parentes crudeliter peregerant, quæ tamen multa nequitia hominum impulſi, creduntur peregiſſe. In quo ſalua reuerentia ſedis Apoſtolicæ, non videtur ſecundum æquitatem iudicaſſe, cum Dominus teſtetur per Prophetam, quod nec peccata parentum filijs imputentur, quanto minus peccata fratrum & aliorum propinquorum.* Ezechias *quoq;, &* Ioſias *Reges religioſiſſimi iniquiſſimos habuere parentes.* Quinimo *in generatione Saluatoris noſtri* IESV CHRISTI *connumerantur multi iniqui. Extat adhuc Epiſtola prafati* Innocentij, *directa ad* Bertholdum *Ducem* Zaringiæ, *in qua contra* Philippum *multa abſurda, & quædam falſa deſcribuntur, quam fecit interſeri in compilatione Decretalium ſuarum, quas Magiſter* Petrus Beneuentanus *Subdiaconus ipſius in vno volumine compegit, diſtinguens eas ſub certis titulis, & librorum differentijs ſecundum conuenientes ſententias. Tunc cœpit Papa friuolis inſiſtere obiectionibus & exceptionibus, quatenus ipſum impediret, ſententiam ei obijciens excommunicationis. Nam cum in Tuſcia gereret adhuc principatum, dicebaturque quod* Celeſtinus *predeceſſor ſuus ipſum excommunicauerit: ſane vt plus indenotum poſſet eum comprobare ſi non eius monitis acquieſceret, miſit Epiſcopum Sutrinum ad repetendum ab eo vades de Apulia, quos olim frater ipſius* Henricus *Imperator* iuſſerat exoculari: *At ipſe* Philippus, *vt erat manſuetus & benignus, cum audiuit de ſententia excommunicationis, petiuit humiliter ab eodem legato abſolui. Inſuper vades prafatos Domino Papæ remiſit. Quocirca vt odioſum plus redderet* Philippum, *comites illos cæcos, & viros nobiles & perſonatos fecit demonſtrari multis in curia* Romana *exiſtentibus.*

Verba hæc *Vrſpergenſis* etſi longiora, integra tamen deſcripſi, vt eſſent inſtar Commentarij in ſuperbam illam & faſtuoſam Decretalem *Innocentij* tertij: in qua ſine iuſta aliqua cauſa, & ſine omni figura iudicij, contra eundem *Philippum* Decretalem illam falſis & friuolis de cauſis edidit, vindictæ & odij, non iuſticiæ pleniſſimam: Epiſcopus enim Sutrinus legatus Apoſtolicus, vtpote qui fines mandati exceſſerat, quia eundem *Philippum* abſoluerat, Epiſcopatu à Papa priuatur, & in inſulam maris in quodam Monaſterio deſcripto relegatur; vbi fœliciter vitam finiuit, vt idem *Vrſpergenſis* qui tunc vixit, & exoculatos nobiles illos vidit.

Quinetiam tantum fuit eiuſdem *Innocentij* odium tamque inueteratum

tum, vt de eodem refert idem *Vrſpergenſis*: *Audiui etiam* (inquit) *eo tempore, quod tamen difficile eſt relatu, & vix credendum, quod dixerit idem Papa: Quoniam ablaturus eſſet* Philippo *diadema, aut ipſe ſibi Papæ inſigne Apoſtolicum: Cæterum quamuis non ſit credendum quod voluntatem ſuam diuinæ voluntati prætulerit, conſtat tamen quia omni tempore aduerſabatur eidem.* Hæc Vrſpergenſis: ex quibus manifeſtum eſt, ſententiam illam quam contra *Philippum* tulit *Innocentius* tertius: pro *Othone* iniuſtam fuiſſe; & ex animo iudicis quia ex odio & vindictæ ſtudio profecta eſt, & ex cauſa, quia propter falſas & frivolas cauſas prolata eſt.

Id quod & *Innocentius* ipſe non negat in ſua Decretali: in qua aſſirmat, quod *cum in Electione Principum vota diuiduntur, poſt admonitionem & expectationem, alteri partium fauere poſſumus.* Fauere enim alteri partium non eſt Iudicis: vnde Gloſſa: *Si favet, ergo non debet eſſe Iudex: Sed dicit quod in dubio poteſt fauere cui vult.*

Maledicta eſt hæc Gloſſa, & *Aurelianenſis*, quæ permittit Iudici, vt vni parti faveat, quia iuxta regulas Iuris diuini & naturalis, neutri parti favere debet; ſed vtrique quod iuſtum eſt, & ſuum tribuere, Ideo Iuſtitia cæca eſt, nec novit partes; ſed cauſas ponderat: Pontifex ergo cum dicit, quod alteri parti favere poſſit; non Iudicis partes agit ſed aduocati, id quod in hac cauſa accidit: *Otho* enim electus eſt per minorem partem Principum, *Philippus* plura habuit Principum vota: quid hic Pontifex? ſine cauſa aut ſaltem falſa & frivola de cauſa, *Philippi* electionem improbat, *Othonis* vero approbat, ex favore contra omnem Iuſtitiam: Iuxta enim regulam Iuſtitiæ, ſi per maiorem partem eligatur aliquis, qui de iure incapax eſt, minor vero pars ſuffragijs ſuis alium capacem eligat, electio illius qui incapax eſt, nulla eſt & irrita, etſi per maiorem partem facta ſit: Alter vero ille qui votis minoris partis appetitur, nulla ratione electus dici poteſt, aut debet, ſed aut noua electio facienda, aut ad ſuperiorem devoluitur poteſtas eligendi.

Si ergo *Philippus* incapax Imperij, propter excommunicationem, aut iuramenti violationem, aut Eccleſiæ perſecutionem inueniatur; at *Otho* per minorem partem electus, nulla ratione pro Rege Romanorum habendus eſt: quia minor pars capituli nunquam poteſt eligere, contra maiorem partem: verè ergo in hoc dixit *Innocentius*, poſſum vni parti favere, quia quam primum incepit vni parti favere, exuit perſonam Iudicis, & iuſtus eſſe deſijt: Id quod vel ex eo magis manifeſtum eſt, quia poſtquam Principes bellorum & diſcordiæ pertæſi, de Imperatorum reconciliatione agere inceperunt, & inuenta eſſet ratio, vt per nuptias filiæ *Philippi* (quam poſtea etiam

am duxit) *Otho* pro tempore cederet *Philippo*, & *Philippus* solus imperaret, *Innocentius* ipse, consensu suo pacis & concordiæ conditiones approbauit, & nisi fraudibus Comitis Palatini infœliciter periisset *Philippus*, solus etiam imperasset, vti pluribus docet idem *Vrspergensis*: vt autem scias quibus legibus huic concordiæ (*cuius maximum fuerat impedimentum Dominus Papa*) consenserit idem *Innocentius*, audi eundem *Vrspergensem*. *Ast propter hoc, vt nobis retulerunt viri veridici, promittitur Papæ, quod filia Regis daretur in uxorem filio fratris sui* Richardi, *qui iam Comes fuerat effectus Papæ suffragio, nec statuit Papa repetere terras, quas multotiens ab Imperatoribus repetere consueuerat in* Tuscia, & Spoleto, & Marchia Anchonæ, *sperans quod in potestatem nepotis sui propter prædictas nuptias possint deuenire.*

Hæ sunt conditiones pacis Pontificiæ & Innocentianæ: modo nepotes sui ditentur, pereat & causa Dei, & patrimonium Ecclesiæ: *Pro Regno velim; —— Patriam, pentes, coniugem flammis dari.* Objicit *Innocentius* tertius *Philippo*, quod inconsulto Pontifice Romano Iuramentum etsi illicitum violauerit. *Iuramentum hoc iuxta Glossam illud erat, quod fecerat* Frederico *Regi Siciliæ, nepoti suo, tanquam Imperatori futuro, dum adhuc* Henricus *Imperator frater eius, dictipueri pater viueret*: & idem forte iurauerat *Otho*. Quod ad *Philippum* attinet, non tam violauit hoc iuramentum, quam hoc egit, vt nepoti suo Imperium conseruaret, cuius cura & industria prima fuit, vt nullus eligeretur Imperator: Ideo Principes diu impediuit, ne ad Imperatorem eligendum conuenirent.

Cum vero Principes ab electione diutius retardare non poterat, hoc præcipuè egit, vt ipse Imperator eligeretur, quo posset nepoti suo Imperium tradere. Atque hoc nomine male audit *Innocentius*, *Henricus enim* (vti *Blondus*) *moriens, Missane in Sicilia agens, cum grauiter ægrotaret, ad* Innocentium *Pontificem* Romanum *mittens, uxorem sibi & Fredericum filium puerum commendauit*: Philippum *vero sibi germanum fratrem cui totius* Hetruriæ *dominium sub ducatus titulo concesserat, quantum in se fuerit Romani Imperij & simul gubernationem Regni Siciliæ, quousque filius adoleuisset administrationem retinere quæsiuit.*

Quomodo ergo contra iuramentum peccauit *Philippus*, qui diu Imperatoris Electionem impedivit, & postea ne alius in *Frederici* Imperatoris electi præiudicium eligeretur, hoc egit vt ipse eligeretur, qui ab *Henrico* Imperatore Imperij administrator, & protector constitutus erat: & hoc animo eligi voluit, vt Imperium nepoti postea traderet. Quam vero impius in *Henricum* & *Fredericum*, & *Philippum Innocentius*, qui Tutor & Curator *Frederici* ab *Henrico* patre constitutus,

conſtitutus, alium Imperatorem, *Othonem*, contra iuramentum Principum ſuperinſtituere voluit? & hoc nomine *Philippum* periurij arguat, quod contra iuramentum *Frederico* datum, Imperium tam aſſumpſerit, quam *Frederico* nepoti conſeruarit, cum ipſe *Henrico* & *Frederico* infidelis, *Othonem* Imperio præficere voluerit, vt *Fredericum* pupillum ſuum & Orphanum Imperio priuaret. Si *Philippus* periurus, qui ad Imperium eligitur, vt *Frederico* præelecto Imperium conſeruaret, quid *Innocentius* qui pupillum & clientem ſuum teſtamento paterno ipſi commiſſum, & Imperio, & etiam Regno Siciliæ, vt poſtea dicemus, priuare contendit? Oculati Pontifices nævos in alijs vident, trabem in oculis ſuis non ſentiunt.

» At ſecundo electus eſt *Otho* in concordia Principum, poſt mortem
» *Philippi*, & filiam eiuſdem *Philippi* vxorem accepit.

Eſto: In hac ſecunda Principum electione maior *Frederico* iniuria fit, qui iam adoleuerat, & poſt annum vnum, aut alterum poſt *Othonis* depoſitionem denuo electus eſt à Principibus *Fredericus* capax Imperij: Etſi enim ferri poſſit iniuria hæc in minori ætate *Frederici*, cum iam in cunis eſſet aut pueraſceret, at poſtquam exceſſerat ex Ephebis, & à Principibus intra vnum aut alterum annum ad Imperium quæſitus ſit, tunc ſaltem meminiſſe debuerunt Principes iuramenti & fidelitatis eidem in cunis promiſſæ. In minoribus enim conſtitutus *Fredericus*, Curatore & protectore indigebat, ideo Principes *Philippum* Imperatorem deſignant, memores iuramenti & fidelitatis *Henrico* promiſſæ quem *Henricus* ipſe Curatorem Imperij & Regni Siciliæ ordinârat; at poſtquam ad ætatem virilem peruenerat, nec iam Curatore & Protectore indigeret, Principes contra ius faſque omne *Othonem* ſuper-eligentes, iniuſtitiæ rei ſunt, in quos rectè quadrat illud quod ibidem habet *Vrſpergenſis*. *Quocirca Principes & Barones arte Diabolica edocti, nec curabant iuramenta infringere, nec fidem violare, & ius omne confundere, nunc recedentes plurimi a Philippo, Othoni adhærentes, & è conuerſo.*

Quod ergo ad *Othonem* attinet, etſi bis electus ſit, ſemel in ſchiſmate, per minorem partem Principum, & iterum in concordia poſt mortem *Philippi*; nunquam tamen legitimè electus eſt, ſed potius ſuper-electus: & ideo *Innocentius* cum *Othonem* deponit, non facit de Imperatore non Imperatorem, ſed de non Imperatore, non Imperatorem facit, id eſt, de nihilo, nihil facit. Atque hæc de electione *Othonis*.

2 Secundo loco quærendum eſt de cauſa huius depoſitionis, an iuſtè, hoc eſt iuſta de cauſa depoſitus ſit? Qua in re, etſi noſtrâ ſententiâ, nulla iuſta cauſa depoſitionis per Vicarium Chriſti aſſignari poſſit,

sit, quia Imperator siue Rex in temporalibus solum Deum superiorem agnoscit, vt multis supra dictum est, libro primo, capite octauo, classe prima & secunda, vt tamen *Bellarminum* sequamur, causam hanc quam assignat *Blondus*, paulo altius perpendamus: *Terram Ecclesiæ invasit, Radicophanum, montem Falascum siue Flasconem, Romandiolam, & regiones Neapolitanas capere annixus est, nec Pontificem hortantem audit.* Hæc causa est huius depositionis.

Gregorij septimi discipulum agnoscas: ille *Henricum* quartum deposuit, quod terras *Matildis* Imperio subditas subjugare voluit: hic *Othonem* deposuit, quia terras *Frederici* Ecclesiæ feudatorias aggreditur. Pius proculdubio & innocens est Innocentius, qui terras *Frederici* conseruare satagit, ipse vero eundem *Fredericum* Regem *Romanorum* electũ, imperio prius per *Othonis* superinstitutionem privaverat, & priuilegia Regni Siciliæ ipse *Innocentius Frederico*, in minori ætate existenti, eripere conatur, & tamen *Othonem*, quia Siciliã, & regnum Neapolitanum Imperio restituere conatur, idem *Innocentius* deponit. Si dignus depositione *Otho*, qui terras *Frederici* pueri hostiliter inuadit, quid *Innocentius* ipse, tutor & curator *Frederici* à patre constitutus, qui terras aut saltem Regalia eiusdem *Frederici* si non hostiliter, at fraudulenter invasit?

Expectaram ego vt hæreseos crimen intentaret *Innocentius Othoni*: hoc enim præcipuè nomine deponendi sunt Reges, iuxta tesles Bellarminianos, quod hæreseos nota maculantur. An terras Ecclesiæ inuadere hæreticum est? Quidni ergo hæreticus sit Rex Catholicissimus, qui optimo Iure Regna hæc Siciliæ & Neapolis possidet? Si iustè depositus est *Otho*, qui regna hæc Siciliæ & Neapolis hostiliter tantum inuasit, non tamen possedit; an non multo iustius deponendus est Rex Hispaniarum, qui non tantum hæc regna inuasit, sed etiam eadem non tanquam feudatarius Ecclesiæ, sed tanquam verus & legitimus Dominus supremus, iure hæreditario possidet, & *Baronij* tomum vndecimum eo nomine in Hispania diuendi prohibet, quia Regnum Siciliæ iure ad Ecclesiam Romanam pertinere asseruit?

Confidenter dico non audet *Bellarminus* cum suis Collegis Cardinalibus, hanc causam depositionis *Othonianæ* iustam & legitimam asserere, ne vnâ Regem Hispaniarum Catholicissimum dignum depositione & proinde deponendum iudicet. Si enim tyrannus fuerit *Otho*, qui tantum terras Ecclesiæ feudatarias inuasit; quomodo à tyrannide liber, qui easdem ab Ecclesia non tanquam feudatarias, sed tanquam suas detinet? Amicus Ecclesiæ est Rex Catholicus, qui Rex Siciliæ & Neapolis: quomodo ergo hostis Ecclesiæ *Otho* qui hæc regna tantum petijt?

Sed

Sed de hac cauſa audiamus *Matthæum Pariſienſem*: *Circa dies iſtos* Otho Romanorum *Imperator, memor ſacramenti, quod fecerat, cum à Papa ad Imperium fuerat ſublimatus, quod videlicet dignitates imperij conſeruaret, & iura diſperſa pro poſſibilitate ſua reuocaret, fecit per ſacramentum legalium hominum Imperij, dominia, caſtella ſua, & alia iura ad dignitatem Imperialem ſpectantia perquiri, & quæcunque per recognitionem adiui Imperij ſpectare didicerat, in vſus ſuos conuertere laborabat. Hæc autem de cauſa orta eſt diſſenſio graviſſima inter Dominum Papam & Imperatorem memoratum, eo quod tempore quo vacabat Imperium, idem Papa caſtella plurima cum rebus alijs occupauerat, quæ ad dignitatem Imperij pertinebant: vnde Imperator, quia quod ſuum erat, reuocare ſtuduit, ipſum Papam ſine merito ad odium prouocauit.* Fredericum *quoque Regem* Siciliæ, *idem Imperator graniter perſecutus eſt, qui ſimiliter, dum vacabat Imperium, quaſdam munitiones occupatas detinuit: vnde Papa memoratus ipſum Imperatorem per nuntios & literas frequenter admonere ſtuduit, vt tam à perſecutione* Romanæ *Eccleſiæ, quam à Regis* Siciliæ *ac tutelæ commiſſæ ſedi Apoſtolicæ exheredatione ceſſerat: Imperator autem nuntijs Domini Papæ perhibetur dediſſe reſponſum. Si inquit, ſummus Pontifex imperij iura iniuſtè poſſidere diſiderat, à ſacramento quod tempore conſecrationis meæ ad dignitatem Imperialem me iurare compulit, abſoluat, quod videlicet diſperſa imperij iura reuocarem. Denig, cum Papa ipſum Imperatorem à præſtito iuramento, quod omnes Imperatores, in ſua conſecratione, inſpectis ſacro-ſanctis Euangelijs iurare tenentur, abſoluere noluit, & Imperator è contra Imperij iura quæ iam parte maxima, in manu potenti reuocauerat, reddere contempſit; idem Papa in ipſum Imperatorem, ſententiam excommunicationis tulit, atque vniuerſos tam* Alemanniæ *quam Imperij* Romani *magnates, ab eius fidelitate abſoluit, & ſic iram & odium Regis efficaciter obdurauit.*

Hæc *Matthæus Pariſ.* quæ ſi vera ſunt non deponitur *Otho*, quia iura & territoria ſiue feuda Eccleſiæ hoſtiliter inuaſit, ſed quia iura poſſeſſiones Imperij recuperare ſiue reſtituere conatur; quod quidem non ſolum vi iuramenti, ſed etiam iure diuino naturali, & omnium gentium facere tenetur. Imperator enim, non ad diſſipationem ſiue dilapidationem imperij, ſed ad conſeruationem, & augmentum inſtitutus eſt: Deponitur ergo *Otho* iuxta *Matthæum Pariſ.* quia quod officij ſui eſt, hoc ipſum curat & perficit: & proinde iniuſta eſt ſententia *Innocentij* qui *Othonem* depoſuit, non quia iura Eccleſiæ inuaſit, ſed quia iura Imperij reſtituit. Quod ſi omnes Imperatores & Reges deponendi iam ſint, qui furtivas Eccleſiæ plumas repetunt, vix erit Rex aliquis Chriſtianus, qui hanc depoſitionis ſententiam evadere poſſit.

Verum

Verum esto. Inuasit *Otho* feuda Ecclesiæ, & Regna *Frederici*, an ideo deponendus? An quilibet inuasor mucrone Ecclesiæ, excommunicatione scilicet, & demum depositione temporali feriendus? Quidni ergo & *Augustus*, & *Tiberius* à Domino CHRISTO IESV deponendi, quorum alter Imperium ipsum primus arripuit, alter per sanguinem & cædem verorum hæredum ad Imperium aspirauit?

Cur non deposuit Dominus *Herodem*, qui alienigena, Regnum Iudæorum inuasit? Cur non depositus *Constantinus* qui interfectis reliquis Imperatoribus solus imperauit? Cur *Carolus Magnus* ad Imperium sublimatus est, & non potius depositus, qui Reges Longobardorum, longam serie per annos circiter ducentos regnantes in Italia subiugauit, & Regnum Italiæ iure belli inuasit, & in ipsa vrbe Imperium obtinuit, & potestatem Imperialem exercuit? Cur non depositus est *Hugo Capetus* quem Regni Franciæ inuasorem plurimi appellant Historici? Si omnes Regni aut finium aliorum inuasores gladio excommunicationis & depositionis amputandi, quid fiet de multis Regibus, qui aliena regna & dominia iam possident?

Imo quid fiet de Pontificibus, qui nec iure diuino, nec iure hæreditatis, aut successionis, aut electionis, sed aut dono eorum qui regna dare non possunt, vtpote *Constantini* aut *Caroli*; aut mera vsurpatione principatum temporalem non contemnendum possident? An Reges & Imperatores, qui prouincias Ecclesiæ siue Imperij, siue aliorum Regnorum inuadunt, excommunicandi & deponendi sunt? Pontifices verò, qui hæc eadem faciunt, nec mucrone spirituali, nec gladio ciuili plectendi sunt? An acies gladij spiritualis contra Reges & Imperatores acuminata est, contra Pontifices vero hebescit? Aut ergo *Otho* hâc de causa iniustè depositus est, aut eadem de causa iustè potuit *Innocentius* ipse, iuste alij Pontifices deponi. Quid vero? an ideo data est à *Christo* excommunicatio, vt contra rerum temporalium possessores, an vero contra peccatores vibretur? *Si peccauerit in te frater*, nec admonitus resipiscat, *sit tibi velut Ethnicus & Publicanus*. Excommunicatio contra peccatores contumaces instituta est. *Si quis auferat tibi pallium, aut si quis te percusserit in maxillam*, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus: absit hoc: *dato illi & tunicam, præbe & alteram maxillam*: sic *Christus* Dominus. Si quis auferat tibi tubicam, aut in maxillam te percusserit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus; sic vicarius Domini *Gregorius* septimus, & *Innocentius tertius*. *Agri Ecclesiæ solauni tributum, si vel agros auferat non nego*: sic *Ambrosius*.

Si tributum in patrimonio *Petri* petat Imperator, agri Ecclesiæ, non soluunt tributum: si agros, si prouincias Imperij, quas in inter-

regno

regno & schismate Pontifex *Innocentius* arripuit, repetat *Otho* Imperator, nego inquit *Innocentius* imo vero *Othoni* & regnum cœlorum & Imperium terenum tollo. Vtrumq; gladium, spiritualem excommunicationis, & temporalem depositionis, contra ipsum stringo, ipsumq; & communione naturæ & gratiæ priuo.

Hæc *Innocentium* Pontificem ambitiosissimum, nec Deum, nec hominem, sed medium inter Deum & hominem optimè decent. Excommunicatio vero non pro defensione principatus temporalis Pontificij, sed pro defensione Regni Cœlestis præsulibus Ecclesiæ concessa est · & proinde non pro rebus temporalibus, sed pro spiritualibus & divinis exercenda. Vnde *Ioannes Gersonius*, De vita spirituali animæ, in Propositione quinta: *Expediens videretur, vt nulla sententia excommunicationis ferretur, nisi pro contumacia facta in rebus spiritualibus, & vbi transgressor vergit manifeste in dissipationem fidei, & suæ libertatis, sicut est de Hæreticis & Schismaticis eorumque fautoribus, sicut de interdicto diceremus. Excommunicatio siquidem baculus est pure spiritualis, propterea non videretur rationabiliter assumenda ad protectionem rerum temporalium, & quasi prophanarum, quoniam res temporales non debent conseruari, vel repeti, cum maiore damno eorum, à quibus repetuntur, quam sit vtilitas proueniens apud repetentes: sed excommunicatio maius damnum infert, quam sit vtilitas alia temporalis; præterea non debet Ecclesia grauius punire delinquentes ciuiliter, quam potestas secularis: Oppositum tamen fit, dum propter contumaciam cadentem in causa rerum temporalium, Iudex Ecclesiasticus incarcerat, & ligat animas grauissimis Excommunicationis vinculis: Iudex vero secularis, sola corporum detentione contentus est. Rursus non est vndiquaque certum, an ius diuinum concesserit Prælatis iurisdictionem temporalem immediatè, aut saltem eius exercitium, sicut Christus illud à se abdicauit. Aut si hoc constare potest remaneret tamen incertum, si Iurisdictionem secularem, ex consuetudine vel dono Principum concessam, sibi possit Ecclesia per Iurisdictionem suam purè spiritualem exercere, prosequi & defendere, &c.* Baculus spiritualis scil. excommunicationis pro defensione rerum temporalium patrimonij scil. *Petri* & feudi Ecclesiastici exercendus non est. Iniustè igitur propter inuasionem feudi Ecclesiæ *Otho* ille ab *Innocentio* 3°. Imperio privatus est.

Etsi vero depositus hoc modo *Otho*, per sententiam *Innocentij*, & *Fredericus* secundus per Principes electus fuerit, ante mortem tamen *Othonis Fredericus* nec confirmatus nec coronatus est; vt in *Alberto Stadensi* ad annum 1219. manifestum est: *Innocentius* vero qui hanc sententiam excommunicationis & depositionis contra *Othonem* protulit, ambitiosus & dominandi nimium cupidus fuit: id quod testantur verba *Blondi*, Decad. secundo, libro primo: *Ea*

ratione

ratione facere (id est Fredericum revocare) *renuit quod is magno vir animo, sicuti* Othonem *prius, hunc quoque pariter quæreret* Italiâ *deturbare.*

Quin etiam leuitatis magnæ arguitur, quod creaturam suam tam cito destituerit, sicut in Historia *Roffensi* manu-scriptâ, scriptum legi. *Per idem tempus Papa* Innocentius *excommunicat, & excommunicatum denuntiat Imperatorem* Othonem; *atque vniuersos tam Alemanniæ, quàm Imperij* Romani *magnates, ab eius fidelitate absoluit: vnde à multis instabilis, & mutabilis dijudicabatur, eo quod, eodem tempore eleuans, allisit eum.*

Eadem habet verba *Matthæus Westmonasterienſis*, ad annum 1510.

CAP. XLVI.

Fredericus secundus iniuste ab Innocentio quarto depositus.

1. *Fredericus quid perpessus ab Innocentio tertio.*
2. *Quid Honorius fecit in eum, & qua de causa.*
3. *Quid passus sit à Gregorio nono domi foriſque.*
4. *Quid ab Innocentio quarto, sub quo moritur.*
5. *Qualiter Innocentius quartus moritur.*
6. *Iudicium scriptorum de Frederico secundo.*

VNDECIMVM exemplum est *Innocentij* quarti, qui „ 1
in Concilio generali Lugdunensi consentientibus „
vniuersis patribus, deposuit *Fredericum* secundum, „
& vacauit tum Imperium per annos 28. vt *Matthæus* „
Palmerius in Chronico annotauit, & extat senten- „
tia: Cap. ad Apostolicæ: de sententia & re iudicata in 6. „

Fredericum depositum fuisse per sententiam *Innocentij* quarti non est negandum: at *Fredericum* depositum fuisse quoad executionem, nemo sanus affirmare potest: fecit *Innocentius* quod potuit, quodque expromisso debuit, quia quod ligatum erat à vicario in terra, in cœlis non est ligatum a Domino.

Ego, quod meum est, feci, faciat & persequatur super his Deus, quod voluerit.

velaverit. Sic Innocentius apud *Matthæum Parisiensem*, ad annum 1245.

Imo vero non fecit *Innocentius* quod suum erat, quia *Fredericum* sine causa iusta, ex odio aut ambitione, & dominandi cupiditate, ipse amicus falsus, & ingratissimus, & sepulchrum omnium beneficiorum, quæ in familiam suam, & familiam Dei Ecclesiam contulerat *Fredericus*, deposuit.

Deus reuera fecit & persecutus est super his quod voluit, qui propter peccata Cleri & populi, mala multa super Ecclesiam & Imperium, per ministerium *Frederici*, flagelli sui, inuexit: sic vt ipsum *Innocentium* propter infinitas huiusmodi miserias vitæ suæ tæderet, qui tamen de ambitione & odio, & vindictæ appetitu nunquam pœnitentiam egit.

Quod enim ad FREDERICVM attinet, si cuiquam Imperatori libertates siue immunitates suas debet Ecclesia, huic debet, vtpote qui omnes prædecessorum suorum libertates & priuilegia confirmauit, & amplissime auxit, vt ex eiusdem FREDERICI constitutione supra patet, si quis Imperator leges salubres pro hæreticorum correctione, & Hæresium extirpatione edidit, in hoc genere omnes superat FREDERICVS, vtpote qui, vti multis videtur, pœnam mortis siue ignis contra Hæreticos, lege sanciuit: Lex vero illa de Dominorum temporalium depositione, qui in Hæreticis extirpandis negligentes sunt, quæ iam in Canonem tertium Concilij Lateranensis relata est, vt nonnullis doctis viris placet, FREDERICVM autorem habet: vnde *Honorius* Pontifex in Extrauaganti, qui Concilij huius Lateranensis Canonem ignorauit, legem hanc FREDERICI & laudat, & in Canonem suum retulit.

Indignus ergo hac iniuria *Fredericus* optime de Ecclesia meritus, Ecclesiæque humillimus & obseruantissimus semper filius: Indignus *Innocentius* quartus, qui hanc iniuriam *Frederico*, optime de Ecclesia, & de *Innocentio* ipso, merito, faceret.

FREDERICVS enim vt ab incunabulis historiam ipsius retexam; ab ipsis incunabulis fine cunis, vsque ad sepulchrum, iniurias pontificum perpessus est, inter sacrum saxumque, inter malleum & incudem positus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Sic CHRISTVS *Matth.* 16. 24.

Fredericus non crucem sed cruces sustulit, quot Pontifices tot cruces vel potius tot tortores & tyrannos pertulit.

Henricus sextus, *Constantiam* vxorem, & *Fredericum* filium, Regem Romanorum electum, cui in cunis fidelitatem iurauerunt Principes,

Principes, vt ſupra dictum eſt, *Innocentio* 3. Pontifici electo commiſit, vt ex *Blondo* patet. *Innocentius* 3. Tutor & Curator huius *Frederici* factus, non ſolum *Philippum* patruum (cui *Henricus* moriens, & Regni Siciliæ, & Imperij adminiſtrationem commiſit) quantum in ipſo erat, ab Imperio dejecit, ne ipſe *Philippus* idem Imperium ſartum tectum *Frederico* conſervaret, traderetq; : ſed etiam *Othonem* à minore parte Electorum deſignatum ſuperinſtituit. Quinetiam & eundem *Fredericum* in minoribus agentem, non tanquam Curator ſed tanquam proditor vel prædator, regalibus quibuſdam priuilegijs, circa Epiſcoporum inveſituras, & Regno Siciliæ et Apuliæ ſpoliare conatur : qua de re ſic Nauclerus, *Gen.* 41. *Et nactus erat ille, iam ex Conſtantiæ mulieris interitu, maioribus rebus aptam materiam, occupandæ ſcilicet Apuliæ ac Siciliæ : Reliquerat Henricus 6. Vxorem Conſtantiam cum parvulo filio Frederico 2. moriens Innocentij nuper electi curæ, qui vt mox poſt Principis obitum Iura Siciliæ repetijt, ita poſt Conſtantiæ interitum, poſtea non tam tutelæ nomine, quàm ſui iuris tuendi cauſâ, Siciliam & Apuliam adminiſtrabat.* Infœlix proculdubio Henricus, qui Ovem Lupo, medico hæreditatem id eſt, tutelam et hæreditatem filij *Frederici* et *Conſtantiæ* Vxoris, *Innocentio* principatus temporalis, ſiue patrimonij Petri auidiſſimo commiſit : cuius quidem adeò cupidus fuit iſte *Innocentius*, vt ſicut *Othonem*, ſic etiam et poſt depoſitionem *Othonis*, Fredericum Italiâ deturbare conatus eſt, et proinde eundem denuò electum, Romæ coronare noluit, vti narrat *Blondus. Decad. 2. l. 6.*

Mortuo Innocentio 3. ſucceſſit Honorius tertius, à quo per Oſtienſem Epiſcopum poſt mortem *Othonis*, *Fredericus* 2. Imperator Romæ coronatur : *Vbi Imperator* (inquit Vrſpergenſis, ſicut et Nauclerus,) *de bonis & prædijs Imperij in Italia ſitis, multa contulit Eccleſiæ Sancti Petri; & vota votis accumulans, de manu eiuſdem Epiſcopi rurſus crucem accipit, ad perficiendum iter Hieroſolymitanum* : acſi Imperium non niſi muneribus et votis acquiri poſſit, vti notat *Cuſpinianus* in Frederico ſecundo; hoc non eſt Imperia conferre, ſed venalia exponere. 2.

Ecce magnam *Frederici* in Eccleſiam Romanam bonitatem, quam patrimonij donatione, et crucis votis teſtatiſſimam fecit. Quid hic Pontifex *Honorius* 3. quam gratiam pro hac charitate retulit? Acſi aures haberet in manibus, quamdiu accipit, tamdiu nihil mali facit : *Contra duos Comites Tuſciæ, Matthæum videlicet & Thomam, qui caſtra quædam & terras ſuæ ditionis occupauerant in Apulia pugnare cœpit, & expugnatos bonis omnibus priuauit. Hi confugiunt Romam, præſidium ſedis Apoſtolicæ implorant : quocirca Imperator multotiens conquerebatur, quod inimicos ſuos & hoſtes publicos, ſedes Apoſtolica foueret. Fredericus* 2. patrimo-

nium Apostolico tribuit, et Apostolicus vt eidem vicem rependat, rebelles & hostes publicos Imperatoris fovet: *Inde non leuis causa odij Imperatoris in Pontificem: vnde etiam prima inimicitiarum fomenta inter vtrumq; exorta sunt.* Vti Cuspinianus.

Hic an *Fredericus* Imperator peccavit qui rebelles subiugavit, an vero *Honorius* Pontifex, qui rebelles contra Dominum legitimum fovit, iudicet Lector. *Episcopus Augustanus in Historia Suenica, asserit id levibus friuolisq; de causis Frederico contigisse, idemq; testantur omnes Germanici Scriptores, qui eo tempore vixere, vt Pandulphus Collenucius in Hist. Neapol. lib. 4.*

At fortè mutavit mores Fredericus, Iurisiurandi religionem sprevit, multa & quidem enormia aggressus, ditionem vexabat Pontificum, Pontifices & Archiepiscopos ponens in Ecclesijs modo suo, & institutos a Papa expellens, collectas ab Ecclesijs exigens: Dicebat enim ius Regibus Siciliæ, in Electionibus Prælatorum ex antiquo debitum, minorari a Papa, quia eorum privilegium Innocentius tertius sustulisset Constantiæ, Frederico puero existente, vt supra dictum est, & fortè fuit privilegium, de quo in Glossa summa 16. q. 7. quod Apuliæ Reges habeant investire: Admonitus autem super his, sibi non obtemperabat, admonentem magis magisq; indies sprevit, vnde eum percussit Pontifex Anathemate, nisi resipisceret & ablata redderet. Et cum sperneret primam execrationem, iteratò Pontifex privationem Imperij regnorumq; addidit: tertiò per contumacem exasperatus Pontifex, omnes Imperij, & regnorum olim suorum subditos, à Sacramento fidelitatis absolvit. Hæc fuerunt semina malorum plurimorum: Hæc Nauclerus, *Gen. 41. an. 1221. pag. 815.* In quibus excommunicatio & depositio Imperatoris, necnon absolutio subditorum à iuramento fidelitatis de facto manifesta est, at causa iniusta & frivola: Quid enim hic fecit *Fredericus*? privilegium Regum Apuliæ & Siciliæ, siue ius ex antiquo debitum, in Prælatorum electionibus et investituris, ab *Innocentio* tertio Tutore suo, tempore *Constantiæ* Matris suæ, in pueritia sua violatum, restituere conatur *Fredericus*: et hac de causa ab *Honorio* excommunicatur et deponitur, et subditi eius à Sacramento fidelitatis liberantur, hæc causa est huius depositionis. Investituras Prælatorum *Henricus* quintus Pontifici restituit, deceptus tamen spe recuperandæ ditionis suæ Imperialis, *Vide Dodechinum ad annum* 1110. Si in Imperio *Fredericus* Investituras Episcoporum arripuisset, reprehendi fortè posset, quia Donationem siue concessionem Prædecessoris sui *Henrici* Quinti violasset: Verum in Regno Apuliæ et Siciliæ, ius ex antiquo debitum, à prædecessoribus suis, Pontifici non restitutum, sed ab *Innocentio* tertio in viduitate Matris, et Minoritate sua vsurpatum, repetit *Fredericus*. Quorsum ergo reprehendendus, aut admonendus, aut excommunicandus,

nicandus, aut deponendus, qui ius antiquum & Regium repetit? An inueſtitura de eſſentia eſt Epiſcopi? ſic vt nemo ſine Inueſtitura, per annulum et baculum, ſiue per manum ſpiritualem, ſiue per laicalem Epiſcopari poſſit. Quod Imperatores & Reges per annulum et baculum Epiſcopos conſecrare poſsint, nemo ſanus vnquam dixerit: conſecratio enim ad Epiſcopos, non ad Reges ſpectat: Quod inueſtitura per manum laicalem, electionem per Clerum ſiue Capitulum excluſerit, non ſatis conſtat: Quod Epiſcopi per Reges et Imperatores, reſpectu temporalium, quæ ab ipſis in feudo tenent, inueſtiantur, non eſt quod quiſquam iure reprehendat. Et poſt conſecrationem Epiſcopalem dari ſolet reſtitutio temporalium in Anglia per Regem: Quid eſt ergo quod tantopere in Inueſtitura per manum laicalem reprehendunt Pontificij, ſi inueſtitura Laicalis, ordinem ipſum ſacrum ſiue conſecrationem ſpiritualem non confert, nec Electioni Canonicę præiudicet, & ſola temporalia, in quibus ius omne ab Imperatore ſiue Rege pendet, tribuat?

De his Inueſtituris ſtrepitus magnus, ſed ratio ſiue cauſa nulla, aut exigua: Quid vero an ſolus Pontifex de Iure diuino inueſtituram dare poteſt? vbi ergo ius hoc diuinum? An inueſtituram acceperunt *Petrus* et *Iacobus*, aut reliqui Apoſtoli? Si inuentio ſit humana de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quo ergo iure aut *Henricus* quartus, aut *Frederieus* ſecundus regno priuantur, quod Inueſtituras Iure Eccleſiaſtico & antiquo ſibi á Pontificibus conceſſas retinuerunt? Friuola ergo, ſi non et falſa & iniuſta, eſt hæc cauſa depoſitionis, quia maior eſt pœna quam culpa: depoſitio et excommunicatio, id eſt amiſsio regni cœleſtis, et terreni, maior eſt pœna quam culpa Regum et Imperatorum, qui per annulum et baculum Epiſcopos inueſtire ſolebant.

Et Inueſtitura hæc è manu Laicorum extorta, maiori peccato prouiſionum, et gratiarum expectatiuarum, et Simoniæ in Curia Romana punita eſt. Recte ergo Wimphelingius: *Honorius tertius Papa, peſſimo Chriſtianorum fato, Fredericum Anathemate notat, & imperij dignitate priuatum denuntiat, ob quam rem Soldanus (quod ei de inimicitijs Pontificis Imperatoriſq; conſtabat) Damiatam recepit, &c.* Nec iuſta ergo eſt hæc depoſitio, quia cauſa friuola, nec prudens conſilium, quia in diſpendium rerum Chriſtianarum in Syria: Vouerat enim Freder
expeditionem Hieroſolymitanam, hanc dum parat, Pontifex v
ſuum in *Fredericum*, etiam cum Imperij et Sacerdotij diſcord
rijs infandis exerceret, eandem expeditionem in demnur
anitatis, factionibus ſuis et ſeditionibus impedir
eſſet in Fredericum odio, vt non curaret
Chriſtianitas, modo vnà etiam in perie

cus: vnde Nauclerus, *Gen. 41. ad ann. 1226. Longobardi (vt creditur) per ſuggeſtionem Honorij Papæ, contra Fredericum Imperatorem 2. componentes ligam, inter ſe, & vicinas ſibi ciuitates, aduerſum Imperium Romanum ſtatuerunt; quæ per multos annos ſub nomine confœderationis Longobardorum appellata perſeueranit, graue admodum Romani Imperij diſpendium, ac Hieroſolymitanæ expeditionis manifeſtum impedimentum, quoniam iter quod ipſe Fredericus in Syriam facere promiſerat, occaſio hæc, ne fieret, diutius ſuſpendit.* Atq; hæc de Honorio tertio.

3. *Honorio* tertio ſucceſſit *Gregorius* nonus, Decretalium compilator, *Hugolinus* antea dictus, qui quia *Fredericum* ex mandato *Honorij* Diademate coronaverat, eundem etiam coronâ & diademate ſpoliare ſe poſſe putabat: qui ſicut in Pontificatu, ſic etiam in odio *Frederici*, et dominandi et vindicandi cupiditate *Honorio* ſucceſſit: *Hic* (inquit Vrſpergenſis, *Ad annum* 1227.) *tanquam ſuperbus, primo anno Pontificatus ſui cœpit excommunicare Fredericum Imperatorem, pro cauſis friuolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine iudiciario.* Imo iuxta *Fredericum* ipſum: cuius Epiſtolæ ſummam & Epitomen colligit *Vrſpergenſis*, pro benevolentia & meritis ſuis: *Ex his omnibus conqueſtiones facit Principibus, quod pro tot beneficijs, ab Eccleſia non potius remuneratur, quam excommunicatur: ideò & de Papâ conqueritur, quod nuntios ſuos honeſtos, videlicet Archiepiſcopum Brundienſem, & alios in Concilio ſuo, non ſolum audire contempſit, ſed nec ad præſentiam ſuam vel Concilij admittere voluit:* Et Cuſpinianus, *In Frederico 2. Qui homo ſuperbus & temerarius, omnia ſibi licere putans, ob cauſas friuolas & vanas, nullo iuris ordine ſeruato, Fredericum Imperatorem diris & Anathemate ferit:* Ex morbo ergo animi Pontificij, potius quàm ex merito *Frederici*, proceſſit hæc excommunicatio & depoſitio.

Verum cauſam ipſam audiamus: quam ſic deſcribit Naucle-rus. *Ex quibus autem cauſis vterque ad præmiſſa motus fuerit; ſcribentes non concordant: Scribit enim Antoninus cum in principio ſui Pontificatus anni; Gregorius Imperatorem exhortatus fuiſſet, vt iuriſdictionem Eccleſiæ, ſcilicet inveſtituras Pontificum, & collationes beneficiorum non vſurparet, terras plurimas Eccleſiæ reſtitueret, Clericos tallijs non gravaret, cenſum debitis de feudis redderet: Ille ſuperbia plenus, nihil emendavit: propter quod Gregorius eum execravit iterum, & de novo, quod & fecerat Honorius. Sed certè ex Epiſtola Gregorij, quam ſcribit ad Regem Franciæ, quæ incipit. Aſcendit de Mari beſtia, &c. convincit Gregorium hoc in tempore, ob hæc cauſas Fredericum non excommunicaſſe, ſed pro eo quod ad terminum præfixum ipſe Fredericus, cum cruce-ſignatis non tranſivit in ſuccurſum terræ ſanctæ, prout iuraverat, & ſub pœna execrationis ſibi*

præceptum

præceptum fuerat. Dicebat autem Imperator iniuſte ſe excommunicatum, cum etiam in termino iter arripuiſſet, & mortuo Lantgravio, in itinere grauis eum infirmitas redire compuliſſet, & ſic per euidentem infirmitatem deberet eſſe excuſatus. Refert idem .:: Epiſtola quæ incipit, In Admirationem: Quanta ſtipendia promiſerit ad ſubſidium terræ ſanctæ, videlicet quod iugiter aleret milites vltra montanos ſeptingentos, & de ſuis ferè trecentos: Ad quæ pontifex in prædicta Epiſtola: Aſcendit de Mari: Reſpondet Fredericum infirmitatem ſimulaſſe, de eius ficta egritudine per literas prælatorum ibi conſiſtentium conſtitiſſe, ideo quod omiſſo paſſagio non iuerit, denunciatur execrationi ab Honorio lato ſubiacere, cum oblatione quod impertiretur ſibi iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium, quam cito in terra ſancta ſuccurſum iuiſſet: Hęc Nauclerus.

Quod ergo in Syriam non proficiſcitur, iuxta votum ſuum, & mandatum Pontificis, cauſa eſt huius execrationis & depoſitionis, & ſola cauſa: ſic enim Cuſpinianus: *Non enim aliam cauſam habuit Pontifex, quam quod votum peregrinationis Hieroſolymitanæ (quod non poterat multis rebus obſtantibus) non ſoluiſſet.* Inter impedimenta vero huius expeditionis, maximum erat, confœderatio Longobardorum, per *Honorij* ſuggeſtionem excitata; ſic vt in has anguſtias detruſus ſit *Fredericus*, vt aut per Longobardorum ligam, ditionem ſuam deperderet, aut iter Hieroſolymitanum differret, aut in manus Pontificis incideret. Et *Dauid* triplici malo inſodatus, maluit in manus Domini ſe committere, quam vel famem, vel gladium perpeti: at *Frederico* peſſimum fuit, in manus Pontificis incidere: ſi enim aut Longobardorum incurſiones, aut expeditionis Hieroſolymitanæ pericula ſuſtinuiſſet, parte Imperij fortaſſe mulctandus erat: at per ſententiam Pontificis, & Regno cœlorum, & imperio regniſque terrenis ſimul excidit. Proculdubio melius eſt multo in manus Domini exercituum, quam in manus Pontificis ſuperbi & temerarij incidere.

Audiamus vero quid de hac ipſa execratione & depoſitione ſtatuerit Rex & Prœſules, & proceres, ſiue Baronagium, & Reſpublica repręſentatiua Francorum, apud Matthæum Pariſ. *In Henrico tertio.* Scribit Pontifex ſe *Fredericum* à culmine Imperiali abdicaſſe, & *Robertum* Comitem, fratrem Regis Imperatorem elegiſſe. *Ad quod inito conſilio, circumſpecta Francorum prudentia reſpondet: Quo ſpiritu vel auſu temerario, Papa tantum principem, quo non eſt maior, imo nec par inter Chriſtianos, non conuictum & confeſſum de obiectis ſibi criminibus exhæredauit, & ab apice Imperiali præcipitauit? Qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, non niſi per generale Concilium,* (non ergo per Papam ſolum) *caſſandus iudicaretur: De tranſgreſſionibus ſuis non eſt hoſtibus fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis: Nobis adhuc inſons imo bonus fuit viſus, nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſeculari,*

vel fide Catholica: Scimus autem quod Domino noſtro Ieſu Chriſto fideliter militauit, marinis & bellicis ſe periculis confidenter opponens: Tantum religionis in Papa non inuenimus. Imo qui eum debuit promouiſſe, & Deo militantem protexiſſe, eum conatus eſt abſentem confundere, & nequiter ſupplantare. Noluimus noſmetipſos in tanta pericula præcipitare, vt ipſum Fredericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos iunabũt, & cauſa iuſta (iniuſta ergo ſententia Pontificis) *præſtabit adminiculum: quid ad Romanos, de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dummodo ſuæ iræ ſatisfecerimus? Si enim per nos, & alios deuicerit, omnes Principes mundi conculcabit, ſumens cornua ſalbantia, & ſuperbiam, quoniam ipſum Fredericum Imperatorem magnum contriuerit, &c.* Hæc rex Franciæ cum Baronagio ſuo. Ex quibus hoc manifeſtiſſimum, quod vnica & ſola cauſa huius depoſitionis & execrationis hęc eſt, quod iuxta votum ſuum, & mandatum Papę, tempore præfixo expeditionem Hieroſolymitanam non ſit aggreſſus, relinquens poſt ſe hoſtes cum Pontifice confœderatos, qui regna ſua, in eius abſentia diriperent, et ſubiugarent, cum ipſe valetudinarius eſſet, & Lantgrauium morbo correptũ amiſiſſet, et Cruce ſignati peſte laborarent.

An vero iuſta eſt hæc cauſa aut execrationis aut depoſitionis, quod tale votum in tantis periculis et anguſtijs conſtitutus non perfecerit intra tempus conſtitutum, ſed ſolum diſtulerit? An quiſquam ſanus vnquam dixit, voti violationem quam cogit neceſſitas, aut morbus, aut damnum ineuitabile, excommunicatione vel depoſitione puniendam? an voti violatio in foro exteriori de iure diuino tali pœna caſtiganda eſt? teipſum candorẽq; animi tui *Bellarmine* doctiſſime appello, an dignus excommunicatione vel depoſitione *Fredericus*, quia his anguſtijs detentus, expeditionem contra Sarracenos, & liberationem terræ ſanctæ hoc tempore non ſit aggreſſus? Quicquid vero vel tu, vel Pontificius quiſquam, dixeris, vere dixit *Vrſpergenſis*, cauſæ huius execrationis & depoſitionis & falſæ et friuolę erant. *Friuole & vane*, vt Cuſpinianus, quæ ſi ad ſtateram Iuſtitiæ ponderentur, leuiſſimę erant; Imo ſi ad amuſſim perpendantur impiæ ſunt et iniquiſſimæ: Quid enim iniquius aut magis impium, quam pro voto, quod in adiaphoris, (ſiue vt dicitis vos, in melioribus bonis, ſiue conſilijs tantum locum habet, non in neceſſarijs, quæ de iure diuino iubentur aut prohibentur) pœnam contra ius diuinum ſtatuere, id eſt Imperatorem priuare fidelitate & obedientia ſubditorũ, quæ de iure diuino naturali, etiam Imperatori malo & dyſcolo debetur. Quid magis impium et crudele, quam confœderationem et ligam rebellium et hoſtiũ capitalium, hoc eſt, Longobardorum contra *Fredericum* fouere, ne poſſit expeditionẽ Hieroſolymitanam ſuſcipere, ſine regni ſui diſpendio et amiſſione, ad quod tuendum et confirmandum de iure diuino naturali tenetur, et tamen eundem, quia ſic impeditus iter Hieroſolymitanum non aggreditur diris perſequi

perſequi & regno ſpoliare? An audet quiſquam veſtrum, ore impuro & impudenti eructare, quod mandata Dei omittenda, imo violanda ſunt, potius quam violetur, vel potius differatur, nec tamen auferatur, votum ſiue conſilium veſtrum? Imperator enim & Rex de iure diuino tenetur Imperium ſiue regnum ſuum, pro poſſe ſuo defendere. Lupus eſt, non Paſtor *Gregorius* iſte, qui paſtorem Reipublicæ, & patriæ patrem emittit, vt ipſe cum rebellibus ſuis confœderatis Longobardis, oves Reipublicæ ſpoliare poſſit, & regna & prouincias Imperij diripere, ſicut in abſentia *Frederici* poſtea à *Gregorio* iſto factum eſſe tradunt Hiſtorici. Illud vero omnem impietatem ſuperat, quod excõmunicatus & execratus ad terram ſanctam, & ſepulchrum Domini glorioſum reſtaurandum emittitur, qui è terra ſancta & regno cœlorum ejicitur: quodque qui tanquam Ethnicus & publicanus, ad vere Ethnicum & publicanum Soldanum debellandum pergit. Intempeſtiuæ & impiæ, in hoc itinere Domini, erant maledictiones, vbi benedictionibus, & precibus ijſq; ſolis & multis opus erat. Vtcunq; vero cauſa iuſta & vera, non falſa, non friuola non vana, vti hiſtoriæ: (Pontifex enim fingere poteſt cauſas depoſitionis vti Bellarminus cap. 12.) at in omni iudicio ordo eſſe debet. At *Fredericus* magnus Imperator inter Chriſtianos, quo nemo maior, nec par, nec conuictus, nec confeſſus, nec auditus, nec teſtimonio hoſtium (inter quos Papa ipſe, Iudex Imperatoris, capitalis fuiſſe dignoſcitur) convincendus, & vicinus inſons, & bonus,--in quo nihil ſiniſtri, vel infidelitate ſeculari vel in fide Catholica (Iudicio Regis & totius Regni Franciæ) condemnari, vel excommunicari, vel deponi debuit: ſententia ergo hęc Pontificis prorſus iniuſta eſt. Atque hæc quidem antequam expeditionem iſtam ſuſcepit, facta ſunt.

Proximo loco, conſideranda eſt expeditio ipſa: antequam proreditur à *Gregorio* execratur & deponitur, in itinere poſtquam ad terram ſanctam pervenit, foris à templarijs tanquam hoſtis communis, deſtituitur auxilijs; domi à rebellibus & confœderatis, imo ab ipſo Pontifice, qui eum abſentem protegere debuit, vt loquuntur Franci ſupra, ſpoliatur: victoriæ eius tenebris obſcurantur, ipſe tanquam mortuus fingitur: Pontifice conſcio imo omnium authore; & quod omnium graviſſimum eſt, poſt reditum, ſine pretio abſolutionem à venali Pontifice non obtinet, humilis & per omnia obediens Imperator: ne vero iſta fingere videar, audiamus de ſingulis ſententiam Hiſtoricorum.

Anno Domini 1228. *Imperator volens implere votum ſuum, & pacatum ſibi Papam efficere, transfretauit ad terram Hieroſolymitanam: prius tamen eodem anno condixerat curiam Principum Alemaniæ in Quadrageſima apud Rauennam, à qua ſimiliter impeditus fuit nuntijs & legationibus Domini Papæ: nam Veronenſes & Mediolanenſes non permiſerunt aliquos tranſire per fines ſuos, ſpoliantes rebus ſuis etiam cruce ſignatos,*

tos, vt aſſerebant authoritate Domini Papæ, quod proh dolor nefas eſt dicere. Nihilominus tamen Imperator venit ad terram ſanctam menſe Auguſto, & applicuit ad Acon, & ibi permanſit; vt aiunt, multa ſuſtinuit ex perfidia proditione templariorum: Hæc Vrſpergenſis: *Interim idem Fredericus Oratores Romam mittens, abſolutionem à Pontifice, reconciliationemque quia votis ſatisfecerit, implorauit: ſed Pontifex petitionibus eorum repulſam dedit, & Hoſpitalarijs ſeu Templarijs in Aſia militantibus, vt Frederico tanquam hoſti publico fauores detraherent iniunxit.* Sic Nauclerus. Vter vero hoſtis publicus Eccleſiæ & Chriſtianitatis Gregorius qui auxilia Templariorum prohibuit, an Fredericus qui pro rebus Chriſtianis militauit, iudicet æquus lector. Idem refert ex *Vrſpergenſi Cuſpinianus.*

Impijſſimus Pontifex qui vt Imperatorem, quem oderat, mala morte per manus Ethnicorum & Sarracenorum perderet, ipſam etiam rem Chriſtianã ſimul peſſundare ſatagebat: Sinit Dominus zizania creſcere, ne ſimul eradicetur & triticum. Matth. 13. Pontifex vt Imperatorem exoſum conterat, triticum Domini conculcat; Atque hæc foris facta ſunt.

Domi vero in abſentia Imperatoris, Imperium ipſum prędę & rapinis à Pontifice exponitur: *Papa vero captata occaſione de abſentia Imperatoris, copioſum exercitum deſtinauit in Apuliam, & terram Imperatoris in ſeruitio Chriſti demorantis, quod nefandiſſimum eſt dicere, abſtulit, & ſibi ſubiecit: & Cruce-ſignatos ne tranſfretarent omni ſtudio prohibuit, tam in Apulia, quam in Lombardia: Quia talia facta recte conſiderans, non deploret & deteſtetur: quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Eccleſiæ:* ſic Vrſpergenſis. Vt hanc rem luculentius patefaciam libet hic Epiſtolam Thomæ cuiuſdam Comitis Atteranenſis, Tutoris ſiue rectoris, inter alios, Imperij in abſentia Imperatoris adſcribere, ſicut extat apud Matthæum Pariſienſem In Henrico tertio pag. 341.

Excellentiſsimo Domino Frederico.— Poſt receſſum veſtrum Domine excellentiſsime, Gregorius Pontifex Romanus, & magnificentiæ veſtræ hoſtis publicus, congregato exercitu copioſo, per Ioannem de Brennes Regem quondam Hieroſolymitanum, & alios quoſdam viros ſtrenuos, quos ſuæ militiæ Principes, conſtituit, terram veſtram hominum veſtrorum hoſtiliter ingreſſus, contra legem Chriſtianam, decreuit vos in gladio vincere materiali, quem non potuit deijcere in gladio, vt ait, ſpirituali. Nam Ioannes præfatus, de regno Francorum & alijs conterminis regionibus, militiam contrahens non modicam, ſub ſpe Imperij, ſi vos poſſit ſubigere de theſauris Apoſtolicæ (non ſic ſolebant Apoſtoli theſauros profundere) *ſuis militibus ſtipendia miniſtrat. Itaque*

idem-

idem, Ioannes & alij sedis Apostolicæ Principes Militia, terram, vestram, & hominum vestrorum hostiliter ingressi, ignem in ædificijs & villis accumulant, spolia & armenta rapiunt, homines raptos diversis cruciatibus torquent, & ad grauissimam redemptionem compellunt, nulli sexui parcunt, nec cuiquam extra vel cœmeterium deferunt, vicos & castella capiunt, non habentes ad hoc respectum, quod sitis in seruitio Christi: Et siquis de Imperatore mentionem facit; Ioannes de Brennes affirmat, non esse alium Imperatorem præter ipsum: Mirantur super his amici vestri (excellentissime Imperator) & præcipuè clerus Imperij vestri, qua consideratione & conscientia talia facere potest Pontifex Romanus, & contra Christianos arma monere: maximè cum Dominus dixerit Petro in gladio materiali percutere volenti; mitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui percusserit in gladio, in gladio peribit: vel quo iure possit ille, qui quasi diebus singulis, præsentia vitate separat, talibus assensum præbere, & authoritatem præstare, simiter admirantur. Prouideatis nunc obsecro Imperator potentissime, securitati vestræ & honori super præmissis, quia inimicus vester supradictus Ioannes de Brennes, omnes portus cismarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit, vt si fortè incautus à peregrinatione redires, ipse vos sub captione concluso incarceraret, quod Deus auertat.

Hanc Epistolam integram descripsi, vt intelligant omnes, quid in crucis prædicatione moliantur Pontifices, et quâ de causâ tantopere expeditionem Hierosolymitanam vrgeant, vt scilicet in absentia Imperatoris, ipsi oppida et castella, et Provincias eius diripiant. Ipsi emittunt Imperatores ad Militiam Christi, vt interim libere Pontifices, ambitioni et Mundo et Diabolo militent, et Imperij iura et possessiones occupent. Cuius infidelitatis et fraudulentiæ iusto Dei iudicio hic fructus est, vt Turca et Sarracenus, qui olim in Syria terram sanctam debellabat, iam Ecclesiam Græcorum subiugavit, et ad portas Viennæ et Imperij pervenerit, adeoq; toti Christianitati in angulum conclusæ minitetur. Noueris Lector *omne hoc conspirationis malum à fonte Romanæ perfidiæ manasse.* Nonne hoc ad cumulum miseriæ accedit, quod *Fredericus* terram sanctam Christianitati restituit, et ad treugas decennales Soldanum cogit, interim vero Pontifex Imperatori terras Imperij abripit: pugnat contra Sarracenos Imperator, et contra Imperatorem pugnat Pontifex qui emisit Imperatorem.

Nonne hoc inter maxima mala censendum est, quod Imperprælia Domini contra Sarracenos pro terra Sancta pugnaba
Pontificis eo redigitur, vt relicta quasi victoria (Hieros
Nazareth, et Ioppam, cum alijs terris, et locis adia
rat) ad terras Imperij defendendas redire subito
eloquentia *Demosthenis, aut Ciceronis, aut*

lingua pluſquam humana, Angelica ſcilicet, vt ab hac impietatis & infidelitatis notâ liberetur *Gregorius*, ſeruus proculdubio Domino ſuo nec fidelis nec prudens, qui vt terram Imperatoris iniuſtè per vim acquireret, terram ſanctam Domini ſui, quantum in ſe erat, perdere voluit.

Fredericus his auditis redit in Siciliam, vbi ſtatim audit, vt Matthęus Pariſienſis, *pag.* 351. *Quod æmuli eius iam caſtella multa ſubiugaverant, & municipia, & quod etiam per terras Imperij liberum haberent diſcurſum, & debaccharentur multi Papæ ſtipendiarij, affluentia pecuniæ ineſtimabilis ſaginati, cum non eſſet qui ijs obviaret : Sed cum tandem eius divulgaretur adventus, confluebant ad eum homines naturales* (reliqui ſpurij erant & nothi) *qui per fidelitatem ei fuerunt aſtricti ; Quibus vallatus, & ex alijs adventantibus confortatus, audacter prorupit in hoſtes, ac terras amiſſas, & caſtra cœpit paulatim revocare.*

Si autem quærat quis, vnde tantam pecuniæ ſummam corraſerit Pontifex, narrat *Matthæus Pariſ. pag.* 350. exactiones Pontificias per abraſorem pecuniarum Magiſtrum Stephanum, cui ſolum *Ranulphus* Comes Ceſtriæ reſtitit : *Cumq; tandem iſtarum plenitudo diuitiarum ad ſummum Pontificem peruenisſet, ipſe Ioanni de Brennes, & alijs militiæ ſuæ principibus, ita affluenter eas diſtribuit, quod graviter ceſſit in damnum Imperatoris, dum municipia & caſtella in eius abſentia ſubuertebantur.*

Quod vero viribus & manu forti non potuit Pontifex, hoc fraudibus et infamia aggreditur : *Cum enim Imperator ſuper hoc laudabili & glorioſo facto* (quo Hieroſolymam Nazareth et Ioppen ſubiugavit) *reſcriberet Domino Papæ, & gaudium annuntiaret Chriſtianitati, Papa literas illas abiecit & reſpuit* : ſic Vrſpergenſis ſicut & Cuſpinianus : *Dum vero hæc agerentur in vltramarinis partibus, Papa cum complicibus ſuis, vt aſſerebant homines, famam fecit in Apulia divulgari, Imperatorem eſſe mortuum : Quocirca civitates quæ adhuc adhærebant Imperatori, diſponebant ſe tradere ſub Domino Papa, & omnes Alemannos de terra ſancta redeuntes, diriſſimo & nequiſſimo facinore interficere : Sed Deus miſericors aliter providit, & homines ſuo ſeruitio deditos, ad laudem & gloriam nominis ſui clementiſſimè conſervavit.* Hæc Diſcipulum non Domini Chriſti, qui veritas eſt, ſed Patris mendaciorum & crudelitatis ſapiunt, qui omnes ſeruos Iob occidit, vt non eſſet, qui, quæ facta ſunt referret.

In his tamen omnibus iniurijs, humilis & obediens permanſit Imperator, nec ſolitam patientiam deſeruit ; vnde Vrſpergenſis : *Nihilominus omni tempore quo eum denuntiabat Papa excommunicatum, beneficium abſolutionis humiliter cum omni obedientia & devotione, ex Iuſtitiæ exhibitione poſtulavit* : Vnde exclamat Cuſpinianus : *O ſcrinium pectoris ſanctum : Omnia diſſimulat cum omni obedientia,*

cum

cum Iustitiæ exhibitione si quid deliquerit, absolutionem petit: In *Frederico* isto verum fuit, quod dixit Gregorius: *pastoris sententia siue iusta siue iniusta timenda est*: timet *Fredericus* sententiam *Gregorij*, quam iniustam nouit, & proinde absolutionem petit: Consulto *Bellarminus* sententiam *Innocentij quarti* potius quam *Gregorij* noni vrget: videt enim, quod falsæ & friuolæ erant huius sententiæ causæ, quæ nulla ratione defendi poterant.

Quid vero an post reditum Imperatoris, & Imperialium prouinciarum quas Pontifex cum *Ioanne de Brennes* abstulerat, recuperationem, mitior factus est Pontifex? An absolutionem quam humilis & obediens petijt, per Principes Alemaniæ Imperator Innocens, facile aut gratis concessit Pontifex, qui gratis potestatem ligandi & soluendi accepit? Quid hic continuator Vrspergensis & *Cuspinianus* ex Scriptoribus Italicis: *Anno Domini* 1230. *Fredericus secundus Imperator, vt vt perfide Gregorius nonus Papa ageret, Imperatorias terras invadendo, sparso in hoc rumore de mortuo Frederico, Imperatoris literas respuendo, innocentes Alemannos Frederico adhærentes crudeliter interficiendo: tamen nullum non mouet lapidem, vt cum Papa in gratiam redeat; Germaniæ Principibus eam ob causam in Italiam profectis, eandem agrè obtinuit, vncijs auri centum & viginti millibus Ecclesiæ ob illata damna persolutis.*

Certant in hoc Gregorio multa peccata, quodnam scilicet in illo regnaret, ambitio, superbia, infidelitas, crudelitas, an Simonia, & tandem vincit Simonia accepit aurum, & dedit spiritum Sanctum, hoc est remissionem siue absolutionem, qui tamen a Domino dictum audit: *gratis accepistis, gratis date.* Imperatorem diris deuouerat *Gregorius* quod treugas decennales cum Soldano fecerat coactus: Aut enim inducias concedere, aut Imperio excidere necesse erat; & in extremas angustias coniectus erat, aut vt iram & censuras Pontificis incurreret, si pacem decennalem cum Christianorum hoste Soldano iniret, aut vt a Pontifice Regnis & Imperio spoliaretur.

Eundem etiam diris deuouerat, quod in Germaniam profectus fuerit, & conventum Principum habuerit, in quo filium Regem Romanorum declararit, cum contra Pontifex Principibus scripserat, ne quenquam ex eius stirpe ad Imperium promouerent. Gregorius rebellium contra Imperatorem adiutor fuit: Hoc parum est nisi etiam hæreticorum, (sic enim illis temporibus habebantur) fautor & defensor sit, & eo nomine Imperatori succenseat, quia in hæreticis extirpandis nimium diligens fuerit: Romani in Pontificem insurgunt, & adiuuat Imperator Pontificem: vt *Matthæus Paris*, At insurgunt contra Imperatorem Mediolanenses, & alij, & adiuvat eos Pontifex contra Imperatorem eumque execratur: rem totam sic narrat Matt. Paris. *In Henrico 3. Pag. 394.*

Circa

voluerit. Sic Innocentius apud *Matthæum Parisiensem*, ad annum 1245.

Imo vero non fecit *Innocentius* quod suum erat, quia *Fredericum* sine causa iusta, ex odio aut ambitione, & dominandi cupiditate, ipse amicus falsus, & ingratissimus, & sepulchrum omnium beneficiorum, quæ in familiam suam, & familiam Dei Ecclesiam contulerat *Fredericus*, deposuit.

Deus reuera fecit & persecutus est super his quod voluit, qui propter peccata Cleri & populi, mala multa super Ecclesiam & Imperium, per ministerium *Frederici*, flagelli sui, inuexit: sic vt ipsum *Innocentium* propter infinitas huiusmodi miserias vitæ suæ tæderet, qui tamen de ambitione & odio, & vindictæ appetitu nunquam pœnitentiam egit.

Quod enim ad FREDERICVM attinet, si cuiquam Imperatori libertates siue immunitates suas debet Ecclesia, huic debet, vtpote qui omnes prædecessorum suorum libertates & priuilegia confirmauit, & ampliſſime auxit, vt ex eiusdem FREDERICI constitutione supra patet, si quis Imperator leges salubres pro hæreticorum correctione, & Hæresium extirpatione edidit, in hoc genere omnes superat FREDERICVS, vtpote qui, vti multis videtur, pœnam mortis siue ignis contra Hæreticos, lege sanciuit: Lex vero illa de Dominorum temporalium depositione, qui in Hæreticis extirpandis negligentes sunt, quæ iam in Canonem tertium Concilij Lateranensis relata est, vt nonnullis doctis viris placet, FREDERICVM autorem habet: vnde *Honorius* Pontifex in Extrauaganti, qui Concilij huius Lateranensis Canonem ignorauit, legem hanc FREDERICI & laudat, & in Canonem suum retulit.

Indignus ergo hac iniuria *Fredericus* optime de Ecclesia meritus, Ecclesiæque humilimus & obseruantissimus semper filius: Indignus *Innocentius* quartus, qui hanc iniuriam *Frederico*, optime de Ecclesia, & de *Innocentio* ipso, merito, faceret.

FREDERICVS enim vt ab incunabulis historiam ipsius retexam; ab ipsis incunabulis siue cunis, vsque ad sepulchrum, iniurias pontificum perpessus est, inter sacrum saxumque, inter malleum & incudem positus: *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, tollat crucem suam, & sequatur me.* Sic CHRISTVS *Matth.* 16. 24.

Fredericus non crucem sed cruces sustulit, quot Pontifices tot cruces vel potius tot tortores & tyrannos pertulit.

Henricus sextus, *Constantiam* vxorem, & *Fredericum* filium, Regem Romanorum electum, cui in cunis fidelitatem iurauerunt Principes,

Principes, vt ſupra dictum eſt, *Innocentio* 3. Pontifici electo commiſit, vt ex *Blondo* patet. *Innocentius* 3. Tutor & Curator huius *Frederici* factus, non ſolum *Philippum* patruum (cui *Henricus* moriens, & Regni Siciliæ, & Imperij adminiſtrationem commiſit) quantum in ipſo erat, ab Imperio dejecit, ne ipſe *Philippus* idem Imperium ſartum tectum *Frederico* conſervaret, traderetq; : ſed etiam *Othonem* à minore parte Electorum deſignatum ſuperinſtituit. Quinetiam & eundem *Fredericum* in minoribus agentem, non tanquam Curator ſed tanquam proditor vel prædator, regalibus quibuſdam priuilegijs, circa Epiſcoporum inveſtituras, & Regno Siciliæ et Apuliæ ſpoliare conatur : qua de re ſic Nauclerus, *Gen.* 41. *Et nactus erat ille, iam ex Conſtantiæ mulieris interitu, maioribus rebus aptam materiam, occupandæ ſcilicet Apuliæ ac Siciliæ : Reliquerat Henricus 6. Vxorem Conſtantiam cum parvulo filio Frederico 2. moriens Innocentij nuper electi curæ, qui vt mox poſt Principis obitum Iura Siciliæ repetiit, ita poſt Conſtantiæ interitum, poſtea non tam tutelæ nomine, quàm ſui iuris tuendi cauſâ, Siciliam & Apuliam adminiſtrabat.* Infœlix proculdubio Henricus, qui Ovem Lupo, medico hæreditatem id eſt, tutelam et hæreditatem filij *Frederici* et *Conſtantiæ* Vxoris, *Innocentio* principatus temporalis, ſiue patrimonij Petri auidiſſimo commiſit : cuius quidem adeò cupidus fuit iſte *Innocentius*, vt ſicut *Othonem*, ſic etiam et poſt depoſitionem *Othonis*, Fredericum Italiâ deturbare conatus eſt, et proinde eundem denuò electum, Romæ coronare voluit, vti narrat *Blondus. Decad.* 2. *l.* 6.

Mortuo Innocentio 3. ſucceſſit Honorius tertius, à quo per Oſtienſem Epiſcopum poſt mortem *Othonis*, *Fredericus* 2. Imperator Romæ coronatur : *Vbi Imperator* (inquit Vrſpergenſis, ſicut et Nauclerus,) *de bonis & prædijs Imperij in Italia ſitis, multa contulit Eccleſiæ Sancti Petri; & vota votis accumulans, de manu eiuſdem Epiſcopi rurſus crucem accipit, ad perficiendum iter Hieroſolymitanum* : acſi Imperium non niſi muneribus et votis acquiri poſſit, vti notat *Cuſpinianus* in Frederico ſecundo; hoc non eſt Imperia conferre, ſed venalia exponere. 2.

Ecce magnam *Frederici* in Eccleſiam Romanam bonitatem, quam patrimonij donatione, et crucis votis teſtatiſſimam fecit. Quid hic Pontifex *Honorius* 3. quam gratiam pro hac charitate retulit? Acſi aures haberet in manibus, quamdiu accipit, tamdiu nihil mali facit : *Contra duos Comites Tuſciæ, Matthæum videlicet & Thomam, qui caſtra quædam & terras ſuæ ditionis occupauerant in Apulia pugnare cœpit, & expugnatos bonis omnibus priuauit. Hi confugiunt Romam, præſidium ſedis Apoſtolicæ implorant : quocirca Imperator multotiens conquerebatur, quod inimicos ſuos & hoſtes publicos, ſedes Apoſtolica foueret. Fredericus* 2. patrimonium

nium Apoſtolico tribuit, et Apoſtolicus vt eidem vicem rependat, rebelles & hoſtes publicos Imperatoris fovet: *Inde non leuis cauſa odij Imperatoris in Pontificem: vnde etiam prima inimicitiarum fomenta inter vtrumq; exorta ſunt.* Vti Cuſpinianus.

Hic an *Fredericus* Imperator peccavit qui rebelles ſubiugavit, an vero *Honorius* Pontifex, qui rebelles contra Dominum legitimum fovit, iudicet Lector. *Epiſcopus Auguſtanus in Hiſtoria Suevica, aſſerit id levibus friuoliſq; de cauſis Frederico contigiſſe, idemq; teſtantur omnes Germanici Scriptores, qui eo tempore vixere, vt Pandulphus Collenucius in Hiſt. Neapol. lib. 4.*

At fortè mutavit mores Fredericus, Iuriſiurandi religionem ſprevit, multa & quidem enormia aggreſſus, ditionem vexabat Pontificum, Pontifices & Archiepiſcopos ponens in Eccleſijs modo ſuo, & inſtitutos à Papa expellens, collectas ab Eccleſijs exigens: Dicebat enim ius Regibus Siciliæ, in Electionibus Prælatorum ex antiquo debitum, minorari à Papa, quia eorum privilegium Innocentius tertius ſuſtuliſſet Conſtantiæ, Frederico puero exiſtente, vt ſupra dictum eſt, & fortè fuit privilegium, de quo in Gloſſa ſumma 16. q. 7. quod Apuliæ Reges habeant inveſtire: Admonitus autem ſuper his, ſibi non obtemperabat, admonentem magis magiſq; indies ſprevit, vnde eum percuſſit Pontifex Anathemate, niſi reſipiſceret & ablata redderet. Et cum ſperneret primam execrationem, iteratò Pontifex privationem Imperij regnorumq; addidit: tertiò per contumacem exaſperatus Pontifex, omnes Imperij, & regnorum olim ſuorum ſubditos, à Sacramento fidelitatis abſolvit. Hæc fuerunt ſemina malorum plurimorum: Hæc Nauclerus, *Gen. 41. an. 1221. pag. 815.* In quibus excommunicatio & depoſitio Imperatoris, necnon abſolutio ſubditorum à iuramento fidelitatis de facto manifeſta eſt, at cauſa iniuſta & frivola: Quid enim hic fecit *Fredericus*? privilegium Regum Apuliæ & Siciliæ, ſiue ius ex antiquo debitum, in Prælatorum electionibus et inveſtituris, ab *Innocentio* tertio Tutore ſuo, tempore *Conſtantiæ* Matris ſuæ, in pueritia ſua violatum, reſtituere conatur *Fredericus*: et hac de cauſa ab *Honorio* excommunicatur et deponitur, et ſubditi eius à Sacramento fidelitatis liberantur, hæc cauſa eſt huius depoſitionis. Inveſtituras Prælatorum *Henricus* quintus Pontifici reſtituit, deceptus tamen ſpe recuperandæ ditionis ſuæ Imperialis, *Vide Dodechinum ad annum* 1110. Si in Imperio *Fredericus* Inveſtituras Epiſcoporum arripuiſſet, reprehendi fortè poſſet, quia Donationem ſiue conceſſionem Prædeceſſoris ſui *Henrici* Quinti violaſſet: Verum in Regno Apuliæ et Siciliæ, ius ex antiquo debitum, à prædeceſſoribus ſuis, Pontifici non reſtitutum, ſed ab *Innocentio* tertio in viduitate Matris, et Minoritate ſua vſurpatum, repetit *Fredericus*. Quorſum ergo reprehendendus, aut admonendus, aut excommunicandus,

nicandus, aut deponendus, qui ius antiquum & Regium repetit? An inueſtitura de eſſentia eſt Epiſcopi? ſic vt nemo ſine Inueſtitura, per annulum et baculum, ſiue per manum ſpiritualem, ſiue per laicalem Epiſcopari poſſit. Quod Imperatores & Reges per annulum et baculum Epiſcopos conſecrare poſsint, nemo ſanus vnquam dixerit: conſecratio enim ad Epiſcopos, non ad Reges ſpectat: Quod inueſtitura per manum laicalem, electionem per Clerum ſiue Capitulum excluſerit, non ſatis conſtat: Quod Epiſcopi per Reges et Imperatores, reſpectu temporalium, quæ ab ipſis in feudo tenent, inueſtiantur, non eſt quod quiſquam iure reprehendat. Et poſt conſecrationem Epiſcopalem dari ſolet reſtitutio temporalium in Anglia per Regem: Quid eſt ergo quod tantopere in Inueſtitura per manum laicalem reprehendunt Pontificij, ſi inueſtitura Laicalis, ordinem ipſum ſactum ſiue conſecrationem ſpiritualem non confert, nec Electioni Canonicę præiudicet, & ſola temporalia, in quibus ius omne ab Imperatore ſiue Rege pendet, tribuat?

De his Inueſtituris ſtrepitus magnus, ſed ratio ſiue cauſa nulla, aut exigua: Quid vero an ſolus Pontifex de Iure diuino inueſtituram dare poteſt? vbi ergo ius hoc diuinum? An inueſtituram acceperunt *Petrus* et *Iacobus*, aut reliqui Apoſtoli? Si inuentio ſit humana de iure poſitiuo Eccleſiaſtico, quo ergo iure aut *Henricus* quartus, aut *Fredericus* ſecundus regno priuantur, quod Inueſtituras Iure Eccleſiaſtico & antiquo ſibi á Pontificibus conceſſas retinuerunt? Friuola ergo, ſi non et falſa & iniuſta, eſt hæc cauſa depoſitionis, quia maior eſt pœna quam culpa: depoſitio et excommunicatio, id eſt amiſsio regni cœleſtis, et terreni, maior eſt pœna quam culpa Regum et Imperatorum, qui per annulum et baculum Epiſcopos inueſtire ſolebant.

Et Inueſtitura hæc è manu Laicorum extorta, maiori peccato prouiſionum, et gratiarum expectatiuarum, et Simoniæ in Curia Romana punita eſt. Recte ergo Wimphelingius: *Honorius tertius Papa, peſſimo Chriſtianorum fato, Fredericum Anathemate notat, & imperij dignitate priuatum denuntiat, ob quam rem Soldanus (quod ei de inimicitijs Pontificis Imperatoriſq; conſtabat) Damiatam recepit, &c.* Nec iuſta ergo eſt hæc depoſitio, quia cauſa friuola, nec prudens conſilium, quia in diſpendium rerum Chriſtianarum in Syria: Vouerat enim Fredericus expeditionem Hieroſolymitanam, hanc dum parat, Pontifex vt odium ſuum in *Fredericum*, etiam cum Imperij et Sacerdotij diſcordia, et miſerijs infandis exerceret, eandem expeditionem in damnum totius Chriſtianitatis, factionibus ſuis et ſeditionibus impedire conatur, acſi eo eſſet in Fredericum odio, vt non curaret, ſi tota periclitaretur Chriſtianitas, modo vnà etiam in periculis demergeretur *Fredericus*

cius: vnde Nauclerus, *Gen. 41. ad ann. 1226. Longobardi (vt creditur) per ſuggeſtionem Honorij Papæ, contra Fredericum Imperatorem 2. componentes ligam, inter ſe, & vicinas ſibi ciuitates, aduerſum Imperium Romanum ſtatuerunt; quæ per multos annos ſub nomine confœderationis Longobardorum appellata perſeuerauit, graue admodum Romani Imperij diſpendium, ac Hieroſolymitanæ expeditionis manifeſtum impedimentum, quoniam iter quod ipſe Fredericus in Syriam facere promiſerat, occaſio hæc, ne fieret, diutius ſuſpendit.* Atq; hæc de Honorio tertio.

3. *Honorio* tertio ſucceſſit *Gregorius* nonus, Decretalium compilator, *Hugolinus* antea dictus, qui quia *Fredericum* ex mandato *Honorij* Diademate coronaverat, eundem etiam coronâ & diademate ſpoliare ſe poſſe putabat: qui ſicut in Pontificatu, ſic etiam in odio *Frederici*, et dominandi et vindicandi cupiditate *Honorio* ſucceſſit: *Hic* (inquit Vrſpergenſis, *Ad annum* 1227.) *tanquam ſuperbus, primo anno Pontificatus ſui cœpit excommunicare Fredericum Imperatorem, pro cauſis friuolis & falſis, & poſtpoſito omni ordine iudiciario.* Imo iuxta *Fredericum* ipſum: cuius Epiſtolæ ſummam & Epitomen colligit *Vrſpergenſis*, pro benevolentia & meritis ſuis: *Ex his omnibus conqueſtiones facit Principibus, quod pro tot beneficijs, ab Eccleſia non potius remuneratur, quam excommunicatur: ideò & de Papâ conqueritur, quod nuntios ſuos honeſtos, videlicet Archiepiſcopum Brundienſem, & alios in Concilio ſuo, non ſolum audire contempſit, ſed nec ad præſentiam ſuam vel Concilij admittere voluit:* Et Cuſpinianus, *In Frederico 2. Qui homo ſuperbus & temerarius, omnia ſibi licere putans, ob cauſas friuolas & vanas, nullo iuris ordine ſeruato, Fredericum Imperatorem diris & Anathemate ferit:* Ex morbo ergo animi Pontificij, potius quàm ex merito *Frederici*, proceſſit hæc excommunicatio & depoſitio.

Verum cauſam ipſam audiamus: quam ſic deſcribit Nauclerus. *Ex quibus autem cauſis vterque ad præmiſſa motus fuerit; ſcribentes non concordant: Scribit enim Antoninus cum in principio ſui Pontificatus anni; Gregorius Imperatorem exhortatus fuiſſet, vt iuriſdictionem Eccleſiæ, ſcilicet inueſtituras Pontificum, & collationes beneficiorum non vſurparet, terras plurimas Eccleſiæ reſtitueret, Clericos tallijs non gravaret, cenſum debitis de feudis redderet: Ille ſuperbia plenus, nihil emendavit: propter quod Gregorius eum execravit iterum, & de novo, quod & fecerat Honorius. Sed certè ex Epiſtola Gregorij, quam ſcribit ad Regem Franciæ, quæ incipit. Aſcendit de Mari beſtia, &c. convincit Gregorium hoc in tempore, ob has cauſas Fredericum non excommunicaſſe, ſed pro eo quod ad terminum præfixum ipſe Fredericus, cum cruce-ſignatis non tranſivit in ſuccurſum terræ ſanctæ, prout iuraverat, & ſub pœna execrationis ſibi*

præceptum

præceptum fuerat. Dicebat autem Imperator iniuſtè ſe excommunicatum, cum etiam in termino iter arripuiſſet, & mortuo Lantgravio, in itinere grauis eum infirmitas redire compuliſſet, & ſic per euidentem infirmitatem deberet eſſe excuſatus. Refert idem ... Epiſtola quæ incipit, In Admirationem: Quanta ſtipendia promiſerit ad ſubſidium terræ ſanctæ, videlicet quod ingiter aleret milites vltra montanos ſeptingentos, & de ſuis ferè trecentos: Ad quæ pontifex in prædicta Epiſtola: Aſcendit de Mari: Reſpondet Fredericum infirmitatem ſimulaſſe, de eius ficta agritudine per literas prælatorum ibi conſiſtentium conſtitiſſe, ideo quod omiſſo paſſagio non iuerit, denunciatur execrationi ab Honorio lato ſubiacere, cum oblatione quod impertiretur ſibi iuxta formam Eccleſiæ abſolutionis beneficium, quam cito in terra ſanctæ ſuccurſum iniſſet: Hęc Nauclerus.

Quod ergo in Syriam non proficiſcitur, iuxta votum ſuum, & mandatum Pontificis, cauſa eſt huius execrationis & depoſitionis, & ſola cauſa: ſic enim Cuſpinianus: *Non enim aliam cauſam habuit Pontifex, quam quod votum peregrinationis Hieroſolymitanæ (quod non poterat multis rebus obſtantibus) non ſoluiſſet.* Inter impedimenta vero huius expeditionis, maximum erat, confœderatio Longobardorum, per *Honorij* ſuggeſtionem excitata; ſic vt in has anguſtias detruſus ſit *Fredericus*, vt aut per Longobardorum ligam, ditionem ſuam deperderet, aut iter Hieroſolymitanum differret, aut in manus Pontificis incideret. Et *Dauid* triplici malo inuodatus, maluit in manus Domini ſe committere, quam vel famem, vel gladium perpeti: at *Frederico* peſſimum fuit, in manus Pontificis incidere: ſi enim aut Longobardorum incurſiones, aut expeditionis Hieroſolymitanæ pericula ſuſtinuiſſet, parte Imperij fortaſſe mulctandus erat: at per ſententiam Pontificis, & Regno cœlorum, & imperio regniſque terrenis ſimul excidit. Proculdubio melius eſt multo in manus Domini exercituum, quam in manus Pontificis ſuperbi & temerarij incidere.

Audiamus vero quid de hac ipſa execratione & depoſitione ſtatuerit Rex & Prælules, & proceres, ſiue Baronagium, & Reſpublica repræſentatiua Francorum, apud Matthæum Pariſ. *In Henrico tertio.* Scribit Pontifex ſe *Fredericum* à culmine Imperiali abdicaſſe, & *Robertum* Comitem, fratrem Regis Imperatorem elegiſſe. *Ad quod inito conſilio, circumſpecta Francorum prudentia reſpondet: Quo ſpiritu vel auſu temerario, Papa tantum principem, quo non eſt maior, imo nec par inter Chriſtianos, non conuictum & confeſſum de obiectis ſibi criminibus exhæredauit, & ab apice Imperiali præcipitauit? Qui ſi meritis ſuis exigentibus deponendus eſſet, non niſi per generale Concilium,* (non ergo per Papam ſolum) *cauſſandus iudicaretur: De tranſgreſſionibus ſuis non eſt hoſtibus fides adhibenda, quorum Papa dignoſcitur eſſe capitalis: Nobis adhuc inſons imo bonus fuit viſus, nec quid ſiniſtri vidimus de eo in fidelitate ſeculari,*

vel fide Catholica: Scimus autem quod Domino noſtro Ieſu Chriſto fideliter militauit, marinis & bellicis ſe periculis confidenter opponens: Tantum religionis in Papa non inuenimus. Imo qui eum debuit promouiſſe, & Deo militantem protexiſſe, eum conatus eſt abſentem confundere, & nequiter ſupplantare. Noluimus noſmetipſos in tanta pericula precipitare, vt ipſum Fredericum tam potentem impugnemus, quem tot regna contra nos inuitabũt, & cauſa iuſta (iniuſta ergo ſententia Pontificis) *præſtabit adminiculum: quid ad Romanos, de prodiga ſanguinis noſtri effuſione, dummodo ſuæ iræ ſatisfecerimus? Si enim per nos, & alios deuicerit, omnes Principes mundi conculcabit, ſumens cornua iactantiæ, & ſuperbiam, quoniam ipſum Fredericum Imperatorem magnum contriuerit, &c.* Hæc rex Franciæ cum Baronagio ſuo. Ex quibus hoc manifeſtiſſimum, quod vnica & ſola cauſa huius depoſitionis & execrationis hęc eſt, quod iuxta votum ſuum, & mandatum Papę, tempore præfixo expeditionem Hieroſolymitanam non ſit aggreſſus, relinquens poſt ſe hoſtes cum Pontifice confœderatos, qui regna ſua, in eius abſentia diriperent, et ſubiugarent, cum ipſe valetudinarius eſſet, & Lantgrauium morbo correptũ amiſiſſet, et Cruce ſignati peſte laborarent.

An vero iuſta eſt hæc cauſa aut execrationis aut depoſitionis, quod tale votum in tantis periculis et anguſtijs conſtitutus non perfecerit intra tempus conſtitutum, ſed ſolum diſtulerit? An quiſquam ſanus vnquam dixit, voti violationem quam cogit neceſſitas, aut morbus, aut damnum ineuitabile, excommunicatione vel depoſitione puniendam? an voti violatio in foro exteriori de iure diuino tali pœna caſtiganda eſt? teipſum candorẽq; animi tui *Bellarmine* doctiſſime appello, an dignus excommunicatione vel depoſitione *Fredericus*; quia his anguſtijs detentus, expeditionem contra Sarracenos, & liberationem terræ ſanctæ hoc tempore non ſit aggreſſus? Quicquid vero vel tu, vel Pontificius quiſquam, dixeris, vere dixit *Vrſpergenſis*, cauſæ huius execrationis & depoſitionis & falſæ et friuolę erant. *Friuole & vane*, vt Cuſpinianus, quæ ſi ad ſateram Iuſtitiæ ponderentur, leuiſſimę erant; Imo ſi ad amuſſim perpendantur impiæ ſunt et iniquiſſimæ: Quid enim iniquius aut magis impium, quam pro voto, quod in adiaphoris, (ſiue vt dicitis vos, in melioribus bonis, ſiue conſilijs tantum locum habet, non in neceſſarijs, quæ de iure diuino iubentur aut prohibentur) pœnam contra ius diuinum ſtatuere, id eſt Imperatorem priuare fidelitate & obedientia ſubditorũ, quæ de iure diuino naturali, etiam Imperatori malo & dyſcolo debetur. Quid magis impium et crudele, quam confœderationem et ligam rebellium et hoſtiũ capitalium, hoc eſt, Longobardorum contra *Fredericum* fouere, ne poſſit expeditionẽ Hieroſolymitanam ſuſcipere, ſine regni ſui diſpendio et amiſſione, ad quod tuendum et confirmandum de iure diuino naturali tenetur, et tamen eundem, quia ſic impeditus iter Hieroſolymitanum non aggreditur diris

perſequi

perſequi & regno ſpoliare? An audet quiſquam veſtrum, ore impuro & impudenti eructare, quod mandata Dei omittenda, imo violanda ſunt, potius quam violetur, vel potius differatur, nec tamen auferatur, votum ſiue conſilium veſtrum? Imperator enim & Rex de iure diuino tenetur Imperium ſiue regnum ſuum, pro poſſe ſuo defendere. Lupus eſt, non Paſtor *Gregorius* iſte, qui paſtorem Reipublicæ, & patriæ patrem emittit, vt ipſe cum rebellibus ſuis confœderatis Longobardis, oves Reipublicæ ſpoliare poſſit, & regna & prouincias Imperij diripere, ſicut in abſentia *Frederici* poſtea à *Gregorio* iſto factum eſſe tradunt Hiſtorici. Illud vero omnem impietatem ſuperat, quod excõmunicatus & execratus ad terram ſanctam, & ſepulchrum Domini glorioſum reſtaurandum emittitur, qui è terra ſancta & regno cœlorum ejicitur: quodque qui tanquam Ethnicus & publicanus, ad vere Ethnicum & publicanum Soldanum debellandum pergit. Intempeſtiuæ & impiæ, in hoc itinere Domini, erant maledictiones, vbi benedictionibus, & precibus ijſq; ſolis & multis opus erat. Vtcunq; vero cauſa iuſta & vera, non falſa, non friuola non vana, vti hiſtoriæ: (Pontifex enim fingere poteſt cauſas depoſitionis vti Bellarminus cap. 12.) at in omni iudicio ordo eſſe debet. At *Fredericus* magnus Imperator inter Chriſtianos, quo nemo maior, nec par, nec conuictus, nec confeſſus, nec auditus, nec teſtimonio hoſtium (inter quos Papa ipſe, Iudex Imperatoris, capitalis fuiſſe dignoſcitur) convincendus, & vicinus inſons, & bonus, --in quo nihil ſiniſtri, vel infidelitate ſeculari vel in fide Catholica (Iudicio Regis & totius Regni Franciæ) condemnari, vel excommunicari, vel deponi debuit: ſententia ergo hęc Pontificis prorſus iniuſta eſt. Atque hæc quidem antequam expeditionem iſtam ſuſcepit, facta ſunt.

Proximo loco, conſideranda eſt expeditio ipſa: antequam progreditur à *Gregorio* execratur & deponitur, in itinere poſtquam ad terram ſanctam pervenit, foris à templarijs tanquam hoſtis communis, deſtituitur auxilijs; domi à rebellibus & confœderatis, imo ab ipſo Pontifice, qui eum abſentem protegere debuit, vt loquuntur Franci ſupra, ſpoliatur: victoriæ eius tenebris obſcurantur, ipſe tanquam mortuus fingitur: Pontifice conſcio imo omnium authore; & quod omnium graviſſimum eſt, poſt reditum, ſine pretio abſolutionem à venali Pontifice non obtinet, humilis & per omnia obediens Imperator: ne vero iſta fingere videar, audiamus de ſingulis ſententiam Hiſtoricorum.

Anno Domini 1228. *Imperator volens implere votum ſuum, & pacatum ſibi Papam efficere, transfretauit ad terram Hieroſolymitanam: prius tamen eodem anno condixerat curiam Principum Alemaniæ in Quadrageſima apud Rauennam, à qua ſimiliter impeditus fuit nuntijs & legationibus Domini Papæ: nam Veronenſes & Mediolanenſes non permiſerunt aliquos tranſire per fines ſuos, ſpoliantes rebus ſuis etiam cruce ſigna-*

tos, vt aſſerebant authoritate Domini Papæ, quod proh dolor nefas eſt dicere. Nihilominus tamen Imperator venit ad terram ſanctam menſe Auguſto, & applicuit ad Acon, & ibi permanſit; vt aiunt, multa ſuſtinuit ex perfidia proditione templariorum: Hæc Vrſpergenſis: *Interim idem Fredericus Oratores Romam mittens, abſolutionem à Pontifice, reconciliationemque quia votis ſatisfecerit, implorauit: ſed Pontifex petitionibus eorum repulſam dedit, & Hoſpitalarijs ſeu Templarys in Aſia militantibus, vt Frederico tanquam hoſti publico fauores detraherent iniunxit.* Sic Nauclerus. Vter vero hoſtis publicus Eccleſiæ & Chriſtianitatis Gregorius qui auxilia Templariorum prohibuit, an Fredericus qui pro rebus Chriſtianns militauit, iudicet æquus lector. Idem refert ex *Vrſpergenſi Cuſpinianus.*

Impijſſimus Pontifex qui vt Imperatorem, quem oderat, mala morte per manus Ethnicorum & Sarracenorum perderet, ipſam etiam rem Chriſtianã ſimul peſſundare ſatagebat: Sinit Dominus zizania creſcere, ne ſimul eradicetur & triticum. Matth. 13. Pontifex vt Imperatorem exoſum conterat, triticum Domini conculcat; Atque hæc foris facta ſunt.

Domi vero in abſentia Imperatoris, Imperium ipſum prędę & rapinis à Pontifice exponitur: *Papa vero captata occaſione de abſentia Imperatoris, copioſum exercitum deſtinauit in Apuliam, & terram Imperatoris in ſeruitio Chriſti demorantis, quod nefandiſsimum eſt dicere, abſtulit, & ſibi ſubiecit: & Cruce-ſignatos ne transfretarent omni ſtudio prohibuit, tam in Apulia, quam in Lombardia: Quia talia facta recte conſiderans, non deploret & deteſletur: quæ indicium videntur, & quoddam portentum & prodigium ruentis Eccleſiæ:* ſic Vtſpergenſis. Vt hanc rem luculentius patefaciam libet hic Epiſtolam Thomæ cuiuſdam Comitis Atteranenſis, Tutoris ſiue rectoris, inter alios, Imperij in abſentia Imperatoris adſcribere, ſicut extat apud Matthæum Pariſienſem In Henrico tertio pag. 341.

Excellentiſsimo Domino Frederico.— Poſt receſſum veſtrum Domine excellentiſsime, Gregorius Pontifex Romanus, & magnificentiæ veſtræ hoſtis publicus, congregato exercitu copioſo, per Ioannem de Brennes Regem quondam Hieroſolymitanum, & alios quoſdam viros ſtrenuos, quos ſuæ militiæ Principes, conſtituit, terram veſtram hominum veſtrorum hoſtiliter ingreſſus, contra legem Chriſtianam, decreuit vos in gladio vincere materiali, quem non potuit deijcere in gladio, vt ait, ſpirituali. Nam Ioannes prædictus, de regno Francorum & alijs confinijs regionibus, militiam contrahens non modicam, ſub ſpe Imperij, ſi vos poſſit ſubigere de theſauris Apoſtolicis (non ſic ſolebant Apoſtoli theſauros profundere) *ſuis militibus ſtipendia miniſtrat. Itaque*

idem-

idem Ioannes & alij ſedis Apoſtolicæ Principes Militiæ, terram veſtram, & hominum veſtrorum hoſtiliter ingreſſi, ignem in ædificijs & villis accumulant, ſpolia & armenta rapiunt, homines raptos diverſis cruciatibus torquent, & ad grauiſſimam redemptionem compellunt, nulli ſexui parcunt, nec cuiquam extra vel cœmeterium deferunt, vicos & caſtella capiunt, non habentes ad hoc reſpectum, quod ſitis in ſeruitio Chriſti: Et ſiquis de Imperatore mentionem facit; Ioannes de Brennes affirmat, non eſſe alium Imperatorem præter ipſum: Mirantur ſuper his amici veſtri (excellentiſſime Imperator) & præcipuè clerus Imperij veſtri, qua conſideratione & conſcientia talia facere poteſt Pontifex Romanus, & contra Chriſtianos arma monere: maximè cum Dominus dixerit Petro in gladio materiali percutere volenti; mitte gladium tuum in vaginam. Omnis enim qui percuſſerit in gladio, in gladio peribit: vel quo iure poſſit ille, qui quaſi diebus ſingulis, prædones, incendiarios, & Chriſtianorum tortores excommunicat, & ab Eccleſiæ vnitate ſeparat, talibus aſſenſum præbere, & authoritatem præſtare, ſimiliter admirantur. Prouideatis nunc obſecro Imperator potentiſſime, ſecuritati veſtræ & honori ſuper præmiſſis, quia inimicus veſter ſupradictus Ioannes de Brennes, omnes portus ciſmarinos cum exploratoribus armatis non paucis munivit, vt ſi fortè incautus à peregrinatione redires, ipſe vos ſub captione concluſum incarceraret, quod Deus auertat.

Hanc Epiſtolam integram deſcripſi, vt intelligant omnes, quid in crucis prædicatione moliantur Pontifices, et quâ de cauſâ tantopere expeditionem Hieroſolymitanam vrgeant, vt ſcilicet in abſentia Imperatoris, ipſi oppida et caſtella, et Prouincias eius diripiant. Ipſi emittunt Imperatores ad Militiam Chriſti, vt interim libere Pontifices, ambitioni et Mundo et Diabolo militent, et Imperij iura et poſſeſſiones occupent. Cuius infidelitatis et fraudulentiæ iuſto Dei iudicio hic fructus eſt, vt Turca et Sarracenus, qui olim in Syria terram ſanctam debellabat, iam Eccleſiam Græcorum ſubiugavit, et ad portas Viennæ et Imperij peruenerit, adeoq; toti Chriſtianitati in angulum concluſæ minitetur. Noueris Lector *omne hoc conſpirationis malum à fonte Romanæ perfidiæ manaſſe.* Nonne hoc ad cumulum miſeriæ accedit, quod *Fredericus* terram ſanctam Chriſtianitati reſtituit, et ad treugas decennales Soldanum cogit, interim vero Pontifex Imperatori terras Imperij abripit: pugnat contra Sarracenos Imperator, et contra Imperatorem pugnat Pontifex, qui emiſit Imperatorem.

Nonne hoc inter maxima mala cenſendum eſt, quod Imperator qui prælia Domini contra Sarracenos pro terra Sancta pugnabat, impietate Pontificis eo redigitur, vt relicta quaſi victoria (Hieroſolymam enim et Nazareth, et Ioppam, cum alijs terris, et locis adiacentibus recuperarat) ad terras Imperij defendendas redire ſubito cogatur? Opus hic eſt eloquentia *Demoſthenis, aut Ciceronis, aut Hortenſij*, aut fortè etiam

linguæ

cum Iustitiæ exhibitione si quid deliquerit, absolutionem petit: In *Frederico* isto verum fuit, quod dixit Gregorius: *pastoris sententia siue iusta siue iniusta timenda est*: timet *Fredericus* sententiam *Gregorij*, quam iniustam nouit, & proinde absolutionem petit: Consulto *Bellarminus* sententiam *Innocentij quarti* potius quam *Gregorij* noni vrget: videt enim, quod falsæ & friuolæ erant huius sententiæ causæ, quæ nulla ratione defendi poterant.

Quid vero an post reditum Imperatoris, & Imperialium prouinciarum quas Pontifex cum *Ioanne de Brennes* abstulerat, recuperationem, mitior factus est Pontifex? An absolutionem quam humilis & obediens petijt, per Principes Alemaniæ Imperator Innocens, facile aut gratis concessit Pontifex, qui gratis potestatem ligandi & soluendi accepit? Quid hic continuator Vrspergensis & *Cuspinianus* ex Scriptoribus Italicis: *Anno Domini* 1230. *Fredericus secundus Imperator, vt vt perfide Gregorius nonus Papa ageret, Imperatorias terras inuadendo, sparso in hoc rumore de mortuo Frederico, Imperatoris literas respuendo, innocentes Alemannos Frederico adhærentes crudeliter interficiendo: tamen nullum non mouet lapidem, vt cum Papa in gratiam redeat; Germaniæ Principibus eam ob causam in Italiam profectis, eandem ægrè obtinuit, vncijs auri centum & viginti millibus Ecclesiæ ob illata damna persolutis.*

Certant in hoc Gregorio multa peccata, quodnam scilicet in illo regnaret, ambitio, superbia, infidelitas, crudelitas, an Simonia, & tandem vincit Simonia accepit aurum, & dedit spiritum Sanctum, hoc est remissionem siue absolutionem, qui tamen a Domino dictum audit: *gratis accepistis, gratis date.* Imperatorem diris deuouerat *Gregorius* quod treugas decennales cum Soldano fecerat coactus: Aut enim inducias concedere, aut Imperio excidere necesse erat; & in extremas angustias coniectus erat, aut vt iram & censuras Pontificis incurreret, si pacem decennalem cum Christianorum hoste Soldano iniret, aut vt a Pontifice Regnis & Imperio spoliaretur.

Eundem etiam diris deuouerat, quod in Germaniam profectus fuerit, & conventum Principum habuerit, in quo filium Regem Romanorum declararit, cum contra Pontifex Principibus scripserat, ne quenquam ex eius stirpe ad Imperium promouerent. Gregorius rebellium contra Imperatorem adiutor fuit: Hoc parum est nisi etiam hæreticorum, (sic enim illis temporibus habebantur) fautor & defensor sit, & eo nomine Imperatori succenseat, quia in hæreticis extirpandis nimium diligens fuerit: Romani in Pontificem insurgunt, & adiuuat Imperator Pontificem: vt *Matthæus Paris*, At insurgunt contra Imperatorem Mediolanenses, & alij, & adiuvat eos Pontifex contra Imperatorem eumque execratur: rem totam sic narrat Matt. Paris. *In Henrico 3. Pag. 394.*

Circa

Circa dies iſtos inualuit, hæretica prauitas eorum qui vulgariter dicuntur *Paterini & Bulgares*, *in partibus tranſalpinis de quorum erroribus malim tacere quam loqui, quorum ſuperſtitio confuſa eſt & error deprehenſus, per Robertum Bulgre qui hæreticorum malleus dicebatur*: Incanduit ira Imperatoris, circa hoc tempus contra Italicos, de eorum inſolentia grauiter conqueritur Domino Papæ, efficax implorat adiutorium, ſicut efficax adiutorium Eccleſiæ promeritit.

De Mediolanenſi autem ciuitate grauius conqueſtus eſt Imperator, quæ nutrix, & tutrix fuit hæreticorum, & toti Imperio rebellium, ad quam expugnandam, eodem anno, immumerabilem exercitum congreganit. Quid hic Pontifex? *Dominus Papa Imperatorem literis commonitoriis imbibuit diligenter, ne Italiam hoſtiliter intraret: conuocauerat enim Imperator omnes quas poterat vires Imperiales, vt Italicos inſolentes expugnaret. Erat Ciuitas illa omnium hæreticorum, Paterinorum, Luciferianorum, Albigenſium, vſurariorum, refugium & receptaculum: videbatur enim Domino Imperatori inconſultum terra ſancta, per præſentiam ſui, & exercitus Dei tam populoſi ſuccurrere, & poſt terga falſos relinquere Chriſtianos quolibet Sarraceno deteriores: Mirabatur interim ſupra modum, quod in aliquo erat Dominus Papa Mediolanenſibus fauorabilis, vel videretur in aliquo illis præſtare patrocinium, cum deceat illum, eſſe patrem piorum, & malleum impiorum*: Vrget deinde rationes ſuas *Fredericus*, Italiam hæreditatem ſuam, ſe vero Chriſtianum, & proinde teneri ſe ad hæreticorum extirpationem, ne pullulent, aut potius ſilueſcant in Italia: Quid hic Pontifex victus rationibus non negat Imperatoris ingreſſum in Italiam: *attamen cum multa ei daretur pecunia, & plus polliceretur, miſit Mediolanenſibus inuamen multum & conſolamen, in Imperatoris detrimentum*: Ab hac obſidione vt Imperatorem diuerteret, *procurantibus vel Romana Eccleſia, vel inimicis Imperij mota eſt ſeditio inteſtina in finibus Alemanniæ, à Duce Auſtriæ*: Reverſus ergo Imperator eundem Ducem, perſequitur *& honore, terris, caſtellis, & ciuitatibus, vix etiam vita remanente ſpoliauit: vt iam tunc videretur impleta vindicta, pro peccato in Regem Richardum Angliæ perpetrato, dum à terra ſancta rediret.*

Sedata ſeditione quam in ſuam perditionem mouerat Dux Auſtriæ, Imperator cum exercitu forti Italiam intrat, vt Mediolanenſes ſubiugaret *Et ne inobedientiæ poſſit redargui, ipſum Dominum Papam, tam per chartas, quam per ſolennes nuntios plures & pluries ſollicitauit, humiliter deprecando, vt ipſe, qui erat caput Eccleſiæ, eum inuiret ad acquirendam ſuam hæreditatem, & iniurias multiplices ſibi à Mediolanenſibus illatas, iuſte vindicandam, & hæreſium prauitatem, ab omni infami ciuitate Italiæ extirpandam, præſertim cum deceat*

deceat Ecclesiam Romanam omnium talium, & si omnes alij tacerent, insolentiæ refragari: Quid hic Pontifex vester. *Sed Dominus Papa* (inquit Matthæus Paris.) *dissimulando, hoc audito, Romam perrexit, quasi fugiens à facie Imperatoris, nolens vel impotens ei subuenire.* Imperator Mediolanenses diuastat, et omnes ciuitates Italiæ deditione accipit: Quid hic dicerent patres Lateranenses si reuiuiscerent? An non dignũ depositione iudicarent hunc *Gregorium* in hereticis extirpandis negligentem, imo hæreticorum contra Imperatorem fautorem, qui eo nomine subditos á iuramento fidelitatis liberandos, & terram Dominorum temporalium Catholicis exponendam et occupandam decreuerunt, quod in hæreticis extirpandis, tantum negligentes sint, et moniti, intra annum non emendauerint: dignus ergo omni laude et gratia Imperator Hæreticorum domitor: At contra decreuit Pontifex, si vera sunt quæ narrat *Cuspinianus*: *Ob id iterum excommunicatur Imperator à Gregorio, qui cum Venetis aduersus Fredericum ea causa fœdera percussit.* An quisquam Pontificius prodire et Fredericum depositione & execratione dignum iudicare audet, vel quia hereditatem suam repetit, vel quia rebelles suos subiugat, vel quia hæreticos extirpat? Innocens ergo *Fredericus* in his, nocens vero inuenitur *Gregorius* Pontifex. Hac non successit, alia via aggrediendum est, quia gladio incircumcisorum foris non cecidit, quia viribus et rebellione Domi non atteritur; ideo infamia & hæresis nota maculandus est.

Eiusdem temporis curriculo, fama Imperatoris Frederici admodum est obfuscata & maculata, ab inuidis inimicis et æmulis suis, quod vacillans aut etiam exorbitans in fide Catholica dixerit quædam, ex quibus elici & suspicari potuit, non tantum fides Catholica in eo imbecillitas, quinimo quod grauius et multo peius est, manifesta et maxima hæresis, & dirissimæ blasphemiæ enormitas detestanda omnibus fidelibus, ac plane execranda: Fertur enim eundem Fredericum dixisse, licet non sit recitabile, tres præstigiatores callidè & versutè, vt dominarentur in mundo, totius populi sibi contemporanei vniuersitatem seduxisse, videlicet, Mosen, Iesum, Mahometum. Et de sacratissima Eucharistia quædam nefanda et incredibilia deliramenta, & blasphemias impie protulisse. Absit, absit aliquem virum discretum, nedum hominem Christianum, in tam furibundam blasphemiam os et linguam reseraſſe. Dictum etiam fuit ab æmulis suis, ipsum Fredericum Imperatorem plus consensisse et credidisse in legem Mahometi, quam Iesu Christi, et etiam quasdam meretriculas Sarracenas sibi feciſſe concubinas: Surrepsitque murmur in populum quod auertat Dominus à tanto Principe, Sarracenis à multo tempore ipsum fuisse confœderatum, et amicum fuisse plus quam Christianorum, et id indicijs multis probare conabantur ipsius æmuli, qui famam suam conabantur obfuscare: Si peccabat, vel non, nouit ipse qui nihil ignorat. Hæc Matthæus Paris.

Hæc

Hæc recte inter falsas causas referenda sunt: narrasse enim solum confutasse est. *Audacter calumniare, aliquid adhærebit*: conuitia ista audaciæ & virulentiæ plenissima erant, et adhęsit nihil, sed de hæresi postea plura. Accedo iam ad vlcus ipsum, et fundi totius calamitatem. Inter alias Italiæ prouincias, hoc bello, Imperatori redditas, vná reddita est Sardinia. *Cuius insulæ ius ad patrimonium beati Petri specialiter pertinere perhibetur. Imperator vero ad Imperium ipsam spectare ab antiquo asseruit, & per occupationes, & alia ardua negotia imperialia, Imperatores eam amisisse, et ipsum ideo eam ad corpus Imperij reuocasse. Ego vero iurani, ait, vt iam nouit mundus, dispersa Imperij reuocare, quod non segniter adimplere procurabo. Misit ergo Dominus Imperator filium suum, vt sibi oblatam reciperet prædictæ Insulæ, contra prohibitionem Domini Papæ, portionem. Quod cum summa indignatione Dominus Papa accepit: ex tunc in manifestam consurgens vltionem: iacturam enim magnam reputauit. Est enim institorum refugium, naufragorum solatium, profugorum Asylum, Insula Sardiniæ, quatuor* Principibus, *quos Iudices vocant, gubernata: Iactura grauis est, sed modus iactura multo granior, & iniuria videbatur, & odium inter eos natum, quasi vulnus inueteratum, saniem generabat.* Hæc Matthęus Paris. p. 468.

Quid hic Pontifex? quia Sardiniam, & castra cuiusdam Episcopi Sardinici detinet, monet, exhortatur, minatur, tandem moræ impatiens eundem excommunicat. *Papa cum multis præsentibus Cardinalibus Dominica palmarum, in spiritu feruentis iracundiæ* (debuit in tristitia & dolore, cum charitate) *Fredericum dictum Imperatorem, acsi iam à culmine Imperij deiecisset eum, solemniter excommunicat, tradens eum Satanæ in interitu carnis terribiliter possidendum: Et ijsdem verbis vtens, quasi in fremitu furoris intonans, omnes audientes vehementer compulit ad terrorem.* Hęc Matthæus Paris. qui statim subiungit, ipsam excommunicationem, & causas eiusdem: Atque hæc excommunicatio sine dubio iniusta ex animo, quia in spiritu feruentis iracundiæ, in fremitu furoris á Pontifice verè furioso prolata est: Etsi vero Pontifex multa alia in excommunicatione inferciat, quæ partim falsa, partim vana et friuola sunt, partim iniusta, vt ex Imperatoris ad singula responsione apparet, præcipua tamen causa huius feruentis iracundiæ, & fremitus fuit, detentio patrimonij Petri, Sardiniæ scilicet.

i P. 470.

i P. 476.

Hanc si Papæ tradidissent, reliquæ omnes causæ in fumum & ventum evanuissent. In hac vero sententia, nec vlla forma iudicij, nec Iustitia vlla: nulla forma iudicij, quia tumultuariè, sine deliberatione, sine causæ ventilatione, sine Imperatoris responsione, Pontifex in causa sua, pro seipso sententiam profert: Iustitia vero nulla, quia antequam controuersia illa principalis de Sardinia, vtrum scilicet, patrimonij Petri, an Imperij pars sit, iudicio legitimo terminata esset,

Pont.

Pontifex Imperatorem eo nomine, quia Sardiniam detinet, excommunicat. Recte vero dixit Author Somnij Viridarij, Si, quia Pontifex, dicit, vel scribit, quod Sardinia pars est Patrimonij Petri, ideo etiam ad Pontificem spectet Sardinia, nihil aliud restat, nisi dicere vel scribere, & totus mundus erit Pontificis. Abusus vero potestatis spiritualis maximus est, si pro temporalibus possessionibus, & principatu ciuili, vinculo excommunicationis ligent Pontifices, & gladium spiritualem, ad defensionem Regni cœlestis collatum, pro solis temporalibus acquirendis & retinendis evaginent, eoque nomine solum Reges Christianos, *Henricum* quartum, *Othonem* quartum & hunc *Fredericum* solijs deturbent, quia Imperij rudera, Pontificibus ad rem temporalem nimium attentis, et dominandi cupidissimis occupata, Imperio iterum restituere conantur.

Et reuera spiritus hic est feruentis iracundiæ, et fremitus, non spiritus mansuetudinis & humilitatis, quia non audit Pontifex Imperatoris responsionem, per Episcopos Herbipolensem, Wormatiensem, Vercellensem et Parmensem exhibitam: sed vti refert idem Matthæus Parisiensis. p. 479.

Hac postquam Domino Papæ intimata sunt, in vehementem iracundiam exarsit, & seipsum iustificans, omnia hæc predicta pro friuolis habuit & inutilibus fermocinationibus, & sprenit quasi contraria veritati: & subditos ab obedientia Imperatoris soluit: persuadens (inquit Matthæus Paris.) *vt essent in infidelitate fideles, in inobedientia obedientes: sed tantum promeruit Romana Ecclesia improbitas, omnibus execranda, quod à nullis vel à paucis meruit Papalis authoritas exaudiri.* Quia vero excommunicationes et absolutiones subditorum nihil contra *Fredericum* valuerunt, *Robertum* fratrem Regis Francorum, ad Imperium contra Fredericum promouere conatur, literis ad Regem Francorum hac de re scriptis. Quibus *circumspecta Francorum prudentia* respondit multa, vt supra patet de Frederici innocentia, et Papæ temeritate, cuius sententiam iniustam probat iustitia causæ *Frederici*, vt supra patet: Illud autem mille s repetendum est, quod ibidem Franci. *Quid ad Romanos de prodiga sanguinis nostri effusione, dummodo sua ira satisfaciant?* acsi dicerent, Pontifex non curat, quantum sanguinis Christiani effuderit, modo suę irę satisfecerit, an hęc pastorem animarum decent? *Et si per nos vel alios deuicerit, omnes Principes mundi conculcabit.*

Morbus hic est Pontificius, superbia & dominandi libido, qua omnes Reges terrę ad nutum suum stare vel cadere satagunt.

Gregorius discordiarum & malorum pertæsus, vel potius quia nervus belli deerat, pecunia scilicet, treugas cum Imperatore cogitat, sed necessitate coactus, nõ voluntate aut amore pacis permotus. Quamprimum enim à legato intelligeret, magnam pecuniæ summam collectam

ctam à conditionibus pacis resilire voluit: & *Ioannem Columnam* Cardinalem mittere destinavit, qui vnus erat ex mediatoribus treugarum, vt easdem dissolueret. Ille vero leuitatem verborum, & Consilij instabilitatem, & infidelitatem redarguit: vnde Papa iratus: *Non ego de cetero te habeo pro Cardinale: & ait ei Ioannes: Nec ego te pro Papa.* Et sic recessit de amico factus adversarius. Ecce qualis iste Vicarius, pacis præco, cui Cardinalis pacificus odiosus est, cum contra dicat Dominus: *Beati pacifici*: at *Gregorio* odiosus est pacificus Cardinalis.

Gregorius interea Concilium contra Imperatorem conuocat: Hoc impedire conatur Imperator, quia ad illud hostes illius principales etiam laici conuocabantur, & quia præsidens, id est, Papa erat capitalis suus adversarius, cui obedire habebant omnes prælati assessores, cui non audebunt contradicere præsidentes prælati sibi subiecti: aduocabat enim districte prælatos, in nullo voluntati eius contradicturos: cum vero Imperator intelligeret, se impedire non posse Concilium, primo scribit, vt non veniant, deinde vt per suas regiones veniant, idq; in pace. p. 543. vt instruerentur de causa: neutrum tamen obtinuit, ideo per filium eos capit, quia Papa insatiabilis eius adversarius erat, vti idem dicit Fredericus. pag. 434.

Matth. Paris. p. 525 539. 542.

Dum vero hæc agerentur rumor de Papæ *Gregorij* morte peruolavit: fugiunt ex Anglia, qui in Anglia, Scotia & Hibernia collegerunt pecuniam, qua Papæ cornua, & pruritum ad perturbandum Imperium darent, collegerant, quos comprehendit Imperator, & pecuniam restituit. Causam autem mortis Gregorij sic describit Matthæus Parisiensis.

Dominus Papa Gregorius, quasi conceptos, quos tamen ipse sibi suscitauerat dolores, impotens sustinere: 11. Calend. Septemb. viam vniuersæ carnis est ingressus, pro meritis à summo Iudice recepturus. Dolor vero maximus, quo Papa Gregorius, interius pungebatur vsque ad mortem fuit, quod Imperator cito post festum Assumptionis ceperat quoddam castrum nepotum & aliorum parentum Domini Papæ, in Campania, prope Montfortium, quod Papa de nouo, de pecunia cruce-signatorum construxerat, ad parentelæ suæ tuitionem. Sciuit enim quod omnes consanguineos suos oderat. Si igitur contingeret Imperatorem Campaniam ingredi, voluit Papa Gregorius, vt non oporteret eos, imperiales insultus pertimescere. Sed Imperator super hoc monitus, castrum subito obsessum subuertit, & omnes quos in eo inuenit, suspendit. Sic perijt, qui plus in sapientia & fortitudine sua confidit, quam in Domino: sic dolet Gregorius, dolendus etiam & plorandus ipse, qui taliter dolet & plorat, id est, pro temporalibus & perituris perit. Verum de Gregorio iudicauit, ipse Iudex viuorum & mortuorum dominus, de excommunicatione vero ipsa, per ipsum in Fredericum lata sic iudicat Conradus Episcopus in Chronico.

Hic Fredericum excommunicauit: lætantur prædones & exultant lictores

res

ctores, capta præda conuertuntur vomeres in gladios, & falces in lanceas: Hi ſunt fructus huius excommunicationis: De Siphrido vero Moguntinenſi Archiepiſcopo ſic ſcriptum reliquit: *Sed quia elati cordis erat, & ſuperbiæ magnæ, nimis ſe contra Fredericum erexit, non quidem vt diuinam, ſed Papalem gratiam obtineret.* Atque hæc de Gregorio nono dicta ſunt.

Huic ſucceſſit *Celeſtinus* per dies 18. cui forte defuit tempus & opportunitas, vt *Gregorio* & in Pontificatu & in odio Imperatoris ſuccederet, deinde vacat ſedes per menſes viginti vnum Cardinalibus ad ciuitatem propter bella ciuilia accedere non audentibus: tandem eligitur *Innocentius* 4. ex amico familiari dum Cardinalis fuit, factus Papa, ſimul hoſtis *Frederici* capitalis & acerrimus, qui Papa confirmatus, ſtatim ſine vlteriore aut cauſæ diſquiſitione aut pœnitentiæ expectatione, excommunicationem à *Gregorio* Latam contra Imperatorem confirmauit: In eo parum iuſtus, quia nec cauſam cognoſcit, nec humilitatem Imperatoris curauit, 4.

His temporibus ex Viterbienſium cum Romanis confœderatione, qui ſumpta occaſione ab Imperatore defecerunt: *Obfuſcata eſt non mediocriter fama Imperatoris, & denigrata, & ſiniſtro ſuſurro diuulgatũ, quod nunquam officia diuina audire dignabatur, vel orare, vel perſonas Eccleſiaſticas digne venerari, vel in fide Catholica ſane loqui vel ſentire, à concubitu mulierculariũ Sarracenariũ non abſtinere, imo potius tam Sarracenos quam alios infideles in terras Imperij vocauit & vrbes conſtruere permiſit munitiſſimas: Receſſerunt igitur ab Imperatore multi nobiles & graues ac potentes,-- & multiplicati ſunt inimici eius, prout ſolent homines fortunæ ſequentes ſerenitatem, & in Alemania multi abierunt retrorſum, & elegerunt ſibi alium Imperatorem, videlicet Andegranium, virum elegantem & ſtrenuum qui tamen non conſenſit.* Rationem adhibet Matthæus Pariſienſis. *Dilexit enim Imperatorem, & Romanæ Curiæ odiuit cauillationes: qui de ſuſpecto factus eſt Frederico amicus tutiſſimus: & electoribus ſignificauit, quod tunc temere præſumptionem non ad quieuit:* Quid vero hic Imperator? *Imple facies eorum ignominia, & quærent-- nomen tuum: afflictio dedit intellectum; pœna oculos aperiet, quos culpa ſi tamen culpa, clauſerat,* humiliatus eſt, paratus ſtare mandatis Eccleſiæ modo prius mandata eadem præſciret; at incertis mandatis ſtare noluit. Ideo à pacis conditionibus poſtea reſiliuit, & quaſdam inuaſiones in Papæ conſanguineos, & perſonas Eccleſiaſticas fecit, qua de cauſa eum excommunicauit Papa in Gallia. p.588. p.589. p.611. 617. 636.

De qua excommunicatione, audi lector, quod factum ſit à quodam parocho Pariſijs. *Cum enim tale præceptum per Ordinarios ſuos, ad quendã Sacerdotem, ciuitatem Pariſius inhabitantem deuenisſet, doluit, quod oportuit*

eum, ipſum Imperatorem, quem, neſcimus ob quas cauſas, dilexit, & Curiam Romanam, quam aliquando expertus fuerat, excommunicare: ait in propatulo toti parochiæ ſuæ, die ſolenni populoſe. Audite vniuerſi: Accepi in mandatis, vt candelis accenſis, & pulſis campanis in Imperatorem Fredericum, excommunicationis ſententiam ferrem ſolennem; cauſam tamen ignorans, non ignoro grauem controuerſiam & odium inexorabile motum inter eos. Scio enim quod vnus eorum alteri iniuriatur. Quis cui neſcio: ſed illum, in quantum ſe mea extendit potentia, excommunico, & excommunicatum denuntio, alterutrum iſtorum, videlicet eum qui alij iniuriatur, et abſoluo iniuriam patientem, quæ tam damnoſa eſt Chriſtianitati. Quod licet verbum leuitatis (dixiſſet grauitatis) *& more Francorum iocoſe prolatum, ære multorum reuolutum eſt, longe lateque ventilatum, tandem ad audientiam peruenit Imperialem. Ipſe dicti pondus librans & commendans, xenia concupiſcibilia dicto presbytero duxit tranſmittenda. Sed Dominus Papa de ſcurrilitate, & verbi leuitate puniuit redargutum.* Scias cuius conſcientia læſa erat. Quicquid tetigeris vlcus erit: Equus vulneratus eſt, qui recalcitrat.

Quia vero parum profecit excommunicatio iſta priuata, Pontifex Concilium conuocat Lugduni, in quo Imperatorem excommunicat & deponit, & hæc eſt depoſitio quam vrget *Bellarminus*, quæ in Concilio ex *Matth. Pariſ.* deſumpto extat, & habetur Cap. ad Apoſt. De ſententia & re iudicata in 6. In qua ſententia ferenda Pontifex adeo iracundus & præceps extitit, vt legatos Imperatoris eorumque rationes (quibus nihil habuit quod reſponderet,) non curaret, *Nec aduentum Imperatoris expectaret*: vt Pandulphus Collenucius. *Et licet in contrarium eleganter magiſter Thaddæus procurator Imperialis allegaſſet. In Imperatorem Fredericum, ſine aliqua palpatione vel diſſimulatione, vel dilationis indultu, talem ſententiam in pleno Concilio, non ſine omnium audientium & circumſtantium ſtupore & horrore terribiliter fulguranit. Nulla modo auditis admiſſiſque pœnitentijs, aliiſque rebus quas per ſuos legatos offerebat*: Vt Pandulphus Collenucius Hiſtor. Neap. libro quarto. Quid hic Pontifice aut Concilio dignum? non audit rationes procuratorum Imperialium, cauſas excommunicationis & depoſitionis, in concilio non proponit, nec probat: non expectat *Innocentius* reſponſionem, ſed ex furore animi iracundi, pro libito ſuo eundem excommunicat: in Concilio, ſed ſine conſenſu Concilij, niſi fortè candelæ eorum, qui in Concilio aderant, conſenſerunt; de ſuffragijs enim patrum altum eſt ſilentium: Cauſæ vero huius ſolennis excommunicationis in Concilio latæ, & friuolæ ſunt & falſæ, aut iniuſtæ, & penè eædem quas obiecerat *Gregorius* nonus, quibus reſponderat:

Matth. Pariſ.

derat *Fredericus*, diu antequam ad Papatum aduenerat *Innocentius*.

De quibus vt ſummatim dicam, objicit primo, periuria multa, ſed qualia, quia ſcilicet non paruit mandatis Eccleſiæ, cum ſupra tamen oſtenſum ſit, quod noluerit ſimpliciter iurare, quod mandatis Eccleſiæ ſtaret, ſed ſub conditione, id eſt modò prius mandata illa & conditiones pacis ſciret & probaret; nec ſine ratione conditiones pacis iniquas reiecit: Et multoties pacem petijt Imperator nec impetravit, adeoque recte dicere poſſit, *cum ijs*, Pontificibus, *qui pacem oderant pacificus eram*. Quod ſi diſſidia & ſchiſmata à Pontificibus excitata non fuiſſent, perpetua inter Regnum & Eccleſiam pax eſſet. Secundo, objicit ſacrilegium quod Cardinales & Epiſcopos ceperit, incarcerarit, & detinuerit: magnum proculdubio crimen, quod hoſtes, & perduelles & rebelles manifeſtos, qui hinc odio capitali erga Imperatorem, illinc aſſentatione erga Pontificem permoti tanquam λῃστικὴν ſiue Synodum prædatoriam in damnum Regni & Imperij conſtituturi conueniebant: in quos quidem, idem quod in hoſtes capitales, in caput Domini ſui conſpirantes liceret: *Inueniebantur enim apud eos ſcripta, quibus ſua in Fredericum Machinationes continebantur, quæ deprehenſæ, illius cauſæ plurimum fauoris conciliarunt*, vt Pandulphus Collenucius: Tertio, objicit hæreſeos ſuſpitionem, quia non paret mandatis Eccleſiæ, vel potius ambitioſiſſimi Pontificis, cædem & ſanguinem ſpirantis, omnium regnorum Chriſtianorum, necnon priuatorum gazas & crumenas exhaurientis, vt pecuniam, neruos bellorum & ſeditionum, ad regni & Imperij diſſipationem congregaret: ideo *Fredericus* hæreſeos ſuſpectus eſt, qui tamen in omnibus articulis fidei, forte etiam Pontifice ipſo magis Catholicus erat, & fidem Catholicam legibus ſeueris munierat, & libertates ampliſſimas Eccleſiæ contulerat: Verum his temporibus maxima hæreſis erat, ſi quis per omnia, ſententiæ Romani Pontificis non obediret: Grauis proculdubio fama vel infamia hereſeos, denigrata enim erat fama ipſius per ſuos æmulos et Papa aſſeclas, qua oppreſſum ſe, & eo nomine ab amicis deſertum ſentiens *Fredericus*, ſeipſum per Epiſtolam, de hæreſeos ſuſpitione, purgat: extat Epiſtola ipſa apud Matthæum Pariſ. in Henrico 3. pag. 686.

In qua quod ad hæreſin attinet, ſic pro ſe ipſo Fredericus Imperator *Ex quibus omnibus manifeſte liquet, quod potius ignominioſe, quam iuſte, habendos nos dixerit à Catholica fide ſuſpectos, quam nos teſte ſupremo Iudice, in omnibus & ſingulis articulis, ſecundum vniuerſalem Eccleſiæ diſciplinam, & approbationem per Romanam Eccleſiam; Symbolum firmiter credimus, & profitemur ſimpliciter.* In quibus

aduertat lector duo: primo *Fredericum* liberum esse ab hæresis suspitione, quia *symbolum firmiter credit*: Secundo, *Omnis fides in Symbolo continetur*: sicut supra probatum est, cap. 1. libro 1. Quo autem successu facta sit hęc hæreseos purgatio à *Frederico*, patet in sequentibus *Cũ autẽ Epistola ad notitiam multorum Principum perueniisset, corde protinus à Domino Papa auertuntur, superbiam Romanæ Curiæ, si contingeret Fredericum succumbere, merito formidantes.* Quamprimum se purgasset de hæresis suspitione *Fredericus*, cæteras calumnias flocci fecerunt Principes, à Pontifice auertuntur, *Frederico* fauent, & *superbiam Romanæ Curiæ & formidant* & abhominantur. Quarto, objicit patrimonij *Petri* detentionem: & hic cardo est, hoc caput, hic fons totius mali: *Fredericus* impune hæresin sapere, sacrilege Episcopos detinere, mandatis Ecclesiæ contra iuramentum proprium resistere potuit, si patrimonium *Petri*, principatum temporalem, pupillam oculi Pontificij, cor & animam Pontificum ambitiosorum (de quo non improprie intelligi possunt verba Domini, *Stulte hac nocte auferent animam tuam*; *Luc.* 12. anima enim vel est, illa quæ animat, vel illud, quod amat:) non attigisset. Verum vt de Iudęis dixit Dominus, *non potest perire Propheta, nisi in Hierosolyma*: sic de hoc principatu temporali, dici itidem potest. Non potest Imperator deponi, nisi propter patrimonium & temporalem Principatum *Petri*: vt in *Henrico* quarto & *Othone* quarto supra dictum est. Non ergo fœliciter, sed infœliciter venenum hoc principatus temporalis hausit Ecclesia Romana, ad confusionem suam, & totius Christianitatis, pro cuius defensione nunquam datus est Pontifici gladius spiritualis excommunicationis. Sed de hac Sardiniæ detentione supra dictum est, cum de Gregorij excommunicatione actum est.

Mitor vero, qua fronte *Bellarminus*, aut alius quisquam potestatis indirectæ assertor, hanc sententiam *Innocentij* 4. in *Fredericum* latam vrgere audeat, in qua Pontifex potestatem directam directe asserit: in his verbis: *Sed horum trium Iuramentorum temerarius extitit violator, non sine proditionis nota, & læsæ crimine Maiestatis*: Violator iuramenti quilibet esse potest, at proditor, aut lęsæ maiestatis reus solus subditus & vassallus esse potest: ideo dixit quidam ex vestris *Clericos & Sacerdotes maiestatis & proditionis reos esse non posse, quia subditi & vassalli non sunt.* Et sic *Fredericus* Papam intelligit: vnde in Epistola eundem sic taxat. *Apparet nihilominus animosa nimis, & ampullosa, non minus ex ipsius inflictæ pœnæ seueritatis sententia, per quam Imperator Romanus, Imperialis rector & Dominus manifestus, læsæ Maiestatis crimine dicitur condemnatus, per quam ridiculose subijcitur legi, qui legibus omnibus imperialiter est solutus, à quo temporales pœnæ sumendæ*

Emanuel Sa in Aphorism.

cum

ſumenda cum temporalem hominem ſuperiorem non habeat, non ſunt in homine, ſed in Deo, &c. Acſi dixiſſet *Innocentius* 4. Imperator vaſallus noſter eſt, & ſubditus, & Imperium de nobis in feudo tenet, ideo proditionis nota & læſæ maieſtatis crimine tenetur: Quod ſi verum ſit, Imperium immediate dependet a Pontifice, alia vero regna a Pontifice non dependent, & ſic, vt multi, qui noſtras agunt partes, reſpondere ſolent, Imperatorem deponere poteſt, tanquam feudatarium ſuum (quod vix credo Imperatori & Principibus Imperij placebit) alios vero Reges deponere non poteſt. Quod cauſam Bellarmini prorſus euertit: quia de iure diuino eandem habet in omnes oues, in omnes reges poteſtatem, & ſic aut alios Reges deponere poteſt, aut Imperatorem deponere non poteſt: Aut poteſtas hæc de iure poſitiuo tantum profluit: Aut neceſſario conſequitur quod Papa ſit Monarcha temporalis totius orbis, Imperator vero & omnes Reges ſint feudatarij & deputati & Prereges Papæ, & ſic poteſtatem habeat directam; quod olim negauit *Bellarminus*. Vide Lector, quò Cardinales noſtros rapiat ſtudium partium, vt ea pro cauſæ ſuæ defenſione producant, quæ cauſæ ipſius necnon & patroni eiuſdem iugulum petant.

Sententia vero hæc excommunicationis & depoſitionis, etſi patribus Lugdunenſibus, Senatoribus ſcilicet pedaneis, horrorem & ſtuporē meuſſerit, a viris tamen cordatis contemptui habetur: vnde Albertus Stadenſis ad annum 1245. *Papa die Iacobi in iam dicto Concilio contra Imperatorem excommunicationis ſententiam renouauit, & eum ab Imperiali culmine, authoritate propria* (non ergo Concilij) *depoſuit, & hanc depoſitionem per totam Eccleſiam promulgauit: præcipiens ſub interminatione excommunicationis, vt nullus eum Imperatorem de cætero nominaret. Quæ ſententia per mundum volante, quidam Principum cum multis alijs reclamabant dicentes: Ad Papam non pertinere, Imperatorem vel inſtituere, vel deſtituere, ſed electum a Principibus coronare.* Quæ eadem de ſententia Gregorij habet ſupra, idem Albertus: Quæ etiam & *Incertus Author Chronic. Sclavicæ, Ad Annum* 1245. & *Hiſt. Epiſcoporum Bremenſium, anno* 1240. iiſdem pene verbis recitant. Thaddæus vero tanquam propheta aliquis poſt ſententiam latam exclamauit. *Ex hoc tempore cantabunt hæretici, Regnabunt Choroſmini, & inſurgent Tartari.*

Quid vero *Fredericus*? an ſententiam Pontificis ſic contempſit, etſi iniuſtam, vt Pontifici reconciliari negligeret? Imo vero omnem mouet lapidem, vt Eccleſiæ reconciliaretur. *Vnde per procuratorem ſuum, Regem Franciæ, Domino Papæ obtulit ſuorum exceſſuum ſatisfactionem facere competentem. Obtulit etiam quod in terram ſanctam irreditturus abiret, quoad viueret, Chriſto ibidem militaturus, & totum regnum pro poſſe reſtituturus cultui Chriſtiano, modo pro eo filius imperaret, & ipſe abſolueretur, & fiat filius* Mat. Paril. pag. 675. &c.

reconciliationis: Quid hic Papa? ridens ait, *Ha quoties talia vel potiora promissa sunt?* Respondit Rex Franciæ: *Septuagies septies pandendus est sinus misericordiæ. Peto & petens consulo, tam pro me, quam pro multis aliis millium millibus peregrinaturis, prosperum transitum expectantibus, imo potius pro statu vniuersalis Ecclesiæ & Christianitatis, accipite & acceptate tanti Principis talem humiliationem, Christi sequentes vestigia, cuius vicarius estis in terra, qui se vsque ad crucis patibulum legitur humiliasse. Quod cum Dominus Papa erecta & reiecta ceruice refutasset, Dominus Rex Francorum recessit iratus & indignans, eo quod humilitatem quam sperauerat in seruo seruorum, minime reperisset.* Hic iudicet lector quis reus sit sanguinis illius, qui postea in hoc dissidio Regni & Sacerdotij, an Imperator, qui Imperium & patriam relicturus in terra sancta pro nomine Christi militare proposuerat, modo ab excommunicatione absolui poterat; An Vicarius iste superbus, Domini humilimi Christi scilicet, qui contra pœnitentem gremium Ecclesiæ clausit. Si verbis Domini credamus, *qui vnum ex minimis scandalizauerit, dignus est vt in profundum maris cum mola asinaria demergatur.* Quid ergo de hoc *Nocentio* fiet, cuius superbia & rigida morositate factum est, ut & magni & minimi non solum scandalizentur; sed etiam pericula infinita corporum & animarum per huiusmodi excommunicationes sacrilegas subirent.

Verum enimvero malorum hoc proprium est, semper viuerent, vt semper peccarent: & solent tyranni, minorem ab ipsis illatam iniuriam, maiori & grauiori damno, imo exitio vltimo securitatis suæ causa vindicare. Dixerat *Innocentius* post latam sententiam excommunicationis, *Ego quod meum est feci, faciat & prosequatur Deus quod voluerit*: at iam iratum plenus, non solum sententiam depositionis contra *Fredericum* profert; sed etiam *Andegauium* Imperatorem creat, pecunia & militibus adiuvat, *Conradi* milites contra eum decertantes corrumpit: tandem victus & fugatus *Andegauius*, (die sequenti secundum æstimationem suam, in Regem Alemaniæ coronandus) *videns gloriam suam in confusionem commutatam, consanguineos & amicos trucidatos, pecuniam vero à Papa transmissam ab hostibus sublatam, dolore tactus præcordiali in semetipso defecit, & non alieno, sed proprij vulnere doloris sauciatus & suffocatus; nulli lamentabilem, muliebrem animam exhalauit*; Vel vt supra, *Tabuit præ dolore.* Talem finem habent, qui contra *Christum* Domini, ad mandatum Vicarij insurgunt.

Pag 704.

Mortuo Andegauio non moritur cupido vindictæ in animo Pontificis: ideo *Gulielmum Hollandiæ Comitem eligendum procurat, cui non consenserunt Dux Saxoniæ, & cæteri Magnates: vnde maius schisma in populo dicente, Ecce militia contra Sacerdotium præ superbia. Ecce Sacerdotium eadem causa contra militiam.* Quinetiam circa idem tempus, ægrotante Edouardo, filio Regis Angliæ, deuotè orat, & Rex, & Monachi

Pag 712.

Albanenses

Albanenſes, alijque Clerici pro incolumitate pueri, & per Dei gratiam puero reſtituta eſt ſanitas: *Et ecce murmur populi dicentis, Ecce laici orant Dominum & exaudiuntur: & quare non orat Papa, & facit pro cauſa ſua, imo noſtra & vniuerſalis Eccleſiæ, orare. Imo rapinis inhiat pecuniæ indefeſſus. Dictumque eſt, & affirmatum, quod non ſine lachrymis ſcribo: plus confidit in pecuniæ theſauris, quam fidelium precibus vel eleemoſynis.* Diceres talem Pontificem, pecuniæ & theſauris, vt Imperatorem debellaret, inhiantem, Vicarium Chriſti in temporalibus eſſe, potius quam in ſpiritualibus.

Poſtquam vero *Gulielmus* capto Aquiſgrano coronatus eſſet, inveſtiuis Imperatorem diffamant, & potionem venenatam ei per perfidiam Petri de Vineis (ea de cauſa exoculati) miniſtrare volunt. *Sed abſorduit Domini Papæ fama per hoc non mediocriter, veritatem tamen nouit Deus ſecretorum perſcrutator infallibilis.* Morte vero filij ſui & morbo ſuo humiliatus Fredericus, *obtulit honeſtam formam pacis Domino Papæ, ſed Papa latificatus de aduerſitatibus ſuis* (quales vero ſunt illi qui lętantur cum male fecerint) *noluit quæ obtulit acceptare, vnde multorum incurrit indignationem & Francorum nobilium, qui cœperunt ipſum Fredericum conſolari, & eidem adhærere, & ſuperbiam ſeruiſeruorum Dei deteſtari.* Hinc victo per *Conradum Gulielmo*, & debellatis per *Fredericum* Parmenſibus, idem tamen quod ante, *Fredericus deſiderabat, humiliter, poſtulabat, vt pro Eccleſia in terra ſancta omnibus diebus vitæ ſuæ hoſtes Chriſti impugnaturus militaret, &c. Dummodo Henricus filius ſuus valeret poſt eum ſubſtitutus imperare. Obtulit inſuper multa Eccleſiæ ablata reſtituere, & damna reſarcire. Ad quæ Dominus Papa conſtanter reſpondit, ſe nullo modo velle, quem Concilium Lugdunenſe generale caſſauerat & condemnauerat, tam leuiter ad ſtatum priſtinum rem ducere.* Quid vero ex hac auſteritate lucratus eſt Papa? *A nonnullis affirmatiue dicebatur, quod Dominus Papa ſitienter & ſuper omnia deſiderabat, ipſum quem magnum Draconem vocabat peſſundare: vt ipſo ſuppeditato, & conculcato, Reges Francorum & Anglorum, nec non & alios Chriſtianitatis Reges, quos omnes regulos & ſerpẽtes eſſe dicebat, facilius exẽplo dicti Frederici perterritos cõculcaret.* Olim dixerat idem *Innocentius Martino* exactori ſuo ex Anglia electo. *Expedit vt cõponamus cũ Principe veſtro, vt hos Regulos conteramus recalcitrantes: Cõtrito enim vel pacificato Dracone, cito Serpẽtuli cõculcabũtur.* Et ſi quidem Imperatorem contriuiſſet, alios Reges facile ſubegiſſet. Ambiuit proculdubio *Innocentius iſte*, Dominator Regum, Imo Rex Regum & Dominus dominantium dici. Et reuera ex hac Imperatoris humilitate crevit Romanenſium ſuperbia, vt recte annotauit Albertus Argentinenſis; *Poſt Fredericum creuit potentia & ſuperbia ſedis Apoſtolicæ.* Sed in perniciem & Pontificum & totius Chriſtianitatis, quæ occaſione horum diſſidiorum inter Sacerdotium & Regnum,

Pag. 737.

Pag. 742.

Pag. 740.

In Chron.

Turcarum rapinis & prædationibus expoſita, diuaſtata & ſubiugata eſt: Rex Francorum a Soldano captiuus detinetur: Terra ſancta prorſus amiſſa eſt: Cruceſignati a terra ſancta auertuntur, & contra Imperatorem animantur: Fratres Regis Franciæ Papam e finibus ſuis eijciunt, quia fratri ſuo captiuo opitulari noluit: Eccleſia & Imperio, adeoq; tota Chriſtianitate per hæc diſſidia afflicta & pene exhauſta, ad miſericordiam tamen nulla ratione flectitur Pontifex, vtpote qui mallet totam ſimul perire Chriſtianitatem, quam vt ipſe quicquam de iure ſuo vel potius de ſumma ſua iniuria remitteret. *Fratres enim Domini Regis Francorum* Pag. 777. *eum diſtrictè conuenerunt, rogantes ex parte dicti Regis & ſua, vt pacem iniret cum Frederico humiliato, & ſatisfactionem Eccleſiæ humiliter offerenti, ſicut honorem vniuerſalis Eccleſiæ diligebat: Imponebant enim illi dicti Regis fratres, videlicet Pictauiæ & Prouinciæ Comites, quod per Papæ auaritiam totum euenit infortunium memoratum. Ipſe autem Papa Cruceſignatos, ne in ſuccurſum Regis aduenirent, pecunia corruptos impediuit, & abſoluit a voto ſuo peregrinationis, quos paulo ante, per ſuos quos mittit prædicatores & Mineres cruceſignauit. Preterea cruceſignatos Comiti R. & alijs vendit Magnatibus, ſicut olim Iudæi conſueuerunt oues & columbas in templo vendere, quos Deum legimus in Euangelio in ira punitos eieciſſe: His autem igitur perſuaſionibus difficilem ſe Papa exhibuit, & inexorabilem, vnde duris verbis & litigioſis Dominus Papa & dicti Comites ab inuicem receſſerunt, &c.* An non obdurauit cor ſuum *Innocentius* iſte, aut Diabolus, in perniciem totius Chriſtianitatis, qui maluit terram ſanctam amittere, & Regem Franciæ captiuum detineri; quam ipſe pacem & abſolutionem *Frederico* contrito & humiliato dare?

Tandem verò ad finem huius tragœdiæ pontificiæ deuentum eſt: *Circa enim hæc tempora obijt Principum mundi maximus Fredericus, ſtupor quoq; mundi & immutator mirabilis, abſolutus a ſententia, qua innodabatur, aſſumpto, vt dicitur, habitu Ciſtercienſium, & mirifice compunctus & humiliatus. Condidit autem nobile teſtamentum, quo Eccleſiæ per ipſum damnificatæ reſtaurarentur.*

Non tamen ſic obibant odia Innocentiana: non ſatis Pontifici ſi patrem veneno petat, & miſerijs et afflictionibus conterat, niſi etiam et filios et amicos confundat: ideo eidem conſtanter obijcit Contadus a portis mortis reuerſus, *per ipſum* (Pontificem) *virus lethiferum* 813. *ſicut quondam Patri ſuo facinoroſe, quod abſit eſſe verum, fuiſſe propi-* 814. *natum*: Vnde turbæ graues exortæ ſunt. *Et ita Papa pater noſter* (inquit Matthæus Paris) *qui potius Conſtantini* (diciſſet Neronis) quam PETRI veſtigia ſequebatur, mundo multas ærumnas ſuſcitauit.

Et

Et revera turbas dixeris turbulentissimas: *Papa enim tum propter sui, tum propter generis aviditatem, omnibus Imperialibus extitit odiosus.* (Sicut è contra filij Frederici, omnibus amabiles) *unde Ecclesia multiplicatis persecutoribus non mediocriter periclitabatur, damna multiformia tolerando: Eratque preteritorum infortuniorum recordatio, quasi spina in oculo, omnibus Papæ consentientibus. Henricus enim Raspe Andegravius Duringiæ, quem Papa proposuerat in Imperatorem sublimare, & pro cuius promotione infinitam effuderat pecuniam, periit in mortem ignominiosam precipitatus: post mortem cuius in loco eiusdem, Henricus electus est Comes Gelrensis, sed mortem probrosam prioris considerans, recusauit sic sublimari. Post hunc Dux Brabantiæ, qui & Lotharingiæ, sed & ipse penitus refutauit. Post hunc vero Comes Richardus, quia vafer & abundans numismate, & quia frater Regis Angliæ, renuit, quia ambigua sunt Martis pericula, & precisè contradixit: post quem elegit Dominus Papa* WILIELMVM *Hollandiæ Comitem quitemere consensit, & iam omnibus amissis ad terram suam, & non iam suam, quasi fratri suo eam donaverat, repulsus est, vnde muscipulas & promissiones Papales detestans, mendicare cogebatur. Post hos Dominus Papa* HACONEM *Regem Norwegiæ volunt in culmen Imperij subrogare &c. Sed postquam coronatus fuit, protestatus est palam, se semper velle Ecclesiæ inimicos, sed non omnes Papæ inimicos impugnare.*

Sicut ergo omnes illi qui contra *Henricum quartum Christum* Domini à *Gregorio septimo* ad Imperium provecti sunt, mala morte perierunt: sic etiam omnes illi qui ad Imperij culmen contra FREDERICVM depositum ab *Innocentio* sublimati sunt, aut Imperium recusarunt, aut misere perierunt, aut misere & mendice vixerunt, vt intelligerent omnes, non esse ligatos in cœlo Imperatores illos, quos sic in terris ligant Pontifices ambitiosi.

Sic ergo pereunt, qui *Frederici* solium à Pontifice *Innocentio* inspirati ascendunt. Quid vero *Innocentius* ipse? An sine numinis vindicta, sine dolore, ad sepulchrum descendit? Imo vero insomnijs territus, & vulneribus diuinis afflictus perit. Cogitat *Innocentius* ossa *Roberti Lincolnienſis* Episcopi, qui in abusibus papalibus redarguendis liberior fuerat, extra Ecclesiam eijcere, & ipsum in tantam infamiam præcipitare, vt Ethnicus & rebellis, & inobediens per totum mundum acclamaretur: Ideo literas, ea de causa ad Regem Angliæ destinandas cogitat. *Sed nocte sequenti, apparuit ei idem Episcopus Lincolnienſis, Pontificalibus redimitus,* Pag. 855. *vultuque severo intuitisque austero, ac voce flebili ipsum Papam in lecto suo sine quiete quiescentem aggreditur, & affatur: pungens ipsum in latere ictu impetuoso, suo cuspide baculi quem baiulabatur pastoralis: Et dixit ei, Senebalde Papa miserrime, proposuistine ossa mea, in mei & Eccl siæ Lincol-*

colnienſis opprobrium, extra Eccleſiam proiicere? vnde hæc tibi temeritas? Dignius fuit vt tu à Deo ſublimatus & honoratus Dei zelatores, licet defunctos coleres: nullam poteſtatem in me habere te Dominus amodo patietur: Scripſi tibi in ſpiritu humilitatis, & dilectionis, vt errores tuos crebros corrigeres, ſed tu monita ſalubria ſuperbo oculo, & faſcinanti corde contempſiſti: væ qui ſpernis, nonne & tu contemneris? & ſic receſſit: pungebatur vero tanquam lancea tranſverberatus, & ſemi-necem reliquit eum *Robertus* exclamantem: *Heu, Heu, quantum latus doleo, ſum lancea genij lanceatus, non enim pepercit Robertus Lincolnienſis Senebaldo Ianuenſi: qui viuum noluerat audire corripientem, ſenſerat mortuum impugentem: nec vnquam poſtea ipſe Papa vnum bonum diem vel proſperum continuauit, vſque ad noctem, vel noctem vſque ad diem, ſed inſomnem & moleſtum.* Quinetiam & exercitus illius, quem contra Apulos emiſit, diſſipatus, victus & confuſus eſt, & Dux eius *Wilielmus*, nepos Pontificis, letbaliter vulneratus occubuit *Marte, imo Domino exercituum ei adverſante.*

Hoc duplici malo laborans *Innocentius*, ſcilicet Pleuriſi ex cuſpide *Roberti* Lincolnienſis, & iactura exercitus à *Conrado* profligati, *Nunquam poſtea mente vel corpore proſpere egit, ſed ad mortem ſenſim declinauit.* De quo ſic refert Matth. Paris. *Iſte ſeminuus, iam moriturus, cum videret conſanguineos ſuos circumſtantes lugere, plangere, & vt moris eſt ibi, vlulare, & veſtes & capillos decerpere, Ille ſublenans oculos in morte nutantes, ait, Quid plangitis miſeri? Nonne vos omnes diuites relinquo? quid amplius exigitis? Et hoc dicens, Dei iudicium ſubituram animam exhalauit.* Ipſe potens potius quam pius, N potes mauult diuites quam bonos: *Vbi cadauer ibi Aquila; vbi theſaurus ibi cor.*

Quod ſi fides aliqua viſioni adhibenda ſit: Iudicium *Innocentius* ſine miſericordia accepit, ſicut Iudex miſericordiam & abſolutionem negauit: hanc viſionem refert idem *Matthæus Paris*: *pag.* 868. 869. ſuppreſſo Cardinalis nomine, cui facta ſit, eadem ſeptimana, qua moritur *Innocentius: viſus eſt pro tribunali maieſtatis diuinæ, aſtante Beata virgine Maria & matrona quadam, ferente templum*, in cuius fronte inſcriptum erat *Eccleſia*, Innocentius quartus genibus flexis & manibus erectis veniam petens, non iudicium. *Mulier autem nobiliſſima ex adverſo ait, iuſte Iudex, rette redde iudicium, accuſo enim eum ſuper tribus: Primo, cum interris Eccleſiam fundaſſes, libertatibus eam donaſti, quæ à te ipſo proceſſerunt, hic vero eam reddidit ancillam viliſſimam. Secundo, fundata eſt Eccleſia ſalus peccatorum, vt ſcilicet lucri faceret animos miſerorum, hic vero fecit eam menſam nummulariorum. Tertio, fundata eſt Eccleſia in fidei firmitate, iuſtitia, & veritate, hic vero fidem & mores fecit vacillare, Iuſtitiam ſuſtulit, veritatem obumbrauit: iuſtum ergo Iudicium redde mihi. Ait autem Dominus: vade & pro tuis meritis,*

vitis, mercedem apprehende. Quæ ſi vera ſunt, procul dubio oſtendunt, qualis fuerit in vita, qui ſic moritur, & ſic iudicatur. Verum INNOCENTIVM Domino & Iudici ſuo relinquamus

De Frederico vero Nauclerus recte, *ſpem dedit bonam Eccleſiæ à qua educatus eſt, nec fefelliſſet fortaſſe, ſi per inteſtina incommoda licuiſſet.* 6. Generat. 41. Imo plus quam ſpem, rem nimirum optimam dedit, vtpote qui *Mecenas* optimus, ſub quo floruerunt omnes literæ & artes liberales, literatique, de quo ſic *Sebaſtianus Veron: Perro artium liberalium & Mathematices ſtudia immortali cum laude provexit:* quique Clericis & Sacerdotibus libertates & immunitates, ſiue exemptiones ampliſſimas & pleniſſimas indulſit, vt ex *Lupoldo de Babenberg* de Zelo Principum Germanorum Cap. 10. probatum eſt: qui etiam leges plurimas eaſque Hierarchiæ Eccleſiaſticæ vtiliſſimas, & contra hæreticam prauitatem ſeueriſſimas edidit.

Fredericus enim, (teſte Aventino) *haud dubio ſecundum Carolum Magnum potentiſſimus vtiliſſimuſque Reipublicæ Chriſtianæ, atque ſine controuerſia ſapientiſſimus: Nicholaus Cuſa Epiſcopus Brixmenſis Flamen Romanus, vir vndecunque doctiſſimus teſtis eſt: atque Ægidius Romanus Bituricenſis in Gallia Pontifex, Philoſophus atque Peripateticus inſignis, qui in libris, quos ſcripſit de inſtitutione Regia ad Francie occidentalis Imperatores, hoſce ad illius exemplar properare cohortatur.* Quod ſi *Siffrido* Miſnenſi credamus in Epitome Lib. 2. ad annum 1209. *Hic erat ingenioſus, ſtudioſus, & literarum ſcientia magnus, leges optimas pro libertate Eccleſiæ, & contra hæreticos edidit. Iſte ſupra omnes, diuitijs & gloria abundauit.* Quanti autem haberetur FREDERICVS docet eiuſdem Epitaphium, à quodam *Aretino* Sacerdote confectum.

Si probitas, cenſus, virtutis gloria, ſenſus,
Nobilitas orti, poſſent reſiſtere morti,
Non foret extinctus Fredericus qui iacet intus.

Quod ad depoſitionem FREDERICI attinet, vtrum ſcilicet dignus fuerit, qui hoſtis Eccleſiæ haberetur, vt omittamus quę ſupra ex ALBERICO in Dictionario verbo Electio Imperatoris: vbi dubitat an decretalis iſta Iuri conſona ſit; & contra iura & libertatem Imperij editam aſſerit: audiamus quæ de hac re habet PANDVLPHVS COLLENVCIVS Hiſt. Neapol. Lib. 4. *Sed etſi tot ingenij, corporis, fortunæque dotibus eſſet ornatus, tamen Eccleſiæ hoſtis iudicatus fuit: Ac videtur quidem aliquid tale fuiſſe, poſtquam lata eſſet adverſus eum ab* INNOCENTIO *quarto Sententia, quæ ſexto libro Decretalium poſtea inſerta fuit, nec proinde hanc rem eſſe amplius forte in dubium vocandam;*

Quod

in Italia subsecuta est, quæ vsque in præsentem ferme diem, per annos ducentos & sexaginta, non sine multorum effusione sanguinis duravit: Enimuero qui Romani Pontificis sequebantur partes, quorum votis inditum erat nomen Guelphorum; Fautores Imperatoris, qui Gibellini dicebantur, omni studio, omniq; virtute persequi & delere penitus satagebant: nec minore studio Guelphos Gibellini persequebantur. Hi sunt fructus huius iniustę & præcipitis sententiæ, quę quia statum totius Christianitatis perturbabat, & mala infinita in Reipublicæ et Ecclesiæ ruinam inuehebat, nec à Pontifice proferri, nec á quoquam Christiano et Catholico recipi debuit: adeoque iuxta Bellarminum, cap. 3. huius libri concludo. *Parum prudens fuit Consilium Pontificis, qui inuito populo, & proceribus, Regem illorum quamuis ineptum & ignauum, exantlorare tentauit.* Præsertim cum hanc depositionem consecutum sit interregnum annorum 28. vel, 23. post *Frederici* mortem, in quo Anti-Imperatores præter filios *Frederici* exiterunt quatuor: ex quorum conflictibus infinitæ strages editę sunt, ad totius Christianitatis confusionem summam, & pene euersionem. Atq; hæc de *Frederici* depositione dicta sunt.

CAP. XLVII.

Ludouicus Bauarus iniuste sine causa à Clemente sexto depositus.

1 *Albertus Pighius author Bellar: parum fidelis in Historia hac referenda.* 2. *Ludouicus à maiori parte electus & coronatus* 3. *Quid fecit contra eum Ioannes 22. & qua de causa.* 4. *Confirmatio Impp. non conuenit Papæ iure diuino, nec dat ius electo.* 5. *Pighij verba examinantur.* 6. *Quid Papa Benedictus de causa Ludouici senserit. De Bulla Ludouici.* 7. *Quid Clemens sextus egerit contra Ludouicum, & quare.*

Vndecimum est Clementis 6. qui Ludouicum 4. Imperatorem à Ioanne 22. & Benedicto 12. excommunicatum deposuit.

Pro huius facti, siue exempli, pleniori intelligentia, remittit nos hoc loco *Bellarminus* ad *Albertum Pighium* de Hierarchia Ecclesiastica, Lib. 5. Cap. 14. et 15. Et hic Pighius ex professo respondet *Marsilio* & *Occhamo*, qui *Ludouici* 1*

Bauari

Frederico fauet, eiuſq; electionem confirmare ſpondet: *promittens ei*, inquit Nauclerus, *quod ſi deſtinaret copias ſuas ex Alemannia, ad expellendos dictos Rebelles Eccleſiæ, & execratos*, (Maphæum & filios, Mediolani dominantes) *eum confirmare vellet in Imperatorem, & Germanum eius clericum in Archiepiſcopum Moguntinum promouere*: Quid vero, an quia licet *Innocentio* tertio, Cap. venerab. de Elect one & Electi poteſtate, in diſcordia votorum, in electione Imperatoris vni parti fauere; ideo etiam licet Ioanni 22. Epiſcopatum Moguntiæ pretio diuendere, vt ſcilicet pro eodem adipiſcendo Fredericus cum exercitu hoſtes eius debellare teneatur? poſtea tamen idem *Ioannes* eundem *Fredericum* execrauit, quia *Rhegium* vrbem, & aliqua, quæ acquiſiuerat manu armata in Calabria, in manu Papæ repoſita, ſibi reſtitui petebat: non erat *Ioannes* iſte fidelis ſeruus, qui depoſitum *Frederici*, *Roberto* Regi tradidit.

Hęc erant prima ſeminaria inimicitiarum inter *Ioannem* 22. & *Ludouicum* Bauarum. At victo & captiuato *Frederico*, tum fratre ſuo *Henrico*, poſtquam *Lupoldus*, frater item *Frederici* ad *Ioannem* recurrerat, *cooperante Rege Franciæ*; *vnde* (inquit Nauclerus) *anno* 1325. *Ioannes Papa in publico conſiſtorio Auinione, protulit ſententiam execrationis in Ludouicum Bauarum ex eo, quod miſerat tam copias ſuas in adiutorium Galeatij, & fratrum eius, qui tyrannice dominabantur Mediolani: opponendo eidem Ludouico, quod non erat ei licitum vti officio Imperatoris, quouſq; erat confirmatus ab Eccleſia, deditq; ei terminum trium menſium, infra quem renuntiare deberet electioni de ſe facta, & quod veniret perſonaliter, ſi vellet ſe excuſare de eo, quòd fauorem præſtiterit hæreticis, ſchiſmaticis & rebellibus Eccleſiæ.* Ecce in gratiam *Caroli* Regis Francorum, & *Lupoldi* fratris *Frederici*, inuenta eſt ratio, vt Imperatorem execraret Pontifex: ſed ratio hæc non tam iuſta, quoad regulas iuris diuini & naturalis, quã fallax in gratiam Regis Francię, *Ad cuius nutum Papa regebatur*; vt poſt dicit Nauclerus: & ambitioſa ſiue ſuperba, vt & Imperatorem, et hoſtes ſuos, potius quam Eccleſiæ conculcaret.

Quid enim: an confirmatio Imperatoris, de iure diuino ad Pontificem Romanum ſpectat, ſic vt nemo Imperator verus et legitimus ſit, qui à Pontifice Romano confirmatus non ſit? Si hęc vera ſunt, nec Cæſar, nec Auguſtus, nec quiſquam Ethnicus, ante *Conſtantinum* verus fuit Imperator: Imo nec *Conſtantinus* magnus, nec *Theodoſius*, nec *Gratianus*, nec alius quiſquam Chriſtianus Imperator, ante *Carolum* magnum verus fuit Imperator, quia omnes ab Antiſtite Conſtantinopolitano et alijs coronati ſunt; et nec à Pontifice Romano, nec ab alio quoquam Epiſcopo confirmati. Quinetiam alij Reges Chriſtiani à Pontifice non confirmantur, nec coronantur, et tamen legitimi Reges ſunt virtute electionis, ſiue ſucceſſionis; nec coronatio ſiue Inunctio Ius dat; quia valent actus omnium Regum ante coronationem, imò etſi nunquam coronentur.

At qui sunt isti doctores, qui hunc processum Ioannis 22. contra *Ludouicum Bauarum* inualidum dixerunt? *Pseudotheologi & frigidi Canonistæ*, si Pighio credamus; qui tamen ipsis Pseudotheologis & frigidis Canonistis peior, *vniuersam Imperialem authoritatem dependere ab authoritate ecclesiastica, imo & esse*, falsissime, etiam iudice Bellar. affirmat: potestas enim Imperialis est à Deo, non à Pontifice; et Pontificatu antiquior, & proinde à Pontifice esse non potest, et Cap. 14. *Vniuersum quod nunc est Imperium, constitutum est authoritate Ecclesiastica Hierarchiæ capitis, et vniuersa eius authoritas, ab illius authoritate prorsus dependet*: aut malus Theologus Pighius, qui hęc affirmat, aut *Bellarm.* qui hæc negat.

Verum quo iure ad Pontificem spectat confirmatio & coronatio Imperatoris electi? Ius diuinum, aut naturale non audio, Ius ciuile, aut etiam Canonicum, aut ius gentium, nemo profert, nec *Innocentius* 3. (qui etsi falso) hoc solum affirmat: *Est enim regulariter & generaliter obseruatum, vt ad eum examinatio persona pertineat, ad quem impositio manus spectat.* Quale ergo hoc ius est? vnde hæc authoritas Pontificis, in examinanda persona in Imperatorem electa, nisi ex consuetudine, siue vsu? Id quod et *Pighius* agnoscit, *Per quos facto in Regno schismate, cum Ioannes 22. Bauarum confirmare recusasset, eo quòd iam ante confirmationem sibi vsurpasset pleraq; electi, nondum legitime confirmati potestatem excedentia, tandem commisso inter competitores prælio, Ludouicus armis superior, neglecta authoritate sedis Apostolicæ, non solum per Germaniam, sed etiam per Italiam, velut suo iure cœpit administrare Imperium, contra antiquitus institutum & obseruatum morem legitimum.* Quale ergo hoc ius, nisi mos legitimus & antiquitus institutus, & obseruatus? de iure diuino naturali, necnon & iure gentium, successio, siue electio, ius tribuit, ante coronationē & invnctionem: Successio & electio de essentia sunt, coronatio & invnctio de solennitate sunt. Et tamen mos iste antiquus & legitimus, de consuetudine, non de iure positiuo introductus, iuxta insignem Theologum *Albertum Pighium*, sufficit ad electionem *Ludouici* iustam & legitimam, iuxta ius diuinum naturale & omnium gentium factam, cassandam et irritandam: ac si diceret, Magnus Theologus ille, Mos & consuetudo Ius diuinum naturale, & omnium gentium tollere potest, cum reuera mos et consuetudo omnis, quę contra ius diuinum naturale militat ipso facto in terram corruat.

Cap. Venerab. de Elect. & electi potest.

In verbis autem Pighij duo sunt obseruāda; primo *Ludouicus Bauarus* petijt à *Ioanne* 22. vt ipsum Imperatorem electum coronaret, recusauit vero *Ioannes* 22. Idq; sine vlla causa: etsi enim execrationis hanc assignet causam, quod ante confirmationem iusta potestatem electi, nondum cōfirmati excedentia vsurpasset, at recusationis suę nullam causam assignat *Ioannes* 22. aut *Pighius* & proinde *Ludouicus* tempore electionis capax Imperij erat; & proinde eundem recusare non debuit Pōtifex. 5.

hac cauſa *Crantzium*: in Saxonia Lib. 2. Cap. 4. *Sed neq; hunc dignantur Italici Scriptores Imperatoris nomine, quia benedictionem Papalem non haberet; non quia contemneret, ſed pro humilitate, quod ſupra diximus, Principis modeſtus euitauit. Dicant igitur, ſi ideo Imperator non eſt, quia à Papa conſecratus non eſt? quis conſecrauit Auguſtum, & omnes ab eo Auguſtos, vſq; ad Carolum Magnum? niſi ille per quem Reges regnant, & potentes inſta decernunt. Si non eſt Romanorum Rex aut Imperator, quia Italiam non tenet, cedant hoc nomine Conſtantinopolitani: ex quibus pauci Italiam habuerunt. Cedant & noſtri temporis Imperatores. Proinde non fraudemus optimos Principes honore ſuo. Scimus quo ordine Pontifices ad eam ſe conſecrationem ingerebant. Romanorum ſine controuerſia Conradus & Henricus erant reges, etiam ſi ita vis, non fuerint Imperatores, Mirum tamen, hoc illis denegari nomen regibus, quod ante Cæſares permiſſum eſt Ciuibus Romanis.*

2 Neglecta authoritate Sedis Apoſtolicæ Imperium adminiſtrare cœpit; Hoc falſum eſt, tum quia *Ludouicus* more aliorum Regum Romanorum, & Aquiſgrani, et Mediolani, & Romæ à Senatoribus coronatus eſt, nolente & recuſante Pontifice, & tandem iterum Romæ à *Nicolao* Antipapa inungitur. Non ergo ſedem Apoſtolicam neglexit, ſed potius neglexit ſedes Apoſtolica officium ſuum, quod Apoſtolicam facere decebat. Sæpius vero petijt *Ludouicus*, et per ſe, et per amicos, et ſedi Apoſtolicæ reconciliari, & ab Apoſtolico inungi et coronari, et etiam ab execratione abſolui.

Ioannes primo Anno Pontificatus ſui requiſitus, Ludouicum Bauariæ ducē recuſauit, &c. Sic Nauclerus, Optime vero hanc rē expedit *Ioannis* ſucceſſor Benedictus 12. qui cum ſummopere á Rege Franciæ et *Lupoldo* fratre *Frederici* vrgeretur, contra *Ludouicum: proponentes erroneum eſſe tantum Hæreſiarcham proponere Dominis eorum Eccleſiæ fideliſſimis, Papamq; cauere debere, ne fautor hæreticorum eſſet: Papa vero dicente, quid volunt Domini veſtri, quod non ſit Imperium? Illis vero proterue dicentibus, Pater, non impingatis hoc dominis noſtris, vel nobis, quod non dicimus, quia non loquimur contra Imperium, ſed contra perſonam Ludouici damnatā: Cumq; dicerent Ludouicum multa contra Eccleſiam feciſſe: Papa dixit: Imo nos fecimus contra eum, quum ipſe cum baculo veniſſet, ad pedes Prædeceſſoris noſtri, ipſe noluit eum: & quicquid iſte fecit, prouocatus fecit.* Hæc Albertus Argentinenſis in Chronico. Idē habet *Nauclerus* generat. 45. ex quibus manifeſtiſſimum eſt *Ludouicum* ad ſubmiſſionem paratiſſimum fuiſſe, ſi *Ioannem* 22. paulo æquanimiorem inueniſſet. Vnde hanc moroſam ſeueritatem reijcit Albertus Pighius Cap. 14. Lib. 5. in *Ludouicum*, qui *ſub Benedicto* 12. et *Clemente* ſexto pro abſolutione à cenſuris huiuſmodi laborauit plurimum, *ſed cum non offerretur conueniens ſatisfactio, eandem impetrare non poterat.* Plurimum ergo laborauit Ludouicus pro abſolutione, et cenſurarum Eccleſiaſticarum

reuocatione, sed incassum: quia conuenientem satisfactionem non obtulit Pontificibus, quibus nulla conueniens satisfactio visa est, nisi electioni de se factæ renunciaret.

Omnium ergo malorum ex hoc schismate origo & fons fuit Pontifex, qui nec supplicem coronare, id quod ex officio tenebatur, nec humiliatum in gremium Ecclesiæ (pœnitenti nunquam clausum) recipere voluit.

6. Mortuo *Ioanne* 22. Papa: *qui curiam Romanam tanquam immundissimum stabulum reliquit: successit Blancus quidem Cardinalis nona ratione, scilicet sub altercatione à duabus partibus electus, (Ego N. nomine illum: & si ille esse non poterit, nomine Blancum) vt stabulum hoc immundissimum, ab anaritijs, & fumosis stercoribus expurgaret: sicut per visionem præscinit & prædixit quidam Episcopus. Hic territus quibusdam iniquis postulatis Regis Franciæ (Regnum enim Vienne, vicariatum Italiæ & decimam decimarum totius Christianitatis per decennium audacter petijt, quasi nihil sibi denegare deberet) sicut & Cardinales, se reformare cum Ludouico Romanorum Principe decreuerunt.* Adsunt nuntij à *Ludouico* à Papa & fratribus edocti, qualiter, & sub qua forma redire deberent, cum literis humillimis, mandatis sufficientibus, et articulis illis: de absolutione & restitutione; sermone humillimo agunt. Respondet Papa. *Glorioſissime, se & fratres suos de hoc, quod Ramus, qui se in persona Ludouici lædi per Ecclesiam æstimans, iam ab arbore Ecclesiæ separari cœperat, eidem arbori cum tam magno honore sedis redintegraretur, plurimum gratulari, multum commendans Alemaniam & Dominum Ludouicum, quem nobiliorem mundi dicebat: conquerens, Italiam regi per tyrannos, & Regnum Armeniæ capi à Paganis, & terram sanctam propter Imperatoris carentiam occupari: vnde merito dixit absolutionem impertiri debere: qua & dari crastino sperabatur.* Hæc Albertus Argentinensis, nec non et *Nauclerus*. Et hæc verba magnifica sunt, aures delectant, at animum non pascunt, quia ex interuentu nuntiorum Regis Franciæ et *Lupoldi*, qui post insaniens sine pœnitentia moritur, in aliud tempus differuntur.

Videbatur *Benedictus* iste venire in nomine Domini, multa bona pollicetur: At postquam nuncij Regis Franciæ et *Lupoldi* cum eo egerant, et post preces, etiam minas adderent, *Rex Franciæ in terra sua vndique bona & reditus Cardinalium interdixit: scripserunt ad curiam Rex Bohemiæ & Dux Bauariæ, quod auxilio Vngariæ & Craconiæ Regis, & aliorum, alium vellent Regem Romanorum potenter constituere.* Quid hic Papa? non audit humilem pœnitentem, supplicantem iuxta mandata Domini: Sed terrores et minas Regum, et potentum, et subdolorum et crudelium Cardinalium audit. *Sic Cardinales Papam ab absolutione Principi, retraxerunt,*

retraxerunt dicentes, cum sui in partibus suis vellent eum destituere, incautum esse sedi, si propter impotentiam & inopiam tot Principes offensaret. Sic *Albertus* Argentinensis, & *Nauclerus*. In his versutia & sapientia humana, non iustitia & sapientia diuina, quæ pœnitenti sinum Ecclesiæ expandit, etsi mille gentes fremant, & populi meditentur inania, & Reges astent contra Dominum & *Christum* eius.

Quid vero *Ludouicus*? an repulsus, veniam & absolutionem petere destitit? *Imo vero Anno* 1336. *reuertuntur Oratores pro absolutione Principis*, vt refert Albertus Argentinensis, & Nauclerus, *impetranda; Quos Pontifex benigne accepit: mane vero die sequenti, Papa quasi flens, conquerebatur, quod Principi Ludouico esset inclinatus, sed Rex Francia sibi scripserat, si eum, sine voluntate eius absolueret, peiora expectare deberet quam Bonifacius accepisset.* Benedictus iste, proculdubio maledictus, qui magis, timet Dominum Regem Franciæ, quam Dominum Deum cœli & terræ. *In Chron. Generat. 45.*

Interim discordia inter Regem Angliæ, & *Philippum* de Valois de Regno Franciæ orta; *Ludouicus Philippo* aduersatur, Regem Angliæ Vicarium Imperij constituit: postea Philippo reconciliatur. *Quo facto* (inquit Nauclerus) *Ludouicus Regem Angliæ absoluit à Vicariatu Imperij, & ex tunc Ludouicus prosperitatem nunquam habuit, & Rex Francia, qui corporale præstiterat Iramentum, quod eum Papa reconciliaret, nihil fecit.*

Post hanc inter *Ludouicum* & Francum reconciliationem, Oratores *Ludouici*, & *Philippi* simul adeunt Papam, petunt reconciliari Imperatorem. Quid hic Papa? *Nunquid* (inquit) *Ludouicum, ad arbitrium Regis, nunc hæreticum, nunc vere Christianissimum habere debeam? & protracto variis tractatibus negotio, Franeus* (vt credebatur) *quod noluit, simulauit se velle: Benedictus vero Papa, quod voluit, simulauit se nolle: vtique nihil actum fuit.* Hæc *Nauclerus*. Ex quibus manifestum est, *Benedictum* saltem voluntate, pœnitentiam *Ludouici* acceptasse, & voto eundem absoluisse, etsi propter terrorem Regis Franciæ, & aliorum, hoc ipsum facto non auderet.

Cum vero *Ludouicus*, humilitate, & precibus & legationibus, nihil à Pontifice hoc, nomine *Benedicto*, sed reipsa non benedicente, aut saltem bene non faciente impetrasset: necessitate coactus Innocentiam suam contra processus *Ioannis* 22. ex consensu Principum Francofurti habito, et consilio fratrum minorum, per Bullam suam omnibus testatam facit, in qua se fidem Catholicam sanctæ matris Ecclesiæ, et doctrinam tenere profitetur; deinde potestatem suam in Imperio administrando, ex sua electione, nec à Pontificia autoritate dependentem, vtpote à Deo datam multis confirmat, Papæ plenitudinem potestatis in temporalibus negat. Processum Ioannis 22. ex notoriè falsis causis, nullo iuris

ordine ſeruato nullius roboris eſſe affirmat. Quod *Ioannes* 22. Se, & ſuos fideles, & amicos, odio capitali et etiam hoſtili exercitu proſequatur. Quod in cauſa ſua iudex idoneus eſſe, aut ius dicere non poteſt, nec debet. Item quod vbi expreſſus eſt error in ſententia, vel mandato, ſententia eſt, ipſo iure, nulla. Item quod poſt appellationem lata ſententia nulla ſit, quodq; Papa ſecundum doctrinam Catholicam, vbi de fide agitur, ſubeſt Concilio, & vbi de iure diuino agitur, Concilium eſt ſupra Papam. Hæc et alia multa, in eadem extant Bulla, apud *Nauclerum generat:* 45.

Ex quibus iniuſtitia & vſurpatio papalis, vniuerſo orbi teſtatiſſima facta eſt; quam Bullam oportuit *Bellarminum* prius refutaſſe, antequam hoc exemplum, cui plurimi tunc temporis contradicebant, pro probatione poteſtatis temporalis, produxiſſet. *Vide qualib. 1. cap. 8. inter conuentus dicta ſunt, de hac Ludouici execratione, num.* 13.14.15.16.

7 Mortuo Benedicto, ſuccedit Clemens 6. qui inſolenter maiora auſus, vtpote *qui ante ſemper Ludouico infenſus, modo in gratiam Franci Regis (cuius Clementis cor, & Regis Francia, vnum erat cor:* vt Albertus Argentinenſis:) *excommunicationis ſententiam in Bauarum latam confirmat, & vt eius viribus obicem opponeret in Italia, Vicecomitum dominatum confirmauit; vt Ludouico, ſi quid rei noua oriretur, reſiſterent. Rogat tamen ſcriptis Imperator Ludouicus Regem Francorum, cum certum eſſet Papam adnutum ſuum regi, ideo ſi quid contra ſe fieret, putaret ſe ab ipſo habere, rogabatq; vt ex promiſſo abſolutionem ſibi impetraret.* Cauillatur Rex Franciæ, *Ludouicum* nunquam ſe humiliter ſubmiſiſſe: Datur ergo forma placens Papæ: conceptum eſt *Procuratorium turpiſsimum & rigidiſsimum, quod Ludouicus etiam in carcere detentus non ſigillaſſet, in quo datur poteſtas reſignandi Imperij, nec reſumendi, niſi gratia Papæ, confitendi omnes errores & hæreſes ſibi impoſitos. Sed Principes Electores & alij Imperij fideles, recenſentes articulos reformationis, quos Papa requirit, ac in his reſidet, concorditer articulos illos decreuerunt in perniciem & deſtructionem Imperij eſſe conceptos, quibus nec Imperator, nec Principes virtute iuramenti imperio præſtiti annuere valeant.* Hinc Papa, cum *Ioanne* Rege Bohemiæ et *Carolo* filio eius, qui læſi fuerunt ab Imperatore, et cum Treuerenſi Archiepiſcopo, ad perpetuum Principis exterminium deliberauit. *Carolus* 4. in ſchiſmate per nonnullos principes eligitur, licet poſtea teſte *Onuphrio*, hæc electio à reliquis Principibus caſſaretur: *Ludouicus* à *Clemente* iracundo ſatis inclementer deponitur. *Tandem poſt ſpectacula, cum ex eodem poculo Princeps à Ducissa porrecto* (erat ea relicta *Alberti* ducis Auſtriæ) *biberet, ſtatim ſenſit ſe grauatum. vnde accepta occaſione & exercitij gratia exiuit venatum, paralyſi diu percuſſus, de equo in terram corruit, & mox expirauit. Quo mortuo fama volauit, quod de poculo intoxicatus eſſet, quod tamen non fuit clarum.*

Naucler. Gen. 45.

Naucler. Gen. 45.

In

In his omnibus, quid Vicario Christi: Quid Pontifice dignum? *Clemens* iste non *Iesu Christi* Domini nostri, cuius spiritum et mandatum reijcit, sed Domini Regis Franciæ Vicarius merito dici potest; ad cuius nutum regebatur. Iratus et *Ludouico* infensus, Regi Franciæ gratificatur, Imperatorem deponit. An hoc est Pontificis? An Rex Franciæ, anima et cor est Pontificis, ad cuius nutum regitur? Objciunt friuolas quasdam hæreses *Ludouico* de paupertate *Christi* et Apostolorum, et aliis nonnullis, quas puerile est in hâc causa vrgere; quis enim vnquam dixit has opiniones in leg timo Concilio damnatas per Pontificem ex Cathedra? Quod si in æquilibrio, hinc hæreses *Ioannis* 22. illinc *Ludouici* ponderentur, hæreticus à pluribus audiet *Ioannes*, quam *Ludouicus*, si enim vera narrat Nauclerus, vti supra dictum est: *Ioannes, tepide errores suos ante mortem reuocauit, & Benedictus eosdem condemnauit.* Facilius erit nobis *Ludouicum* ab hæresi liberare, sed de hac re scripserunt olim multi, et Iurisconsulti, et Theologi: ideo de his plura dicere supersedeo. Concludo vero hanc de *Ludouici* depositione disputationem, hoc dilemmate. Si *Ludouicus* Bauarus electus, nec inauguratus à Pontifice, non sit Imperator, quomodo à Pontifice deponitur ab Imperio, qui Imperator non est? Si Imperator electus, Imperator sit, etsi à Papa coronatus non sit, quomodo deponitur à Pontifice, quia munia Imperatoris exercet, ad quæ obeunda ex officio tenetur: Sic aut Imperator verus agnoscendus est, aut deponendus non est. Qui plura velit, consulat Authores *Ludouici* coætaneos, qui Imperialistæ dicti, contra pontificios *Ludouicum* defenderunt.

Bellarminus *à duobus Pontificibus ambitiosis edoctus, duas allegorias* ligandi *&* pascendi, *praeter & contra antiquitatem, vniuersalitatem, consensionem detorsit: & quinq; rationes relictis aliis omnibus, quas alij huius potestatis patroni vrgere solent, à natura deductas, & in natura falsas, ad huius plenariæ potestatis comprobationem, tanquam quinque arietes adhibuit: & duodecim hominum, in statera fallaciũ, exempla partim falsa, partim friuola, & ab instituto aliena, partim superba, et ambitiosa corrasit, ex quibus à facto arguit adius, ex ijsque quod* verum existimauit *de hac potestate temporali Pontificis concluſit: ideo ad nutum Pontificis tenentur subditi & fideles, gladium, hoc est potestatem Dei, non populi, è manibus Imperatorum & Regum extorquere, et iuramentum in iudicio, iustitia, veritate, confirmatum violare? An eo res rediit, vt illud omne de fide sit, quod* verum existimat Bellarminus? *Tempus ergo est à somno securitatis, vel potius cæcæ obedientiæ surgere, Lucernam accendere, domum istam euerrere, vel euertere (vt male olim legit vulgatus interpres) quæ solum opinioni, & existimationi Doctorum innititur, & super vias antiquas* Christi, *Apostolorum, Martyrum, & Patrum stare. Expergiscimini ergo, & audite Principes Christiani Illust. qui propter bonũ priuatum, propter fines vestros temporales, plenitudinẽ potestatis Pontificiæ, supra modum extumescentẽ, & fertis patienter, & sustinetis securè, aut quia in rem vestrã facit, aut quia res vestra non agitur. Vos enim omnium schismatũ, & malorum, quæ ex huiusmodi inter regnum & sacerdotium oriuntur dissidijs, reieſtis, quia malum, quod non prohibetis cũ potestis, reuera facitis. Plenitudo & tumor omnis in corpore naturali periculosa est, in Republica periculosior: qui enim nimium ambiunt, parum retinent: at tumor, & plenitudo potestatis in Ecclesia periculosissima est. Rectè monuit Dominus de potestate tẽporali,* vos autem non sic: *perperam seruus principalis, seruus seruorum,* Nos autẽ sic, *principatu temporali sicut aliæ gentes arrepto. In hac potestate error erat, etsi tumor non erat: At postquam rerum temporalium dominio inflatus, tumorem & plenitudinem potestatis ambiuit, tunc placuit vox illa Parasitorum:* Vos autem plus quam sic. Reges gentium dominantur eis, *id est, subditis gentibus: at Pontifices Romani dominãtur Regibus, &* qui potestatem habent super reges, benefici vocantur. *Nemo enim Rex, etsi Monarcha orbis, siue Imperij maximus, sic vnquam locutus est. Ego Monarcha spiritualis & temporalis totius orbis, Reges omnes,* "

Pro-

„ *Proreges mei sunt, eos sicut mihi visum est, depono, hunc destituo,*
„ *illum instituo. Ego monarcha sum spiritualis, & potestati meæ spiri-*
„ *tuali annexam habeo tanquam appendicem, potestatem temporalem,*
„ *siue in temporalibus; per quam de temporalibus propter finem spiri-*
„ *tualem dispono, id est, Reges & Principes, qui per temporalem suam*
„ *administrationem, spirituale bonum impediunt, destituo, et non-Reges,*
„ *non-Principes facio: Hoc in Imperio factum sæpe, cum ipsius Imperij*
damno & exinanitione. Hoc in alijs Regnis tentatum sæpe, licet non
peractum: regna enim plurima ex Imperij ruderibus, & ruinâ aucta
sunt. Etsi vero hæc in Imperio acciderunt, idem tamen ius, potestas
eadem in vos etiam concessa est: quod Imperatori, hoc vobis accidere
Matth. Paris. in Henrico 3. *potest. Quid enim Pontifices in Conclaui, in Consistorio, in Senatu cogi-*
tant? Expedit vt componamus cũm Principe vestro (*Imperatore*)
vt dracone magno conculcato, Regulos & serpentes, *Reges Angliæ, Franciæ, Hispaniæ*, conteramus: Dracone enim, *id est Imperatore*, conculcato, serpentes & Reguli, *id est Reges minores, Anglus, Francus, Hispanus*, facile conculcabuntur.

Nonne vox hæc Pontificem sonat? Imperator læsæ maiestatis
crimen in nos commisit: Rex Angliæ vasallus noster est. *Nonne*
Apud eundem. In sententia depositionis Frederici. *hæc sic olim intellexerunt Principes Christiani aliqui ex maioribus vestris?* Quid ad Romanos, de prodiga sanguinis nostri effusione
dummodo sueirę satisfecerimus? Si eum (*Imperatorem*) per nos
& alios deuicerit, omnes Principes conculcabit, sumens cornua
iactantię, & superbiam, quoniam ipsum Fredericum Imperatorem magnum contriuerit. *Annon hoc ipsum multi è maioribus*
vestris experti sunt, in seipsis & dominijs suis? Annon Childericum
deposuisse, Pipinum *in Francia substituisse*, Ioannem *Anglum diadema Regni in manus suas resignasse, & ab co feudatarium recepisse;*
Curatorem Regi Lusitaniæ se dedisse, serio gloriantur? Annon alij ex
vestris maioribus ex huiusmodi tumultibus, principatum haud contemnendum lucrati sunt, vos vero ipsi iam possidetis? Annon quod
maioribus vestris, hoc & vobis contingere potest? Othonem 4. &
Fredericum 2. *ex Italia depellere conati sunt, viribus aut fraudibus,*
aut seditionibus principum & populorum, magnis illis Principibus
pares: Annon potestas vestra in Italia, & alijs Regnis & regionibus
Pontifici formidolosa, & proinde odiosa? Et vos ipsi Italiâ, alijsq;
domi-

di; in ſtatu Romanenſium facta mutatio hæc, non in affectu. Idem iam amant, affectantq; quod olim,

Tu regere imperio populos Romane memento :
Hæ tibi erunt artes———————

Et quamdiu temporalibus pleni ſunt, temporalia veſtra deſiderabunt, & depredabuntur: & quod ope veſtra in Imperatorē *&* Imperium *moliti ſunt, idem in vos ope aliorum molituri ſunt. Hæc vos ignorare, aut lucri alicuius gratia diſſimulare graue eſt, perpeti vero durum: at calculis veſtris, ſcriptis & armis ſubditorum veſtrorum hæc defendere, & propagare, impium eſt, & intolerabile. Negligentia hæc, libertates & iura* Regnorum *&* Imperiorū *veſtrorum, imo* Dei *ipſius,* (à quo ſolo ſecundi, poſt quem ſolum primi, cui ſoli rationem reddere debetis, & à quo ſolo iudicandi & puniendi eſtis) *iura prodit. In hac ſeruitute maiores veſtri, tenebris ignorantiæ, & torrente ingruentium tempeſtatum coacti vixerunt: In hâc ſeruitute, ſi vos, in hac luce & libertate Euangelicâ volentes permaneatis; date veniam, ſi quod verum eſt, aperte dicam:* Coacta ſeruitus *maiorum veſtrorum* miſerabilior fuit, at affectata *veſtra* ſeruitus miſerior eſt. *In hac affectata miſeria, ſi quis ſibi applaudat, & dicat.* Requies bona eſt, terra optima, & ſupponat humerum ſuum oneri, et tributis ſeruiat; *fruatur diu felicitate ſua; ſciat tamen,* ſaginata ad cædem deſtinari. *Quin ergo vnanimiter* voſmet, regna, *&* iura veſtra regalia, *quæ* à Deo *immediate accepiſtis, ab hac ſeruitute vindicatis? quin ad* Concilium *generale prouocatis, in quo* Pontifex, *etiam in Cathedrâ, hanc temporalis poteſtatis, & depoſitionis affectationem deponat; vt ille* ſpiritualibus ſuis tantum *contentus, & temporalibus implicationibus ſolutus,* Deo, *in animarum cura & curatione militet;* vos *vero execrationibus & diſſidijs papalibus liberati, ſic* quę ſunt Cæſaris, *curetis, vt ſemper* Deo, quæ Dei ſunt *& ex debito reddatis, & ex deuotione detis.*

Huic Deo, trino et vni, ſit omnis laus, honor, et gloria, in ſecula.

FINIS.

Errata crâsiora sic corrige in primo Libro.

Pag.10.lin.13. *nullus leg.vllus*, p.11,26,*proferis, profertis*. *Ibid.*42,*Apostolica, Apostolicæ*. p 14.1.*Concilio,Concilia*. p.27.22.*nec,me*. p.28.31.*se : velint,se velint*, p.36 21.*est deleatur*. p.56.5,*enim,etiam*. p 57.31,9 q. p.85.14,*hoc,hac*. p 99.32,*Inventum,inventam*. p.101. 21,Apostolicus,Apostolus. p.108.17.*suam,suum*. p.109.15,*pax ex,pax &*. p.114.28, *Ille,illi*. p 120.12, *fidei ? fidei : p.135.35,edita,edita à*. p.136.39,*iam,tam* p.137.24,*esse, est*. p.149.4, *Regni tradere, Regno trudere*. *Ibid.*39.*expositionis, depositionis*. p.176.10, *revocavit, renovavit*.

LIB. II.

Pag.182.lin.27.*iste,leg.istæ*. p.194.17.*Omnia,omnium*. p.198.9,*l.c.l.1.c*. p.214,2, *De, Dei*. p.217,34, Dominum,Dominium. p.228,39, *Elecmosyna. Nota, Elecmosyna non*. p.229,1,*pœnitentis, pœnitenti*. p.231,40,*à pater & filio, & pater à filio*. p.237,25, *potest, post*. p.249,11,*late,lata*. p.251,14, subvei sorum,subuersorem. p.256,31, *Concil.Conclus*. p.260,22,*nititur.Vt, nititur, vt*. *Ibid.*41,*Papam, ideo, Papam adesse ideo*. p.267, 20,*Li.8.li.1*. p.271,2,*siquidem admirari, siquidem rara admirari*. p.276,4,*indirecta, indirectè*. *Ibid.*10,*aly,alys*. p 279,41,*& intestinis, intestinus*. p.285,10,*hominum electionem, heminum & electionem*. *Ibid.*21,qui a Deo, quia a Deo. p.294,13,*reponeret ? reponeretur*. *Ibid.*31,*cum allegorico, non allegorico*. p.298,41,*finem &, finem disponit &*. p.302 4,Principum & spirituali, Principum spirituali. p.309,21,*qui à, quia à*. *Ibid.*33,*eas, eos*. *Ibid.*38,*alios, alias*. p.312,17, *Principem, Principum*. p.313,40, *temporis, tempore*. p.314,1,*Mancipia,municipia*. p.316,29, *totius, totus*. *Ibid.*37,*ait,aut*. p.325,14,*plurimis, plurimi*. p.333,1,*Excludere,excluderet*. p.371,36,*fuisem se,fidem te*. p 374,23,*se sistit, se non sistit*. p.383,14,cum interfectore,non interfectorie. p 400,33,confirmare, confirmate. p.411,30,dominare,dominari. p 417,17, *credit,creditur*. p 423,32, *Regem,&, Regem,at*. p.433,32,*timentis,timentibus*. p.440,6,*constituit,constituti*. p.450,22, *cum exemplo,non exemplo*. p 455,21,*potest,potestas*. p 463,42,*Artes,Aristoteles*. p.481,25, *multare,morte multare*. p 487,34,*pensitare,pensitare voluerunt*. p.539,27, *Episcopus, Episcopos*. p.500,2,*quia,quæ*. p.507,42,*Vtrumq;,Vtcunq;*. p.528,25,*excuerunt,exercuerunt* p.530,32,*eus,ôi*.p.540,31.*ſi,sic*. p.541,13,*ad visum,ad vsum*. p.551,11,7.3.c.*omnes Christiani*,11.q 3.c *omnis Christianus* p.557,25,*non habuit,habuit*. p.568,13,*ipsa,ipsius*. p.586, 22,*aut,at*. *Ibid.*42,*qui assensus,quia assensus*. p.609,6, *vendicat,vendicat vt*. p.638,19, *pro,per*. p 677,1,*præcidarit,prædicarit*. p.681,4,*spiritualibus,ciuilibus*. p.689,15,*nolit,velit* p.695,16,*l.f.deles,Fideles*. p.702,27, *defensores,desertores*. p.709,33, *Amon hoc est, An hoc est*. p.713,2,*vt Deus & homo, vt homo*. p.719,3,*regioremq;,religionemq;*. p.726,33, *Ser.16,Ser.64*. p.728,29,*eludere,eluderet*. p.734,36,*non sunt,non est*. p.740,28,*Zachariam,Childericum*. p.742,7,*divinum tollit,divinum non tollit*. p.744,7,*Quando,Quomodo*. p.762,8,1.7,l.7. p.766,4,*declaretur,non declaretur*. p.780,34,*deest verbum* dispensare. p.811,1,*depositio, & depositæ*. p.821,34,*nullo,nulli*. p.824,29,*tribuis,tribuimus*. p.833, 27,*nam,eam* p 834,26,*fratre,à fratre*. p.844,12,*recluderet,recludere &*. *Ibid.*13,*odium, ovium*. p.870,30,*accuret,accusset*. p.875,19,*Cap 34,Cap.35*. p.876,12, *literarum, libertatum*. p.877,15,*illo,illi*. p.881,13, *A Deos datis,A Deo dati*. p.898,5,*separata,separat à*. *Ibid.*13,*dependerent,deperderent*. p.914,21,*non vsq;,vsq;*. p.924,37, *solus tamen, sulus tamen*. p.956,20,*sint,sicut*. p.968,25,*apertum,apertam rebellionem*. p.969,12,*Maiestati, Maiestatem*. p.971,34,*iure,ius*. p.972,18,*aut,autem*. p.977,31,l.1,c.8,*vt c.8*. p.979, 25,*dominationem,denominationem*. p.982,7,*transferret, transferre*. p.986,27, *id est,i*. p.990,22,*quam,non* p 1002,17,*Episcopi,Episcopo*.p.1008,28,*transfert,transferre*.p.1017 40,*Christianis,Christianæ*. p.1021,39,*hodie,hœdi*. p.1022,34,*nisi,iuste*. p.1024,42.*hæc hac*. p.1025,9,*proferre,perferre*. p.1031,10,*purgationem,propagationem*. *Ibid.*27,*dicatur dicant*. p.1035,16,*Lugdunensem,Lugdunensc*. p.1050,17,*obitũ,abitũ*:p.1052,30,*nõ,cum*.

In margine.

p.200,*Consil,leg.Constit*. p.223,31,13. p.252,*In Epist.In Epit*. p.997,*Summum, Somnium*.

In Titulis paginarum.

p.230, *Principis, Principes*. p.276,*Innocentij, Bernardi*. p.277,*directè, indirectè*. p.471, *potestas vt duo h.m.m,potestates vt duo humeri*. p.475,*iuxti Bell. sit nobis, iuxta Bell. si nolit*. p.549,*Impune non, Non impune*. p.886,*examinantur, examinatur*.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by

Digitized by Google